H q. 19.
H.9.19

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

STEPHANI BALUZII

TUTELENSIS

MISCELLANEA

NOVO ORDINE DIGESTA

ET NON PAUCIS INEDITIS MONUMENTIS

OPPORTUNISQUE ANIMADVERSIONIBUS AUCTA

OPERA AC STUDIO

JOANNIS DOMINICI MANSI LUCENSIS.

Tomus Secundus

Continens Monumenta Sacra.

LUCÆ MDCCLXI.

Apud Vincentium Junctinium.

SUPERIORUM PERMISSU.

SUMPTIBUS JOANNIS RICCOMINI.

Digitized by Google

Digitized by Google

E L E N C H U S

Eorum quæ in hoc ſecundo Tomo continentur.

Epiſtolæ duæ Sulpitii Severi Presbyteri Aquitani ad Claudiam ſororem ſuam. *pag.* 1. & *ſeqq.*

Ex veteri Codice MS. Collegii SS. Trinitatis Cantabrigienſis.

Fragmentum Theodoriti de Trinitate. *pag.* 7.
Aliud ejuſdem contra Sabellium. *pag.* 7.

Ex duobus antiquis Codicibus MSS. uno Eccleſiæ Bellovacenſis, altero monaſterii Corbejenſis.

Aviti Epiſcopi Viennenſis Epiſtolæ quatuor. *pag.* 9.

Ex veteri Codice MS. cl. V. Petri Marneſii Senatoris Gratianopolitani.

Ejuſdem fragmenta libri de Divinitate Spiritus Sancti. *pag.* 10.

Ex veteri Codice MS. monaſterii S. Galli in Helvetia.

Fragmenta epiſtolarum Paulini Epiſcopi Aquilejenſis. *pag.* 10. 11.

Ex veteri Codice MS. cl. V. Aymonis Pruſti a Campoburgo Anteceſſoris Aurelianenſis.

S. Gregorii Papæ epiſtolæ ad diverſos. *pag.* 11. 12. 13. 14.

Ex codicibus 40. 135. 726. 1052. 1065. *Bibliothecæ Colbertinæ.*

Ejuſdem Epiſtola ad Petrum Subdiaconum. *pag.* 11.
Recharedi Regis Gothorum Epiſtola ad S. Gregorium. *pag.* 12.

Ex Codice 408. *ejuſdem Bibliothecæ Colbertinæ.*

Liciniani Epiſcopi Carthaginenſis epiſtola ad S. Gregorium Papam. *pag.* 13.

Ex veteri Codice MS. Dominicanorum Bajonenſium.

S. Hildefonſi Epiſcopi Toletani Liber adnotationum de Ordine Baptiſmi. *pag.* 15. 16.

Ejuſdem Liber de itinere Deſerti, quo pergitur poſt Baptiſmum. *pag.* 39. 40.

Ex Codice Baluzii 287.

Alcuini epiſtola ad Karolum M. de pretio Redemptionis humanæ. *pag.* 48. 49.
Ejuſdem Capitulare admonitionis ad eumdem Karolum. *pag.* 50.
Ejuſdem epiſtola ad Abbates & Monachos Gothiæ in cauſa Felicis Epiſcopi Urgellenſis *pag.* 51.
Ejuſdem Sermo in Hipapanti dictus coram Karolo M. *pag.* 52.

Ex quatuor Codicibus MSS. Bibliothecæ Colbertinæ.

Fredegiſi Diaconi Epiſtola de nihilo & tenebris ad Proceres Palatii. *pag.* 56. 57.

Ex veteri Codice MS. Bibliothecæ Colbertinæ.

Alcuini Epiſtola ad Karolum M. quum ad eum mitteret Libros VII. adverſus Felicem. *pag.* 58.

Ex Codice 3953. *ejuſdem Bibliothecæ.*

Paulini Patriarchæ Aquilejenſis epiſtola ad Karolum M. *pag.* 59.

Ex Schedis V. cl. Jacobi Sirmondi.

Ejuſdem eadem Epiſtola, ut in Codice Vaticano 3827. repræſentatur, & Forojulienſi Concilio anni 791. præmittitur. *pag.* 60.

Eruit Jo. Dominicus Mansi.

Rhabani Abbatis Fuldenſis Liber de Computo. *pag.* 62. 63.....

Ex veteri Codice MS. Bibliothecæ Colbertinæ.

Epiſtola peregrinorum Monachorum in Monte Oliveti ad Leonem III. Papam. *pag.* 84.
Symbolum orthodoxæ fidei ejuſdem Papæ Leonis. *pag.* 85.

Ex veteri Codice MS. Eccleſiæ S. Martialis Lemovicenſis.

Opuſcula S. Benedicti Abbatis Anianenſis. pag. 85. 86.

Ex Codice 4310. Bibliothecæ Colbertinæ.

Capitulare ſecundum Theodulfi Epiſcopi Aurelianenſis. pag. 99.

Ex veteri Codice MS. Eccleſiæ S. Martialis Lemovicenſis.

Capitula Rodulfi Archiepiſcopi Bituricenſis. pag. 104.

Ex veteri Codice Cadurcenſi MS.

Geſta Joannis VIII. Papæ. pag. 113.

Ex Codice 129. Bibliothecæ Colbertinæ.

Ejuſdem Papæ Decretum contra violatores Eccleſiarum. pag. 113.

Ex Codice Baluzii 91.

Abbonis Abbatis Floriacenſis epiſtola ad Leonem Abbatem S. Bonifacii. pag. 114.

Ex veteri Codice MS. Bibliothecæ Regiæ.

Epiſtola encyclica Monachorum Floriacenſium de cæde Abbonis Abbatis. pag. 114.

Ex veteri Codice MS. Monaſterii Floriacenſis.

Epiſtola Widi Monachi ad Heribertum Archiep. pag. 114.

Ex tribus antiquis Codicibus MSS. uno Bibliothecæ Regiæ, reliquis Colbertinæ.

Concilium Barcinonenſe habitum anno DCCCCVI. pag. 115.
Concilium habitum apud S. Tiberium anno DCCCCVII. pag. 115.

Ex veteri Codice MS. Eccleſiæ Auſonenſis.

Cæſarii Abbatis, qui ſe profitebatur Archiepiſcopum Tarraconenſem eſſe, Epiſtola ad Joannem XIV. Papam. pag. 116.
Concilium Romanum habitum anno DCCCCXCVIII. pag. 117.

Ex Archivio ejuſdem Eccleſiæ Auſonenſis.

Decreta Nicolai II. Papæ. pag. 118.

Ex Codice Baluzii 91.

Concilium Romanum habitum anno MLXXXI. pag. 119.

Ex Codicibus Baluzii 88. 91.

Definitio quæ fuit inter Gothofredum Epiſcopum Magalonenſem, & Petrum Abbatem Anianenſem in Concilio Claromontano anno MXCV. pag. 119.

Ex Archivio Epiſcopi Monſpelienſis.

Concilium Claromontanum anni MCXXX. pag. 119.

Ex Archivio Regio Barcinonenſi.

Concilium Londinenſe habitum anno MCLI. pag. 121.

Ex Codice 3969. Bibliothecæ Colbertinæ.

Concilium Turonenſe ſub Alexandro Papa III. pag. 121.

Ex veteri Codice MS. Monaſterii S. Germani de Pratis.

Charta Concilii Turonenſis, quæ miſſa fuit Epiſcopo Magalonenſi, & Abbati Cluniacenſi. pag. 122.

Ex Chartulario Monaſterii Cluniacenſis.

Teſtimonia de Indulgentia conceſſa Eccleſiæ S. Mariæ de Portiuncula. pag. 123.

Ex Codice 5131. Bibliothecæ Colbertinæ.

Alia Teſtimonia de eadem Indulgentia. pag. 123.

Ex Codice MS. ſæculi XIV. Bibliothecæ Congregationis Matris Dei, Luc. eruit JOANNES DOMINICUS MANSI.

Narratio de forma & modo electionis factæ de Papa Martino V. in Concilio Conſtantienſi. pag. 124.
Epiſtola Balthaſaris Coxæ ad Petrum de Luna Benedictum XIII. pag. 125.

Ex Codice 4252. Bibliothecæ Regiæ.

Geſta de reſtitutione Epiſcopatus Atrebatenſis. pag. 127.

Epi-

Epiſtolæ Lamberti Epiſcopi Atrebatenſis. *pag.* 137.
Privilegia conceſſa ab eodem Lamberto. *pag.* 158.
Varia de rebus Atrebatenſibus. *pag.* 163.

Ex veteri Codice MS. Eccleſiæ Atrebatenſis.

Epiſtolæ ſeptem S. Anſelmi Archiepiſcopi Cantuarienſis. *pag.* 172.
Aveſgoti Monachi Cenomanenſis Epiſtola ad S. Anſelmum. *pag.* 174.
Epiſtola Joannis ad Anſelmum. *pag.* 174.

Ex Codice 4195. Bibliothecæ Colbertinæ.

Urbani Papæ II. Epiſtola de electione ſua ad Hugonem Abbatem Cluniacenſem. *pag.* 174.

Ex Codice 2835. Bibliothecæ Colbertinæ.

Privilegium Domni Rainoldi Remorum Archiepiſcopi. *pag.* 174.
Urbani Papæ II. Epiſtola de confirmatione electionis Manaſſis Epiſcopi Cameracenſis. *pag.* 175.

Ex Codice Lamberti Epiſcopi Atrebatenſis MS.

Ejuſdem Urbani Papæ Bulla de confirmatione privilegiorum Monaſterii Celſiniacenſis. *pag.* 175.
Ejuſdem Epiſtola ad Durannum Epiſcopum Arvernorum adverſus Canonicos Bilionenſes. *pag.* 176.

Ex Chartulario Monaſterii Celſiniacenſis.

Ejuſdem Bullæ duæ de confirmatione electionis Gerewini Epiſcopi Ambianenſis. *pag.* 176.

Ex Codice Lamberti Epiſcopi Atrebatenſis.

Ejuſdem Bulla pro Monaſterio S. Ægidii in Septimania, confirmata in Concilio Placentino. *pag.* 177.

Ex authentico Baluzii.

Litteræ Haymonis Epiſcopi Matiſconenſis, in quibus continentur quædam Epiſtolæ Urbani II. Papæ, & aliorum Summorum Pontificum de Monaſterio S. Germani Autiſſiodorenſis. *pag.* 177.

Ex authentico Monaſterii Cluniacenſis.

Ejuſdem Urbani Papæ II. Bulla pro Monaſterio S. Martialis Lemovicenſis. *pag.* 178.

Ex authentico ejuſdem Monaſterii Cluniacenſis.

Ejuſdem Bulla confirmationis privilegiorum Monaſterii Moyſſiacenſis. *pag.* 179.

Ex Archivio Monaſterii Moyſſiacenſis.

Ejuſdem Bullæ duæ pro Monaſterio S. Saturnini Toloſæ. *pag.* 179.

Ex Chartulario S. Saturnini.

Ejuſdem Urbani Papæ Epiſtola ad Hugonem Archiepiſcopum Lugdunenſem. *pag.* 180.

Ex vetuſtiſſima Membrana MS. Baluzii.

Ejuſdem Bulla pro Fulcone Epiſcopo Belvacenſi. *pag.* 180.

Ex Codice 771. Monaſterii S. Germani de Pratis apud Lutetiam.

Ejuſdem Bulla pro Abbate Majoris Monaſterii Turonenſis. *pag.* 181.

Ex Codice 4962. Bibliothecæ Colbertinæ.

Ejuſdem Epiſtola ad Guillelmum Comitem Toloſanum. *pag.* 181.
Ejuſdem Epiſtola ad Guillelmum Epiſcopum Cadurcenſem. *pag.* 181.

Ex Codice 2835. Bibliothecæ Colbertinæ.

Epiſtola Monialium Blaſiliæ in Arvernis ad Urbanum II. Papam. *pag.* 181.

Ex veteri membrana MS. Monaſterii Blaſilienſis.

Epiſtola Abbatum Lemovicenſium ad Richardum Archiepiſcopum Bituricenſem de electione Humbaldi Epiſcopi Lemovicenſis. *pag.* 182.

Ex vetuſtiſſima membrana MS. Baluzii.

Duæ Bullæ ſuppoſitæ Urbano Papæ II. ab Humbaldo Epiſcopo Lemovicenſi. *pag.* 182.

Ex Codice 5267. Bibliothecæ Colbertinæ.

Statuta Pontii Abbatis Cluniacenſis. *pag.* 183.

Ex vetuſtiſſimo Necrologio Monaſterii Cluniacenſis.

Hu-

Digitized by Google

Hugonis Floriacenſis Tractatus de Regia poteſtate, & Sacerdotali dignitate. *pag.* 184.

Ex Codice 4321. *Bibliothecæ Colbertinæ.*

Gerohi Præpoſiti Reicherſpergenſis Liber de corrupto Eccleſiæ ſtatu. *pag.* 197. 198.

Ex Codice 4841. *Bibliothecæ Colbertinæ.*

Gaufridi Clarevallenſis Epiſtola ad Eskilum Archiepiſcopum Lundenſem. *pag.* 235.

Ex veteri Codice MS. Baluzii.

Adæ Abbatis Perſeniæ Epiſtolæ quinque ad Oſmundum Monachum Mortuimaris in Normannia. *pag.* 236.

Ex duobus antiquis Codicibus MSS. Bibliothecæ Colbertinæ.

Liber pœnitentialis Magiſtri Roberti Canoniei S. Victoris. *pag.* 241.

Ex veteri Codice MS. ſancti Juliani Turonenſis.

Conſtitutiones Monaſterii Jotrenſis editæ anno MCCXXV. a Romano Cardinale. *pag.* 241.

Ex veteri Codice MS. Oratorii Trecenſis.

Præfationes Benedicti Epiſcopi Maſſilienſis in Commentarium ſuum de ſancta Trinitate & Fide Catholica. *pag.* 242.
Sententia lata in Synodo ſuper Decimis. *pag.* 243.

Ex Codice 1454. *Bibliothecæ Colbertinæ.*

Excerptum ex Libro Miraculorum patratorum in Dioceſi Magalonenſi. *pag.* 244.

Ex Codice 1454. *Bibliothecæ Colbertinæ.*

Obſervatio in ſuperiores Præfationes ejuſdem Benedicti Epiſcopi Maſſilienſis, *pag.* 244.
Statuta Ivonis II. Abbatis Cluniacenſis. *pag.* 244.

Ex vetuſtiſſima Membrana Cluniacenſi MS. *pag.* 246.

Litteræ Johannis XXII. Papæ, quibus Fratri Michaeli Monacho Ordinis Minorum committit cauſam quorumdam Fratrum Minorum, non bene de Fide ſentientium. *pag.* 247.

Ex veteri Codice MS. Inquiſitionis Carcaſſonenſis.

Inquiſitoris ſententia contra combuſtos in Maſſilia. *pag.* 248.

Ex veteri Codice MS. Bibliothecæ Colbertinæ.

Acta Inquiſitionis a Johanne XXII. inſtitutæ adverſus Petrum de Palude ordinis Prædicatorum cum reſponſionibus ejuſdem. *pag.* 251.

Ex veteri Codice MS. Bibliothecæ Colbertinæ.

Executio ſententiæ contra quoſdam hæreticos latæ ab Archiepiſcopo Narbonenſi & Johanne de Belna Inquiſitore hæreticæ pravitatis. *pag.* 257.

Ex Archivo Archiepiſcopi Narbonenſis.

Littera Magiſtrorum in Theologia, qui articulos extractos de poſtilla Petri Johannis Olivi quondam Ordinis Minorum facta ſuper Apocalypſi diligenter examinaverunt, & ipſos tam temerarios, quam hæreticos judicaverunt. *pag.* 258.
Judicium duodecim Magiſtrorum in Theologia & in Decretis de iiſdem articulis. *pag.* 270.
Item aliud ſcriptum contra doctrinam in articulis illis traditam. *pag.* 271.
Tractatus contra Beguinos, & Fratres Minores qui dicuntur ſpirituales. *pag.* 272.
Item alius Tractatus adverſus eoſdem, auctore, ut videtur, Johanne de Belna, Inquiſitore Carcaſſonenſi. *pag.* 274.

Ex veteri Codice MS. Inquiſitionis Carcaſſonenſis.

Articuli probationum contra fratrem Ubertinum de Caſali inductarum a fratre Bonagratia. *pag.* 276.
Reſponſio fratris Ubertini de Caſali Ordinis Minorum circa quæſtionem de paupertate Chriſti & Apoſtolorum, facta coram Johanne XXII. apud Avinionem in Conſiſtorio. *pag.* 279.
Examen judiciale Franciſci Veneti affeclæ Maſſili de Padua. *pag.* 280.
Examen judiciale fratris Franciſci de Eſculo Ordinis Minorum. *pag.* 281.

Ex tribus antiquis codicibus MSS. Bibliothecæ Colbertinæ.

Lu-

Digitized by Google

Ludovici IV. Bavari Imp. ſubmiſſio facta Clementi VI. anno MCCCXLIV. *pag.* 284.

Ex Codice 753. *Bibliothecæ Colbertinæ.*

Veteres Litaniæ Eccleſiæ Bellovacenſis. *pag.* 285.

Ex veteri Codice MS. Bibliothecæ Colbertinæ.

Ex Libro Bernardi Guidonis Epiſcopi Lodovenſis de viris illuſtribus Ordinis Fratrum Prædicatorum MS. *pag.* 285.

Bulla Johannis Papæ XXII. de privatione fratris Iſnardi olim Patriarchæ Antiocheni & adminiſtratoris Eccleſiæ Papienſis. *pag.* 286.

Ex Codice 829. *Bibliothecæ Colbertinæ.*

Errores ſectæ hominum intelligentiæ, & proceſſus factus contra fratrem Willelmum de Hildeniſſem Carmelitam per Petrum de Alliaco Epiſcopum Cameracenſem anno Chriſti MCCCCXI. *pag.* 288.

Ex veteri Codice MS. Collegii Navarrici Pariſienſis.

Articuli Nominalium oblati Ludovico XI. Regi anno 1473. *pag.* 293.

Ex Codice 3849. *Bibliothecæ Colbertinæ.*

Opiniones ſive ſignaturæ Doctorum Pariſienſium, quarum ſit mentio in ſuperioribus Articulis. *pag.* 294.

Ex Codicibus 624. & 2671. *ejuſdem Bibliothecæ.*

Conventus Epiſcoporum Galliæ apud Melodunum anno MDXLVIII. *pag.* 297.

Acta in Concilio Tridentino ſuper Quæſtione de immaculata Conceptione B. M. V. *pag.* 300.

Ex Codice 307. *Baluzii.*

Miracula B. Martini poſt ejus reverſionem. *pag.* 300.

Ex ſchedis V. Cl. Andreæ Ducheſnii.

MONU-

Digitized by Google

MONUMENTORUM SACRORUM
APPENDIX
JOANNIS DOMINICI MANSI C. M. D. L.

EJuſdem Manſi in Veterem Ordinem Præmonitio. *pag.* 307.
Liturgicum Opuſculum vetuſtum. *pag.* 308.

Ex Codice MS. Bibliothecæ Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Capituli Majoris Eccleſiæ Lucenſis.

JOANNIS DOMINICI MANSI Præmonitio. *pag.* 335.
Liber Divinorum Operum &c. S. Hildegardis. *pag.* 336.

Ex Codice MS. Bibliothecæ Congregationis Matris Dei, Lucenſis.

Monitum ad Lectores. *pag.* 452.
Sermones S. Maximi Epiſcopi. *pag.* 452.

Ex MS. Codice Bibliotheca Majoris Eccleſiæ Lucenſis.

Sermones Hieronymi Epiſcopi Aretini. *pag.* 454.

Ex MS. Codice P. M. Aloyſii Baroni Lucen. Ordinis Servorum B. M. V.

J. D. Manſi Præmonitio. *pag.* 560.
Attonis Vercellenſis Epiſcopi Opuſcula quædam Anecdota. *pag.* 561.

Ex MS. Codice Bibliothecæ Vaticanæ.

Precatio ad Probationem Canonicam. *pag.* 575.

Ex Codice MS. Bibliothecæ Majoris Ecleſiæ Lucenſis.

Anonymi Sermo in Feſto Translationis Corporum SS. Martyrum Reguli, Jaſonis. Mauri atque Ilariæ. *pag.* 575.

Ex Codice MS. ejuſdem Bibliothecæ.

Sermo in Anniverſario dedicationis Maj. Eccl. Lucenſ. in honorem S. Martini dicatæ. *pag.* 576.

Ex Codice MS. ejuſdem Bibliothecæ.

J. D. Manſi Præmonitio. *pag.* 577.
Statuta antiqua Societatis Aretinæ dictæ de Murello. *pag.* 577.

Ex Codice MS. ejuſdem Societatis.

Additamentum ad Bonaccurſum de Mediolano contra Catharos. *pag.* 581.

Ex Codice MS. Bibliothecæ Congregationis M. D. L.

J. D. Manſi ad Lectores. *pag.* 590.
Acta Prævia ad ſubſtrationem obedientiæ factæ a Cardinalibus Benedicti XIII. *pag.* 590.

Ex Codice MS. Bibliothecæ Majoris Eccleſiæ Lucenſis.

Dialogus contra Fraticellos S. Jacobi de Marca. *pag.* 595.

Ex Cod. MS. Bibl. Congreg. M. D. Lucenſis.

STE-

Digitized by Google

STEPHANI BALVZII
MISCELLANEA
S A C R A.

EPISTOLÆ DVÆ
SVLPITII SEVERI
PRESBYTERI AQUITANI.

I. *Epiſtola ſancti Severi Presbyteri ad Claudiam ſororem ſuam de ultimo judicio*.

Ex Lib. I. Miſc. Baluzii p. 329.

LEctis epiſtolis tuis, multo modo permotum affectum lacrymis tenere non potui. Nam & gaudio flebam quòd te ſecundum Domini Dei noſtri praecepta vivere ex ſermone ipſo litterarum tuarum poteram agnoſcere, pro deſiderio tui non poteram non dolere, quòd per ſummam à te injuriam alienabar, ſi litteras non miſiſſes. Tali ergo ſorore non fruerer? Teſtor autem ſalutem tuam, perſaepe ad vos venire volui, ſed uſque adhuc impeditus ſum, obſiſtente eo qui conſuevit obſiſtere. Nam & feſtinabam deſiderio meo in tuo aſpectu ſatisfacere; & opus Domini noſtri inter nos obiter videbamur acturi, cùm alter alterum conſolando, calcata à nobis mole ſaeculi, viveremus. Sed jam veniendi diem tempuſque non ſtatuo, quia quotienſcunque ſtatui, implere non potui. Domini operiar voluntatem; ſperoque quòd meis votis & orationibus tuis de noſtra nos fructum capere faciat * perſeverantia. Caeterùm quòd ad me in omnibus epiſtolis quas ad te miſeram vitae ac fidei tuae praecepta deſiderans, jam per aſſiduitatem ſcriptorum meorum verba conſumpſi, nihil novum tibi reſcribere modò poſſum quod antè non ſcripſerim. Et ſanè propitio Deo jam non indiges admoneri, quae fidem inter principia conſummans, devotam in Chriſto exhibes caritatem. Vnum tamen moneo, ne tranſcurſa repetas, ne contempta deſideres, ne manum aratro inſerens, retrorſum converſa reſpicias, quo utique in te tedeunte vitio, ordinem ſuum neceſſe eſt ſulcus amittat, nec ſanè mercedem ſuam cultor accipiat. Alioquin nec partem conſequitur ſi ex parte ceſſaverit. Nam ſicut à peccato ad juſtitiam fugiendum eſt, ita & qui juſtitiam fuerit ingreſſus, ne peccato pateat praecavendum. Scriptum enim eſt juſto, in qua die exerraverit, juſtitiam non profuturam. In hoc igitur conſiſtendum eſt, in hoc laborandum, ne qui peccata evaſimus, praemia parata perdamus. Stat enim adversùs nos paratus inimicus ut nudatum fidei umbone mox feriat. Non abjiciendus eſt itaque clypeus, ne latus pateat. Non remittendus eſt gladius, ne hoſtis incipiat non timere. Porrò cùm armatum viderit, abibit. Nec ignoramus durum eſſe ac difficile adversùs carnem & ſaeculum quotidie dimicare. Sed ſi aeternitatem cogites, ſi caelorum regna conſideres, quae utique nobis Dominus licèt peccatoribus praeſtare dignabitur, quae tandem condigna paſſio eſt qua tanta mereamur? Luctamen autem in hoc mundo parvi temporis eſt. Nam etſi mors non ſuccedat, ſenecta ſuccedet. Labuntur anni, fluunt tempora, &, ut ſpero, Dominus Jeſus tanquam deſideratos ſibi celeriter vocabit. O quàm felix ille noſter exceſſus, cùm à labe peccati melioris vitae conſervatione purgatos ſede ſua nos Chriſtus excipiet! Occurrent Martyres & Prophetae, tangentur Apoſtoli, gaudebunt angeli, laetabuntur archangeli, victuſque ſatanas cruento licèt ore pallebit; quippe qui etiam noſtra, quae ſibi in nobis praeparaverat, peccata perdiderit. Videbit gloriam conceſſam per veniam, merita honorata per gloriam. Nos triumphabimus hoſte ſuperato ubi tunc mundi iſtius ſapientes ridebuntur, ubi avarus, ubi adulter, ubi impius, ubi ebrioſus, ubi maledicus recognoſcentur. Quid miſeri pro ſua defenſione dicturi ſunt? Neſcivimus te Domine, te in mundo eſſe non vidimus. Prophetas non miſiſti, legem ſaeculo non dediſti. Patriarchas non vidimus, ſanctorum non legimus exempla. Chriſtus tuus in terra non fuit, Petrus tacuit, Paulus noluit praedicare, Evangeliſta non docuit, Martyres non fuerunt quorum exempla ſequeremur. Futurum judicium tuum nemo praedixit, veſtire pauperem nemo mandavit, prohibere libi-

* Leg. praeſentia.

libidinem nemo praecepit, repugnari avaritiae nemo perſuaſit. Inſcientia lapſi ſumus, quae fecimus neſcientes. His è contrario ex illo ſanctorum choro vel primus juſtus Noë proclamabit. Ego, Domine, & ſuperventurum propter peccata hominum diluvium praedicavi, & poſt diluvium exemplum de me praebui bonis ut malis pereuntibus non perirent, ut illi recognoſcerent & quae eſſet innocentibus ſalus & quae pœna peccantibus. Poſt hunc, Abraham fidelis obſiſtet. Ego, inquit, Domine, fidem qua humanum in te crederet genus media ferè mundi illius aetate fundavi. Ego pater gentium, cujus exempla ſequerentur, electus ſum. Ego Iſaac adhuc parvulum non dubitavi, Domine, offerre tibi pro victima, ut iſti recognoſcerent nihil non Domino praeſtari debere, cùm me ipſum ne filio quidem unico intelligerent pepercilſe. Ego terram meam & cognationem meam te jubente deſerui, ut illis quoque eſſet exemplum nequitias mundi & ſaeculi peccata deſerere. Ego, Domine, te licèt corpore, ſub imagine primus agnovi, nec dubitavi credere quem videbam, licèt in alia mihi ſubſtantia videreris, ut iſti intelligerent non ſecundum carnem ſed ſecundùm ſpiritum judicare. Huic Moyſes beatus obſecundavit. Ego legem, Domine, iſtis omnibus te jubente tradidi, ut quos libera fides non tenebat,
Exo. 20. lex ſaltem dicta cohiberet. Ego dixi *Non adulterabis*, ut licentiam fornicationis inhiberem. Ego dixi *Diliges proximum tuum*, ut caritas abundaret. Ego dixi *Domino ſoli ſervies*, ne iſti idolis immolarent vel templa eſſe paterentur. Ego ne falſa teſtimonia dicerentur edixi, ut iſtis adversùs omne mendacium praecluderem ora. Ego facta dictaque à mundi exordio, operante in me ſpiritu tuae virtutis, expoſui, ut iſtis cognitio praeteritorum doctrinam tribueret futurorum. Ego te venturum, Domine Jeſu, praedicavi, ut iſtis non inopinatum eſſet agnoſcere quem venturum ante praedixeram. Poſt hunc adſtabit dignus Domini ſui David ſemine. Ego te, Domine, per omnia nuntiavi, ego nomini tuo tantum ſerviendum eſſe clamavi. Ego dixi *Beatus vir qui timet Dominum*; ego dixi *Exultabunt ſancti in gloria*; ego dixi *Deſiderium peccatorum peribit*, ut iſti te agnoſcerent & peccare deſinerent. Ego cùm regia praeditus eſſem poteſtate, cilicio ſuperjecto, pulvere ſubjecto, depoſitis inſignibus magnificentiae meae proculhiri veſtimentis, ut iſtis manſuetudinis atque humilitatis daretur exemplum. Ego inimicis meis, qui interficere me cupierunt, peperci, ut miſericordiam meam iſtis probarem imitandam. Poſt hunc Iſaias dignus Dei ſpiritu non tacebit. Ego, Domine, te per os meum loquente praemonui, *Vae his qui jungunt domum ad domum*, ut modum cupiditati imponerem. Ego iram tuam peccantibus veniſſe teſtatus ſum, ut iſtos à malefactis ſuis, ſi non ſpes praemiorum, ſaltem ſuppliciorum formido cohiberet. Poſt hos alioſque complures qui doctrinae nobis officia praeſtiterunt, ipſe Dei filius haec loquetur. Ego certè excelſa ſede ſublimis, caelum palma, terram pugillo continens, intra extraque diffuſus, cunctorum quae gignuntur interior, atque omnibus quae moventur exterior, inaeſtimabilis naturae poteſtate infinitus, inviſibilis aſpectu, incomprehenſibilis adtactu, ut inter vos ad edomandam duritiam cordis veſtri & perfidiam doctrinis ſalutaribus molliendam veſtrum minimus exiſterem, naſci carne dignatus ſum, depoſitaque Dei gloria, habitum formae ſervilis aſſumpſi, ut communicata vobiſcum infirmitate corporea, rurſum in conſortium gloriae meae per obedientiam praecepti ſalutaris adhiberem. Ægris infirmiſque omnibus ſanitatem, auditum ſurdis, viſum caecis, vocem mutis, claudis pedum officia reſtitui, ut vos ſignis caeleſtibus permoverem, quò faciliùs in me atque in his quae praedicaveram crederetis. Ego vobis caelorum regna promiſi. Ego etiam, ut impunitatis haberetis exemplum, latronem, qui me ſub mortis ſuae tempore fatebatur, in paradiſo collocavi, ut illius fidem qui remitti ſibi meruerat peccata ſequeremini. Atque ut exemplo meo pro vobis & ipſi pati poſſitis, pro vobis ego paſſus ſum, ne dubitaret homo pro ſe pati quod Deus pro homine pertuliſſet. Ego me poſt reſurrectionem, ne fides veſtra confunderetur, oſtendi. Ego in Petro Judaeos monui, ego in Paulo gentibus praedicavi. Nec pœnitet. Eſt fructus bonorum. Opus meum boni intellexerunt, perfecerunt fideles, juſti impleverunt, conſummaverunt miſericordes; & magna pars martyrum, magna ſanctorum eſt. In eodem certè & iſti corpore, in eodem fuerunt mundo. Cur nullum in vobis bonum opus, gens vipereae ſtirpis, invenio? Pœnitentiam malorum veſtrorum nec ſub ultima die veſtri finis egiſtis. Quid autem attinet quòd me labiis adoratis, ſi factis & operibus denegetis? Vbi nunc veſtrae divitiae, ubi honores, ubi potentia, ubi veſtrae ſunt voluptates? Nullam novam in vos mando ſententiam. Habetis judicium quod antè praedixi. Tunc illud miſeris Evangeliſta recitabit: *Ite in tenebras exteriores, ubi erit fletus & ſtridor dentium*. O Matth. 22. & 30. miſeri quos iſta non permovent. Videbunt ſuam pœnam & aliorum gloriam. Vtantur ſaeculo, dum aeternitate illa quae ſanctis praeparata eſt non fruantur. Affluant divitiis, auro incubent, dum ibi egentes, ibi inopes deprehendantur. Sint in ſaeculo divites, dum in aeternitate ſint pauperes, de quibus ſcriptum eſt: *Divites eguerunt & eſurierunt*. Con- Pſal. 33. ſequenter autem de bonis ſcriptura ſubjecit. *Inquirentes autem Dominum non deficient omni bono*. Itaque, ſoror, licèt nos iſti irrideant, licèt nos ſtultos infeliceſque commemorent, feliciùs gaudeamus opprobriis quibus nobis gloria, illis pœna cumulatur. Nec rideamus illorum ſtultitiam, ſed potiùs infelicitatem doleamus; quia inter illos pars magna noſtrorum eſt, quos ſi lucrifacere poſſimus, augetur in nobis gloria. Sed agant ſe ut volunt, ſint nobis tanquam gentiles & publicani; nos verò ſalvos incolumeſque tueamur. Si illi nunc nobis dolentibus gaudent, nos poſtea in illorum dolore gaudebimus. Vale ſoror cariſſima & in Chriſto dilectiſſima.

Explicit Epiſtola Severi Presbyteri ad Claudiam ſororem ſuam.

II. *Epiſtola ſancti Severi Presbyteri ad eandem de virginitate.*

QVANTAM in caeleſtibus beatitudinem virginitas ſancta poſſideat, praeter ſcripturarum teſtimonia, Eccleſiae etiam conſuetudine edocemur, quia addiſcimus peculiare illi ſubſiſtere meritum cujus eſt ſpecialis conſecratio. Nam cum univerſa turba credentium paria dona gratiae percipiat & iiſdem omnes ſacramentorum benedictionibus glorientur, iſtæ proprium aliquid prae caeteris habent, dum de illo ſancto & immaculato Eccleſiae grege quaſi ſanctiores purioreſque hoſtiae pro voluntaris ſuae meritis à ſancto ſpiritu eliguntur & per ſummum ſacerdotem Dei offeruntur altario. Digna revera Domino hoſtia tam pretioſi animalis oblatio, & nullius magis quàm ſuae imaginis hoſtia placitura. De hujuſmodi enim Apoſtolum praecipuè dixiſſe reor: *Obſecro* Rom. 17. *autem vos, fratres, per miſericordiam Dei ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam vivam, ſanctam, Deo placentem*. Poſſidet ergo virginitas & quod alii habent & quod alii non habent, dum & communem & peculiarem obtinet gratiam, & proprio, ut ita dixerim, conſecrationis privilegio gaudet. Nam & Chriſti ſponſas virgines dicere eccleſiaſtica nobis permittit auctoritas, dum ſponſarum modo eas Domino conſecrat & velat, oſtendens eas vel maximè habituras ſpiritale connubium quae ſubterfugerint carnale conſortium. Et dignè Deo per matrimonii comparationem ſpiritaliter copulantur quae ejus dilectionis cauſa humana connubia ſpreverunt. In his quammaxi-

Digitized by Google

1. Cor. 6. maximè illud completur Apoſtoli: *Qui autem adhaeret Deo, unus eſt ſpiritus.* Grande eſt & immortale, penè ultra naturam corpoream, ſuperare luxuriam & concupiſcentiae ſpaſmeam adoleſcentiae facibus accenſam animi virtute reſtinguere & ſpiritali conatu vim genuinae oblectationis excludere & vivere contra humani generis legem, deſpicere ſolatia conjugii, dulcedinem contemnere liberorum, & quaecunque praeſentis vitae eſſe commoda poſſint pro nihilo ſpe futurae beatitudinis computare. Magna haec, ut dixi, & admirabilis virtus eſt, & non immeritò pro magnitudine laboris ſui ingenti praemio deſtinata.
Iſa. 56. *Dabo ſpadonibus*, dicit Deus, *& in domo mea & in muro meo locum nominatum meliorem filiis & filiabus; nomen aeternum dabo illis, & non deficiet.* De quibus ſpadonibus Dominus in evangelio repetit di-
Matth. 19. cens: *Sunt enim ſpadones qui ſe ipſos caſtraverunt propter regnum caelorum.* Magnus eſt quidem pudicitiae labor, ſed majus eſt praemium: temporalis cuſtodia, ſed remuneratio aeterna eſt. De his enim & beatus Apoſtolus Johannes loquitur quod ſequantur agnum quocunque ierit. Quod ita intelligendum puto, nullam eis locum in caeleſti aula claudendam, ſed cuncta eis divinarum manſionum habitacula reſeranda. Sed ut illuſtriùs virginitatis meritum elareat, & quàm digna Deo ſit manifeſtiùs intelligi poſſit, illud cogitetur quod Dominus & ſalvator noſter Deus, cùm propter humani generis ſalutem hominem dignaretur aſſumere, non alium quàm virginalem uterum elegerit, ut hujuſmodi plurimùm ſibi placere monſtraret, & ut pudicitiae bonum utrique ſexui intimaret. Virginem matrem habuit virgo manſurus. In ſe viris & in matre feminis praebuit virginitatis exemplum. Quo demonſtratur in utroque ſexu beatam integritatem divinitatis habere plenitudinem meruiſſe, dum tantum in matre fuit quicquid habebat in filio. Sed quid ego fatisago excellens ac ſublime pudicitiae meritum revelare & glorioſae bonum virginitatis oſtendere, cùm de hac re plerosque peroraſſe non neſciam & ejus beatitudinem manifeſtiſſimis rationibus comprobaſſe, & nulli ſapienti in dubium venire poſſit eam rem majoris eſſe meriti quae ſit amplioris laboris? Quiſquis enim pudicitiam aut nullius praemii aut parvi exiſtimat, certum eſt illum aut ignorare aut non voluntariè ejus ferre laborem. Inde illi ſemper caſtitati derogant qui eam aut non habent aut habere coguntur inviti. Nunc itaque, quoniam, paucis licèt, tam laborem quàm meritum integritatis oſtendimus, ne res quae grandi virtute conſtat, & ingenti praemio deſtinatur, carere fructu ſuo poſſit, diligentiùs excubandum eſt. Quantum enim quaecumque ſpecies pretioſior fuerit, tanto majore ſollicitudine cuſtoditur. Et quoniam multa ſunt quae bono proprio carent, niſi aliarum rerum juventur auxilio, ut eſt mellis ſpecies quae niſi cerarum cuſtodia & favorum cellulis conſervetur &, ut veriùs dixerim, nutriatur, naturalem gratiam perdit & ſubſiſtere per ſe ipſam non poteſt, ſicut & vini ſpecies, quod ſi non boni odoris vaſis & reparatis crebris picibus foveatur, genuinam vini ſuavitatem amittit. Attentiùs ergo providendum eſt ne fortè & virginitati aliqua ſint neceſſaria ſine quibus nequaquam fructum afferre ſufficiat. & tantus nihil proderit labor, dum vanè prodeſſe creditur quod abſque viribus neceſſariis poſſidetur. Niſi fallor enim, ob caeleſtis regni praemium pudicitiae ſervatur integritas, quod ſine vitae aeternae merito neminem conſequi poſſe certum eſt. Æterna verò vita nonniſi per omnem divinorum praeceptorum cuſtodiam promereri
Matth. 19. poteſt, ſcriptura dicente: *Si vis in vitam pervenire, ſerva mandata.* Vitam ergo non habet niſi qui cuncta mandata legis ſervaverit. Et qui vitam non habuerit, caeleſtis regni non poteſt eſſe poſſeſſor, in quo non mortui, ſed vivi quique regnabunt. Nihil ergo virginitas ſola proficiet, quae caeleſtis regni gloriam ſperat, niſi & aliud habuerit cui perpetua vita promittitur, per quam caeleſtis regni praemium poſſidetur. Ante omnia ergo pudicitiam integritatemque ſervantibus & ejus remunerationem à Dei aequitate ſperantibus mandatorum cuſtodia eſt praecepta, ne glorioſae caſtitatis & continentiae labor ut irritum deducatur. Supra mandatum vel praeceptum eſſe virginitatem ſapiens ex lege nullus ignorat, Apoſtolo
dicente: *De virginibus autem praeceptum Domini non habeo, conſilium autem do.* Cum ergo obtinendae virginitatis conſilium dat, non praeceptum, ſupra mandatum & praeceptum eam eſſe profeſſus eſt. 1. Cor. 7.
Quicunque ergo virginitatem ſervant, majus quàm praeceptum eſt faciunt. Tunc enim proderit amplius feciſſe quàm juſſum eſt, ſi quod juſſum eſt feceris. Nam quomodo plus feciſſe gloriaberis ſi minus aliquid non feceris? Cupiens divinum implere conſilium, ante omnia ſerva mandatum. Volens virginitatis praemium conſequi, amplectere meritum vitae, ut tua caſtitas remunerari poſſit. Nam ut vitam praeſtat obſervatio mandatorum, ita eorum è contrario generat praevaricatio mortem. Et qui per praevaricationem in morte fuerit, virginitatis coronam ſperare non poterit, neque pudicitiae praemium expectare conſtitutus in poena. Tres enim ſpecies ſunt per quas regni caeleſtis poſſeſſio introitur. Prima eſt pudicitia, ſecunda mundi contemptus, tertia verò juſtitia. quae ut connexae plurimum ſe poſſidentibus praeſtant, ita diviſae prodeſſe difficilè poſſunt; dum unaquaeque earum non propter ſe tantum ſed propter alias flagitatur. In primis ergo quaeritur pudicitia ut facilius ſubſequatur mundi contemptus, quia ab illis mundus contemni levius poteſt qui matrimonii nexibus non tenentur; mundi vero contemptus expoſcitur ut juſtitia conſervetur, quam difficile implere poſſunt qui ſaecularium bonorum cupiditatibus & mundanarum voluptatum negotiis implicantur. Quiſquis ergo pudicitiae poſſidet primam ſpeciem, & ſecundam, quae eſt mundi contemptus, non obtinet, pene ſine cauſa poſſidet primam, quando ſecundam non habet, propter quam prima quaeſita eſt. Et ſi primam & ſecundam habeat, cui tertia, quae eſt juſtitia, deſit, fruſtra laborat, quoniam ſuperiores duae propter tertiam praecipue requiruntur. Quid enim prodeſt propter mundi contemptum pudicitiam habere, & propter quod eam habeas non habere? Vel cui rei mundum contemnas, ſi juſtitiam, propter quam pudicitiam & propter quam mundi contemptum habere te convenit, non cuſtodias: quia ut prima ſpecies propter ſecundam eſt, ita & prima & ſecunda propter tertiam; quae ſi non fuerit, nec prima nec ſecunda proficiet. Dicis forſitan. Doce me ergo quid ſit juſtitia, ut eam, ſi cognoverim, facilius implere ſufficiam. Dicam tibi breviter ut valeo, & verborum utar ſimplicitate communium; quia cauſa de qua agimus talis eſt quae diſertioribus facundiae ſermonibus nequaquam debeat obſcurari, ſed ſimplicioris eloquentiae narrationibus pandi. Res enim omnibus in commune neceſſaria communi debet ſermone monſtrari. Juſtitia ergo non aliud eſt quam non peccare; non peccare autem eſt legis praecepta ſervare. Praeceptorum vero obſervatio duplici genere cuſtoditur, ut nihil eorum quae prohibentur facias, & cuncta quae jubentur implere
contendas. Hoc eſt quod dicit Pſalmiſta: *Recede a malo, & fac bonum.* Pſal. 33.
Nolo enim in hoc putes conſtare juſtitiam ut malum non facias, cum & bonum non facere malum ſit, & in utroque legis praevaricatio continetur: quoniam qui dixit *Recede a malo*, ipſe dixit *& fac bonum.* Si à malo receſſeris & non feceris bonum, tranſgreſſor es legis, quae non tantùm in malorum actuum abominatione, ſed & in bonorum operum perfectione completur. Neque enim tibi hoc ſolum praecipitur ut veſtitum ſuis non ſpolies indumentis, ſed ut ſpoliatos operias tuis, neque ut habenti panem non auferas ſuum, ſed ut non habenti tuum libenter impertias, neque ut ſolum pauperem ſuo non pellas hoſpitio, ſed ut pulſum & non habentem recipias tuo. Praeceptum enim eſt nobis flere cum flentibus. Quomodo cum illis flemus, ſi in nullo eorum neceſſitatibus participamus, nec ali-

quod eis in his propter quas lacrymantur cauſis
praebemus auxilium? Neque enim fletuum noſtro-
rum Deus infructuoſum quaerit humorem; ſed quia
lacrymae doloris indicium ſunt, vult te ita alterius
anguſtias ſentire ut tuas. Et quomodo tibi, in tali tri-
bulatione ſi eſſes, ſubveniri cuperes, ita alteri ipſe ſub-
Matth. 7. venias, propter illud: *Quaecunque vultis ut faciant
vobis homines bona, ita & vos facite illis.* Nam
cum flente flere ſi nihil, cum poſſis flenti conferre,
conferas, ſubſannationis non pietatis indicium eſt. De-
nique ſalvator noſter cum Maria & Martha Lazari
ſororibus flevit, & immenſæ miſericordiae affectum
lacrymarum conteſtatione monſtravit. Et verae pie-
tatis indicia mox opera ſubſecuta ſunt, cum ſuſcita-
tus Lazarus, cujus cauſa lacrymae fundnntur, ſo-
roribus vivus redditur. Et hoc fuit pie flere cum
flentibus occaſionem fletus auferre. Sed quis po-
tens? inquies. Sed nec tibi aliquid impoſſibile im-
peratur. Implevit omnia qui quod potuit fecit. Sed
ut dicere caperamus, non ſufficere Chriſtiano a ma-
lis ſe abſtinere, niſi etiam bonorum operum officia
perfecerit, illo vel maxime teſtimonio comprobatur quo
comminatur Dominus æterni ignis reos fore qui quam-
vis mali nihil geſſerint, non fecerint omne quod bo-
Matth. 25. num eſt, dicens: *Tunc dicit Rex his qui ad ſini-
ſtram ſunt: Diſcedite a me maledicti in ignem æ-
ternum quem præparavit pater meus diabolo & an-
gelis ejus. Eſurivi enim, & non dediſtis mihi man-
ducare.* & reliqua. Non dixit, *Diſcedite a me ma-
ledicti, quia homicidium, quia adulterium,* aut *quia
furta feciſtis*; ſed quia bona non fecerunt, condem-
nantur. Hi æternis gehennæ ſuppliciis addicuntur,
non quia quæ prohibita fuerant admiſiſſent, ſed quia
quae p accepta fuerant implere noluerunt. Vnde ad-
vertendum eſt quam ſpem habere poſſint qui adhuc
aliquid eorum faciunt quæ prohibentur, cùm etiam
illi rei ſint qui non fecerunt quae jubentur. Nolo
enim tibi in hoc blandiaris, ſi aliqua non feceris,
Iac. 2. cum ſcriptum eſt. *Qui univerſam legem ſervaverit,
offenderit autem in uno, factus eſt omnium reus.*
Adam enim ſemel peccavit, & mortuus eſt. Et tu
te vivere poſſe exiſtimas illud ſaepe committens quod
alium, dum ſemel perpetraſſet, occidit? An grande
illum commiſiſſe crimen putas unde merito ac juſte
damnatus eſt? Videamus ergo quid fecerit. Contra
mandatum de fructu arboris edit. Quid ergo? Pro-
pter arboris fructum Deus hominem morte multavit?
Non propter arboris fructum, ſed propter mandati
contemptum. Ergo non agitur de qualitate peccati,
ſed de tranſgreſſione mandati. Et qui dixit Adae ut
de arboris fructu non ederet, ipſe tibi praecepit ut
non maledicas, non mentiaris, non detrahas, nec
detrahentes auſcultes, ut omnino non jures, ut non
concupiſcas, non invideas, non ſis tepidus, non ſis
avarus, ut nulli malum pro malo reddas, ut pro ca-
lumniantibus & perſecutoribus tuis ores, ut percu-
tienti maxillam alteram praebeas, ut in judicio ſae-
culari non litiges, ut ſi quis tua auferre voluerit,
gratanter remittas, ut nec iracundiae nec zeli nec li-
voris malum intra pectus admittas, ut crimen ava-
ritiae fugias, ut omnis jactantiae ac ſuperbiae malum
caveas, & humilis ac mitis Chriſti exemplo vivas,
malorum conſortia in tantum devitans ut cum for-
nicatoribus aut avaris aut maledicentibus aut invidis
aut detrectatoribus aut ebrioſis aut rapacibus cibum
non capias. Quem ſi in aliquo contempſeris, ſi pe-
percit Adae, parcet & tibi? Immo illi magis parcen-
dum fuerat, qui adhuc rudis & novellus erat, & nul-
lius ante peccantis & propter peccatum ſuum mo-
rientis trahebatur exemplo. Tibi vero poſt tanta do-
cumenta, poſt legem, poſt Prophetas, poſt evange-
lia, poſt Apoſtolos ſi delinquere volueris, quomodo
indulgeri poſſit ignoro. An tibi de virginitatis prae-
rogativa plaudes? Memento Adam & Evam virgi-
nes deliquiſſe, nec integritatem corporis profuiſſe pec-
cantibus. Virgo quae peccat, Evae non Mariae com-
paranda eſt. Non negamus in praeſenti tempore re-
medium pœnitentiae, ſed hortamur magis praemium
ſperare debere quam veniam. Turpe eſt enim de-
licti indulgentiam poſtulare quae palmam virginita-
tis expectant, & illicitum aliquid incurrere quae
ſe etiam a licitis caſtraverunt. Licitum quippe eſt
matrimonii inire conſortium. Et ut laudandae ſunt
quae propter Chriſti amorem & caeleſtis regni glo-
riam copulam contempſerunt nuptiarum, ita dam-
nandae non ſunt quae propter incontinentiae volu-
ptatem, nondum Deo devotae, remedio apoſto-
lico utuntur. Ergo, ut diximus, quae connu-
bia deſerunt, non illicita ſed licita ſpernunt. Ejuſ-
modi autem ſi jurent, ſi maledicant, ſi detrahant, ſi
detrahentes probantur audire, ſi malum pro malo
reddant, ſi cupiditatis in alienis vel avaritiae in pro-
priis incurrant crimen, ſi zeli, ſi livoris venena poſ-
ſideant, ſi contra legalia & apoſtolica inſtituta inde-
cens aliquid aut loquuntur aut cogitant, ſi in carne
placendi ſtudio comptae & ornatae procedant, & alia
quae fieri ſolent illicite faciant, quid proderit eis ſpre-
viſſe quod licuit & exercere quod non licet? Si vis
prodeſſe tibi quod licita contempſiſti, vide ne quid
eorum quae non licent facias. Stultum eſt enim ti-
muiſſe quod minus eſt & non timere quod majus
eſt, aut ab iis non vitari quæ prohibentur quae ſub-
terfugerint quae conceduntur. Dicit enim Apoſtolus:
Innupta cogitat quæ Dei ſunt, quomodo placeat Deo, 1. Cor. 7.
ut ſit ſancta corpore & ſpiritu. Quæ Dei ſunt, in-
quit, *cogitat*; non quae ſaeculi, non quae hominum,
ſed quae Dei ſunt cogitat. Quae ſunt ergo Domini?
Dicit Apoſtolus: *Quæcumque ſancta, quæcumque a-* Philip. 4.
*mabilia, quæcumque bonæ famæ, ſi qua virtus, ſi
qua laus diſciplinæ*, illa ſunt Domini. quae ſanctae
vere apoſtolicae virgines die noctuque meditantur &
cogitant. Dei eſt etiam regnum caelorum, Domini
eſt reſurrectio mortuorum, Domini eſt immortali-
tatis incorruptio, Domini eſt ſplendor ſolis qui ſanctis
promittitur. Domini ſunt plures iterum in caeleſti-
bus manſiones, Domini eſt fructus trigeſimus & ſe-
xageſimus & centeſimus. Haec cogitant & quibus
poſſint operibus promereri quae Domini ſunt cogi-
tant. Domini eſt etiam lex novi & veteris teſtamen-
ti, in quibus ejus elogia ſancta refulgent: quae ſi
virgines ſine intermiſſione meditantur, quae Domini
ſunt cogitant, & impletur in eis propheticum illud:
Fundamenta æterna ſuper terram ſolidata, & man- Eccli. 26.
data Domini in corde mulieris ſanctæ. Sequitur,
quomodo placeat Deo, Deo inquam, non hominibus,
ut ſancta corpore ſit & ſpiritu. Non dixit, *ut ſit
ſancta membro aut corpore tantum*, ſed, *ut ſit ſan-
cta corpore & ſpiritu*. Membrum enim unа cor-
poris pars eſt, corpus vero omnium compago mem-
brorum. Cum ergo dicit *ut ſit ſancta corpore*, omni-
bus membris eam ſanctificari debere teſtatur: quia
non proderit ſanctificatio caeterorum membrorum,
ſi inveniatur vel in uno corruptio. Non erit ſancta
corpore, quod ex omnibus conſtat membris, quae
vel unius fuerit coinquinatione polluta. Sed ut quod
dico manifeſtius & lucidius fiat, eſto ſit quaecum-
que omnium membrorum ſanctificatione purgata, &
lingua tantummodo peccet, aut blaſphemet, aut te-
ſtimonium falſum dicat; numquid liberabunt omnia
membra unum, an propter unum judicabuntur & cae-
tera? Ergo ſi nec aliorum membrorum ſanctifica-
tio proderit, cum in uno ſit vitium, quanto magis
ſi diverſorum flagitio peccatorum omnia corrumpan-
tur, unius nihil proficiet integritas. Unde quaeſo te,
virgo, ne in ſola tibi pudicitia blandiaris, neque in
unius membri integritate confidas, ſed ſecundum A-
poſtolum ſoli Deo conſerva corporis ſanctitatem;
munda ab omnibus inquinamentis caput; qui etiam
eſt illud, poſt chriſmatis ſanctificationem, aut croci
aut alterius cujuslibet pigmenti fuco vel pulvere ſor-
didari, aut auro aut gemmis vel cujuſcumque ter-
renae creaturae ſpecie. Grandis quippe divinae gra-
tiae contumelia eſt mundani & ſaecularis ornamenti
praelatio. Munda frontem, ut humana non divina
opera erubeſcat, & illam confuſionem recipiat quae
non peccatum ſed Dei gratiam parit, ſcriptura divi-
na

Eccli. 4. na dicente: *Eſt confuſio adducens peccatum, eſt confuſio adducens gratiam Dei*. Munda collum, ut non auro texta capillis portet ſuſpenſa monilia, ſed Prov. 3. potius illa ornamenta circumferat de quibus ſcriptura dicit: *Miſericordia & fides non deficiant a te*. Suſpende autem illa in collo tuo. Munda oculos, dum eos ab omni concupiſcentia retrahis, & ab intuitu pauperum nunquam avertis, & ab omnibus tueis liberos ad ea quae a Deo ſunt facta cuſtodis. Munda linguam a mendacio, quia os quod mentitur occidit animam, a detractione, a juramento, ab adulatione, a perjurio. Nolo praepoſterum ordinem putes quod prius a juramento quam a perjurio linguam dixi debere mundari: quia tunc perjurium faPſalm. 33. cilius effugies, ſi in totum non jures. Impleatur in te illa ſententia: *Cohibe linguam tuam a malo, & labia tua non loquantur dolum*. Et memor eſto dicentis Rom. 12. Apoſtoli: *Benedicite & nolite maledicere*. Sed & illud crebrius recordare: *Videte ne quis malum pro* 1. Pet. 31. *malo reddat alicui, neque maledictum pro maledicto; ſed e contrario benedicentes, quia in hoc vocati eſtis ut benedictionem hereditatis poſſideatis*. Et illud: Iac. 3. *Si quis autem verbo non offendit fratrem, hic perfectus eſt*. Nefas eſt enim ut labia illa quibus Dominum confiteris, rogas, benedicis, & laudas, alicujus polluantur ſorde peccati. Neſcio qua conſcientia ea lingua quis Dominum rogat qua aut mentitur aut maledicit, aut detrahit. Labia ſancta exaudit Dominus, & ipſis annuit cito precibus quas lingua immaculata pronuntiat. Munda aures, ut nonniſi ſermonibus ſanctis & ſeriis auditum praebeant, ut nunquam obſcoena aut turpia aut ſaecularia verba ſuſcipiant, aut non aliquem de altero audiant detrahenEccli. 28. tem, propter illud quod ſcriptum eſt, *ſepi aures tuas ſpinis, & noli audire linguam nequam*, ut cum eo habere partem poſſis de quo dicitur quoniam auditu & viſu juſtus erat, hoc eſt, nec auribus nec oculis delinquebat. Munda manus, ne porrectae ad accipiendum ſint, ad dandum autem collectae, nec ad feriendum paratae, ſed ad omnia miſericordiae & pietatis opera ſatis promptae. Munda pedes, ne latam & ſpatioſam viam pergant quae ducit ad ſplendida ſaeculi & pretioſa convivia, ſed ad arduum magis & anguſtum gradiantur iter quod tendit ad caelum; Prov. 4. quia ſcriptum eſt: *Iter rectum facite pedibus veſtris*. Agnoſce tibi a Deo artifice non ad vitia ſed ad virtutes membra formata; & cum univerſos artus mundaveris ab omni ſorde peccati & toto fueris ſanctificata corpore, tunc tibi caſtitatem intelligas profuturam, & cum fiducia palmam virginitatis expecta. Quid ſit ſancta eſſe corpore breviter quidem ſed plene expoſuiſſe me arbitror. Nunc quod ſequitur, *& ſpiritu*, noſſe debemus, hoc eſt, ut quod opere nefas eſt fieri, nec cogitatione concipere. Illa enim eſt ſancta tam corpore quam ſpiritu quae nec mente nec carne delinquit, ſciens enim cordis eſſe ſpeculatorem Deum, & idcirco ſatis agit ut omni modo etiam animum cum corpore mundum habeat a peccato, Prov. 4. ſciens ſcriptum eſſe: *Omni cuſtodia cuſtodi cor tuum*, Prov. 11. &: *Ita enim diligit Dominus ſancta corda, accepti ſunt autem ei immaculati*. & alibi: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*. Quod de illis dici arbitror quos conſcientia in nulla redarguit culMatth. 5. pa peccati. de quibus & Iohannem in epiſtola dixiſſe reor: *Si cor noſtrum nos non reprehendit, fiduciam* 1. Ioan. 3. *habemus ad Deum; & quaecumque petierimus accipiemus ab eo*. Nolo exiſtimes te peccati crimen fugiſſe ſi voluntatem non ſequatur effectus, cum ſcriptum ſit: *Quicumque viderit mulierem ad concupi-* Matth. 5. *ſcendum, jam moechatus eſt eam in corde ſuo*. Ne dicas, cogitavi quidem, ſed non perfeci; quoniam etiam concupiſcere nefas eſt quod fieri crimen eſt. Unde & beatus Petrus praecipit dicens: *Animas* 1. Pet. 1. *veſtras caſtificate*. Qui ſi nullam animae conſtuprationem noſſet, nec caſtificari eam deſideraſſet. Sed & illum locum quo continetur, *Hi ſunt qui ſe cum* Apoc. 14. *mulieribus non coinquinaverunt, virgines enim permanſerunt, hi ſequuntur agnum quocumque ierit*, attentius conſiderare debemus & animadvertere ſi ſolius integritatis ac pudicitiae merito illi divino comitatui copulentur & per omnia caelorum tabernacula diſcurrant, an & alia ſint quibus adjuncta virginitas tantae beatitudinis gloriam conſequatur. Sed unde hoc ſcire poterimus? De ſequentibus, niſi fallor, in quibus ſcriptum eſt: *Hi empti ſunt ex hominibus primitiae Deo & agno, & in ore ipſorum non eſt inventum mendacium ſine macula ſunt ante thronum Dei*. Vides ergo quod non in uno tantum membro dominicis referantur inhaerere veſtigiis, ſed illi qui praeter virginitatem ab omni cogitatione peccati immaculatam geſſerint vitam. Idcirco vel maxime virgo nuptias ſpernat, ut dum ſecurior eſt, facilius, quod etiam a nubentibus quaeritur, ab omni ſe delicto cuſtodiat, & univerſa legis mandata perficiat. Nam ſi non nubat, & ea nihilominus faciat a quibus & nuptae eſſe jubentur immunes, non nupſiſſe quid proderit? Et quamquam nulli Chriſtianorum peccare liceat, & omnes quicunque ſpiritalis lavacri ſanctificatione purgantur, immaculatam decurrere conveniat vitam, ut Eccleſiae quae ſine macula, ſine ruga, ſine aliquo vitio hujuſmodi eſſe deſcribitur, poſſit viſceribus intimari, multo magis hoc virginem implere neceſſe eſt, quam nec mariti nec filiorum nec alterius neceſſitatis cauſa prohibet quo minus divinam ſcripturam perficiat, nec ſi qua peccet poterit excuſatione defendi. O virgo ſerva propoſitum tibi magno praemio deſtinatum. Praeclara eſt apud Dominum virginitatis & pudicitiae virtus, ſi non aliis peccatorum & macularum lapſibus infirmetur. Agnoſce ſtatum tuum, agnoſce locum, agnoſce propoſitum. Chriſti ſponſa diceris. Vide ne quid indignum ei cui deſponſata videris admittas. Cito ſcribet repudium, ſi in te vel unum viderit adulterium. Quaecunque ergo humanorum ſponſaliorum pignoribus obharratur, ſtatim a domeſticis, a familiaribus, ab amicis ſponſi ſollicite ac diligenter requirit & ſervulis quales juvenis habeat mores, quid potiſſimum diligat, quid accipiat, quo uſu vivat, qua ſe conſuetudine regat, quibus utatur dapibus, in quibus maxime rebus delectetur & gaudeat. Quae cum didicerit, ita ſe in omnibus temperat ut ſponſi moribus ſuum obſequium, ſua jocunditas, ſua dilectio, ſua diligentia, ſua vita concordet. Et tu quoque quae Chriſtum ſponſum habes, a domeſticis, & familiaribus ejus ſponſi tui mores interroga, & ſtrenue ac ſolerter inquire in quibus praecipue delectatur, qualem in te compoſitionem veſtium diligat. Dicat tibi ejus familiariſſimus Petrus, qui nec nuptis quidem corporalem ſed ſpiritalem permittit ornatum, 1. Pe. 3. ſicut in epiſtola ſua ſcribit: *Mulieres ſimiliter ſubjectae viris ſuis, ut ſi qui non credunt verbo, per mulierum converſationem ſine verbo lucrifiant, conſiderantes in timore caſtam converſationem veſtram: quarum ſit non extrinſecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus, ſed qui abſconſus eſt cordis homo in incorruptibilitate quieti & modeſti ſpiritus, qui eſt in conſpectu Dei locuples*. Dicat & alius Apoſtolus beatus Paulus qui ad Timotheum ſcribens eandem fidelium 1. Tim. 2. feminarum diſciplinam teſtatur: *Mulieres ſimiliter in habitu ornato, cum verecundia & ſobrietate ornantes ſe, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut veſte pretioſa, ſed quod decet mulieres, promittentes caſtitatem per bonam converſationem*. Sed forſitan dicis. Cur haec Apoſtoli virginibus non juſſerunt? Quia non neceſſarium judicabant, ne talis virginibus commonitio potius injuria quam emendatio videretur. Sed nec eas unquam tantae temeritatis fore crediderant ut nec nuptis quidem conceſſa carnalia ornamenta & terrena praeſumerent. Revera ornare ſe & componere virgo debet. Nam quomodo ſponſo ſuo placere poterit, niſi compoſita & ornata proceſſerit? Ornetur plane, ſed interioribus ornamentis, & ſpiritualiter, non corporaliter, componatur; quia Dominus non corporis ſed animae decorem in illa deſiderat. Ergo

& tu

& tu quaecunque animam tuam a Deo diligi & inhabitari concupiſcis, omni eam diligentia come & ſpiritualibus indumentis exorna. Nihil in ea indecorum, nihil ſordum appareat. Reſplendeat auro juſtitiae, & gemmis refulgeat ſanctitatis, & pretioſiſſimo margarito pudicitiae coruſcet, & pietatis tunica veſtiatur, pro byſſo & ſerico miſericordiae & pietatis tunica veſtiatur, ſecundum quod ſcriptum eſt: *Induite*
Coloſſ. 3. *vos ergo ſicut electi Dei, ſancti & dilecti, viſcera miſericordiae, benignitatem, humilitatem &c.* Non ceruſſae aut alterius pigmenti decorem quaerat, ſed innocentiae ſimplicitatiſque candorem habeat, roſeum verecundiae colorem & pudorem ruboris pudoriſque poſſideat. Caeleſtis abluatur nitro doctrinae, & lumentis ſpiritalibus emundetur, nulla in ea malitiae, nulla doli macula relinquatur. Et ne quando male redoleat odore peccati, unguento ſuaviſſimae ſapientiae & ſcientiae perfundatur. Hujuſmodi Deus quaerit ornatum, & animam taliter compoſitam concupiſcit. Memento te Dei filiam dici, ſecundum illud:
Pſal. 44. *Audi filia & vide.* Sed & tu ipſa, quotieſcumque Deum patrem nominas, Dei te filiam eſſe teſtaris. Ergo ſi filia Dei es, vide ne quid eorum facias quae Deo patri incongrua ſunt; ſed age omnia quaſi filia Dei. Cognoſce quomodo hujus ſe ſaeculi nobilium filiae gerant, quibus adſueſcant moribus, quibuſve ſe diſciplinis inſtituant. Tanta in quibuſdam verecundia eſt, tanta gravitas, tanta modeſtia ut caeterorum hominum ritum intuitu humanae ingenuitatis excedant, & nequaquam honeſtis parentibus ſuis per lapſum ſuum infamiae notam inurant, alteram ſibi quodam modo inter homines conſuetudinis facientes naturam. Et tu ergo originem tuam reſpice, genus intuere, gloriam nobilitatis adverte. Agnoſce te non hominis tantum eſſe ſed & Dei filiam & divinae nativitatis nobilitate decoratam. Ita te exhibe ut in te caeleſtis nativitas pateat, & ut ingenuitas divina clareſcat. Sit in te nova gravitas, honeſtas admirabilis, ſtupenda verecundia, mira patientia, virginalis inceſſus, & verae pudicitiae habitus, ſermo ſemper modeſtus & ſuo in tempore proferendus; ut quiſquis te viderit admiretur & dicat; Quae haec nova inter homines gravitatis patientia eſt, quae pudoris verecundia, quae honeſtatis modeſtia, quae maturitas? Non eſt iſta humana inſtitutio nec diſciplina mortalis. Caeleſte mihi aliquid in terreno corpore refulget. Puto quod habitet in quibuſdam hominibus Deus. Et cum te filiam Chriſti eſſe cognoverit, majori ſtupore tenebitur, & cogitet qualis ille ſit dominus cujus talis ancilla eſt. Si vis ergo habere partem cum Chriſto, Chriſti tibi exemplo vivendum eſt, qui ab omni malitia & nequitia ita fuit extraneus ut nec inimicis quidem vicem redderet, quin potius & pro ipſis oraret. Nolo enim ut eas animas Chriſtianas exiſtimes eſſe quae aut fratres aut ſorores non dico oderunt, ſed quae proximos toto corde & conſcientiae coram Deo teſtimonio non diligunt, cum Chriſtianis Chriſti ſimilitudine inimicos etiam amare neceſſe ſit. Si ſanctorum cupis habere conſortium, a malitiae & nequitiae cogitatu pectus emunda. Nemo te circumveniat, nemo fallaci ſermone ſeducat. Nonniſi ſanctos & juſtos & ſimplices & innocentes & puros caeleſtis aula ſuſcipiet: Nullum apud Deum locum habet malitia. Ab omni nequitia & dolo mundum eſſe neceſſe eſt qui cupit regnare cum Chriſto. Nihil tam contrarium, nihil tam execrabile Deo quam aliquem odiſſe, alterum velle vel laedere; nihil tam probabile quam omnes ama-
Pſalm. 96. re. Quod Propheta proſpiciens teſtatur dicens: *Qui diligitis Dominum, odite malum.* Vide ne aliquam humanam gloriam diligas, ne & tua portio inter il-
Ioa. 5. los computetur quibus dictum eſt: *Quomodo vos po-*
teſtis credere, gloriam ad invicem quaerentes? & de
Iſa. 25. quibus per Prophetam dicitur: *Auge eis mala, auge mala glorioſis terrae, & confundantur a glorificatione veſtra & ab opprobrio in conſpectu Domini.* Nolo enim illas reſpicias quae ſaeculi non Chriſti ſunt virgines, nec quae propoſiti ſui & profeſſionis immemores gaudent in deliciis, in opibus delectantur, & corporeae nobilitatis in origine gloriantur, quae ſi pro certo Dei filias ſe eſſe crederent, nunquam poſt divinos natales nobilitatem admirarentur humanam, nec gloriarentur in patre quolibet honorato, ſi patrem Deum ſe habere ſentirent. Quid tibi, o ſtulta, blandiris & complaces? Duos homines in exordio fecit Deus, ex quibus totius humani generis ſylva deſcendit. Mundanam nobilitatem non naturae aequitas praeſtat, ſed cupiditatis ambitio; & nulla inter eos diſcretio poteſt eſſe quos nativitas ſecunda generavit, per quam tam dives quam pauper, tam liber quam ſervus, tam nobilis quam ignobilis, Dei efficitur filius, & terrena nobilitas ſplendore caeleſtis gloriae adumbratur. Nunquam omnino jam comparet, dum qui retro in ſaecularibus honoribus impares fuerant, caeleſti divinae gloriae nobilitate veſtiuntur aequaliter. Nullus ibi jam ignobilitatis locus eſt; nec degener quiſquam eſt quem divinae nativitatis ſublimitas ornat, niſi apud illos qui non putant humanis caeleſtia praeponenda. Aut ſi putant, quam vanum eſt ut ſeſe illis in minoribus praeferant quos ſibi in majoribus pares ſentiant, & quaſi infra ſe poſitos in terra exiſtiment quos ſibi in caeleſtibus aequales crediderunt. Tu autem, quaecunque Chriſti non ſaeculi virgo es, omnem praeſentis vitae gloriam fuge, ut eam quae in futuro promittitur conſequaris. Contentionum verba & animoſitatis cauſas evita, diſcordiarum quoque & litium occaſiones ſubterfuge. Nam ſi juxta Apoſtoli doctrinam ſervum Domini litigare non oportet, quanto magis Dei ancillam; cujus quo verecundior eſt ſexus, animus debet eſſe modeſtior. Linguam a maliloquio cohibe, & ori tuo fraenos legis impone; & tunc ſi forte loquaris quando tacere peccatum, cave ne quid quod in reprehenſionem veniat dicas. Lapis emiſſus eſt ſermo prolatus. Quapropter diu antequam proferatur cogitandus eſt. Beata quippe labia ſunt quae nunquam quod revocare velint emittunt. Pudicae mentis ſermo debet eſſe pudicus, qui aedificet ſemper magis quam aliquando deſtruat audientes, ſecundum quod praecepit Apo-
ſtolus dicens: *Omnis ſermo malus de ore veſtro non* Epheſ. 4.
procedat, ſed ſi quis bonus eſt ad aedificationem fidei, ut det gratiam audientibus. Pretioſa Deo lingua eſt quae non niſi de divinis rebus novit verba conſtruere, & ſanctum os unde caeleſtia ſemper eloquia proferuntur. Abſentium obtrectationes quaſi malignus ſcripturae auctoritate deterre; quia etiam hoc inter perfecti hominis virtutes Propheta commemorat, ſi
ante conſpectum illi malignus ad nihilum deducatur qui contra proximum non probanda protulerit. Psal. 14.
Non licet tibi alterius vituperationem patienter audire, quia nec ab aliis optas recipi tuam. Injuſtum quippe eſt quicquid contra Chriſti evangelium venit, ſi alteri quod tibi ab alio fieri moleſtum eſt patiaris inferri. Linguam tuam ſemper de bonis loqui aſſueſce, & auditum tuum magis ad bonorum laudem quam ad malorum vituperationem accommoda. Vide ut omnia quaecumque bene facis propter Deum facias, ſciens ejus rei tantam te a Domino recepturam eſſe mercedem quam ejus timoris & dilectionis cauſa perfeceris. Sancta magis eſſe quam videri ſtude: quia nihil prodeſt aeſtimari quod non ſis, & duplicis peccati reatus eſt non habere quod creditur & quod non habeas ſimulare. In jejuniis magis quam in epulis delectare, illius viduae memor quae non diſcedebat de templo jejuniis & orationibus Deo ſerviens die ac nocte. Et ſi vidua & quidem Iudaea talis fuit, qualem nunc eſſe virginem convenit Chriſti? divinae magis dilectionis convivium dilige, & ſpiritualibus te ſatiari dapibus concupiſce. Illos potius require cibos quibus anima magis quam corpus reficitur. Carnis & vini ſpecies quaſi caloris fomenta & libidinis incitamenta fuge. Et tunc ſi forte vino exiguo utere cum ſtomachi dolore nimio corporis compellat infirmitas. Iracundiam vince, animoſitatem cohibe, & quicquid illud eſt quod poſt factum poenitentiam ingerit pro maximo crimine, proximi

cri-

criminis abominationem declina. Satis quietam &
tranquillam convenit eſſe mentem ab omni perturba-
tione furoris alienam quae Dei habitaculum eſſe de-
ſiderat, qui per Prophetam teſtatur & dicit: *Super*
Iſa 66. *quem requieſcam alium niſi ſuper humilem & quie-*
tum & trementem ſermones meos? Omnium ope-
rum & cogitationum tuarum ſpeculatorem Deum
crede, & cave ne quid quod divinis oculis indignum
ſit aut opereris aut cogites. Cum orationem cele-
brare deſideras, talem te exhibe quaſi quae ſis cum
Deo loquutura. Cum pſalmum dicis, cujus verba
loquaris agnoſce, & in compunctione magis animi
quam in tinnulae vocis dulcedine delectare. Lacry-
mas enim pſallentis Deus magis quàm vocis gratiam
Pſalm 2. comprobat ſicut Propheta dicit: *Servite Domino in*
timore, & exultate ei cum tremore. Vbi timor &
tremor eſt, ibi non vocis elatio eſt, ſed animi fle-
bilis & lacrymoſa dejectio. Omnibus actibus tuis di-
ligentiam exhibe; quia ſcriptum eſt: *Maledictus qui*
Jeremia 48. *facit opera Domini negligenter.* Creſcat in te cum
annis gratia, creſcat cum aetate juſtitia, & fides eo
perfectior videatur eſſe quo ſenior: quia Dominus
Ieſus, qui nobis vivendi reliquit exemplum, profi-
ciebat non aetate tantum corporea, ſed ſapientia &
gratia ſpiritali, coram Deo & hominibus. Omne
tempus in quo te non meliorem ſenſeris, hoc te
aeſtima perdidiſſe. Conceptum virginitatis propoſitum
ad finem uſque conſerva; quia non inchoaſſe tantum,
ſed perfeciſſe, virtutis eſt, ſicut in evangelio Do-
Math. 10. minus ait: *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic*
ſalvus erit. Cave ergo ne cuiquam concupiſcendi
occaſionem tribuas, quoniam ſponſus tuus Deus ze-
lans eſt. Criminoſior eſt Chriſti adultera quam ma-
riti. Eſto igitur omnibus forma vivendi, eſto exem-
plum. Praecede & in actu quos in caſtitatis ſancti-
ficatione praecurris. Virginem te in omnibus exhi-
be. Nihil corruptionis objiciatur capiti tuo. Cujus
corpus integrum eſt, ſit inviolabilis converſatio. Et
quoniam, ut in exordio epiſtolae praefati ſumus, te
Dei ſacrificium factam, quod utique ſanctitatem
ſuam etiam aliis impertit, ut quiſquis ex eo digne
ſumpſerit, ſanctificationis & ipſe ſit particeps, ita er-
go & per te quaſi per divinam hoſtiam ſanctificen-
tur & caeterae, cum quibus te ita in omnibus ex-
hibeas ut quiſquis vitam tuam aut auditu aut viſu con-
tigerit, ſanctificationis vim ſentiat, & tantum ſibi
intelligat gratiae ex tua converſatione transfundi ut
dum te imitari concupiſcit, Dei ſacrificio & ipſe ſit
dignus.

INCIPIT B. THEODORITI DE TRINITATE.

Ex L. IV. Miſc Baluz. pag. 1. SAlus autem eſt ſcientia exiſtentis, exiſtentis vero
ſcientia eſt Deus, Deus autem eſt trinitas, cu-
jus notitiam verbum ſecundum ſimilitudinem no-
ſtram praeter peccatum factum dedit dicens diſcipu-
lis: *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in*
nomine patris & filii & ſpiritus ſancti. Tres ſubſi-
ſtentias ſive perſonas oſtendit dicens in patrem & in
filium & ſanctum ſpiritum. Propterea enim pater
eſt & non filius neque ſpiritus, & filius eſt & ne-
que pater neque ſpiritus, & ſpiritus ſanctus eſt & ne-
que pater neque filius. Manifeſtavit autem ſe ſan-
cta trinitas in Jordane patre teſtante, filio baptiza-
to, ſancto ſpiritu in columbae ſpecie deſcendente.
Et pater non erat qui baptizabatur, ſed filius. Qui
vero deſurſum teſtabatur, non erat filius, ſed pater.
Et qui in ſpecie columbae deſcendit, non erat filius
qui baptizabatur, neque pater qui de excelſis cla-
mabat, ſed ſpiritus ſanctus. Pater enim ab excelſis
clamabat, *Hic eſt filius meus dilectus in quo bene*
complacui, latens verbum propter incarnationem
oſtendens. Filius autem eſt incarnatum verbum, &
a Johanne baptizatus. Et ſpiritus ſanctus propriam
habens ſubſiſtentiam, deſcendens oſtendebatur in ſpe-
cie columbae, & permanens ſuper eum.

Contra Sabellium, ejuſdem beati Theodoriti.

ARguitur itaque inſenſatus Sabellius, qui ſenſu
Judaico aſſerit monarchiam intelligendo & ſa-
piendo patrem non verè patrem, & filium non ve-
re filium, & ſpiritum ſanctum non verè ſpiritum
ſanctum, ſed nomina ſolummodo ſine ſubſiſtentiis,
tria in una perſona coniciens. Vt autem clarè in-
telligatur, exemplo quodam tene illius patefacimus
ſenſum. Ait enim trinitatem non verè trinitatem
perſonarum ſubſiſtentium eſſe nomen Petrus, in ba-
ptiſmate vero Andreas, & in militia Thomas, ſed
non verè trini hujuſmodi trinitas eſt, nominum ve-
ro ſolummodo trinitas & non rerum eſt. Res au-
tem verè ſubſiſtens eſt pater, ex quo omnia, & res
verè ſubſiſtens filius, per quem omnia, & res verè
ſubſiſtens ſpiritus ſanctus, in quo omnia. Propter
tres ſubſiſtentias tres res, & propter unam eandem-
que naturam una eademque res. Omnia ergo quae-
cunque facta ſunt, a ſancta trinitate habent eſſen-
tiam, & in ea conſiſtunt. Verbo enim domini, hoc
eſt patris, caeli firmati ſunt, & ſpiritu oris ejus omnis
virtus eorum. Dominus autem pater, Dominus au-
tem & filius, Dominus vero & ſpiritus ſanctus.
Commune namque trium perſonarum eſt Dominus
& Deus. Deus enim Deus tuus dominus unus eſt.
Adtende quod dicitur. Vnus Deus ſubſtantia atque
natura, tres vero perſonae. Non alterius naturae
pater, & alterius filius, & alterius ſpiritus ſanctus,
ſed una natura atque ſubſtantia. Nam & animalia
rationalia ſex alas habentia dicendo *ſanctus ſanctus*
ſanctus Dominus, in trinitate perſonarum praedicant
unitatem. Vnitas enim in trinitate cognoſcitur, in
unitate trinitas una, deitas una, & virtus una, &
regnum unum. Quod vult pater, vult & filius,
vult & ſpiritus ſanctus. Trinitas autem, quia pater
filii ſubſiſtentis pater eſt, & filius ſubſiſtentis patris
eſt filius, & ſpiritus ſanctus ſubſiſtens eſt ex patre
procedens & per filium datus. Adverſus Arrium im-
pium. Sed neceſſarium quidem eſt ut tres ſubſiſten-
tias confitendo, malam ſectam Arrii fugiamus. Con-
traria enim Sabellio judaizanti pergens viam, & fugiens
monarchiam, in multorum deorum paganicam in-
ruit opinionem, ſubſiſtentias ſanctae trinitatis in
unam deitatis ſubſtantiam non intendens, ſed natu-
ras & ſubſtantias extraneas ſubjectas alterutris Deum
magnum definiens & parum & minimum. Fuge in-
ſenſibilitatem. Fugiens enim rem incongruam, in-
congruentius advénit. Introduxit enim ſine foedere
praelium ſanctae Eccleſiae, Dei filium minorando.
Reſpice itaque quomodo Sabellius quidem fugiens
Arrium Judaeus eſt factus, quomodo autem Arrius
Sabellium fugiens paganus effectus eſt. Ille liqui-
dem uniprincipium, hic vero multiprincipium alliga-
vit. Eſt autem media & vere regalis via, & ab hoc
& ab illo abſtinere. Ait enim: *Non declinabis ad*
dexteram aut ſiniſtram. Via regali perge. Regalis
autem via eſt, ut neque Sabellii continuatio velut
confuſio ſuſcipiatur, neque Arrii diviſio, ſed cre-
dantur tres quidem ſubſiſtentiae ſive perſonae, non
autem una trinitatis ſubſiſtentia ſecundum Sabellium,
& una ſubſtantia ſeu natura confiteatur, & non tres
naturae ſecundum Arrium. Quia vero incerta ſunt
ignorantibus quae dicuntur, quod eſt natura & ſub-
ſtantia ſeu perſona vel ſubſiſtentia, neceſſarium eſt
de his breviter explanare. Inerudite namque multi
ſe habentes delinquunt circa ſanctam trinitatem &
circa incarnatam diſpenſationem unius de trinitate
Dei veri, neſcientes quid eſt natura & ſubſtantia,
& quid eſt ſubſiſtentia atque perſona. Natura & ſub-
ſtantia in nullo ſignificativorum differunt niſi nomi-
ne. Natura enim ſubſtantia eſt. Subſtantia & natu-
ra in nullo ſignificativorum differunt niſi nomine.
Subſiſtentia enim perſona eſt. Sed natura quidem
& ſubſtantia hoc quod eſt commune ſignificant.
Per-

Digitized by Google

Perſona vero & (*a*) ſubſiſtentia quod proprium ſignificant. Velut una & communis omnium hominum natura eſt atque ſubſtantia, ſubſiſtentia vero & perſona uniuſcujuſvis hominis proprium. Et non quoniam innumerabiles perſonae & ſubſiſtentiae ſunt hominum, propterea innumerabiles & naturae ſive ſubſtantiae. Vna namque & eadem ſubſtantia atque natura apud homines, & non altera eſt. Et rurſus non quoniam una & eadem natura atque ſubſtantia omnium hominum eſt, propterea una eſt ſola perſona ſeu ſubſiſtentia omnium hominum. Scimus enim diverſas perſonas hominum, & non unam. Petrus enim & Jacobus & Johannes unum quidem natura & ſubſtamia, ſecundum quod homines ſunt, non autem unum ſubſiſtentia vel perſona. Proprium enim ſunt ſinguli. Petrus enim non eſt Jacobus aut Johannes. Similiter autem & horum ſinguli non ſunt, quod alius. Propria enim eſt uniuſcujuſvis perſona ſeu ſubſiſtentia. Idem autem immutabilitate naturae ſive ſubſtantiae. Quod enim eſt Petrus natura, hoc & Jacobus & Johannes. Quod autem eſt Petrus ſubſiſtentia, neque Jacobus neque Johannes eſt. Alter enim eſt Petrus, & alter Jacobus, alterque Johannes. Probatum eſt igitur quoniam non idem eſt natura & ſubſiſtentia, neque idem ſubſtantia atque perſona. Idem autem natura & ſubſtantia quod commune non proprium ſignificat, & idem perſona & ſubſiſtentia quod proprium & non commune declarat. Educati ſiquidem & ſicuti dicunt exemplum ſecundùm hominem ſumentes aſcendamus ad ratiocinationem divinam ſanctae trinitatis univerſa tranſilientis. Nihil enim naturarum aequabitur creatori, licèt aliquod eorum quae ſunt facta ſumatur exemplum propter brevitatem noſtram in terra jacentium & erudientium velut per quaſdam imagines. Ait enim cantiloquus: *Etiam in imagine ambulet homo, non ut conſiſtat uſque in hoc, ſed jaculatur mente à ſenſibilibus ad intelligibilia*. Sanctae igitur trinitatis una quidem eſt natura atque ſubſtantia. Commune eſt enim trium ſubſtantia, non autem una ſubſiſtentia ſeu perſonarum patris & filij & ſpiritus ſancti tres ſubſiſtentiae. Oportet igitur deſiderantem ſpiritales divitias & volentem Chriſtianorum dogmata vindicare, rerum non ignorare propriè eſſe, ne fortè aliud pro alio intelligens circa dogmata peccet. Qui enim naturam & perſonam idem eſſe intelligit, aut in Arrij diviſionem incidit, aut in confuſionem Sabellij. Arrius enim tres ſubſiſtentias dicens, tres etiam dicit naturas. Sabellius autem unam naturam dicens, unam dicet & ſubſiſtentiam. Idem ergo duae haereſes ſunt perpeſſi, quoniam naturam & ſubſiſtentiam idem eſſe putaverunt, licèt contrariae alterutris dogmatibus eſſe videantur. Sancta verò Eccleſia optimè dogmata à principio ſervans, certiſſimè novit cauſas diſcernere, unam dicens ſanctae trinitatis eſſe naturam, non unam ſubſiſtentiam, ſicuti Sabellius, ſed tres quidem dicens ſubſiſtentias, non tres naturas, ſicut Arrius. Et unam naturam novit, quod commune eſt, ſubſiſtentiam verò non unam, quod proprium. Dicendo enim unam naturam, indiviſibilitatem praedicat trinitatis. Dicendo autem tres ſubſiſtentias, inconfuſibilitatem trinitatis agnoſcit. Multi autem Eccleſiae filiorum propter reverentiam ſeu formidinem dicere declinantes, ex ignorantia peccant circa trinitatem & circa incarnatam diſpenſationem. Chriſtianiſſimus autem verè eſt ſcientia inenarrabilis ſanctae trinitatis per hanc ſanctam ſcientiam ab ignorantia liberatur. Homo gratia filius Dei vocatur, detergens maculas peccatorum per opera bona, ex quibus praecipuè purgata mens fit ſuſceptibilis ſanctae trinitatis & unitatis. Trinitatem namque perſonarum ſubſiſtentium hujuſmodi mens id eſt & in patre & filio & ſpiritu ſancto ſuſcepit: *Veniemus enim*, inquit trinitas, *& manſionem faciemus apud eum*. Vbi enim filius, ibi & pater & ſanctus ſpiritus. Sit autem nobis in exemplo homo ad imaginem Dei & ſimilitudinem factus. Servat enim in ſemetipſum tamquam imago ejus cujus eſt imago ſimilitudinem. Sed inferior eſt tamquam factura & creatura. Non alienus autem à Dei cognitione eſt, licèt non exiſtentibus donante creatore. Intellectus autem & iſte ſecundùm interiorem hominem non extra rationem gentibus. Namque eſt intellectus rationis. Sed neque extra ſpiritum. Eſt enim intellectus intelligens & ratiocinatrix & ſpiritus palam faciens & contemplatur & ſubſtantia tria proprietatibus. Mens enim ſeu intellectus pater verbi, habet enim verbum proprium in abſcondito unà cum ſpiritu proprio. Movetur enim & ratiocinatur mens in ſpiritu. Mens autem aliud eſt praeter rationem. Et iterum ratio non eſt mens, ſecundùm quod ratio eſt. Sed ſingula ſingulatim cognoſcuntur. Inſeparabilia verò ſunt horum ſingula naturaliter. Vna enim ſubſtantia. Sed non, quoniam una ſubſtantia, una quoque proprietas. Non enim, quoniam tres proprietates, tres quoque ſubſtantiae. Non enim erant tria unum, ſi tres eſſent ſubſtantiae; neque unum tria, ſi una proprietas. Aſcende jam ſumens ſcabellum noſtrum exemplum ad illam mentem quae ultra omnia eſt, qui verè pater eſt & verbum. Ibi enim verè eſt unitas trinitatis, & trinitas verè eſt unitatis. Propterea enim pater exiſtens ſubſiſtentia, inſeparabiliter habet filium & ſpiritum. Et filius filius exiſtens ſubſiſtentia, inſeparabiliter habet patrem & ſpiritum. Et ſpiritus ſanctus ſpiritus exiſtens ſubſiſtentia, inſeparabiliter habet patrem & filium. Et ſeparatur unumquodque, & non ſeparatur. Secundum quod ſeparatur ſubſiſtentiis, verè trinitas. Secundùm quod non ſeparatur ſubſtantia, verè unitas eſt. Qui autem hujus ſavi ſuaviſſimi guſtum non habent, divinae ratiocinationis inexpertes exiſtentes, incluſi humano ſpiritu, tamquam animales, non ſuſcipiunt quae ſpiritus Dei ſunt. Stultitia enim eis eſt, & ſcire non poſſunt. Aiunt enim. Si tria, quomodo unum; & ſi unum, quomodo tria, incongrua ratione unum percipientes & tria. Si unum enim, inquit, (*b*) una ſubſiſtentia, & non tres; ſi verò tria, tres omnimodis ſubſtantiae, & non una. Non enim poſſibile eſt, inquit, unum eſſe tria, neque rurſum tria unum. non contemplantes ſubtiliſſimis ſenſibus (*c*) ſceleſtiſſimam ſcientiae profunditatem. Secundùm quid unum tria & quid tria unum, ſecundum quod immutabiliter habet ad ſemetipſam trinitas una natura exiſtens, propter hoc unum trinitas. Porrò ſecundum quod non una perſona ſed tres trinitas, verè eſt unitas, trinitas perſonis non ſubſtantia, & unitas ſubſtantia, non perſonis. Secundùm aliud verò trinitas trinitas, & ſecundùm aliud unitas unitas eſt. Alius enim & alius & alius Tres enim ſubſiſtentiae. Non autem aliud & aliud & aliud. Vna enim natura atque ſubſtantia eſt. Clarè verò oſtendit ſemetipſam veritas credentibus. Invenitur enim ab eis qui non tentant eam, & apparet non diſcredentibus ſibi.

Explicit beati Theodoriti de trinitate.

SAN-

(*a*) SVBSISTENTIA. Ita codex Corbeienſis Bellovacenſis & hîc & in omnibus ferme locis ſequentibus habet *ſubſtantia*.

(*b*) VNA) Codex Bellovac. *dua*.

(*c*) SCELESTISSIMAM) Legendum, *excellentiſſimam*.

Digitized by Google

SANCTI AVITI
EPISCOPI VIENNENSIS
EPISTOLÆ QUATUOR.

I. Ad Gundobadum Regem Burgundionum.

Epiſtola Aviti Epiſcopi ad Dominum Regem facta.

Ex Lib. I. Miſc. Bal. p. 355. AVitus Epiſcopus Domino Regi. Quaeſtio quam
pietas veſtra diſſerendam propoſuit, tota prorſus ad interiorem figuram ſpiritali conſideratione re-
ferenda eſt. Neque enim illud centuplicato fœnore
promittitur reformandum quod unuſquiſque animo
miſerendi alimoniae pauperum pia profeſſione contu-
lerit: quia & in hac ipſa eleemoſynaria largitate, in
qua operantis ſenſus potius quam cenſus aſpicitur,
non eſt doni quantitas penſanda, ſed ſtudii. Quo ſa-
ctum eſt per evangelicam lectionem ut infinitis auri
argentique donariis paupertina nummi duplicis praefe-
ratur oblatio. Quae ſi utique viduae donatrici ad
menſuram centupli redderetur, ſine dubio cunctis
Matth. 19. minus reciperet quae minus omnibus intuliſſet. Vn-
de & ſanctus Petrus cum dixiſſet, *Ecce nos reliqui-
mus omnia, & ſecuti ſumus te*, qui certe, ſicut
lectio docet, nihil aliud quam retia reliquerat, qui-
bus tenuem victum piſcandi artificio tranſigebat, re-
ſponſum illi eſt: *Omnis qui reliquerit domum aut
fratres aut ſorores aut patrem aut matrem aut uxo-
rem aut filios aut agros propter nomen meum, cen-
tuplum accipiet, & vitam aeternam poſſidebit*. Nam-
que cum in ſcripturis ſanctis centenarius numerus omni
perfectione ſacratus ſit, diſcernite quod reddatur in
centuplum, non quae tribuuntur Chriſti nomine, ſed
quae pro Chriſti nomine relinquuntur: quia licet ma-
gna ſalutaris proſit merces eleemoſynae, incomparabi-
liter tamen majus eſt omnia dimittere quam plurima
diſpenſare. Quocirca definiat gloria veſtra de ſolo iſtud
martyrio praedicari, cujus coronae nullum penitus me-
ritum humani operis exaequatur. Ille eſt centeſimus
fructus, qui in futuro quidem vitam aeternam expe-
ctat, ſed in praeſenti quoque ſaeculo illatas marty-
ribus contumelias mirificato honore compenſat. Vn-
de & alio evangelii loco dominicus ſermo teſtatur
quod ad centenariam frugem cadens in terram bo-
nam nutritae ſementis germen exierit. Parentes ergo,
uxorem, vel filios, ſive fratres pro Chriſti tantum
conſecrat nomine relinquendos, id eſt, cum pro aſ-
ſerenda nominis confeſſione, non tantum hujuſmodi
neceſſitudinum, ſed animarum quoque nobis corpo-
rumque facienda jactura ſit. De qua diviſione idem
Matth. 10. Dominus alio loco, *Veni* inquit, *ſeparare filios ad-
verſus parentes, nurum adverſus ſocrum*. Id eſt,
ut quorumlibet affectuum perſonae, tendentibus no-
bis ad Chriſtum, ſi comitari noluerint, deſerantur.
Excepto autem hoc ſenſu propinquitates iſtas non
ſemper nobis ut praejudicatas debere dimitti & exem-
plis & ratione colligitur. Nec enim & illi propinqui
dimittendi ſunt qui ad caeleſtes coronas contemptu
ſaeculi calcata morte feſtinant; neque ſuadere fideli-
bus poſſumus ut conjugia vel parentes abjiciant, cum
Dominus clamet, quod non liceat homini dimittere
Matth. 19. uxorem *Et quod Deus*, inquit, *conjunxit, homo non
Marc. 10 ſeparet*. Et Apoſtolus proteſtatur quod qui ſuis
1. Tim. 5. & maxime propinquis non providet, fidem neget,
ſitque deterior infideli. Dominum Petrus, Petrum
conjux propria ſequebatur. Ceſſante carnali uſu, ma-
nebat ſpiritale ſolatium. Et comitante ſe Andrea ger-
mano, nec fratrem nec uxorem dimiſerat, in quo-
rum contubernio Chriſti veſtigiis adhaerebat. Qua-
propter perſonas hujuſmodi non obeſſe nobis, ſed
impedire timendam eſt. Nam cum omnino homi-
num generi, ordini, dignitati obtinendum caeleſte re-
gnum divinus ſermo proponat, eſt temerarius prae-
dicator, neceſſitati principum, quae regnum divinis
nutibus adminiſtrat, ſi omnia quae ſupra diximus re-
linquenda ſuaſerit, cum tamen etiam perſonis hujus
culminis contemptus mundi ſuggeri & caelorum re-
gnum debeat repromitti, Apoſtolo, ſicut recolitis,
proteſtante locupletibus ut divites ſint in operibus bo-
nis & theſaurizent ſibi fundamentum bonum, ut ap-
prehendant veram vitam. Quibus ſecundum hanc
ſententiam agrorum ſive redituum & prodeſſe uſus
poterit, ſi non nocuerit appetitus. Eſt tamen & aliud
ſanctitatis genus, in quo ſi tempus perſecutionis aſ-
ſiſtat, martyrium quoddam plena confeſſio queat imi-
tari. Si quis enim antiquam parentum conſuetudinem
ſive ſectam melius credendo commutet, nec tenea-
tur privilegio conſuetudinis, cum veritas provocat
ad dilectionem ſalutis, utiliter hic parentes, fratres,
ſororeſque dimittit, velut Abraham dives, qui cun-
ctis caeleſtibus donis fruens, filiis, famulis, auro,
argento, patrimonio, matrimonio recte uſus, patriae
ſe tamen & cognationi ſuae voto mutandae religio-
nis excuſſit, & imminente jam ſenio, ſignum cir-
cumciſionis, quo Chriſtianitas figurabatur, accipiens,
provectos jam per aetatem converſione pueros fieri
poſſe praemonuit. De quibus & propheticus ſermo,
Puer, inquit, *centum annorum morietur*. id eſt, Iſa. 65.
centuplum accipiet quod puer factus eſt: quem prae-
fata ſacrati numeri pluralitate praeſtantem, ſicut aeta-
te matura vivendi novitas fecit puerum, ſic cuſto-
dita renovatio immortalis faciet longaevitate pro-
vectum.

II. *Epiſtola beati Aviti Epiſcopi ad illuſtrem virum Arigium.*

AVitus Epiſcopus viro illuſtriſſimo Arigio. Scio
quidem quantae devotionis affectu ire me ad
feſta communia voluiſtis, verumtamen ita ut quem
gaviſurum tantummodo vobiſcum, non aliquid pro-
futurum, credere debueritis. Nam cum vobis ſacer-
dotes & magni merito & multi numero digne atque
ambienter occurrerint, ego ſolus damno percellor,
qui ſingularis patroni gaudiis intereſſe non mereor.
Quibus ſi praeſentia mea ſecundum deſiderium pro-
veniſſet, ſicut optaveram de laude tanti operis quoſ-
cunque digni ſermonis audirem, qui omnibus mem-
bris fabricae ſublimis inſpectis, congruenter poſſent
aſcribere conditori in diſpoſitionum qualitate elegan-
tiam, in expenſarum profuſione jacturam, in di-
menſionum ratione concordiam, in ſpatiis diffuſio-
nem, in culminibus celſitudinem, in humilitate fir-
mitatem, expolire praeconiis marmorum dignitatem,
quibus gemmarum nomen ſola magnitudinis tollat
invidia, collectum quodam modo atque inclutum
induſtria diem, emolumento metallorum ſplendentium
luce vegetari, hiſque omnibus pompis digne inferri
reliquias, quibus mundus indignus eſt. Haec igitur
exaggeranda melioribus jure conceſſeram. Verum-
tamen peculiarem ſibi mercedem ſuam ſermo meus
vindicaturus, recolens utique tempus illud quod in-
ter ſaeviſſimas perturbationum procellas, cum facti
operis firmam ſoliditatem quaſi gubernatores invicti
ad dedicationis portum circumſtridentibus undique
naufragiorum caſibus impune duxiſtis, me, ut ex
communi neceſſitate recolitis, pro gaudiis lacrymas
dependente; cui cum ipſum praematurae innovatio-
nis ardore, cauſarum ratione librata, non minus con-
gerere ſuadeo quam plangere: quia non ut nuptae tali
ſponſo, cui pacta fuerat, qualitercunque jungendae,
etſi ſatis deſiderabantur ſtrumenta cultuum, plus ta-
men formidari oportuit tela raptorum. Quocirca his
omnibus conſilio maturiore penſatis, mutaſtis viri
fortis conſtantiae genus, & deponentes quo * adpeſ- * ſ. apeſſimè
ſime floretis ſaecularis ducatus audaciam, quicquid
ab adverſa parte diſcriminis incubuerat timore vici-
ſtis. Quapropter omnis qui viderit coram poſitam jo-
cundi-

enuditatem, laudet praeteritam feſtinationem. Convenit diſpoſitionibus veſtris rapta de adverſitate ſecuritas. Ante decuit noſtrum fieri quod taliter libuerat ornari. Ego autem ut horum modo viſione non perfruar, & quae cauſa faciat, & nobiles patroni, & quales arbitri, etiamſi taceatur, advertitis. Apoſtolorum namque feſtivitas Viennenſibus quidem veſtris inter annuum martyrium dies peculiari ſtudio vivit. Habeo praeſentiam tempori, quo diei paſſionis fabriculae quam noſtis videtur injuncta eſſe dedicatio virorum; quia nihil eſt ad quod animum meum vellet deſtinare non poſſit affectus. Excuſans plebiculae abſentiam, meam anteponerem conſuetudini ſingularitatem, niſi, ut noſtis, in ipſis poenitentibus noſtris fervor appetens vitium vicinum diu formaret atque ſtrepitum; cum e noſtris ambitio aliquos, alios ſollicitudo adoleſcentior, multos gula tractura ſit. Veritus ſum ne forte ſi vel paucos qui forent quos aliena declinantes ſuae magis feſtivitati ſtudium manſuetudinis aggregaret, apud aliquos animus, ut ſolet in tali turbatione, motus illi quaſi per abſentiam meam, eo die curſus noſtrae devotionis putaretur omitti quo diverſae partes videbantur inſtitui. Unde excuſationem meremur. Si rationem rite agnoviſtis, ignoſcite; communem feſtivitatem praeteritorum recordatione, praeſentium plenitudine cognoſcite, tam abſentium eſt quam praeſentium officiis celebrate. Confido de miſericordia Dei noſtri quod etiam mihi in hoc loco quandocumque oportunius verbi praeſtabit aditum, quibus geminatae conſecrationis ornatiorem conceſſit effectum.

III. *Epiſtola beati Aviti Epiſcopi ad Stephanum Epiſcopum.*

AVitus Epiſcopus Stephano Epiſcopo. Poſt ſanctam feſtivitatem, quam licet avidi atque anxii, veſtro tamen interventu divinaque tuitione tranſivimus, debito famulatus obſequio ac ſedulae ſollicitudinis devotione ſervimus, quicquid illud nobiſcum meritae aſperitatis eſt, ſolari veſtrae, quam Deus ſemper augeat, proſperitas agnitione cupientes.

IV. *Epiſtola Aviti Epiſcopi ad Gregorium Epiſcopum.*

AVitus Epiſcopus Gregorio Epiſcopo. Meis potius aſcribo peccatis quod vos ad diſpoſitionem piiſſimae voluntatis corporis inaequalitas impedivit, quamquam conſueta dignatio oratione nos & oblatione comitata ſit. Unde ſalutationis officia pagina famulante perſolvens, ſupra quam ſermone valeo gratias ago quod feſtivitatem noſtram pleno vos deſiderio ſitientem, etiamſi non ſatisfiſtis praeſentia, refeciſtis expenſa.

F R A G M E N T A

Libri de divinitate ſpiritus ſancti.

SAnctus Avitus in illo libro quem de divinitate ſpiritus ſancti contra Gundobadum Arrianum Regem ſcripſit, proceſſionem ſpiritus ſancti a patre & filio ita declarat.

[Vide opera Aviti pag. 161.] De divinitate ſpiritus ſancti, quem nec factum legimus nec genitum nec creatum, Deus eſt, Deus qui operatur omnia in omnibus. Et eodem loco: [1. Cor. 12.] *Omnia autem haec operatur unus atque idem ſpiritus, dividens ſingulis prout vult.* Et Petrus in [Act. 5.] actibus Apoſtolorum: *Quid convenit*, inquit, *inter vos mentiri ſpiritui ſancto?* Et poſt: *Non eſt mentitus hominibus ſed Deo.* Item alio loco: [1. Cor. 3.] *Neſcitis quia templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis?* [Rom. 8.] Et alibi: *Si quis ſpiritum Dei non habet, hic non eſt ejus.* Nos vero ſpiritum ſanctum dicimus a filio & patre procedere.

Idem Avitus in eodem libro.

Ipſe certe per ſe Dominus, *Spiritum*, inquit, [Ioa. 15.] *veritatis qui a patre procedit.* Enimvero non dicendo *proceſſit*, ſed *procedit*, non temporis procedentis docuit, ſed praeterito futuroque ſummoto, ſub interminabilis aeternitate praeſentiae virtutem proceſſionis oſtendit; ut ſicut eſt proprium ſpiritui ſancto a patre filioque procedere, illud catholica fides etiamſi renuentibus non perſuaſerit, in ſuae tamen diſciplinae regula non excedit.

Item Avitus.

Spiritum ſanctum aeque patris & filii eſſe confiteor, eumque a patre vel filio ſimiliter mitti. quod mecum prolata quoque Apoſtoli ſententia videtur adprobaſſe. Nam legimus: [Ioa. 14 & 15.] *Paracletus quem mittet pater in nomine meo.* Et alio loco: *Quem ego mittam vobis à patre.* Nec tamen, ut nuper habita conlocutione tractavimus, ſcinditur una perſonarum diſcretione divinitas. Quia ſi ſpiritus, ut adquieſcitis, [Vide to. v. Spicileg. Dacher. pag. 115.] a patre filioque vel mittitur vel procedit, non poteſt mittens mittenſque miſceri & ex quo procedit procedenſque confundi.

FRAGMENTA EPISTOLARUM

P A·V L I N I

EPISCOPI AQUILEIENSIS.

Paulinus ad Carolum Regem.

MOneo te & deprecor obnixe, piiſſime Princeps, [Matth. 5.] per eum qui Diſcipulis & Apoſtolis ſuis, quorum indigni vicem gerimus, ait, [Luc. 10.] *Vos eſtis ſal terrae*, &, *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit*, ut tu pro nobis contra viſibiles hoſtes pro Chriſti amore Domino opitulante dimices, & nos pro te contra inviſibiles hoſtes Domini deprecantes potentiam ſpiritualibus armis pugnemus, liceatque Domini ſacerdotes juxta evangelicas & apoſtolicas canonicaſque regulas ſimpliciter Domino deſervire & militare in ſolis caſtris dominicis: quia juxta ejuſdem Domini vocem nemo poteſt duobus dominis ſervire. Et Paulus: [2. Tim. 2.] *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſaecularibus, ut placeat ei cui ſe probavit.* Nemo ſibi blandiatur quod utrumque poſſit & Deo & mundo ſervire, quia veritas eſt & mentiri non poteſt qui hoc fieri non poſſe teſtatur.

Item qui ſupra, de rectoribus.

Primum eſt quod non verbis bene ſed exemplis male docent. Secundo, quod contra divinam voluntatem & ſacram inſtitutionem atque apoſtolicam & canonicam auctoritatem non tribus ſaltem hebdomadibus ſed multo tempore ab Eccleſia ſibi commiſſa, dimiſſis propriis ſedibus & plebibus, poſtpoſito divino conſilio & auctoritate, poſtpoſita etiam praedicatione, doctrina, correctione, ſpiritus paracliti adſignatione, & ſacra ſancti chriſmatis conſecratione, omnique ſacra inſtitutione, inretractabiliter abeſſe non erubeſcunt, & indifferenter, non utcumque, ſed quaſi rapaces & milites armorum, ad excitandos & provocandos eos qui ſanguinem effundunt & multa flagitia committunt diſcurrere non metuunt, & qui orando, docendo, & praedicando populum Dei & Eccleſiam ſibi commiſſam regere Dei-

que

que clementiam circa genus humanum placare debuerant, ipſi è contra male agendo, ut praefati ſumus, diſciplinam, ultionem, & iram divinae animadverſionis exaggerare non deſinunt. Vt impleatur illud quod propheta per ſpiritum ſanctum commnatur: *Erit ſicut populus, ſic & ſacerdos*. Res Eccleſiae, quae vocatae ſunt (vota) fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, quibus fideles fidei ardore & Chriſti amore ſucceuſi ob animarum ſuarum remedium & caeleſtis patriae deſiderium ſanctam ditaverunt Eccleſiam, ut his Eccleſia Dei exornaretur, & milites Chriſti alerentur, pauperes recrearentur, & captivi pro temporum oportunitate redimerentur, rapientes, non ut paſtores, ſed ut praedones, in militiam & vanitatem mundanam contra jus divinum expendere non detrectant. Vnde facillime conjici poteſt quod plus terrena quam caeleſtia diligunt, plus mortales homines quam Dominum metuunt; cum ſcriptum ſit: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus*. Et iterum Apoſtoli inquiunt: *Non enim oportet nos relinquere verbum Dei & miniſtrare menſis*. Hinc eſt quod nec praecipuis feſtivitatibus & ſollennitatibus anni nec ſaltem diebus quadrageſimae obſervationis, qui ſaluti & poenitentiae conſecrati ſunt, & magna devotione tranſigi debent, in quibus ſpecialiter circa animarum procurationem propentius & adtentius invigilare debemus, in propriis non meremur reſidere parroechiis ac civitatibus. pro quo & deſtitutio divini cultus & praedicatio in plebibus & cura ſubjectorum negligitur; praeſertim cum nec ſacerdotali miniſterio hujuſmodi congruant diſcurſus, nec canonicae ſit auctoritatis. Legitur enim in Concilio Sardicenſi capitulo XV. non debere Epiſcopum à ſua Eccleſia plus tribus hebdomadibus abeſſe. Et capitulo VIII. ejuſdem Concilii conſtitutum eſt quando & pro quibus cauſis Epiſcopi ad palatium ire debeant. Legitur enim in Africano Concilio capitulo LXII. Concilium univerſale nonniſi neceſſitate faciendum. Item in eodem, ne Epiſcopi diutius in Concilio teneantur. Legitur etiam in eccleſiaſtica hiſtoria quod cum Julianus deſtitutionem religionis Chriſti vellet inferre in Eccleſia, feſtinabat praeſules Eccleſiarum à civitatibus diſtrahendo ſuſpendere, ut eorum abſentia ſolveretur Eccleſia, & dum qui docerent non eſſent, per hoc longo tempore paterentur populi propriae religionis oblivionem.

Iſa. 24.

L. 6. 1. Capitular. c. 77.

Act 5.

Act. 6,

Vide commonitorium ſynodi Aquiſgran 2. ad Pippinum Regem Aquit. c. 24. extremo.

Lib. 5. Capitular. c. 329.

Hiſt. tripar. lib. 6. c. 27.

Idem ad Carolum Imperatorem.

Expedit tibi, venerande Princeps, ut exerceas Praeſules ad ſanctarum ſcripturarum indagationem & ſanam ſobriamque doctrinam, omnem clerum ad diſciplinam, philoſophos ad rerum divinarum humanarumque cognitionem, monachos ad religionem, omnes generaliter ad ſanctitatem, primates ad conſilium, judices ad juſtitiam, milites ad armorum experientiam, praelatos ad humilitatem, ſubditos ad obedientiam, omnes generaliter ad prudentiam, juſtitiam, fortitudinem, temperantiam, pacem, atque concordiam. His & his ſimilibus, virorum optime, Deo tibi propitio, ſanctae Eccleſiae faſtigium adcumulare non ceſſes, ut admirabili in rerum eccleſiaſticarum ſive civilium adminiſtratione ſtrenuus & ſapientiae fonte redundes & virtutis exhibitione triumphes.

EPISTOLÆ SANCTI GREGORII PAPÆ.

Gregorius Iohanni Epiſcopo Squillacino.

Ex Lib. V. Miſc. Baluzii p. 468.

OBitum illius antiſtitis directa relatio nobis patefecit. Quapropter viſitationis deſtitutae Eccleſiae fraternitati tuae operam ſollemniter delegamus: quam ita te convenit exhibere ut nihil de provectionibus clericorum, redditu, ornatu, miniſteriiſque, vel quicquid illud eſt a quoquam praeſumatur Eccleſiae. Et ideo caritas tua ad praedictam Eccleſiam ire properabit; & aſſiduis adhortationibus clerum plebemque ejuſdem Eccleſiae admonere te volumus ut remoto ſtudio, uno eodemque conſenſu talem ſibi praeficiendum expetant ſacerdotem qui & tanto miniſterio dignus valeat reperiri & a venerandis canonibus nullatenus reſpuatur. Qui dum fuerit poſtulatus, cum ſollemnitate decreti omnium ſubſcriptionibus roborati dilectionis tuae teſtimonio litterarum ad nos ſacrandus occurrat. Commonemus etiam fraternitatem tuam ut nullum de altera eligi permittas Eccleſia, niſi forte inter clericos ipſius civitatis in qua viſitationis impendis officium nullus ad epiſcopatum dignus, quod evenire non credimus, potuerit inveniri. Proviſurus ante omnia ne ad nos cujuslibet converſationis vel meriti laicae perſonae aſpirare praeſumant, & tu periculum ordinis tui, quod abſit, incurras.

Poſtea ſequitur in veteri codice epiſtola directa clero & plebi conſiſtenti Crotonae, quae eſt 37. lib. 2. indict. 10. *Noſtri antiſtitis*. Itaque nunc facile agnoſci poteſt quis ſit ille Iohannes Epiſcopus cui Gregorius delegavit viſitationem Eccleſiae Crotonenſis.

Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Petro Subdiacono.

PErgenti tibi ad Siciliam capitulare quod dedi aſſidue relegendum eſt, ut cura maxima eſſe de Epiſcopis debeat ne in cauſis ſecularibus miſceantur niſi in quantum neceſſitas defendendorum pauperum cogit. De monachis vero vel clericis quae in eodem capitulare ſunt inſerta nequaquam exiſtimo modo eſſe movenda. Sed experientia tua tanta haec obſervatione cuſtodiat quanta meum deſiderium ex hac re valeat adimplere. Praeterea pervenit ad me ab Antonini defenſoris temporibus nunc uſque in hoc decennio multos a Romana Eccleſia quaſdam violencias pertuliſſe, ita ut quidam publice conquerantur fines ſuos violenter invaſos, mancipia abſtracta, res etiam mobiles manu non judicio aliquo ablatas. In quibus omnibus volo ut experientia tua vehementer invigilet, & quicquid per hoc decennium invenerit violenter ablatum vel ſub nomine Eccleſiae injuſte detineri, hoc ei cujus eſſe cognoverit ex praeſentis praecepti mei auctoritate reſtituat, ne cogatur qui vim pertulit ad me venire & tanti itineris laborem aſſumere, cum utrum vera dicat hic apud me non poſſit edoceri. Conſiderata ergo venturi judicis majeſtate omnia cum peccato ablata reſtitue, ſciens quod magnum mihi lucrum reportas ſi mercedem potius quam divitias congregas. Pleroſque vero cognovimus de amiſſis mancipiis conqueri dicentes quia ſi ſervus cujuſpiam fortaſſe dominum ſuum fugiens juris eccleſiaſtici ſe eſſe profeſſus eſt, rectores Eccleſiae protinus hunc ut ſervum eccleſiaſtici juris habuerunt, nullo agentes judicio, ſed ſervi vocem manibus defendentes. Quod mihi tantum diſplicet quantum a veritatis judicio abhorret. Vnde volo ut experientia tua quaecunque ita facta cognoverit poſtpoſita tarditate corrigat, & talia quoque mancipia, ſi quae nunc in jure eccleſiaſtico habentur, ſicut ſine judicio ablata ſunt, reſtitui ante judicium decet; ut ſi quid in eis ſanctae Eccleſiae legitime competit, tunc eorum poſſeſſores debeant ordinata actione pulſari. Cuncta haec inretractabiliter corrige: quia tunc vere beati Petri Apoſtoli miles eris, ſi in cauſis ejus veritatis cuſtodiam etiam ſine ejus acceptione tenueris. Si quid vero juſte conſpicis juri eccleſiaſtico poſſe competere, cave ne unquam hoc manu ſtudeas defenſare, maxime quia & decretum ſub anathematis interpoſitione conſtitui ne unquam a noſtra Eccleſia urbano vel ruſtico praedio tituli debeantur imponi; ſed quicquid ratione pauperibus competit, ratione etiam debet defendi; ne dum bona res non bene agitur, apud omnipotentem Deum quod juſte a nobis quaeritur de inju-

injuſtitia redarguatur. Laici autem nobiles vel vir glorioſius precor pro humilitate te diligant, non pro ſuperbia perhorreſcant. Et tamen cum eos fortaſſe contra quoslibet inopes injuſtitiam aliquam agere cognoſcis, humilitatem protinus in erectionem verte, ut eis ſemper & bene agentibus ſubditus & male agentibus adverſarius exiſtas. Sed ita fac ut nec humilitas tua remiſſa ſit nec auctoritas rigida: quatenus & humilitatem rectitudo condiat, & ipſam tuam rectitudinem humilitas blandam reddat. Praeterea ſicut moris fuit ut ad natalem Pontificis Epiſcopi convenirent, ad ordinationis meae diem venire eos prohibe; quia ſtulta & vana ſuperfluitas non delectat. Sed ſi eos convenire neceſſe eſt, in beati Petri Apoſtolorum principis natalem conveniant, ut ei ex cujus largitate paſtores ſunt gratiarum actiones ſolvant. Bene valeas.

Datum ſub die XVI. Kalendarum Aprilium, Imperatoris Mauritii anno nono.

In vetuſtiſſimo Codice MS epiſtolarum ſancti Gregorii qui fuit clariſſimi viri Claudii Puteani Senatoris Pariſienſis, nunc vero ſervatur in bibliotheca regia, & in codice 1054. bibliothecae Colbertinae iſta leguntur poſt epiſtolam 39. libri 7. indict. 2. quae incipit: Quia ſicut cauta proviſio.

GREGORIVS VVLFONI DVCI.

Vbi ei ſcribit de pace conſervanda, & quicquid ab hominibus reipublicae & eorum exceſſum eſt, auxiliante Deo debeat ordinatio provenire.

Incipit epiſtola Recharedi Regis Gothorum ad beatum Gregorium Romenſem Epiſcopum directa.

DOmino ſancto ac beatiſſimo Papae Gregorio Epiſcopo Recharedus. Tempore quo nos Dominus ſua miſeratione nefandae Arrianae haereſis fecit eſſe diſcordes, melioratos fidei tramita intra ſinus ſuos catholica colligit Eccleſia. Voluntatis tunc noſtrae fuit animus tam reverentiſſimum virum, qui prae ceteros polles antiſtites, omni intentione animi delectanter inquirere & tam dignam acceptam Deo rem pro nobis hominibus modis omnibus laudare. Vnde nos multaſque regni curas gerimus, diverſis occaſionibus occupati, tres praeterierunt anni voluntatem animi noſtri minime ſatisfacere. Et poſt hoc ad vos ex monaſteriis Abbates elegimus, qui uſque ad tuam praeſentiam peraccederent, & munera a nobis directa ſancto Petro offerrent, tuae ſanctae reverentiae ſalutem nobis manifeſtius nuntiarent. Qui properantes, jam pene litora cernentes Italiae, in illis vi maris advenit quibuſdam ſcopulis prope Maſſiliam inhaerentes, vix ſuas potuerunt animas liberare. Nunc autem Presbyterum quem tua gloria uſque ad Malicitanam urbem direxerat oravimus eum ad noſtrum venire conſpectum. Sed ipſe corporis infirmitate detentus nullatenus ad regni noſtri ſolium valuit peraccedere. Sed quia certiſſime cognovimus cum a tua ſanctitate fuiſſe directum, calicem aureum deſuper geminis ornatum direximus, quem, ut de tua confidimus ſanctitate, illa dignum Apoſtolo, qui primus fulget honore, offerre dignemini. Nam & peto tuam celſitudinem nos ſacris tuis litteris aureis opportunitate reperta exquirere. Nam quantum te veraciter diligam tu ipſe pectoris fecunditatem inſpirante Domino latere non credo. Nonnunquam ſolet ut quos ſpatia terrarum ſive maria dividunt Chriſti gratia ceu viſibiliter glutinare. Nam qui te minime praeſentialiter cernunt, bonum tuum illos fama pateſcit. Leandrum vero Spalenſis Eccleſiae ſacerdotem tuae in Chriſto ſanctitati cum omni veneratione commendo, quia per ipſum tua benivolentia nobis eſt lucidata, & dum cum eodem antiſtite de tua vita loquimur, in bonis actibus veſtris nos minores eſſe cenſemus. Salutem vero tuam, reverentiſſime & ſanctiſſime vir, audire delector, & peto tuae Chriſtianitatis prudentiae ut nos genteſque noſtras, quae noſtro poſt Deum regimine moderantur, & veſtris ſunt a Chriſto adquiſitae temporibus, communi Domino tuis crebro commendes orationibus, ut per eandem rem quos orbis latitudo diſlociat, vera in Deum acta caritas feliciter convaleſcat.

Sequitur deinde in codice regio reſponſum ſancti Gregorii hoc modo: *Glorioſiſſimo atque praecellentiſſimo filio Recharedo Regi Gothorum atque Suevorum Gregorius ſervus ſervorum Dei. Explere verbis &c.* ut l. 7. indict. 2. epiſt. 127.

Poſt ultima vero verba epiſtolae ſancti Gregorii *gravitati debemus* ſequitur in veteri libro: *Item epiſtola ſecunda ejuſdem Papae ſanctiſſimi Gregorii ad eundem Recharedum Regem. Ante longum tempus dulciſſima mihi excellentia veſtra &c.* Pro quo in editionibus ita ſcriptum habetur. *Item Anagnoſtico* Verum anagnoſticum iſtud non habetur in quibuſdam vetuſtis codicibus, Ex quo fortaſſis colligi poteſt anagnoſticum non eſſe miſſum cum epiſtola, adeoque alio tempore ſcriptam eſſe. In fine autem iſtius ſecundae epiſtolae iſta adduntur in veteri libro bibliothecae Colbertinae ex quo deſcripta eſt epiſtola ad Recharedum poſt vocem *memoranda*. *Praeterea dona veſtrae excellentiae quae pauperibus beati Petri Apoſtoli ſunt tranſmiſſa trecentas cucullas accepimus. & quantum poſſumus precibus exoramus ut cujus vos pauperes veſtimentorum largitate protexiſtis, ipſum in tremendo die examinis protectorem habeatis. Ut autem noſtrum hominem ad veſtrum excellentiam modo minime mitteremus navis neceſſitas fecit, quia inveniri non poteſt qui ab iſtis partibus ad Spanias litora valeat proficiſci.*

Gregorius Thalaſſiae Abbatiſſae.

QVando ad ea ad quae catholicorum Regum corda pontificalibus ſunt monitis provocanda ita ardenti deſiderio divina gratia praeveniente ſuccenduntur ut ab eis ultro poſcamur, tanto ſunt alacri & laeto animo concedenda quanto & ea ipſa quae cupiunt, ſi nollent facere, peti debuerant. Proinde juxta ſcripta filiorum noſtrorum praecedentiſſimorum Regum Brunichildis & nepotis ipſius Theoderici monaſterio ſanctae Mariae, ubi ancillarum Dei eſt congregatio conſtituta, in urbe Auguſtudunenſi à reverendae memoriae Siagrio Epiſcopo condito, cui præeſſe dinoſceris, hujuſmodi privilegia praeſentis auctoritatis noſtrae decreto indulgemus, concedimus, atque firmamus, ſtatuentes nullum Regum, nullum Antiſtitum, nullum quacunque praeditum dignitate, vel quemcunque alium de his quae eidem monaſterio à ſupraſcriptis filiis noſtris Regibus jam donata ſunt, vel in futuro à quibuslibet aliis de proprio fuerint jure collata, ſub cujuslibet cauſae occaſioniſve ſpecie minuere vel auferre ſive ſuis uſibus applicare vel aliis quaſi piis cauſis pro ſuae avaritiae excuſatione concedere, ſed cuncta quae ibi oblata ſunt vel offerri contigerit, tam à te quàm ab eis quae in tuo officio locoque ſucceſſerint à praeſenti tempore illibata & ſine inquietudine aliqua volumus poſſideri, earum tamen uſibus pro quarum ſuſtentatione gubernationeque conceſſa ſunt modis omnibus profutura. Item conſtituimus ut obeunte Abbatiſſa praedicti monaſterii, non alia ibi quacunque obreptionis aſtutia ordinetur niſi quam Rex ejuſdem provinciae cum conſenſu monacharum ſecundum Dei timorem elegerit ac praeviderit ordinandam. Hoc quoque capitulo praeſenti ſubjungimus, ut locum avaritiae ſecludamus, nullum de Regibus, nullum de ſacerdotibus, vel quemcumque alium per ſe ſuppoſitamve perſonam de ordinatione ejuſdem Abbatiſſae vel quibuſcunque cauſis ad monaſterium ipſum pertinentibus audere in auro vel alia qualibet ſpecie commodi quicquam accipere neque eandem Abbatiſſam ordinationis ſuae cauſa dare praeſumere, ne hac occaſione ea quae à fidelibus piis locis offeruntur aut jam oblata ſunt conſumantur. Et quoniam multae occaſiones in deceptionem religioſarum perſonarum à pravis illic, ut dicitur, hominibus exquiruntur, Abbatiſſam ejuſdem monaſterii nullo modo pri-

Digitized by Google

privandam deponendamque cenſemus niſi cauſa ſpecialiter criminis exigente. Vnde neceſſe eſt ut ſi qua contra eum hujuſmodi querela ſurrexerit, non ſolum Epiſcopus civitatis Auguſtudunenſis cauſam examinet, ſed adhibitis ſibi ſex aliis coepiſcopis ſuis ſubtili hoc inveſtigatione perquirat; quatinus cunctis concorditer judicantibus, canonicae diſtrictionis cenſura aut ream ferire aut innocentem poſſit abſolvere. Haec igitur omnia quae hujus praecepti decretique noſtri pagina continet tam tibi quam cunctis quae in eo quo es ordine locoque ſucceſſerint, vel eis quorum intereſſe potuerit, in perpetuum ſervanda decernimus. Si quis vero Regum, ſacerdotum, judicum, atque ſecularium perſonarum hanc conſtitutionis noſtrae paginam agnoſcens contra eam venire tentaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reumque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & niſi vel ea quae ab illo ſunt male ablata reſtituerit, vel digna poenitentia illicitè acta defleverit, a ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei & Domini redemptoris noſtri Ieſu Chriſti alienus fiat, atque in aeterno examine diſtrictae ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco juſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri Ieſu Chriſti; quatinus & hic fructum bonae actionis recipiant, & apud diſtrictum judicem praemia aeternae pacis inveniant.

Hujus epiſtolæ initium tantùm habetur apud ſanctum Gregorium lib. xi. epiſt. xi. quia editores putarunt cetera eſſe ſimilia epiſtolae quae iſtam praecedit. Verum multa illic eſſe diverſa docet hæc noſtra editio. Ceterum & libri noſtri & Anglicani à Thoma Jamesio laudati docent eam datam eſſe ad Thalaſſam Abbatiſſam.

Gregorius clero, ordini, & plebi conſiſtenti Taurianis, Turrit, & Conſentias.

Veſtri antiſtitis obitum cognoſcentes &c. *ut lib.* 11. *epiſt.* 17. *uſque* pagina proſequente ad nos veniat ordinandus, proviſuri ante omnia ne cujuslibet vitae vel meriti laicam perſonam praeſumatis eligere, & non ſolum ille ad epiſcopatus apicem nulla ratione provehetur, verum etiam vos nullis interceſſionibus veniam promereri poſſe cognoſcite; ſed omnes quos ea vobis de laica perſona aſpiraſſe conſtiterit, ab officio & a communione alienos faciendos procul dubio noveritis.

Gregorius Venerio & Stephano epiſcopis.

Obitum Paulini Taurianenſis Eccleſiae, ſed & ill. Turritanae Eccleſiae antiſtitum directa &c. *ut lib.* 11. *epiſt.* 18. *uſque* miniſteriiſque, vel quicquid illud eſt in patrimonio earundem Eccleſiarum a quoquam aliquo modo praeſumatur. Et ideo dilectio tua ad praedictas Eccleſias ire properet, & aſſiduis adhortationibus clerum plebemque earundem Eccleſiarum admonere feſtinet ut remoto ſtudio, uno eodemque conſenſu tales ſibi praeficiendos expetant ſacerdotes qui & tanto miniſterio digni valeant reperiri & a venerandis canonibus nullatenus reſpuantur. Qui dum fuerint poſtulati, cum ſolemnitate decreti omnium ſubſcriptionibus roborati & dilectionis tuae teſtimonio litterarum ad nos ſacrandi occurrant. Commonentes etiam fraternitatem tuam ut nullum de altera eligi permittas Eccleſia &c. *uſque* inveniri. Proviſurus ante omnia ne ad cujuslibet converſationis meritive laicae perſonae aſpirare praeſumant, & tu periculum ordinis tui, quod abſit, incurras.

Obſervandum eſt hanc epiſtolam, quæ in veteribus libris dari dicitur ad Venerium & Stephanum, forſe unicuique eorum ſeorſim ſcriptam a patribus, ut tum loquebantur, eodem tenore verborum, mutatis mutandis, librarios vero qui iſta ſcripſere, cum ad ea ſatis non attenderent, Gregorium ponere ſcribentem nunc in ſingulari, nunc in plurali. Nobis religio fuit diſcedere a ſcriptura Veterum codicum.

Incipit epiſtola beati Liciniani Epiſcopi de libro regularum ad ſanctum Gregorium urbis Romæ directa.

Ex Lib VII. Miſc. Bal. pag. 1.

Domino beatiſſimo Papae Gregorio Licinianus Epiſcopus. Librum regularum a ſanctitate tua editum & ad nos divina gratia opitulante perlatum tanto libentius legimus quanto in eo ſpirituales regulas ineſſe cognoſcimus. Quis enim non libenter legat ubi jugi meditatione medicinam animae ſuae inveniat, ubi contemptis hujus ſaeculi rebus caducis & in ſua mutabilitate variantibus, ad aeternae vitae ſtationem oculos mentis aperiat? Liber hic tuus omnium eſt aula virtutum. Illic prudentia inter bonum & malum diſcretionis limitem figit. Illic juſtitia unicuique ſuum tribuit, dum Deo animam corpuſque ſubdit. Illic fortitudo etiam in adverſis & in proſperis reperitur ſemper aequalis; quae nec in contrariis frangitur, nec in proſperis exaltatur. Illic temperantia furorem libidinis frangit, diſcreteque voluptatibus modum imponit. Illic cuncta quae ad vitae aeternae participium pertinent comprehendis; & non ſolum paſtoribus regulam vivendi praeſcribis, ſed etiam & iis qui regiminis officium non habent vivendi regulam tribuis. Habent enim paſtores in quadripertita tua diſtributione quales ad hoc officium veniant, qualem vitam gerant dum venerint, qualiter vel qualia doceant, & ne in tanto ſacerdotali culmine extollantur, quid agant. Atteſtantur huic eximiae doctrinae tuae ſancti antiqui patres doctores defenſoreſque Eccleſiae Hilarius, Ambroſius, Auguſtinus, Gregorius. Hi omnes teſtimonium tibi praebent, ſicut Apoſtolis praebuerunt Prophetae. Hilarius ſanctus dicit, exponens verba Apoſtoli doctoris gentium: *Ita enim quae proprie diſciplinae ac morum ſunt ad ſacerdotis meritum utilia eſſe ſignificat, ſi etiam haec quae ad docendae ac tuendae fidei ſcientiam neceſſaria ſunt inter reliqua non deſint. Quia non ſtatim boni atque utilis ſacerdotis eſt aut tantummodo innocenter agere aut tantummodo ſcienter praedicare, cum & innocens ſibi tantum proficiat, niſi doctus ſit, & doctus ſine doctrinæ ſit auctoritate, niſi innocens ſit.* Atteſtatur huic libro tuo ſanctus Ambroſius in illis libris quos fecit de officiis. Atteſtatur ſanctus Auguſtinus dicens: *In actione non amandus eſt honor in hac vita ſive potentia, quoniam omnia vana ſub ſole, ſed opus ipſum, quod per eundem honorem vel potentiam fit, ſi recte atque utiliter fit, id eſt, ut valeat ad eam ſalutem ſubditorum quae ſecundum Deum eſt. Propter quod ait Apoſtolus; Qui epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. Exponere voluit quid ſit Epiſcopus: quia nomen eſt operis, non honoris. Graecum eſt enim atque inde ductum vocabulum quod ille qui praeficitur eis quibus praeficitur ſuperintendit, curam ſcilicet eorum gerens, Epiſcopus quippe intentio eſt. Epiſcopum, ſi velimus, Latine ſuperintendere poſſumus dicere, ut intelligat non ſe eſſe Epiſcopum qui praeeſſe dilexerit, non prodeſſe. Itaque a ſtudio cognoſcendae veritatis nemo prohibetur. Quod ad laudabile pertinet otium. Locus vero ſuperior, ſine quo regi populus non poteſt, etſi ita teneatur atque adminiſtretur ut decet, tamen indecenter appetitur. Quam ob rem otium ſanctum quaerit caritas. Caritas veritatis negotium juſtum ſuſcipit, neceſſitas caritatis. Quam ſarcinam ſi nullus imponit, percipiendae atque intuendae vacandum eſt veritati. Si autem imponitur, ſuſcipienda eſt etiam propter caritatis neceſſitatem. Sed nec ſic omnimodo veritatis delectatio deſerenda eſt, ne ſubtrahatur illa ſuavitas & opprimat iſta neceſſitas.* Atteſtatur Gregorius ſanctus, cujus ſtilum ſequeris, cujus exemplo deliteſcere cupiebas ut pondus ſacerdotii declinares; quod quale ſit in toto libro tuo liquide declaratur. Et tamen portas quod metuebas. Pondus enim tuum ſurſum fertur, non deorſum; non quod te ad ima premat, ſed quod ad aſtra ſuſtollat, dum per Dei gratiam & obedientiae meritum operiſque boni efficientiam

Hilar. lib. 8 de trinitate cap. 1. Vide Notas ad ep. 79. Lupi Ferrar.

Auguſtin. lib. 19. de civit. Dei cap. 19.

Greg. Naz. in apologetico.

tiam

Digitized by Google

tiam ſit ſuave quod per imbecillitatem humanam videbatur habere gravedinem. Dicis enim ea quae conſonant Apoſtolis & evangelicis viris. Pulcher enim pulcra dixiſti, & in his pulcrum te eſſe oſtendiſti. Nolo enim te ſimilare inſecuro pictori pulcra pingenti, quia ſpiritualis doctrina a ſpirituali mente proficiſcitur. Plus pleriſque aeſtimatur homo pictor quàm inanimata pictura. Sed hoc non aſſentationi aut adulationi reputes, ſed veritati: quia nec me oportet mentiri, nec te decet falſo laudari. Ego plane, licet fœdus, & te & omnia tua pulcra conſpexi, & memet in comparationem tui ſatis indecorum vidi. Unde precor ut per gratiam Dei, quae in te exuberat, ut non teſpuas deprecantem, ſed libenter doceas quae me fateor ignorare. Compellimur enim neceſſitate quod doces non fieri. Peritus enim dum non reperitur qui ad officium ſacerdotale veniat, quid faciendum eſt niſi ut imperitus, ſicut ego ſum, ordinetur. Jubes ut non ordinetur imperitus. Sed pertractet prudentia tua ne forte ad peritiam non ſufficiat ſcire Jeſum Chriſtum & hunc crucifixum. Si autem non ſufficit, nemo erit in hoc loco qui peritus eſſe dicatur. Nemo erit utique ſacerdos, ſi niſi peritus eſſe non debet. Bigamis enim aperta fronte reſiſtimus, ne ſacramentum utique corrumpatur. Quid ſi unius uxoris vir ante uxorem mulierem tetigerit? Quid ſi uxorem non habuerit, & tamen ſine mulieris tactu non fuit? Conſolare ergo nos tuo ſtylo, ut non puniamur nec noſtro nec alieno peccato. Valde enim metuimus ne per neceſſitatem ea faciamus quae non debemus. Ecce obediendum eſt præceptis tuis, ut taliter fiat qualiter apoſtolica docet auctoritas; & non reperitur qualis quaeritur. Ceſſabit ergo fides, quae conſtat ex auditu. Ceſſabit baptiſmus, ſi non fuerit qui baptizet. Ceſſabunt illa ſacroſancta myſteria quae per ſacerdotes fiunt & miniſtros. In utroque periculum manet, ſi aut talis ordinetur qui non debet, aut non ſit qui ſacra myſteria celebret vel miniſtret.

Lib. 1. cura paſtor. cap. 1.

Ante paucos annos Leander Epiſcopus Hiſpalenſis remeans de urbe regia vidit nos praeteriens: qui dixit nobis habere ſe homilias à veſtra beatitudine editas de libro ſancti Job. Et quia feſtinans pertranſiit, minime eas petentibus nobis oſtendit. Poſtea vero ſcripſiſti de trina merſione: in qua epiſtola memoratis diſplicuiſſe vobis illud opus, ſed hoc ſalubriori conſilio ſtatuiſſe ut in librorum ductum eas tranſponeres. Habemus ſanè libellos ſex beati Hilarii Epiſcopi Pictavii, quos de Graeco Origenis in Latinum vertit. Sed non omnia ſecundum ordinem libri ſancti Job expoſuit. Et ſatis miror hominem doctiſſimum & ſanctum ut de ſtellis naenias Origenis transferret. Mihi, ſanctiſſime pater, nullo pacto ſuaderi poteſt ut credam aſtra caeli ſpiritus habere rationales, quae neque cum angelis neque cum hominibus facta eſſe ſcriptura ſancta declarat. Dignetur ergo beatitudo veſtra opus ipſum de libro ſancti Job, ſed & alios libros morales quos feciſſe te memoras in hoc libro regularum, exiguitati noſtrae tranſmittere. Tui enim ſumus, tua legere delectamur. Optabile namque eſt & mihi praeclarum, ſicut tuus Gregorius ait, uſque ad ultimam diſcere ſenectutem. Incolumem coronam veſtram ad erudiendam Eccleſiam ſuam ſancta trinitas Deus conſervare dignetur, ſicut optamus, Papa beatiſſime.

Vide Notas ad Capitularia pag. 1111.

Greg. Nazianz. in apolog.

Explicit epiſtola beati Liciniani.

Incipit epiſtola Gregorii Papæ ad Leandrum Epiſcopum directa.

REverendiſſimo & ſanctiſſimo fratri Leandro Epiſcopo Gregorius ſervus ſervorum Dei. Quanto ardore videre te ſitiam, quia valde me diligis, in tui tabulis cordis legis. Sed quia longo terrarum ſpatio disjunctum te videre nequeo, unum quod mihi de te dictavit caritas feci, ut librum regulae paſtoralis, quem in epiſcopatus mei exordio ſcripſi, & libros quos in expoſitionem beati Job jamdudum me feciſſe cognoviſti, ſanctitati tuæ per communem filium Probinum Presbyterum venientem tranſmitterem. Et quidem in eo opere tertiae & quartae partis codices habui quos jam monaſteriis tradidi. Hos itaque ſanctitas tua ſtudioſe percurrat, & peccata mea ſtudioſius defleat, ne mihi culpae gravioris ſit quod quaſi ſcire videor quod agere praetermitto. Deus te incolumem cuſtodiat, reverendiſſime frater.

Lib. 5. epiſt. 49.

Ex appendice Juliani Epiſcopi Toletani ad librum Hildeſonſi de ſcriptoribus eccleſiaſticis.

HIldeſonſus memoria ſui temporis clarus & irriguis eloquentiae fluminibus exornans Eccleſiam, aetatis noſtrae noviſſimus Toletanae ſedis adſcitus in cathedram, Praeſul poſt ſecundum Eugenium in ſacerdotium conſecratur, vir tanta laude digniſſimus quanta & virtutum gratia numeroſus. Fuit denique timoris Dei inſtantiae plenus, praeditus virtutibus, religione comptus, compunctione profuſus, inceſſu gravis, honeſtate laudabilis, patientia ſingularis, ſecreti tacitus, ſapientia ſummus, diſſerendi ingenio clarus, eloquendi facultate praecipuus, linguae flumine copioſus, tantoque eloquentiae cothurno celebris habitus ut diſputationum ejus profuſa oratio dum per recta dirigitur, merito non homo, ſed Deus per hominem affatim eloqui crederetur. Hic igitur ſub rudimentis adhuc infantiae degens, divino tactus ſpiritu, vita delectatus eſt monachorum; contemptiſque parentum rerumque mundanarum affectibus, Agalienſe monaſterium petit, * monachumque ſe in eo multis annis decenter exhibuit. Cœnobium quoque virginum in Abienſi villula conſtruxit ac propriis opibus ditavit. Rector deinde effectus Agalienſis cœnobii, monachorum mores exercuit, rem diſcrevit, vitamque ſervavit. Principali poſt haec violentia Toletum reducitur, atque inibi poſt deceſſoris ſui obitum Pontifex ſubrogatur. Scripſit ſane quamplurimos libros luculentiore ſermone potiſſimos, quos idem in tot partibus cenſuit dividendos, id eſt, librum proſopopœiae imbecillitatis propriae, libellum de virginitate ſanctae Mariae contra tres infideles, opuſculum de proprietate perſonarum patris & filii & ſpiritus ſancti, opuſculum adnotationum actionis diurnae, opuſculum adnotationum in ſacramentis, LIBRUM DE COGNITIONE BAPTISMI UNUM, ET DE PROGRESSIONE SPIRITUALIS DESERTI ALIUM. Quod totum primae partis voluit volumini connectendum. Partis quoque ſecundae liber epiſtolarum eſt; in quo diverſis ſcribens aenigmaticis formulis egit, perſonaſque interdum induxit, in quo etiam a quibuſdam luculentiora ſcriptorum reſponſa promeruit. Partem ſane tertiam Miſſarum eſſe voluit hymnorum, atque ſermonum. Alterius denique partis liber eſt quartus verſibus proſaque concretus, in quo epitaphia & quaedam ſunt epigrammata adnotata. Scripſit autem & alia multa, quamvis variis rerum ac moleſtiarum occupationibus impeditus, aliqua cœpta, aliqua ſemiplena reliquit. Adſcitus autem in pontificatum nono glorioſi Receſuinthi Principis anno novem annis & duobus fere menſibus clarus habitus fuit vitae meritis & retentatione regiminis; expletoque octavo decimo praedicti Principis anno, ſequenti die X. Kal. Februarii domicilio carnis exuitur, atque in Eccleſia beatae Leocadiae tumulatur ad pedes ſui deceſſoris, cum quo creditur aeterno frui receptaculo claritatis.

Ex T. VI. Miſc. Baluz. pag. 6.

* Quaedam editiones addunt ea quæ ſequuntur. At Baronius, qui primus edidit ex codice Vaticano, unus codex regius, duo bibliothecæ Colbertinæ, illa non agnoſcunt. Itaque rejicienda eſſe putavimus extra ſeriem narrationis tamquam ſuppoſititia.

*; cujus fugam rabido furore inſequens pater uno tantum maceriae impeditus eſt obice, quo & furen-

tis

tis eſt deluſa quaeſitio, & fugientis ſalvata devotio. Nempe parentis furor, dum peratus interiora praetenderet, & in anterioribus, quae praeterierat, inquiſivit. Armata deinde manu Agalienſem cellam impetens gladio, dum quaeſitum non invenit, rediens in propria, ut perditum deploravit. Praecognita igitur praefatus abſentia parentali, Agalienſe illico monaſterium adiit, monachumque ſe &c.

Ex Martyrologio Adonis Archiepiſcopi Viennenſis.

X. Kal. Februarii. Natale ſancti Hildefonſi Epiſcopi & confeſſoris fide & doctrina clariſſimi.

SANCTI HILDEFONSI EPISCOPI LIBER ADNOTATIONUM DE COGNITIONE BAPTISMI.

INCIPIUNT CAPITULA.

I. *Exordium orationis.*

II. *Quod inſinuetur novae regenerationis dicere myſterium velle.*

III. *Quod unus ſit Deus trinitas tota.*

IV. *Quod tota trinitas unus Deus omnia fecit.*

V. *Quod homo a Deo bene ſit conditus, a zabulo mole deceptus.*

VI. *Quod pietas conditoris praeceſſerit culpam hominis.*

VII. *Formatio Eccleſiae de latere Chriſti ad ſimilitudinem formationis Evae de latere Adae.*

VIII. *Quod in exordio primorum hominum & incarnatio & mors praefigurata eſt Chriſti.*

IX. *Quod incarnationem Chriſti tota trinitas operata fuerit, ſola tamen perſona filii hanc ſuſcepit.*

X. *Quod ideo data lex eſt ut rediret in cognitionem homini Deus.*

XI. *De temporibus ſub quorum diſtinctione ſaeculum ſtetit.*

XII. *De conatu exſequendorum ordinum.*

XIII. *Quod ipſis exordiis cauſarum inſtauratio humana inchoata cognoſcitur in quibus ejus reſtauratio continetur.*

XIV. *De Johanne & baptiſmo pœnitentiae, cujus ſignum ſunt ſtramenta ciliciorum, per quae ad oleandum parvuli deducuntur.*

XV. *Quod incipiente baptiſmo Chriſti ceſſavit baptiſmus Johannis. Et quomodo Chriſtus baptizat & non baptizat.*

XVI. *Quod ſolus Chriſtus baptizat, qui ſibi ſoli baptizandi retinuit poteſtatem, quamvis ſive bonus ſive malus miniſter baptizet.*

XVII. *Quod doctor ſtudiis orationum munire debet praedicationem verborum, ut quod loquuturus eſt Dei virtute melius quam ejus actione formetur.*

XVIII. *Qualiter aggrediendus eſt qui nolens invitatur ad fidem.*

XIX. *De adapertione januae fidei.*

XX. *Quod hi qui volentes primum ad fidem convertuntur catecumeni id eſt audientes dicuntur.*

XXI. *Quod catecumeni per pœnitentiam ſint ad lavacrum adducendi. Quoque ii quos Johannes baptizavit catecuminorum habuere figuram.*

XXII. *Qui ſunt exorciſtae, a quibus exorcizantur catecumini & energumeni.*

XXIII. *Quid ſit exorciſmus.*

XXIV. *Qualis erit exorciſmus.*

XXV. *Unde habuit exorcizandi virtus initium, vel in quo myſterio divinis verbis hoc Epiſcopus agit.*

XXVI. *Quod exorcizando catecuminos poteſtas diaboli auferatur.*

XXVII. *De exemplo evangelii ſecundum quod catecuminis oleo peruaguntur.*

XXVIII. *Quod ordinante lectio Eſaiae prophetae, Petri quoque Apoſtoli, & Marci Evangeliſtae exorcizationis in conventu Eccleſiae proferantur.*

XXIX. *Quod myſterium ſalutis quod ſemel Chriſto moriente eſt factum cotidie fiat in his qui regenerari noſcuntur.*

XXX. *Quid ſit vel quare ſit competens dictus.*

XXXI. *De tradendo ſymbolo.*

XXXII. *Qua ratione ſymbolum conſtet.*

XXXIII. *De ſymboli nomine, & quid ſymbolum ſit.*

XXXIV. *Quod quinta feria ante Paſcha reddendum eſt ſymbolum.*

XXXV. *Quod catholica fides brevitate ſymboli teneatur.*

XXXVI. *Initium ſymboli, & quid ſit credulitas.*

XXXVII. *Quod in Deo ſolo, non in rebus, ſed de rebus adhibenda ſit fides.*

XXXVIII. *Quod ideo ſit Deus omnipotens quia omnia fecit.*

XXXIX. *Quod filius neque de nihilo neque de aliqua eſt materia factus, ſed tantumdem a patre ineffabiliter genitus.*

XL. *Quod incarnatus filius de ſpiritu ſancto & Maria virgine natus eſt.*

XLI. *Quid filius cum dicatur natus de ſpiritu ſancto non ſit omnino filius ſpiritus ſancti.*

XLII. *Quod non omne quod ex aliqua re naſcitur continuo ejuſdem rei filium nuncupari conceditur.*

XLIII. *Quod utrumque ſexum ſalvaverit Chriſtus vir naſcendo de femina.*

XLIV. *Quod virginis partus nihil injuriae fecerit Chriſti divinitati.*

XLV. *De nomine & adjecto Pontii Pilati.*

XLVI. *Quare mortem crucis Chriſtus elegerit.*

XLVII. *De ſacramento crucis.*

XLVIII. *De ſepultura Chriſti.*

XLIX. *Quod neque deitate, neque carne, ſed in anima Chriſtus deſcenderit in infernum.*

L. *De ſomno mortis & gloria reſurrectionis Chriſti*

LI. *De aſcenſione in caelis corporis Chriſti. Et non quaerendum ubi ſit id ipſum corpus. Quae caelorum latitudo promiſſa eſt fidelibus cunctis.*

LII. *Quid ſit ſeſſio & dextera Dei.*

LIII. *Quid accipiendum eſt in vivis & mortuis quos judicare venturus eſt Chriſtus.*

LIV. *Quod interpoſita diſpenſatio aſſumpti hominis paulo longius reddidit commemorationem ſpiritus ſancti ab ordine trinitatis.*

LV.

LV. *Quod ſpiritus ſanctus Deus eſt ex patre filioque procedens.*

LVI. *Quare dicatur ſpiritus.*

LVII. *Quare dicatur ſpiritus ſanctus.*

LVIII. *Quod ſpiritus ſanctus nec genitus dicitur nec ingenitus, ſed procedens tantum.*

LIX. *Quid intereſt inter naſcentem filium & procedentem ſpiritum ſanctum.*

LX. *Quod ſpiritus ſanctus ex opere angelus dicatur.*

LXI. *Quare ſpiritus ſanctus paraclitus vocetur.*

LXII. *Quare ſpiritus ſanctus ſeptiformis dictus.*

LXIII. *Quod ad trinitatem referatur ſpiritus rectus, ſpiritus ſanctus, & ſpiritus principalis.*

LXIV. *Quare ſpiritus ſanctus donum dicitur.*

LXV. *Quare ſpiritus ſanctus caritas & gratia nuncupetur.*

LXVI. *Quare ſpiritus ſanctus Dei digitus dicatur.*

LXVII. *Quare ſpiritus ſanctus in columbae ſpecie veniſſe teſtatur.*

LXVIII. *Quare ſpiritus ſanctus ignis nomine appelletur.*

LXIX. *Quare ſpiritus ſanctus aquae nomine dicatur.*

LXX. *Quod aliud ſit aqua ſacramenti, aliud aqua ſpiritus ſancti.*

LXXI. *Quare ſpiritus ſanctus unctio dicatur.*

LXXII. *Quod ideo ſancta Eccleſia creditur quia in illa dilectio proximi demonſtratur.*

LXXIII. *De nomine Eccleſiae catholicae.*

LXXIV. *Quare Eccleſiae, cum una ſit, ſeptem ſcribantur.*

LXXV. *Unde inchoavit Eccleſia, vel quare dicatur Sion vel Hieruſalem.*

LXXVI. *Quid diſtet inter Eccleſiam & ſynagogam.*

LXXVII. *Quod in Eccleſiam ſanctam ſpiritus ſanctus novum & vetus teſtamentum pleniſſime inſpiravit.*

LXXVIII. *Quae auctoritas ſcripturarum in Eccleſiis primum ſit ſequenda.*

LXXIX. *Qui libri continentur in canone utriuſque teſtamenti.*

LXXX. *Quod omnes ſanctae auctoritatis libri vel memoria tenendi ſunt vel omnino incogniti non habendi.*

LXXXI. *De remiſſione peccatorum*

LXXXII. *Quod in actione pœnitentiae non conſideranda eſt menſura temporis, ſed doloris, quodque non niſi in Eccleſia poſſunt remitti peccata.*

LXXXIII. *De evidenti carnis reſurrectione.*

LXXXIV. *Quod in reſurrectione nihil pereat de humana carne, ſed quodcunque in quamlibet perditionem diſperſum extiterit vel conſummatum, totum ad illam animam redeat quae hanc cum viveret animavit.*

LXXXV. *Quod omnipotens Deus mirabiliter atque ineffabiliter ex toto quo caro conſtat eam in reſurrectione mirabili celeritate reſtituat. De exemplo quoque ſtatuae ſolubilis metalli, qua quomodo reſurrectio fieri poſſit monſtratur.*

LXXXVI. *De diverſitate ſtatus & macie vel pinguedine corporum humanorum in qua ſancta corpora hoc ſolum quod decebit habebunt.*

LXXXVII. *Quod ſanctorum corpora ſpiritalia reſurgent, non tamen ſpiritus erunt.*

LXXXVIII. *Quod reproborum corpora reſurgent quidem, ſed cum vitiis & deformitatibus ſuis perenniter punienda.*

LXXXIX. *Quod mitior pœna erit ſoli originali peccato & minimo actuali.*

XC. *Quod a morte uſque ad reſurrectionem animae in abditis receptaculis teneantur vel requie vel aerumna.*

XCI. *Quomodo defunctorum animabus viventium oblationes & eleemoſynae vel proſint vel minime proſperentur.*

XCII. *Quod vita aeterna ſit gratia Dei, ſtipendium vero mortis peccatum.*

XCIII. *Quod in hac vita comparetur quo poſſit poſt hanc vitam quiſque vel relevari vel aggravari.*

XCIV. *Quid agant ſacrificia & eleemoſynae pro baptizatis defunctis oblata.*

XCV. *Quod poſt reſurrectionem impleto judicio permanebunt ſingulae civitates in angelis & hominibus Chriſti in gloriam aeternam, zabuli in damnationem perpetuam.*

XCVI. *De reliquis cauſis ad regulam verae fidei pertinentibus.*

XCVII. *Quod poſt ſymbolum veniatur ad fontem.*

XCVIII. *Quod homo in mundo ita ſervit principi mundi ſicut Iſrael ſervivit in Ægypto Pharaoni.*

XCIX. *Quid ſignificent nubes & columna quae praeceſſerunt populum ſalvandum.*

C. *Quomodo per columnam ſubſequentem & praecedentem liberum arbitrium oſtenditur regi per gratiam praevenientem & ſubſequentem miſericordiam Dei.*

CI. *De congreſſione itineris & ingreſſu rubri maris, quorum ſignificantia tenetur in aquis fontis.*

CII. *De figura & typo baptiſmi in nube & mari a Paulo Apoſtolo commendatis.*

CIII. *Quod tranſitus maris perveniendi ad manna ſignificet poſt baptiſmum venire ad Chriſti corporis ſumtum.*

CIV. *Quod uno tempore ſit & generatio rerum & regeneratio hominum.*

CV. *Quod ſuſtinere dicitur myſteriorum ſacramentum donec in ſuperficie miraculum oſtendatur aquarum.*

CVI. *De deſcriptione efficientiarum aquae fontis. De patentis admiratione miraculi.*

CVII. *Quare & unde ſant in quadrageſima clauditur & in Paſcha referatur.*

CVIII. *De tempore & loco baptizandi.*

CIX. *De expoſitione myſteriorum fontis.*

CX. *De gradibus fontis.*

CXI. *De duabus pactionibus abrenuntiationis & credulitatis.*

CXII. *Quod in nomine trinitatis detur baptiſmum, & quod in baptiſmo quaecunque perſona trinitatis omiſſa ſit, nihil baptiſmi celebritas agat, quodque Chriſti baptiſmum in trinitate extiterit actum.*

CXIII. *Quod baptiſmum & originale & actuale peccatum tollat, & quod non niſi renatus habeat vitam aeternam, & quare vel abrenuntiationem vel confeſſionem alii propter alios profitentur.*

CXIV. *De his qui de fonte baptizatos excipiunt, & quid cum eis agere debeant.*

CXV. *Quod pro ſpe futurae beatitudinis regene-*

Digitized by Google

generatio detur, non ut temporalis mortis poena tollatur.
CXVI. *Quod ſolis ſacerdotibus liceat dare baptiſmum, excepta neceſſitate periculi.*
CXVII. *Quid ſignificat quod infans aquis immergitur ad ſimilitudinem mortis Chriſti. De ſimpla quoque & trina baptiſmatis merſione.*
CXVIII. *De non iterando baptiſmo.*
CXIX. *Quod primum baptiſmum aquae ſit, ſecundum ſanguinis.*
CXX. *Quod tertium baptiſmum poenitentiae ſit in alluvio lacrymarum.*
CXXI. *Quod nec in haereticos liceat iterare baptiſmum.*
CXXII. *Quod poſt baptiſmum gloriae cantico decantato ad unctionem provehendus eſt homo.*
CXXIII. *De unguento chriſmatis & inſtitutione ejus.*
CXXIV. *Quod per viſibilem unctionem corporis inviſibiliter ſpiritus ſanctus operetur animae unctionem.*
CXXV. *Quod non Chriſto, ſed hominibus, datur ſpiritus ad menſuram.*
CXXVI. *De diſcretione qua ſanctus ſpiritus ad menſuram datur hominibus.*
CXXVII. *De ſpiritu ſeptiformi interpretatio ſancti Gregorii Papae.*
CXXVIII. *De impoſitione manus.*
CXXIX. *Rurſum de impoſitione manus, & de ſpiritu ſancto.*
CXXX. *Spiritus ſanctus datur a Deo.*
CXXXI. *De chriſmate.*
CXXXII. *Quomodo docendus eſt baptizatus ut diſcat orare.*
CXXXIII. *De oratione dominica.*
CXXXIV. *De oratione non longa.*
CXXXV. *De omni petitione quod petit orationem dominicam orat.*
CXXXVI. *De veritate corporis Chriſti in euchariſtia.*
CXXXVII. *Quod eſt corpus Chriſti intelligere vel ſanguis.*
CXXXVIII. *Sicut de pane, ſic & de vino.*
CXXXIX. *De aedificatione hominis per poenitentiam & lacrymas.*
CXL. *Oratio propter albas tollendas.*
CXLI. *Item benedictio.*
CXLII. *Sermo dicendus ad infantes die tertia poſt Paſcha propter albas tollendas.*

Expliciunt Capitula.

PRÆFATIO.

Divinae inſtitutionis auctoritas & ſacrae paternitatis antiquitas per ſcripturam, quae, dicente Apoſtolo, divinitus inſpirata utilis eſt, Eccleſiam catholicam naſci per fidem, creſcere per inſtitutionem, atque in aeternitatem per remunerationis gloriam permanere & per redemptionis munus obtinuit & per adoptionis ſpiritum adfirmavit, quoniam hanc eandem ſcripturam ipſe ſpiritus ad ſalutem hominum inſpiravit, qui ad beatitudinis praemia homines proveait. Hujus ſanctae Eccleſiae origo in hominibus figuraliter inchoavit ea tempore. Perficietur autem ea muneris aeternitate. In ſanctis vero angelis in veritatis ſpecie temporaliter coepit, in veritatis ſpecie perenniter manet. Ita namque ſpiritaliter condita eſt ut poſt ruinam praevaricationis in conditoris amorem ſui ſoliditate percepta, non ſuae naturae augmento concreſceret, ſed humanae ſalvationis inlatione reparata conſtaret. In angelica vero conditione, quia ex parte aliquod ruit, reliquum gloriae in perennitate permanſit. In humana vero conditione, quia tota per deceptionem hoſtis natura interit hominis, ex nulla parte reparari poterat, niſi eam ad reparationem ſui ex toto redemptoris veritas ſuſcepiſſet. Hinc adſuit ut inde potens conditor ruinam repararet angelicam unde pius redemptor in ſe ſuſcipiens reparandam illic naturam induit humanam. Regnante igitur Deo in caelo & in terra, cujus regnum eſt totus mundus, qui ex caelo conſtat & terra, cui ſervit caeleſtium, terreſtrium, & infernorum omnis rei univerſa ſubſtantia, per quem conſiſtit jam illa ſine defectu caeleſtis patriae pars beata, ad cujus profectum in electis cotidie natura conſcendit humana. Quia enim Dei patris verbum, & hoc ipſum Deus, per quod angeli & omnia facta ſunt, caro factum eſt in hominibus caput Eccleſiae, qui erat initium angelicae creaturae, ac proinde ſicut Deus & homo in unitate perſonae caput eſt unus Chriſtus, ita illi eſſet ex angelis & hominibus Eccleſiae unum corpus. Unde hujus Eccleſiae glorioſa pietas & gloriatio pia gaudet in conſiſtentibus angelis, anhelat in hominibus provehendis. In illis laudem celebrat conditoris, in iſtis adſumit gloriam redemptoris. In illis habet gaudium ſine fine, in iſtis appetit ſine fine gaudere. In illis ſtatione, in iſtis adquiſitione lactatur. Illic in civibus ſolida, hic in advenis laeta. Illic de ſecuritate quieſcit, hic de ſollicitudine proſpectatur. Salus illis & aeternitas iſtis reparatio eſt. Et ſicut iſti nec volent unquam peccare nec poterunt, ita iſti a velle ut poſſe peccandi ſalvati adſciſcuntur per effectum redemptionis in eorum plenitudinem claritatis. Jam per ſancti ſpiritus pignus pia futurae unitatis admixtione concreta, quando ea quae in hominibus ex adverſitate tolerat, angelicae conſolationis ſuffragatione firma ſuſtentat, ut in peregrinatione hujus vitae opitulatio angelica foveat quos glorioſae ſocietatis ſuae unitas expectat. Hujus Eccleſiae pars quae in hoc tempore advocatur ut fiat quod dicitur, Congrega nos ex gentibus ut confiteamur nomini ſancto tuo & gloriemur in laude tua, quo ordine ſecundum apoſtolicam ſanctorumque patrum traditionem antiquam, inſtitutionem quoque divina auctoritate prolatam, invitetur ut veniat, veniens ordinabiliter ſuſcipiatur, ſuſcepta ſacris ordinibus provehatur, proveeta ſanctificationis gratia impleatur, praeſentis libelli ſerie manet congeſtum, diſpoſitum pariter & concretum, non noſtris novitatibus incognita proponentes, ſed antiquorum monita vel intelligentiae referantes vel memoriae adnotantes. Ob quam rem titulum operis hujus adnotationum de cognitione baptiſmi decrevimus inſcribendum.

Caput Primum. *Exordium orationis.*

Jeſu fili David, miſerere mei, inluminans oculos meos ut videam, quod ad te perveniam, firmans in te greſſus meos, ne tranſgrediar viam, aperiens os meum, ut poſſit de te loqui. Qui dediſti mihi velle, tua utcunque poterim loqui. Et quia dilectio proximi inhaeret dilectioni tuae, da mihi exercere utilitatem ejus quae formet ſalutem illi & perveniat in laudem & gloriam nominis tui.

Cap. II. *Quod inſinuetur novae regenerationis dicere myſterium velle.*

Generationem illam quae fit proventurae generationis divinae, ut nati homines in iram renaſcantur ad gratiam, per quam filii irae tranſeunt in adoptionem filiorum Dei, qua liberati a regno peccati transferuntur in regnum gloriae Dei, ſuis ordinibus perſequi & explicare contendam, ut omnis ſancto lavacro baptizandus videat per quae myſteriorum ſigna vocatur, omnis jam baptizatus meminerit quae ſacramentorum praemia & ſervet & veneretur; quatenus dum figurae tanti myſterii antea ſignatae eſſe noſcun-

noſcuntur, poſtea ipſarum figurarum ſacramenta in aeternam gratiam ſciantur eſſe completa.

CAP. III. *Quod unus ſit Deus trinitas tota.*

Deus unus eſt, inviſibilis, incomprehenſibilis, inaeſtimabilis, immortalis, omnipotens, perfectus, & ſempiternus. In hac re nihil adventitium, nihil poſtremum, nihil recedens. Hic eſt ante omnia, ſuper omnia, intra omnia, extra omnia. Hic Deus eſt pater & filius & ſpiritus ſanctus. Sed pater à nullo ſed ex ſe eſt, & eſt tantum pater. Filius ex patre eſt natus, ex eo coaeternus patri, & eſt tantum filius. Spiritus ſanctus ex patre & filio inſeparabiliter procedit, & eſt tantum ſpiritus ſanctus. Haec tota trinitas unus eſt Deus, non aliud habens, & aliud ſubſiſtens. Sed ideo ſimplex eſt, quia quod in ſe habet hoc eſt. Non enim in illo accidit quodcunque bonum cujus ſit participatione compoſitus; ſed quia ex illo eſt omne bonum, ideo quod in ſe eſt, hoc vere omnimodo eſt.

CAP. IV. *Quod tota trinitas unus Deus omnia fecit.*

Haec tota trinitas unus Deus fecit omnia viſibilia & inviſibilia, ſive caelum & caeleſtem angelicam creaturam cum omnibus quae continentur in cælo, ſive terram & mare cum omnibus quæ continentur in eis. Hic Deus omnia creavit, omnia continet, omnia gubernat, omnia providentiae ſuae adminiſtratione diſponit, omnia regit. Omnia ipſi ſerviunt. Omnia ipſe judicat. Abſque illo nihil bonum. Ex illo nihil malum. Ipſe potens & de malo facere bonum. Ipſe diſperdens omne malum. Ipſe donator omnis boni. Ipſe conſervans perenniter omne bonum.

CAP. V. *Quod homo a Deo bene ſit conditus, à zabulo malè deceptus.*

Poſt conditionem caeterarum rerum beata conditione beatus eſt à Deo conditus homo, & certè ita beatus ut ad imaginem & ſimilitudinem Dei factus, cunctis terrenis rebus exiſteret beatitudinis auctoritate praelatus. Cui invidens ſuper iis angelus ob ſuperbiam de caeleſtis gloriae claritate dejectus, dum conditori Domino ſuperbivit, hunc conditum hominem perſuaſionis fraude decepit. Qui deceptus homo & propter tranſgreſſionis admiſſum beatitudinis loco exul eſt factus & cum omni poſteritate generis ſui mortis eſt ſententia condemnatus.

CAP. VI. *Quod pietas conditoris praeceſſerit culpam hominis.*

Hunc pietas conditoris aeterna ſtatuens miſeratione ſalvandum in ipſis primordiis conditionis ejus, velut pietatis fundamenta componens, ſalutis myſteria fixit, per quorum myſteriorum ſacramenta quandoque ſalvandus invenire ſignatae ſalutis remedium poſſet, ſicque praeiret pietas factoris culpam hominis, ut cum plenitudo veniſſet temporis, antiquitas pietatis repararet lapſum humanae conditionis, & ex hoc ſubveniret illam gloriae futurae aeternitatem, ex quo in conditionis primordiis ſignaverat ſacramenta ſuae redemptionis.

CAP. VII. *Formatio Eccleſiae de latere Chriſti ad ſimilitudinem formationis Evae de latere Adae.*

Adam ergo Chriſti, Eva Eccleſiae figura fuere. Aſſumptus eſt limus, & factus eſt primus homo Adam in animam viventem. Incarnatus eſt Chriſtus, & factus eſt ſecundus homo Adam in ſpiritu vivificante. Somno Adam obdormivit. Chriſtus morte quievit. Adae coſta ſubtrahitur, & mulier fingitur. De Chriſti latere ſanguis & aqua producitur, & his ſacramentis Eccleſia ſancta formatur. Non tollitur caro de carne viri, cùm permanente virtute oſſuum viri deberet mollior mulier carnis mollitie potius fingi; ſed quòd de viro oſſis fortitudo ſubtrahitur infirmitas eſt divinitatis, de qua dicitur, *Verbum caro factum eſt*: quòd de fortitudine oſſis viri mulier fingitur, hoc eſt quod ſequitur, *& habitavit in nobis*. Nam de viro aliquid virtutis auferre hoc eſt, *Semetipſum exinanivit formam ſervi accipiens*. Mulierem de fortitudine viri compingi, hoc eſt, *Cùm eſſet dives, propter nos pauper factus eſt ut nos ejus inopia ditaremur*. Quod ergo ille infirmatus in humilitate deitatis ſuae, hoc Eccleſia roborata eſt per adſumptionem humanitatis in illo. Bene ergo infirma mulier de virtute viri formatur, quia poſt lapſum culpae deformis humana conditio factoris ſui imaginem non reciperet, niſi hanc redemptor pius moriens innovaſſet; nec debilis & abjecta ad virtutem ſpiritus conſurgeret, niſi eam infirmata divinitas humilis erexiſſet.

CAP. VIII. *Quod in exordio primorum hominum & incarnatio & mors praefigurata eſt Chriſti.*

Hanc figurae ſalvationis ſummam per gloriam virginis ſignavit ſpecies mulieris, quando dictum eſt ad ſerpentem, *Inimicitias ponam inter te & inter ſemen ejus*, ſignificans malitiam diabolicae partis non poſſe inhærere ſacramento redemptionis, quod factum eſt per adſumptum hominem ex utero virginis. Unde adhuc ſubditur: *Ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo ejus*. Hoc de Chriſto, qui eſt fructus virginalis ventris Mariae, intelligitur. Id eſt. Tu per malitiam perſequentium, qui ſunt ſemen tuum, quorum corda inhabitas, eum ſupplantabis ut moriatur; & ille reſurgens conteret caput tuum, quod eſt mors, & te ipſum, qui habes mortis imperium. Hanc humilitatem redemptoris uſque ad ſuſceptionem mortis mox ſubſequens fratricidium figuravit, quando Cain frater major terrenis operibus incubans adſurgens innocentem ſocium propter ſimplicem hoſtiam extra domum rudi crudelitate homicida novus occidit, ſignificans Judæorum populum primum in lege natum Chriſtum agnum Dei & tollentem peccata mundi extra Hieruſalem crucis patibulo occiſurum.

CAP. IX. *Quod incarnationem Chriſti tota trinitas operata fuerit, ſola tamen perſona filii hanc ſuſcepit.*

Hujus ſanctae redemptionis opulentum miſeratione copioſa myſterium praeſignatum in conditione primorum hominum implevit filius Dei veniens in plenitudine temporum, cujus adventus operatio incarnationis ejus veritas fuit. Quam incarnationis veritatem tota trinitas operata eſt, quia inſeparabilia ſunt opera trinitatis, ſola tamen perſona filii hanc ſuſcepit; quoniam quæcunque per hanc diſpenſationem pertinent ad perſonam Chriſti neque ad patris neque ad ſpiritus ſancti perſonas poterunt ullatenus pertinere. Non enim fas eſt dicere patrem & ſpiritum de virgine genitos vel cruci ſuſpenſos vel ſepultura concluſos, quæ in ſola perſona Chriſti omnia congruenti & evidenti ſunt diſpenſatione completa. Hoc myſterium redemptionis humanæ diſpoſitum æternitate deitatis ſuae completurum praeſentia humanitatis adſumptae Chriſtus, ſicut ante ſæcula ordinavit, ita in ſæculorum fine perfecit. Nihil novitate conſilii inventum, nihil acceſſu novæ cogitationis adſumptum, ſed æterna diſpoſitione præfixum, temporali diſpenſatione perfectum.

CAP. X. *Quod ideo data lex eſt ut rediret in cognitionem homini Deus.*

Humano itaque generi, quia oblivioni dederat creatorem

Digitized by Google

torem, data eſt lex, per quam creaturæ amittenti Deum reduceretur in cogitationem creator omnium rerum; dictumque eſt per eandem legem: *Audi Iſraël. Dominus Deus tuus Deus unus &c.* Quo dicto & ſuperſtitiones, quibus pro creatore creatura colebatur, amotæ ſunt, & unus qui verè coleretur Deus patenter eſt demonſtratus.

CAP. XI. *De temporibus ſub quorum diſtinctione ſæculum ſtetit.*

Stetit ergo ſaeculum in hominibus ſub trimoda diſtinctione temporum. Stabit homo ordine quarto in beatitudine ſaeculorum. Primo ſumme infeliciter, ſecundo non plene ſeliciter, tertio abunde feliciter, quarto ſumma aeternaque ſelicitate ſeliciter. Primo ſumme infeliciter, quia homo conditus ad imaginem & ſimilitudinem Dei, ſuo deceptore zabulo ſibimet principante, ſerviens regno peccati, idolorum cultor, ſoli creatori pie debitum impie creaturis impendit honorem. Secundo non plene ſeliciter, quia data quidem lex eſt ad cognitionem Dei, ſed perducere non potuit ad juſtitiam Dei. Nam ſi ex lege juſtiria, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt. Data eſt ad intelligentiam, non ad veniam peccati. Per illam enim agnitum peccatum punitum eſt, non ſanatum. Data quidem eſt in ſanctione hoſtiarum & ceremoniarum, ut offerrentur Deo ſicut Deus ſanxerat, & non ſicut gentiles ſacrificantes daemoniis immolabant. Quae tamen obſervantia legis propter cognitionem Dei multum profuit hominibus in tempore ſuo. Sed ideo plenam felicitatem non intulit, quia ad perfectum nihil adduxit. Sequens ergo erat tempus in quo felicitas per litteram coepta poſſet per intelligentiam ſpiritus eſſe perfecta. In hoc tempore gratiae, quod tertium eſt, fuit abunde feliciter, quando cunctis illis ſacris hoſtiis figuratus Chriſtus eſt incunctanter oſtenſus, quando umbrae ſucceſſit lux, incertis veritas, figuris oſtenſio, occultis revelatio, legi evangelium, timori ſervorum gratia filiorum, & cunctis quae adumbraverat littera manifeſtario ſpiritalis gratiſſima & aperta. Quartum eſt illud beatae aeternitatis inſigne, in quo, devictis cunctis adverſantibus, laudabit homo Deum in incorruptionis tranquillitate ſecurus. Ergo in ſtatu mundi *** adductum eſt. Non plene ſeliciter fuit tertium ſub gratia, in quo nos Chriſtus a delictis noſtris in ſuo ſanguine lavit; & abunde ſeliciter manet extremum illud, quod & æternum, in quo laudabimus Deum in ſæcula ſæculorum.

Deſunt hic duæ lineæ in vet. codice.

CAP. XII. *De conatu exſequendorum ordinum.*

Jam nunc favente Deo, cujus miſericordiæ opus in humana ſalvatione noſſe deſideramus ipſius effectum ſalvationis, quæ per regenerationem gratiæ cum ſacramento redemptionis efficitur, ſicut & divina auctoritas & paterna ſanxit antiquitas, opportune ſuis ordinibus exſequamur.

CAP. XIII. *Quod ipſis exordiis cauſarum inſtauratio humana inchoata cognoſcitur in quibus ejus reſtauratio continetur.*

Exordium regenerationis, cujus ſpecies peracta eſt in plenitudine temporis, ab initio temporum cœpit. Etenim æterna ſapientia ita in exordiis rerum figuram ſtatuit ſacramentorum ut ex antiquitate ordinata ſignificatio perveniret ad finem temporum in efficientiis actionum. Unde quia regenerationis hujus ſacramentum in aqua & ſpiritu conſiſtebat, cauſarum inſtitutio perfecit illius operationis ſpecies æmulabatur cum dicitur, *& ſpiritus Dei ferebatur ſuper aquas*, ut in in earundem cauſarum exordiis inſtauratio his rebus figurata eſſe monſtratur.

CAP. XIV. *De Johanne & baptiſmo pœnitentiæ, cujus ſignum ſunt ſtramenta ciliciorum, per quæ ad oleandum parvuli deducuntur.*

Veniens itaque Dominus impleturus ſummam noſtræ ſalutis non ſibi ſed nobis profuturam, in ſe ſuſcepit & a ſe ſanctificavit baptiſmatis ſacramentum, præmittens Johannem, cujus baptiſmus veritatis figura, non veritas, eſſet, qui peccatores ad pœnitentiam commoneret, non qui remiſſionem peccatis inferret, ipſo Johanne dicente: *Ego baptizo in aqua in pœnitentia.* Hinc itaque eſt quod per ſtramenta ciliciorum ad oleandum ſacerdotibus parvuli deducuntur, ut pœnitentiæ ſignum habeant propter opus qui pœnitentiæ opera demonſtrare non poſſunt propter ætatis tempus. Majores autem ætate cum advocari ad fidem cœperint, per ſe pœnitentiam exhibent de erroribus priſtinis in quibus aut generaliter vixerunt aut idolis ſervierunt. Hanc efficaciam pœnitentiæ commendabat Johannes cum de eo dicitur: *Venit in omnem regionem Jordanis prædicans baptiſmum pœnitentiae in remiſſione peccatorum.* Unde aperte patet quia Johannes baptiſmum pœnitentiæ non ſolum prædicavit, verum etiam dedit, ſed in remiſſione peccatorum dare non potuit. Ac proinde quoniam baptiſmum qui peccata ſolveret dare non poterat, prædicabat; ut ſicut incarnatum verbum patris præcurrebat prædicationis verbo, ita baptiſmum pœnitentiæ, quo peccata ſolvuntur, præcurreret ſuo baptiſmo, quo peccata ſolvi non poſſunt.

CAP. XV. *Quod incipiente baptiſmo Chriſti ceſſavit baptiſmus Johannis. Et quomodo Chriſtus baptizat & non baptizat.*

Venit Dominus ut baptizaretur a ſervo. Propter humilitatem prohibet ſervus dicens: *Ego à te debeo baptizari; & tu venis ad me.* Propter juſtitiam imperavit Dominus dicens: *Sine modo. Sic enim oportet nos implere omnem juſtitiam.* Deinde quieſcit baptiſmus Johannis, qui erat in pœnitentia & in veritatis umbra, & inchoavit baptiſmus Chriſti, qui eſt veritas, in quo fit remiſſio peccatorum. Quamquam non baptizaret Chriſtus, ſed diſcipuli ejus. Baptizat autem Chriſtus & non baptizat. Sed utrumque verum eſt. Baptizat, quia mundat. Non baptizat, quia non ipſe tinguit. Praebebant tunc diſcipuli ſicut nunc miniſtri praebent miniſterium corporis. Praebebat ille adjutorium majeſtatis.

CAP. XVI. *Quod ſolus Chriſtus baptizat, qui ſoli ſibi baptizandi retinuit poteſtatem, quamvis ſive bonus ſive malus miniſter baptizet.*

Nunquam ergo ceſſat baptizare qui nunquam ceſſat mundare. Uſque in finem ſaeculi Jeſus baptizat, quia ipſe mundat. Securus proinde accedat homo ad inferiorem miniſtrum. Habet enim ſuperiorem magiſtrum. Ipſe magiſter Chriſtus & extrinſecus baptizat, dicente Paulo, *Sicut Chriſtus dilexit Eccleſiam & ſe ipſum tradidit pro ea mundans eam lavacro aquae*, & intrinſecus baptizat per infuſionem ſpiritus, quo docetur interior homo & habere fidem & ſervare operis dignitatem. Ad hæc certe pertinet quod dicitur, *& teſtimonium perhibuit Johannes dicens quia vidi ſpiritum deſcendentem ſicut columbam, & manſit ſuper eum, & ego neſciebam eum.* Ex multis cognitionibus Chriſtum ſciebat Johannes. Nam eum vidiſſet Maria mater Chriſti Eliſabeth, exultavit infans ille Johannes in utero ejus. Hic erat vox clamantis, *Parate viam Domini.* Hic eum qui ad ſe baptizari venerat prohibet cum dicit: *Ego a te debeo baptizari, & tu venis ad me.* Hic eum agnum Dei & tollentem mundi peccata oſtendit. Sed hoc ſolum in eo neſcivit quia ſibi retenturus erat baptiſmi poteſtatem & non eam tranſlaturus vel tranſmiſ-

ſurus in aliquem ſervum, ſed ſive baptizaret in miniſterio ſervus bonus, ſive baptizaret in miniſterio ſervus malus, non ſciret ſe ille qui baptizaretur baptizari niſi ab illo qui baptizandi tenuit poteſtatem, & eſſet hujus ſacramenti virtus, non in officio miniſtrantis, ſed in poteſtate magiſtri.

Cap. XVII. *Quod doctor ſtudiis orationum munire debet praedicationem verborum, ut quod loquuturus eſt Dei virtute melius quam ejus actione formetur.*

Cum ex converſatione gentili quiſque nolens ad cognitionem & fidem Dei hortatur ut veniat, primum doctor adtendat multam bonitatem miſerantis Dei, de quo dicitur, *Qui vult omnes homines ſalvos fieri & ad agnitionem veritatis venire*, ac deinceps agat quantum poteſt ut intelligentes ut libenter & obedienter audiant. Et haec ſe poſſe ſi potuerit & in quantum potuerit pietate magis orationum quam oratorum facultate non dubitet, ut orando pro ſe ac pro illis quos eſt adlocuturus ſit orator ante quam doctor, atque ſive in peculiare colloquio, ſive in Eccleſiae conventu, ipſa hora jam ut dicat accedens, prius quam exerat proferentem linguam, ad Dominum levet animam ſitientem, ut ructet quod biberit, vel quod impleverit fundat, atque ad horam ipſius dictionis illud potius bonae menti cogitet convenire quod Dominus ait: *Quum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis.* Si ergo loquitur in eis ſpiritus ſanctus, qui perſequentibus traduntur pro Chriſto, quas non & in eis qui tradunt diſcentibus Chriſtum. Hoc ſane ſtudium docendi & in ſuadenda fide ethnicis & in ſuadendis operibus bonis fidelibus cunctis doctorem convenit exercere.

Cap. XVIII. *Qualiter aggrediendus eſt qui nolens invitatur ad fidem.*

Cum itaque credere nolentibus unius Dei cognitio & fides offertur, proponendum eſt ut per intelligentiam pergant videre quod Deus eſt, omnibuſque eum naturis viſibilibus & corporalibus, intelligibilibus vero & ſpiritalibus omnibuſque mutabilibus praeferant. Omnes enim certatim pro excellentia Dei dimicant, nec quiſquam inveniri poteſt qui hoc Deum credat eſſe quo eſt aliquid melius. Itaque omnes hoc Deum eſſe conſentiunt quod caeteris rebus omnibus anteponunt. Et quoniam omnes qui de Deo aliquid cogitant vivum aliquid cogitant, illi ſoli poſſunt non abſurda & indigna exiſtimare de Deo qui vitam ipſam cogitant. Deinde ipſam vitam pergunt inſpicere. Et ſi eam ſine ſenſu vegetanti invenerint, qualis eſt arborum, praeponunt ei ſentientem, qualis eſt pecorum, & ubi rurſus intelligentem, qualis eſt hominum: quam quum adhuc mutabilem viderint, etiam huic aliquam incommutabilem coguntur praeponere, illam ſcilicet vitam quae non aliquando deſipit, aliquando ſapit, ſed eſt potius ipſa ſapientia. Sapiens enim mens adepta ſapientia, antequam adipiſceretur non erat ſapiens. At vero ipſa ſapientia nec fuit unquam inſipiens nec eſſe unquam poteſt: quam ſi non viderent, nullo modo plena fiducia vitam incommutabiliter ſapientem commutabili vitae anteponerent. Ipſam quoque regulam veritatis, quia illum clamant eſſe meliorem, incommutabilem vident, nec uſpiam niſi ſupra ſuam naturam vident, quandoquidem ſe mutabiles vident. At quum veraciter ſuadente doctore ſecluſa fuerit omnis mutabilis res a deitatis honore, accipiendum eſt ne ſit ſumme Deus quod paſſioni id eſt mutabilitati poterit ſubjacere. Quamque fuerit tentum id quod commutabile eſt eſſe non poſſe Deum, reſtat ut perveniatur ad rem illam quae cunctis rebus praeeminet & incommutabilis eſt. Conjecto illo quod res illa quae unus eſt Deus cunctis praeeminens & incommutabilis manens omnia fecit, omnia diſponit, omnia judicat, curam de omnibus habet, nihilque eſt ex omnibus viſibilibus & inviſibilibus quod non ex illo initium habeat, non in ſervitute ejus dominationi ſubjaceat. Qui ſubjectarum rerum famulatus ſub nulla ulla mutabili creatura poteſt ullatenus inveniri niſi tantum ſub iſto uno dominante Deo, cujus aeterna ſubſtantia eſt, cujus incommutabilis veritas, cujus omnipotens permanet poteſtas.

Cap. XIX. *De adapertione januae fidei.*

Jam cum reſeraverit ille januam fidei de quo dicitur: *Qui habet clavem David, qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit*, id eſt, ex ſemine David adſumptus homo per poteſtatem unitae divinitatis, aperit cordibus credentium myſteria ſuae incarnationis, quae in praedeſtinatis claudere non poterit auſteritas infidelitatis, & claudit vaſa irae praeſpicientia judicii, ne reprobi veniant, ad quam ſibi merito clauſerunt remunerationem beatitudinis. Tunc fit quod ſcriptum eſt: *Ego ſum oſtium. Si quis per me introierit, ſalvabitur.* Incipiunt enim aperiri initia fidei ei cui per lavacrum regenerato poſt acceptionem ſpiritus ſancti in participio corporis Chriſti ſe crediderit Chriſtus. Et videbit librum illum ſanctae auctoritatis apertum, quem clauſum in myſterio ſigillis ſeptem aperuit idem victor leo de tribu Juda. Qui liber totius ſanctae ſcripturae apertus eſt, quia intelligentia ejus hominibus revelatur a Chriſto, qui ſolus in ſe ſuſcepit, atque compleri voluit quae ad ſalutem humani generis complenda ordinavit atque praeſcivit. Signa autem ejus ſeptem haec ſunt, primum incorporatio, ſecundum nativitas, tertium paſſio, quartum mors, quintum reſurrectio, ſextum gloria, ſeptimum regnum. Quae ſignorum adapertio haec eſt generis humani plena redemptio; ad quam qui venit, hoc ordine venit.

Cap. XX. *De his qui volentes primum ad fidem convertuntur catecumini id eſt audientes dicantur.*

Quicunque de gentili converſatione & de ſuperſtitionibus quibus impie pro creatore colitur creatura majuſcula aetate venientes volunt credere in Deum, vel ſive recens nati, ſive parvuli ſint, catecumini id eſt audientes dicuntur pro eo quod primum praeceptum exhortationis in lege ſibi audiunt dictum: *Audi Iſraël Dominus Deus tuus Deus unus eſt*, & illud, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Audiunt ergo verbum vitae, per quod perveniant ad munus gratiae qui erant filii irae. Nam quia omnis qui vere agnoſcit veraciter dicit: *In iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis peperit me mater mea*, in eo quod originaliter tenetur ad noxam mortis donec per redemptionem efficiatur filius Dei, erit filius illius antiquae irae quam meruit primus homo in praecepti tranſgreſſione, dicente Domino: *Qui credit in filium habet vitam aeternam. Qui autem incredulus eſt filio non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.* Quam iram non venire ſed manere dixit, quia non ex novitate infidelitatis venit, ſed ex antiquitate praevaricationis manet. De qua ira nemo ſalvari poteſt niſi per miſericordiam ſalvatoris, dicente eodem Domino: *Si vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis.* Qui catecumini propter cognitionem Dei quam illis per ſacerdotem quaſi per Moyſem loquitur Deus audientes dicuntur, ut relicta vetuſtate vitae carnalis veniant ad vitae novitatem per unius Dei cognitionem.

Cap.

Digitized by Google

CAP. XXI. *Quod catecumini per poenitentiam ſint ad lavacrum adducendi. Quadque ii quos Johannes baptizavit catecuminorum habuere figuram.*

Hi, ſi majores aetate ſunt, cum actione pœnitendi veniunt. Si minores ſunt, in ſigno pœnitentiae per ſtramenta ciliciorum a miniſtris deducuntur ad ſacerdotem; ut qui per ſe non poſſunt agere pœnitentiae opus, in ſe habeant pœnitentiae ſignum propter aetatis minimae tempus, & hoc teneatur in pœnitendi effectu quod notatur in pœnitentiae ſigno, qui poſt exorciſmorum increpationem opportune veniunt ad olei unctionem. Hic omnibus a Johanne in pœnitentia baptizatis catecuminorum figura extitit, ut quod illis baptiſmus in pœnitentia fuit, hoc illis per pœnitentiam ad Deum converſio ſit.

CAP. XXII. *Qui ſunt exorciſtae, a quibus exorcizantur catecumini & inergumini.*

Exorcidiantur ii exorciſmis ab his qui ex eo nomine exorciſtae dicuntur. Qui tali officio deputati, quum ordinantur, ſicut canones jubent, accipiunt de manu Epiſcopi libellum in quo ſcripti ſunt exorciſmi, data ſibi poteſtate imponendi manus ſuper inergumінos, ſive baptizatum, ſive catecuminum.

CAP. XXIII. *Quid ſit exorciſmus.*

Exorciſmus eſt ſermo increpationis qui fit contra immundum ſpiritum inergumenis ſive catecuminis, ut per eum diaboli nequiſſima virtus & inveterata malitia, atque incurſio violenta fugetur expulſa.

CAP. XXIV. *Qualis erit exorciſmus.*

Erit exorciſmi ſermo nocturno verborum, non difficultate intelligentiæ, non inuſitato contextus eloquio, ſed ſimplex compoſitus ardens, ita virtutis intentione coruſcans ut vere principem mundi increpationis ſuae valore demonſtret expellere, atque ſic in ſpiritali certamine, quo contra aerias agitur poteſtates, fulgura terroris immittere, ut ipſa expulſio inviſibilis hoſtis quadam fieri expugnatione viſibili contempletur, ita ut & catecuminus terreatur conſideratione auditus, & fidelis incitetur adgreſſione conflictus. Sic dum ſacerdotum officia pro caſtris Dei dimicant & fideles devotam intentionem velut arma miniſtrant, & qui creaturam Dei poſſidebat victus abſcedat, & Chriſtus quos condidit victor obtineat.

CAP. XXV. *Unde habuit exorcizandi virtus initium, vel in quo myſterio divinis verbis hoc Epiſcopus agat.*

Exorcizandi virtus illius rei ſignificatio fuit quod lunaticum increpavit Jeſus. Exiit ab illo daemonium. Ad inſtar hujus increpationis dominicae increpat etiam Epiſcopus voce propria, ſicut increpavit Dominus voce ſua. Et hanc ipſam increpationem quam dicit Epiſcopus non ex humana conjectura ſed ex proprietate auctoritatis divinae propheticis verbis adgreditur dicens: Increpet Dominus in te Satan, & increpet in te qui elegit Hieruſalem. Dehinc ſecundo imperans dicit: Tibi dicitur, Satanas, vade retro. Ac deinde in tuba victoriae tertio proclamat: Vicit leo ex tribu Juda, radix David. Ita deinde hic exorciſmus a miniſtris inchoatur: Deprehenſae ſunt inſidiae tuae. Sicque eadem increpatio exorciſtarum pronuntiatione completur donec omnes catecumini ſub exorciſmis agantur. Eſt itaque ordinabiliter ordinatus ordo, ut primum increpationis ſermo ex illa cauſa qui oritur ex illis & verbis adgrediatur. Nam quia exorciſmus increpationis eſt ſermo, bene invehendo exoritur dum ſic inchoatur: Increpet Dominus in te Satan, & increpet in te qui elegit Hieruſalem. Secundo divina poteſtas infertur dum divinorum verborum imperium promulgatur dicendo: *Vade retro Satanas*. Tertio potentia victoriae demonſtratur, quia Chriſtus & dudum moriendo zabulum vicit, & in his qui credunt ac ſequuntur eum condie vincit. Atque ideo vox in victoriam elevatur dum dicitur: *Vicit leo ex tribu Juda, radix David*. Propter quod ſcriptum eſt: *Nunc princeps mundi ejicietur foras*, id eſt, de credentium cordibus expelletur. Et item haec dicit Dominus: *Equidem & captivitas a forte tolletur, & quod ablatum fuerit a robuſto ſalvum eſſe poterit*, oſtendens quod in victoriam Chriſti deſtructo imperio diaboli potuit homo ab ejus captivitate eripi & ſalvari.

CAP. XXVI. *Quod exorcizando catecuminos poteſtas diaboli auſertur.*

Exorcizatur autem id eſt increpatur poteſtas zabuli, & inſufflatur in his a quibus poteſtatis ejus dominator expellitur, ut renuntient ei ſub cujus ditione obnoxii tenebantur, atque eruti a poteſtate tenebrarum in Domini ſui regnum per ſacramentum baptiſmatis transferantur. Ii in nonnullis locis, ut refertur, ſales accipiunt, velut ſignificato ſapientiae condimento. Sed licet forſitan, ut dicitur, quia ſola hoc antiquitas commendavit, adeo uſquequaquam non probatur. Quia vero ut catecuminis in adipiſcendo fidei ſacramento tradantur evidenti ſanctae ſcripturae nullo documento monſtratur, ideo nihil offici ubi non fit. Nam ad ſummum roborem quomodo valebunt quae ad proprietatem rei pertinere nulla ſacrae auctoritatis ſerie vel per figuram vel per ſpeciem demonſtrantur.

CAP. XXVII. *De exemplo evangelii ſecundùm quod catecumini oleo perunguntur.*

Iidem catecumini poſt exorciſmos quibus increpata & expulſa diaboli eſt poteſtas ab eis unguntur oleo quod à ſacerdote conſtiterit benedictum. Quae unctio magno dominicae operationis commendatur exemplo. Cùm enim, ut Marcus Evangeliſta refert, adduxiſſent ad Jeſum ſurdum & mutum, deprecabantur eum ut imponeret illi manum. Et adprehendens eum de turba ſeorſum, miſit digitos ſuos in auriculas, expuenſque tetigit linguam ejus, & ſuſpiciens in cælum ingemuit, & ait illi: *Effeta quod eſt adaperire*. Et ſtatim apertæ ſunt aures ejus, & ſolutum eſt vinculum linguæ ejus, & loquebatur rectè. Quid eſt quod Dominus ſurdum & mutum adprehendens in turba ſeorſum mittit in auriculas digitos ſuos ut audiat, niſi quia redemptor veniens genus humanum ſeparavit à turba dæmonum & à converſatione operum veternorum, atque per infuſionem ſpiritalium munerum illi fidei dedit auditum. Nam ſicut per digitum Dei ſpiritus ejus, ita per digitos pluralitas ſignificatur ſpiritalium gratiarum. Et quid eſt quod expuens tangit linguam ejus ut valeat loqui, niſi quia poſt auditum fidei ſacramenta ſalutis hunc & agnoſcere & perficere facit. Spiritus enim Chriſti gratia eſt humanae redemptionis, quae de capite divinitatis ejus deſcendens cognita per os humanitatis ipſius confeſſionem & laudem ſuam intulit crediturts. Quid autem quòd ſuſpiciens in cælum ingemuit, niſi quia æqualitatem patris habens infirmitatem humanitatis, in qua pro nobis doluit, demonſtravit. Quid verò eſt quod ait *Effeta*, expoſitum eſt, *quod eſt adaperire*, & ſtatim apertæ ſunt aures ejus, & ſolutum eſt vinculum linguæ

ejus

ejus, & loquebatur rectè: quia cùm in illo gratia & operatio redemptionis acceſſit, tota virtute in laudem & dilectionem ſui redemptoris erupit. Unde nec tacere nec diſtortè potuit loqui qui redemptionem ſuam in gloriam redemptoris ut loqueretur & rectè loqueretur accepit.

Cap. XXVIII. *Quòd ordinatè lectio Eſaiæ prophetæ, Petri quoque Apoſtoli, & Marci Evangeliſtae exorcizationis in conventu Eccleſiae proferantur.*

Hinc eodem exorciſationis tempore bene in conventu Eccleſiae, ante quàm exorciſmi dicantur, profertur lectio Eſaiae prophetae in qua dicitur: *Numquid tolletur a forte præda, aut quod captum fuerit a robuſto ſalvum eſſe poterit. Quia haec dicit Dominus: Equidem & captivitas & forte tolletur, & quod ablatum fuerit à robuſto ſalvabitur.* Item Petri ad gentes: *Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus adquiſitionis, ut virtutes annuntietis ejus qui de tenebris vocavit vos in admirabile lumen ſuum.* Marci quoque Evangeliſtæ, quæ hujus effetationis revelat ſacramentum, quae ſuperiùs & prolata eſt & diſſerta, videlicet ut virtus Dei per victoriam crucis praedam humani generis a fortitudine diaboli tollens faciat genus electum per regenerationis donum, regale quoque ſacerdotium per dominium dictionum & oblationem innocentiae atque contriti ſpiritus ſacrificium, infundens illi auditum obedientiae praeceptorum, & dans ei rectae fidei loquelam atque ſuae gloriae hymnum.

Cap. XXIX. *Quòd myſterium ſalutis quod ſemel Chriſto moriente eſt factum cotidie fiat in his qui regenerari noſcuntur.*

Hoc quod generaliter in humano genere moriente Chriſto ſemel eſt factum cotidie in regeneratorum fit ſpecialiter lavacro. Nam converrenti ex errore gentili poſt exorciſmos tanguntur auriculae oleo ut accipiat auditum fidei & ſit verè ſpiritalium dictorum auditor. Similiter tangitur & os, ut cognitionem redemptoris ſui traditam ſibi ſymboli fidem corde credat ad juſtitiam, ore confitens proferat ad ſalutem; ſicque ſolutis obſtinatione concreatis vinculis rectè loquatur magnificans Deum.

Cap. XXX. *Quid ſit vel quare ſit competens dictus.*

Ex catecumino fiat competens. Nam ſicut ex eo quod Dei audiendo cognitionem audiens dicitur, ſic ex eo quod accepto ſymbolo jam petit gratiam Dei competens vocatur. Competentes dicuntur ſimul petentes, quomodo conſedentes, conloquentes, & concurrentes non aliud intelliguntur niſi ſimul ſedentes, loquentes, currentes. Ita quoque competentes nihil aliud ſunt quàm ſimul petentes. Quid autem petunt niſi baptiſmatis ſacramenta, per quae poſſint à poteſtate tenebrarum erui & accepta indulgentia peccatorum in Dei omnipotentis regnum transferri. Ut ergo quod petunt accipere mereantur, à vitiis corda, ab immunditiis mundare debent & corpora, abſtinentes animam à delictis, corpus ab epulis, ut contritio cor humiliet & juſtificet, abſtinentia & caſtitas corpus extenuet & emundet, quo animae & corporis ex toto purificata ſubſtantia, quicquid contritio cordis, quicquid adflictio egerit carnis, totum ad dignitatem proficiat ſuſcipiendae regenerationis. Horum ſignificantiam habuit Nicodemus ille princeps Judaeorum, qui nocte venerat ad Jeſum, qui erat ex his qui crediderunt in nomine ejus videntes ſigna & prodigia quae faciebat, qui in eo quòd quum eſſet Dominus Jeſus Hieroſolymis in Paſcha in die feſto docens, tam efficaciter ejus doctrinam audivit ut crederet in nomine ejus, catecuminus, quod eſt audiens, fuit. In eo autem quod venit ad eum nocte & dixit ei, *Rabbi, ſcimus quia à Deo veniſti magiſter, nemo enim poteſt haec ſigna facere quae tu facis niſi fuerit Deus cum eo*, competentem ſe eſſe monſtravit. Nam eum in templo docentem audiit, & viſis ſignis credidit, verè audiens extitit. Cum vero, licèt in tenebris ignorantiæ, ad lumen venit, quia nocte ad Jeſum venit, & magiſtrum eſſe & hunc a Deo veniſſe fatetur, atque jam ex magiſterio doceri quærit, quia magiſtro debitum honorem dedit, ex tunc competens fuit, quia cujus doctrinæ credens audiendo fidem detulit, ejus magiſterium petendo quaeſivit. Qui deinde promovetur ad gratiam baptiſmatis quando hoc illi commendat reſponſio ſalvatoris, dum ſubinfertur: *Reſpondit Jeſus & dixit ei: Amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit denuo, non poteſt videre regnum Dei.* Quid ergo, quia non ſufficit catecumino quod audit verbum Dei, non ſufficit competenti quòd petit gratiam ex magiſterio Dei, neceſſe eſt ut renaſcatur ex aqua & ſpiritu ſancto, ut renatus ſit particeps corporis & ſanguinis Chriſti, & ſicut ipſe per fidem credidit in Chriſto, ſic participando corpori Chriſti, credat ſe illi Chriſtus. Hoc enim eſt quod dicitur: *Cùm autem eſſet Hieroſolymis in Paſcha in die feſto, multi crediderunt in nomine ejus videntes ſigna ejus quae faciebat. Ipſe autem Jeſus non credebat ſemetipſum eis.* Quid eſt hoc, ecce Dominus credentibus ſe ipſum non credit ſemetipſum? Crediturus ne eſt ergo ſe ipſum incredulis & non credentibus? Nuſquam prorſus. Sed catecuminus & competens jam credunt in Chriſtum. Sed quia non ſunt renati ex aqua & ſpiritu ſancto, non participant corpori Chriſti, & ideo non ſe credidit illis Chriſtus. Si dixerimus catecuminis, Creditis in Chriſtum, reſpondent, Credimus, & ſignant ſe, jam crucem Chriſti portant in fronte, & non erubeſcunt de cruce domini ſui. Ecce credunt in nomine ejus. Interrogemus eos: Manducatis carnem filii hominis, & bibitis ſanguinem filii hominis? Neſciunt quid dicimus, quia Jeſus non ſe credidit eis. Jam verò quaſi ſignum crucis habent in fronte. Jam de domo magna ſunt. Neceſſe eſt renaſcantur, fiant ex ſervis filii, fiant ex adventitiis cives. Non enim nihil ſunt, quia jam ad magnam domum pertinent. Et cum renati fuerint, tunc participibus corporis ſui credet ſe ipſum Chriſtus.

Cap. XXXI. *De tradendo ſymbolo.*

Dehinc tradendum eſt ſymbolum, ut is qui Domini praeceptum audivit, qui divini magiſterii gratiam petit, verae fidei regulam accipiat, ſecundum quam & fide & operibus lavacro ſanctificationis ſe reparatum exhibeat.

Cap. XXXII. *Qua ratione ſymbolum conſtet.*

Symbolum quod competentes accipiunt hac ratione patres conſtare dixerunt. Dicunt enim quod cum audiſſent Apoſtoli a Domino ut irent docere gentes praedicantes regnum Dei & baptizarent eos in nomine patris & filii & ſpiritus ſancti, accepto ſpiritu ſancto poſt aſcenſionem Domini, quando inſedit ſuper eos in ſimilitudinem ignis, & locuti ſunt linguis omnium gentium, ut ad cognitionem veritatis nulla illis vel gens vel loquela eſſet ignota, ſed per eundem ſanctum ſpiritum omnibus omnimode loquerentur, corporaliter ab invicem diſceſſuri, hoc inter ſe unius praedicationis ſymbolum ediderunt, quo ubique euntes nihil diſſonum, nihil varium nuntiarent, ſed unam fidem unitis verbis edicerent, & ex omnibus ſacris ſcripturis inſtrumenta colligentes, unum hoc breve fidei aedificium conſtruerent, de quo etiam per prophetam dictum fuerat, quia verbum breviatum faciet Dominus ſuper terram. Itaque adhuc in unum poſiti, ſancto ſpiritu pleni, breve hoc praedicationis indicium conferendo inter ſe, quid unuſquiſque ſen-

tiret

Digitized by Google

tiret ſibimet ediderunt, atque dandam hanc regulam credentibus ſtatuerunt; ut quia multi futuri erant qui ſe eſſe Chriſti Apoſtolos ſimularent & Chriſtum non doctrina ſana & integra praedicarent, ideo per hoc indicium agnoſceretur quod Chriſtum veraciter nuntiaret qui eum ſecundum hanc apoſtolicam regulam nuntiaſſet.

CAP. XXXIII. *De ſymboli nomine, & quid ſymbolum ſit.*

Symboli nomen ex Graeco, conlatio vel indicium vertitur in Latinum, quod ſit fœdus & cognitio fidei, in quo & ſciatur quid creditur, & quod creditur, nullatenus violetur. Indicium ergo eſt propter cognitionem, conlatio propter inter multos unitae diffinitionis communitatem. Nam indicium quod rem ignotam indicet, conlatio quod ſit communis loquelae definitio. Hinc & in civilibus bellis, quia & armorum habitus & ſonus vocis & mos unus & inſtitutio bellandi ſimilis eſt, ne quaelibet doli ſubreptio fiat, ſuis militibus unuſquiſque dux diſcreta ſymbola ponit, quae Latine vel ſigna vel indicia dicuntur, ut occurrens forte de quo dubium ſit quam aciem ſequatur, prodito ſymbolo an adverſarius ſit an proprius agnoſcatur. Ad hoc autem ſancti patres hoc, non membranis, ſed memoriae commendare juſſerunt, ut non hoc lectio teneat, quae ad ipſos etiam infideles ſolet idipſum aliquando deferre, ſed ex ipſius ſanctae apoſtolicae definitionis traditione commendatum ſemper maneat fidelibus tenacitate memoriae. Pro ſoliditate itaque initiandae fidei bene diſceſſuri ab invicem Apoſtoli hoc unanimitatis indicium poſuerunt. Quod ſymbolum eſt ſignum vel indicium per quod agnoſcitur Deus; quod ideo credentes accipiunt ut ſciant qualiter certamen fidei contra diabolum praeparent; in quo cum pauca ſint verba, continentur omnia ſacramenta. In quo ideo ab Apoſtolis breviatim collecta ſunt ex omnibus ſcripturis, ut quia multi credentes vel litteras neſcirent, vel ſcientes occupari impedimento ſaeculi, ſcripturas eis legere non liceret, hoc corde & memoria retinentes, ſufficientem ſibi haberent ſcientiam ſalutarem.

CAP. XXXIV. *Quod quinta feria ante Paſcha reddendum eſt ſymbolum.*

Hoc ſymbolum quod competentes in die unctionis accipiunt, aut per ſe, ſi majores ætate ſunt, aut per ora geſtantium, ſi parvuli ſunt, quinta feria ante Paſcha ſacerdoti recitant atque reddunt, ut eorum probata fide merito perveniant ad vicinum reſurrectionis dominicæ ſacramentum per fontis ſacri baptiſmum.

CAP. XXXV. *Quod catholica fides brevitate ſymboli teneatur.*

Eſt autem catholica fides in ſymbolo nota fidelibus memoriaeque mandata quanta res paſſa eſt brevitate ſermonis, ut incipientibus atque lactentibus eis qui in Chriſto renati ſunt, nondum ſcripturarum divinarum diligentiſſima & ſpiritali tractatione atque cognitione roboratis, paucis verbis credendum conſtitueretur quod multis verbis exponendum eſſet proficientibus & ad divinam doctrinam certa humilitatis atque caritatis firmitate ſurgentibus.

CAP. XXXVI. *Initium ſymboli, & quid ſit credulitas.*

Eſt ergo tenor ſymboli iſte, & hic cauſarum ordo quae continentur in illo. *Credo in Deum patrem omnipotentem.* Quid eſt credo? Credulitatem facio, id eſt, vera eſſe confiteor quæ incognita audio. Credulitas autem dicta quod creſcat animus ad inviſa & incognita continenda.

CAP. XXXVII. *Quod in Deo ſolo, non in rebus, ſed de rebus adhibenda ſit fides.*

In ſymbolo firmitas & quædam eſt ſeparatio unius fidei, qua oſtenditur in Deum ſolum & Deo credere, non in quibuſcunque cæteris rebus, id eſt in Deum habere fidem, non autem in rebus, ſed rerum habere fidem. Credendum ergo eſt in Deum, & non in aliam rem, quia fides in Deum, ſicut & unus Deus, ſingulari eſt ſpecie habenda & retinenda, cæteris rebus adponenda non ſuperponenda eſt fides. Credimus ergo in Deum. Credimus & ſanctam ejus Eccleſiam eſſe. Non autem credimus in Eccleſiam ſicut in Deum, quia Eccleſia non eſt Deus. Credimus autem ſingulariter in Deum. Credimus & ſequenter Eccleſiam ejus eſſe. Ita quoque & deinceps credimus quaecumque rectae fidei regula nobis credere commendari. Patrem tantundem filii ſui ſecundum divinam generationem, juxta quod ad eum dicit: *Ex utero ante luciferum genui te.*

CAP. XXXVIII. *Quod ideo ſit Deus omnipotens quia omnia fecit.*

Omnipotentem, quia ſolus omnia potuit, qui omnia fecit, qui ita credendus eſt eſſe omnipotens ut omnia quae ſunt viſibilia & inviſibilia ex nihilo fecerit. Non enim aliquid eſſe poteſt cujus creator non eſſet, cum omnipotens eſſet: quia etſi aliquid fecit ex aliquo, ſicut hominem ex limo, non utique fecit ex eo quod ipſe non fecerat, quia terram, unde limus eſt, ex nihilo fecerat. Et ſi ipſum cælum & terram, id eſt mundum & omnia quæ in eo ſunt, ex aliqua materia fecerat, ſicut ſcriptum eſt, *qui fecit mundum ex materia inviſa* vel etiam informi, nullo modo credendum eſt illam materiam de qua factus eſt mundus, quamvis informem, quamvis inviſam, quocunque modo eſſet, per ſe ipſam eſſe potuiſſe tanquam coæternam & coævam Deo; ſed quemlibet modum ſuum quem habebat ut quoquo modo eſſet & diſtinctarum rerum formas poſſet accipere non habebat, niſi ab omnipotente Deo, cujus beneficio eſt res, non ſolum quæcumque formata, ſed etiam quæcunque formabilis. Inter formatum autem & formabile hoc intereſt quod formatum jam accepit formam, formabile autem poteſt accipere. Sed qui præſtat rebus formam, ipſe præſtat etiam poſſe formari; quoniam de illo & in illo eſt omnium ſpecioſiſſima ſpecies incommutabilis, & ipſe unus eſt qui cuilibet rei, non ſolum ut pulcra ſit, ſed etiam ut pulcra eſſe poſſit, attribuit. Quapropter rectiſſime creditur omnia Deum feciſſe de nihilo, quia etiamſi de aliqua materia factus eſt mundus, eadem ipſa materia de nihilo facta eſt, ut ordinatiſſimo Dei munere prima capacitas formarum fieret ac deinde formarentur quæcunque formata ſunt. Qui pater, quantum ad generationem divinitatis pertinet, tantundem filii ſui pater eſt. Qui filius cooperator ejus, quoniam per ipſum omnia facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, & verbum & veritas & virtus & ſapientia eſt ipſius.

CAP. XXXIX. *Quod filius neque de nihilo neque de aliqua eſt materia factus, ſed tantumdem a patre ineffabiliter genitus.*

Hinc ſequitur. Credimus & in Jeſum Chriſtum filium Dei unicum Deum & Dominum noſtrum, non ſeparatum a Deo patre, ſed & in ſe Deum, & cum patre unum Deum. Itaque Deus quum verbum genuit id quod eſt ipſe genuit, neque de nihilo neque de aliqua jam facta conditaque materia, ſed de ſe ipſo id quod eſt ipſe. Unde idem Deus pater, qui veriſſime ſe indicare animis cogituris & voluit & potuit, hoc ad ſe ipſum indicandum genuit quod

eſt

eſt ipſe qui genuit, id eſt verbum Deum, per quod ſe cognoſcere fecit. Quod verbum virtus etiam ejus & ſapientia dicitur, qui per ipſum operatus eſt & diſpoſuit omnia; de quo propterea dicitur: *Adtingit a fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter*. Quamobrem unigenitus filius Dei neque factus eſt a patre, quia, ſicut dicit Evangeliſta, *omnia per ipſum facta ſunt*, neque ex tempore genitus, quoniam ſempiterne Deus, ſapiens ſempiternam habet ſecum ſapientiam ſuam. Neque impar eſt patri, id eſt in aliquo minor, quia & Apoſtolus dicit: *Qui quum in forma Dei eſſet conſtitutus, non rapinam arbitratus eſt eſſe aequalis Deo*. Sed quoniam verbum caro factum eſt & habitavit in nobis, eadem ſapientia quæ de Deo genita eſt, dignata eſt etiam in hominibus creari. Quo pertinet illud: *Dominus creavit me in principio viarum ſuarum*. Viarum enim ejus principium caput Eccleſiæ, quod eſt Chriſtus homine indutus, per quem vivendi exemplum nobis daretur, hoc eſt via certa qua perveniremus ad Deum. Non enim redire potuimus niſi humilitate qui ſuperbia lapſi ſumus. Quapropter ſecundum id quod unigenitus eſt non habet fratres. Secundum id autem quod primogenitus eſt fratres vocare dignatus eſt omnes qui poſt ejus & per ejus primatum in Dei gratiam renaſcimur per adoptionem filiorum Dei.

CAP. XL. *Quod incarnatus filius de ſpiritu ſancto & Maria virgine natus eſt.*

Qui natus eſt de ſpiritu ſancto & Maria virgine. Bene confitemur quia Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui de Deo Deus, natus eſt de ſpiritu ſancto & virgine Maria, utraque ſubſtantia, divina ſcilicet atque humana, filius eſt unicus Dei patris omnipotentis, de quo procedit ſpiritus ſanctus. Sed quomodo dicimus Chriſtum natum de ſpiritu ſancto, ſi non eum genuit ſpiritus ſanctus? An quia fecit eum, quia Dominus noſter Jeſus Chriſtus, in quantum Deus eſt, omnia per ipſum facta ſunt, in quantum autem homo eſt, & ipſe factus eſt, ſicut Apoſtolus dicit: Factus ex ſemine David ſecundum carnem. Sed quum illam creaturam quam virgo concepit & peperit, quamvis ad ſolam perſonam filii pertinentem, tota trinitas fecerit, neque enim ſeparabilia ſunt opera trinitatis, quur in ea facienda ſolus ſpiritus ſanctus nominandus eſt? An & quando unus trium in aliquo opere nominatur univerſa opera trinitatis intelligitur? Ita vero eſt, & exemplis doceri poteſt. Sed non eſt in hoc diutius immorandum.

CAP. XLI. *Quod filius cum dicatur natus de ſpiritu ſancto non ſit omnino filius ſpiritus ſancti.*

Illud movet quomodo dictum ſit, *natus de ſpiritu ſancto*, quum filius nullo modo ſit ſpiritus ſancti. Neque enim quia mundum iſtum fecit Deus, dici eum fas eſt Dei filium, aut eum natum de Deo, ſed factum vel creatum vel conditum vel inſtitutum ab illo, vel ſi quid hujuſmodi recte poſſumus dicere. Hic ergo, quum confiteamur natum de ſpiritu ſancto & virgine Maria, quomodo non ſit filius ſpiritus ſancti & ſit filius virginis Mariæ, quum & de illo & de illa ſit natus, explicare difficile eſt. Procul dubio quippe non ſic de illo ut de patre, ſic autem de illa ut de matre natus eſt.

CAP. XLII. *Quod non omne quod ex aliqua re naſcitur continuo ejuſdem rei filium nuncupari conceditur.*

Non igitur concedendum eſt quicquid de aliqua re naſcitur continuo ejuſdem rei filium nuncupandum. Ut enim omittam aliter de homine naſci filium, aliter capillum, pediculum, lumbricum, quorum nihil eſt filius. Ut ergo haec omittam, quoniam tantae rei deformiter comparantur, certe qui naſcuntur ex aqua & ſpiritu ſancto non aquae filios eos rite dixerit quiſpiam, ſed plane dicuntur filii Dei patris & matris Eccleſiae. Sic ergo de ſpiritu ſancto natus eſt filius Dei patris non ſpiritus ſancti. Nam illud quod de capillo & caeteris diximus ad hoc tantum valet ut admoneamur non omne quod de aliquo naſcitur etiam filium ejus de quo naſcitur poſſe dici, ſicut non omnes qui dicuntur alicujus filii conſequens eſt ut etiam de illo nati eſſe dicantur, ſicut ſunt qui adoptantur. Dicuntur etiam filii gehennae, non ex illa nati, ſed in illa praeparati, ſicut filii regni praeparantur in regnum. Quum itaque de aliquo naſcatur aliquid etiam non eo modo ut ſit filius, nec rurſus omnis qui dicitur filius de illo ſit natus cujus dicitur filius, profecto modus iſte quo natus eſt Chriſtus de ſpiritu ſancto non ſicut filius, & de Maria virgine ſicut filius inſinuat nobis gratiam Dei qua homo nullis praecedentibus meritis in ipſo exordio naturae ſuae quo eſſe coepit verbo Deo copuletur in tantam perſonae unitatem ut idem ipſe eſſet filius Dei qui filius hominis, & filius hominis qui filius Dei, ac ſi in naturae humanae ſuſceptione fieret quodammodo ipſa gratia illi homini naturalis quae nullum peccatum poſſet committere. Quae gratia propterea per ſpiritum ſuerat ſignificanda quia ipſe proprie ſic eſt Deus ut dicatur etiam Dei donum. Dono enim Dei, hoc eſt ſpiritu ſancto, conceſſa eſt nobis tanta humilitas tantī Dei ut totum hominem, id eſt corpus, animam, & ſpiritum, ſuſcipere dignaretur in utero virginis, maternum corpus integrum inhabitans, integrum deſerens.

CAP. XLIII. *Quod utrumque ſexum ſalvaverit Chriſtus vir naſcendo de femina.*

Ideoque deteſtandi ſunt illi qui eundem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum matrem Mariam negant in terris habuiſſe, quum illa diſpenſatio utrumque ſexum & maſculinum & femininum honoraverit & ad curam Dei pertinere monſtraverit.

CAP. XLIV. *Quod virginis partus nihil injuriae fecerit Chriſti divinitati.*

Non ſolùm quem ſuſcepit ** ſed tanquam Deum adorant per cloacarum ſœtores & quaeque horribilia uſquequaque diffundi & in his operari ſecundum naturam ſuam, nec tamen inde aliqua contaminatione ſordeſcere, quum viſibilis lux viſibilibus ſordibus ſit natura conjunctior. Quanto minus igitur poterat pollui verbum Dei non corporeum neque viſibile de femineo corpore caſto utique & mundiſſimo atque ſingulariter glorioſo, ubi humanam carnem ſuſcepit cum anima & ſpiritu; quibus intervenientibus habitat majeſtas verbi ab humani corporis fragilitate ſecretius. Unde manifeſtum eſt nullo modo potuiſſe verbum Dei maculari humano corpore, quo nec ipſa anima humana maculatur.

CAP. XLV. *De nomine & judicio Pontii Pilati.*

Pilatus os malleatoris, quia dum Chriſtum ore ſuo & juſtificat & condemnat, more malleatoris utraque ferit. Quumque Judaeorum conſilium declinaverit, ſecundum voluntatem tamen Judaeorum judicium fieri permiſit. Qui accepit aquam, & lavit manus, ut in lavacro manus ejus gentilium opera purgaretur, & ab impietate Judaeorum, qui clamabant *Crucifige eum*, nos faceret alienos. Qui judex contra Deum cogitur ferre ſententiam. Ille vero non damnat oblatum, ſed arguit offerentes quodam modo conteſtans & dicens: Ego quidem innocentem volui liberare. Sed quoniam ſeditio oritur, ego miniſter legum ſum. Veſtra vox ſanguinem fundit.

CAP.

Digitized by Google

Cap. XLVI. *Quare mortem crucis Chriſtus elegerit.*

Hic Jeſus Dominus & redemptor noſter, quum eſſet omnipotens, tam divitem ſe in miſericordia demonſtravit ut qui vita eſt vivificans omnia, humiliaret ſe factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. Ideo vero mortem crucis elegit ut damnationem quam praevaricatio ligni in paradiſo contraxerat crucis hujus patibulum (deleret.)

Cap. XLVII. *De ſacramento crucis.*

Sacramentum autem crucis ita commendat Paulus quum dicit, *ut in caritate radicati & fundati poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis quae ſit latitudo, longitudo, ſublimitas, & profundum*, id eſt, crucem Domini, cujus latitudo ducitur in tranſverſo ligno quo extenduntur manus, longitudo a terra uſque ad ipſam latitudinem, quo & a manibus & infra totum corpus adfigitur, altitudo a latitudine ſurſum uſque ad ſummum quo adhaeret caput, profundum quod terrae infixum abſconditur. Quo ligno crucis omnis actio Chriſtiana deſcribitur. In latitudine itaque bene operari in Chriſto, in altitudine ſperare caeleſtia ſacramenta non profanare, in profundo radicatos & fundatos in caritate conſiſtere. Eſt ergo latitudo crucis actio boni operis, quae per expanſionem manuum demonſtratur. Eſt latitudo crucis perſeverantia bonae actionis quae per tolerantiam longanimitatis ſervat virtutem paſſionis. Eſt altitudo crucis ſpes futurorum bonorum, per quam ſine profanationem *** & radicati ſunt immobiles & ad perſeverantiam inter paſſiones & ad remunerationem propter veram ſpem.

Cap. XLVIII. *De ſepultura Chriſti.*

Sepultura illa cum creditur ſit recordatio novi monumenti, quod reſurrecturo ad vitae novitatem praeberet teſtimonium, ſicut naſcituro uterus virginalis. Nam ſicut in illo novo monumento nullus alius mortuus ſepultus eſt nec ante nec poſtea, ſic in illo utero nec antea nec poſtea quicquam mortale conceptum eſt.

Cap. XLIX. *Quod neque deitate, neque carne, ſed in anima Chriſtus deſcenderit in infernum.*

Deſcendit ad inferna. Cum Chriſtus tempore mortis ſuae ſecundum carnem fuerit in ſepulchro, ſecundum divinitatem fuerit ubique, quia caelum & terram ipſe implet, & eſt lux quae in tenebris lucet, quamvis eam tenebrae non comprehendant, reſtat quod in anima deſcenderit in inferno; quia juxta humanam humilitatem per carnem, utique in ſepulchro, per animam in inferno mortis ſuae tempore fuit; per divinitatem vero incommutabilem nunquam de paradiſo defuit, qui ubique praeſens manet ſemper & manſit. Eſt autem ſenſus multo expeditior & a diverſis ambiguitatibus liber, ſi non ſecundum id quod homo erat, ſed ſecundum id quod Deus erat Chriſtus dixiſſe latroni accipiatur: *Hodie mecum eris in paradiſo*. Homo quippe Chriſtus illo die ſecundum carnem ſepulchro, ſecundum animam in inferno futurus erat. Deus vero idem ipſe Chriſtus ubique ſemper eſt. Eſt enim virtus & ſapientia Dei, de qua ſcriptum eſt quod adtingat a fine uſque ad finem fortiter & diſponat omnia ſuaviter. Ubicunque ſit ergo paradiſus, quiſquis beatorum ibi eſt, cum illo ibi eſt qui ubique eſt.

Cap. L. *De ſomno mortis & gloria reſurrectionis Chriſti.*

Tertia die reſurrexit vivus a mortuis, juxta quod dictum eſt. *Ego dormivi & quievi & reſurrexi, quoniam Dominus ſuſcitavit me*, id eſt: Dormivi in cruce ſomno mortis; quievi in ſepulchro tempore triduanae quietis; ſurrexi vivus a mortuis in gloria reſurrectionis. Et bene tertia die reſurrexit, quia totius trinitatis virtute adſumptus & mortuus homo & ſuſcitatus a morte, ipſe primogenitus conſecuturis fratribus, quos in adoptionem filiorum Dei vocavit, quos comparticipes & coheredes ſuos eſſe dignatus eſt, ut qui erat unigenitus natus ex Deo ſolus, eſſet primogenitus ex mortuis inter homines multos & dignaretur ſervos vocare fratres dicens: *Ite, dicite fratribus meis ut eant in Galilaeam. Ibi me videbunt.*

2om. II.

Cap. LI. *De aſcenſione in caelis corporis Chriſti. Et non quaerendum ubi ſit id ipſum corpus. Quae caelorum latitudo promiſſa eſt fidelibus cunctis.*

Aſcendit in caelum, ſedet ad dexteram Dei patris omnipotentis. Ubi & quomodo ſit in caelo dominicum corpus curioſiſſimum & ſupervacuum eſt quaerere. Tantummodo in caelo eſſe credendum eſt. Non enim eſt fragilitatis noſtrae caelorum ſecreta diſcutere, ſed & noſtrae fidei de Domini corporis dignitate ſublimia & honeſta ſentire; quem beatitudinis locum etiam nobis promiſit dicens: *Erunt ſicut angeli in caelis in illa civitate quae eſt mater omnium noſtrum Hieruſalem aeterna in caeleſtibus.*

Cap. LII. *Quid ſit ſeſſio & dextera Dei.*

Credimus etiam quod ſedet ad dexteram patris. Nec ideo tamen quaſi humana forma circumſcriptum eſſe arbitrandum eſt, ut de illo cogitantibus dextrum & ſiniſtrum latus animo occurrat, aut id ipſum quod ſedere pater dicitur flexis poplitibus fieri putandum eſt, ne illud incidamus ſacrilegium in quo execratur Apoſtolus eos qui commutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem corruptibilis hominis. Ad dexteram ergo intelligendum eſt dictum eſſe in ſumma beatitudine, ubi juſtitia, pax, & gaudium eſt; ſicut ad ſiniſtram hœdi conſtituuntur, id eſt in miſeria, propter iniquitatis labores atque cruciatus. Sedere ergo quod dicitur Deus, non membrorum poſitionem, ſed judiciariam ſignificat poteſtatem, quia illa majeſtas nunquam caret ſemper dignis digna diſtribuendo, quamvis extremo judicio multo manifeſtius inter homines unigeniti filii Dei judicis vivorum atque mortuorum claritas indubitata fulſura ſit & veritas hominis aperta viſura.

Cap. LIII. *Quid accipiendum eſt in vivis & mortuis quos judicare venturus eſt Chriſtus.*

Inde venturus judicare vivos & mortuos. Iſtis nominibus ſive juſti & peccatores ſignificantur, ſive quos tunc ante mortem in terris inventurus eſt, appellati ſunt vivi, mortui vero qui in ejus adventu reſurrecturi ſunt. Haec diſpenſatio temporalis non tantum eſt ſicut illa generatio ſecundum Deum, ſed etiam fuit & erit. Nam ſicut Dominus noſter in terris, & nunc eſt in caelo, & erit in claritate venturus, judex vivorum atque mortuorum. Ita enim veniet ſicut aſcendit ſecundum auctoritatem quae Apoſtolorum actibus continetur, id eſt, in eadem veritate carnis & immutabilitate adſumpti hominis. Ex hac itaque temporali diſpenſatione loquitur in Apocalypſin, ubi ſcriptum eſt: *Haec dicit qui eſt & qui fuit & qui futurus eſt*. De quibus vivis & mortuis judicandis non inconveniens alia quorundam ſententia eſt, quae ita dicit. Quod autem dicitur judicare vivos & mortuos, non quod alii vivi, alii mortui ad judicium veniant, ſed quod animam ſimul judicabit & corpora; in quibus vivos

animas, mortuos corpora nominavit, ſicut & ipſe Dominus in evangelio dicit: *Nolite timere eos qui corpus occidere poſſunt, animae vero nihil poſſunt facere. Sed timete potius eum qui poteſt animam & corpus perdere in gehennam.*

CAP. LIV. *Quod interpoſita diſpenſatio adſumpti hominis paulo longius reddidit commemorationem ſpiritus ſancti ab ordine trinitatis.*

Credo in ſanctum ſpiritum. Haec quae in ſuperioribus paulo latius de Chriſto ſunt tradita ad incarnationis & paſſionis ejus myſterium pertinent: quae dum media intercedunt perſonae ipſius coaptata, ſancti ſpiritus commemorationem paulo longius reddiderunt. Caeterum ſi ſolius divinitatis ratio habeatur eo modo quo in principio dicitur, *Credo in Deum patrem omnipotentem & in Jeſum Chriſtum filium ejus unicum Dominum noſtrum*, ita jungitur *& ſpiritum ſanctum*. Illa vero omnia quae de Chriſto memorantur ad diſpenſationem carnis, ut diximus, ſpectant. Igitur in ſancti ſpiritus commemoratione adimpletur myſterium trinitatis.

CAP. LV. *Quod ſpiritus ſanctus Deus eſt ex patre filioque procedens.*

Spiritus ſanctus ideo praedicatur Deus quia ex patre filioque procedit & ſubſtantiam eorum habet. Neque enim aliud de patre procedere potuit quàm quod ipſe eſt pater, id eſt Deus.

CAP. LVI. *Quare dicatur ſpiritus.*

Spiritus ſanctus autem dictus ſecundum id quod aliquid refertur ſpirans. Et ſpirans utique ſpiritu ſpirans eſt, & ex eo appellatus ſpiritus eſt. Proprio autem modo quodam dicitur ſpiritus ſanctus ſecundum quod refertur ad patrem & filium, quod eorum ſpiritus ſit. Nam & hoc nomen quod ſpiritus dicitur non ſemper ſecundum id eſt quod refertur ad aliquid, ſed ſecundum id quod aliquam naturam ſignificat. Omnis enim incorporea natura ſpiritus in ſcripturis ſacris appellatur. Unde non tantum patri & filio & ſpiritui ſancto, ſed omni rationali creaturae & animae hoc vocabulum congruit.

CAP. LVII. *Quare dicatur ſpiritus ſanctus.*

Ideo ſpiritus Dei ſanctus vocatur quia patris & filii ſanctitas eſt. Nam cum ſit & pater ſpiritus, & filius ſpiritus, & pater ſanctus & filius ſanctus, proprie tamen ipſe vocatur ſpiritus ſanctus tanquam ſanctitas coëſſentialis & conſubſtantialis amborum.

CAP. LVIII. *Quod ſpiritus ſanctus nec genitus dicitur nec ingenitus, ſed procedens tantum.*

Spiritus ſanctus ideo non dicitur genitus, ne duo in trinitate filii ſuſpicentur. Ideo non praedicatur ingenitus, ne duo patres in ipſa trinitate credantur. Procedens autem dicitur teſtimonio Domini dicentis. *Multa adhuc habeo quae vobis loquar. Sed non poteſtis illa audire modo. Veniet autem ſpiritus veritatis, qui à patre procedet, & de meo accipiet. Ille vobis indicabit omnia.* Hic autem non ſolum natura procedit, ſed ſemper ad peragenda opera trinitatis indeſinenter procedit.

CAP. LIX. *Quid intereſt inter naſcentem filium & procedentem ſpiritum ſanctum.*

Hoc intereſt inter naſcentem filium & procedentem ſpiritum ſanctum quod filius ex uno naſcitur, ſpiritus ſanctus ex utroque procedit. Et ideo dicit Apoſtolus: *Qui autem ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus.*

CAP. LX. *Quod ſpiritus ſanctus ex opere angelus dicatur.*

Spiritus ſanctus ex opere etiam angelus intelligitur. Dictum eſt enim de illo: *Et quae ventura ſunt adnuntiabit vobis.* Et utique angelus Graece & Latine nuntius interpretatur. Unde & duo angeli apparuerunt Loth in quibus Dominus ſingulariter appellatur, quos intelligimus filium & ſpiritum ſanctum. Nam pater nunquam legitur miſſus.

CAP. LXI. *Quare ſpiritus ſanctus paraclitus vocetur.*

Spiritus ſanctus quod dicitur paraclitus à conſolatione dicitur. Paracleſis enim Latinè conſolatio appellatur. Chriſtus enim eum Apoſtolis lugentibus miſit, poſtquam ab eorum oculis ipſe in caelum aſcendit. Conſolator enim triſtibus mittitur ſecundum illam ejuſdem Domini ſententiam: *Beati lugentes, quoniam ipſi conſolabuntur.* Ipſe etiam dixit: *Tunc lugebunt filii ſponſi quum ab eis ablatus fuerit ſponſus.* Item paraclitus pro eo quod conſolationem praeſtat animabus quae gaudium temporale amittunt. Alii paraclitum Latinè oratorem vel advocatum interpretantur. Ipſe enim ſpiritus ſanctus dicit, ipſe docet, per ipſum datur ſermo ſapientiae, ab ipſo ſancta ſcriptura inſpirata eſt.

CAP. LXII. *Quare ſpiritus ſanctus ſeptiformis dictus.*

Spiritus ſanctus ideo ſeptiformis nuncupatur propter dona quae de unita ejus plenitudine particulatim quique, ut digni ſunt, conſequi promerentur. Ipſe enim ſpiritus ſapientiae & intellectus, ſpiritus conſilii & fortitudinis, ſpiritus ſcientiae & pietatis, ſpiritus timoris Dei.

CAP. LXIII. *Quod ad trinitatem referatur ſpiritus rectus, ſpiritus ſanctus, & ſpiritus principalis.*

Spiritus autem principalis in pſalmo quinquageſimo legitur; ubi quia tertio ſpiritus repetitur, nonnulli trinitatem intellexerunt, ideo quia ſcriptum eſt, *Deus ſpiritus eſt.* Quod enim non eſt corpus, & tamen eſt, videtur reſtare ut ſpiritus ſit. Intelligunt ergo ibi nonnulli trinitatem ſignificari, in ſpiritu principali patrem, in ſpiritu recto filium, in ſpiritu ſancto ſpiritum ſanctum.

CAP. LXIV. *Quare ſpiritus ſanctus donum dicitur.*

Sanctus ſpiritus ideo donum dicitur eo quod datur. A dando enim donum eſt nuncupatum. Notiſſimum eſt enim Dominum Jeſum Chriſtum, quum poſt reſurrectionem à mortuis aſcendiſſet in caelum, dediſſe ſpiritum ſanctum, quo credentes impleti linguis omnium gentium loquebantur. In tantum autem donum Dei eſt in quantum datur eis qui per eum diligunt Deum. Apud ſe autem Deus eſt. Apud nos autem donum eſt. Sed ſempiterne ſpiritus ſanctus donum eſt, diſtribuens ſingulis prout vult gratiarum dona. Nam & prophetias quibus vult impertit, & peccata quibus volet dimittit. Nam peccata ſine ſpiritu ſancto non donantur.

CAP. LXV. *Quare ſpiritus ſanctus caritas & gratia nuncupetur.*

Spiritus ſanctus inde propriè caritas nuncupatur, vel quia naturaliter eos à quibus procedit conjungit & ſe unum cum eis eſſe oſtendit, vel quia in nobis id agit ut in Deo maneamus & ipſe in nobis. Unde & in donis Dei nihil majus eſt caritate, &

nullum

Digitized by Google

nullum eſt majus donum Dei quàm ſpiritus ſanctus. Ipſe eſt & gratia, quae, quia non meritis noſtris, ſed voluntate divina gratis datur, inde gratia nuncupatur. Sicut autem unicum Dei verbum proprie vocamus nomine ſapientiae, quum ſit univerſaliter & ſpiritus ſanctus & pater ipſa ſapientia, ita ſpiritus ſanctus propriè nuncupatur vocabulo caritatis, quum ſit & pater & filius univerſaliter caritas.

CAP. LXVI. *Quare ſpiritus ſanctus Dei digitus dicatur.*

Spiritus ſanctus digitus Dei eſſe in libris evangelii apertiſſimè declaratur. Cum enim unus ex Evangeliſtis dixerit, *In digito Dei ejicio daemonia*, alius hoc ita dixit: *In ſpiritu Dei ejicio daemonia*. Unde & digito Dei ſcripta lex eſt data die quinquageſimo ab occiſione agni. Et die quinquageſimo venit ſpiritus ſanctus a paſſione Domini noſtri Jeſu Chriſti. Ideo autem dicitur digitus ut ejus operatoria virtus cum patre & filio ſignificetur. Unde & Paulus ait: *Haec autem omnia operatur unus atque idem ſpiritus dividens ſingulis prout vult*. Sicut autem per baptiſmum in Chriſto morimur & renaſcimur, ita ſpiritu ſignamur, quod eſt digitus Dei & ſpiritale ſignaculum.

CAP. LXVII. *Quare ſpiritus ſanctus in columbæ ſpecie veniſſe teſtatur.*

Spiritus ſanctus ideo in columbae ſpecie veniſſe ſcribitur ut natura ejus per avem ſimplicitatis & innocentiae declararetur. Unde & Dominus, *Eſtote*, inquit, *ſimplices ſicut columbae*. Hæc enim avis corporaliter ipſo felle caret, habens tantum innocentiam & amorem.

CAP. LXVIII. *Quare ſpiritus ſanctus ignis nomine appelletur.*

Spiritus ſanctus ideo nomine ignis appellatur propter quod in Apoſtolorum actibus per diviſionem linguarum ut ignis apparuit, qui & inſedit ſuper unumquemque eorum. Propterea autem diverſarum linguarum gratiam Apoſtolis dedit ut idonei efficerentur fidelium eruditione populorum. Quod vero ſupra ſingulos ſediſſe memoratur, id cauſa eſt ut intelligatur per plures non fuiſſe diviſus, ſed manſiſſe in ſingulis totus, ſicut ſere ignibus mos eſt. Hanc enim habet naturam ignis accenſus ut quanti ad eum, quanti ad crinem purputae ſplendoris aſpexerint, tantis viſum ſuae lucis impertiat, tantis miniſterium ſui muneris tribuat, & ipſe nihilominus in ſua integritate permaneat.

CAP. LXIX. *Quare ſpiritus ſanctus aquæ nomine dicatur.*

Spiritus ſanctus nomine aquae appellatur in evangelio, Domino clamante & dicente: *Si quis ſitit, veniat ad me & bibat. Qui credit in me, flumina aquae vivae fluent de ventre ejus*. Evangeliſta autem expoſuit unde: *Hoc enim dicebat de ſpiritu quem accepturi erant credentes in eum*.

CAP. LXX. *Quod aliud ſit aqua ſacramenti, aliud aqua ſpiritus ſancti.*

Sed quae ſignificat ſpiritum Dei. Aqua enim ſacramenti viſibilis eſt. Aqua ſpiritus inviſibilis eſt. Iſta abluit corpus & ſignificat quod fit in anima. Per illum autem ſpiritum ſanctum ipſa anima mundatur & ſaginatur.

CAP. LXXI. *Quare ſpiritus ſanctus unctio dicatur.*

Spiritus ſanctus ideo unctio dicitur, Johanne adteſtante Apoſtolo, quia ſicut oleum naturali pondere ſuperſertur omni liquori, ita in principio ſuperferebatur ſpiritus ſanctus aquis. Unde & Dominus oleo exultationis hoc eſt ſpiritu ſancto fuiſſe legitur unctus. Sed & Johannes Apoſtolus ſpiritum ſanctum unctionem vocat dicens: *Et vos*, inquit, *unctionem quam accepiſtis ab eo permaneat in vobis, & neceſſe non habetis ut aliquis doceat vos, ſed ſicut unctio ejus docet vos de omni re*. Ipſe eſt enim ſpiritus ſanctus unctio inviſibilis.

CAP. LXXII. *Quod ideo ſancta Eccleſia creditur quia in illa dilectio proximi demonſtratur.*

Sanctam Eccleſiam catholicam. Hæc fides eſt de Deo conditore & de renovatore noſtro, de qua uſque hactenus eſt tractatum. Sed quoniam dilectio non tantum in Deum nobis imperata eſt, cum dictum eſt, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo & ex tota anima tua & ex tota mente tua*, ſed etiam in proximum. Nam *diliges*, inquit, *proximum tuum tanquam te ipſum*. Niſi autem iſta fides congregationem ſocietatemque hominum teneat, in qua fraterna caritas operetur, minus fructuoſa eſt, credimus & ſanctam Eccleſiam utique catholicam.

CAP. LXXIII. *De nomine Eccleſiae catholicae.*

Eccleſia Græcum eſt, quod in Latinum vertitur convocatio, propter quod omnes ad ſe vocet. Catholica univerſalis καθόλου, id eſt ſecundum totum. Non enim ſicut conventicula hæreticorum in aliquibus regionum partibus coarctatur, ſed per totum terrarum orbem dilatata diffunditur. Quod etiam Apoſtolus adprobat ad Romanos dicens: *Gratias ago Deo meo pro omnibus vobis quia fides veſtra adnuntiatur in univerſo mundo*. Hinc & univerſitas ab una cognominata eſt proter quod in unitatem colligitur. Unde Dominus in evangelio: *Qui mecum non colligit ſpargit*, id eſt, Qui in unitatem meam non colligitur a me diviſus, in diſperſionis perditione diſſipatur.

CAP. LXXIV. *Quare Eccleſiae, cum una ſit, ſeptem ſcribantur.*

Quur autem Eccleſiae, cum una ſit, ſeptem ſcribantur, niſi ut una catholica ſeptiformi plena ſpiritu deſignetur, ſicut & de Domino novimus dixiſſe Salomonem: *Sapientia aedificavit ſibi domum, excidit columnas ſeptem*. Quæ tamen ſeptem una eſſe non ambiguntur, dicente Apoſtolo: *Eccleſia Dei vivi, quae eſt columna & firmamentum veritatis*.

CAP. LXXV. *Unde inchoavit Eccleſia, vel quare dicatur Sion vel Hieruſalem.*

Inchoavit autem Eccleſia a loco ubi venit de cælo ſpiritus ſanctus & implevit uno loco ſedentes. Peregrinatione autem præſenti Eccleſia Sion dicitur eo quod in hujus peregrinationis longitudine poſita promiſſionem rerum cæleſtium ſpeculatur. Et idcirco Sion, id eſt ſpeculatio, nomen accepit. Pro futuræ vero patriæ pace Hieruſalem vocatur. Nam Hieruſalem pacis viſio interpretatur. Ibi enim abſorta omni adverſitate pacem, quae eſt Chriſtus, praeſenti poſſidebit obtutu.

CAP. LXXVI. *Quid diſtet inter Eccleſiam & ſynagogam.*

Synogoga Græce congregatio dicitur. Quod proprium nomen Judæorum populus tenuit. Ipſorum enim proprie ſynagoga dici ſolet. Quamvis & Eccleſia dicta ſit. Noſtram vero Apoſtoli nunquam ſynagogam dixerunt, ſed ſemper Eccleſiam, ſive diſcernendi cauſa, ſive quod inter congregationem, unde ſynagoga, & convocationem, unde Eccleſia no-

Digitized by Google

nomen accepit, diſtat aliquid, quod ſcilicet congregari & pecora ſolent quorum & greges proprie dicimus. Convocari autem majus eſt utentium ratione, ſicut ſunt homines.

CAP. LXXVII. *Quod in Eccleſiam ſanctam ſpiritus ſanctus novum & vetus teſtamentum plenißime inſpiravit.*

In quam ſanctam Eccleſiam ſpiritus ſanctus in veteri teſtamento legem & prophetas, in novo evangelium & Apoſtolos inſpiravit. Unde & Paulus dicit: *Omnis ſcriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum.* Et ideo quae ſint novi ac veteris inſtrumenti volumina, quae ſecundum majorum traditionem per eundem ſanctum ſpiritum inſpirata creduntur, & Eccleſiis Chriſti tradita eſſe noſcuntur, competit in hoc loco evidenti numero, ſicut ex patrum monumentis accepimus, deſignare.

CAP. LXXVIII. *Quae auctoritas ſcripturarum in Eccleſiis primum ſit ſequenda.*

In ipſis autem canonicis ſcripturis Eccleſiarum catholicarum illa plurimum auctoritas eſt ſequenda. Inter quas ſane illæ ſint quæ apoſtolicas ſedes habere & epiſtolas accipere meruerunt. Tenebitur igitur hic modus in ſcripturis ſanctis canonicis ut eas quæ ab omnibus accipiuntur Eccleſiis catholicis praeponantur eis quas quidam non accipiunt. In eis vero quae non accipiuntur ab omnibus praeponantur eæ quas plures gravioreſque accipiunt eis quas pauciores minoriſque auctoritatis Eccleſiae tenent. Si autem aliae inveniantur à pluribus, aliae à gravioribus haberi, quamquam hoc inveniri non poſſit, aequalis tamen auctoritatis eas habendas puto.

CAP. LXXIX. *Qui libri continentur in canone utriuſque teſtamenti.*

Totus autem canon ſcripturarum in quo jam conſiderationem verſandam dicimus his libris continetur, quinque Moyſi, id eſt, Geneſi, Exodo, Levitico, Numeris, Deuteronomio, & uno libro Jeſu Nave, uno Judicum, uno libello qui appellatur Ruth, qui magis ad regnorum principium videtur pertinere, deinde quatuor regnorum, & duobus paralipomenon non conſequentibus, ſed quaſi a latere adjunctis ſimulque pergentibus. Haec eſt hiſtoria quae ſibimet adnexa tempora continet atque ordinem rerum. Sunt aliae tanquam ex diverſo ordine quae neque huic ordini neque inter ſe connectuntur, ſicut eſt Job & Thobias & Eſther & Judith & Maccabaeorum libri duo & Eſdrae duo, qui magis ſubſequi videntur ordinatam illam hiſtoriam uſque ad regnorum vel paralipomenon terminatam. Deinde prophetae, in quibus David unus liber pſalmorum, Salomonis tres, proverbia, cantica canticorum, & Eccleſiaſtes. Nam illi duo libri unus qui ſapientia, & alius qui Eccleſiaſticus ſcribitur, de quadam ſimilitudine Salomonis eſſe dicuntur. Nam Jeſus filius Syrac eos conſcripſiſſe conſtantiſſime perhibetur. Qui tamen, quoniam in divina auctoritate recipi meruerunt, inter propheticos numerandi ſunt. Reliqui ſunt eorum libri qui proprie prophetae appellantur, duodecim prophetarum libri ſinguli, qui connexi ſibimet, quoniam nunquam ſejuncti ſunt, pro uno habentur. Quorum prophetarum nomina ſunt haec. Oſee, Johel, Amos, Abdias, Jonas, Michaeas, Naum, Abbacuc, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, Malachias. Deinde quatuor prophetae ſunt majorum voluminum, Eſaias, Hieremias, Daniel, Ezechiel. His quadraginta quatuor libris teſtamenti veteris terminatur auctoritas. Novi autem quatuor libris evangelii ſecundum Matthaeum, ſecundum Marcum, ſecundum Lucam, ſecundum Johannem, quatuordecim epiſtolis Apoſtoli Pauli, ad Romanos una, ad Corinthios duabus, ad Galatas una, ad Epheſios una, ad Philippenſes una, ad Theſſalonicenſes duabus, ad Coloſſenſes una, ad Timotheum duabus, ad Titum una, ad Philemonem una, ad Hebraeos una, Petri duabus, tribus Johannis, una Judae, & una Jacobi, actibus Apoſtolorum libro uno, & Apocalypſin Johannis libro uno.

CAP. LXXX. *Quod omnes ſanctae auctoritatis libri vel memoria tenendi ſunt vel omnino incogniti non habendi.*

In his omnibus libris timentes Deum & pietate manſueti quaerunt voluntatem Dei. Cujus operis & laboris prima obſervatio eſt noſſe illos libros, etſi nondum ad intellectum, legendo tamen vel mandare memoriae, vel omnino incognitos non habere.

CAP. LXXXI. *De remiſſione peccatorum.*

Remiſſionem peccatorum. Bene poſt commemorationem noſtrae Eccleſiae in ordine confeſſionis ponitur remiſſio peccatorum. Per hanc enim ſtat Eccleſia quae in terris eſt. Per hanc non perit quod perierat & inventum eſt. Excepto quippe baptiſmatis munere, quod contra peccatum originale donatum eſt, ut quod generatione adtractum eſt, regeneratione detrahatur, activa quoque peccata, quaecunque corde, ore, opere, cogitatione, ſermone commiſſa invenerit, tollit. Hac ergo excepta magna indulgentia, unde incipit hominis renovatio, in qua ſolvitur omnis reatus & ingeneratus & additus, ipſa etiam vita caetera jam ratione utentis aetatis, quantalibet praepolleat fœcunditate juſtitiae, ſine peccatorum remiſſione non agitur; quoniam filii Dei, quamdiu mortaliter vivunt, cum morte confligunt. Et quamvis de illis ſit veraciter dictum quod qui ſpiritu Dei aguntur, ii ſunt filii Dei, ſic tamen ſpiritu Dei excitantur & tanquam filii Dei proficiunt ad Deum ut etiam ſpiritu ſuo maxime adgravante, corruptibili corpore, tanquam filii hominis, in quibuſdam humanis motibus deficiant ad ſe ipſos, & ideo peccent. Intereſt quidem quantum. Neque enim quia peccatum eſt omne crimen, ideo etiam crimen eſt omne peccatum. Itaque ſanctorum hominum vitam, quamdiu in hac morte vivimus, inveniri poſſe dicimus ſine crimine. *Peccatum autem ſi dixerimus quia non habemus*, ait ſanctus Apoſtolus, *nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Sed neque de ipſis criminibus, quamlibet magnis, remittendis in ſancta Eccleſia Dei miſericordia deſperanda eſt agentibus pœnitentiam ſecundum modum ſui cujuſque peccati.

CAP. LXXXII. *Quod in actione pœnitentiae non conſideranda eſt menſura temporis, ſed doloris, quodque non niſi in Eccleſia poſſunt remitti peccata.*

In actione autem pœnitentiae, ubi tale commiſſum eſt ut is qui commiſit à Chriſti etiam corpore ſeparetur, non tam conſideranda eſt menſura temporis quam doloris. Cor enim contritum & humiliatum Deus non ſpernit. Verum quia plerumque dolor alterius cordis occultus eſt alteri, nec in aliorum notitia per verba vel quaecumque alia ſigna procedit, cum ſit coram illo cui dicitur, *Gemitus meus a te non eſt abſconditus*, recte conſtituuntur ab his qui praeſunt Eccleſiis tempora pœnitentiae, ut fiat ſatis Eccleſiae, in qua remittuntur ipſa peccata. Extra eam quippe non remittuntur. Ipſa enim proprie ſpiritum ſanctum pignus accepit, ſine quo non remittuntur ulla peccata, ita ut quibus dimittuntur vitam conſequantur aeternam.

CAP.

CAP. LXXXIII. *De evidenti carnis reſurrectione.*

Carnis reſurrectionem, & vitam æternam. Hæc viſibilis quæ proprie dicitur caro ſine dubitatione credenda eſt reſurgere. Videtur enim Paulus Apoſtolus eam tanquam digito oſtendere quum dicit: *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem.* Qui enim dicit *hoc* in eam quaſi digitum intendit. Quod autem viſibile eſt digito oſtenditur, quoniam poteſt etiam anima corruptibilis dici. Nam vitiis morum ipſa corrumpitur. *Et mortale hoc induere immortalitatem* quum legitur, eadem ſignificatur viſibilis caro, quia in eam identidem velut digitus intenditur. Poteſt enim & anima ſicut corruptibilis propter morum vitia ita etiam mortalis dici. Mors quippe animæ eſt apoſtatare a Deo. Quod primum ejus peccatum in paradiſo ſacris litteris continetur. Reſurget igitur corpus ſecundum Chriſtianam fidem, quæ fallere non poteſt.

CAP. LXXXIV. *Quod in reſurrectione nihil pereat de humana carne, ſed quodcunque in quamlibet perditionem diſperſum extiterit vel conſummatum, totum ad illam animam redeat quae hanc cum viveret animavit.*

Non autem perit Deo terrena materies de qua mortalium creatur caro. Sed in quemlibet pulverem cineremve ſolvatur, in quoslibet halitus auraſque diffugiat, in quamcunque aliorum corporum ſubſtantiam, vel in ipſa elementa vertatur, in quorumcunque animalium aut etiam hominum cibum cedat ea carnemque mutetur, illi animæ humanæ puncto temporis redit quae illam primitus ut homo fieret, creſceret, viveret animavit.

CAP. LXXXV. *Quod omnipotens Deus mirabiliter atque ineffabiliter ex toto quo caro conſtas eam in reſurrectione mirabili celeritate reſtituat. De exemplo quoque ſtatuae ſolubilis metalli, qua quomodo reſurrectio fieri poſſit monſtratur.*

Ipſa itaque terrena materies quæ diſcedente anima fit cadaver non ita reſurrectione ſeparabitur ut ea quæ dilabuntur & in alias atque alias aliarum rerum ſpecies formaſque vertantur, quamvis ad corpus redeant unde dilapſa ſunt, ad eaſdem quoque corporis partes ubi fuerunt redire neceſſe eſt. Alioquin ſi capillis capitis reddit quod tam crebra tonſura detraxit, ſi unguibus quod toties demſit exſectio immoderata & indecens, cogitantibus, & ideo reſurrectionem carnis non credentibus occurrit informitas. Sed quemadmodum ſi ſtatua cujuslibet ſolubilis metalli aut igne liqueſceret, aut contereretur in pulverem, aut confunderetur in maſſam, & eam vellet artifex rurſus ex illius materiæ quantitate reparare, nihil intereſſet ad ejus integritatem quæ particula materiæ cui membro ſtatuæ redderetur, dum tamen totum ea quo conſtituta fuerat reſtituta reſumeret, ita Deus mirabiliter atque ineffabiliter artifex de toto quo caro noſtra conſtiterat eam mirabili & ineffabili celeritate reſtituet: nec aliquid attinebit ad ejus redintegrationem utrum capilli ad capillos redeant & ungues ad ungues, an quod eorum perierat mutetur in carnem & in partes alias corporis revocetur, curante artificis providentia ne quid indecens fiat.

CAP. LXXXVI. *De diverſitate ſtatus & macie vel pinguedine corporum humanorum in qua ſancta corpora hoc ſolum quod decebit habebunt.*

Nec illud eſt conſequens ut ideo diverſa ſtatura ſit reviviſcentium ſingulorum quia fuerat diverſa viventium, aut macri cum eadem macie aut pingues cum eadem pinguedine reviviſcant. Sed ſi hoc eſt in conſilio creatoris ut in effigie ſua cujuſque proprietas & diſcernibilis ſimilitudo ſervetur, in cæteris autem corporis bonis æqualia cuncta reddantur, ita modificabitur illa in unoquoque materies ut nec aliquid ex ea pereat, & quod alicui defuerit ille ſuppleat qui etiam de nihilo potuit quod voluit operari. Si autem in corporibus reſurgentium rationabilis inæqualitas erit, ſicut eſt vocum quibus cantus impletur, hoc fiet cuique de materie corporis ſui quod & hominem reddat angelicis cœtibus & nihil inconveniens eorum ingerat ſenſibus. Indecorum quippe aliquid ibi non erit. Sed quicquid futurum eſt hoc decebit, quia nec futurum eſt ſi non decebit.

CAP. LXXXVII. *Quod ſanctorum corpora ſpiritalia reſurgent, non tamen ſpiritus erunt.*

Reſurgent igitur ſanctorum corpora ſine ullo vitio, ſine ulla deformitate, ſicut ſine ulla corruptione, onere, difficultate, in quibus tanta facilitas quanta felicitas erit. Propter quod ſpiritalia dicta ſunt, cum proculdubio corpora futura, non ſpiritus, ſint. Sed ſicut nunc corpus animale dicitur, quod tamen corpus, non anima eſt, ita nunc ſpiritale corpus erit, corpus tamen, non ſpiritus, erit. Proinde, quantum attinet ad corruptionem quæ nunc aggravat animam & vitia quibus caro adverſus ſpiritum concupiſcit, tunc non erit caro, ſed corpus, quia & cæleſtia corpora perhibentur. Propter quod dictum eſt: *Caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt.* Et tanquam exponens quid dixerit, *neque corruptio*, inquit *incorruptionem poſſidebit.* Quod prius dixit *caro & ſanguis*, hoc poſtea dixit *corruptio*, & quod prius *regnum Dei*, hoc poſterius *incorruptionem.* Quantum autem attinet ad ſubſtantiam, etiam tunc caro erit propter ** & poſt reſurrectionem corpus Chriſti quod appellata eſt. Sed ideo, ait Apoſtolus, *ſeminatur corpus animale; ſurget corpus ſpiritale*; quoniam tanta erit tunc concordia carnis & ſpiritus vivificante ſpiritu ſine ſuſtentaculi alicujus indigentia ſubditam carnem ut nihil nobis repugnet ex nobis, ſed ſicut foris neminem, ita nec intus nos ipſos patiamur inimicos.

CAP. LXXXVIII. *Quod reproborum corpora reſurgent quidem, ſed cum vitiis & deformitatibus ſuis, perenniter punienda.*

Quicunque vero ab illa perditionis maſſa quæ facta eſt per hominem primum non liberantur per unum mediatorem Dei & hominum, reſurgent quidem etiam ipſi, unuſquiſque cum ſua carne, ſed ut cum diabolo & ejus angelis puniantur. Utrum ſane ipſi cum vitiis & deformitatibus ſuorum corporum reſurgant quæcunque in eis vitioſa & deformia membra geſta ſunt in requirendo laborare quid opus eſt. Neque enim fatigare nos debet incerta eorum habitudo vel pulchritudo quorum erit certa & ſempiterna damnatio. Nec moveat quomodo in eis erit corpus incorruptibile, ſi dolere poterit. Non eſt enim vera vita niſi ubi feliciter vivitur, nec vera incorruptio niſi ubi ſalus nullo dolore corrumpitur. Ubi autem infelix mori non ſinitur, ut ita dicam, mors ipſa non moritur; & ubi dolor perpetuus non interimit, ſed affligit, ipſa corruptio non finitur. Hæc in ſanctis ſcripturis ſecunda mors dicitur; nec prima tamen, qua ſuum corpus anima relinquere cogitur, nec ſecunda, qua pœnale corpus anima relinquere non permittitur, homini accidiſſet, ſi nemo peccaſſet.

CAP. LXXXIX. *Quod mitior pœna erit ſoli originali peccato & minimo actuali.*

Mitiſſima ſane omnium pœna erit eorum qui praeter peccatum quod originale traxerunt nullum inſuper

per

per addiderunt, & in caeteris quae addiderunt, tanto quiſque ibi tolerabiliorem habebit damnationem quanto hic minorem habuit iniquitatem.

CAP. XC. *Quod a morte uſque ad reſurrectionem animae in abditis receptaculis teneantur vel requie vel aerumna.*

Tempus autem quod inter hominis mortem & ultimam reſurrectionem interpoſitum eſt animas abditis receptaculis contineri, ſicut unaquaeque digna eſt vel requie vel aerumna pro eo quod ſortita eſt in carne quum viveret.

CAP. XCI. *Quomodo defunctorum animabus viventium oblationes & eleemoſynae vel proſint vel minime proſperentur.*

Neque vero negandum eſt defunctorum animas pietate ſuorum viventium relevari, cum pro illis ſacrificium mediatoris offertur, vel eleemoſynae in Eccleſia fiunt. Sed eis haec proſunt qui cum viverent ut haec ſibi poſtea poſſent prodeſſe meruerunt. Eſt enim quidam vivendi modus, nec tam bonus ut non requirat iſta poſt mortem, nec tam malus ut non ei proſint iſta poſt mortem. Eſt vero talis in bono ut iſta non requirat. Et eſt rurſus talis in malo ut nec his valeat, cum haec vita tranſierit, adjuvari.

CAP. XCII. *Quod vita aeterna ſit gratia Dei, ſtipendium vero mortis peccatum.*

Vita aeterna, quae merces eſt operum bonorum, gratiam Dei commendat Apoſtolus. *Stipendium*, inquit, *peccati mors. Gratia autem Dei vita aeterna in Chriſto Jeſu Domino noſtro.* Stipendium operae militiae debitum redditur, non donatur. Ideo dixit, *ſtipendium peccati mors*, ut mortem peccato non immerito inlatam, ſed debitam, demonſtraret. Gratia vero, niſi gratia eſt, gratia non eſt. Intelligendum eſt igitur etiam ipſius hominis bona merita eſſe Dei munera; quibus cum vita aeterna redditur, quid niſi gratia pro gratia redditur?

CAP. XCIII. *Quod in hac vita comparetur quo poſſit poſt hanc vitam quiſque vel relevari vel aggravari.*

Quocirca hic omne meritum comparatur quo poſſit poſt hanc vitam relevari quiſpiam vel gravari. Nemo autem ſperet quod hic neglexit cum obierit Deum. Iſta quae pro defunctis commendandis frequentat Eccleſia illi apoſtolicae ſunt adverſa ſententiae qua dictum eſt: *Omnes enim adſtabimus ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque ſecundum ea quae per corpus geſſit, ſive bonum, ſive malum.* qui etiam hoc meritum ſibi quiſque, cum in corpore viveret, & comparavit ut ei poſſent iſta prodeſſe. Non enim omnibus proſunt. Et quare non omnibus proſunt niſi propter differentiam vitae quam quiſque geſſit in corpore.

CAP. XCIV. *Quid agant ſacrificia & eleemoſynae pro baptizatis defunctis oblata.*

Cum ergo ſacrificia ſive altaris ſive quarumcunque eleemoſynarum pro baptizatis defunctis omnibus offerantur, pro valde bonis gratiarum actiones ſunt, pro non valde malis propitiationes ſunt, pro valde malis, etiamſi nulla ſunt adjumenta mortuorum, qualeſcunque vivorum conſolationes ſunt. Quibus autem proſunt, aut ad hoc proſunt ut ſit plena remiſſio, aut certe ut tolerabilior fiat ipſa damnatio.

CAP. XCV. *Quod poſt reſurrectionem impleto iudicio permanebunt ſingulae civitates in angelis & hominibus Chriſti in gloriam aeternam, zabuli in damnationem perpetuam.*

Poſt reſurrectionem vero, facto univerſo impletoque iudicio, ſuos fines habebunt civitates duae, una Chriſti, altera diaboli, una bonorum, altera malorum, utraque tamen & angelorum & hominum. Illis voluntas, illis facultas non poterit eſſe ulla peccandi vel ulla conditio moriendi; illis in aeterna vita vere feliciterque viventibus, illis infeliciter in aeterna morte ſine moriendi poteſtate durantibus; quoniam utrique ſine fine. Sed in beatitudine eſt alius alio praeſtabilius. In miſeria vero illi alius, alio tolerabilius permanebunt. Manebit ergo ſine fine mors illa perpetua damnatorum, id eſt alienatio à vita Dei, & omnibus erit ipſa communis, qualibet homines de varietate poenarum, de dolorum relevatione vel intermiſſione pro ſuis humanis moribus ſuſpicentur, ſicut manebit communiter omnium vita aeterna ſanctorum, qualibet honorum diſtantia concorditer fulgeant. Haec eſt fides quae paucis verbis tenenda in ſymbolo novellis Chriſtianis datur. Quae pauca verba fidelibus nota ſunt, ut credendo ſubjugentur Deo, ſubjugati recte vivant, recte vivendo cor mundent, corde mundato quod credunt intelligant.

CAP. XCVI. *De reliquis cauſis ad regulam verae fidei pertinentibus.*

Poſt apoſtolicum ſymbolum & ea quae de patre & filio atque ſpiritu ſancto ſecundum ineffabilem deitatis naturam atque etiam ſecundum diſpenſationem temporalem de incarnatione Chriſti ſunt dicta, haec item fidei ſunt congrua pari credulitatis virtute tenenda. Quod novi & veteris teſtamenti ſit unus Deus. Quae duo teſtamenta ſalubriter divina commendat auctoritas, illud per prophetiam, iſtud per hiſtoriam veraciter perſolutum. Quod neque de Deo neque de creaturis cum gentilibus vel haereticis aut ſchiſmaticis ſit aliquid ſentiendum in his quae a veritatis fide diſſentiunt, ſed quod utrumque teſtamentum per divinum commendat eloquium hoc ſolummodo ſentiendum. Quod caelum & terram & mare & omnia quae ſunt in eis nulla neceſſitate creaverit Deus, nec omnino ullam eſſe viſibilem atque inviſibilem ſubſtantiam quae aut ſit Deus aut non ſit a bono Deo creata, ſed Deum ſummum & incommutabile bonum, creatura vero inferius & mutabiliter bona. Quod angelorum vel animae natura non ſit pars divinae ſubſtantiae, ſed Dei creatura ex nihilo condita, & quia ad imaginem Dei creata, ideo incorporea. Ipſius vero animae natura habetur incerta. Quod pietas morum omnimodo ſit tenenda, ſine qua fides divini cultus otioſa torpet, & cum qua divini cultus integritas perfecta conſiſtit. Quod Deus propter ſe ipſum diligendus ſit, proximus vero in Deum, inimicus autem propter Deum, ut a Deo incipiens dilectio per proximum proficiat, & uſque ad inimicum proficiendo perveniat, ſicque dum per proximum provecta ad inimicum pervenerit, in Deo plena conſiſtat. Quod alter alterius pollui peccato non poſſit ubi voluntatis purae conſenſio non tenetur. Quod legitimae nuptiae non credendae ſunt eſſe damnandae, quamvis ex eis obnoxia originali peccato credatur naſci progenies. Quibus tamen fidelium virginum vel continentium praeferenda jure doceatur integritas. Quod poenitentiae remediis non egere putandum non eſt pro exceſſibus cotidianis humanae fragilitatis ſine quibus in hac vita eſſe non poſſumus, ita ut fructuoſa poenitentiae compunctione univerſa confiteamur deleri peccata, ſicut Spiritus Dei docet: *Beati quorum remiſſae ſunt iniquitates & quorum tecta ſunt peccata. Beatus vir cui non imputabit Dominus peccatum.* Quod nullus homi-

Digitized by Google

minum ſuis viribus, ſed per gratiam divinam, ſuo capiti, quod eſt Chriſtus, poſſit ſubjungi atque indiſruptae pacis perſeverantia in unitate ipſius Eccleſiae ſolidari. Quod humanae voluntatis arbitrio nihil boni poſſe aeſtimandum eſt deputari, ſed ſecundum propoſitum voluntatis Dei omnem numerum electorum adquiri. Quod bona temporalia bonis maliſque communia a Deo creata ejus diſpoſitione ſingulis quibuſque vel negentur vel tribuantur providentia diſpoſitionis ejus adminiſtrante; quorum bonorum in unoquoque fidelium non habitus, ſed uſus, vel improbandus eſt vel probandus. Quod certe aeterna bona ſoli poſſint boni in futuro conſequi, quorum bonorum pignore Eccleſiam nunc informatam credimus detineri habentem hic ſpiritus primitias, in futuro perfectionem, hic in ſpe ſuſtentari, illic in re poſtea ſatiari, hic videre per ſpeculum in aenigmate, in futuro autem facie ad faciem, cum fuerit ad ſpeciem perducta per fidem. Quod bonum donec perficiatur in nobis ut fruamur plenitudine ſummi Dei ſuavitate fruendum in Deo noverimus & proximis. Et quod hanc ſpem reſurrectionis debemus habere, ut eadem veritate carnis qua Dominus reſurrexit a mortuis nos quoque reſurrecturos eſſe credamus in eodem corpore in quo ſumus vel vivimus, non naturam aut ſexum mutantes, ſed tantum fragilitatem & vitia deponentes. Quod Satanas cum angelis ſuis atque cultoribus aeterno ſit incendio condemnandus, neque aliquando ad priſtinam id eſt angelicam dignitatem, ex qua propria ceciderunt impietate, ſecundum quorundam ſacrilegam diſputationem poſſe reduci. Haec eſt traditionis catholicae vera integritas fidei; de qua ſi unum aliquid renuatur, totius fidei robur amittitur.

CAP. XCVII. *Quod poſt ſymbolum veniatur ad fontem.*

Digeſtis cunctis his quae tam ad unius ſanctae fidei regulam pertinent quam illis quae eidem fidei plena ſtabilitate cohaerentia comprobantur, quibus poſt catecuminum inſtrui convenit competentem, venitur ad fontem quaſi ad mare rubrum, ut qui ſerviebant in Ægypto ſub Pharaone principe, luto & lateribus palearum levitate confectis, id eſt, qui haerebant mundo zabulo imperante in terrenis actibus malarum cogitationum admixtione concretis, duce Chriſto, quaſi duce Moyſe, poſſint ad liberationem ſui quantocius pervenire.

CAP. XCVIII. *Quod homo in mundo ita ſervit principi mundi ſicut Iſraël ſervivit in Ægypto Pharaoni.*

Itaque ſub Ægyptio Rege luto, paleis, & lateribus in eorum aedificiis qui ſua liberatione peribunt afficitur Iſraël, ſic demum ſub principe mundi homo ante baptiſmum per levitatem immundae cogitationis cotibus luteis adducitur, formans maceriam nequiſſimae actionis; in qua dum converſatur & ſibitu malae utitur voluptatis, & jugo premitur noxiae ſervitutis.

CAP. XCIX. *Quid ſignificent nubes & columna quae praeceſſerunt populum ſalvandum.*

Jam tunc nocte in columna ignis & per diem in columna nubis Dominus videtur praecedens populum dux factus itineris. Eadem nubes praecedens Chriſtus eſt, qui etiam & columna, quia rectitudo & firmitas & ſuſtentatio eſt noſtrae infirmitatis, non per diem ſed per noctem lucens, ut qui non vident videant, & qui vident caeci fiant, id eſt, ut ignorantia humilis inluſtretur, & inflans ſcientia obſcuretur. Item aliter. Chriſti ſacramentum tanquam in die manifeſtum eſt in carne velut in nube, in judicio vero tanquam in terrore nocturno, quia tunc erit magna tribulatio ſaeculi tanquam ignis, & lucebit juſtis, & ardebit injuſtis. Item aliter. In igne terror eſt, in nube viſionis lene blandimentum. Dies vita juſti & nox accipitur vita peccatoris. In die ergo per nubem columna monſtrata eſt, & in nocte per ignem, quia omnipotens Deus & blandus juſtis & terribilis apparebit injuſtis. Iſtos in judicio veniens per lenitatis manſuetudinem demulcet, illos per juſtitiae diſtrictionem terret. Item aliter. Quid eſt quod columna nubis in die populum praeibat, & ſplendor ignis non in die ſed in nocte radiabat, niſi quia redemptor noſter ſuo converſationis exemplo ducatum ſe ſequentibus praeſtans, de juſtitia ſua confitentibus nulla luce claruit, peccatorum ſuorum tenebras agnoſcentibus igne ſui amoris infulſit.

CAP. C. *Quomodo per columnam ſubſequentem & praecedentem liberum arbitrium oſtenditur regi per gratiam praevenientem & ſubſequentem miſericordiam Dei.*

Attendendum ſane eſt quomodo vel in nos vel in his qui renaſcuntur per nos liberum arbitrium ſine Dei gratia nihil boni poſſit. Nam ecce ſalvandum populum columna praecedens dimittit priora poſt tergum, & ſtat inter caſtra Ægyptiorum & caſtra Iſrael, obſiſtendo illis, proſperando iſtis, ſignificans in eo quod primum praeceſſit praeveniente gratia nolenti homini bene velle eſſe collatum, in eo quod a tergo poſteriora tuetur per ſubſequentem miſericordiam adjuvari poſſe coepta perficere & implere poſtrema ſervando. Illic columna iter liberationis oſtendens praeceſſit populum, hic gratia praevenit liberum arbitrium. Illic columna tuetur extrema, hic miſericordia ſubſequitur infirma. Illic quaeſitum eſt ut liberarentur qui perire nolunt. Hic datur ut nolentes bene velint. Illic pavor affertur dum a tergo hoſtibus obviatur. Hic ſubſequens miſericordia occurrit dum infirmitas adjuvatur. Nam niſi & praeiens & ſubſequens liberando populo adjutorium adeſſet qui lumen vitae praeſtaret, cum ad excidium hoſtis ſubſequens irrueret, ſicut & hic agitur, quid baptizandis praecedens fides proderit, niſi liberans a malo ſubſequens miſericordia fidei opus implere conceſſerit. Bene ergo columnae lumen liberandum populum, & ne poſſit interire, praecedit, & ſequitur, ne interimi poſſit, quia gratia ſalvatoris liberum hominis arbitrium ut bene velit grate praevenit, & ut bene poſſit illi miſeranter attribuit.

CAP. CI. *De congreſſione itineris & ingreſſu rubri maris, quorum ſignificantia tenetur in aquis fontis.*

Eſt ſalvando Iſraëli dux Moyſes. Factus eſt redimendo homini dux Jeſus. Ille relinquit Ægyptum, iſte mundum. Illum inſequuntur Ægyptii, hunc inſequitur multitudo delicti. Illic (mare) rubore litoris coloratum, unde & dicitur rubrum. Hic eſt baptiſmus Chriſti ſanguine conſecratus. Illic virga vaſtitas dividitur maris. Hic ſigno crucis reſeratur aditus fontis. Illic ingreditur Iſraël, hic tinguitur homo. Illic inter aquas per ſiccum ſine impedimento tranſitur, hic per aquas iter ſalutare peragitur. Illic inſequentes Ægyptii cum Pharaone merguntur; hic peccata cum zabulo necantur, non perditione naturae, ſed poteſtatis amiſſione. Nam in quantum zabulus eſt conſtat, in quantum male potuit jam non conſtat. Unum elementum utriſque exitium atque ſubſidium eſt, dum perituros perimit & eruendos provehit, dum morituros necat & victuros juvat, dum exitioſos dejicit & eximendo ſeducit. Exultant qui liberati ſunt in gloriam liberatoris & in gratiam liberationis. Poſt mare & poſt fontem dicitur: *Cantemus Domino. Glorioſe enim honorificatus eſt. Equum & aſcenſorem projecit in mare. Adjutor & protector meus Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem.*

CAP.

CAP. CII. *De figura & typo baptiſmi in nube & mari à Paulo Apoſtolo commendatis.*

Figura & typum baptiſmi hujus bene Paulus commendans dicit: *Nolo vos ignorare, fratres, quia omnes patres noſtri ſub nube fuerunt, & omnes per mare tranſierunt*. Ut quid per mare tranſierunt quaſi quaereres ab illo, ſecutus ait: *& omnes per Moyſen baptizati ſunt in nube & in mari*. Si ergo figura maris tantum valuit, ſpecies baptiſmi quantum valebit? Si quod geſtum eſt in figura trajectum populum ad manna perduxit, quid exhibebit Chriſtus in veritate baptiſmi ſui trajecto per eum populo ſuo.

CAP. CIII. *Quod tranſitus maris perveniendi ad manna ſignificet poſt baptiſmum venire ad Chriſti corporis ſumtum.*

Quo trajicit per baptiſmum Jeſus, cujus figuram tunc gerebat Moyſes, qui per mare trajiciebat, niſi ad manna. Quod eſt manna? *Ego ſum panis vivus qui de cœlo deſcendi*. Manna accipiunt fideles jam trajecti per mare rubrum. Quia ergo, ut dictum eſt, omnes per Moyſen baptizati ſunt in nube & in mari, & a Domino dicitur, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto non videbit regnum Dei*, bene habuit mare formam aquae, nubes vero ſpiritus ſancti, manna panis vitae. Quibus ſacramentis purificatus & vivificatus homo valeat in hereditatem terrae viventium intromitti. Jam fontis figuram mare habuiſſe patuit. Nunc ipſius ſacri fontis myſteria demonſtrentur.

CAP. CIV. *Quod uno tempore ſit & generatio rerum & regeneratio hominum.*

Huic fonti ad novae regenerationis effectum illud tempus occurrit quo habere mundus exordium cœpit, ut generatio rerum & regeneratio animarum uno tempore ſibimet inhaererent, dum veris tempore fieri utraque pateſcerent. Primo etenim menſe initium mundi exoritur. Similiter in eodem menſe fieri Paſcha praecipitur. Sic inchoat novitas rerum, ſic inchoat novitas animarum. Quae in mundo per novitatem creata ſunt mortalitatem attingunt. Quae poſt vetuſtatem in morte Chriſti conſepulta reſurgunt ad aeternitatem perveniunt. Unde vero concurrit ut eo tempore videatur in hanc generationem atque in hos uſus ingreſſus attribuitur quo tempore ex hac generatione in generationem eſt legitimus tranſitus. Siquidem verno tempore filii Iſrael Ægyptum reliquerunt & per mare tranſierunt. Hoc tempore Domini noſtri Jeſu Chriſti Paſcha celebratur. Hoc eſt animarum tranſitus à vitiis ad virtutem, à paſſionibus carnis ad gratiam ſobrietatemque mentis, à malitiae nequitiaeque fermento ad veritatem atque ſinceritatem. Regeneratis itaque dicitur: *Menſis hic vobis initium menſium Primus eſt vobis in menſibus anni*. Derelinquit enim & deſerit qui abluitur intelligibilem illum Pharaonem principem iſtius mundi cum omnibus operibus ſuis.

CAP. CV. *Quod ſuſtinere dicitur myſteriorum ſacramentum donec in ſuperficie miraculum oſtendatur aquarum.*

Fontis hujus, cui divinae ſanctificationis inlabitur virtus, & ex ſuperficie miraculum & ex myſterio pandamus arcanum. Contemplamur in hoc fonte numero ſuorum miraculorum inſignia, & aſpicitur operatio ex divina inſtitutione pavenda. Eſt enim in eo ſimilitudo propheticae virtutis, certitudinis tempus, veritatis ſtatus, odor ignotus, humor in ſicco profluus, ſine lapſu fluctus erectus, ſine exhauriente cito vacuus, ſitus ad copiam indeficiens, fluxus renaſcentis ad vitam aditus, perimendis delictis interitus, abrenuntiatio impietatis, confeſſio divinae & unicae trinitatis, in libertatem juſtitiae aeterna memoria, in opere peccati perennis oblivio, in remunerationem gloriae perpetua plenitudo. Habet itaque ſimilitudinem propheticae virtutis, quia quinta feria Paſchae odorem denuntiat quod poſt triduum paſchali ſabbato viſione praeſentat. Habet certitudinis tempus, quia ad teſtimonium dominicae reſurrectionis nullo eventu variatur erroris. Habet veritatis ſtatum, quia individuum cum feſto paſchali ſervat eventum. Habet odorem ignotum, quia diſſimilem gratiae flagrantiam manat odorum. Habet humorem in ſicco profluentem, quia inter ariditatem ſaxorum ſine ullo inlapſu exundantis invenitur aquarum. Habet ſine lapſu fluctum erectum, quia cum nullius motionis ſed tantum ſuae quietis ſe moveat undis, oram non tranſgreditur limitis. Habet ſine exhauriente cito vacuum ſitum, quia ſicut ſine cognitione ubertas inruit, ita ſine evacuatione ſiccitas occurrit. Habet ad copiam indeficientem fluxum, quia potui repoſitione quae è liquore diviti perſiſtente plus ablatio tollit quàm capacitas retentat. Habet renaſcendi ad vitam aditum, quia congreſſi illum morte dempta transferuntur in vitam. Habet perimendorum delictorum interitum, quia illic demerſus ex vetuſtate peccati purificatus homo conſurgit in gratiam novitatis. Habet abrenuntiationem impietatis, quia nemo illum aggreditur niſi qui abrenuntiaverit diabolo & angelis ejuſque operibus cunctis. Habet confeſſionem divinae & unicae trinitatis, quia omnis qui eum aggreditur in nomine patris & filii & ſpiritus ſancti baptizatur. Habet in libertate juſtitiae aeternam memoriam, quia is qui tinguitur liberatus à ſervitute peccati tranſit in libertatem gloriae filiorum Dei. Habet in opere peccati perennem oblivionem, quia obliviſcens priſtinae converſationis quae retro eſt, extendit ſe per beatam ſpem ad aeternorum munera praemiorum. Habet in remuneratione gloriae perpetuam plenitudinem, quia liberatus homo a corruptione laborum exultationis jubilo laudabit Deum in ſaecula ſaeculorum.

CAP. CVI. *De deſcriptione efficientiarum aquæ fontis. De patentis admiratione miraculi.*

Verum ut evidentius rei ſpecies demonſtretur, pleniori affatu eſt actio exſequenda. Ecce videmus loculum fontis conſtructum arentibus ſaxis, marmoriſque obductum cruſtulis ſiccis, quem ita conſtruentis induſtria juncturis tabularum gypſo & calce, cera quoque, & marmoris pulvere compſit & ſolidavit ut nullo pateat vel acceſſu vel ſpiramine pervium, nullo dirivationis alicujus humore ſuſpectum. Et unde poſt totius anni recurſus annales hodierna gloria viſionis? Unde poſt annuam ſiccitatem viror repens? Unde inter ſaxa latices? Unde inter marmora aquae? Unde in ſicco flumina? Unde in arenti lapide exundantia lymphae? Non aditus rivuli, non imber pluviae patet, non minimum ros, non madens nebula ſupervenit, laquearia tectorum integra ſtillant, fores clauſi inventi ſunt, ſignacula ſalva reperta ſunt, nullus infidelis ad inludendum fidei acceſſit, nullus fidelis ad providendum fidei introivit, nullus prorſus qui tantum miraculum vel ſimularet vel impediret acceſſit. Attendatur ergo auctor ille ineffabilis & opera ejus admirabilis. Atque ita ex effectibus operationis ipſius cognoſci poterit virtus operis ejus.

Nudius tertius miraculi hujus aër nuntius fuit. Et quia ſera clauſtrorum aſpectum oculis negavit, virtus odorationem odoratui patefecit. Longe inquam, longe procul odor exiit & futurae viſioni fidem dedit. Ecce ventum eſt in praeſenti & patenti obtutu; omnes illic admirantes inſignimus viſus, aſpicimus fontem affatim aquis exuberantem, quem noveramus arentem. Videmus inſultantes gurgites aura nulla com-

Digitized by Google

commotos. In cumulum aquae ſubriguntur, & tranſgreſſus luminis nullus aſpicitur. Nullo tacta flatu clara movetur; & tumore motionis dum non tranſgreditur oram, continet exaeſtuantem in exaggeratione procellam. Videas inhiai undas, verſare globos, rotare fluctus, & ſitu loci cum flatu elementi luctante, alteri cedere neſcit alter. Tenent incognitum ſaxa liquorem, & gratulantur ſua ſterilitate genitum quem aliena fœcunditate neſciunt infuſum. Compellunt marmora continere quod acceperunt. Sed lex illa vetat obſiſtere cur non ad menſuram tenet capacitas quod ad copiam inflexit ubertas. Item aquae tranſiliunt aequitatem, ſed conglobatae non tranſeunt limitem. Suis motibus modo inſultat in verticem, modo relabitur ad quietem, modo criſpantem efficit ſuperficiem, modo criſpantis varietatis planitiem reddit aequalem. Comminatur egreſſum, nec tamen deſerit ſitum. Omni tempeſtate quieſcit, ſola quiete movetur. Omni perturbationis commotione carens, ſuae tantum admirationis motibus arridet & plaudit. In augmento miraculi non ſatis eſt quod arentium ſitum lapidum aquae in pulvere naſcentes, niſi tanta conſtet ubertas ut conſiderari nequeat ſtatu conſtante quanta vaſorum millia referta fidelium populorum auferat fides. Praeeunte fidei amore violenter aggreditur, certatim incumbitur, ubertim aufertur, & obviante ſibi itu vel reditu, ab innumeroſitate concurrentium, dum pietas vincit, fides injuriam non ſentit. Inſiſtente preſſura, inliduntur vaſcula, & tam indite hauſtus liquor effunditur ut in lutum pavimenta vertantur. Exempto unicuique remedio quo vel quiſque bibit, vel per latitudinem orbis terrae aſportata & reponenda ſervatur ubertas. Cujus abundantiae admiratio immenſa, manſurae conſideratio nulla eſt. Hoc ſolum poteſt intelligi quod plus potuit auferri quam inveniri. Color hujus luce clarior lymphae, aëre purior. Sapor cunctis aquae ſaporibus ignotus & gratior. Virtus placida, ſpecies decora, novitas admiranda, vetuſtas tanta diuturnitate durabilis ut annis exempta nullo vitio ſit corrupta. Caeterarum porro aquarum ſola novitas grata eſt, & illa jucundior quae odore nullo reſpirat. Nam quamvis nitidis tenta vaſis, ſi repoſita mane, à primum exhauſto ſimpore fit craſſior, concepto foetoris olfactu, cujus graſſedo pingueſcit in faecem, ſed poſt humorem redit in terram. Haec autem nunquam limporis, nunquam odoris, nunquam ſaporis gratia caret. Sic in admiratione nova, in creatione antiqua, in uſibus ſalutis probatur aſſidua. Jam quia detetur in miraculo, & hoc mirum eſt, quod nequit ſtare ſemper in miraculi ſtatu, ſed quia mirabiliter venit, nonniſi mirabiliter abſcedit. Nam ſicut nullus eſt in accedendo infuſionis aditus, ita nullus in recedendo meatus. Ex incognito plenus inventus, ex incognito vacuus aſpicitur locus. Ubi elapſa ſicut & unde inlapſa ſit aqua non invenitur. Quid ergo, niſi quia omnipotentia Dei, quae hanc mirabiliter infuſit, mirabiliter exhaurit? Ex toto prima, media, & extrema conſtitutis in miro dum in ſicco natatur, dum fluctuante latet nec labitur, dum ſine evacuatione ſiccatur. Nam ſtat plenus fontis loculus. Et poſtquam a ſacerdote extiterit benedictus, ſuſtinet omnes concurrentium conventus, quantumve ex illo corporaliter bibatur, quantum ex impetu convenientium humi vertatur, quantum in diverſas terras religioni convenientibus vaſculis aſportata ſervetur, nulla aeſtimatione colligitur. Stat certe tam indeficiens haurientibus ut plus ablato aquam capuit neſciat minorari. At ubi baptizans infantulum ſacerdos immerſerit, mox quies eſt; ſicque viſibiliter redit in nullo quae inviſibiliter crevit ex nullo. Haec ſunt in illo ſpeciali propter aquae novitatem fonte mirabili. In illo autem mirabiliter univerſali & ſingulariter generali, cum quo & iſte unus eſt qui ſignificatus eſt, propheta dicente: *Erit in die illa fons patens domui David & habitantibus in Hieruſalem in ablutionem peccatorum & menſtruatae.* Qui ideo patens quia nulli clauſus. Quare omnes in eo renaſcimur, per quem & peccatorum delicta purgantur, & menſtruatae ſordes, hoc eſt immundae animae, ſalutari lavacro abluuntur: qui ita unus eſt ad regenerationis gratiam ſicut & una fides & una Eccleſia Dei vivi, quae ſignificatur per domum David. Haec ex ordine ſacramenta complentur.

CAP. CVII. *Quare & unde fons in quadrageſima clauditur & in Paſcha reſeratur.*

Hic fons, quia plenus eſt myſteriis humanae ſalutis, bene ſub diſpoſitione pontificali ſignatus clauditur & ſignatur ut reſeretur. Clauditur autem diebus quadrageſimae, aperitur tempore Paſchae. Quod quadrageſima obſignatur oſtendit, excepto graviſſimae neceſſitatis obventu, his diebus per totum orbem fieri baptiſmum omnimode non licere. Quod vero in Paſcha per ſanctificationem Pontificis aperitur demonſtrat dominicae patere myſterium reſurrectionis, in quo ad vitam factus eſt aditus homini, ut per baptiſmum conſepultus in morte Chriſti reſurgat cum eo in gloria Dei. Et ſicut hoc eſt ubique cohibere baptiſmum quod in loco claudere fontem, ita quoque eſt aperire fontem, dare baptizandi licentiam generalem. Clauditur autem fons ſignaculo anuli, aperitur vero benedictione ſacerdotis & myſteriis ſacramenti.

CAP. CVIII. *De tempore & loco baptizandi.*

Quam baptiſmi celebritatem duobus tantum temporibus Paſcha & Pentecoſten apud legitimorum ſedes Epiſcoporum coram ipſis fieri & apoſtolica & paterna ſanxit antiquitas. In ſubjacentibus autem vicinis Epiſcopis Eccleſiis id effici non debere, ne dum paſſim per diverſa loca conventus dividitur populorum, vel non ſit quibus conferatur gratia doctrinarum, vel minoretur ſublimitas veneranda Pontificum. Per parochiarum autem Eccleſias longe poſitas convenienter licet ut fiat, ne dum prolixa itineris longitudo diſtenditur, deſiderabilis & cito perficienda gratia differatur. Extra haec duo tempora propter ſolam neceſſitatem mortis omni tempore libere conceditur baptizare.

CAP. CIX. *De expoſitione myſteriorum fontis.*

Accedit deinde ſacerdos ad fontem; & ſicut Moyſes ibat in nomine Domini, ita iſte Deum exorans aquis officia ſanctificationis infundit. Moyſes illic virga percuſſit aquas, & ſalutare patuit iter. Sacerdos hic ſignaculo ligni crucis contingit aquas, & reſeratur ad ſalutem ingreſſus. Alioquin niſi Moyſes virga percuteret aquas, non pateret inter fluctus aditus libertatis. Et nunc niſi nomine & cruce ligni Chriſti fontis aquae tangantur, nullum ſalvationis remedium obtinetur. Exorciſmum apponit, ne quid illic lateat ex contagione ſiniſtrae partis admixtum. Oleum infundit, ut ſacramento illi quo in exordio creationis ſuper aquas Dei ſpiritus ferebatur, ſanctificationis infuſione particeps approbetur. Benedictionem profert, ut eum abolere maledictum potentem efficiat.

CAP. CX. *De gradibus fontis.*

Hic fons origo eſt omnium gloriarum. Qui habet ſeptem gradus, tres in deſcenſum propter tria quibus renuntiatio fit, id eſt in quibus renuntiatur diabolo & angelis ejus & operibus ejus & imperiis ejus. Tres alii in aſcenſum propter tria quae confitemur, patrem & filium & ſpiritum ſanctum, qui eſt unus in trinitate Deus. Septimus vero iſte eſt qui & quartus, id eſt ſimilis filio hominis extinguens fornacem ignis, ſtabilimentum pedum, fundamentum aquae, in quo plenitudo divinitatis habitat corporaliter. Per tria itaque baptizandus deſcendit quando tribus abre-

nuntiavit. Relinquendo enim diabolicam altitudinem, deſcendit ad baptiſmi Chriſti humilitatem. Atque ita in quarto gradu ſolidamentum inveniens, ex his quibus abrenuntiavit liberatus ſtat. Dehinc aſcendit per trinitatis confeſſionem. Et ipſe eſt ſeptimus ad ſummam liberationis, qui fuit quartus ad requiem libertatis.

CAP. CXI. *De duabus pactionibus abrenuntiationis & credulitatis.*

Duae autem ſunt pactiones. Prima, in qua diabolo renuntiatur cum dicitur, *Abrenuntio tibi diabole & angelis tuis, operibus tuis, & imperiis tuis*, ne jam ſerviat ei vel terrenis corporis paſſionibus vel depravatae mentis erroribus, qui, dimiſſa omni malitia vice plumoi, bonis operibus dextra laevaque munitus, ſaeculi hujus freta inoffenſo ſtudeat veſtigio pertranſire. Secunda, in qua creditur Deo in nomine trinitatis, ut tenens virtutem ejus dilectionis permaneat cum illo in laudibus ejus ſaeculis ſempiternis.

CAP. CXII. *Quod in nomine trinitatis detur baptiſmum, & quod in baptiſmo quæcunque perſona trinitatis omiſſa ſit, nihil baptiſmi celebritas agat, quoque Chriſti baptiſmum in trinitate extiterit actum.*

Dein ſecundum praeceptum Domini dicentis, *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filii & ſpiritus ſancti*, ſubinferente ſacerdote, *ut habeas vitam æternam*, tinguitur homo aquis, ac tunc oſtenditur ei firma promiſſio quam Dominus dixit: *Qui credit in me habet vitam æternam.* Quod ſi omiſſa qualibet trinitatis perſona baptiſmum conferatur, omnino nihil egiſſe baptiſmi ſolemnitas deputetur, niſi tota trinitas veraciter invocetur. Nam & baptiſmus Domini, quando a Johanne baptizabatur, in trinitatis veritate celebratus agnoſcitur. Cum enim diceretur a Deo, *Hic eſt filius meus*, ecce pater in voce, filius in corporis veritate, ſpiritus ſanctus in ſpecie columbae.

CAP. CXIII. *Quod baptiſmum & originale & actuale peccatum tollat, & quod non niſi renatus habeat vitam aeternam, & quare vel abrenuntiationem vel confeſſionem alii propter alios profitentur.*

Majoribus autem & perfectis aetate baptiſmus vel ad purgationem originalis noxae vel ad abolitionem actualis proficit culpae, ut uno beneficio ſalutari deleatur ſimul originale & actuale peccatum. Parvulis verò ad hoc ſolum valet ut delictum quod ab Adam generatio traxit hac regeneratione ſolvatur: qui ſi ante quam regenerentur e ſaeculo tranſierint, in regno Dei heredes Chriſti non erunt, dicente Domino: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto non videbit regnum Dei.* Denique iidem parvuli ideo alio profitente vel abrenuntiant zabulo vel credunt Deo quia per ſe loqui non poſſunt, ſicut aegri, muti, & ſurdi aliis profitentibus propter eos ipſi . . . . . baptizantur.

CAP. CXIV. *De his qui de fonte baptizatos excipiunt, & quid cum eis agere debeant.*

Illi ſane qui ex utero matris Eccleſiae, id eſt ex lavacri fonte, per ſpiritum ſanctum genitos in adoptionem filiorum religioſo amore excipiunt, & ante quam baptizantur, & poſtquam baptizati fuerint, non ſolum exemplis, ſed etiam verbis eos admonere prorſus oportet. Et ſicut uterque ſexus ex eodem fonte renaſcitur, ſic uterque ſexus renatos excipiens doctrinæ ſalutaris uſum habere debet. Qui etiam cognoſcant ſe fidei juſſores exiſtere. Pro ipſis enim reſpondent quod abrenuntient diabolo, angelis & operibus ejus, affirmantes credere eos in nomine trinitatis. Ideoque tam illi qui excipiunt quam qui excipiuntur ab eis pactum quod cum Deo in ſacramento baptiſmatis pepigerunt omni cuſtodire vigilantia debent; ut dum ſervant quod in regeneratione præceptum eſt, accipiant quod in remuneratione promiſſum eſt.

CAP. CXV. *Quod pro ſpe futuræ beatitudinis regeneratio detur, non ut temporalis mortis pœna tollatur.*

Licet vero per beneficium regenerationis delictum ſolvatur originis, manet tamen pœna mortis in eos quos a reatu ſolvit gratia ſalvatoris; ut noverit homo pro ſpe futuræ beatitudinis regenerationem accipere, non ut pœnam temporalis mortis poſſit evadere; quia etſi æternæ gloriæ vitam gratia contulit, temporalis mortis pœnam inlata ſententia non reſolvit.

CAP. CXVI. *Quod ſolis ſacerdotibus liceat dare baptiſmum, excepto neceſſitate periculi.*

Sane dare baptiſmum non Diaconibus, non clericis, non quibuſcunque licere niſi ſacerdotibus ſolis, dicente Domino diſcipulis tantum: *Sicut miſit me pater, & ego mitto vos.* Et item ad diſcipulos: *Ite docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filii & ſpiritus ſancti.* Patet ergo ſolis ſacerdotibus dare baptiſma eſſe permiſſum. Cujus rei miniſterium abſque Epiſcopo vel Presbytero nec Diaconibus eſt conceſſum, niſi illis longe poſitis ultima neceſſitas vel languoris vel periculi cogat. Quod clericis & fidelibus laicis fieri utcunque conceditur, ut nullus e ſæculo ſine vitali remedio tranſiiſſe videatur.

CAP. CXVII. *Quid ſignificat quod infans aquis immergitur ad ſimilitudinem mortis Chriſti. De ſimpla quoque & trina baptiſmatis merſione.*

Quod aquis infans mergitur in Chriſti morte baptizatur, dicente Paulo: *Quicunque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu in morte ipſius baptizati ſumus. Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in morte.* Item quod infans ab aquis educitur, reſurgi cum Chriſto monſtratur, ſubſequente eodem Apoſtolo: *ut quomodo ſurrexit Chriſtus a mortuis per gloriam patris, ita nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis ejus, ſimul & reſurrectionis erimus.* Quod autem ſemel mergitur, in unius deitatis nomine tingitur. Si autem tertio mergatur, trium dierum ſepulturæ Domini numerus demonſtratur. Unde in una fide nihil contrarium habet conſuetudo diverſa. Sed quia hæretici in hoc numero merſionis unitatem ſolent ſcindere deitatis, a Deo potius eſt quod Eccleſia Dei unius uſum obſervat tantummodo tinctionis.

CAP. CXVIII. *De non iterando baptiſmo.*

Semel acceptum baptiſmum nullatenus iterare ex quacunque cauſa licere. Nam ſicut unus Deus & una fides, ita unum eſt & baptiſma. Et ſicut idem narrat Apoſtolus *ſcientes quod Chriſtus reſurgens a mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur*, ita nec baptiſmus unquam aliquatenus repetetur. Item cum duæ ſint nativitates, una de terra, alia de cælo, una de carne, alia de ſpiritu, una de mortalitate, alia de æternitate, una de maſculo & femina, alia de Deo & de Eccleſia, ipſæ duæ ſingulæ

gulæ

Digitized by Google

gulæ ſint, nec illa poteſt repeti nec illa. Proinde ſicut jam natus de Adam non poteſt iterum generari de Adam, ita natum de Chriſto non poteſt iterum generare Chriſtus: quia ſicut non poteſt repeti matris uterus, ſic nec Eccleſiæ baptiſmus.

Cap. CXIX. *Quod primum baptiſma aquæ ſit, ſecundum ſanguinis.*

Tria ſunt genera baptiſmi. Primum baptiſmum eſt aquae & ſpiritus, de quo huc uſque diſputatum eſt, quo per regenerationem originalia peccata delentur. Secundum eſt quo per martyrium quiſque ſuo ſanguine baptizatur. Eodem certe baptiſmo & Chriſtus eſt baptizatus, ut credentibus in ſe ſicut in aliis, ſic & in hoc daret exemplum. Dicit enim diſcipulis ſuis filiis Zebedæi: *Poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum & baptizari baptiſmo quo ego baptizabor?* id eſt. Poteſtis bibere calicem amaritudinis paſſionis & baptizari effuſione veſtri cruoris, ſicut ego tolerabo ignominiam crucis & emittam undam ſanguinis profluentis. Aqua ergo & ſanguis eſt gemina baptiſmatis figura. Nam uno ex lavacro regeneramur, altero ex ſanguine conſecramur.

Cap. CXX. *Quod tertium baptiſmum pœnitentiae ſit in alluvio lacrymarum.*

Tertium eſt alluvium lacrymarum, quod fit in pœnitentia peccatorum, laborioſe quidem actum, ſed per copioſam redempturis pietatem ad indulgentiam certum. Sic Maria illa in civitate peccatrix ad pedes Domini ſedens quod voluptatibus in ſe ſordidavit lacrymis lavit. O plenum pietate baptiſmum copioſa redemptoris indulgentia exundantem, qui tam veternoſum aggerem criminum tam citatim fluenti alluvione delevit! Intuere quiſquis ille peccatores, immo intuemini omnes homines, quia omnis homo peccator eſt, & hujus baptiſmi perpende potentiam. Sic uberrim ſupra peccatricem fons lacrymarum erupit ut ad pedes peccata remittentis Domini perveniret. Sic ab imo cordis ſe in cumulum fluctus lamentationis erexit ut cæleſtis Domini veſtigia irrigaret. Sic amaritudo vim detulit afflictionis, ut dulcedinem adipiſceretur pietatis. Hinc & ille per ſingulas noctes ſtratum ſuum lacrymis rigat. Hinc Ninivitae, dum ſe lamentationis imbre perfundunt, ultionis incendia extinxerunt. Sed gratiæ hujus copiam ille gratiſſimus miſerator ſupra miſeros agit qui & peccatoribus pœnitentiam dat & peccatis veniam præparat, qui peccatum poenitentia punit, & poenitentiæ fructum attribuit, qui ad ſe per gratiam convertendo venire jubet impium, & per miſericordiam exſultando a ſe facit abire juſtificatum.

Cap. CXXI. *Quod nec in haereticos licet iterare baptiſmum.*

Quicunque haeretici diverſum ſchiſma ſequentes, ſi in patris & filii & ſpiritus ſancti atteſtatione approbantur ſuſcepiſſe baptiſmum, non erunt iterum baptizandi, ſed chriſmate ſolo & manus impoſitione purgandi. Baptiſmus enim non eſt hominis, ut iteretur per hominem, ſed Chriſti, ut permaneat per Chriſtum. Nam ſicut unus eſt & non alius Deus, ſicut una in Deo & non alia fides, ita unum Chriſti & non aliud baptiſmum; quod ſi ex homine eſſet, iterari poſſet. Quia vero ex Chriſto incommutabiliter datum eſt, iterari non poteſt. Deus enim ſolus eſt qui baptizat, ut fieri poſſint filii Dei & qui baptizantur ab eo. Ideoque non intereſt an fidelis an haereticus det baptiſmum. Tantum eſt ne baptizari cupiens incuria Chriſtianorum ad haereticos deducatur. Sed & ſi in hoc incuriae negligentia habeat culpam, baptiſmus iterari nunquam poterit habere licentiam. Quod ſacramentum tam ſanctum eſt & beatum ut nec ſceleratiſſimo miniſtrante pollui poſſit. Nam habet & baptiſmum Chriſti haereticus.

Sed nihil illi proſperat qui hoc extra unitatem fidei acceptum portat. Jam quando Eccleſiam intruierit, mox baptiſmum quod foris habuerat ad exitium, proſperum habere incipit ad ſalutem. Unde quod acceptum eſt fidei reverentia probatur. Proinde quum acceſſerit non mutari convenit, ſed agnoſci. Nam quia ſignum eſt Regis Dei mei, non ſacrilegium fit quum deſertor corrigitur, & ſignum Domini non mutatur.

Cap. CXXII. *Quod poſt baptiſmum gloriæ cantico decantato ad unctionem provehendus eſt homo.*

Poſtquam in ſimilitudine mortis Chriſti aquis immerſus homo rurſus fuerit ad ſpem reſurrectionis ab aquis eductus, ob liberationem ſui gratulationis cantico decantato, provehitur ad ſancti chriſmatis tactum ut ungatur ſpiritu Dei, & ſit atque vocetur ex Chriſti unctione & nomine Chriſtianus.

Cap. CXXIII. *De unguento chriſmatis & inſtitutione ejus.*

Chriſmatis unguentum in Exodo jubente Domino primum Moſes & compoſuit & effecit. Quae unctio primum in Aaron & filios ejus in teſtimonium ſacerdotii & ſanctitatis inſigne ab eodem Moſe habetur inlapſa. Deinde in honorem gloriae Reges eodem chriſmate ungebantur. Unde pro illis dicitur: *Nolite tangere Chriſtos meos*. In ſacerdotibus autem & Regibus erat haec myſtica unctio tantum qua Chriſtus Rex & ſacerdos futurus figurabatur. Chriſti enim nomen a chriſmate ducitur, quia chriſma unctio vocatur. Poſtquam vero Dominus noſter Jeſus Chriſtus Rex verus & ſacerdos aeternus a Deo patre caeleſti & myſtico eſt delibutus unguento juxta quod dicitur ad eum, *Unxit te Deus Deus tuus oleo laetitiae prae conſortibus tuis*, non jam ſoli Pontifices & Reges, ſed omnis Eccleſia ſancti unguenti chriſmate conſecratur. Propter quod aeterni Regis & ſacerdotis eſt ſanctiſſimum membrum. Quia ergo genus electum & regale ſacerdotium ſumus, ideo poſt lavacrum aquae ungimur chriſmate, ut Chriſtiani Chriſti vocemur ex nomine.

Cap. CXXIV. *Quod per viſibilem unctionem corporis inviſibiliter ſpiritus ſanctus operetur animae unctionem.*

Sancto itaque hoc chriſmate extrinſecus ungitur homo, & intrinſecus inlabitur ſancti ſpiritus virtus, ut totus homo lavacro purgatus, totus ex ſpiritus unctione pingueſcat, accipiente anima virtutem ex eadem ſancti ſpiritus unctione ut cognoſcat Deum habitatorem ſuum, ut diligat quem in ſe recepit, ut ſit cum illo ſemper, ut regatur ab illo, & faciat voluntatem ejus, ut non contriſtet eum, quoniam in ipſo ſignatus eſt homo in die redemptionis ſuae, ut ſit in membris Chriſti cum Chriſto unum, dum vegetatur ac regitur ſpiritu Chriſti.

Cap. CXXV. *Quod non Chriſto, ſed hominibus, datur ſpiritus ad menſuram.*

Hanc unctionem commendat Johannes dicens: *Ut ſciatis quia unctionem habetis, & nos unctionem quam accepimus ab eo permaneat in nobis*. Unctionis hujus ſacramentum eſt virtus ipſa inviſibilis, unctio inviſibilis, ſpiritus ſanctus unctio inviſibilis, caritas illa eſt, quae in quocunque fuerit, tanquam radix vitae illi erit, quamvis ardente perſecutionis ſole areſcere non poteſt. Omne quod radicatum eſt in caritate nutritur, & calore adverſitatis nunquam areſcit. Spiritus ſanctus Chriſto non datus eſt ad menſuram, quia in ipſo habitat omnis plenitudo divini-

invitaris corporaliter. In hominibus autem datur ad menſuram diſcretionis & gratiae; ut quia multa membra Chriſti unum corpus efficiunt per multarum operationum munera, & in omnes unus ſpiritus dominetur, & in ſingulos idem diverſorum donorum gratia operetur, dicente Paulo: *Alii datur ſermo ſapientiae, alii ſermo ſcientiae in eodem ſpiritu, alii fides, alii gratia ſanitatum, alii operatio virtutum, alii prophetiae, alii diſcretio ſpirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio ſermonum.*

CAP. CXXVI. *De diſcretione qua ſanctus ſpiritus ad menſuram datur hominibus.*

Fit autem haec diſcretio donorum dum omnipotens Deus interni judicii ſecreto moderamine ſic cuncta moderatur ut cum per impenſam gratiam unumquemque ſublevat, & jam per diſparem alteri alterum ſubdat, & meliorem quiſque dono alio eum qui ſibi ſubjicitur attendat, ac licet ſe praeire ex aliis ſentiat, eidem tamen quem ſuperat ſe in aliis poſtponat, ſic cuncta moderatur, & dum ſingula quaeque ſunt omnium interpoſita quadam caritatis neceſſitudine fiant omnia ſingulorum, & unuſquiſque ſic quod non accipit in altero poſſideat, ut ipſe alteri poſſidendum quod accepit humiliter impendat.

CAP. CXXVII. *De ſpiritu ſeptiformi interpretatio ſancti Gregorii Papae.*

Eſt autem hic ſpiritus ſeptiformis, dicente Eſaia: *Et requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiae & intellectus, ſpiritus conſilii & fortitudinis, ſpiritus ſcientiae & pietatis, & replevit eum ſpiritus timoris Domini.* Quos ſcilicet gradus, ut ſanctus Gregorius refert de caeleſtibus loquens, deſcendendo magis quam aſcendendo propheta numeravit, videlicet ſapientiam, intellectum, conſilium, fortitudinem, ſcientiam, pietatem, timorem. Et cum ſcriptum ſit, *Initium ſapientiae timor Domini*, conſtat procul dubio quia a timore ad ſapientiam aſcenditur, non autem a ſapientia ad timorem reditur, quia nimirum perfectam habet ſapientia caritatem, & ſcriptum eſt: *Perfecta caritas foras mittit timorem.* Propheta ergo, qui de caeleſtibus ad ima loquebatur, coepit magis a ſapientia, & deſcendit ad timorem. Sed nos, quia a terrenis ad caeleſtia tendimus, eoſdem gradus aſcendendo numeremus, ut a timore ad ſapientiam pervenire valeamus. In mente etenim noſtra primus aſcenſionis gradus eſt timor Domini, ſecundus pietas, tertius ſcientia, quartus fortitudo, quintus conſilium, ſextus intellectus, ſeptimus ſapientia. Eſt enim timor Domini in mente. Sed qualis iſte timor eſt, ſi cum eo pietas non eſt? Qui enim miſereri proximo ignorat, qui compati ejus tribulationi diſſimulat, hujus timor ante omnipotentis Dei oculos nullus eſt qui non ſublevatur ad pietatem. Sed ſaepe pietas per inordinatam miſericordiam errare ſolet, ſi fortaſſe pepercerit quae parcenda non ſunt. Peccata enim quae feriri gehennae ignibus poſſunt, diſciplinae ſunt verbere corrigenda. Sed inordinata pietas, cum temporaliter parcit, ad aeternum ſupplicium pertrahit. Ut ergo vera & ordinata ſit pietas, ad gradum eſt alium ſublevanda, id eſt, ad ſcientiam, ut ſciat vel quid ex miſericordia puniat vel quid ex miſericordia dimittat. Sed quid ſi ſciat quid agere quiſque debeat, virtutem vero agendi non habeat? Scientia ergo noſtra creſcat ad fortitudinem, ut cum videt quid agendum ſit, hoc agere per mentis fortitudinem poſſit, ne timore trepidet, & pavore conlapſa non valeat bona defendere quae ſentit. Sed ſaepe fortitudo, ſi improvida fuerit & minus contra vitia circumſpecta, ipſa ſui praeſumptione in caſum ruit. Aſcendat ergo ad conſilium, ut providendo praemuniat omne quod agere fortiter poteſt. Sed eſſe conſilium non poteſt, ſi intellectus deeſt: quia qui non intelligit malum quod agentem gravat, quomodo poteſt bonum ſolidare quod adjuvat? Itaque a conſilio aſcendamus ad intellectum. Sed quid ſi intellectus magno quidem acumine vigilet & moderari ſe neſciat per maturitatem? Ab intellectu ergo aſcendatur ad ſapientiam, ut hoc quod acute intellectus invenit ſapientia mature diſponat. Quia igitur per timorem ſurgimus ad pietatem, per pietatem ad ſcientiam ducimur, per ſcientiam ad fortitudinem roboramur, per fortitudinem ad conſilium tendimus, per conſilium ad intellectum proficimus, per intellectum ad maturitatem ſapientiae venimus, ſeptem gradibus ad portam aſcendimus per quam nobis aditus vitae ſpiritalis aperitur.

CAP. CXXVIII. *De impoſitione manus.*

Manus impoſitionis ipſa veritas, quae per ſe viam, ad ſe vitam vocat, per ſe dedit exemplum. Nam dicente Marco: *Cum offerrent ei parvulos ut illos tangeret, ille complexans eos, & imponens manus ſuper eos, benedicebat illos.* Cujus rei actio haec eſt, ut cum verbis benedicitur, ſpiritus infundatur, cum manibus tangitur, ſpiritalis virtutis operatio deſignetur. Ita manus impoſitionis forma in ſacris officiis ex hac divina imitatione proceſſit, ut omnis parvulus, id eſt fide & ſpiritali obedientia humilis, per ſacerdotem a Deo percipiat virtutem ſanctificationis. Benedicit itaque Jeſus ex poteſtate divinitatis, imponit manus ut adſumpta humanitas operetur effectum ſalutis. Benedicit ore Jeſus & manibus tangit; quia ex eo quod verbum eſt ſanctificat, ex eo quod caro factum eſt ſanctificationis potentiam adminiſtrat. Benedicit & manus imponit Jeſus; quia quod deitatis virtus ſignificat redimentis humanitas complet. Idem unus Jeſus ex divinitate juſtificandos vocat, ex humanitate vocatos firmat. Nihil de opere ſalvationis illi deeſt, quando divinitas humanitati connexa imperat & humanitas in divinitatem adſumpta virtutem format. Unus Chriſtus Deus & homo hoc agit, dum inviſibili naturae cuncta deferunt ſervitutem, & viſibilis natura inviſibilis virtutis exequitur poteſtatem. Salubriter ergo ad exemplum Chriſti a ſacerdote fidelibus cum benedictione manus imponitur, quia illi eſt poteſtas auctoritate divina conlata ut in benedictione oris ejus ſpiritus infuſio prodeat, & in manus impoſitione tactus ſpiritalis gratiae convaleſcat.

CAP. CXXIX. *Rurſum de impoſitione manus, & de ſpiritu ſancto.*

Poſt baptiſmum opportune datur cum manus impoſitione ſpiritus ſanctus. Ita enim in Apoſtolorum actis Apoſtolus feciſſe monſtratur. Nam ſic dicit. *Factum eſt autem cum Apollo eſſet Corinthi ut Paulus peragratis ſuperioribus partibus veniret Epheſum & inveniret quoſdam diſcipulos, & dixit ad eos: Si ſpiritum ſanctum accepiſtis credentes? At illi ad eum: Sed neque ſi ſpiritus ſanctus eſt audivimus. Ille vero ait: In quo ergo baptizati eſtis? Qui dixerunt: In Johannis baptiſmate. Dixit autem Paulus: Johannes baptizavit baptiſmate pœnitentiæ populum, dicens in eum qui venturus eſſet poſt ipſum ut crederent, hoc eſt Jeſum. His autem auditis baptizati ſunt in nomine Domini Jeſu. Et cum impoſuiſſet illis manus Paulus, continuo venit ſpiritus ſanctus ſuper eos, & loquebantur linguis, & prophetabant.* Item alias: *Cum audiſſent autem Apoſtoli qui erant Hieroſolymis quia recepit Samaria verbum Dei, miſerunt ad illos Petrum & Johannem. Qui cum veniſſent, oraverunt pro ipſis ut acciperent ſpiritum ſanctum. Nondum enim in quemquam illorum ſupervenerat. Sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jeſu. Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant ſpiritum ſanctum.*

Cap. CXXX. *Spiritus ſanctus datur a Deo.*

Spiritum ſanctum ſicut verum eſt quia ex divino munere accipere poſſumus, ita ex noſtra poteſtate dare non poſſumus. Ut tamen detur ejuſdem gratiae largitorem Dominum invocamus, quo in miniſterio noſtrae obſecrationis conferatur gratia divinae virtutis Deo tota cooperante, cùm & nos orare facit & is qui benedicitur ſanctificationem percipit & ille plenitudinem ſanctificationis infundit.

Cap. CXXXI. *De chriſmate.*

Hoc autem à quo potiſſimum fiat, ſicut ſanctus Papa Innocentius atteſtatur, ſic dicit non ab alio quam ab Epiſcopo fieri licere. Nam Presbyteri, licet ſint ſacerdotes, pontificatus tamen apicem non habent. Hoc autem ſolis Pontificibus deberi ut vel conſignent vel paraclitum ſpiritum tradant, quod non ſolum conſuetudo eccleſiaſtica demonſtrat, verum & ſuperior illa lectio actuum Apoſtolorum quae aſſerit Petrum & Johannem eſſe directos qui jam baptizatis traderent ſpiritum ſanctum. Nam Presbyteris, ſeu extra Epiſcopum, ſive praeſente Epiſcopo, cum baptizant, chriſmate baptizatos ungere licet, ſed quod ab Epiſcopo fuerit conſecratum, non tamen frontem ex eodem oleo ſignare. quod ſolis debetur Epiſcopis cum tradunt ſpiritum paraclitum.

Cap. CXXXII. *Quomodo docendus eſt baptizatus ut diſcat orare.*

Poſt lavationem fontis, poſt vitae novitatem, poſt ſpiritus unctionem docendus eſt homo verbis veritatis orare, ut is qui in veteri homine erat filius irae, jam in caeleſti regeneratione patrem invocet pietate. Nec in multiloquio, quo non poterit effugere peccatum, proſecutionem exeret, ſed in affectu ſanctæ intentionis orationem effundet, habens regulam doctrinæ Domini, cujus virtutem ſi orando expedibiliter tenet, in delectando copioſius auget, dicente pſalmo: *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* Ac per hoc ſancta intentio ſicut non eſt obtendenda, ſi perdurare non poteſt, ita, ſi perduraverit, non citò eſt rumpenda. Abſit enim ab oratione multa locutio, ſed non deſit multa precatio, ſi fervens perſeveret intentio. Nam multum loqui eſt in orando rem neceſſariam ſuperfluis agere verbis. Multum autem precari eſt ad eum quem precamur diuturna & pia cordis excitatione pulſare. Nam plerunque hoc negotium plus gemitibus quàm ſermonibus agitur, plus fletu quàm effectu. Ponit autem lacrymas noſtras in conſpectu ſuo, & gemitus noſter non eſt abſconditus ab eo qui omnia per verbum condidit & humana verba non quaerit. Nobis ergo verba neceſſaria ſunt quibus commoneamur & inſpiciamus quid petamus, non quibus Deum ſeu docendum ſeu flectendum eſſe credimus.

Cap. CXXXIII. *De oratione dominica.*

Quum ergo dicimus, *Pater noſter, qui es in cælis*, cognoſcimus ordine creatorem, veneramur jure dominum, invocamus pietate patrem. Nec jam ſub ſervitutis metu tabeſcimus, quando de pietate paterna confidimus. Ad totam tamen trinitatem orationis hujus verba dirigimus, quoniam ex ipſo & per ipſum & in ipſo & nos & omnia ſumus. Fatendum itaque eſt ubique eſſe Deum per divinitatis præſentiam, ſed non ubique per habitationis gratiam. Propter hanc enim habitationem, ubi proculdubio gratia dilectionis ejus agnoſcitur, non dicimus, *Pater noſter, qui es ubique*, cum hoc verum ſit, ſed, *Pater noſter qui es in cælis*, ut templum ejus potius in oratione commemoremus, quod & nos ipſi eſſe debemus, & in quantum ſumus, in tantum ad ejus ſocietatem & adoptionis familiam pertinemus. Si enim populus Dei nondum factus aequalis angelis ejus adhuc in illa peregrinatione dicitur templum ejus, quanto magis eſt templum ejus in caelis, ubi eſt populus angelorum, quibus aggregandi & coæquandi ſumus cum finita peregrinatione quod promiſſum eſt ſumpſerimus. Item cum dicimus, *ſanctificetur nomen tuum*, nos admonemus deſiderare ut nomen ejus quod ſemper ſanctum eſt, etiam apud homines ſanctum habeatur, hoc eſt, non contemnatur, quod non Deo ſed hominibus prodeſt. Et in eo quod dicimus, *adveniat regnum tuum*, quod ſeu velimus ſeu nolimus utique veniet, deſiderium noſtrum ad illud regnum excitamus ut nobis veniat atque in eo regnare mereamur. Cum dicimus, *fiat voluntas tua, ſicut in cælo, ſic & in terra*, nobis ab illo precamur ipſam obedientiam, ut ſic in nobis fiat voluntas ejus quemadmodum fit in cæleſtibus angelis ejus. Cum dicimus, *panem noſtrum cotidianum da nobis hodie*, per id quod dicitur *hodie* ſignificatur hoc tempore ubi vel ſufficientiam illam petimus à parte qua excellit, id eſt, nomine panis totum ſignificantes, vel ſacramentum fidelium, quod in hoc tempore neceſſarium eſt, non tamen ad hujus temporis, ſed ad illam æternam felicitatem adſequendam. Cum dicimus, *dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*, nos admonemus & quid petamus & quid faciamus ut accipere mereamur. Cum dicimus, *ne nos inferas in tentationem*, nos admonemus hoc petere, ne deſerti ejus adjutorio alicui tentationi vel conſentiamus decepti vel cedamus afflicti. Cum dicimus, *libera nos a malo*, nos admonemus cogitare nondum nos eſſe in eo bono ubi nullum patimur malum. Et hoc quidem ultimum quod in oratione dominica poſitum eſt tam late patet ut homo Chriſtianus in qualibet tribulatione conſtitutus in hoc gemitus edat, in hoc lacrymas fundat, hinc exordiatur, in hoc immoretur, ad hoc terminet orationem. His enim verbis res ipſas memoriae noſtrae commendari oportebat.

Cap. CXXXIV. *De oratione non longa.*

Nam qualibet alia verba dicamus quae affectus orantis vel praecedendo formar ut clareat, vel conſequendo attendit ut creſcat, nihil aliud dicimus quam quod in iſta dominica oratione poſitum eſt, ſi rectè & congruenter oramus. Quiſquis autem id dicit quod ad illam evangelicam precem pertinere non poſſit, etiamſi non illicite orat, carnaliter orat: quod neſcio quemadmodum non dicatur illicite, quandoquidem ſpiritu renatos nonniſi ſpiritaliter decet orare.

Cap. CXXXV. *De omni petitione quod petit orationem dominicam oras.*

Qui enim dicit, verbi gratia, *clarificare in omnibus gentibus ſicut clarificatus es in nobis, & prophetæ tui fideles inveniantur*, quid aliud dicit quam *ſanctificetur nomen tuum*? Qui dicit, *Deus virtutum converte nos, & oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus*, quid aliud dicit quam *veniat regnum tuum*? Qui dicit *Itinera mea dirige ſecundum verbum tuum, & non dominetur mihi omnis iniquitas*, quid aliud dicit quam *fiat voluntas tua in cælo & in terra*? Qui dicit, *paupertatem & divitias ne dederis mihi*, quid aliud dicit quam *panem noſtrum cotidianum da nobis hodie*? Qui dicit, *Memento Domine David & omnis manſuetudinis ejus*, aut, *Domine, ſi feci iſtud, ſi eſt iniquitas in manibus meis, ſi reddidi retribuentibus mihi mala*, quid aliud dicit quam *dimitte nobis debita noſtra ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*? Qui dicit, *Aufer à me concupiſcentias ventris & deſiderium concubitus, ne apprehendat me*, quid aliud dicit quam *ne nos inferas in tentationem*? Qui dicit, *Erue me de inimicis meis, & ab inſurgentibus ſuper me libera me*, quid aliud dicit quam *libera nos a malo*? Et ſi per omnia praeceptionum ſanctarum verba diſcurrat, quantum

acti-

Digitized by Google

aeſtimo nihil inveniet quod non iſta dominica contineat & concludat oratio. Unde liberum eſt aliis atque aliis verbis eadem tamen in orando dicere, ſed non eſſe liberum alia dicere. Haec & pro nobis & pro noſtris & pro alienis atque ipſis inimicis ſine fructu dubitationis oranda ſunt, quamvis alius pro illo, alius pro illo, ſicut ſe habent propinquitates vel longinquitates neceſſitudinum in corde orantis oriantur aut excellet affectus.

CAP. CXXXVI. *De veritate corporis Chriſti in Eucharistia.*

Poſt regenerationem nativitatis ſpiritalis, poſt gratiam cæleſtis unctionis, poſt doctrinam dominicæ orationis, poſt invocationem divinæ paternitatis, convenit jam pervenire ad participationem cæleſtis refectionis. Eorum enim eſt dicere *Pater noſter qui es in cœlis* qui jam patre tali regenerati ſunt ex aqua & ſpiritu ut confidenter petant dicentes: *Panem noſtrum cotidianum da nobis hodie*. Hic ergo quia panis vivus Chriſtus eſt qui de cælo deſcendit & vitam dat mundo, bene in hac oratione dominica panem noſtrum hunc ipſum Chriſtum dari nobis cotidie petimus, ut qui in Chriſto manemus & vivimus, a ſanctificatione & corpore ejus non recedamus. Quid enim tam vult Deus quam ut cotidie Chriſtus habitet in nobis, qui eſt panis vitae & panis e caelo? Hunc panem ſignificavit manna illud quod qui liberati ſunt poſt maris rubri tranſitum manducaverunt. Nam ſicut illic poſtquam mare tranſitum eſt panem cæli id eſt manna comederunt, ita hic poſt fontem, qui figuram maris habuit, comedimus carnem Chriſti & bibimus ſanguinem ejus qui dixit: *Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus*. Hinc Paulus dicit: *Omnes in Moyſen baptizati ſunt in nube & in mari, & omnes eandem eſcam ſpiritalem manducaverunt*, ſpiritalem utique, quia figura mannæ illius veritas fuit corporis Chriſti quod nunc comedimus. Et ideo ſpiritaliter eadem eſca eſt, corporaliter autem altera: quia illi manna manducaverunt, nos aliud manducamus. Adjungit autem, *& omnes eundem potum ſpiritalem biberunt*. Aliud illi, aliud nos, ſed ſpecie viſibili, quod tamen hoc idem ſignificaret virtute ſpiritali. Quomodo enim eumdem potum habebant, inquit *de ſpiritali ſequenti petra, petra autem erat Chriſtus*, in verbo & in carne? Et quomodo biberunt percuſſa eſt petra de virga. Bis gemina percuſſio duo ligna crucis ſignificat. Percuſſa illic petra de virga, fluxit aqua, & biberunt. Suſpenſo hic Chriſto crucis ligno, manavit aqua & ſanguis, & haec bibimus ut vitam aeternam habeamus. Quod autem idem Dominus ait, *Qui manducat carnem meam & bibit meum ſanguinem, ipſe in me manet & ego in illo*, expoſuit quid dixiſſet. Hoc enim eſt manducare illam eſcam & illum bibere potum in Chriſto manere & illum manentem in ſe habere. Ac per hoc qui non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus, proculdubio nec manducat ejus carnem nec bibit ejus ſanguinem, etiamſi tantae rei ſacramentum ad judicium ſibi manducet & bibat.

CAP. CXXXVII. *Quod eſt corpus Chriſti intelligere vel ſanguis.*

Quod ergo videris panis eſt & calix. quod vobis etiam oculi veſtri renuntiant. Quod autem fides veſtra poſtulat inſtruenda, panis corpus eſt Chriſti, calix ſanguis Chriſti. Breviter quidem hoc dictum eſt quod fidei forte ſufficiat. Sed fides inſtructionem deſiderat. Dicit enim propheta: *Niſi credideritis non intelligetis*. Poteſtis ergo dicere mihi: Præcepiſti ut credamus. Expone ut intelligamus. Poteſt enim in animo cujuſquam cogitatio talis oboriri. Dominus noſter Jeſus Chriſtus novimus unde acceperit carnem de virgine Maria. Infans lactatus eſt, nutritus eſt, crevit, ad juvenilem ætatem perductus eſt, a Judæis perſecutionem paſſus eſt, ligno ſuſpenſus eſt, in ligno interfectus eſt, ſepultus eſt, tertia die reſurrexit, quo die voluit in cælum aſcendit, illuc levavit corpus ſuum, inde eſt venturus ut judicet vivos & mortuos, ibi eſt modo ſedens ad dexteram patris. Quomodo eſt panis corpus ejus, vel quod habet calix quomodo eſt ſanguis ejus? Iſta, fratres, ideo dicuntur ſacramenta quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur. Quod videtur ſpeciem habet corporalem. Quod intelligitur fructum habet ſpiritalem. Corpus ergo Chriſti ſi vis intelligere, Apoſtolum audi dicentem fidelibus: *Vos eſtis corpus Chriſti & membra*. Si ergo eſtis corpus Chriſti & membra, myſterium in menſa Domini poſitum eſt, myſterium veſtrum accepiſtis ad id quod eſtis, Amen reſpondiſtis, & reſpondendo ſubſcribitis. Audis ergo corpus Chriſti, & reſpondes Amen. Eſto membrum corporis Chriſti, ut verum ſit Amen. Quare ergo in pane nihil hic de noſtro adferamus, ipſum Apoſtolum identidem audiamus. Cum ergo de iſto ſacramento loqueretur ait: *Unus panis, unum corpus, multi ſumus*. Intelligite & gaudete. Unitas, pietas, veritas carnis, unus panis, unum corpus multi.

CAP. CXXXVIII. *Sicut de pane ſic & de vino.*

Recolite enim quia panis non fit de uno grano, ſed de multis. Quando indicta eſt nobis abſtinentia carnalis & cœpiſtis relinquere converſationem gentilitatis ut abſtineretis a peccatis, mundantes vos in jejuniis, remotis aliquandiu conjugibus, ſpectaculis, & lautioribus eſcis, atque ita exorcizabamini, amota vetuſtæ converſationis inutili palea, quam tunc molebamini. Quando abjeciſtis paleam immundæ operationis, tunc veniſtis in candorem novæ confeſſionis. Quando baptizati eſtis, quaſi conſparſi eſtis. Quando ſpiritus ſancti ignem accepiſtis, quaſi cocti eſtis. Eſtote quod videtis, & accipite quod eſtis. Hoc Apoſtolus de pane dixit. Jam de calice quid intelligeremus & jam non dictum ſatis oſtendit. Sicut enim ut ſit ſpecies viſibilis panis multa grana in unum conſparguntur, tanquam illud fiat quod de fidelibus ait ſcriptura ſancta, *Erat illis anima una & cor unum in Domino*, ſic & de vino. Fratres, recolite unde ſit vinum. Grana multa pendent ad botrum, ſed liquor granorum in unitatem infunditur. Ita Dominus Chriſtus ut ſignificaret nos ad ſe pertinere voluit myſterium pacis & unitatis noſtræ in ſua menſa conſecrari. Qui accipit myſterium unitatis, & non tenet vinculum pacis, non myſterium accipit pro ſe, ſed teſtimonium contra ſe.

CAP. CXXXIX. *De ædificatione hominis per pœnitentiam & lacrymas.*

Præmiſſis ex toto ſacramentis expletis, erit aliquibus diebus renatus homo indeſinenter Eccleſiae conventui & choris adhaerens, indutus veſtibus albis, agens & ſignum & feſta ſanctae celebritatis, in qua liberatus à vetuſtate primi hominis & ſolutus a reatu damnatae conditionis intret in conſpectu Domini in exultatione, & inter electos ſuos in laetitia deducatur, memor deinceps vitiatae naturae; cujus etſi damnationem evaſit, fragilitatem penitus non amiſit. Maneat in timore Domini, faciens voluntatem ejus, diligens Deum, & delectans in illo; atque, quia ſine peccato eſſe non poteſt, & peccare caveat & pœnitentiae affectu, inſiſtens fletibus, deleri peccata ſemper ſtudeat, donec divinae bonitatis larga miſeratio, ſicut originale peccatum delevit in lavacro, actuale quoque deleat in lamento. Atque ita in ſpe futurae beatitudinis ſecurus ſolvens conditionem mortis quieſcat in pace, & reſurgat ex omni parte ſanatus in incorruptione ſua & in redemptoris laudibus permanſurus.

CAP. CXL. *Oratio propter albas tollendas.*

Domine Jeſu Chriſte redemptor mundi, quem verum hominem veraciter ex homine natum Deus pater ſuum filium eſſe ſignavit, confirma in hanc familiam tuam quod tuo nomine ſignata atque ſacro liquo-

Digitized by Google

liquore mundata tuoque ſpiritu plena exiſtit, etiam tuo jam corpore & ſanguine ſatiatam ſe gaudeat atque redemptam, ut haec ſacramenta quae in novitatem vitae perceperunt ita ad uſum ſalutis indeſinenter obtineant ut ad remunerationem beatitudinis ex hoc ſecuri accedant.

CAP. CXLI. *Item benedictio.*

Dominus Jeſus Chriſtus, qui vos lavit aqua ſui lateris, & redemit effuſione cruoris, ipſe in vos confirmet gratiam adeptae redemptionis. Per quem renati eſtis ex aqua & ſpiritu ſancto, ipſe vos caeleſti conſociet regno. Qui dedit vobis initia ſanctae fidei, ipſe conferat & perfectionem operis & plenitudinem caritatis. Amen.

CAP. CXLII. *Sermo dicendus ad infantes die tertia poſt Paſcha propter albas tollendas.*

Sermo ad vos eſt, modo nati infantes, parvuli in Chriſto, nova proles Eccleſiae, gratia patris, fecunditas matris, germen pium, examen novellum, fons nutriti honoris, & fructus laboris, gaudium & corona mea. Omnes qui ſtatis in Domino, apoſtolicis verbis vos alloquor. Ecce nox praeceſſit, & dies appropinquavit. Abjicite opera tenebrarum, & induite vos arma lucis, ſicut in die honeſte ambulate, non in comeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & aemulatione; ſed induite Dominum Jeſum Chriſtum, & carnis providentiam ne feceritis in concupiſcentiis, ut & vita induatis quem ſacramento induiſtis. Quotquot ergo in Chriſto baptizati eſtis Chriſtum induiſtis. Non eſt Judaeus & Graecus, non eſt ſervus & liber, non eſt maſculus & femina. Omnes enim vos unum eſtis in Chriſto Jeſu. Hoc enim habent ipſa viſcera ſacramenti. Sacramentum eſt enim vitae novae, quae in hoc tempore incipit a remiſſione praeteritorum omnium peccatorum. Perficietur autem in reſurrectione mortuorum. Conſepulti eſtis Chriſto per baptiſmum in morte; ut quemadmodum Chriſtus ſurrexit a mortuis, ſic & vos in novitate vitae ambuletis. Ambulatis autem nunc per fidem quandiu in hoc mortali corpore peregrinamini. Sed via vobis certa ipſe ad quam intenditis factus eſt Chriſtus Jeſus ſecundum hominem, quod pro nobis fieri dignatus eſt. Servabit enim multam dulcedinem timentibus ſe, aperturus & perfecturus eam ſperantibus in ſe cum id quod in ſpe cepimus etiam luce acceperimus. Scimus quia cum apparuerit ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt. Hoc in evangelio ipſe promiſit. *Qui diligit me*, inquit, *mandata mea cuſtodit; & qui diligit me diligitur a patre meo, & ego diligam eum, & oſtendam me ipſum illi.* Utique videbant eum quibus loquebatur, ſed in forma ſervi, qua major eſt pater, non forma Dei, qua aequalis eſt patri. Hanc oſtendebat timentibus, illam ſervabat ſperantibus in ſe. Ipſe ergo vos inluminet qui redemit, ipſe cuſtodiat qui inluminavit, ut & in hac peregrinatione tutos ab omni malo defendat, & in futura remuneratione ſibi glorificandos exhibeat, praeſtante glorioſa trinitate Deo noſtro, qui vivit & regnat in ſaecula ſaeculorum. Amen.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

De itinere deſerti quo pergitur poſt baptiſmum.

INCIPIUNT CAPITULA.

I. *De exordio hominis ad reparationem per Chriſtum.*
II. *De reparatione hominis.*
III. *De morte ſalvatoris & regeneratione vitali.*
IV. *De Eccleſia in Chriſto ſociata.*
V. *De adoptione filiorum Dei.*
VI. *De liberatione poſt baptiſmum.*
VII. *De baptizatis inſtruendis in ſana doctrina.*
VIII. *Quod eſt aqua amara & dulcis.*
IX. *De duodecim Apoſtolis & ſeptuaginta diſcipulis.*
X. *Quod celeri compendio per iter evangelii veniatur ad regnum.*
XI. *De attendenda actione liberationis humanæ.*
XII. *Quod non immoratur in lege, ſi ſpiritaliter intelligatur.*
XIII. *De inluceſcente evangelii lumine.*
XIV. *De præparativa incarnationis, quæ perducit nos uſque ad incommutabilem veritatem deitatis.*
XV. *Quod in eremo ſanctæ vitæ delectatio non invenitur voluptatis immundæ.*
XVI. *De congreſſione eremi ſanctæ vitæ.*
XVII. *De ſignis & ducatu deſerti.*
XVIII. *Quod ſol juſtitiæ, qui lumen infundit, ipſe humorem voluptatis exhaurit.*
XIX. *Quod per ſolam gratiam Dei poſſit homo ſalvari.*
XX. *De attendendo refrigerio aeternitatis propter donum conſolationis praeſentis.*
XXI. *De affectibus quibus beatitudo deſideratur æterna.*
XXII. *De deſcriptione voluptatum quarum humor non invenitur in ſancto deſerto.*
XXIII. *De dapibus ſpiritalibus mentis ſtomacho praeparatis.*
XXIV. *Quod multis chriſmatum donis nos in hac peregrinatione reficiat Chriſtus.*
XXV. *De ſacramento luminis.*
XXVI. *De ſacramento olei.*
XXVII. *De ſacramento panis.*
XXVIII. *De ſacramento aquae.*
XXIX. *De ſignificantia virgae.*
XXX. *De ſignificantia floris & lilii.*
XXXI. *De ſignificantia vitis.*
XXXII. *De ſignificantia malogranati.*
XXXIII. *De ſignificantia ficus.*
XXXIV. *Quod gentilitas vel infructuoſa anima deſertum dicatur.*
XXXV. *De ſignificantia cedri.*
XXXVI. *De ſignificantia ſpinae.*
XXXVII. *De ſignificantia myrti.*
XXXVIII. *De ſignificantia olivae.*
XXXIX. *De ſignificantia abietis.*
XL. *De ſignificantia ulmi.*
XLI. *De ſignificantia buxi.*
XLII. *De ſignificantia pini.*
XLIII. *De ſignificantia cedri & cupreſſi.*
XLIV. *De ſignificantia calami.*
XLV. *De ſignificantia nardi.*
XLVI. *De ſignificantia lilii, roſae, & violae.*
XLVII. *De ſignificantia hyſſopi.*
XLVIII. *De ſignificantia ſinapis.*
XLIX. *De ſignificantia montis, quod eſt Chriſtus.*
L. *De ſignificantia Sion, quod eſt Eccleſia.*
LI. *De ſignificantia Libani.*
LII. *De ſignificantia lapidum.*
LIII. *De avium ſpiritalium ſolatio.*
LIV. *De ſignificantia columbae.*
LV. *De ſignificantia pelicani.*
LVI. *De ſignificantia nycticoracis.*
LVII. *De ſignificantia paſſeris.*
LVIII. *De ſignificantia aquilae.*
LIX. *De ſignificantia fulicis.*

LX

Digitized by Google

LX. *De ſignificantia turturis.*
LXI. *De ſignificantia hirundinis.*
LXII. *De ſignificantia gallinae.*
LXIII. *De ſignificantia phœnicis.*
LXIV. *De ſignificantia ſerpentis utriuſque.*
LXV. *Item ſignificantia ſerpentis.*
LXVI. *De ſignificantia utriuſque leonis.*
LXVII. *De ſignificantia lupi & ovis.*
LXVIII. *De ſignificantia agni.*
LXIX. *De ſignificantia cervi.*
LXX. *De ſignificantia hinnulorum capreae.*
LXXI. *De ſignificantia equi.*
LXXII. *De felicitate ſancti deſerti.*
LXXIII. *Sperandum in ſolo Deo.*
LXXIV. *Quod nemo ſalvari poſſit niſi & praecedenti & ſubſequenti miſericordia Dei.*
LXXV. *De ſubſequenti narratione connecta.*
LXXVI. *Repetitio quorundam praeteritorum.*
LXXVII. *Quid ſit fides.*
LXXVIII. *Unde dicta fides.*
LXXIX. *Quod fides & malarum rerum & bonarum.*
LXXX. *Quod fides & praeteritarum rerum ſit & praeſentium & futurarum.*
LXXXI. *Quod fides & ſuarum rerum ſit & alienarum.*
LXXXII. *Quod fides & opus connexa ſalvent hominem, diſciſſa non ſalvent.*
LXXXIII. *De comparationibus rerum fidei operique connectis.*
LXXXIV. *Quod ſpes nonniſi bonarum & futurarum rerum.*
LXXXV. *Quod ex fide naſcatur ſpes.*
LXXXVI. *Unde dicta ſpes.*
LXXXVII. *Quod ſpei contraria deſperatio ſit.*
LXXXVIII. *De ſententia Pauli, qua fidem, ſpem, & caritatem decenter contexta demonſtrat.*
LXXXIX. *Expoſitio ejuſdem ſententiae Pauli.*
XC. *De caritate & nomine ejus.*

EXPLICIUNT CAPITULA.

CAP. I. *De exordio hominis ad reparationem per Chriſtum.*

Ab exordio conditionis ſuæ per diſpoſitionem ordinis cæleſtis doctrinae praecedenti opere oſtenſus eſt homo perveniſſe uſque ad gratiam regenerationis divinae. Nunc per ſubſequentiam operis innuitur qualiter poſt baptiſmum ad manſionem aeternae vitae veluti poſt tranſitum maris uſque ad terram repromiſſionis per cuſtodiam divinorum praeceptorum properat pervenire, quo pateat eventum ejus triformi rerum actione conſtare.

CAP. II. *De reparatione hominis.*

Primum quando beatus conditus corruit deceptus. Secundo quando mediatoris morte extitit reparatus. Tertio quando in redemptionis munere erit perenniter glorioſus. Primo certe poſt exordium boni vitiata natura per deceptionem inimici venit uſque ad interitum mali. Sequenter reparata natura per ſanguinem mediatoris inducitur ad gloriam regni. Sic deſtructum eſt diaboli regnum, quod valuit uſque ad redemptoris adventum. Sic factum eſt regnum Chriſti in electis ejus, & permanet in aeternum. Quod erit tertium & ultimum in gloria ſine fine manſurum. Et primo quidem conditus beatus homo, item ſecundo renatus beatior homo, media ejus peſſima, tam omni infelicitate ſordentia quam & juſta ultione damnata.

CAP. III. *De morte ſalvatoris & regeneratione vitali.*

Initio igitur beata ejus conditio fuit, ſequens ex deceptione ſerpentis caſus male longeque perſtitit, deinde per ſalvatoris mortem reparatio grata ſuccurrit. Quia ergo beatum exordium ſuccedente deceptione non ſubſtitit, ſatis miſeranter regeneratio vitalis acceſſit, ut vitiata nativitas ad interitum haberet unde renaſceretur ad lucrum.

CAP. IV. *De Eccleſia in Chriſto ſociata.*

Sed ut eſſet uterus quo homo in mortem natus ad vitam poſſet eſſe renatus, verbum Dei incarnatum eſt. Atque ideo per vetuſtae legis praeconium olim praeſcitam ex gentibus advocavit Eccleſiam, quam pro ea moriens lavacro aquae mundavit, ſibique ſponſam aeterno fœdere conſecravit. Cui in evangelii exhibitione per redemptionis ſacramentum participium ſui corporis & ſanguinis praebens, hanc ſibi conjugem fecit & communionis unitate conjunxit.

CAP. V. *De adoptione filiorum Dei.*

Ex hac per verbum fidei & fœcunditatem ſpiritus ſancti innumeros cotidie renatos creat, quos in adoptionem gratiae filios amplectens coheredes ſibi in beatitudine aeternitatis adſciſcit, in hujus mortalitatis aerumna docens eos de lege ſua, & praecepto lucido illuminans oculos animae, ut eruditos corde inducat in hereditatem juſtitiae. Quod viae rectae iter, per quod liberati ad poſſeſſionem regni deductione ſalutari ducuntur, noſſe in promptu eſt, & loci exhibitione probabile patet.

CAP. VI. *De liberatione poſt baptiſmum.*

Itaque poſt liberationem Ægyptiae ſervitutis, poſt egreſſionem Ægyptiae manſionis, poſt inſecutionem Ægyptii exercitus, poſt tranſitum ſaevientis maris, poſt interitum Pharaonis, poſt exeidium Ægyptiae multitudinis, poſt gratulationem ſalvationis Iſraëlitarum, poſt canticum gloriae Dei, id eſt, poſtquam reliquimus mundum, poſtquam converſi ſumus ad Deum, poſt inſecutionem daemonum, poſt merſionem baptiſmatis, poſt privationem diabolicae poteſtatis, poſt dimerſionem peccatorum, poſt exultationem itidulcae ſalutis, poſt gloriam & divinae laudationis hymnum, conſiderandum eſt quo ducimur & per qua ducimur, reminiſcentes nos attrahi & vocari per ſolam gratiam conditoris ad terram repromiſſionis, ſcilicet terram viventium regionis, in qua erimus coheredes Chriſti & filii regni.

CAP. VII. *De baptizatis inſtruendis in ſana doctrina.*

Videamus certe jam nunc quomodo illa ſapientia ſummi Dei ſuſceptos ex aqua filios paternis doctrinis imbuat & maternis miſerationibus foveat, ut alios neſcios inſtruat, alios teneros amplectatur.

CAP. VIII. *Quod eſt aqua amara & dulcis.*

Jam poſt tranſitum maris venitur ad aquas Mara. Qui locus ex amaritudine aquarum nomen accepit. Sic denique poſt baptiſmum venimus ad cognitionem legis. Et quia niſi prius cognitio habeatur hiſtoriae, non poteſt ſpiritus intelligentia noſſe, ideo ante venitur ad ſcientiam praecepti. Sed cum praeguſtatur ſuperficies ejus, quia littera occidit, amara taedet. Unde nec curſus praeceptorum ejus aliquid in refectione ſaporat, quia ad perfectionem nihil adduxit. Ordinate igitur litteram occidentem addiſcimus. Sed accepta fide intelligentiae ſpiritalis,

Digitized by Google

lis, & ligno erucis paſſionis immixto, vertitur in dulcedinem fidei, & quicquid illa favente amarum fuit, pie intelligendo dulceſcit.

CAP. IX. *De duodecim Apoſtolis & ſeptuaginta diſcipulis.*

Inde venitur ad duodecim fontes aquarum dulcium & ſeptuaginta palmarum, quae nobis oſtendunt duodecim Apoſtolos & ſeptuaginta diſcipulos ordinis ſecundi, de quibus Dominus binos ante faciem ſuam legitur praemiſiſſe. Ex quibus fontibus & palmis doctrinam potamus & dulces fructus victoriae ſumimus. Unde & aelim, quod eſt nomen manſionis ejus, vertitur in arietes fortes. Ipſi namque ſunt gregum robuſti principes & duces ovium, id eſt doctores gentium. Debite itaque venitur ad gratiam evangelii, quae nobis per Chriſti diſcipulos & ſuavitatem regni caeleſtis attribuit, & victoriam de nequitiis ſpiritalibus concedit.

CAP. X. *Quod celeri compendio per iter evangelii veniatur ad regnum.*

Omnis dehinc quae ſequitur diverſitas manſionum ſingillatim digeretur oſtenſione myſteriorum. Sed quia jam a ſanctis patribus digeſta tenetur, evangelicae gratiae nobis eſt advocatio exequenda; in qua invenimus praeſtantiorem viam celerioris ſalutis compendio praeparatam: quae non nobis quadraginta annorum ſpatio inter pericula hoſtiumque diſcrimina hereditatis adſumendae requiem differat, ſed in eo qui ait: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego vos reficiam, tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite a me, quia mitis ſum & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris*, velox & facile remedium ſalvatoris accommodet.

CAP. XI. *De attendenda actione liberationis humanae.*

Attendamus jam actionem liberationis noſtrae. Et ita demum conſideremus viam itineris tendentem ad beatitudinem manſionis. Dicit ipſa veritas: *Si vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis.* Ecce jam vera libertas, quia vocati ad gratiam redemptoris, quaſi Ægypto & Pharaone relicto, zaboli & peccatorum admiſimus ſervitutem. Tranſivimus more baptiſmatis, in cujus ſacramento cuncta commoda noſtrae ſalutis cum nobilitate libertatis accepimus. Venimus ad diſcurſum vitae praeſentis, & proficiente aetate percipiendae ſcientiae operam damus, ſic per cognitionem legis amaritudinem occidentis litterae attentamus. Cujus legis idem qui & evangeliorum unus auctor eſt Deus.

CAP. XII. *Quod non immoratur in lege, ſi ſpiritaliter intelligatur.*

Quam tamen legem ſpiritaliter intelligendo non immoramur in amaritudine ejus, ſed cito properamus ad doctrinae aquas & victoriae palmas, ubi per Apoſtolos ubertate doctrinarum caeleſtium ſatiamur & ſpiritalis gloriae triumphis attollimur.

CAP. XIII. *De inluceſcente evangelii lumine.*

Inluceſcat nobis ſedentibus in tenebris & umbra mortis lumen evangelicum, quod inluminat omnem hominem venientem in hunc mundum; quod jam non nobis occidat inter occurſus tentationum, ſed luceat ſemper conlatione miſerationum inlapſum.

CAP. XIV. *De praeparativa incarnationis, quae perducit nos uſque ad incommutabilem veritatem deitatis.*

Efficitur nobis via per ſuſceptionem carnis qui conſiſtit vita per vigorem aeternitatis perducens nos uſque ad dulcedinem perennis & incommutabilis veritatis.

CAP. XV. *Quod in eremo ſanctae vitae delectatio non invenitur voluptatis immundae.*

Contemplemur jam hoc proſperabile iter quod a ſanctis agitur in deſerto, & cum illis pari eorum imitatione ducamur. De his dicitur qui poſt tranſitum maris rubri per deſerta pergentes ſecundum veram promiſſionem Dei ſe venire confidebant ad repromiſſionis terram. Cumque omnis populus ex ſanctorum multitudine & ſceleratorum unitate concretus pariter protectione Dei incederet, ſcriptura tamen ſacra ex meliori parte ſanctorum, de quibus dicitur, *Oculi Domini ſuper juſtos*, tacitis iniquis, ſolam narrat actionem beatitudinis. Ingrediamur ergo & nos cum his juſtis de quibus dicitur, *Iter fecerunt per deſerta quae non habitabantur*, illa certe quae habitationes non habeant voluptatum, ubi non ſint manſiones corruptionum, ubi non terrena felicitas ad interitum mulcens, ubi nullae oblectationes quae ad terram viventium properantes praepediunt viatores, qui in locis ſecretis fixerunt caſas, quia mentis requiem in contemplationis abdito poſuerunt, non incauta obſtinatione ſeſe hoſtibus objectantes, ſed ſalutari proviſione expedibilium ſe conſiliorum ſecreto tuentes; ubi non eos vana gloria ad perniciem oſtentaret, ſed unde vera humilitas ad interitum ſuperborum educeret; qui ſteterunt contra hoſtes, quia inflexibilem vigorem animi contra tentationum impetus erexerunt, nulla praeſentis vitae mollitia delibuti, in acie ſpiritalis belli nunquam deflexi ab ſtatu ſanctae intentionis, ante impetum aëriae poteſtatis; atque ideo de inimicis ſe vindicaverunt, quia per arma juſtitiae muniti a dextris & ſiniſtris, non ſunt gloria proſperitatis elati, non adverſitatis pondere preſſi. Inde vindicaverunt ſe, quoniam expugnationem inimicorum, ſui ſalvationem obtinuerunt; & unde adverſitas vitiorum depulſa interiit, inde convulſa ſalus ſanctorum militum ſtetit. Qui ſitierunt & invocaverunt Deum, quia igne caritatis ardentes ſitienter invocabant quem veraciter amabant. Magna in illos ſitis amoris efferbuit, quam invocatio Dei remuneratione refectionis infuſit. Quanto enim fervens amor in Dei dilectione extitit, tanto calor gratiae ſolatium in refrigerio occurrit. Unde & data eſt illis de petra altiſſima aqua; quia quod in ſe ardore dilectionis erexerunt, tota ad fluenta altiſſimae petrae, id eſt ſpiritalis gratiae, pervenerunt, & omnem bonorum deſideriorum ſitim perventa felicitate potarunt. Quibus & fuit requies de lapide duro, id eſt forti, quia quicquid fluidum fuit ignis caritatis exurit, quidquid fragile amoris incendium roboravit, quicquid bene deſiderabile beata his aeternitas ſolidavit.

CAP. XVI. *De congreſſione eremi ſanctae vitae.*

Ita denique aggredimur deſertum ſanctae vitae, in quo deſiccatis omnium carnalium voluptatum humoribus nihil inveniemus quod ſit per contrarium pulchrum oculis aſpectuque delectabile, in quo cum arbitrii manus extenderimus, cogitationumque fuerit palato guſtatum, in antiquam perniciem retrahat ad aeternam munditiem jam renatos. Non erit illic in quo oculorum viſio aſpectu laſcivo vagetur, cum indeſinenter dixerimus: *Oculi noſtri ad Dominum Deum donec miſereatur nobis.* Non erunt aures lethalibus ſuſurris avium immundarum inlectae, quae

cor-

cordis quietem aut male inquietando perturbent, aut male demulcendo in torporem oblectent, cum meditatum fuerit: *Ego dormiam, & cor meum vigilet*. Non erit odoratus ſpiramentis fluxae delectationis infectus, cum amore ſponſi ardentes dixerimus ad eum: *In odorem unguentorum tuorum curremus*. Non erit guſtus antiquae putredinis acore corruptus, cum guttur gratiae ſaporatum eruperit. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel & favum ori meo!* Non lingua ſcurrile mendum detrahendumque conjiciet, cum refectionem gratiae ſentiens dixerit: *Repletum eſt gaudio os meum & lingua mea exultatione*. Non cor fluxu diſſolutae cogitationis elanguet, cum fuerit omni cuſtodia conſervatum. Non tactus ſordentis operationis immunditiem attrectabit, cum vere deprompeum fuerit: *Lavabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum Domine*. Non greſſus animi luti gurgite cohaerebunt, cum intentio ſolida dixerit: *Statuit ſupra petram pedes meos, & direxit greſſus meos*. Non corpus aëris blandiriis licenter appetet refoveri, dum conſtanter adſtruxerit: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit*. Non incommoditatis licentioſa remedia quaerentur, cum attente dictum fuerit: *Dominus illuminatio mea & ſalus mea*. Non indigentiae refectio appetitu lautiori vitioſa quaeret, cum vera confidentia adclamarit: *Non occidit Deus fame animam juſti*. Non moeſtitiis beatitudinem extinguens animam dejiciet, cum hilaritas mentis eruperit in jubilo exultationis: *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum*. Non proſperitatis attentabitur oblectatio mulcens, cum ſolis delectatio in Deum fuerit tota voluntate dicentis: *Dominus pars hereditatis meae*. Poſtremum nihil de mundi ſolatiis affectabit qui cum Paulo dixerit: *Mihi abſit gloriari niſi in cruce Domini mei Jeſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt & ego mundo*. Omnis quoque interioris hominis voluptuoſus humor & arvina putridae operationis tumorque turgidae mentis uno & ſalutari purgabuntur ac deſiccabuntur antidoto, cum dicentis Domini fuerit praeceptum impletum: *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum ſibi, & tollat crucem ſuam & ſequatur me*.

CAP. XVII. *De ſignis & ducatu deſerti*.

O quam beatus populus tale gradiens per deſertum, in quo redemptorem ſuum habens ducem, hunc ſolum ſequitur, hunc attendit tollens crucem vel Domini ſui vel ſuam; quæ tunc erit Domini ſui cum in ejus fide omnem aeriæ poteſtatis expugnaverit triumphando; nunc autem ſua cum ad imitamentum paſſionis Domini ſui carnem ſuam cum vitiis adfixerit clavis timoris. Ita imperterritus vaſtitatem eremi pertranſibit, quia lux illi præveniens gratia miſerantis, dux ejus ipſe redemptor, ſignum victoriæ gloria crucis, protectio jugis ſubſequens miſericordia redimentis.

CAP. XVIII. *Quod ſol iuſtitiae, qui lumen infundit, ipſe humorem voluptatis exhaurit*.

Ecce ſol juſtitiæ qui illuxit nobis ut in lumine ſuo recto itinere gradiamur. Ipſe in calore ſuo omnem fluxum humoremque ſauciæ voluptatis exhauſit; ut qui jam quo recto gradiamur agnovimus, nullo corruptionis fluidæ tactu tardemur. Sic itaque auſteritatem diligant deſerti qui amœnitatem deſiderant vitæ. Sic delectentur in afflictione carnis quorum anima Dominum magnificat & in Deo ſalutari ſuo ſpiritus exultat. Sic tota eremus vitæ præſentis mundi deſtituta ſolatiis ſpe futuræ conſolationis amabitur, quoniam ad patriam beatorum non melius, non celerius itur quam per anguſtias paſſionum, dicente Paulo: *Non ſunt condignae paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis*.

CAP. XIX. *Quod per ſolam gratiam Dei poſſit homo ſalvari*.

Jam quia ſalutaris eremus ſolis juſtitiæ inluſtrata lumine & acta calore patuit, nunc in labore viatoribus, ſed in refectione æternis civibus iter præbens, videamus delitias quas illis in ea dux eorum per conlatum ſancti ſpiritus pignus in ſolatium adminiſtrat, ut omnis homo ſuæ impoſſibilitatis conſideratione commonitus, deſtitutum ſe propriis meritis agnoſcens, in Deo ſolo ſpem ponat, qui & velle præparat & poſſe donat, qui non merentibus gratuito dat merita quibus reſtituat dona, qui primo miſericordiam tribuens dat ſubſtantiam bonorum operum, & poſt largitur munera praemiorum, qui facit in ſua ſervitute unde placeat ſibi ſerviens, quem poſtea muneretur ad regnum vocans.

CAP. XX *De attendendo refrigerio aeternitatis propter donum conſolationis præſentis*.

Tunc proinde acutiſſima quiſque, in quantum valet, mentis acie admiranter ſpectet quod illic refrigerium æternitatis dabit quando tam multum hic temporis ſolatium tribuit, quid illic exultationis erit in munere, ſi tantum hic conſolationis datur in pignore, quæ nobis gloria de perventione, ſi tanta exultatio in ſpe, quæ nobis jucunditas æternæ amabilitatis amplexu habere & aſpicere redemptorem, ſi tanta ſalus eſt habuiſſe redemptionem.

CAP. XXI. *De affectibus quibus beatitudo deſideratur aeterna*.

O Domine, da illum ignem quem miſiſti veniens in terra & quem vis ut ardeat. Da ardere caritatis igne, da lucere obedientiæ ſplendore, da fervere dilectionis amore, da inter pericula intentum non habere, da de periculis feliciter exire, da ad tuam dulcedinem feſtinare, da ad tuam viſionem tranquille venire, da tuæ viſionis manifeſtatione perenniter ſatiari, da te in ſæculorum æternitate ſine fine laudare. Sollicitis certe mentibus jam illud eſt conſiderare quod iſtud eſt promereri, illud expectare, quod iſtud habere, illud evidentiſſime percipere, quod iſtud veraciter percepiſſe.

CAP. XXII. *De deſcriptione voluptatum quarum humor non invenitur in ſancto deſerto*.

Extinguendorum jam ſpiritalium morborum virus, quod nullo voluptatum madente humore in hoc deſerto vel oboriri poterit vel fluere, bene ſingulis ſpeciebus quodam modo inſipienti aegroto, cujus aegritudo, quanto ignota, inde deterior, ſapiens ille apoſtolicus ſermo deſcribit: *Manifeſta ſunt opera carnis, quae ſunt, fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiae, contentiones, aemulationes, irae, rixae, diſſenſiones, haereſes, invidiae, homicidia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia, quae praedico vobis, ſicut & praedixi, quoniam qui talia agunt regnum Dei non conſequentur*.

CAP. XXIII. *De dapibus ſpiritalibus mentis ſtomacho praeparatis*.

Rejectis exhine nauſeis talium humorum, & ventre mentis ſordenti putredine liberato, tranquillo, & apto jam in appetitum ſalutis ſtomacho praeparato, idem apoſtolicus ſermo opulentam virtutum dapem apparatu piae adminiſtrationis apponit conſequenter & dicit: *Fructus ſpiritus eſt caritas, gaudium, pax, longanimitas, bonitas, benignitas, fides, patientia, manſuetudo, modeſtia, continentia, caſtitas. Adver-*

ſus

Digitized by Google

ſus hujuſmodi non eſt lex. Qui autem ſunt Chriſti carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis. Si vivimus ſpiritu, ſpiritu & ambulemus. Non efficiamur inanis gloriae cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.

CAP. XXIV. *Quod multis chariſmatum donis nos in hac peregrinatione reficiat Chriſtus.*

Sunt quoque & praecedentia chariſmatum dona quibus pariter cum his ſanctus ſpiritus in hac peregrinatione nos reficit, quem dedit nobis Chriſtus in pignore pietatis, ut deficientes non habeat in via quos reficiendos deducat in patriam.

CAP. XXV. *De ſacramento luminis.*

Lumen ſcilicet cognitionis ſuae, de quo dicimus ad patrem, *& in lumine tuo videbimus lumen*: quoniam in cognitione Chriſti, qui lumen eſt, videbimus lumen patrem luminis genitorem. Et ita verè eſt, quia qui habet filium, habet & patrem, & quia nemo novit patrem niſi filius & cui voluerit filius revelare. Vel quia etiam dedit nobis ſanctae intelligentiae lumen, in quo poſſimus mandata illius perſcrutari & fructum perſcrutationis ejus adjutorio invenire.

CAP. XXVI. *De ſacramento olei.*

Oleum ſanctificationis, quo unctionem accipimus laetitiae ſpiritalis, de quo dicente propheta, *Computreſcet jugum a facie olei*, cum unctionem ejus accepimus, jugum peccati, quod animae collum preſſit, putrefactum evanuit.

CAP. XXVII. *De ſacramento panis.*

Panem cæleſtis mannæ, quem in ſui corporis veritate ſignavit dicens: *Hic eſt panis vivus qui de caelo deſcendit & vitam dat mundo.*

CAP. XXVIII. *De ſacramento aquae.*

Aquam vitae, quae ex percuſſura virgae fluxit e petra, praebens ſignificantiam quod duorum lignorum crucis formae corpus Chriſti ſuſpenſum vitale nobis poculum emanaret, quod & in aqua lavationem baptiſmatis oſtenderet, & in ſanguine remiſſionem peccatorum efficeret. Ineſt quoque illic viror ramorum, quae conſiderationem ſui umbram anxius ferunt, doctrinae ſolis ſcientiam parant, pomis refectionem intelligentiae adminiſtrant, viriditatis aſpectu aeternitatem commendant.

CAP. XXIX. *De ſignificantia virgæ.*

Ibi virga carnis Chriſti, quæ poſt ſiccitatem mortis floruit, quia poſtquam de radice Jeſſe in paſſione ſuccisa eſt, vivacius mortificata revixit, habens eadem caro in virga ſuper omnia regnandi potentiam & in flore pulchritudinis reſurrectionis & redemptorum univerſitatis gloriam demonſtratam.

CAP. XXX. *De ſignificantia floris & lilii.*

Ibi flos campi & lilium convallium, quia idem Chriſtus de ſurculo virginalis corporis exortus mundi decus cinxit & humilitatis virginum gratia praetulit.

CAP. XXXI. *De ſignificantia vitis.*

Illic vitis illa evangelica proprio veritatis teſtimonio oſtenſa, quae toto mundo patens ſe vitam in ſe credentibus praebet, & in ſe credentes ad aeternitatem vitae in ſe palmites habet; cujus uvae ſanguis pretium mundi eſt, redemptio fidelium, abolitio delicti, & praemium regni.

CAP. XXXII. *De ſignificantia malogranati.*

Ibi malogranatum illud nobilitatis Eccleſiae quod in granis fidelium adſtricta unitate diverſum eſt, quod meritorum manſione divitum, & fidei eſt unitate compactum, quod Chriſti ſanguinis titulo rubet, & durabilis beata æternitate ſubſiſtit.

CAP. XXXIII. *De ſignificantia ficus.*

Necnon & ficus legiſque primitivos groſſos Judaeorum abjiciens ad dulcedinem evangelii tempore gratiae credentes ſubſequenter adduxit.

CAP. XXXIV. *Quod gentilitas vel infructuoſa anima deſertum dicatur.*

In hoc deſerto & verbis & myſteriis propheticis commendata inveniuntur ſtagna & rivi aquarum, quae ſive ad gentilitatem ſive ad infoecundam animam referatur, illa eſt quae per inutilitatem ſine fructu ſareſcens in pulvere conſiſtit, ac poſtea ſanctae praedicationis fluenta & doctrinarum rivos erumpit. Cui etiam ſolitudini adhuc danda ex magno munere promittuntur.

CAP. XXXV. *De ſignificantia cedri.*

Cedrus illa magni odoris, quae in ſanctis virtutes & ſigna in operatione ſua exhibens cum Paulo dicit, *Chriſto bonus odor ſumus Deo*, tanto ad aeternitatis memoriam laudabilior quanto & a putredine corruptionis gratior invenitur & purior.

CAP. XXXVI. *De ſignificantia ſpinae.*

Spina doctrinae ſpiritalis, quae dum de peccatis ac virtutibus diſputat, atque modo aeterna ſupplicia minatur, modo caeleſte gaudium promittit, ita cor audientium pungit ut dolore compunctionis perforata mentem per oculos quaſi quendam animae ſanguinem lacrymas elicere cogat.

CAP. XXXVII. *De ſignificantia myrti.*

Myrtus temperantiae virtutem habens, ita ut diſſoluta membra reſtringat. Haec dum afflictis proximis compaſſione miſerationis vel opem defert, vel conſolationis eloquium impendit, ad ſpem ſalutis reparat, quod preſſuris illiſum diſſolute atteri potuerat.

CAP. XXXVIII. *De ſignificantia olivæ.*

Oliva miſerationis, quia & Græce ἔλεος miſericordia dicitur, cujus liquor ante aſpectum Dei acceptabiliter ſatis fructu miſerationis elucet.

CAP. XXXIX. *De ſignificantia abietis.*

Abies contemplationis, quæ intra ſanctam Eccleſiam in terrenis corporibus poſita jam caeleſtia contemplatur, & licèt ſit ortus ejus ex terra, jam tamen contemplando verticem montis tollit in aethera.

CAP. XL. *De ſignificantia ulmi.*

Ulmus potentiae ſaecularis, quæ terrenis curis inſerviens, licet nullum fructum inferat virtutis ſpiritalis, ſanctos tamen viros donis ſpiritalibus plenos ſua largitate ſuſtentans quaſi vitem cum fructibus condigna portat.

CAP. XLI. *De ſignificantia buxi.*

Buxus viriditatis perennis, quæ cum nec altitudinem habeat, nec fructum ex aetatis infirmitate afferat, parentum tamen fidelium credulitatem ſequens, fidei ſemper viriditate perpetua hilareſcit.

Cap. XLII. *De ſignificantia pini.*

Pinus, quæ in altum ſancta intentione ſuſtollitur, per acumen aliorum doctrinae verbis mentes excitans auditorum, nullius temporis adverſitate æterni decoris viriditate nudatur, pomum intelligentiae in abditis ſervans, quod niſi magna diligentis intentio quodam bonorum ſtudiorum malleo penetraverit, otioſis facile non patefiet. Cum autem in ſumptum intelligentiae fuerit exemptum, & fauces in eloquio ſaporat, & ſtomachum mentis in virtutis intellectu confirmat, proterens reſinam in ſudore tolerantiae de corporis paſſione, quae proximorum injecta vulneribus & ulcus in ſalute curat, & obſactu in opinione bona conflagrat.

Cap. XLIII. *De ſignificantia cedri & cupreſſi.*

Cedrus pariter & cupreſſus, de quibus dicitur, *tecta domorum noſtrarum cedrina, laquearia noſtra cupreſſina*, haec innuunt, geminam videlicet dilectionem Dei & proximi quae in ſanctis, qui ſunt habitaculum Dei, per ſanctum ſpiritum deſuper conceſſa monſtratur, ut in Eccleſiae ſublimitate aliud dilectio Dei conſtet in protectionis virtute, aliud dilectio proximi haereat in decore.

Cap. XLIV. *De ſignificantia calami.*

Ibi calamus doctrinae ſpiritalis aqua nutritus uſque adeo gratiam obtinens dignitatis ut in verbo Dei proficiens & ipſe ſcriptor velut doctor ac praedicator fiat.

Cap. XLV. *De ſignificantia junci.*

Ibi juncus eadem doctrinae gratia educatus, qui licet ad hoc provehi non valeat ut calamus ſcribens id eſt doctor praedicans fiat, quia tamen obedientiae virtutem ſervat, & juri diſcendo proficit, & viriditatem uſque ad remunerationem ſervat.

Cap. XLVI. *De ſignificantia lilii, roſae, & violae.*

Eſt quoque candidum lilium flos virginum, roſae purpurantis ſanguinis martyrum, violae gratia continentium.

Cap. XLVII. *De ſignificantia hyſſopi.*

Hyſſopus verborum Dei vim purgatoriam habens, quae adſparſa tumori mentis omne quod in illa turget praecepti auſteritate areſcere facit.

Cap. XLVIII. *De ſignificantia ſinapis.*

Ibi ſinapis illa regno caelorum ſimilis, ſemine, vi, culmoque ſublimis, cujus in ſeminibus adeo diminutio ſpectabilis, quia incrementorum ſpe cum proceritate ſuperet olera, quaedam tranſgreditur & arbuſta. Satio ejus humilis, maturitas excelſa. Forma ſeminis indeſecabilis. Integrum tentum, nihil redolet attritum odore, ſaporeque intolerabile. Culmo procera adeo ut ſit avibus caeli habitatio fida. Innuit fidem, quae caelorum eſt regnum, quod deſpicabiliter ſeritur in humilitate docentis. Quae cum ſola attenditur, contemptibilis viliſque putatur. Jam ſi conſideretur attente, primo non recipit ſectionem, quia non habet haereſum ſciſſuram. Secundo lene palpatu, quia jugum Chriſti ſuave & onus eſt leve. Tertio intentione tractatuque ſpiritus contricata ingens odore, ingenſque ſapore perflagrat, ita ut cogitans de illa recte dicat, *Quaeſivi ſapientiam, & ipſa longe receſſit*, quia cum ſollicite de illa tractatur, impenetrabilium ſecretorum vigor aſpicitur. Succreſcit quoque robore ſui, attingens praemia futurorum quae adipiſcuntur animae fidelium, quaſi caeli aves in ramis virtutum ejus habitationis ſoliditatem habentes.

Cap. XLIX. *De ſignificantia montis, quod eſt Chriſtus.*

Ibi aſpicitur mons ille ſolus ſupra verticem omnium montium elevatus, qui ex lapide ſine manibus abſciſo crevit, omnemque orbem terrae replevit, id eſt, cum verbum caro factum ſine opere conjugali ex veritate humanitatis genitum replevit orbem, quoniam ſuper omnia regnum ejus excrevit. Omnes quoque montes celſitudine tranſiit, quia ſuper angelicam excellentiam ſublimatus in paterna ſede conſedit.

Cap. L. *De ſignificantia Sion, quod eſt Eccleſia.*

Ibi eminens mons Sion, qui in hujus eremi, peregrinationis ſcilicet vitae praeſentis, longitudine poſitus eſt, ut in eo promiſſionem ſpeculemur caeleſtium rerum. Unde & Sion ſpeculatio dicitur.

Cap. LI. *De ſignificantia Libani.*

Ibi Libanus, non ille cujus ſucciditur ſaltus ad interitum ſuperborum, ſed de quo dicitur, *Odor Libani ad te veniet*, ſanctarum videlicet animarum coram te delectabilis operatio redolebit.

Cap. LII. *De ſignificantia lapidum.*

Ibi lapides vivi Petri ore notati, nulla vitiorum mollitie caeſioni ſubjecti, ſed caritatis ardore ad aeternitatis officium ſolidari, de quibus dicitur, *accedentes ad Dominum lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum & honorificatum, & ipſi tanquam lapides vivi ſuperaedificamini domus ſpiritalis, ſacerdotium ſanctum, offerentes ſpiritales hoſtias acceptabiles Deo per Jeſum Chriſtum.*

Cap. LIII. *De avium ſpiritalium ſolatio.*

Quin etiam diſtincta pulchritudine montium ac nemorum, quae & viriditatis & fructuum conſolationem perventuris ad aeternam requiem exhibent in oſtenſione virtutum, adſunt quoque & bonarum avium conſiderationes perſpicuae, quae viatorem Dei vel dulci melos refovent, vel gratiae aſpectu jucundant, manentes in ſolatium viatori, angoremque itineris protectionis comitatu ſolantes.

Cap. LIV. *De ſignificantia columbae.*

Columba ſcilicet in Evangelica ſimplicitate innocentiae pollens, quae cum carnis fel non habeat, irae quoque & indignationis amaritudine caret, in cujus ſpecie ſupra Chriſtum ſpiritus patris venit, & cui jubet idem ſuos diſcipulos ſimiles eſſe dum dicit, *Eſtote ſimplices ſicut columbae*, ſervare praecipiens manſuetudinis ſimplicitatiſque virtutem, ira & indignatione ſimulque malitia diſcedente.

Cap. LV. *De ſignificantia pelicani.*

Pelicanus unicae ſolitudinis, videlicet idem Chriſtus, virginalis generationis ſingulari utero editus, qui inſolite generatus, ſolus virgineae ſolitudinis eſt habitatione retentus.

Cap. LVI. *De ſignificantia nocticoracis.*

Nocticorax domicilii ruinoſi idem Dominus, qui inter ingruentia paſſionis tenebroſa perfidiae caligine perſequentium corda contemnere non appoſuit, dum pro eis & inter ſuplicia patrem oravit, habitans inter eos uſque ad exitum paſſionis & victoriam mortis.

Cap.

Digitized by Google

CAP. LVII. *De ſigaificaatia paſſeris.*

Paſſer unicus aedificii caeleſtis ipſe unique Chriſtus qui poſtquam in ruinoſi populi tenebroſis operibus paſſionem ſuſtulit, in libertate reſurrectionis ſedem caeleſtis gloriae repetivit.

CAP. LVIII. *De ſignificantia aquilae.*

Aquila protectionis divinae, quae dicit, *ſuſcepi vos tanquam pullos, tanquam ſub alas aquilae, & applicavi vos ad me*, & expanſis manuum alis in cruce credentes ſuſcipiendo protexit, atque poſt occaſum mortis corporeae, aſcenſionis volatu caelos aſcendit, in Johanne quoque caeleſtis eminentiae avolans ad patrem pervenit, & quid de verbo Dei cognoverit mundo denunnat.

CAP. LIX. *De ſignificantia fulicis.*

Fulix, cujus domus eſt petra, quae domus paſſerum dux eſt. Chriſtus enim petra, qui eſt requies, quieſcendi ſoliditas fixa, ſanctis omnibus dux eſt ad aeternae introitum vitae.

CAP. LX. *De ſignificantia turturis.*

Turtur eccleſiaſtica, quae nidum ſibi de lignis crucis conſtruens reponit in eo ſub calore fidei credentes quoſque parvulos coalendos donec educati in fidei manſione poſſint ad hoc pervenire ut ſimilitudinem paſſionis valeant tollere crucem Chriſti & eundem Dominum ſequi.

CAP. LXI. *De ſignificantia hirundinis.*

Hirundo illa perſpicax, linguaque nitenti ſono opportune importune praedicans, pigros excitat, quae libertate contemplationis vividae volans, nulli rapaciſſimae daemonioſae avi praeda cognoſcitur, induſtria ſancti operis nidum conſtruens mentis, ubi dum cogitationum pullos in proximorum amabili ſocietate velut in hominum domo fovet, poſt ad volatum perfectae virtutis opus dirigit actionis.

CAP. LXII. *De ſignificantia gallinae.*

Gallina evangelica Domini eſt ſimilitudine & ore prolata, gratum manſuetudine genus, progenie lucroſum, & in fœtibus pium, ſtudioſe filios fovens, ſtudioſius educans. Non enim in fœtu variatur ut perdix, non fovenda relinquit ut phaſis, ſed ſuis ſtrenua genitis, cum portaverit eſcam, ſedula voce parvulos adſciſcit, quos ſecum indiviſe trahens, nec frigoris nec famis finit aerumna terreri. Per hujus ſpeciem pietatem ſuam Dominus praeferens infideli plebi loquebatur dicens: *Hieruſalem, Hieruſalem, quotiens volui congregare filios tuos ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alis ſuis, & noluiſti. Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta, unde quia non erit ſub alis protectionis Dei.* ***

Hic deſunt tres lineae in veteri codice.

CAP. LXIII. *De ſignificantia phaenicis.*

CAP. LXIV. *De ſignificantia ſerpentis utrinſque.*

.... ad redemptoris viſionem erecta conſtiterit: quoniam cum exaltationem ejus in cruce conſpicimus, tunc in defenſionem noſtram ſuper aſpidem peccati & baſiliſcum mortis eum ambulaſſe, leonem quoque diabolum atque draconem antichriſtum conculcaſſe ſentimus. Haec certe cuncta per victoriam paſſionis ejus ſuperata ſunt & extincta, cunctis nobis qui paſſionis ejus conformes effecti nos mundo nobiſque mundum agnoſcimus crucifixum.

CAP. LXV. *Item ſignificantia ſerpentis.*

Eſt quoque & alius connexus eidem ſuo expiri ſerpens, qui dum ad vitam in ſpecus foramine fidei caput aſcondit, corpus in mortis paſſione concedit, exuens ſe tunica converſationis vetuſtae, ut ambulare poſſit in novitate vitae.

CAP. LXVI. *De ſigaificantia utrinſque leonis.*

Saeviat licet leo ille qui circuiens quaerit quem devoret, nobiſcum tamen ſemper ille eſt ex tribu Juda victor leo, qui tam libenter nos de illo defendit quam illum ipſe potentialiter vicit.

CAP. LXVII. *De ſigaificantia lupi & ovis.*

Ingruat licet lupus, qui mortis faucibus anhelat ſemper in praedam, adeſt nobiſcum pro nobis contra illum obſiſtens ei ovis illa non aperiens os ſuum ad occiſionem ducta, veſtiens ac muniens nos contra impietatis jacula & frigus lanis miſerationis & calore caritatis & in expugnatione pugnantis.

CAP. LXVIII. *De ſignificantia agni.*

Stat & agnus ipſe immaculatus, qui quoniam non habet peccati maculam, inde lupi & leonis hujus molas contingens, non ſinit corpus ſuum attingi morſibus ejus. Effuſo namque ſanguine ſuo extinguens vigorem quo ille devorare animarum vitam, quaſi bibere ſanguinem, ſolitus erat, dum innoxius immolatus in mortem occubuit, illius voracitatem pariter & rabiem extinxit, ſanguinis ſui effuſione ſitim occiſorum ſanguinis non irrigans, ſed extinguens, non humidans, ſed necans, non temperans, ſed abſorbens, ut cum ille noxium animarum ſanguinem inſatiabiliter hauriret, iſte innoxium effundens devorantem & haurientem pariter exhauriret.

CAP. LXIX. *De ſignificantia cervi.*

Eſt & cervus viam praeceptorum Dei fidei rectitudine currens, qui non habet vulpis haereticae flexum, de quo dicitur, *Rectus curſus cervi, vulpeculae autem flexuoſus*; qui aſperitate linguae ſerpentem perimit, quia invectione doctrinae in audientium cordibus peccati vigorem occidit; qui deſiderat ad fontes aquarum, ut perveniens ad Deum vivum, viſionis ejus aeterno refrigerio animetur.

CAP. LXX. *De ſignificantia hinnulorum capreae.*

Capreae quoque duorum populorum hinnuli, qui ſe per humilitatem quidem veraciter peccatores agnoſcunt, ſed per caritatem currentibus nihil ſibi de impedimento temporalitatis obviare perſentiunt. Nam contemplationis ardua petentes, libere in ſublimibus amoris ſaltibus conſcendunt. Qui cum ad compaſſionem proximorum deicere ſe videntur, nullo praecipitationis lapſu laeduntur, quia piae virtutis cornibus ſe excipiunt, ne in periculis proximi labantur.

CAP. LXXI. *De ſignificantia equi.*

Eſt & equus, non ille qui in ſui confidentia ſuperbum ſuſcipit aſcenſorem, cum quo praecipitatur in mare, ſed ille ſpecioſus in certamine qui contra aerias poteſtates impigro nos exercitio fert & in nomine Domini noſtri magnificatos à periculis eruit.

CAP. LXXII. *De felicitate ſancti deſerti.*

O beatum deſertum, in quo non pedibus corporis, ſed cordis motibus itur, in quo non rei ambitio ſed conſideratio quaeritur, ubi gradiens animus non laſſatur, quia nec crurum poplite iter expletur, ubi non deſideratur quando refectio mittetur, ſed quan-

Digitized by Google

quando refectionis perfectio inveniatur, ubi quodlibet aliud non eſt quam quod praemium erit, ubi concurrit ſentium ita perſeverantiae ſtatu ad laboris finem anhelat ut nulla hanc actio laborioſa praepediat, ubi nulla ſit oblivio futuri, quamvis multa ſit preſſura imminens de praeſenti, ubi jam de remuneratione aliquid guſtatur, quando in pondere paſſionis conſtantia immota tenetur, quam non foecundat voluptatum humor, ſed caritatis calor, cujus viriditas non voluptuoſis humoribus inſulſa, ſed ferventibus ſanctae cuſtodiae ſtudiis eſt nutrita, cujus durabilitas non otiorum interjectionibus, ſed jugi intentione ſervatur, ubi odor bonae actionis nullo diſſipatur flatu violentiae ſaecularis, ubi gratus aſpectus nullo impeditur hebetudinis objectu, ubi ſanctus labor non fallidit tolerantiam operis, ubi omnis ſancta actio jocunditas, ubi otioſitas execrabilis & nulla. Non eſt ſic ardua ut ſit & pavenda. Sic autem innoxia libertatem grata neſcit inquinamentis admixta. Grata pariter eſt & arta, grata deſideriis praemiorum, arta prohibitione peccaminum. Quicunque aeterna amat in hac avidus currit. Quicunque temporalibus haeret hanc compeditus nec aggredi pertimeſcat. Ibi certitudo ſalutis adverſa amat, ubi vero tranquilla proſperitas enervat. Ibi fortis dilectio ut mors; quia quem divinitatis amor ardaverit, actio mundialis mortificatum habet. Omnis illic viator caritate vulneratus currit, & ad praemium vulneris ardenter agitur ſtimulis caritatis. Terreno conſtituta ſitu caeleſti delectatur adniſu. Mortali vegetata tempore mortali potitur amore, & inde ad immortalitatis gloriam libere tendit unde mortificationem corporis veraciter adſumit. Pervia illa eſt ſacrorum veſtigiis animorum. Omnis illam futurus bonae patriae civis ſexu congreditur, aetate appetit, tempore intrat, opere agit, intentione urget, amore complectitur. Majores natu cum Moſen & Aaron per inſtantiam ſervitutis ſanctae nitent internae gloriae claritate. Juvenes per exercitium operis bella tentationum ſubigunt ſpiritalibus armis. Mulieres cum Maria in tympano attenuatae carnis divinae gloriae perſonant hymnis, inſtructae alibus virtutis, ut per virorum fortium viam ſit illis liberum ambulare. Quae ideo non refugiunt tentationum incurſus hoſtilium, quia vigore animi cohaerent ſocietati ſanctorum, & inde non ſeparantur duri itineris labore, quia pares ſunt intentionis ſanctae congreſſione. Non queruntur de imbecillitate propria, quia per mollitiem corporis operationem exerunt virtutis. Delicatum ſibi nihil ex mollitie deputant, quando & corpora ſuſcipiendis perſecutorum gladiis patant. Nihil tenerum de ſexu ſentiunt, quando totum ad victoriam gloriae duruit quod molle. oblectabiliter fuit. Non erit de cujuſcunque propoſito vel honore, ſexu vel ordine, perſona vel genere quem non in peregrinatione mortalitatis hujus heremi ſanctae illius manſio vel tutandum ſuſcipiens teneat vel itinere ſalutari ad manſionem aeternae beatitudinis mittat. Inſtat enim illic omnium capacitas ordinum, nullius rei a ſe rejecta conditione, quae in eam rationabiliter vegetatur, ſapienter vivit, in Dei dilectione conſiſtit, & ad laudationem aeternitatis divinae pertendit. Nam cum ſit in Pontificibus exemplum beate vivendi & celſitudo gloriae caeleſtis in ſacerdotibus beatae vitae gravitas honeſta, in miniſtris ſancta vita, obediens aque ſubminiſtrata, in reliquo religionis corpore venuſtas morum, & ordinum cuſtodia diſtinctorum, virginibus incorruptionis gloria, continentibus ſolatiorum expectatio, poenitentibus indulta remiſſio, divitibus & in uſu divitiarum liberalitas prompta, & in illicitis uſibus licentia abſciſſa, egenis conſolatio vitalis, poteſtatibus & in excellentia honoris humilitas vera, & in exceſſu pietatis aggravatio cohibenda, conjugibus & in prole honeſta libertas, & in licitu dempta voluptas, omnes hic ſitus ad ſalutem ſuſcipit, omnes hoc iter ad vitam minit. Tantum eſt ut qui regionis hujus plagam ingreſſus fuerit innocentiae haereat, caritate ardeat, & ad manifeſtationem gloriae Dei illa perenniter ſatiandus anhelet: quoniam omnis ejus viator quanto ſapiens itauſque fuerit in ordine proprio, tanto certus erit in praemio expectando, & quanto ardentior in operando quod bonum eſt, tanto fidus in percipiendo quod praemium eſt.

Cap. LXXIII. *Sperandum in ſolo Deo.*

Deſcripto eremi diſcurſu, & attentata illic ſpiritali refectione, exhauſtoque omnium vitiorum humore, tunc plena tranquillitas pergentibus erit quando tota ſpes in auctorem omnium bonorum Deum fixa perſtiterit.

Cap. LXXIV. *Quod nemo ſalvari poſſit niſi & praecedenti & ſubſequenti miſericordia Dei.*

Quamvis mari baptiſmatis abluti, quamvis libertati contraditi cantemus canticum gloriae Dei, nequimus per ſpatia praeſentis vitae duci ad poſſeſſionem quietis aeternae, niſi donec mortaliter vivimus & lumen nos columnae procedat & protectio nobis obumbret, quo inter omnium mundi hujus tentationum occurſus & lumen gratiae Dei praeveniens provehat ignorantes & nubes miſericordiae ſubſequentis protegat atque roboret imbecilles.

Cap. LXXV. *De ſubſequenti narratione conjecta.*

Porro quoniam bonorum operum quaedam ſunt potentialia inſtrumenta ſine quibus omnis homo nec creatori reſtitui nec redemptori omnimode valeat copulari, brevi ſunt orſu notanda, ut vis dictorum ſuis artibus tenta ſolidum decorumque operis corpus efficiat eminenti junctura.

Cap. LXXVI. *Repetitio quorumdam praeteritorum.*

Reparati hominis exordia ex vetuſtate vitae ad Dei cognitionem venientis in exorciſmo verbi, in denuntiatione praecepti, in unctione olei, in acceptione ſymboli, in ſacramento baptiſmi, in chariſmate ſpiritus ſancti, in participio corporis & ſanguinis Chriſti, patenti & competenti ordine textu praecedentis operis ſunt expleta. Quae cuncta ex auditu fidei incipiunt, per fidei expectationem conſiſtunt, in fidei dilectione complentur.

Cap. LXXVII. *Quid ſit fides.*

Fides id ipſum eſt quo fieri credimus id quod nondum videre valemus. Nam cum videt quis non opus eſt ut quaerat rei fidem cui detulit viſionem. Si autem videri nondum poteſt, neceſſe eſt deferat fidem & fieri poſſe confirmet quod videre minime valet.

Cap. LXXVIII. *Unde dicta fides.*

Ex hoc ergo dicta fides quod fiat illud quod inter utroſque placitum eſt, ideſt inter Deum & hominem, ut in praeſenti credatur in Deum, & in futuro credatur ſatiari dulcedine Dei quam repromiſit diligentibus ſe.

Cap. LXXIX. *Quod fides & malarum rerum & bonarum.*

Fides porro eſt non ſolum in Deum. Nam eſt & malarum rerum & bonarum, quia & bona creduntur & mala, & hoc fide bona, non mala.

Cap.

Digitized by Google

CAP. LXXX. *Quod fides & praeteritarum rerum ſit & praeſentium & futurarum.*

Eſt etiam fides & praeteritarum rerum & praeſentium & futurarum. Credimus enim mortuum Chriſtum, quod praeteriit. Credimus ſedere ad dexteram patris, quod nunc eſt. Credimus venturum ad judicandum, quod futurum eſt.

CAP. LXXXI. *Quod fides & ſuarum rerum ſit & alienarum.*

Item fides & ſuarum rerum eſt & alienarum. Nam & ſe quiſque credit aliquando eſſe cœpiſſe nec fuiſſe utique ſempiternum, quia cœpit, eſſe autem æternum, quia non deſinit. Nec ſolum de aliis hominibus multa quæ ad religionem pertinent, verum etiam de angelis, credimus.

CAP. LXXXII. *Quod fides & opus connexa ſalvent hominem, diſciſſa non ſalvent.*

Perceptæ fidei acceſſus operum magna virtutis adfinitate connectitur, quoniam ſi neutro ſibi hæreant, ſunt utroque confuſa, dicente Apoſtolo: *Vis autem ſcire, o homo inanis, quoniam fides ſine operibus mortua eſt? Abraham pater noſter nonne ex operibus juſtificatus eſt offerens Iſaac filium ſuum ſuper altare? Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides conſummata eſt, & ſuppleta eſt ſcriptura dicens: Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam, & amicus Dei appellatus eſt. Vides quoniam ex operibus juſtificatur homo, & non ex fide tantum.* Quid ergo, quia diviſione ſui deſtruuntur utraque, niſi ut connexione ſui conſtruantur utraque, quo juſta Abraham fides opera commendet, & juxta Apoſtolum fidem operatio vivificet? Porro revelante nobis evangelio hæreditatem aeternae vitae nonniſi fides Chriſti commendat, dicente ipſo: *Haec eſt autem vita aeterna ut credant te ſolum verum Deum & quem miſiſti Jeſum Chriſtum filium tuum.* Credentibus deinde adſignat idem Dominus fidei opera cohaerere debere nec extra operum dignitatem fide ſola poſſe ſalvari, ipſo dicente: *Non omnis qui dicit mihi Domine Domine intrabit in regnum caelorum; ſed qui fecerit voluntatem patris mei qui in caelis eſt, ipſe intrabit in regnum caelorum.* Ad ſtatum ergo ſalutis fides & opus cohaerentia manebunt, quia ad interitum ſalvationis male diſſidentia comprobantur.

CAP. LXXXIII. *De comparationibus rerum fidei operique conjectis.*

Sicut enim qualitas alicujus formatae rei non in ſola pulchritudine metalli conſiſtit, niſi huic manus operantis diſpoſitionis ordine decorem imprimat venuſtatis, ita fides nullius operibus comta, non ſolum invenitur indecora, ſed etiam mortua, ita certe lucerna fidei, niſi bonorum operum habeat nutrimenta, citatim videtur extincta. Sic corporalis vita hominis, niſi ciborum competentia vegetetur, in labem morientis inducitur. Ita denique niſi vegetet hoc vitalis ſpiritus, erit mortuum corpus. Sic plantatio nemoris, niſi coaleſcat rivulis humoris, continuo extinguitur uredine ſiccitatis. Conſequens ergo eſt ut praecedentem fidem ſequantur opera, quoniam nec aedificium operum ſine fidei fundamento, ſine inſtructura operis inaneſcit. Eſt ergo homini tunc magna felicitas quando fides illa quae per dilectionem operatur ipſius dilectionis operatione munitur, ut ſi diligit qui credit operis exhibitione probetur.

CAP. LXXXIV. *Quod ſpes nonniſi bonarum & futurarum rerum.*

Spes nonniſi bonarum rerum eſt, nec niſi futurarum & ad eum pertinentium qui earum ſpem gerere perhibetur. Unde Apoſtolus: *Spes quae videtur non eſt ſpes. Quod enim videt quis quid ſperat? Si autem quod non videmus ſperamus, per patientiam expectamus.*

CAP. LXXXV. *Quod ex fide naſcatur ſpes.*

Ex illa ergo fidei confeſſione quæ breviter ſymbolo continetur, & carnaliter cogitata lac parvulorum eſt, ſpiritaliter autem conſiderata atque tractata cibus eſt fortium, naſcitur ſpes bona fidelium, cui ſancta caritas comitatur.

CAP. LXXXVI. *Unde dicta ſpes.*

Spes inde dicta quod ſit properandi pes. Per hanc enim progredimur & patienter ſuſtinemus dilationem promiſſorum bonorum in hujus ſaeculi tentationibus conſtituti, donec in patientia noſtra poſſidentes animas noſtras per adjutorium divinum à malo liberati perveniamus ad beatitudinem repromiſſam, in qua vivemus in omni bono.

CAP. LXXXVII. *Quod ſpei contraria deſperatio ſit.*

Spei porro contraria eſt deſperatio. Ad progrediendum & ſuſtinendum pes animi deeſt. Dum enim quiſque iniquus peccatum amat, nec tentationem ſuffert, nec vitae coronam ſperat.

CAP. LXXXVIII. *De ſententia Pauli, qua fidem, ſpem, & caritatem decenter contexta demonſtrat.*

Hujus fidei acceſſum & ſpei ſtatum ad remunerationem beatitudinis pertendentem competentibus & verbis & rebus Paulus commendat cum dicit: *Juſtificati ex fide pacem habeamus ad Deum per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, per quem & acceſſum habemus in gratia iſta in qua ſtamus & gloriamur in ſpe gloriae filiorum Dei. Non ſolum autem, ſed & gloriamur in tribulationibus, ſcientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero ſpem. Spes autem non confundit, quia caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum qui datus eſt nobis.* Totus iſte locus ita quodam articulo inſtruendi compactus eſt & concretus ut tota ipſa principaliter tria, quae ſunt, fides, ſpes, & caritas, initio, ſtatu, & complemento ſui ſint vel texendo completa, vel complendo contexta.

CAP. LXXXIX. *Expoſitio ejuſdem ſententiae Pauli.*

Initium itaque ſalutis humanae ex fide eſſe propoſuit dicens, *Juſtificati ex fide pacem habeamus ad Deum*; & ac ſi quaereretur per quid fieri poſſet ipſius pacis effectus adjungit, *per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*. Et quid in hoc agit ipſe Dominus noſter Jeſus Chriſtus, ſequitur; *per ipſum habeamus acceſſum in gratia iſta in qua ſtamus & gloriamur in ſpe gloriae filiorum Dei.* Ecce praedixit initium fidei; quae cum fuerit in Chriſto, erit juſtificatio credenti. Poſt juſtificationem erit pax ad Deum, ad quam ordinate venitur per gratiam Dei, in qua jam omnis qui credit ſtat contra omnia adverſa immobilis & gloriatur in ſpe filiorum Dei. Et ex hoc inchoant ſolida eſſe media cujus fidelia extiterant prima. Primo namque per fidem juſtificatus, quia juſtus ex fide vivit. Deinde per juſtificationem

Deo

Digitized by Google

Deo pacificatus, quia pacifici filii Dei vocabuntur. Et haec fiunt non per aliam fidem niſi per eam quae eſt in Chriſto Jeſu, per quae acceſſum habemus in gratia ejuſdem fidei in qua ſtamus & gloriamur, quae praeparatur a Deo in bona voluntate credenti, in qua dictum eſt. *Credens ſtat ſolidatus in petra, qui eſt Chriſtus, & gloriatur, ſperans promiſſam ſibi hereditatem filiorum Dei.* Et hoc medium ejus, in quo ſuſtinet luctamen adverſitatis & certamina paſſionis; quoniam eum homo excruciatus vel occultis tentationibus, vel apertae perſecutionis objectibus, verae fidei ſolidatus ſpe, inviſibilia expectat, eaque nondum videntur, ventura confidit, eaque in futurum retributio adducet, jam in praeſenti expectatione firma complectitur, nec dubitat ut quandoque percipiat, qui ut verè percipiat jam evidenter ſperat. Unde adjungit: *Non ſolum autem, ſed & gloriamur in tribulationibus.* Quid hoc eſt, *Non ſolum?* Ergo eſt & aliud in quo gloriatio eſt? Illud videlicet quod gloriatur in accepta fide, cujus mercedem ſperat, retributionem aeternae vitae. Gloriatur autem & in alio lucro, id eſt in tribulationibus quas ſuſtinere facit: *ſcientes quod tribulatio patientiam operatur.* Hinc dicitur, *Patientia vobis neceſſaria eſt*: quia niſi patientia tribulationem temperet dum preſſura tribulationis vim patientiae extinguit, negotium certaminis non ad probationem extendit, ſed mox ad reprobationem elidit. Jam patientia quam tribulatio operata fuerit extenditur ad probationem, ut hoc quod toleratur, ſi ad aeternitatis amorem tendit, vere probetur, ne in ſinu tolerantiae lateat murmur vocis iniquae, & quod ſtabat ſub faſce preſſurae ſolidum dilabatur in murmuris fluxum, ſicque probitatis dignitate careat quod in reprobatione murmuris venit. Jam probatio fidelis inventa venit ad bonorum ſpem, quae tanta dulcedine conditoris anhelat ut cupiat corpore diſſolvi & eſſe cum Chriſto, tanta ſui ſoliditate robuſta ut confundi non poſſit. Salus itaque illa quae per fidem cœpit, quae juſtificationem invenit, quae ad pacem Dei pervenit, quae in Chriſto ſolidata acceſſum gratiae reperit, in qua firmiſſime ſtans veraciter gloriatur, quam tribulatio exercitavit, quam probatio idoneam reddidit, ſpes deinde ſine confuſione ad remunerationis aeternitatem inducit, & hæc non aliter niſi quia illa ultima, & quae major eſt horum, caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum qui datus eſt nobis. Hoc ſpei tempore, quod eſt medium inter fidem & caritatem, nunquam autem a fide & caritate ſejunctum, fit exercitium operum bonorum, ut fidem opera commendent, ne mortua ſine operibus habeatur, ut ſpes indeſinenter opus exerceat, perducens intentionem uſque ad perſeverantiae ſalutem, tolerans quicquid adverſum aut ex tentatione aut ex paſſione concurrerit. Et ita cuncta aequo animo ſuſtinet ut inter anguſtias dolorum & praeſenti laetitia glorietur & in futurae gloriae expectatione lætetur.

CAP. XC. *De caritate & nomine ejus.*

De caritatis bono quantum quiſque dicere poterit, cum ſatis Paulum dixiſſe ſufficiat: qui proſequens virtutes ejus tanta numeroſitate complexus eſt quanta & ubertate fructus ejus opimo ſe eſſe penſavit. Nomen caritatis Graecum eſt. Quod Latine dilectio dicitur. Haec a duobus incipit, vel ab homine & Deo, vel coram Deo ab homine & proximo. In uno enim experimentum dilectionis minime patet, quia cui ſe vel quid ſibi quiſque connectat ſingularitas non habet. Haec primum a Deo ad homines venit, dicente Johanne: *Non quia nos dileximus Deum, ſed quia Deus prior dilexit nos dans nobis pignus ſpiritus ut diligamus eum in operibus pietatis.* Dehinc ut demonſtretur dilectio Dei, oſtenditur dilectio proximi. Nam denuntiante Apoſtolo, *ſi proximum, quem videmus non diligimus, quomodo Deum, quem non videmus, diligere poterimus?* Teſtimonium ergo dilectionis Dei eſt dilectio proximi. Et tunc vere diligi probabitur Deus quando in Deum amicus, propter Deum dilectus convincitur inimicus. Haec ubi vera conſiſtit intercidi neſcit, quia interruptionem non habet quod permanebit in aeternitatis hereditate, tantum effectu ſuae operationis idonea ut non quaerens quae ſua ſunt, ſeſe periculis ingerat proximorum, atque quicquid lucrandum adſciverit, aut propriae proſperitatis communione refoveat, aut ſuſceptae adverſitatis expugnatione defendat, robuſtis exercitiis invida, dum ſemper avida proximi ſalutis, aut quod lucraverit non amittit, aut quod lucrare nequiverit compaſſione ſimplici dolet, nunquam bonitatis vacuata mercede.

ALCUINI EPISTOLA
AD
KAROLUM MAGNUM.

IN nomine Dei Chriſti ſalvatoris mundi. David Chriſto Domini Albinus perpetuae pacis & proſperitatis in domino ſalutem. Sapientia eſt, ut philoſophi diffinierunt, divinarum humanarumque rerum ſcientia, quam, excellentiſſime Imperator, religioſiſſima veſtrae humilitatis prudentia diligenter ab hominibus requirere adſueſcit, ut omnium ſenſus proprio cordis theſauro infundat, quatenus de hoc abundantiſſimo divitiarum gazophylacio juxta evangelicum ſcribam nova & vetera proferre valeat. Quocirca cujuſdam ſapientis Graeci interrogationem de pretio ſalutis humanae, cui daretur, inquirentis, noſtrae parvitatis ingenio dirigere ſtuduiſtis, non, ut optime novi, ignorando, ſed probando quid noſtrae parvitatis intellectus exinde ſenſiſſet vel a magiſtris didiciſſet. Quod pretium cui daretur ſapiens ille praedictus a quibuſdam catholicae eruditionis filiis in palatio inquirere dicitur, & ut viſum eſt ejus ſapientiam audientibus, velle eum adſtruere hujus pretii acceptricem eſſe mortem putans redemptionem eſſe non poſſe niſi forte eſſet qui pretium recepiſſet ab emptore atque aliquid ſui juris emptori pro pretio tradidiſſet accepto, hoc ipſum quoque apoſtolicae auctoritatis ſententia confirmare niſus, quia dictum eſt. *Regnavit mors ab Adam uſque ad Moyſen.* Ad cujus quaeſtionis profunditatem ne quid temere dicam, ſenſibus patrum reſpondere ingrediar, atque ejus obſcuritatem, ſi reſpondere vel in magnitudine libri opus erit, tamen ita temperabo calamum ut longioris epiſtolae modum non excedat. Primo quaerendum eſſe video de qua morte beatus Apoſtolus teſtimonium protuliſſet, ſive de diabolo, qui ſaepe mortis nomine deſignatur, vel de peccato, quod eſt mors animae, aut etiam de morte carnis, quae eſt pœna peccati. Deinde de pretio ſalutis noſtrae quicquid ejus gratia noſtro ſuggerit animo qui pro nobis illud pretium obtulit dicemus. De peccato quidem diſputans Apoſtolus hoc ſubinfert teſtimonium dicens: *Regnavit mors ab Adam uſque ad Moyſen.* Si de morte carnis ſolummodo intelligendum putaret, utique dixiſſet: *Regnavit mors ab Adam uſque in illum diem* de quo alio idem ait: *Noviſſima inimica deſtruetur mors*, quam adhuc in carne noſtra regnare dolemus. Unde & ipſe Apoſtolus ait: *In hoc enim ingemiſcimus prægravati, quia nolumus expoliari, ſed ſuperveſtiri, ut abſorbeatur hoc quod mortale eſt a vita.* Proinde aliud quoddam genus mortis his verbis Apoſtolum ſignificare putamus, quod regnaſſe dictum eſt ab Adam uſque ad Moyſen, id eſt uſque ad ultima tempora legis & initium gratiae, quae hoc regnum mortis deſtruxit. Mors vero de qua dicitur, *Regnavit mors ab Adam*, illa eſt ſine dubio de qua propheta ait: *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur.* Hujus vero regnum mortis gratia adveniente deſtructum eſt poſtquam Chriſti ſanguis chirographum quod peccata no-

Ex Lib. 5. Miſc. Bal. pag. 365.

Rom. 5.

1. Cor. 15.

2. Cor 5.

Ezec. 18.

Digitized by Google

noſtra ſcripſerunt delevit, adfingens illud cruci, in-
terficiens inimicitias in ſemetipſo quae erant inter Deum
& hominem. Sed hoc mortis genus nullum habuit
in Chriſti anima redemptoris noſtri regnum, quia
nunquam illa peccavit; ideo nec moriebatur. Si ve-
ro Chriſtus peccatum non fecit, quod eſt mors ani-
mae, & caro ejus damnato mortis aculeo cum trium-
phi gloria ſurrexit de ſepulchro, cui mors ultra, ut
dicitur, non dominabitur, ubi eſt pretium quod mors
ſibi traditum eſſe gloriatur? Quare non tenuit, ſi jure
emptionis accepit illud? Nec ſtatim conſequens eſt
ut pretium illi detur à quo aliquid redemptum eſſe
dicitur. Propheta enim precatus eſt Deum ut ſe re-
dimeret ab anguſtiis, nec tamen aliquid Deo unde
Pſal. 106. anguſtiis quibus propheta angebatur pretii tradidiſſe
dicendum eſt. Item dicitur in alio pſalmo: *Dicant
nunc qui redempti ſunt à Domino, quos redemit de
manu inimici, de regionibus congregavit eos*. Neque
enim Deus omnipotens totiens pretium dedit gentibus
vel regibus quotiens populum ſuum redemit ab eis. I-
Pſal. 135. tem in alio pſalmo: *Et redemit nos de manu inimi-
corum noſtrorum*. Si ad hiſtoriam attendas, nullum
pretium Ægyptiis dedit quando Hebraeos de mani-
bus eorum ſanguine myſtici agni liberare dignatus
eſt. Atque hic conſiderandum eſſe putamus cui iſte
agnus in redemptionem populi Dei immolatus eſſet,
Domino Deo miſericordiſſimo, vel Pharaoni Regi
impiiſſimo, vel quo ſanguis illius ſuperliminaribus
illitus defendiſſet ab angelo percutientes. Numquid
carcer propriam habet in puniendos per ſe poteſta-
tem, aut aliquis carceri dat pretium redimendi vin-
ctos ex eo, aut gladio ultori ſcelerum munera non
nocendi occidit, & non magis judici, qui habet pote-
ſtatem ligare vel ſolvere, occidere & vivificare? Si igi-
tur propter nomen redemptionis, quod ſancta ſolet
ſcriptura ſæpius pro noſtra ponere liberatione, vult iſte
ſapiens neceſſariam eſſe in ſalute noſtra venditionem
atque emptionem cum morte dicere, ubi prior em-
ptio eſſet ut ex ea priore ſecunda reemptio, ut ille
interpretatur, juſte dici valeat? Quod vero dicimus
recreatio vel reformatio, ideo dicimus quia fuit pri-
ma creatio & formatio quando homines creati ſunt
atque formati, nullatenus ita intelligi poteſt redemptio
quaſi quaedam eſſet emptio ante. Nec etiam hoc
quod dicitur redemptio ad emptionem tantum per-
tinet quantum ad liberationem, ſicut ſuperius oſten-
dimus, quod & ipſius Domini verbis probari po-
Math. 20. teſt, ubi ait: *Filius hominis non venit miniſtrari,
ſed miniſtrare, & dare animam ſuam redemptio-
nem pro multis*. Quis audet dicere animam illam
ſanctam, immaculatam, ſegregatam ab omni pec-
cato, morti datam eſſe? Magis videamus cui haec
in redemptionem noſtram daretur. Refert beatus
Lucas evangeliſta Deum Ieſum in cruce clamaſſe:
Luc. 23. *Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum. &
haec dicens expiravit*. Spiritus & anima diverſa ſunt
nomina. Sed his teſtimoniis domini una eſſe res
agnoſcitur. Non igitur aliqua neceſſitate coactus,
ſed propria voluntate, tradidit dum voluit ſpiritum.
Sive animam ſive ſpiritum dicamus, patri com-
mendavit & tradidit in redemptionem noſtram, ſi-
cut ante praedixit, ubi ait: *Poteſtatem habeo ponen-
Joan. 10. di animam meam, & poteſtatem habeo iterum ſu-
mendi eam*. Animam vero ſuam Chriſtus pro no-
bis poſuit, & quando voluit poſuit; & quod po-
ſuit, patri commendavit; & iterum quando voluit
ſumpſit eam. Ponere ergo animam, mori eſt. Ca-
ro poſuit animam, & caro iterum ſumpſit eam po-
teſtate inhabitantis verbi Dei in eo quod hic dicit:
Poteſtatem habeo ponendi animam meam, ubi di-
Joa. 19. ctum eſt: *Inclinato capite tradidit ſpiritum*. qui ſpi-
ritus anima eſt, quam poſuit Chriſtus dum voluit.
In ſe enim poteſtas erat, non in morte, quando
poneret animam, quando iterum ſumeret eam. Quid
vero in redemptore noſtro mors poteſtatis habuit,
dum omnia propria voluntate perfecit quae noſtrae
ſalutis cauſa communi cum patria voluntate gerere
diſpoſuit? Igitur de dormientis Adam latere Eva,

quae interpretatur vita, formata eſt. Sic de Chriſti
latere dormientis in cruce prolatum eſt Eccleſiae pre-
tium. Unde & ipſe per prophetam: *Ego dormivi*, *Pſal. 3.*
inquit, *& ſomnum cepi, & reſurrexi, quoniam
Dominus ſuſcepit me*. Niſi forte quislibet audeat di-
cere quod ſanguis Chriſti, qui effuſus eſt lancea mi-
litis in terram morte remanſiſſet quaſi pretium.
Audiat quid beatus Auguſtinus in libro quarto pul-
cherrimi operis de ſancta trinitate ſentiat. Dicit enim
poſt congruam de morte Chriſti diſputationem. *Et
unus ex diſcipulis etiam cicatrices ejus contrectans
exclamavit dicens: Dominus meus & Deus meus.
Et cum illius carnis tota integritas appareret, de-
monſtratum eſt in ea quod ſuos exhortans dixerat:
Capillus capitis veſtri non peribit*. Verum ſi capil-
li ſanctorum non peribunt, quanto magis nec ſan-
guis Chriſti. Similiter beatus Fulgentius de tota hu-
manitate corporis Chriſti aſcendentis in caelum te-
ſtimonium tale in libro de fide Chriſtiana proferens:
Poſtea, inquit, *quam poſuit animam & reſumpſiſ-
ſet ſecundum totam humanitatem ſuam in caelum
aſcendit & in dextera Dei ſediſſet*. Redemit enim
nos diverſas ſuſtinens injurias & paſſiones, vincula
paſſus, alapis caeſus, flagellis verberatus eſt. Rede-
mit utique ſanguine paſſionem. Ad poſtremum re-
demit nos miracula reſurrectionis oſtendens, ſicut
dixit Apoſtolus cuncta complectens: *Magno pretio* *1. Cor. 6.*
redempti eſtis. Quis vero illud accepiſſet tam po-
tens pretium, audiamus quid Caſſiodorus eximius in-
terpres pſalmorum dixiſſet de eo verſu: *Redemptio-
nem miſit Dominus populo ſuo. Convenienter enim*, *Pſal. 110.*
ait, *dicitur*, Redemptionem miſit, *quoniam hoc vi-
debantur indigere captivi. Sed tale pretium fuit
quod non tyrannus ſumeret, ſed ille qui abſolveba-
tur acciperet. Lucratus eſt captivus redemptionem
ſuam, & ipſe eſt magis inde ditatus qui tenebatur
obnoxius, & tyrannus damnatus, qui tenebat eum*.
Sed quaerendum eſt diligentius atque merito intuitu
inſpiciendum an juſtius dicatur mortem a ſalvatore
noſtro ſuſcepiſſe pretium, an ipſam mortem pretium
eſſe redemptionis noſtrae. Audiamus quid beatus Au-
guſtinus inde dicat in libro quarto de ſancta trinita-
te, ubi plurima diſputabat de pœnali & juſtiſſima mi-
ſeriae noſtrae & non debita Domini noſtri Jeſu Chri-
ſti morte. *Ad mortem*, inquit, *per peccatum veni-
mus, & ille per juſtitiam. Et ideo cum ſit mors no-
ſtra pœna peccati, mors illius facta eſt hoſtia pro pec-
catis*. Similiter alio capitulo ejuſdem libri de morte
Chriſti ita dicit: *Neque enim cuiuſquam jure po-
teſtatis exutus eſt carnaliter, ſed ipſe ſe exuit.
Nam qui poſſit non mori ſi nollet, quia voluit
mortuus eſt. Et ideo principatus, & poteſtates
exemplavit fiducialiter triumphans ea in ſemeti-
pſo. Morte ſua quippe uno veriſſimo ſacrificio pro
nobis oblato*, & cætera quæ mirabiliter proſequitur
de eadem re. Item poſt pauca, in eo capitulo cui
talem propoſuit, *De ſacrificio perfecto & vero, quod
ipſe pro nobis ſalvator effectus eſt*, luculentiſſime oſten-
dit qui eſſet ſacerdos & quod ſacrificium, pro qui-
bus vel a quo oblatum eſſet. Ait enim: *Quis ergo
tam juſtus & ſanctus ſacerdos quam unicus Dei fi-
lius, qui non opus haberet per ſacrificium ſua pur-
gare peccata, nec originalia, nec ex humana vita
quae adduntur? Et quid tam congruenter ab ho-
minibus ſumeretur quod pro eis offerretur quam hu-
mana caro? Et quid tam aptum immolationi quam
caro mortalis?* Et paulo poſt: *Quid tam grate of-
ferri & ſuſcipi poſſit quam caro ſacrificii noſtri cor-
pus effectum ſacerdotis noſtri; ut quoniam quatuor
conſiderantur in omni ſacrificio, cui offeratur, a quo
offeratur, quid offeratur, pro quibus offeratur, idem
ipſe unus veruſque mediator per ſacrificium pacis
reconcilians nos Deo unum cum illo foret cui offe-
rebat, unum in ſe faceret pro quibus offerebat, unus
ipſe eſſet qui offerebat & quod offerebat*. Nonne
perſpicuum eſt his verbis beati Auguſtini bene in-
tellectis, cui hoc ſacrificium obtulit? Niſi forte
quis audeat dicere aliud eſſe ſacrificium quod Deo

patri oblatum eſt, aliud pretium quo redempti ſumus. In omnibus injuriis, opprobriis, ac paſſionibus quas unicus Dei filius ſuſtinuit pro nobis, quid geſtum eſt niſi oblatio pro peccatis noſtris, niſi pretium redemptionis noſtræ? Et ſuperfluum videtur quærere quis hanc oblationem vel hoc pretium acceperit, dum beatus Paulus in tertium raptus caelum tale de eo qui eſt ſacerdos & hoſtia, pretium
Ephes. 5. & oblatio, proferre teſtimonium non timuit, *Qui ſemetipſum*, dicens, *pro nobis obtulit ſacrificium Deo in odorem ſuavitatis*. Et quod vita venerit ad mortem teſtatur idem Auguſtinus in quinquageſimi octavi pſalmi tractatu. *Quid autem fecerunt*, inquit, *in Chriſto? Non vitam, ſed mortem, occiderunt. Extincta quippe morte, vita reſurrexit. Ipſe verò ſalvator noſter, in quantum medicina eſt & ſalus, nobis datus eſt, ſicut dicitur à propheta: Filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus eius ſuper humerum ejus. Scilicet Iſaac crucem portavit in humerit ad immolationem ſui. Idem ſacerdos & ſacrificium Deo patri à ſemetipſo oblatus pro ſalute noſtra in odorem ſuavitatis. de quo propheta Dominum juraſſe dicit: Tu es ſacerdos in aeternum ſecundum ordinem Melchiſedech*. Quod teſtimonium beatus Cyprianus doctor egregius & martyr glorioſus
Cyprian. epist. 63. ita intelligi voluit. *Nam quis magis*, inquit, *ſacerdos Dei ſummi quam Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui ſacrificium Deo patri obtulit, & obtulit hoc idem quod Melchiſedech obtulerat, id eſt panem & vinum*. Scilicet corpus & ſanguinem pro nobis obtulit, ut nos eo redimeret ſacrificio utrumque. Et pro nobis obtulit hoc ſacrificium, & nobis dedit in memoriale ſempiternum, ſicut in evangelio legi-
Luc. 20. tur. *Et accepto pane*, inquit evangeliſta, *gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens: Hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, poſtquam caenavit dicens: Hic eſt calix novi teſtamenti in ſanguine meo quod pro vobis fundetur*. Idem itaque victor & victima, & ideo victor quia victima. Idem itaque ſacerdos & ſacrificium, & ideo ſacerdos quia ſacrificium. In ea quippe natura ſacerdos quia ſacrificium, excelſior cæli factus, ſemper vivus interpellaſſe pro ſuis. idem ipſe potens cum Deo patre & ſpiritu ſancto vitam credentibus in ſe. idem Deo & vivo unigenitus Dei filius Dominus noſter Jeſus Chriſtus, cujus laus & gloria in ſæcula ſempiterna.

In patris & nati, paracliti & nomine magno
Sit tibi proſperitas, gloria, vita, ſalus.
O mi dulcis amor David, in ſaecla valeto.
Sit laus, lux, virtus, Chriſtus, ubique tibi.

Fortaſſis Athenienſis ſophiſta ex academica ſchola hujuſmodi protulit quæſtionem; cum quo Platonicis pauliſper liceat argumentis verba conſerere. Porro beatum Paulum legimus cum Stoicis diſputare, ut eorum eos diſciplinis ab errore in viam veritatis tranſduceret. Nam & populus Dei redimendus a ſervitute duriſſima Egyptiacis ditatus divitiis ducem a Deo directum ſequutus, ex quibus in tabernaculi aedificationem plurima Deo dona obtulit. Cur non tam praeclaris eruditus exemplis dialecticos illi quæſtionario proponimus ſyllogiſmos, ut ſuorum ſauciatus armis in catholici exercitus libens caſtra recurrat. Dic, rogo, dic doctor prudentiſſime, utrumne mors ſit ſubſtantia, quatenus videamus ſi digne dici debeat tantum eam ſuſcepiſſe praemium. Igitur ſi mors ſubſtantia eſt, creatura Dei eſt; quia nulla eſt ſubſtantia niſi aut ipſe ſit aut a ſe creata. Si vero a Deo creata mors eſt, inter opera ſex dierum eam eſſe creatam nemini dubitare licet: quia ipſe creator, ut ſancta refert hiſtoria, ſexto die conſummavit opera ſua, & in ſeptimo requievit ab omnibus operibus ſuis. Si igitur inter illos ſex dies mors creata eſſe non invenitur, utique creatura non eſt. Et ſi creatura non eſt, ergo nec aliquid ſubſtantia, nec plane quicquid nomine mortis ſignificari videtur prius fuit quam homo peccaſſet, quae eſt originalis peccati pœna, inter originales creaturas condita, atque ideo nec recte creatura dici poſſe probatur. Si vero hac dialectica præfatus magiſter ratione credendum non aeſtimet mortem non eſſe creatam, Dei vel ſanctæ ſcripturæ teſtimonio credat, quae dicit, ut Sap. 1.
legitur: *Dominus mortem non fecit*. Igitur ſi Dominus eam non fecit, utique, ut diximus, nec creatura eſt; nec aliud videtur eſſe mortem niſi abſentiam. Quia ubi vita a juventute recedet, ibi erit illud quod mors dicitur; ſicut tenebrae nil aliud ſunt niſi abſentia lucis. At ſi mors creatura non eſt, ut vere divinarum teſtimonia litterarum vel argumentorum rationabili neceſſitate probatum eſt, quomodo accipere potuit pretium omnibus creaturis excellentius. Quicquid in Domini ſalvatoris noſtri paſſione diabolica invidia vel Iudaica perfidia geſtum eſſe legitur, hoc totum fuit divinae pietatis diſpenſatio, uſus eorum malitia in ſe bonitatis effectum noſtraeque ſalutis profectum. At quicquid diabolus per eorum carnificas manus ſuis geſſiſſe putavit, hoc totum illius qui paſſus eſt voluntaria fuit permiſſio vel diſpoſitio, non mortalis dominatio neceſſitatis. Et mirum quomodo morti dare pretium putaretur qui morti nihil debuit, nec mors, ſicut dictum eſt, ſubſtantia eſt ut tale pretium jure expoſcere potuiſſet.

EIVSDEM ALCUINI

CAPITULARE ADMONITIONIS

AD EVNDEM KAROLUM.

Capitula quae tali convenit in tempore memorari.

I. TEſtamentum in mortuis confirmatur, Apoſtolo proteſtante. Ideoque poſt obitum teſtatoris omnimodam firmitatem obtinuit. Quod etiam ante mortem conſenſus omnium confirmavit. Non itaque poſtea valet infringi quod antea nullo modo potuit improbari.

II. Quicunque teſtatori reperitur ingratus, inſuper & contumelioſus exiſtat, ipſe ſibi teſtis eſt quia teſtamento dignus non eſt. Verbi cauſa, Chanaan patris inexhonoratio ſervum conſtituit, Eſau propter intemperantiam primogenita perdidit, Ruben junioribus fratribus contumelia paterna poſtpoſuit. Ad poſtremum quoque: *Qui maledixerit patri*. & reliqua.

III. Benedictiones patrum in filio hereditare genuinum eſt. Contra leges autem naturae pugnant qui parentibus inobedientiam ſeu contumaciam parant. Legitimus igitur heres erit qui praefixos ordines erga parentes tenuerit.

IV. Aliud eſt indebite clementer admitti, aliud ex debito competenter aſcribi. Nec poſſunt ex debito reperi quae prorſus indebite conceſſum eſt adipiſci. Diverſitas ſiquidem meritorum diverſitates exigit praemiorum.

V. Quod optime natus, & hereditatem legitime conſecutus, neque legis antiquae ſeu novae contemptor inventus, nec adverſus patrem ſaucius, neque contra populum vulneratus, magnam debeat hereditandi gerere Domino miſerante fiduciam.

VI. Fracto capite ſubjecta quaeque languere perſpicuum eſt, cum de firmitate capitis totius proveniat incolumitas corporis; nec poſſunt ea ſanitate membra ſubdita gloriari quam conſtat in capite non haberi.

VII. Hic ſi veritas quaeritur, non eſt incognita. Si ratio, non eſt ambigua. Si auctoritas, non eſt incerta. Quoniam & auctoritas ſupereminet, & ratio patet, & veritas abſcondi non poteſt.

VIII. Tripartita diſtributione videntur iſta omnia includi, conſulentium ſcilicet, ac nocentium, & eorum qui ſic inter utroſque ſemper ambigui ſunt ut

quos

Digitized by Google

quos obtinere perſpexerint, eis ſe continuo ſocient. Sunt ergo conſulentes utiliter adjuvandi, reſiſtentes autem viriliter obviandi; dubii verò vel rationabiliter adtrahendi, vel circumſpecte diſſimulandi; cunctiſque monſtrandum nec auctoritatem poſſe corrumpi, nec rationem vinci, nec veritatem penitus ſuperari.

IX. Populus juxta ſanctiones divinas ducendus eſt, non ſequendus; & ad teſtimonium perſonae magis eliguntur honeſtæ. Nec audiendi qui ſolent dicere *Vox populi, vox Dei*, cum tumultuoſitas vulgi ſemper inſaniae proxima ſit.

X. Vulgare proverbium eſt: De duro ſuperatur aliquid, de molli vero remanet nihil. Debet tamen & ſapientia miniſtrare conſtantiam, & conſtantia perficere ſapientiam, ut ſit conſtantia ſapiens & ſapientia conſtans.

XI. Sic exercenda eſt praedicatio pacis ne ſub nomine pietatis inducatur aſſertio falſitatis. Nam ſicut pacem rumpere peſſimum eſt, ita veritatem negare blaſphemum. Multum ſibi denique concinunt verax unitas & pacifica veritas.

XII. Haec & ejuſmodi reor inculcanda ſimplicibus, eo quod ignorantia veritatis cogat errare quamplurimos. Porro veritate manifeſtata, contrarii confundentur, amici ſolidabuntur, univerſi vero pariter excuſatione carebunt.

Illa ſupplico dignanter ac diligenter inſpicite. Veſtrae ſiquidem fidelitatis immenſitas parvitatem meam reddit impatientem pro vobis, facit etiam ſupra vires audentem. Enimvero fidem non perdit niſi qui nunquam habuit. In cujus manu ſunt Reges & jura regnorum, ipſe coronas veſtras multiplicet, tueatur, obumbret.

EIUSDEM EPISTOLA

AD

ABBATES ET MONACHOS GOTHIÆ.

Epiſtola Albini Diaconi miſſa Geticis Abbatibus vel Monachis de Dei & hominis unigeniti filii Dei perſona.

ALbinus humilis Chriſti famulus & ſerviens ſancti Martini omnibus Abbatibus, fratribus & filiis qui ſunt Gothiae partibus in Chriſto cariſſimis, aeternae beatitudinis ſalutem. Acceptis dulciſſimis veſtrae beatitudinis litteris, ſimul & ſuaviſſimis nimiumque nobis neceſſariis ſanctarum orationum veſtrarum muneribus cum omni gaudio & mentis alacritate, & magnam vere habens fiduciam per veſtras ſacratiſſimas interceſſiones ad Ieſum Dei filium, qui pro mundi ſalute homo dignatus eſt fieri, ita ut qui Deus aeternaliter ex patre natus eſt, temporaliter naſceretur ex virgine, & idem eſſet homo qui & Deus, & idem Deus qui & homo, & non eſſet nulla ſeparatio perſonae vel filietatis, ne eſſent duo filii, unus proprius, & alter adoptivus, aut duo dii, unus verus Deus, & alter nuncupativus. quod omnino impium eſt credere & praedicare. Quia Dei filius in proprietate perſonae & filii dignitatis adunivit ſibi hominem ut eſſet unus Chriſtus & unus Deus & unus Dei filius, totus in ſuis & totus in noſtris, perfectus in divinitate, & perfectus in humanitate. Quod multis teſtimoniis evangelicis vel apoſtolicis vel etiam ſanctorum patrum traditionibus comprobari poteſt, ſicut in libello ex parte factum eſt quem direximus per beatum Benedictum vobis ſolatium & confirmationem fidei catholicae. Sed in manibus majus modo habemus opus propter alias cauſas quae in libello venerandi Felicis legimus; & illum volente Deo vobis dirigimus, poſtquam lectus & comprobatus fuerit ab Epiſcopis noſtris & domno Rege. Interim veſtra ſanctitas nos adjuvet ſacroſanctis orationibus veſtris, ut Dominus Deus aperiat nobis agnitionem veritatis & fiduciam praedicationis & conſtantiam in fide catholica. Multum enim valet deprecatio juſti, quanto magis & plurimorum. Haec novitas vocum in adoptione nuncupatione Chriſti omnino fidelibus omnibus deteſtanda eſt, & magnopere cavenda haec diviſio in Chriſto Domino noſtro. Scimus duas naturas perfectas eſſe in Chriſto, & unam perſonam mortalem immortalemque eundem eſſe; ſicut homo mortalis eſt carne, immortalis anima, tamen unus eſt homo & una perſona & unus filius patris ſui totus proprius, & dividi non poteſt, quod ſit partim nuncupativus homo, & partim verus homo; ita & Chriſtus, licet ſit carne mortalis & divinitate immortalis, tamen unus Jeſus Chriſtus, & unus Dei filius, ſicut dixi hominem eſſe unum filium, licet carne ſit mortalis & anima immortalis. & nullatenus unus filius uno patre poteſt eſſe utrumque & proprius & adoptivus. Etſi eſt unus filius Deus Chriſtus in una perſona, omnino aut totus eſt proprius, aut totus adoptivus. Sed melius eſt ut propter illam excellentiam naturam Dei filius, qui proprius & aeternus eſt, ſit humanitas adſumpta in proprietatem filii, quam propter humanitatem Dei filius aeternus humilietur in adoptionem. Omnino proprius filius & adoptivus unus eſſe non poteſt ad unum patrem, ad duos autem poteſt. Haec conſiderantes diligentius, & animo tenete firmiter & conſtanter praedicate unum filium & unum Deum, eundem proprium & verum perfectumque eſſe, quia omnis veritas in Chriſto eſt, & nullum figmentum, & tota plenitudo divinitatis, & nulla minoratio nec defectio, nec eum, ſicut in libello praefati Felicis lectum eſt, baptiſmo indiguiſſe, ſed mox ſine peccato & omni labe peccati ſpiritu ſancto conceptum eſſe Deum verum & hominem verum. Et ſi beata virgo proprium potuit generare ſibi filium, qui fuit ex aeterno Dei filius, quomodo non potuit Deus pater habere hominem filium proprium qui ex tempore natus eſt ex virgine? Unus omnino eſt in utraque natura ad utrumque parentem Chriſtus & Filius Dei proprius. Quae omnia plenius, opitulante eodem Deo quo nobis ſermo eſt, lecturi eritis in eodem libello quem modo in manibus habemus. Tantum in fidei firmitate & nil haeſitantes: quia ſine fide impoſſibile eſt Deo placere, ut Apoſtolus ait. *Hebr. 11.* Caritatem fraternam inſtantiſſime inter vos ſervate, & unitatem in omni catholica pace & fide recta & humilitate non ficta. Et obedientiam veſtram ſecundum propoſitum regularis vitae omni ſtudio ſervate, & ſtabiles eſtote in locis veſtris, ubi voſmetipſos dediſtis Deo. Et nolite deſerere monaſteria veſtra & vagari per ſaeculi vanitates. Tempus enim hujus vitae breve eſt, & non ſunt condignae paſſiones hujus ſaeculi ad ſuperventuram gloriam. Non debet veſtrae beatitudini Chriſti jugum durum videri vel oneroſum, ſed leve & ſuave, ſicut ipſe ait: *Matth. 11.* *Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve eſt*. Non qui coeperit, ſed qui perſeveraverit, ſalvus erit. Revocate ad mentem Judam ex Apoſtolo *Matth. 10 & 24.* proditorem factum. Conſiderate Saulum ex perſecutore praedicatorem effectum. Mementote Malchum monachum, cujus hiſtoriam beatus Hieronymus nunc edidit epiſtola, quomodo quaſi pietatis intuitu egreſſus eſt a monaſterio relinquens patrem ſuum, & in quales pervenit poſtea tribulationes, vel qualiter planxit monachum in heremo quem perdidit in monaſterio. Raro diabolus aperta fronte pugnat contra ſervos Dei, ſed ſub figura pietatis, quaſi majoris ſit utilitatis exire de monaſterio quam permanere. Ovis quae de ovile egreditur & a paſtore recedit, lupi patet morſibus. Melius eſt non vovere, quam vota non implere. Dicit ſcriptura: *Psal 75.* *Vovete, & reddite Domino Deo veſtro*. Verax eſt Deus in promiſſionibus beatitudinis quae diligentibus ſe promittit. Et vere dicis. Reddet promiſſa veri-

Digitized by Google

1. Cor 15. tatis. Mementote Apoſtolum dicentem: *Fratres,*
ſtabiles eſtote & immobiles. Et iterum: *Qui ſtat,*
1. Cor 10. *videat ne cadat.* Stabat Johannes quando Chriſtum
cernebat. Ideo, fratres cariſſimi, vigilate & ſtate
in fide, viriliter agite, & confortetur cor veſtrum
in omni opere bono. Et pſalmiſta: *Expecta Domi-*
Pſal. 26. *num, viriliter age, confortetur cor tuum, & ſu-*
ſtine Dominum. Quid eſt *Expecta Dominum*, niſi,
ſtabili mente expecta, donec tibi veniat dies remu-
nerationis. Fac omnia opera viriliter, & confortetur cor tuum in permanendo quod cœpiſti; & ſu-
ſtine Dominum quicquid a te tribulationes vel la-
bores permittit ſuſtine viriliter. Multae ſunt tribula-
tiones juſtorum, & de his liberabit eos Dominus.
Nullus labor amanti Deum durus videatur? quia
Iſa. 50. ille eſt remunerator fidelis, qui eſt auxiliator ido-
neus, qui nunquam deſerit ſperantes in ſe. Reſpon-
deat homo ſuggeſtionibus diaboli: Dominus auxilia-
Pſal. 55. tor mihi eſt, non timebo quid faciet homo, id eſt,
carnalis delectatio. Item: *Declinate a me maligni,*
Pſal. 118. *& ſcrutabor mandata Dei mei.* Et iterum: *Auxi-*
Pſal. 120. *lium meum a Domino, qui fecit caelum & terram.*
Dominus cuſtodiat introitum & exitum ſervorum
ſuorum, ex hoc nunc & uſque in ſaeculum. Haec,
cariſſimi fratres, feliciter legite & fideliter implete,
& Dominus Deus vos adjuvet & proficere faciat in
omni bono, & exaudiat orationes veſtras pro omnibus & pro me fideli veſtro adjutore, & Dominus Deus cuſtodiat vos in aeterna pace & caritate perfecta, viri fratres & filii cariſſimi.

EIVSDEM SERMO
IN HYPAPANTI DICTVS
CORAM
KAROLO MAGNO.

Incipit ſermo Alcuini magiſtri ad Karolum Imperatorem in Hypapanti Domini.

I. SI ſubtiliter, glorioſiſſime Regum & imperioſae virtutis, a fidelibus quae & quanta ſit hujus diei feſtivitas perpendatur, revera eo devotionis affectu hanc celebrandam ſuſcipient quo dominicae nativitatis, circumciſionis, atque apparitionis ſolemnia ſunt obſecuti. Illius enim eſt illa ſolemnitas cujus & illa. Sed nec minor iſta quam illa. Quod utique in hoc ſermone apertis monſtrabimus argumentis.

II. Hujus quippe diei ſolemnitas, ſicut a quibuſdam Chriſtianis ignoratur, ſic a multis prae caeteris anni ſolemnitatibus honoratior habetur. Maxime autem eo loco quo primatum Eccleſia catholica in primo paſtore ſortita eſt in tanta reverentia habetur ut ea die cuncta civitatis turba in unum collecta immenſis cereorum luminibus coruſcans, Miſſarum ſolemnia devotiſſime celebrent, nulluſque aditum publicae ſtationis intret ſi lumen manu non tenuerit, tanquam ſcilicet Dominum in templo oblaturi, immo etiam ſuſcepturi fidei lumen, quo interius fulgent, exterius oblationis ſuae religione demonſtrent.

III. Hodie namque, juxta veritatem evangelii, peractis a nativitate Chriſti quadraginta diebus, in templo eſt a parentibus idem Dominus præſentatus. Hodie a ſancto Simeone ſuſceptus, patrique Deo cum ſacris muneribus oblatus eſt. Hodie redemptionem Iſraël expectantibus ab eodem Simeone & Anna publice praedicatur. O quam pium ſpectaculum, quo nonnulli pii delectari probantur! Stat hinc virgo & mater, non cujuſcunque, ſed Dei. Suſcipitur hinc parvulus virginis filius, cujus divinitatem non capit mundus. Occurrunt hinc inde prophetae, atque uterque ſexus de puero prophetat. Offertur oblatio pro puero, non tamen quæ delicta emundet, ſed quæ ſacramenta declaret.

IV. Et quia hujus diei praeconium attollere cupio, libet ipſam evangelicam lectionem colloquendo tranſcurrere, in qua iſta narrari cognoſco; quatinus ad ea quae dico illa reſpondeat, immo & ad ea quae illa narrat, vox exhortationis meae reſpondeat. Denique Lucas evangeliſta veritatis hiſtoriam de Chriſti incarnatione plenius atque ordinatius caeteris evangeliſtis exequens, poſt annuntiationem ejus ab angelo factam, poſt nativitatem angelorum vocibus declaratam, poſt circumciſionem octavi diei in domo
parentum, haec in ordinem ſequitur dicens: *Poſtquam* Luc. 2.
impleti ſunt dies purgationis ejus ſecundum legem Moyſi tulerunt illum in Hieruſalem, ut ſiſterent eum Domino, ſicut ſcriptum eſt in lege Domini, quia omne maſculinum adaperiens vulvam ſanctum Domino vocabitur. Cunctis fidelibus liquet redemptoris matrem ex ejus nativitate nullam maculam contraxiſſe, qua illorum dierum ſpatio a ſacris aditibus abſtinens ſe purgaretur, quae ſine humana concupiſcentia, ſine humano concubitu virgo concepit, ſine aliqua carnis corruptione virgo peperit, & ſine fine virgo permanſit; ac per hoc nec maſculus ex ea natus vulvam ejus aperuit. Sed hoc juxta ejus narrationem evangeliſta contexens, claudit prius ſacramentum divinae incarnationis, matremque legem obſervantem introducit. Nec mirum ſi mater obſervaret legem, cum ejus filius illam non venerat ſolvere, ſed adimplere. Sciebat enim quo ordine conceperat, quo uſu pepererat, & quis eſſet quem genuerat. Sed legem communem obſervans, expectavit purgationis diem, celavit filii majeſtatem. Hinc eſt quod eum
in templo duodecim annorum inter doctores legis Luc. 2.
inveniens, filium Ioſeph vocat dicens: *Fili, quid feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus & ego dolentes quaerebamus te.* Quem proculdubio ſciebat ſe ſine concubitu Ioſeph concepiſſe, ſine corruptione virginali edidiſſe. Sed cur abſcondit conceptionis ac nativitatis illius ſacramentum quem novit Deum immenſum? Numquidnam quia invidet aliis quem ad templum deferens, ſancti ſenis tradidit manibus? Sed ut ſpiritu prophetiae repleta, redemptionem mundi impiis non aperiat. Sciebat enim jam tunc gratia plena, ſpiritu divinitatis afflata, quia ſi hunc hujus ſaeculi principes cognoviſſent, nunquam pro ſalute noſtra crucifixiſſent.

V. Offer ergo, beatiſſima virgo, tanquam legem obſervans, in templo quem ediditi, ut non omnibus ſed paucis reveletur quis eſt quem genuiſti. Appareat interim lapis humilis, abſciſus de monte ſine manibus, ut reprobetur ab aedificantibus uſquequo ſtatuam in pedibus percutiens creſcat in montem magnum impleatque univerſum orbem terrarum. O quam parvus, o quam magnus eſt quem peperiſti! Parvus in humilitate, magnus in divinitate. Parvus in regno Iudaeorum, magnus in regno gentium. Sed non ab omnibus in regno Iudaeorum parvus aeſtimatur. Nam & ipſa, quae hunc genuiſti, ex ipſo populo Iſrael in virgam creviſti. Virga, o beata mater, de radice Ieſſe ſurrexiſti & floruiſti. Virga Aaron fronduiſti & nucem peperiſti. Et quis prae omnibus immenſitatem ejus agnoviſti quem tam parviſſimum ex te natum vidiſti, proculdubio quem infantem genuiſti, Deum omnipotentem tremens adoraſti, adorans tremuiſti; quem tamen ſecundum humanitatem filium recognoviſti, lactaſti, foviſti, aluiſti. Quis putas nobis poſſet indicare inter hujuſcemodi obſequia, animi tui ſenſum, o beatiſſima virgo, cum hinc cerneres ex te natum tantillum infantem, illinc adtenderes Deum immenſum, hinc creatum, illinc creatorem, hinc infirmum, illinc fortiſſimum, hinc alendum, illinc alentem, hinc non loquentem illinc angelos docentem? Quis inquam tui pectoris arcana nobis reſerare valeat, quibus modis cogitatum ad utraque flectebas, cum unum eundemque Dei atque hominis filium manibus tenens, hinc adorares ut Domi-

Digitized by Google

minum, illinc oſculareris ut parvulum? Quis ad tam ineffabile miraculum non obſtupeſcat? Quis non pene elinguis fiat? Generat puella ſuum & omnium creatorem, nutrit ſuum & omnium nutritorem, portat ad templum ſuum & omnium rectorem. O admirandum ſpectaculum, ad quod non ſolum humana, ſed etiam angelica ſtupeſcit natura! Ad hoc, fratres cariſſimi, fidei oculos erigite, ad hoc pietatis affectu convenite. Ibi Chriſtum ſuſcipite pro vobis in carne humiliatum, ſed adorate in ſua divinitate Deum excelſum. Amplectimini parvulum, ſed cogitate immenſum. Amate humiliatum, ſed timete excelſum.

VI. Iam vero, dilectiſſimi, ſi quæritur quid myſtice ſignificatum fuerit in eo quod redemptor noſter a matre & parentibus ex propria civitate in Hieruſalem ad templum Domini ſe portari voluit, invenimus ipſam glorioſam matrem & virginem ejuſque propinquos figuram geſſiſſe illius Eccleſiae quæ ex Iudæa in Apoſtolis credidit. Quando enim Eccleſia non virgo cujus membra Apoſtolus affatur dicens: [2. Cor. 11.] *Deſpondi enim vos uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto*. Quando ipſa non mater, de qua per pſalmiſtam dicitur: [Pſal. 86.] *Mater Sion dicet homo*. Et Dominus in evangelio: [Matth. 12.] *Quicunque fecerit voluntatem patris mei qui eſt in caelis, ipſe meus frater & ſoror & mater eſt*. Quando electi non propinqui, qui fratres & ſorores ſunt appellati? Mater itaque & propinqui redemptorem noſtrum a Nazareth in Hieruſalem in templum Domini deferunt, quia primitiva illa in primis diſcipulis Eccleſia a Iudaeis repulſa, ejuſdem redemptoris diſpenſationem ad notitiam gentium perduxit. Ipſa enim Eccleſia non ſolum ex gentibus, verum etiam ex Iudæis, Hieruſalem id eſt viſio pacis recte vocatur. de qua per pſalmiſtam dicitur: [Pſal. 121.] *Hieruſalem quae aedificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipſum*. Ipſa & templum ſicut per Paulum fidelibus dicitur: [1. Cor. 3.] *Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos*. Ac per hoc cum Apoſtoli ex Iudæa Chriſtum annuntiantes veniunt ad gentes, nimirum Hieruſalem ad Hieruſalem convenit & templum ad templum occurrit, cum hi omnes una ſunt Hieruſalem civitas, unum & templum. In hac itaque civitate atque in hoc templo ab Apoſtolis oblatus Chriſtus excipitur. Vnde & ipſa Eccleſia pſalmiſtæ voce Deo patri loquitur dicens: [Pſal. 47.] *Suſcepimus, Deus, miſericordiam tuam in medio templi tui*: ſubaudis, in medio Eccleſiae, quae eſt templum tuum.

VII. Sive autem juxta hiſtoriam, ſive juxta myſticum intellectum, quur Chriſtus a parentibus ad ſanctam civitatem & templum ducatur, cauſa manifeſtatur, cum ſubjungitur: *Vt darent hoſtiam ſecundum quod dictum eſt in lege Domini, par turturum aut duos pullos columbarum*. Præceptum legis ſiquidem fuerat ut cui forte agnus defuiſſet, & unum horum, id eſt, aut par turturum, aut duos pullos columbarum, inveniſſet, Deo in oblationem filii offerret, nec præjudicaretur ex altero qui unum quodlibet horum obtuliſſet. Sed quia utraque Chriſti Eccleſiæque ſacramenta ſignificant, credendum eſt utrumque ad ſacrificium matrem inveniſſe atque obtuliſſe. Denique in hac oblatione avium illa præfigurabatur oblatio quæ pro ſalute mundi oblata eſt veſpera diei, Domini videlicet paſſio, per quam ſumus Deo reconciliati. De hac quippe hoſtia per [Epheſ. 5.] Paulum fidelibus dicitur: *Ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit vos & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis*. & rurſum. [Gal. 2.] *Qui dilexit me*, inquit, *& tradidit ſemetipſum pro me*. Quia vero omnes electi membra ſunt Chriſti, in turture ſcilicet turtures, atque in columba columbæ, deſignat etiam hæc avium oblatio mortificationem electorum, quibus per eundem Apoſtolum dicitur: [Rom. 12.] *Obſecro vos per miſericordiam Dei ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum*. Sed nulla eſſe poteſt accepta Deo mortificationis oblatio in quibus non fuerit vera fidei caſtitas, verae caritatis concordia. Proinde non ſine cauſa ſacrificium quod pro Domino myſtice oblatum perhibetur, ex turturibus & columbis fuiſſe narratur. In turture enim caſtitas invenitur, & in columba caritas commendatur. Turtur namque intemeratam ſervat uni viro fidem, columba vero aliarum cohabitantium non deſerit unitatem. Catholicus igitur Chriſtianus tunc vere ſpiritalis turtur efficitur, ſi veram trinitatis fidem firma credulitate conſervet & haereticae pravitatis ſenſum tanquam fornicationis inquinamenta repudiet. Tunc vere erit columba, ſi longanimiter uſque ad finem in catholica ſocietate permaneat & contra tentationum ſcandala immobili firmitate perſiſtat, ut nec haeretica corrumpat fornicatio in corde fidei caſtitatem, nec amara diſſenſio eccleſiaſticae caſtitatis diſſipet unitatem. Haec eſt enim Eccleſia catholica qui fidem uni Domino tamquam legitimo viro conſervat, & congregationem multorum in fide multiplicat.

VIII. Sequitur: *Et ecce homo erat in Hieruſalem cui nomen Simeon, & homo iſte juſtus & timoratus expectans conſolationem Iſraël, & ſpiritus ſanctus in eo. Et reſponſum acceperat Simeon ab ſpiritu ſancto, non ſe viſurum mortem niſi prius videret Chriſtum Domini. Et venit in ſpiritu in templum*. Nihil minus de ſanctitate iſti ſpecialiter homini adſcribitur, qui & in Hieruſalem id eſt in viſione pacis commoratur, & fidei operatione juſtus, & reverentia timoratus, & Iſraelis conſolatione attonitus, & ſpiritu ſancto repletus, ejuſque reſponſione de incarnati verbi viſione roboratus fuiſſe perhibetur. O quam ardenti deſiderio homo iſte expectabat ſecundum ſpiritus ſancti promiſſionem videre in carne redemptorem! Quae putamus fuerit inſtantia orationis ejus qui divino reſponſo meruit firmari de his quae petebat? Quae erant ejus gemituum continuata verba in ſancta deprecatione? Non enim petendo ceſſavit uſquequo reſponſum acciperet ſuper his quae poſcebat. Fuerunt ſiquidem retroactis temporibus multi ſimili deſiderio accenſi, Domino adteſtante, qui ad diſcipulos ſuos [Luc. 10. Matth. 13.] ait: *Multi Reges & Prophetae voluerunt videre quae videtis, & non viderunt, & audire quae auditis & non audierunt*. Sed ex illis hoc iſti ſoli conceſſum eſt qui in plenitudine temporis horum ultimum apparuit. Sed ſi vigilanti ſtudio ſubſequentium ſanctorum attendimus deſiderium, quibus Chriſtus vivere eſt & mori lucrum, invenimus eos non minoris anxietatis ardore divinitatem ejuſdem ſalvatoris intueri velle quam ille concupivit inſpicere carnem. [Philipp. 1.] Hinc Paulus dixit: *Cupio diſſolvi & eſſe cum Chriſto*. Multo autem melius hinc pſalmiſta ex perſona Eccleſiae dicit: [Pſal. 41.] *Sitivit anima mea ad Deum vivum. Quando veniam & parebo ante faciem Dei?* Quis ergo jam hinc non videat in uno Simeone multos, per unum cunctos ſignificari electos, qui tunc & juſti ex fide atque operatione, & timorati ex futura expectatione, & attoniti inveniuntur ex ventura conſolatione? In quibus etiam ſpiritus ſanctus ineſſe cognoſcitur; quia & per Apoſtolum dicitur: [Rom. 5.] *Caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum qui datus eſt nobis*. Et rurſum fidelibus dicit: [1. Cor. 6.] *Corpora autem templum ſunt ſpiritus ſancti, quem habetis ex Deo*. Quippe reſponſum accipiunt ab ſpiritu ſancto non ſe viſuros mortem niſi prius videant Chriſtum Dmini: quia in hac adhuc corruptibili vita, ejuſdem ſpiritus ſancti gratia revelante, apertis fidei oculis eum qui ſe cum illis uſque in finem ſæculi manſirrum eſſe repromiſit aſpiciunt, [2. Cor. 5.] non jam carne parvulum, ſed divinitate immenſum. Qui etiam cum Apoſtolo dicunt: *Etſi noveramus Chriſtum ſecundum carnem, ſed jam nunc non novimus*. Habitant enam & iſti in Hieruſalem, atque in ſpiritu in templum quo Chriſtus introducitur veniunt. Ipſi enim ſunt Hieruſalem qui habitant in Hieruſalem. Ipſi & templum qui veniunt ad templum, in quibus & a quibus Chriſtus excipitur. Breviter fratres iſta percurrimus, ne dum quae ſunt

hujus

Digitized by Google

huiꝰs diei ſacramenta, quodque ſanctum piumque praeconium indicare ſtudemus, cuilibet in faſtidium veniamus.

IX. Sequitur: *Et cum introducerent puerum Ieſum parentes ejus, ut facerent ſecundum conſuetudinem legis pro eo, & ipſe accepit eum in ulnas ſuas, & benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis ſervum tuum, Domine, ſecundum verbum tuum in pace. quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.* Hinc unius, hinc multorum, immo etiam omnium adimpletur expectatio juſtorum. Sed dicamus prius de uno, & ſic loquamur de omnibus. Cupimus enim ad hoc ſtudium noſtrum inflectere ut quod de uno dicitur, de omnibus veraciter ſentiatur. Et ecce dum ſpecialiter de uno venerabili ſene cupimus loqui, occurrit praedicanda virginis prudentia, non humana induſtria fulta, ſed ſpiritu divinitatis afflata, quae filium oblatura veniens, ſuaeque naturae humilitatem ſervans, Prophetae tradidit manibus offerendum, non ignara utique quis eſſet cujus manibus Deum hominemque tradebat ſacrificio dedicandum. Offert autem Dominum Prophetarum Propheta. Offert unicum uni, immo omnibus, in unoque omnibus eundem peperit ſalvatorem. Non enim deſinit nunc uſque offerre quem genuit, cum ſuis ſanctis interventionibus eundem redemptorem electis uni....... facit. Omnes enim filios deputat quos divina gratia Chriſto conſociat. Quando non ipſa mater electorum, quae fratrem genuit eorum? Si inquam Chriſtus credentium frater, cur non ipſa, quae Chriſtum genuit, credentium ſit mater? Quamobrem obſecro, mi beatiſſima virgo, offer nobis Chriſtum piis ſuffragiis, quae neſcis invidere filiis. Sed nec attendas filiorum injurias, a quibus non ut dignum eſt honoraris. Tolerat enim pia mater irreverentiam filiorum, quia amore vincitur generationis. Fove ergo, etſi tantis meritis indignos, piis orationibus quos in uno genuiſti; deprecare unicum filium pro exceſſibus multorum filiorum.

X. Sed jam, fratres cariſſimi, Chriſtum in ulnas ſuſcipiens quid unus ſpecialiter Simeon dicat audiamus. Ait enim. *Nunc dimittis ſervum tuum, Domine, ſecundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.* ac ſi diceret. Longa me expectatione fatigaſti, diu retinuiſti, ſed tamen viſo quem expectavi. Nam de humanae vitae ſcandalis in pace dimittis. *Dimittis*; quia ſecundum promiſſionem tuam per incarnati verbi myſterium ſolutis inimicitiis tibi merui reconciliari. *Dimittis in pace*, quia video pacem. Ipſe eſt enim pax noſtra, qui fecit utraque unum. Hoc denique & omnes electi dicunt, qui Chriſtum in ulnas ſuſcipiunt, & qui fidei oculis ſalutare Dei conſpiciunt. Quid enim Chriſtum in ulnas ſuſcipere niſi piis hunc operibus in membris ſuis amplecti? Per ulnas enim, id eſt brachia, virtus operationis exprimitur. Cum enim in alio eſurientem Chriſtum ſatiant, in alio ſitienti dant potum, in alio hoſpitem ſuſcipiunt, in alio nudum operiunt, in alio infirmum vel in carcere poſitum viſitant: his proculdubio devotis actionibus tanquam brachiis cottidie eumdem ipſum puerum amplectuntur. Et quia haec agentes illum ſe in his ſuſcipere plena fide cognoſcunt, illum ſe in his videre non dubitant qui dixit: *Quandiu feciſtis uni de his minimis meis, mihi feciſtis.* Matth. 25. atque eiſdem operibus, ut ad pacem Domini redeant, a peccati ſcandalo abſolvi ſe credunt. Recte idem Simeon exclamat dicens: *Nunc dimittis ſervum tuum, Domine, ſecundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei ſalutare tuum*, ac ſi electi dicant: Ideo nos a peccati ſcandalo ſecundum promiſſionem tuam abſolvens, jam in carne reconciliatos paſſibus amoris propinquare cæleſtibus facis, quia fidei oculis ſalutare tuum id eſt Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum in membris ejus intueri eumque piis operibus amplecti meruimus. De quo adhuc ſive ille ſive iſti Deo patri dicunt, *quod praeparaſti ante faciem omnium populorum.* Niſi a toto pars intelligenda ſit populorum, juxta litteram ratione ſtabit, quia eum nec corporis nec fidei oculis compexerunt. Nam quod Dominus Thomae dicit. *Quia vidiſti me, credidiſti,* Ioa. 25. *beati qui non viderunt & crediderunt*, hoc de viſione corporali loquutus eſt, de quo & ſubditur: Luc. 2. *Lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuae Iſraël.* Ergo hoc itaque lumine de tenebris revelatae, hoc inventae, hoc illuſtratae ſunt gentes, Iſa. 9. ſicut ſcriptum eſt: *Gentium populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam; habitantibus* 1. Ioa. 1. *in regione umbrae mortis, lux orta eſt eis.* De hoc lumine Ioannes evangeliſta teſtatur dicens: *Deus lux* Ioa. 3. *eſt, & tenebrae in eo non ſunt ullae.* De hoc lumine in evangelio ait: *Lumen venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.* Et iterum: *Quamdiu ſum in mundo, lux ſum mundi.* Ioa. 9. Quodque cum ſit etiam gloria gentium, ideo ad gloriam Iſraelis dicitur praeparatum. Quia ſive in Patriarchis, Prophetis, atque Apoſtolis, immo etiam in ipſo omnium capite Chriſto, ſive in eloquiis Dei, amplius gens illa quam gentes glorioſa monſtratur, Apoſtolo atteſtante, qui ait: *Quid ergo amplius eſt* Rom. 3. *Iudaeo, aut quae utilitas circumciſioni? Multum per omnem modum. Primum quidem quia credita ſunt eloquia Dei.* Et rurſum: *Quorum adoptio eſt filiorum, & gloria teſtamentum & legislatio & obſequium & promiſſa, quorum patres, & ex quibus Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt benedictus Deus in ſaecula Amen.*

XI. Sequitur. *Et erat Ioſeph & maria mater Ieſu mirantes ſuper his quæ dicebantur ab illo.* Quibus mirantibus, etiam nos ipſi miramur quur ipſi ſunt ſuper his quæ de illo a Prophetis condicebantur mirati. Numquid enim Ioſeph jam in ſomnis ab angelo non audierat: *Ioſeph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam. Quod enim in ea* Matth. 1. *natum eſt, de ſpiritu ſancto eſt. Pariet autem filium, & vocabis nomen ejus Ieſum. Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum a peccatis eorum.* Numquid & ipſa ſacratiſſima virgo, quae ſalva virginitate filium ſe genuiſſe ſciebat, priuſquam pareret vel conciperet ab angelo non audierat: *Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Luc. 1. *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod naſcetur ex te ſanctum vocabitur filius Dei.* Quid ergo admirantur ſuper his quæ de illo narrantur, niſi quia caeteris mirantibus ut ſacramentum impiis occultent? Quid ſibi velint talia, quæ de tantillo infantulo ab homine ſene dicuntur, & ipſa mirantur. Sed audiant adhuc de illo majora, audiant adhuc de illo potiora.

XII. *Et benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam matrem ejus: Ecce poſitus eſt hic in ruinam & reſurrectionem mortuorum in Iſraël & in ſignum cui contradicetur.* In una redemptoris noſtri Dei hominiſque perſona perfectam Dei perfectamque hominis ineſſe confitemur naturam. Ex una quidem Dominum, ex altera ſervum, ex una fortem, ex altera infirmum, ex una magnum, ex altera parvum, ex una creantem, ex altera creatum, ex una paſcentem, ex altera eſurientem, ex una recreantem, ex altera ſitientem, ex una miraculis coruſcantem, ex altera injuriis ſuccumbentem, ex altera vivificantem, ex altera morientem, ex una ſuſcitantem, ex altera hunc prædicamus ſuſcitatum. Et cum aliud ſit in eo Deus, aliud ſervus, aliud fortis, aliud infirmus, aliud magnus, aliud parvus, aliud creans, aliud creatus, aliud paſcens, aliud eſuriens, aliud recreans, aliud ſitiens, aliud miraculis coruſcans, aliud injuriis ſuccumbens, aliud vivificans, aliud moriens, aliud reſuſcitans, aliud reſuſcitatus, non tamen alius Dominus, alius ſervus, alius fortis, alius infirmus, alius magnus, alius parvus, alius creans, alius creatus, alius paſcens, alius eſuriens, alius recreans, alius ſitiens, alius miraculis coruſcans, alius injuriis ſuccumbens, alius vivificans, alius moriens, alius reſuſcitans, alius reſuſcitatus. Ex uno quod dictum eſt Dominus, ex altero ſervus, ex uno fortis, ex altero

ro

Digitized by Google

ro infirmus, ex uno magnus, ex altero parvus, ex uno creans, ex altero creatus, ex uno paſcens, ex altero eſuriens, ex uno tergens, ex altero ſitiens, ex uno miraculis coruſcans, ex altero injuriis ſuccumbens, ex uno vivificans, ex altero moriens, ex uno reſuſcitans, ex altero reſuſcitatus, quique ante oculos mortalium poſitus, ex uno venerabatur ut Deus, ex altero deſpiciebatur ut homo. Denique cum hunc Judaeorum populus cerneret de quinque panibus tot milia hominum paſcentem, infirmos curantem, leproſos mundantem, ac mortuos ſuſcitantem, Deum eſſe arbitrabatur. Rurſus cum eundem aſpiceret eſurientem, ſitientem, laſſeſcentem, dormientem, atque injuriis ſuccumbentem, purum eſſe hominem ſuſpicabatur. Et haec quidem apud incertas turbas, non apud diſcipulos. Neque enim ita in
Marc. 4.
cordibus eorum variabatur qui illius aſſiduis privatiſque eloquiis fruebantur. quibus & ab ipſo dicitur: *Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei, caeteris autem in parabolis, ut videntes non videant & audientes non intelligant*. At ubi ventum eſt ad paſſionem mortis, periit fides, ablata eſt omnium ſpes. Denique, ut evangeliſta teſtatur, omnes relicto eo fugerunt. Ex quibus dum unus vinctum a longe ſequitur, ad atrium perveniens, eundem ſe cognoviſſe denegat. Et quis in mortis paſſione illo ruente non rueret, cum eum praecipuus ejus amator, cum avidus ejus imitator, unius ancillae voce perterritus, non ſemel ſed ter abnegaverit? Sed illo in carne a mortuis reſurgente, reſurrexerunt in anima diſcipuli. Utrumque autem ante paſſionem ejus eadem qua tradebatur nocte in diſcipulis ſomno perfidiae lapſis ac ſuſcitatione ejuſdem redemptoris deſignatum eſt. Mors ergo ejus facta eſt ruina multorum. Dicatur
Luc. 2.
itaque. *Ecce poſitus eſt hic in ruinam & in reſurrectionem multorum in Iſrael*. ac ſi diceretur. Eo moriente, multi ex ſtantibus ruent. Eo reſurgente, multi ex lapſis reſurgent. Quia vero illo quidem moriente multi ruerunt, illo reſurgente multi reſurrexerunt. Sed in eum qui ex mortuis reſurrexit non omnes crediderunt.

XIII. Recte ſubjungitur: *Et in ſignum cui contradicetur*. Quod enim ſignamus, ab aliorum notitia abſcondimus. Quid autem ante infidelium oculos aliud fuit caro redemptoris quam quoddam divinitatis ejus ſigillum abſconſionis? In ſignum itaque redemptor noſter poſitus fuit. Sed cui niſi illi contradictum fuit? Quae cauſa contradixit? Quid contradixit? Cui contradixit? Ut autem tanquam interroganti cuilibet breviter reſpondeam, quae cauſa contradixit niſi mors carnis? Quid contradixit niſi non eſſe Deum qui mori potuit ab hominibus ut homo? Cui contradixit niſi omni incredulo? Quae videlicet contradictio quibuſdam verſa eſt in ſtulti-
1. Cor. 1.
tiam, Apoſtolo atteſtante, qui ait: *Nos autem praedicamus Chriſtum crucifixum, Judaeis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam*.

XIV. Sequitur itaque venerabilis ſenex juſtus ac Propheta Dei, & dicit matri Jeſu: *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes*. Solet nonnunquam in ſcriptura ſacra gladii nomine temporalis tribulatio figurari, pſalmiſta atteſtante, qui illatas a perſecutoribus paſſiones in ipſos exoptat reflecti dicens: *Gla-*
Pſal. 36.
dius eorum intret in corda eorum. Hinc idem pſal-
Pſal. 104.
miſta de Joſeph loquitur dicens: *Ferrum pertranſiit animam ejus, donec veniret verbum ejus*. ac ſi diceret. Tamdiu fuit in illa ſervitute vel carceris tribulatione donec illud quod futurum praedixerat veniret. Sed nec aliud hoc loco per gladium intelligimus figurari. Quamquam autem multae tribulationes animam transfoderint beatiſſimae virginis, illa tamen hic ſpecialiter deſignatur quae Domino in cruce moriente materna viſcera transfixit. Dicatur ergo eidem a ſancto propheta: *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes*. ac ſi diceretur. Maternis viſceribus tribulationis gladio tranſverberatis, videbis in cruce pendentem quem angelo nuntiante virgo concepiſti, manente virginitate filium edidiſti, quatinus per hoc factum & Judaeorum inſultantium cogitationes & diſcipulorum fugientium infirmitas denudentur. Denique in illo cruce pendente Judaei praeſentes inſultabant ut deſcenderet, Apoſtoli fugientes de cruce illum deſcendere poſſe non credebant. Quae ut fierent, neceſſe fuit materna pia viſcera ejuſdem redemptoris paſſione gladio tribulationis transfigi.

XV. Sed jam iſta ut coepimus quid typice ſignificent breviter demonſtremus. Quis enim intra ſanctam Eccleſiam conſtitutus non videat in mortem redemptoris noſtri illos cadere qui hunc aut ſolummodo hominem mortalem fuiſſe aut veram carnem in paſſione vel in reſurrectione non habuiſſe aſſeverant? Et quis in reſurrectione ejus non conſideret illos reſurgere qui a perfidia malae credulitatis divina gratia ſeparati, & in vera hunc carne ſalva divinitatis ſuae impaſſibilitate veraciter paſſum, & in vera carne veraciter a ſua majeſtate ſuſcitatum affirmant? Annon aliis in reſurrectionem, aliis vero in ruinam Chriſtus factus fuerat, cum Paulus de ſe ſuiſque ſociis dixerit: *Chriſti bonus odor ſumus Deo,* 2. Cor. 2.
& in his qui pereunt, & in his qui ſalvi fiunt, & aliis odor mortis in mortem, aliis odor vitae in vitam. De illis vero quibus humanitas carnis divinitatem abſcondit ſalvatoris ita dicit: *Etſi apertum* 2. Cor. 4.
eſt evangelium noſtrum, in his qui pereunt eſt adopertum.

XVI. Jam vero ſi devote attendamus, ipſam beatam virginem, cujus animam gladius transfodiſſe perhibetur, typum Eccleſiae praetendiſſe reperimus, cujus animam pertranſivit gladius, ſcilicet verbum praedicationis. Quod enim per gladium praedicatio ſancta figuraretur, Paulus Apoſtolus teſtatur dicens: Epheſ. 6.
Et gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei. Gladius etenim animam Mariae tranſverberat, quia verbum Dei electorum corda penetrat, quia penetrans ab errore mortificat, ab errore mortificans in veritatem vitae commutat. *Ut revelentur*, inquit, *ex multis cordibus cogitationes*. ac ſi diceret. Idcirco corda ſanctorum divini verbi gladius funditus ab errore mortificans in veritatis doctrinam commutat ut dum quorundam vitia virtuteſque loquendo examinant, unicuique quibus loquuntur intima ſua manifeſtent. Hinc Paulus dicit: *Si autem prophetent, intret au-* 1. Cor. 14.
tem quis infidelis vel idiota, convincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus. Occulta etiam cordis ejus manifeſta fiunt. Et ita cadens in terram adorabit Deum, pronuntians quod vere Deus eſt in vobis. Qui autem eſſent iſti Prophetae, ipſe paulo inferius aperuit dicens: *Prophetae duo vel tres dicant, & caeteri dijudicent*. Oremus autem neceſſe eſt ut idem gladius noſtra corda transfigat, quatinus fidelium turbam nobis praedicantibus ſingulorum virtutes ac vitia exponentibus unicuique interiora ſua pateſiant.

XVII. Sequitur. *Et erat Anna Propheteſſa filia Fanuhel de tribu Aſer. Haec proceſſerat in diebus multis, & vixerat cum viro ſuo annis ſeptem a virginitate ſua. Et haec vidua uſque ad annos* LXXXIV. *quae non diſcedebat de templo, jejuniis & obſecrationibus ſerviens nocte ac die. Et haec ipſa hora ſuperveniens confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptionem Hieruſalem*. Haec juxta hiſtoriam aperta ſunt, nec habent aliquid obſcuritatis. Commendant autem caſtitatem hujus mulieris, inſtantiam jejuniorum atque obſecrationum die noctuque templo Dei inhaerentis. Sed latent in his quaedam Eccleſiae ſacramenta. Quid enim per Annam, quae gratia Dei interpretatur, niſi electorum Eccleſia deſignatur? Ad cujus membra Apoſtolus loquitur dicens: *Gratia ſalvi fa-* Epheſ. 2.
cti eſtis per fidem. Quae bene etiam filia Fanuhel de tribu Aſer fuiſſe perhibetur. Fanuhel quippe facies Dei interpretatur. Aſer vero vocatur beatus. Et quid aliud per faciem Dei figuratur niſi qui ſpi-

ritus

Digitized by Google

ritus ſancti gratia repleti, ad cognitionem Dei humana corda primi perduxerunt? Quia enim per faciem quilibet agnoſcitur, jure facies Dei vocantur hi per quos cognitio divinitatis revelatur. Quique non immerito Aſer id eſt beati vocantur, qui ad aeternam paternitatem, ſive per inſpiratam interius naturalem, ſive per datam exterius legem, erudiri meruerunt. Unde ſcriptum eſt: *Beatus homo quem*
Pſal. 93. *tu erudieris, Domine, & de lege tua docueris eum.* In quibus verbis apertè monſtratur electorum Eccleſiam filiam eſſe Patriarcharum ac Prophetarum; quæ ſcilicet, ſive in ſpiritu ſive in verbo, rectè etiam Propheti**ſſ**a nuncupatur. De qua adhuc ſubjungitur: *Et*
Luc. 2. *vixerat cum viro ſuo annis ſeptem a virginitate ſua.* Et quis ejus alius eſt vir niſi ille de quo per Iſaiam Prophetam dicitur: *In die illa apprehendent ſeptem*
Iſa. 4. *mulieres virum unum dicentes. Panem noſtrum comedemus, & veſtimentis noſtris operiemur; tantummodo vocetur nomen tuum ſuper nos, aufer opprobrium noſtrum.* Quis alius eſt hominis vir niſi ille de quo in Joannis Apocalypſi dicitur: *Civitatem Hieru-*
Apoc. 21. *ſalem novam vidi deſcendentem de caelo, adeo paratam ſicut ſponſam ornatam viro ſuo.* Quae etiam antequam Chriſto ſociaretur, ideo virgo vocabatur, vel quia tunc idola non colebat, vel certe quia non incorrupta, ſed infecunda erat. Tunc autem hanc ſibi Chriſtus univit cum naturam humanam ſuſcipiens evangelium exorſus fuit. Quod itaque annis ſeptem a virginitate ſua cum viro ſuo vixiſſe deſcribitur, tempus ejuſdem praedicationis ipſo ſeptenario numero figuraliter concluditur, in quo & ſeptiformem ſpiritus ſancti gratiam ab ipſo accepit, & ipſa in ſeptem mulieribus vel ſeptem Eccleſiis myſtice eidem uniri meruit. Et quia illo aſcendente ad caelos humanitatis ejus praeſentia deſolata eſt, jure etiam vidua remanſiſſe narratur. Annon vidua recte vocatur de qua per beatum Job haereticorum facta mentione dicitur: *Pavit ſterilem, & quae non*
Job 24. *parit, & viduae bene non fecit.* Illud itaque gaudii tempus quo praeſentia viri in carne fruebatur, illudque triſtitiae quo ejus praeſentia deſolanda erat Eccleſia, idem vir ejus deſignans dicit: *Non poſſunt*
Matth. 9. *filii ſponſi jejunare quandiu cum illis ſponſus. Venient tempus cum auferetur ab eis ſponſus, & tunc jejunabunt.* In numero autem annorum LXXXIV. quibus vidua eſſe deſcribitur, totum tempus vitae praeſentis exprimitur. Legimus enim filios Iſrael, uſquequo terram repromiſſionis ingrederentur, quadraginta & duas manſiones in itinere habuiſſe. Quibus ſcilicet quid aliud quam peregrinatio vitæ præſentis figuratur, in qua eremi tribulationibus exercemur, uſque ad terram viventium veniamus? Sed propter geminum teſtamentum, vetus ſcilicet ac novum, idem quadragenarius ac ſecundus numerus duplicatur, & fiunt octoginta quatuor. Sicut enim propter utraque teſtamenta duo denarius numerus duplicatus in viginti quatuor ſenioribus Eccleſiam deſignat, ſic etiam propter eadem duo teſtamenta quadragenarius ac ſecundus duplicatus, in octogenario quatuor præſens Eccleſiæ tempus figurat, & quod ibi per manſiones, hoc hic explicat per annos. Utrumque enim concorditer peregrinationem ejuſdem Eccleſiæ denuntiat. De qua & bene ſubjungitur: *Quae non diſcedebat de templo,*
Luc. 2. *jejuniis & obſecrationibus ſerviens nocte ac die.* Ipſa eſt enim templum quæ vidua, jejuniis atque obſecrationibus ſerviens in templo, quæque oblata ſponſi ſui corporali ſpecie, qui hanc necdum corporeis oculis intueri valet, ad nihil aliud magis quam ad jejunium
Pſal. 41. & orationem vacat. Hinc pſalmiſta ait: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi cotidie, Ubi eſt Deus tuus.* Digne itaque præmittit jejunia, ac deinde obſecrationes adjungit. Quæ enim eſſe poteſt obſecratio ubi regnat comeſſatio? Sed hæc dicens, cordis etiam vult intelligi jejunium; quo niſi quis ab immundis cogitationibus jejunare ſtudeat, obſecrationibus Deo uniri non valet. Sive autem iſto, ſive alio jejunio, ſimulque obſecrationibus fulta, die ac nocte ſervire deſcribitur, ſubaudis & in proſperis & in adverſis ab hoc opere non ceſſat.

XVIII. Sequitur. *Et ut perfecerunt omnia ſecundum legem Domini, reverſi ſunt in Galilæam,* id eſt, civitatem ſuam Nazareth. Hic jam figuraliter ultima Iudæorum converſio deſignatur, quando Enoch & Helia prædicentibus Chriſtus ad eos revertitur. Peracta ſcilicet omnia in Hieruſalem, id eſt in Eccleſia gentium, ſecundum legem Domini, legem videlicet teſtamenti. Quaſi enim peracto ſacrificio ab Hieruſalem in civitatem ſuam Chriſtus cum parentibus revertitur, cum adimpleta plenitudine gentium, noviſſime cum prædicatoribus ſanctis ad eos colligendos ex quibus carnem ſuſcepit regreditur.

Puer autem creſcebat & confortabatur plenus ſapientia, & gratia Dei erat in illo. Haec ſecundum humanitatem de illo dicta ſunt, non ſecundum divinitatem. Neque enim in ſua natura creſcit, in qua plenus eſt, ſed in noſtra, in qua paulo minus quam angeli minoratus eſt. Nec in ſua confortatur, in qua omnium fortitudo eſt, ſed in noſtra, in qua pro nobis infirmatus eſt. Nec in ſua adimpletur ſapientia, in qua plenitudo ſapientiae eſt, ſed in noſtra, in qua pro nobis exinanitus eſt. Nec in ſua gratiae indiget, in qua omnibus gratiam tribuit, ſed in noſtra, in qua ea quae cum patre habet accepit. Quae ſcilicet omnia melius ad corpus ejus, quod eſt Eccleſia, quam ad ipſum caput referri poſſunt. Uſquequo enim illud conſummetur quod Apoſtolus dicit, *Donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in menſuram aetatis plenitudinis Chriſti, ut jam non ſimus parvuli,* cotidie creſcit in fide puer Ieſus, cotidie verbo ſapientiae adimpletur puer Ieſus, cotidie confortatur virtutibus puer Ieſus, cotidie gratia ſalvationis juſtificatur puer Ieſus.

XIX. Haec de tanta ſolemnitate breviter diximus, haec de tam myſticis ſacramentis ſuccincte tranſcurrimus; quia & prolixitatem evangelicae lectionis adtendimus, & ad haec agendo moras breves habuimus. De caetero dilectionem, dive auguſte Karole, novus veluti filius David pacificus, tuam exoramus, veſtramque caritatem, caeteri fratres cariſſimi, Chriſto vero Regi & aeterno Imperatori ſubditi, ammonemus, ſi tam haec loqutio animos veſtros fecit intentos, ut adtendatis qua devotione hujus diei ſolemnitatem de reliquo celebrare debeatis. Non ſit vile illud ſpectaculum in quo filius virginis Deus & homo complectitur, in quo virgo & mater oſtenditur, in quo Prophetae immo Prophetarum omnium expectatio adimpletur, in quo multa Eccleſiae ſacramenta declarantur. Quod ipſe cordibus veſtris imprimere dignetur qui hodierna die juſtum Simeonem ſpiritus ſancti inluſtratione interius pulſans, ad templum, quo ipſe deferebatur a parentibus, docuit immo certe compulit ire, qui cum Deo patre & ſpiritu ſancto aequali poteſtate, aequali virtute, aequali majeſtate, aequali aeternitate vivit & regnat in ſaecula ſaeculorum. Amen.

FREDEGISI DIACONI
EPISTOLA
DE NIHILO ET TENEBRIS
AD
PROCERES PALATII.

OMnibus fidelibus & domni noſtri ſereniſſimi principis Karoli in ſacro ejus palatio conſiſtentibus Fredigyſus Diaconus. Agitatam diutiſſime a quam pluribus quaeſtionem de nihilo, quam indiſcuſſam inexaminatamque veluti impoſſibilem ad explicandum reliquerunt, mecum ſedulo volvens, atque per-

pertractans, tandem viſum mihi fuit adgredi; eamque nodis vehementibus, quibus videbatur implicata, diſruptis abſolvi atque enodavi, deterſoſque nubilo in lucem reſtitui; memoriae quoque poſteritatis cunctis in futurum ſaeculis mandandam praevidi. Quaeſtio autem hujuſmodi eſt, nihilne aliquid ſit, an non. Si quis reſponderit, Videtur mihi nihil eſſe, ipſa ejus quam putat negatio compellit eum fateri aliquid eſſe nihil dum dicit, Videtur mihi nihil eſſe. Quod tale eſt quaſi dicat, Videtur mihi nihil quiddam eſſe. Quod ſi aliquid eſſe videtur ut non ſit quodam modo videri non poteſt. Quocirca relinquitur ut aliquid eſſe videatur. Si vero hujuſmodi fiat reſponſio, Videtur mihi nihil nec aliquid eſſe, huic reſponſioni obviandum eſt, primum ratione, in quantum hominis ratio patitur, deinde auctoritate, non qualibet, ſed ratione duntaxat, quae ſola auctoritas eſt, ſolaque immobilem obtinet firmitatem. Agamus itaque ratione. Omne itaque nomen finitum aliquid ſignificat, ut homo, lapis, lignum. Haec enim ubi dicta fuerint, ſimul res quas fuerint ſignificant intelligimus. Quippe hominis nomen praeter differentiam aliquam potiorem univerſalitatem hominum deſignat. Lapis & lignum ſuam ſimiliter generalitatem complectuntur. Igitur nihil ad id quod ſignificat refertur. Ex hoc etiam probatur non poſſe aliquid non eſſe. Item aliud. Omnis ſignificatio eſt quod eſt. Nihil autem aliquid ſignificat. Igitur nihil ejus ſignificatio eſt quid eſt, id eſt, rei exiſtentis. Quoniam vero ad demonſtrandum quod non ſolum aliquid ſit nihil, ſed etiam magnum quiddam, paucis actum eſt ratione, cum tamen poſſint hujuſmodi exempla innumera proferri in medium, ad divinam auctoritatem recurrere libet, quae eſt rationis munimen & ſtabile firmamentum. Siquidem univerſa Eccleſia divinitus erudita, quae e Chriſti latere orta, ſacratiſſimae carnis ejus pabulo pretioſique ſanguinis poculo educata, ab ipſis cunabilis ſecretorum myſteriis inſtituta, inconcuſſa fide tenere confitetur divinam potentiam operatam eſſe ex nihilo terram, aquam, aera, & ignem, lucem quoque, & angelos, atque animam hominis. Erigenda eſt igitur ad tanti culminis auctoritatem mentis acies, quae nulla ratione caſſari, nullis argumentis refelli, nullis poteſt viribus impugnari. Haec enim eſt quae praedicat ea quae inter creaturas prima * prima ac praecipua ſunt aeſtimandum non eſt. Quippe cum unum horum quae ex eo genita ſunt aeſtimari ſicut eſt aeſtimari non poſſit. Quis enim elementorum naturam ex aſſe metitus eſt? Quis enim lucis nomine aut angelicae (naturae) velamine ſubſtantiam ac naturam complexus? Si ergo haec quae propoſui humana ratione comprehendere nequivimus, quomodo obtinebimus quantum qualeve ſit illud unde originem genuſque ducunt. Poteram autem & alia quamplura ſubjicere. Sed docibilium quorumque pectoribus ſatis his inſinuatum credimus.

** Sic in MS.*

DE TENEBRIS, AN SINT.

Quoniam his breviter dictis commode finem impoſui, mox ad ea expedienda intentionem retuli quae curioſis lectoribus non immerito videbantur digna eſſe quaeſitu. Eſt quidem quorundam opinio, non eſſe tenebras, & ut ſint impoſſibile eſſe. Quae quam facile refelli poſſit ſacrae ſcripturae auctoritate prolata in medium, prudens lector agnoſcet. Itaque quid libri geneſis hiſtoria inde ſentiat videamus. Sic enim inquit: *Et tenebrae erant ſuper faciem abyſſi.* (*Gen. 1.*) Quae ſi non erant, qua conſequentia dicitur quia erant? Qui dicit tenebras eſſe, rem conſtituendo ponit. Qui autem non eſſe, rem negando tollit. Sicut cum dicimus, Homo eſt, rem id eſt hominem conſtituimus. Cum dicimus, Homo non eſt, rem negando id eſt hominem tollimus. Nam verbum ſubſtantiae hoc habet in natura ut cuicunque ſubjectum fuerit junctum ſine negatione, ejuſdem declaret ſubſtantiam. Igitur in eo quod dictum eſt *Tenebrae erant ſuper faciem abyſſi*, res conſtituta eſt, quam abeſſe nulla negatio ſeparat aut dividit. Item *tenebrae* ſubjectum eſt *erant* declarativum. Declarat enim praedicando tenebras quodam modo eſſe. Ecce invicta auctoritas ratione comitata, ratio quoque auctoritatem comitata, unum idemque praedicant, ſcilicet tenebras eſſe. Sed cum iſta exempli cauſa poſita ad demonſtrandum quae praepoſuimus ſufficiant, tamen ut nulla contradicendi occaſio aemulis relinquatur, faciamus palam, pauca divina teſtimonia adgregantes e pluribus, quorum perculſi formidine ineptiſſimas ulterius voces adverſus ea jaculari non audeant. Siquidem Dominus eum pro afflictione populi Iſraël plagis ſeverioribus caſtigaret Egyptum, tenebris eam involvit adeo ſpiſſis ut palpari quirent, & non ſolum obtutibus hominum viſum adimentibus, ſed etiam pro ſui craſſitudine manuum tactui ſubjacerent. Quicquid enim tangi palparique poteſt, eſſe neceſſe eſt. Quicquid eſſe neceſſe eſt, non eſſe impoſſibile eſt: ac per hoc tenebras non eſſe impoſſibile eſt, quia eſſe neceſſe eſt quod ex eo quod eſt palpabile probatum eſt. Illud quoque praetereundum non eſt, quod cum omnium dominus inter lucem & tenebras diviſionem faceret, lucem appellavit diem, & tenebras noctem. Si enim diei nomen ſignificat aliquid, noctis nomen non poteſt aliquid non ſignificare. Dies autem lucem ſignificat. Lux vero magnum aliquid eſt. Quid ergo tenebrae, nihilne ſignificativae ſunt, cum eis vocabulum noctis ab eodem conditore impreſſum eſt, qui luce appellationem diei impoſuit, caſſandaque eſt divina auctoritas? Nullo modo. Nam caelum & terram facilius eſt tranſire quam auctoritatem divinam a ſuo ſtatu permutari. Conditor etenim rebus quas condidit nomina impreſſit, ut ſuo quaeque nomine res dicta agnita foret. Neque rem quamlibet abſque vocabulo formavit, nec vocabulum aliquid ſtatuit niſi cui ſtatueretur exiſteret. Quod ſi foret, omnimodis videretur ſuperfluum. quod Deum feciſſe nefas eſt dici. Si autem nefas eſt dici Deum aliquod ſtatuiſſe ſuperfluum, nomen quod Deus impoſuit tenebris nullo modo videri poteſt ſuperfluum. Quod ſi non eſt ſuperfluum, eſt ſecundum modum. Si vero ſecundum modum, & neceſſaria, quia eo ad dinoſcendam rem opus erat quae per id ſignificatur. Conſtat itaque Deum ſecundum modum res conſtituiſſe & nomina quae ſibi ad invicem ſunt neceſſaria. Sanctus quoque David Propheta ſpiritu plenus, ſciens tenebras non inane quiddam & ventoſum ſonare, evidenter expreſſit quia quiddam ſunt. (*Pſal. 104.*) Ait ergo: *Miſit tenebras*. Si non ſunt, quomodo mittuntur? Quod autem mitti poteſt, & illo mitti poteſt ubi non eſt. Quod vero non eſt, mitti quolibet non poteſt, quia nuſquam eſt. Igitur miſſae dicuntur tenebrae, quia erant. Item illud: *Poſuit tenebras latibulum ſuum*. (*Pſal. 17.*) Quod ſcilicet erat poſuit, & quodam modo poſuit tenebras quae erant, latibulum ſuum poneret. Item illud: *Sicut tenebrae ejus*. (*Pſal. 138.*) Ubi oſtendunt quia in poſſeſſione ſunt, ac per hoc eſſe manifeſtantur. Nam omne quod poſſidetur eſt. Tenebrae autem in poſſeſſione ſunt. Igitur ſunt. Sed cum iſta talia ac tanta ſufficiant, & arcem tutiſſimam contra omnia impugnamenta teneant, unde levi repulſa tela in ſuos jaculatores retorquere poſſint, ex evangelica tamen firmitate quaedam poſcenda ſunt. Ponamus igitur ipſius ſalvatoris verba: *Filii*, inquit, *regni ejicientur in tenebras exteriores*. (*Matth. 8.*) Attendendum eſt autem quod tenebras exteriores nominat. *Extra* enim, unde *exterius* derivatum eſt, locum ſignificat. Quapropter cum dicit *exteriores tenebras*, locales eſſe demonſtrat. Nam non eſſent exteriores, niſi eſſent & interiores. Quicquid autem eſt, id in loco ſit neceſſe eſt. Quod vero non eſt, hoc nuſquam eſt. Igitur exteriores tenebrae non ſolum ſunt, ſed etiam locales ſunt. In paſſione quoque Domini evangeliſta tenebras eſſe factas commemorat ab hora diei ſexta uſque ad horam nonam. (*Matth. 17. Marc. 15. Luc. 23.*) Quae cum factae ſint, quomodo non eſſe dicuntur. Quod factum eſt,

efici non poteſt ut factum non fuerit. Quod vero ſempes non eſt, nec unquam fuit, id nunquam eſt. Tenebrae autem factae ſunt. Quare non ut ſint ef-
Matth. 6. Luc. 11. fici non poteſt. Item in evangelio: *Si lumen quod in te eſt, ipſae tenebrae quantae erunt*. Neminem dubitare credo (quin) quantitas corporibus adtri-
* quia. buta ſit * quae cuncta per quantitatem diſtribuuntur. Et quantitas quidem ſecundum accidens eſt corporibus. Accidentia vero aut in ſubjecto ſunt, aut de ſubjecto praedicantur. Per hoc ergo quod dicitur *ipſae tenebrae quantae erunt*, quantitas in ſubjecto monſtratur. Vnde probabile colligitur tenebras non ſolum eſſe, ſed etiam corporales eſſe. Itaque haec pauca ratione ſimul & auctoritate congeſta veſtrae magnitudini atque prudentiae ſcribere curavi, ut eis fixe immobiliterque haerentes, nulla falſa opinione infecti, a veritatis tramite declinare poſſitis, ſed ſi forte a quocunque aliquid prolatum fuerit ab hac noſtra ratione diſſentiens, ad hanc velut ad regulam recurrentes, ex ejus ſententiis ſtultas machinationes dejicere valeatis. Explicit de tenebris.

Epiſtola Alcuini ad Karolum M. quum ad eum mitteret libros VII. *adverſus Felicem Vrgelenſem.*

Ex L. IV. Miſc. Bal. pag. 413. Maximo atque invictiſſimo triumphatori atque clementiſſimo regnorum rectori Carolo Regi Francorum & Longobardorum ac Patricio Romanorum humilis levita Alcuinus ſalutem. Laudabilis bonitas atque incomparabilis jocunditas veſtræ excellentiæ fiduciam meæ præſtitit parvitati ſcribendi aliquid de cauſis eccleſiaſticis vel de diſciplinis ſcholaſticis. Quod nullatenus agerem, niſi ſcuto bonæ voluntatis veſtræ ab invidorum linguis meæ litterulas obedientiæ protegendas ſperarem: quia quorundam ſolertia laborat magis aliorum in occulto rodere dicta quam ſua in publico proferre, quorum ſcientiam Salomon ſerpenti in abſcondito mordenti comparavit. Veſtra vero nulli contemnenda auctoritas noſtræ devotioni mandavit contra novas hæreticæ pravitatis inventiones aliquid ſcribere atque libello reſpondere quem contra nos Felix quidam Epiſcopus veſtræ direxit auctoritati; in quo multa inveniuntur non catholico ſtilo exarata, ſed contra veritatem apoſtolicæ fidei inaniter deſudata. Cui labori veſtræ magis pietatis juſſione animatus quam propriæ confiſus peritiæ juvamine libenter ſuccubui. Et licet nullus ſe juſte excuſare valeat a defenſione fidei catholicæ, tamen ſanctæ voluntatis veſtræ præceptum meæ devotionis ſtilum hujus operis debitorem maxime effecit. quod totum veſtræ excellentiſſimæ ſapientiæ ſpecialiter expectat judicium, utrum eccleſiaſticis dignum ſit auribus aperire. Nam iſtum libellum in diſputatione quæ in veſtra veneranda præſentia cum
Vide Alcuin. pag. 939. 1110. epiſt. 15. Felice ventilata eſt præſentem habui. Sed quia nec adhuc ante veſtram perlectus eſt ſapientiam, nec a vobis, cui maxime ſudavit, comprobatus, ratum duxi publicis non efferri auribus. Nunc vero veſtra videat auctoritas quid de eo fieri velit. Tantum deprecor ut nullatenus prius vel abiciatur vel in publicum proferatur quam totus inter familiares perſonas veſtræ auctoritatis examini perlegatur. Multis enim in locis minus ordinata diſputatione currere & ſæpe antedicta repetere ſolutaſque videtur iterare ſententias; quia in omni loco proponentis quæſtionibus neceſſario reſpondendum fuit, ne aliquo adverſarius in loco ſuas jactet propoſitiones permanere indiſcuſſas, & ego quaſi victus non haberem quid reſponderem. Igitur plurima copioſo ſed non ſcholaſtico ſermone ſanctorum patrum exempla præfatus diſputator colligere ſtuduit, quorum quaedam ſibimet ipſi valde adverſari videntur, quaedam nihil ſuis ſavere partibus intelliguntur, quaedam pravo ſenſu aliter quam ab eis poſita ſunt interpretare nititur. Et his tribus modis ſententiarum illius numeroſitas contexitur. Cui revera multo melius eſſet perpetuo conticeſcere ſilentio quam malæ pravitatis doctrina nomen ſuum latius innoteſcere & non neceſſariis ſe immiſcere quæſtionibus. Quid enim prodeſt Eccleſiæ Dei Chriſtum appellare adoptivum filium vel Deum nuncupativum? Vel quae aures catholica fide eruditae haec nomina libenter audire patiuntur de Domino noſtro Ieſu Chriſto omnipotente Deo & vero filio Dei, qui eſt tertia in ſancta trinitate perſona & judex venturus vivorum & mortuorum. Vnam namque ſubſtantiam praedicamus in Patre & Filio & Spiritu ſancto, & tres perſonas. Vnam vero perſonam credimus, & duas ſubſtantias in Chriſto Deo Domino noſtro, eundemque totum Deum omnipotentem & Dei filium verum & proprium. Quicunque vero hanc fidem nec corde credit nec ore confitetur, nullatenus catholicus credendus eſt, ſed ſchiſmaticus. Veſtra vero ſancta voluntas atque à Deo ordinata poteſtas catholicam atque apoſtolicam fidem ubique defendat, ac veluti armis imperium Chriſtianum fortiter dilatare laborat, ita & apoſtolicæ fidei veritatem defendere, docere, & propagare ſtudeat, ipſo auxiliante in cujus poteſtate ſunt omnia regna terrarum, quatenus cum multiplici laboris mercede ad perpetui regni beatitudinem pervenire merearis.

Omnipotens Deus ad exaltationem & defenſionem ſanctæ ſuæ Eccleſiæ & ad Chriſtiani imperii pacem & profectum veſtram regalis gloriæ potentiam augere, protegere, & conſervare æterna pietate dignetur, Domine deſiderantiſſime atque beatiſſime.

Praefatio Alcuini in libros VII. *adverſus Felicem, ad Karolum M.*

Hos quinque panes & duos piſciculos ſimul ſeptenario numero conſecratos de apoſtolicae fidei pera prolatos veſtrae ſanctiſſimae auctoritati direxi, Domine mi David, ut Dei Chriſti benedictione multiplicati per vos eſurienti populo & in deſertis locis habitanti ad ſatietatem catholice miniſtrentur. In hoc namque opuſculo catholicae fidei veritatem ex ſanctorum patrum certiſſimis probare teſtimoniis niſus ſum, id eſt, beati Hieronymi, atque ſancti Auguſtini, Gregorii Papae Romani, Hilarii Pictavienſis Epiſcopi, Leonis quoque Papae, & Fulgentii Epiſcopi, Ambroſii quoque Mediolanenſis Epiſcopi, ſed & fortiſſimi contra Neſtorium militis beati Cyrilli, Petri etiam Ravennenſis Epiſcopi, & beati Bedae Presbyteri, Gregoriique Nazianzeni, necnon & Iſidori Hiſpanienſis, & Iuvenci ejuſdem provinciae ſcholaſtici. Si ergo me quis reprehendere velit vel meos ſenſus improbo dente rodere, horum teſtimoniis ſanctorum patrum convictus veritati ſuccumbere neceſſe erit; nec errare putandus eſt qui cum talibus intra catholicae fidei caſtra moratur. Origenis quoque quaedam vel Caſſiani exempla poſui, licet in quibuſdam locis ſcripturarum ſuarum a fide orbitare videantur, tamen ea potui in quibus praeſcriptis doctoribus conſentanea dixiſſe probantur, ſequens exempla beatiſſimi doctoris Hieronymi, qui multa ex Origene teſtimonia ſuis inſerere opuſculis conſuevit, ceterorumque non abhorruit doctorum dicta aſſumere, licet in quibuſdam notentur errare ſenſibus. Nam & beatus Paulus vas electionis & doctor gentium quaedam teſtimonia de paganorum libris proferre probatur, ratum putans aurum e ſtercore tuliſſe lavatumque dominicis intuliſſe theſauris. Cujus exempla ſequentes pene omnes ſancti doctores, de philoſophorum vel poetarum gentilium libris multa ſuis inſerere opuſculis. Explicit.

Paulini Patriarchae Aquileienſis epiſtola ad Karolum M. Regem Francorum de geſtis in ſynodo quae celebrata eſt apud Altinum.

Ex Lib. VII. Miſcel. Bal. pag. 6.

CAtholico ſemperque in Chriſto inclyto triumphatori Domno Karolo divina coronante clementia Regi Paulinus minimus omnium ſervorum concordi parilique devotione cum fratribus & conſacerdotibus noſtris roſeo in Chriſti Jeſu cruore aeternas multipliciter ſupplici concinnamus ſtyliſona voce ſalutes. Et ſacris paternarum canonum valenter incitantibus documentis, & veſtris, ut verum reſonat, mellitis ſalubribus mrorantibus ſyllabis, in hac, cui Deo auctore, licet indignus, indigno que famulatu deſervio, ſede, Concilium habitum Altini fuiſſe, ſub nomine Regis tranquilliſſimis veſtrae ſerenitatis auribus operae pretium duximus humillimis horum quamvis incultorum apicum ſuppliciter notulis intimare. Nec enim juris fas eſt nec poteſt quaelibet docili digeſta calamo rationalis formulae ſanctio praeſpicue rata putari, niſi fuerit judiciali calculo exploratius examinata, argentique more a ſui rubiginis ſaeva ſeptimpliciter probati expurgata combuſtione. Et tum plurimorum judicio jure fulcita poterit ſacris inſerta foliis veneranda videri. Alioqui non ſatis, ut reor, proprio tantundem ſcribentis valebit arbitrio probabilis aeſtimari. Cumque ex condicto in unum canonicis coactus ſyllabis ſacerdotalis coetus religioſa conveniſſet devotione, requiſitum protinus concorditer conſtat, ſumma quantocius explorante ſubtilitatis ſagacitate, quemadmodum ejuſdem declarat religioſi Concilii ſolemniſſimus ordo, de quacunque activi negotii qualitate, de cauſa ſiquidem orthodoxae fidei, de ſtatu quin etiam ac formoſa eccleſiaſtici culminis dignitate, de rerum quarumcunque diſpendioſa jactura, de quibuſcunque neceſſariis ſuſurrantium quamquam petitionem, de quibus juſte recteque conqueri poteſt quarumque querulae diſputationis exhibitio, nodoſa litium allegatione contrita, ſacerdotali nihilominus deſiderabat enodatum dirimentione reſolvi. Huic noſtræ humillimae parvitatis exiguitas juxta tenuiſſimae minus ut decuit incapabilem intelligentiae noſtrae capacitatem, non ut juxta conſummatam perfectionem celebre dignumque fuerat, nec ut tanti exigebat cenſura regiminis, ſed in quantum annuens immeritis nobis altiſſima dignata eſt gratuito munere largiri clementia, prout rei ratio praeſtabilius expoſcebat, de ſingulis quibuſcunque tentavimus inevitabilium negotiorum querimoniis explicare. Quae cuncta juxta moris noſtri non incognitae gloriae veſtrae voluntatis noſtrae conſuetudinem, quemadmodum in fronte præfati ſumus hujus epiſtolae, in veſtrae poteſtatis emancipata arbitrio, in veſtro nihilominus decrevimus reſervare judicio, quatenus ſubtili libraminis veſtri moderatius lance librata, ſi ſiniſtro plus juſto relaxante moderaminis perpendiculo nullius eſſe deprehendantur momenti, veſtrae auctoritatis cenſura penitus abolita ſopiantur; ſi vero alicujus fortaſſe utilitatis aequo pendente libraminis diſco rata, ſi dici liceat, poterunt approbari, veſtris fulcita fortius adjumentis vivaciter convaleſcant. Quod ſi ſola putationis, ventivagis palmitum fruticantem foliis, indigeat falce, ita duntaxat ut reſecatis vitiorum truncatim ſarmentis, in camino veſtrae, ut ita dixerim, combuſtis ſapientiae, in eo ut ad favillas ſolligentae redigantur, ac per hoc exploſa, cum putnin leitipitata paupertatis noſtrae vineta melliſluo gemmato ſuſpenſa in pampino uvarum ubertim copiae pinguedinis infuſa rotiana jure rubeſcat. Quocirca praecognitum gentibus . . . . . triones ſolliculis in mentium quandoque torculari-ingenii expreſſi pondere aureis novum ſanae flaveſcat doctrinae falernum in pateris, quibus uſque ſalubriter epotatis, ad fundum, moerentia ſiquidem corda ſua viretacta ſaporis dulcedine, laetitia protinus repleta gaudio clareſcant, de illa videlicet vini potatione de qua pſalmiſta typice cecinit dicens: *Panis*, inquit, *cor hominis confirmat, vinum laetificat*. Et rurſus: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuae, & torrente deliciarum potabis eos*. Ecce enim balſigeri, tranſmiſſo jam jamque Jordanis alveo, promiſſionis terram Jeſum ducem ſequentes ingreſſi, fructifera confeſtim arbuſta legis ſtuduimus plantare, cogente praecepto. Quod figurata legitur nihilominus promulgatione digeſtum. In primo itaque, ſecundo, & tertio anno primordia fructuum eorum prohibiti contractare guſtare renuimus, ſed nec ſummo voto putavimus horum quicquam, guloſa deluſi fraude, apice linquente linguae, moxque praeputia eorum diſcretionis recidi honeſtius perſpeximus cultro, obvolutaque tenuiſſimis verborum foliis intacta judicavimus permanere, ne forte valde laſciva mollitie reſoluta & elationis nimiae perfluida teneritudine, & nedum humilitatis ſucco perfuſa, maturae dulcedinis ſapore ſucciva ad vomitum ſuperbae magis comedentis provocarent fauces quam refectionis gratia ſuaviter dulculata humili demulcerent eduilo receptacula ventris. Nunc autem legaliter in hoc anno de fructibus eorum edendi conceſſa licentia, Moſaico per omnia calamo cohibente, non ab re aeſtimo ſi avidius veſci ex eis humili ſimplicique palato deſidero. *Quis plantavit*, inquit Apoſtolus, *vineam, & de fructu ejus non comedit, & quis paſcit gregem vel premit ubera, & lactis dulcedine defraudatur, jejunio deficiens, ſtomacho inareſcat?* Sed hoc ipſum melius prorſus putavimus haec omnia in uno coacervata faſce ſtyli noſtri ferculo ſerenis veſtris vultibus deferenda, quatenus veſtrae diſcretionis arbitrio acerrima poma, necdum maturo ſucco perlucida, ne carpantur manu ſola, aut, ut ita dixerim, animadverſionis virga auctionis diſcutiantur ſyllabarum latentia de fruitetis praetereuntium pedibus conculcanda. Ea vero, ſi tamen inveniri potuerint, quae ſolis perfuſa radio aurei ſugant decore in cortice, rationalique decerpta pollice diſcoloribus depictis palmulis veſtro reponatur judicio redolentia in caniſtris, ad uſus utique fruentium, etſi non digna nobilium, pauperum forſitan neceſſario reſervata. Scio enim pueros veſtros periiiſſimos, viros hujuſce artis gnaros ſtrenuoſque cultores, quorum ſudore luculentoque verborum lepore, qui calamo linguae acuto perfuncti ingenio in mentis tincto non intingere non ſunt ignari, veſtris per omnia magniſonis obſervanda praeceptis, & errata corrigi & triticea farra a vitiorum zizaniis diſcretius poterunt expurgari, qui praeter illa aurea regiaque falce regalibus tenetur moderarius palmis. Habent procuIdubio & ipſi proprias dentatis ſubtiliter nihilominus limis exacuatas cinctoriis prorſus vectitant ſuſpenſas in ſtrophiis, quamvis nec bellicis his contenti, careant armis, muniti nimirum loricis triformicis, & criſtatis inſtructi galeis, pergunt ad bella doctiſſimi. Scio horum quendam inter triginta nobiliores & ſuper triginta nominatiſſimum, & alium inter tres celeberrimos & ſuper tres principem, ſed & alios tres pueros fortiſſimos, quorum vibrantibus haſtis allophylorum, id eſt malignorum ſpirituum ſive haereticorum, ſanguinolenta ſtrage hinc inde rejectis, Eccleſiae hoſtibus poterunt caſtra recidi. Hi namque fortiſſimi caſtrorum principes, ſed & prudentiſſimi domiticae vineae cultores, nolo me totis viribus inſequantur, ſed diſſimulantes meritorum culpas, indulgentiae mihi venaliter porrigant manum. Non enim magni eſt praeconii, nec judicabitur palmata tyronis de triumpho corona, ſi de inermis fuerit raniculae ſanguine rubicunda. Porro ſi gigantes ſuper meo impetu conantur irrumpere, obſecro, o venerabilis Princeps, exemplo mei cauſa pietatis alas non vos pigeat late ſparſimque diffuſas extendere, ac pro hoc oppoſito benignitatis ſcuto, praeparatiſque ſpiculis labiorum, ne patiaris me ab his violentis ultro calcibus inculcari. Quod ſi quiſpiam horum Herculem clavo robuſto ſe jactans geſtare ſub humero, & pedetentim veniens, ſive clanculo, ſive in propatulo, improbe capitis mei vibranti immerſo ictu illi- 1. Cor. 9.

Digitized by Google

dere cerebrum connitatur, quatenus inflammata cavillatione cum ſuis aſſeclis ſpumoſus infuſo ſaibo dentibus, alacer hujus fracturæ conliſione procaciter cuperit incriſpare cacinnum, mittatur quæſo protinus ad eum ſumma pernicitate præcurrens Banaias filius Joidæ ſecretarius Davidis auriculæ in virga, qui viro extorqueat clavam de manu ejus, ſed non ad ſupremam fatalem ſuam perniciem, quo circo am illa roboris fiducia ſiccetur, quin immo membratim tribus vel triginta fortiſſimis viris caritatis vinculo & humilitatis anſula religatur. Veruntamen, ſicut ſupra exorabili ſtyli voce prætulimus, Dei omnipotentis devicti amore, & ſanctæ matris veſtræ Eccleſiæ profectu decoreque compulſi, quicquid vobis placuerit vel diſplicuerit, aut ſi nihil omnino dignum duxeritis, ſacris nobis veſtris jubere ſyllabis ſignificantius propalate. Nec hoc prætereundo, ſed magis neceſſarium per omnia ſcire veſtrae malumus ſinceritatis manſuetudinem, quoniam hujus ſtatuta Concilii, non quaſi generalia, ſed localia vel etiam ſpecialia, cum provincialibus iſtius ſedis conſentaneiſque Epiſcopis aequum ratumque perſpeximus delegare, ſi tamen veſtra veſtrorumque fidelium fuerint auctoritate probabiliter roborata, vel ſi curvatim incluſa intra circulum reſecantis falcis veſtrae nonnulla vel etiam quampluríma inlaeſa voluerit effugere, & ad noſtræ quandoque humilitatis manus proſpera jucunditate celerique praecincta laetitiae favore lacta reverti meruerint, indulgentiae veſtrae praenotata ſigno venerando, non quidem....... cui libuerint, ſed nec contatas cui diſplicuerint, gratis tamen correctis oblata in arbitrio reſpuendi vel amplectendi relinquimus unicuique. Non enim fallidrentis in guttur ultro immergimus hujus ſorbitiunculae ſcyphos, ſed nec avide humanis patula raptim de fauce cyathos ſubtrahimus plenos de rore lyei, excuſſis his nimirum quibus oris noſtri officio opportune & importune ex debito ſunt flaventia pocula modis omnibus propinanda. De ſacerdotibus autem plagis impoſitis ſemique vivis relictis, vel certe diabolico ferveſcente furore per ejus ſatellites interemptis, non meum ſed veſtrae definitionis erit judicium. In veſtrae itaque poteſtatis altitudine, in quodam judiciali libello à ſanctis olim patribus ſalubriter praelibato legiſſe me recolo reſervatum. Ob quam igitur cauſam, veſtris certus ſcio omnino non latuiſſe neque latere ſacris memoriis. Neminem namque alium arbitrati ſunt ſanctam Eccleſiam de inlatis injuriis tam potentiſſime quam regali animadverſione ulciſci, vicariam ab eo neceſſitudinis expetens curam; ut quemadmodum illa eum & in praeſenti ſaeculo nequam ſacris tuetur perpetim precibus, & inter bella ſpiritualibus non ceſſat coronare triumphis, & caeleſti regno divinam implorando clementiam participem fieri imprecatur, ita & ille principalem adeptus potentiam, & ab inimicis ejus valenter eam defendere & de hoſtibus ejus ultrici invectionis ſententia non deſinat vindicare. Non igitur dedignetur benignitatis veſtrae excellentia ſollicitudinis erga eum pro hoc negotio vigilanter gerere curam, rememorantes per omnia ſacri fontis utero, de quo multo longe felicius eſtis renati, fideique lactis dulcedine enutriti quam prius, materna, bene quamvis vulva generati, carnalibus eſtis uberibus ablactati. Egrediatur quapropter, ſi placet, una de hac re per univerſam regni veſtri late diffuſam monarchiam decretalis ſententiae ultio, quam nulla unquam poſſit inimica veritatis & adverſatrix juſtitiae quaelibet urguente refragationis inſtincto oblivio abolere. Valde enim hujus ſceleris truculentá praeſtigia ob incuriam diſciplinae per cunctas mundi Eccleſias praevaluere partes. Unde veſtri eſt cenſura magiſterii reſecanda haec noxialis morbi modis omnibus, peſtis & potentiſſima docilique funditus manu extirpanda, quatenus ſit ſancta Eccleſia veſtris adjuta praeſidiis libera, & ab humano ſanguine impolluta, quae Chriſti eſt pretioſo ſanguine purpurata. Quocirca ejuſdem retenti feliciter gremio, & in hac vita incolumes, & glorioſi & aeterna beatitudine gaudebundi, ſemper potiamini & felices per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui cum patre & ſpiritu ſancto vivit & regnat Deus in trinitate perfecta per omnium ſaecula ſaeculorum. Amen.

Hanc epiſtolam Baronius & alii poſt eum retulerunt ad annum DCCCII. non ſatis firmis conjectariis. Ego vero puto conjungendam eſſe cum Concilio Altinenſi ſive Forojulienſi, quod Paulinus Patriarcha celebravit aliquot annis ante quam Karolus M. fieret Imperator; idque, ni fallor, adſtruunt initium & finis epiſtolæ, ubi Patriarcha petit a Principe confirmationem ſtatuta in ea ſynodo conſtitutorum. Adde ſcriptum eſſe in calce iſtius epiſtolae in codice Vaticano: SYNODUS FOROJULIENSIS. Recte autem ſynodus habita apud Altinum vocatur Forojulienſis, quia habita eſt in diœceſi Forojulienſi. Itaque ponenda eſt epiſtola in annis geſtorum, ubi factum eſſe in prima ſynodo Aurelianenſi & in aliis quibuſdam adnotavimus in præfatione ad Concilium V. §. 17.

Hæc ipſa epiſtola ut in codice Vaticano 3827. repræſentatur, & in Forojulienſi Concilio anni 791. praemittitur.

PAULINI EPISCOPI AD CAROLUM REGEM.

CAtholico ſemperque in Chriſto inclito triumphatori Domno Carolo Divina coronante clementia Regi, Paulinus minimus omnium ſervorum ſervus. Concordi parilique devotione cum fratribus, & cum conſacerdotibus noſtris roſeo in Chriſti Jeſu cruore æternas multipliciter ſupplici concinnamus ſtyliſona voce ſalutes. Et ſacris paternorum canonum valenter incitantibus documentis, & veſtris, ut verum reſonat, mellitis ſalubribus irrorantibus ſyllabis, in hac cui, Deo auctore, licet indignus indignoque famulatu deſervio, ſede concilium habitum alti fuiſſe ſub nomine Regis tranquilliſſimis veſtrae ſerenitatis auribus operae pretium duximus humillimis horum, quamvis inculturum, apicum ſuppliciter notulis intimare. Non enim juris fas eſt, nec poteſt quaelibet docili digeſta calamo rationalis formulae ſanctio perſpicue rata putari, niſi fuerit judiciali calculo exploratius examinata, argenteique more a ſui rubiginis ſcoria ſeptimpliciter probabili expurgata combuſtione; & tunc plurimorum judicio jure fulcita poterit ſacris inſerta foliis veneranda videri. Alioquin non ſatis, ut reor, proprio tantundem ſcribentis valebit arbitrio probabilis aeſtimari. Cumque ex condicto in unum, canonicis coactus ſyllabis, ſacerdotalis coetus religioſa conveniſſet devotione, requiſitum protinus concorditer conſtat ſumma quantotius explorante ſubtilitatis capacitate, quemadmodum ejuſdem declarat reverendi concilii ſolertiſſimus ordo. De quacumque activi negotii qualitate, de cauſſa ſiquidem orthodoxae fidei; De ſtatu quin etiam ac famoſa eccleſiaſtici culminis dignitate; De rerum quarumcumque indiſpendioſa jactura; de quibuſcumque neceſſariis ſuſurrantium quaeſtionum petitionibus, de quibus juſte recteque conqueri poteſt, quarumque querulae diſputationis exhibitio nodoſa litium allegatione contorta ſacerdotali nihilominus deſiderabat enodatim dirimatione reſolvi. Haec noſtrae humillimae parvitatis exiguitas juxta tenuiſſimae, minus ut decuit, incapabilem intelligentiae noſtrae capacitatem, non ut juxta conſummatam perfectionem celebre dignumque fuerat, nec ut tanti exigebat cenſura regiminis, ſed in quantum annuens immeritis nobis altiſſima dignata eſt gratuito munere largire clementia, prout rei ratio praeſtabilius expoſcebat, de ſingulis quibuſcumque tentavimus inevitabilium negotiorum querimoniis explicare. Quae cuncta juxta moris noſtri non incognitae gloriae veſtrae voluntatis noſtrae conſuetudinem, quemadmodum in fronte praefati ſumus hujus epiſtolae, in veſtro nihilominus decrevimus reſervare judicio; quatenus ſubtili libraminis veſtri moderatius lance librata, ſi ſiniſtro plus juſto relaxante mo-

Digitized by Google

moderaminis perpendiculo nullius eſſe deprehendatur momenti, veſtrae auctoritatis cenſura penitus abolita ſopiantur; ſi vero alicujus fortaſſe utilitatis, aequo pendente libraminis diſco, rata, ſi dici liceat, poterunt approbari, veſtris fulcita fortius adjumentis vivaciter convaleſcant. Quod ſi ſola putationis ventivagis palmitum fruticantibus foliis indigeat falce, ita dumtaxat, ut reſectis vitiorum truncatim ſarmentis in camino veſtrae, ut ita dixerim combuſtis ſapientiae, in eo ut ad favillas ſollegenum redigantur, ac per hoc exploſa ad purum ſemiputata paupertatis noſtrae vinéta mellifluo gemmato ſuſpenſa in pampino uvarum ubertim copiae pinguedinis infuſa
rationis. rationa gore rubeſcat. Quocirco praecoquitur gentibus burriones folliculis in mentium quandoque torculari ingenti expreſſi pondere aureis novum ſane flaveſcat doctrinae falernum in pateris, quibus uſque ſalubriter epotatis ad fundum, moerentia ſiquidem corda ſua vireſacta ſaporis dulcedine, laetitiae protinus repleta gaudio hilareſcat; de illa videlicet vini potatione, de qua Pſalmiſta typice cecinit dicens: *panis*, inquit, *cor hominis confirmat, vinum laetificat*. Et rurſus: *inebriabuntur ab ubertate domus tuae, & torrente deliciarum potabis eos*. Ecce enim baltigeri tranſmiſſo jamjamque Jordanis alveo, repromiſſionis terram Jeſum ducem ſequentem ingreſſi, fructifera confeſtim arbuſta legis ſtuduimus plantare, cogente praecepto; quod figurata legitur nihilominus promulgatione digeſtum. In primo itaque, ſecundo & tertio anno primordia fructuum eorum prohibet contrectare, guſtare renuimus; ſed nec ſummo voto putavimus horum quidquam, guloſa deluſi fraude, apice linguente linguae, moxque praeputia eorum diſcretionis recidi honeſtius perſpeximus cultro, obvolutaque tenuiſſimis verborum foliis, intacta judicavimus permanere ne forte valde laſciva mollitie reſoluta, & elationis nimiae perlucida teneritudine, & ne dum humilitatis ſucco perfuſa, maturae dulcedinis ſapore ſucciva, ad vomitum ſuperbiae magis comedentis provocarent faucem, quam rejectionis gratia ſuaviter dulculata humili demulcerent edulio receptacula ventris. Nunc autem legaliter in hoc anno de fructibus eorum edendi conceſſa licentia, Moſayco per omnia calamo cohibente non ab re aeſtimo ſi avidius veſci ex eis humili, ſimplicique palato deſidero. *Quis plantavit*, inquit Apoſtolus, *vineam*,
1. Cor. 9. *& de fructu ejus non comedit; & quis paſcit gregem, vel premit ubera, & lactis dulcedine defraudatus jejunio deficiens ſtomacho inareſcat?* ſed hoc ipſum melius prorſus putavimus haec omnia in uno coacervata faſce ſtyli noſtri ferculo ſerenis veſtri vultibus deferenda; quatenus veſtrae diſcretionis arbitrio acerrima poma, nec dum maturo ſucco perlucida ne carpantur manu ſola, aut, ut ita dixerim, animadverſionis virga aurigonis diſcutiantur ſyllabatum latenia de fructetis, praetereuntium pedibus conculcanda. Ea vero, ſi tamen inveniri potuerint quae, ſolis perfuſa radio, aureum fingant decore in cortice, rationalique decerpta pollice diſcoloribus depictis palmulis veſtro reponantur judicio redolentia in canistris ad uſus utique fruentium, & ſi non digna nobilium, pauperum forſitan neceſſario reſervata. Scio enim pueros veſtros peritiſſimos viros, hujuſce artis gnatos ſtrenuoſque cultores, quorum ſudore luculentoque verborum lepore, qui calamo linguae, aſtuto perfuncti ingenio, in mentis tinctoria intingere non ſunt ignari. Veſtris per omnia magniſonis obtemperando praeceptis, & errato corrigi & triticea farra a vitiorum zizaniis diſcretius poterunt expurgari. Quippe tunc illa aurea regiaque falce regalibus tenetur moderatius palmis. Habent proculdubio & ipſi proprias dentatis ſubtiliter nihilominus limis exacutas cintoriis prorſus vectitant ſuſpenſas in ſtrophiis; quamquam nec bellicis his contenti careant armis, induti nimirum loricis triformicis & criſtatis inſtructi galeis, pergunt ad bella doctiſſimi. Scio horum quendam inter triginta nobiliores, & ſuper triginta nominatiſſimum, & alium inter tres celeberrimos, & ſuper tres principem, ſed & alios tres pueros fortiſſimos, quorum vibrantibus haſtis allophylorum, ideſt malignorum ſpirituum, ſive haereticorum ſanguinolenta ſtrage hinc inde relidi Eccleſiae hoſtibus poterunt caſtra recidi. Hi namque fortiſſimi caſtrorum principes, ideſt & prudentiſſimi Dominicae vineae cultores, nolo me totis viribus inſequantur, ſed diſſimulantes meritorum culpas indulgentiae mihi venialiter porrigant manum. Non enim magni eſt praeconii, nec judicabitur palmata tyronis de triumpho corona, ſi de inermi fuerit ruriculae ſanguine rubicunda. Porro ſi gigantes ſuper me impetu conantur irrumpere, obſecro o venerabilis Princeps, exemplo mei cauſa pietatis ala non vos pigeat hac ſparſimque diffuſa extendere, ac per hoc oppoſito benignitatis ſcuto, paratiſque ſpiculis labiorum, ne patiaris me ab his violentis ultro calcibus inculcare. Quod ſi quiſpiam horum herculeum clava robuſto ſe jactans geſtare ſub humero, & pedetentim veniens, ſive clanculo, ſive in propatulo improbe capitis mei vibranti immerſo ictu, illidere cerebrum conniteatur, quatenus inflammata cavillatione cum ſuis aſſeclis ſpumoſis infuſo falibo dentibus alacer hujus fracturae conliſione procaciter ceperit incriſpare cachinnum, mittatur, quaeſo, protinus ad eum ſumma pernicitate praecurrens Banaias filius Jojadae ſecretarius Davidis auriculae in virga, qui vi extorqueat clavam de manu ejus; ſed non ad ſupremam ſatalem ſuam perniciem, quocirco amiſſa roboris fiducia; ſocietur quinimo membratim tribus vel triginta fortiſſimis viris caritatis vinculo & humilitatis anſula religatus. Verumtamen, ſicut ſupra exorabili ſtyli voce praetulimus, Dei omnipotentis devicti amore, & ſanctae matris veſtrae Eccleſiae profectio, decoreque compulſi, quidquid vobis placuerit vel diſplicuerit, aut ſi nihil omnino dignum duxeritis ſacris nobis veſtris jubete ſyllabis ſignificantius propalare. Nec hoc praeterenndo; ſed magis neceſſarium per omnia ſcire veſtrae maluimus ſinceritatis manſuetudinem, quoniam hujus ſtatuta Concilii non quaſi generalia ſed localia vel etiam ſpecialia cum provincialibus iſtius ſedis conſentaneiſque epiſcopis aequum ratumque perſpeximus delegare, ſi tamen veſtra, veſtrorumque fidelium fuerint auctoritate probabiliter roborata, vel ſi curvatim incluſa infra circulum reſecantis falcis veſtrae, nonnulla, vel etiam quamplurima inlaeſa valuerit effugere, & ad noſtrae quandoque humilitatis manus proſpera jucundaque celebritate, praecincta laetitiae favore laeta reverti meruerint, indulgentiae veſtrae praenotata ſtigmate venerando. Non quidem vetamus cui libuerint, ſed nec coarctamus, cui diſplicuerint, gratis tamen cunctis oblata in arbitrio reſpuendi vel amplectendi relinquimus unicuique. Non enim faſtidientis in guttur ultro immergimus hujus ſorbitiunculae ſcyphos; ſed nec avide inhiantis patula raptim de fauce ſubtrahimus cyathos plenos de rore lyaei; exceptis his nimirum, quibus oris noſtri officio opportune & importune ex debito ſunt flaventia modis omnibus pocula propinanda.

De ſacerdotibus autem plagis impoſitis, ſemiſque vivis relictis vel certe diabolico ferveſcente furore per ejus ſatellites interemptis, non meum ſed veſtrae definitionis erit judicium; in veſtrae itaque poteſtatis altitudine in quodam judiciali libello a Sanctis olim Patribus ſalubriter praelibatum legiſſe me recolo reſervatum. Ob quam igitur cauſam haec fecerint veſtris certius ſcio omnino non latuiſſe, neque latere ſacris memoriis. Neminem namque alium arbitrati ſunt ſanctam Eccleſiam de illatis injuriis tam potentiſſime, quam regali animadverſione ulciſci vicariam ab eo viciſſitudinis expetens curam; ut quemadmodum illa eum, & in praeſenti ſaeculo neque ſacris tuetur perpetem precibus & inter bella ſpiritualibus non ceſſat coronare triumphis, & caeleſti regno Divinam implorando clementiam participem fieri imprecatur, ita & ille principalem adeptus potentiam, & ab inimicis ejus valenter eam defendere, & de hoſtibus ejus ultrici invectionis ſententia non deſinat vindicare.

Non

Non igitur dedignetur benignitatis veſtrae excellentia ſolicitudinis erga eam pro hoc negotio vigilanter gerere curam, rememorantes per omnia ſacri fontis utero, de qua multo longius felicius eſtis renati, fideique lactis dulcedine enutriti, quam prius materna bene quamvis vulva generati carnalibus eſtis uberibus ablactati. Egrediatur quapropter (ſi placet) una de hac re per univerſam regni veſtri late diffuſam Monarchiam decretalis ſententiae ultio, quam nulla unquam poſſit inimica veritatis, & adverſatrix juſtitiae quolibet urgente refragationis inſtinctu oblivio abolere. Valde enim hujus ſceleris truculenta praeſtigia ob incuriam diſciplinae per cunctas mundi eccleſias praevaluere partes. Unde veſtri eſt cenſura magiſterii reſecanda haec noxialis morbi modis omnibus peſtis, & potentiſſima docilique funditus manu extirpanda; quatenus ſit ſancta eccleſia veſtris adjuta praeſidiis, libera, & ab humano ſanguine impolluta, quae Chriſti eſt pretioſo ſanguine purpurata; quocirca ejuſdem retenti feliciter gremio, & in hac vita incolumes & glorioſi & aeterna beatitudine gaudebundi ſemper potiamini.

Ita Codex Vaticanus qui ſtatim abſque novo titulo incipit: Regnante &c.

RHABANI
ABBATIS FULDENSIS
LIBER DE COMPUTO.

Ex L. 1. Miſc. Bal. pag. 1.

DIlecto fratri Marchario monacho Hrabanus peccator in Chriſto ſalutem. Legimus ſcriptum in proverbiis: *Melior eſt ſapientia cunctis pretioſiſſimis, & omne deſiderabile ei non poteſt comparari*. Ideo, frater dilectiſſime gratias ago Deo, qui tibi ejus amorem inſpiravit, cujus poſſeſſio mundi divitias contempnit teque reddidit ſuo fulgore decoratum & proximis tuis profectuoſum. Petebas ergo ut quibuſdam de computo propoſitionibus earumque minus perfectis reſponſionibus, quas mihi protuleras, neſcio a quibus confectas, ſtilum adhiberem, eaſque tibi lucidiores redderem. Feci quantum potui, ſed non eo ordine quo ibi poſitas reperi; quia confuſa ſeries vim cognoſcendi abſtulit & taedium lectionis invexit. Pleraque ergo quae mihi magis neceſſaria videbantur addidi, & ordinem in ipſis rebus diſponere contendi. Inde quoque evenit, dum brevitati ſtuderem, & tamen ipſarum rerum veritatem patefacere vellem, quod unius libri quantitatem devitare non poſſum. Compoſui quidem ex numero & temporum articulis quendam dialogum, & nomini tuo ipſum dicavi; in quo quae neceſſaria mihi videbantur, interrogandi, diſcipuli nomine, & quae reſpondendi, magiſtri vocabulo prænotavi. Et non hæc tantummodo propriis ratiocinationibus, ſed etiam ex antiquorum dictis & ſanctorum patrum ſententiis enodare curavi. Ideo, frater cariſſime, haec legens, ſcias me non difficultati verborum aut obſcuritati ſententiarum ſtuduiſſe, immo magis plana quaeque faciliaque collegiſſe, & quae ex proprio inſerui, ad dilucidandam ipſam veritatem laboraſſe magis quam aliorum imperitiae inſultaſſe. Nulli enim me praefero; ſed bene quaerentibus & fidem catholicam rite ſervantibus pro modulo meo comitem ſpondeo, ac juniorem ſubdo. Quod mihi divina gratia concedat; ut quam diu vivam, ſervorum Chriſti ſervitor, & bene docentium auditor, & bene laborantium aliquantulus adjutor exiſtam. Dilectionem tuam majeſtas Chriſti nunc & in perpetuum conſervare dignetur, ſancte frater, memorem noſtri. Obſecro ut quanto citius poſſis exemplar iſtius libri, quod tibi ad reſcribendum direxi, abſolvas, & mihi remittas. Vale. *Explicit prologus.*

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI SEQUENTIS.

I. *De numerorum potentia.*
II. *Unde dictus ſit numerus.*
III. *De ſpeciebus numerorum diverſis.*
IV. *De numeri demonſtratione.*
V. *Quomodo numeri litteris notentur.*
VI. *Quomodo digitis ſignificentur.*
VII. *De Graecorum notis ad numerum aptatis.*
VIII. *De unciarum figuris & diviſionibus.*
IX. *De tempore.*
X. *De trimoda diſcretione temporis.*
XI. *De atomo.*
XII. *De oſtento.*
XIII. *De momento.*
XIV. *De partibus.*
XV. *De minuto.*
XVI. *De puncto.*
XVII. *De hora.*
XVIII. *De quadrante.*
XIX. *De die.*
XX. *De partibus diei.*
XXI. *De nocte.*
XXII. *De partibus noctis.*
XXIII. *Ubi dies incipiat ſeu finiatur, & ubi primus dies ſeculi fuerit.*
XXIV. *De hebdomada.*
XXV. *De ſpeciebus hebdomadarum.*
XXVI. *De denominatione dierum.*
XXVII. *De feriis.*
XXVIII. *De menſibus.*
XXIX. *De Hebraeorum menſibus.*
XXX. *De Ægyptiorum menſibus.*
XXXI. *De Graecorum menſibus.*
XXXII. *De menſibus Romanorum.*
XXXIII. *De Kalendis, Nonis, & Idibus.*
XXXIV. *De quatuor viciſſitudinibus.*
XXXV. *De annis.*
XXXVI. *Quot ſpecies ſint annorum temporum.*
XXXVII. *De planetis & origine nominum eorum.*
XXXVIII. *De planetarum curſu per ſigniferum & natura ſigniferi.*
XXXIX. *De duodecim ſignis.*
XL. *Demonſtratio ſignorum per ſolis curſum.*
XLI. *De lunae curſu per ſigna.*
XLII. *Argumentum ad inveſtigandum lunæ curſum.*
XLIII. *Argumentum de eo quot horis luna luceat.*
XLIV. *De magnitudine ſolis & lunae.*
XLV. *De natura & ſitu lunae.*
XLVI. *De eclypſi ſolis ſive lunae.*
XLVII. *Eclypſin ubi non fit, & quare.*
XLVIII. *De inditio & qualitate planetarum.*
XLIX. *De natura cæli.*
L. *De quinque circulis mundi.*
LI. *De his ſignis ſtellarum quae extra Zodiacum ſunt.*
LII. *De cometis.*
LIII. *De ſolſtitiis & æquinoctiis.*
LIV. *De bis ſexto in ſolis & lunae curſu.*
LV. *Argumentum ad bis ſextum inveniendum.*
LVI. *De ſaltu lunari.*
LVII. *De decennovennali circulo.*
LVIII. *Argumentum ad inveniendum quotus ſit annus circuli decennovennalis.*
LIX. *De communibus annis & emboliſmis.*
LX. *De ogdoade & hendecade.*
LXI. *De annis dominicae incarnationis.*
LXII. *Argumentum ad inveniendum annos Domini.*
LXIII. *Quot ſint anni a paſſione Domini.*

LXIV.

LXIV. *Vbi paſſio Domini primum celebrata eſt.*
LXV. *Numerus annorum ab initio mundi uſque in adventum Domini.*
LXVI. *De Indictionibus.*
LXVII. *Argumentum de Indictionibus.*
LXVIII. *De epactis lunaribus.*
LXIX. *Argumentum de eiſdem epactis.*
LXX. *De regulis lunaribus.*
LXXI. *De concurrentibus, ideſt, epactis ſolaribus.*
LXXII. *Argumentum de epactis ſolaribus.*
LXXIII. *De regulis ſolaribus.*
LXXIV. *Argumentum de ſolis & lunae curſu per dies anni.*
LXXV. *Item argumentum per dies menſis de eadem re.*
LXXVI. *De reditu & computo articulari utrarumque epactarum ſolis & lunae.*
LXXVII. *De cyclo lunari.*
LXXVIII. *Argumentum lunaris cycli.*
LXXIX. *Argumentum quota ſit luna in Kalendas Januarias.*
LXXX. *De quartadecima luna Paſchae.*
LXXXI. *Argumentum de eadem luna* XIV.
LXXXII. *Item aliud argumentum.*
LXXXIII. *Item aliud argumentum de terminis paſchalibus, & de accenſione primae lunae primi menſis, & de terminis quadrageſimalibus, qualem concordiam inter ſe habeant.*
LXXXIV. *Item de eadem re argumentum verſibus comprehenſum.*
LXXXV. *Argumentum ad inveniendum initium primi menſis.*
LXXXVI. *De die dominico Paſchae.*
LXXXVII. *Opinio deverſorum ubi primum ſit dominica dies reſurrectioni Domini celebrata.*
LXXXVIII. *Argumentum ad inveniendum diem dominicam Paſchae.*
LXXXIX. *De luna dominici Paſchae.*
XC. *Argumentum ad ipſam lunam inveniendam.*
XCI. *Item aliud argumentum.*
XCII. *Quid diſtet inter Paſcha & Azyma.*
XCIII. *De myſtica ſignificatione Paſchae.*
XCIV. *De circulo magno Paſchae.*
XCV. *De ſeculis.*
XCVI. *De aetatibus.*

INCIPIT IPSE LIBER HRABANI
DE COMPUTO.

QUia te, venerande praeceptor, ſaepius audivi de numeris diſputantem diſcipuliſque tuis hujus artis diſciplinam demonſtrantem, precor ut nobis etiam, qui maturioris jam ſumus aetatis, non pigriteris aliquod conficere opuſculum, quo noſtram poſſimus excitare inertiam & aliquantulum de numerorum capere peritia.

I. *De numerorum potentia.*

MAGISTER. Bene etiam, dilecte frater, rogas, quia hujus diſciplinae cupis habere notitiam quam conſtat omnium diſciplinarum eſſe magiſtram. Non enim ratio numerorum contemnenda eſt, quia in multis ſanctarum ſcripturarum locis quantum myſterium habet elucet. Non etiam fruſtra in laudibus Dei dictum eſt: *Omnia in menſura & in numero & in pondere feciſti*. Per numerum ſiquidem ne confundamur inſtruimur. Tolle numerum a rebus omnibus, & omnia pereunt. Adime ſeculo computum, & omnia caeca ignorantia complectuntur. Nec differre poſſunt a ceteris animalibus qui calculi neſciunt rationem. Sed tu, quia ad exponendum hujus vim & rationem me provocaſti, de his quibus te inſtruere velis praecede interrogando; & ſic te ſubſequar, quantum Dominus conceſſerit, reſpondendo.

DISCIPULUS. Haec ergo ratio numerorum unde primum proceſſit?

MAG. A Deo ſcilicet. Quia omnis ſapientia a Domino Deo eſt, ex quo ſunt omnia. DISC. Dic ergo quando primum inventa eſt illa ratio? MAG. Ex illo tempore quo factae ſunt creaturae, hoc eſt, ab origine ſeculi. Tunc enim primum numerus rebus innotuit, ſicut in Geneſi legitur; *Et factum eſt veſpere & mane dies unus*. Tunc ergo dixit de nocte & de die quando dixit de veſpere & mane. Numeri autem rationem oſtendit quando dixit: Dies unus, & dies ſecundus, & dies tertius, ſicque uſque ad ſeptimum. Item numerum ſignificavit Deus quando dixit de ſole & luna: *Et ſint in ſigna & tempora & dies & annos*. Quando dixit dies & tempora & annos, tunc de numero dixit. Quis enim poteſt intelligere dies & tempora & annos niſi per numerum? Inde dixit Boetius: *Omnia quaecumque a primaeva rerum natura conſtructa ſunt, numerorum videntur ratione formata. Hoc enim fuit principale exemplar in animo conditoris. Hinc enim quatuor elementorum multitudo mutata eſt. Hinc temporum vices. Hinc motus aſtrorum caeliſque converſio intelligitur. Proprie ipſa natura numerorum, omnis aſtrorum curſus, omniſque aſtronomica ratio conſtituta eſt. Sic enim ortus occaſuſque colligimus, ſic tarditates velocitateſque errantium ſyderum cuſtodimus. Sic defectus & multiplices lunae variationes agnoſcimus.* Boët. lib. 1. arithm. c. 2. Ibid. c. 2.

II. *Vnde dictus ſit numerus.*

DISC. Numeri namque nomen ejuſque etymologiam mihi explana. MAG. Numeri ſcilicet nomen apud quamque gentem ſecundum proprietatem linguae ſuae conſtat. Apud Latinos vero numerus ex nummo & rivo videtur nomen traxiſſe. Sive enim ex rivo nummorum, id eſt, ex multitudine cenſus qui reddebatur Regibus vel Imperatoribus, numerus nomen accepit. Vnde Iſidorus dicit *Nummus numero nomen dedit, & a ſui frequentatione vocabulum indidit*, ſive Numeria. Hinc Auguſtinus ait: *Numerus a Numeria quadam dea nominatur; cujus ſacerdotes retro verſis vultibus, dona ferebant, & poſt oblata munera, retro pergebant*. DISC. Numerus quomodo definitur? MAG. Iſidorus ergo ita diffinivit dicens: *Numerus eſt multitudo ex unitatibus conſtituta. Nam unum ſemen numeri eſſe, non numerum, dicimus*. Item alibi ſcriptum eſt: *Unus non eſt numerus, ſed ab eo creſcunt numeri*. Tamen Donatus etiam unum pro numero poſuit dicens: *Numerus eſt ſingularis, ut hic magiſter*. Item Auguſtinus dicit: *Numerus eſt ſingularis corporis ac vocis & ſignificationis collectio*. Iſidor. lib. 3. orig. c. 3. Iſidor. ibid.

III. *De ſpeciebus numerorum diverſis.*

DISC. Quot ſpecies ſunt numerorum? MAG. Plures quidem ſpecies numerus habet. Sed tamen omnes ab una origine naſcuntur. Quia aut cardinales ſunt numeri, ut unus, duo, tres, quatuor, quinque, ſex & ceteri juxta hunc ordinem. Aut ordinales, ut primus, ſecundus, tertius, quartus, quintus, & cetera. Aut adverbiales, ut ſemel, bis, ter, quater, quinquies, ſexies, & reliqua. Aut diſtributivi, ut ſinguli, bini, terni, quaterni, quini, ſeni, & cetera. Aut ponderales, ut ſimplum, duplum, triplum, quadruplum, & reliqua. Aut denuntiativi, ut ſolus, alter, vel alius. Inſuper vero ad alios numeros revertere. Sunt item numeri multiplicativi, ut ſimplex, duplex, triplex, quadruplex, & cetera. Sunt item adverbialiter prolati, ut ſimpliciter, dupliciter, tripliciter, & reliqua. Sunt & aliae ſpecies dirivativorum numerorum a ſuperioribus dirivatae; ut eſt ſingularis, dualis, ternarius, quaternarius, atque in

hunc

Digitized by Google

hunc modum ceteri. Item aſſis, duſſis, vel dipondius, treſis, quadraſis, quinquis, ſexis, ſeptuſis, octuſis, nonuſis, decus vel decuſis, viceſis, triceſis, quadrageſis, quinquageſis, ſexageſis, ſeptuageſis, octageſis, nonageſis, centuſis. Poſt quem numerum, teſte Varrone, non componuntur cum aſſe numeri. Item nomina unciarum, ut deunx, dextans, dodrans, beſſis, ſeptunx, quincunx, triens, quadrans, ſextans, ſexcunx, ſextula, libra. Et inde dirivata, bilibris, trilibris, quadrilibris, & ſimilia. Item ab anno dirivata, ut anniculus vel annus, biennis, triennis, quadriennis, & his ſimilia. Biennium, triennium, quadriennium, & his ſimilia. Item bimus, trimus, quadrimus, & ſimilia. Bipes, tripes, quadrupes, decempes, & decempeda, & his ſimilia. Biceps, triceps, quadriceps, centiceps, & his ſimilia. Bifariam, trifariam, quatrifariam, & ſimilia. Biduum, triduum, quatriduum, & his ſimilia. Bicorpor, tricorpor, & ſimilia. Bipatens, tripatens & ſimilia. Bilinguis, trilinguis, & ſimilia. Bivium, trivium, & ſimilia. Bifidus, trifidus, quadrifidus, & ſimilia. Biſulcus, triſulcus & ſimilia. Geminus, tergeminus, centum geminus, & ſimilia. Vnimanus, centimanus, & ſimilia. Vniformis, biformis, triformis, & reliqua. Duumvir, triumvir, quinquevir, ſeptemvir, decemvir, centumvir, & ſimilia. Bigae, trigae, quadrigae, & ſimilia. Bijugus. Vnde Virgilius in v. *Bijugo certamine campum corripuere*. & bigati nummi. Trijugus, quadrijugus, & ſimilia. Triangulum, quadrangulum, quinquangulum, ſexangulum, & ſimilia.

IV. *De numeri demonſtratione.*

DISC. Demonſtratio ergo numerorum quomodo conſtat? MAG. Duobus modis. DISC. Quomodo? MAG. Aut enim litteris numeri notantur, aut digitorum inflexionibus exprimuntur.

V. *Quomodo numeri litteris notentur.*

DISC. Primum de litterarum notatione dic. MAG. Septem ergo litteris numeri notantur, id eſt, I. V. X. L. C. D. M. Quae aut ſolae poſitae numeros ſignificant, ut I unum, V quinque, X decem, L quinquaginta, C centum, D quingentos, M mille. Aut compoſitae cum aliis. Vt V & I ſex ſignificant, X & I undecim, X & L quadraginta, L & X ſexaginta. Et D anteponitur C quando nonaginta ſignificant. D & C ſexcentos. Aut multiplicatae per ſe. Veluti I duplicatum duo ſignificat, triplicatum tres, quadruplicatum quatuor. X duplicatum viginti, triplicatum triginta. C duplicatum ducentos, triplicatum trecentos, quadruplicatum quadringentos. Nulla autem nota apud Latinos multiplicatur per ſe magis quam per quatuor vices, aut cum aliis multiplicantur; ut I cum V, quando ſeptem ſignificat vel octo vel novem. Et X cum L, quando ſeptuaginta vel octoginta ſignificat. Item C cum D, quando ſeptingenta, octingenta, vel nongenta figurat.

VI. *Quomodo digitis ſignificentur.*

DISC. Quomodo ergo numeri digitorum inflexionibus exprimuntur? MAG. Igitur tres digiti in ſiniſtra manu, id eſt, auricularis, medicus, & impudicus, ab uno uſque ad novem continent numerum. Et duo digiti in eadem manu, id eſt, index & pollex, a X. uſque XC. continent numerum. Item duo digiti in dextera manu, pollex & index, a C uſque nongentos continent numerum. Et tres digiti in eadem manu a mille uſque ad novem millia continent numerum, id eſt, auricularis, impudicus, & medicus. Item ſiniſtra manus per artus diverſos corporis continet numerum a X milibus uſque ad XC milia. Et e contrario dextra manus continet numerum per juncturas & diſpoſitiones membrorum a C milibus uſque ad DCCCC millia.

DISC. Haec ergo omnia precor ut ſpeciatim mihi patefacias. MAG. Cum ergo dicis unum, minimum in laeva digitum inflectens, in medium palmae artum infiges. Cum dicis duo, ſecundum a minimo flexum ibidem impones. Cum dicis tria, tertium ſimiliter adflectes. Cum dicis quatuor, itidem minimum levabis. Cum dicis quinque, ſecundum a minimo ſimiliter eriges. Cum dicis ſex, tertium nihilominus elevabis, medio duntaxat ſolo, qui medicus appellatur, in medium palmae fixo. Cum dicis ſeptem, minimum ſolum, ceteris interim levatis, ſuper palmae radicem impones. juxta quem, cum dicis octo, medicum. cum dicis novem, impudicum e regione compones. Cum dicis decem, unguem indicis in medio figes artu pollicis. Cum dicis viginti, ſummitatem pollicis inter medios indicis & impudici artus immittes. Cum dicis triginta, ungues indicis & pollicis blando conjunges amplexu. Cum dicis quadraginta, interiora pollicis lateri vel dorſo indicis ſuperduces, ambobus duntaxat erectis. Cum dicis quinquaginta, pollicem exteriore artu inſtar Graecae litterae gammae curvatum ad palmam inclinabis. Cum dicis ſexaginta, pollicem ut ſupra curvatum indice circumflexo diligenter a fronte praecinges. Cum dicis ſeptuaginta, indicem ut ſupra circumflexum pollice immiſſo ſuper implebis, ungue duntaxat illius erecto trans medium indicis artum. Cum dicis octoginta, indicem ut ſupra circumflexum pollice in longum tenſo implebis, ungue videlicet illius in medium indicis artum infixo. Cum dicis nonaginta, indicis inflexi unguem radici pollicis erecti infiges. Hactenus in laeva. Centum vero in dextera quomodo X. in laeva facies, CC. in dextera quomodo XX. in laeva, CCC. in dextera quomodo XXX. in laeva. Eodem modo & cetera uſque ad CCCC. Item mille in dextera quomodo unum in laeva, $\overline{II}$ in dextera quomodo duo in laeva, $\overline{III}$ in dextera quomodo tria in laeva, & caetera uſque ad $\overline{VIV}$ Porro $\overline{X}$ cum dicis, laevam in medio pectori ſupinam adpones, digitis tantum ad collum erectis. XX. cum dicis, eandem pectori expanſam late ſuperpones. XXX. cum dicis, eadem prona ſed erecta pollicem cartilagini medii pectoris immittes. $\overline{XL}$ cum dicis, eandem in umbilico erectam ſupinabis. L. cum dicis, ejuſdem pronae ſed erectae pollicem in umbilico pones. $\overline{LX}$ cum dicis, eadem prona femur laevum deſuper comprehendis. $\overline{LXX}$ cum dicis, eandem ſupinam femori ſuperpones. $\overline{LXXX}$ cum dicis, eandem pronam femori ſuperpones. $\overline{XC}$ cum dicis, eandem lumbos adprehendes, pollice ad inguen verſo. At vero C. & $\overline{CC}$ uſque ad $\overline{DCCCC}$ eodem quo diximus ordine in dextera corporis parte complebis. Decies autem centena milia cum dicis, ambas ſibi manus inſertis invicem digitis implicabis. Eſt & alterius modi computus articulatim decurrens: qui quomodo ſpecialiter ad Paſchae rationem pertinet, cum ad hanc ex ordine ventum fuerit, opportunius explicabitur.

De Graecorum notis ad numeros aptatis.


DISC. Quid de Graecorum computo ais, qui, ut audivi, numeros propriis litteris denotant? MAG. Verum ut aſſeris ita eſt. cum toto alphabeti ſui charactere in numerorum figuras expenſo. Tres qui plus ſunt numeros notis ſingulis depingunt, eundem penè numeri figurandi quem ſcribendi alphabeti ordinem ſequentes hoc modo,

1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	20	30	40	50	60	70	80	90	100
α	β	γ	δ	ε	ϛ	ζ	η	θ	ι	κ	λ	μ	ν	ξ	ο	π	ϙ	ρ
200	300	400	500	600	700	800	900,											
σ	τ	υ	φ	χ	ψ	ω	ϡ											

Qui & ideo mox numeros digitis ſignificare didicerint, nulla interſtante mora litteras quoque pariter hiſdem praefigere ſciunt.

VIII. *De unciarum figuris & diviſionibus.*

DISC. De his quae uncias computiſtae appellant rogo ut ediſſeras. MAG. De unciarum quoque diviſione, quae non minus temporibus tribuitur aliis quam nummis eſt apta computandis, non ignobilis contentio eſt. Quibus quia diſperſe paſſim hiſtoriae & ipſa ſacra ſcriptura utitur, nomina pariter & figuras earum paucis adfigere curavimus. I. Li-



I Libra vel as ſive aſſis, XII. unciae.

Deunx ſive iabus, XI. unciae.

Decunx vel dextans, X. unciae.

Dodrans ſive doras, IX. unciae.

Bes ſive biſſe, VIII. unciae.

Septunx ſive ſeptus, VII. unciae.

Semis, ſex unciae,

Quincunx ſive cincus, V. unciae.

Triens ſive treas, IV. unciae.

Quadrans ſive quadras, III. unciae

Sextans ſive ſextas, II. unciae.

Sescunx ſive ſeſcuncia, I. uncia & ſemis.

Vncia XXIV. ſcripuli.

Semiuncia XII. ſcripuli.

Duae ſextulae ſive ſceſclae, VIII. ſcripuli, id eſt, III. pars unciae.

Sicilicus VI. ſcripuli.

Sextula ſive ſceſcle, IV. ſcripuli.

Dimidia ſextula ſive ſceſcle, II. ſcripuli.

Scripulus, ſex ſiliquae.

Haec inquam ponderum vocabula vel characteres non modo ad pecuniam menſurandam, verum ad quaevis corpora ſive tempora dimetienda conveniunt. Sive igitur horam unam, ſive diem integrum, ſive menſem, ſive annum, ſeu certe aliud aliquod majus minusve temporis ſpatium in duodecim partiri vis, ipſa duodecima pars uncia eſt. reliquas undecim deuncem appellant. Si in ſex partiris, ſexta pars ſextans, reliquae dextans vel, ut alii, diſtans vocitantur. Si in quatuor, quarta pars quadrantis nomen, reſiduae tres dodrantis accipiunt. Porro ſi per tria quid dividere cupis, tertiam partem trien, duas reſiduas beſſem nuncupabis. Si per duo, dimidium ſemis appellatur. Sic & cetera.

IX. *De tempore.*

Disc. Haec quidem gratanter accipio. Et quia de temporum diviſionibus ac ratione nobis diſputandum eſt, primum mihi dic quid ſit tempus. Mag. Tempus eſt mundi inſtabilis motus, rerumque labentium curſus. Disc. Vnde dicitur tempus? Mag. Scilicet a temperamento, ſive quod unumquodque illorum ſpatium ſeparatim temperatum ſit, ſeu quod momentis, horis, diebus, menſibus, annis, ſeculiſque, & aetatibus omnia mortalis vitae curricula temperentur.

X. *De trimoda diſcretione temporis.*

Disc. Temporum ratio quomodo conſtat? Mag. Trimoda ratione computus temporis eſt diſcretus. Aut enim natura, aut conſuetudine, aut certe auctoritate decurrit. Disc. Quomodo ergo natura temporum curſus & ratio conſiſtit? Mag. Quia natura duce repertum eſt ſolis annum CCCLXV. diebus & quadrante confici, lunae vero annum, ſi communis ſit, CCCLIV, ſi emboliſmus, CCCLXXIV. diebus terminari, totumque lunae curſum decennovennali circulo comprehendi, ſed & cetera errantia ſidera ſuis quaeque ſpatiis Zodiaco circumferri. Disc. Quomodo conſuetudine? Mag. Conſuetudine ergo humana firmatum eſt ut menſis triginta diebus putaretur, cum hoc nec ſolis nec lunae curſui conveniat. Siquidem lunam duodecim horis minus, ſalva ratione ſaltus, ſolem vero decem horis & dimidia plus habere ſolerti exquiſitione compertum eſt. Disc. Quomodo quoque auctoritate? Mag. Auctoritas quidem bifarie eſt diviſa. Quia aut humana eſt auctoritas, aut etiam divina. Disc. Quomodo humana auctoritate tempora ordinantur? Mag. Quia videlicet ab hominibus conſtitutum eſt Olympiadas quatuor annorum, nundinas octo dierum, & indictiones quindecim annorum ambitu celebrari. Diem quoque, qui ex quadrantibus conficitur, menſe Februario vel Auguſto intercalari Graeci, Ægyptii, Romani pro ſuo quiſque captu ſanxerunt. Disc. Divina autem auctoritate quomodo? Mag. Quia ſeptimana die ſabbatum agi, & ſeptimo anno a rurali opere vacari, quinquageſimumque annum Iubilaeum vocari Dominus in lege praecepit. Nam etſi barbarae gentes hebdomadas habere probentur, a populo tamen Dei mutuaſſe non latet. Disc. Diviſiones temporis quot ſunt? Mag. Quatuordecim. Disc. Quae? Mag. Atomus, oſtentum, momentum, partes, minutum, punctus, hora, quadrans, dies, menſis, viciſſitudo, annus, ſeculum, aetas.

XI. *De atomo indiviſibile.*

Disc. Horum primum dic mihi, id eſt, quid ſit atomus. Mag. Atomos philoſophi vocant quaſdam in mundo minutiſſimas partes corporum, ita ut nec viſui facile pateant, nec ſectionem recipiant. unde & atomi dicti ſunt. Nam tomus Graece diviſio dicitur, atomus vero indiviſio. Denique huc illucque volitant atque feruntur ſicut tenuiſſimi pulveres qui infuſi per feneſtras radiis ſolis fugantur. Disc. Quia audivi te dicentem non ſolum in tempore ſed etiam in corporibus eſſe atomos, quot ſint genera atomorum expone mihi. Mag. Quinque ergo ſpecies ſunt atomorum, id eſt, atomus in corpore, atomus in ſole, atomus in oratione, atomus in numero, atomus in tempore. Disc. Horum ſingula rogo ut mihi ediſſeras. Mag. Atomus quoque in corpore eſt cum corpus aliquod in partes dividis, parteſque illas in alias partes, & hoc totiens donec ad tales minutias pervenias quae ob ſui parvitatem ullo modo dividi non poſſint. Atomus in ſole eſt ille tenuiſſimus pulvis quem diximus radiis ſolis fugari. Atomus in oratione eſt minima portio, ut eſt littera. Cum enim partem quamlibet orationis dividis in ſyllabas, ſyllabam denuo in litteras, ſola littera non habet quo ſolvatur. Atomus in numero eſt unum. Cum ergo numerum aliquem diſperties, verbi gratia, octo ſi dividas in bis quatuor, quatuor in bis binos, item binos in ſingulos, ſola unitas indiviſibilis permanet. Denique atomus in tempore, de quo incipiebamus diſputare, taliter conſtat. Cum majora ſpatia temporis, ſicuti eſt dies vel hora, per punctos vel etiam ceteras minores partes dividens, ad talem particulam pervenias quae ob ſui puſillitatem nullam habeat moram talem quae ullo modo dividi poſſit, ſicuti velociſſimus ictus eſt oculi, ipſas ſcias eſſe atomum. Eſt ergo atomus trecenteſima & ſeptuageſima ſexta pars unius oſtenti.

XII. *De oſtento.*

Disc. Oſtentum quid eſt? Mag. Sexageſima pars unius horae, atomos in ſe continens CCCLXXVI.

XIII. *De momento.*

Disc. Quid eſt momentum? Mag. Certus lectus ſolis in caelo. Hoc per quadraginta vices ita emen-

emenſum horam jam reddit integram. Disc. Vnde dicitur momentum? Mag. A motu ſyderum celerrimo, cum aliquid ſibi breviſſimis in ſpatiis cedere atque ſuccedere ſentitur. Capit ergo unum momentum oſtentum & dimidium, atomos quoque DLXIV.

XIV. *De partibus.*

Disc. Quid nominantur in computo partes? Mag. Partes a partitione circuli Zodiaci vocantur, quem tricenis diebus per menſes ſingulos ſiudunt. Recipiunt autem ſingulae partes momenta duo & duas partes unius momenti, oſtenta quatuor, atomos MDIV.

XV. *De minuto.*

Disc. Quid eſt minutum? Mag. Decima pars horae. Disc. Vnde dicitur minutum? Mag. A minore intervallo, quaſi minus momentum; quia minus numerat quod majus implet. Habet ergo minutum partem unam & dimidiam, momenta quatuor, oſtenta ſex, atomos V̄CCLVI.

XVI. *De puncto.*

Disc. Punctus quid eſt? Mag. Quarta pars unius horae. Disc. Vnde dictus eſt punctus? Mag. A parvo puncti tranſcenſu qui fit in horologio. Punctus quippe a pungendo dictus eſt, eo quod quibuſdam punctionibus certae deſignationis in horologiis deſignatur. Punctus autem habet minuta duo & dimidium, partes tres & ſemiſſem, & quadrantem unius partis, momenta decem, oſtenta quindecim, atomos V̄DCXL. Quatuor ergo puncti unam horam faciunt.

XVII. *De hora.*

Disc. Quid eſt hora? Mag. Certus terminus temporis. Siquidem hora duodecima pars eſt diei, Domino atteſtante, qui ait: *Nonne duodecim horae ſunt diei? Si quis ambulaverit in die, non offendit.* Vbi quamvis allegorice ſe diem, diſcipulos vero, qui a ſe inluſtrandi erant, horas appellaverit, ſolito tamen more humano computationis vulgarem expreſſit diem. Disc. Hora unde nomen accepit? Mag. De horologio. Sicut horologium de hora nomen ſumpſit, horae quoque nomen ex Graeca origine deſcendens, interpretatur ſeries vel umbra ſive etiam finis. Inde oras maris & fluviorum & veſtimentorum dicimus extremitates ſive terminos. Disc. Numquid eodem modo ſcribitur hora temporis & hora ceterarum quas praedixiſti rerum? Mag. Aſpiratione quoque ſola diſcernuntur. Quia hora temporis cum aſpiratione, ceterorum autem ſine aſpiratione ſcribuntur. Disc. Hora quas ſubdiviſiones habet? Mag. Habet quoque punctos quatuor in ſolari computatione, in lunae autem quibuſdam computationibus punctos quinque, ſicut poſt haec oſtendemus. Habet & minuta decem, partes quindecim, momenta quadraginta, oſtenta ſexaginta, atomos XXII̅DLX.

XVIII. *De quadrante.*

Disc. Quadrans autem quid eſt? Mag. Quadrans ſive quadras eſt quarta pars librae, habens uncias tres, ſicut ſupra oſtendimus. Quiquid in corporibus ſeu temporibus menſuraveris, ejus quartam partem quadrantem, tres vero reliquas dodrantem appellare debebis. Et ob hoc quarta pars diei quadrans dicitur. Quatuor quadrantes diem integrum reddunt. Dies enim cum nocte viginti quatuor horas habet.

XIX. *De die.*

Disc. Dies quid eſt? Mag. Aër ſole inluſtratus, nomen inde ſumens, quia tenebras disjungat ac dividat. Nam Deus dixit in principio: *Fiat lux, & facta eſt lux. Et diviſit lucem a tenebris; appellavitque lucem diem, & tenebras vocavit noctem.* Disc. Quibus modis dicitur dies? Mag. Naturaliter & vulgariter. Disc. Quomodo naturaliter? Mag. Naturalis quippe ac dies legitimus eſt ab ortu ſolis donec rurſus oriatur. Et hic dies viginti quatuor horas habet. Disc. Quot ſunt diviſiones diei naturalis. M. Principalis diviſio illius diei duo habet ſpatia, id eſt, interdianum & nocturnum. Ceterum per horas & punctos & ceteras minores particulas omnis dies ſubdividitur. Recipit autem dies naturalis viginti quatuor horas, punctos nonaginta ſex, minuta CCXL, partes CCCLX, momenta DCCCCLX, oſtenta I̅CCCCCXL, atomos DXC̅I̅ & CCCCXL. Disc. Quis demonſtrat quod vocabulum diei noctem cum die ſimul comprehendat? Mag. Scriptura ergo divina hoc oſtendit, ubi legitur: *Et factum eſt veſpere & mane dies unus*, in veſpere noctem & in mane lucis tempus denotans. Disc. Quia naturalem diem oſtendiſti, vulgarem quoque rogo ut exprimas. Mag. Vulgaris ſive artificialis dies ab ortu ſolis uſque ad occaſum omne tempus lucis ſuper terram complectens. Sicut e contrario nox eſt abſentia lucis ſuper terram. Omne quippe tempus quo ſol ab occaſu ad ortum redit nox dicitur.

XX. *De partibus diei.*

Disc. Quas ſubdiviſiones dies vulgaris ſive artificialis habet? Mag. Tres. Disc. Quas? Mag. Mane, meridiem, & ſupremum. Disc. Mane quid eſt? Mag. Mane eſt pars diei prima, ab ortu videlicet ſolis uſque ad horam quartam. Disc. Vnde dicitur mane? Mag. Mane, ut aliqui volunt, a mano dicitur. Manum enim antiqui bonum dicebant. Quid enim melius eſt luce? Sive ergo mane dicitur a manibus, id eſt, dijs infernorum, Gentiles enim aeſtimabant, quando ſol recedit, quod dij infernorum illum ad ſe traxiſſent. Disc. Meridies quid eſt? Mag. Pars media diei ab hora quinta uſque ad horam octavam. Disc. Vnde meridies nomen traxit? Mag. Meridies dicitur quaſi medius dies. Sive meridies dicitur quaſi purus dies. In toto enim die nihil purius eſt meridie. Antiqui enim merum purum dicebant. Disc. Quid eſt ſupremum? Mag. Pars diei extrema, ab hora ſcilicet nona uſque ad occaſum ſolis pertingens. Disc. Supremum quare dicitur? Mag. A ſupremendo. Tunc enim ſol, quaſi curſum ſupprimens, inclinatur ad occaſum. Disc. Haec ergo tria ſpatia artificialis diei ſecundum quid ordinantur? Mag. Secundum curſum utique ſolis. Quia mane eſt ab ortu ſolis uſque dum ſol aſcendat in altitudinem caeli, meridies autem ſole per medium caelum in altitudine currente, ſupremum vero quando ſol de altitudine caeli vergit ad occaſum. Disc. Ergo quia de uno ſpatio naturalis diei ſatis mihi feciſti, de altero quoque ſpatio ejus, quod nox eſt, ut ediſſeras flagito. Mag. Faciam quod petis. Tu quidem more tuo praecede interrogando.

XXI. *De Nocte.*

Disc. Nox quid eſt? Mag. Solis abſentia terrarum umbra conditi donec ab occaſu redeat ad exortum. Disc. Vnde dicta eſt nox? Mag. Quod noceat aſpectibus vel negotiis humanis, ſive quod in ea fures vel latrones nocendi aliis occaſionem nanciſcantur. Disc. Ob quam cauſam facta eſt nox? Mag. Pro temperantia laboris humani, ut corpora requiem haberent, & ut animalibus quibuſdam ſolem non ferentibus victum queritandi daretur occaſio.

XXII.

Digitized by Google

XXII. *De partibus noctis.*

DISC. Noctis partes quot ſunt? MAG. Septem. DISC. Quæ? MAG. Crepuſculum, veſperum, conticinium, intempeſtum, gallicinium, matutinum, diluculum. DISC. Horum proprietates per ſingulas ſpecies edic. MAG. Crepuſculum eſt dubia lux. Nam creperum dubium dicimus, hoc eſt, inter lucem & tenebras. Veſperum ab apparente ſtella ejuſdem nominis dicitur, de qua Poeta ait: *Ante diem clauſo componet veſper olympo.* Conticinium, quando omnia conticeſcunt, id eſt, ſilent. Intempeſtum, media nox, id eſt, quaſi inactuoſum, quando omnibus ſopore quietis, nihil operandi tempus eſt. Gallicinium, quando galli cantum levant. Matutinum, inter abſceſſum tenebrarum & auroræ adventum. Diluculum, quaſi jam incipiens parva diei lux. Hæc & aurora pertingent uſque ad ſolis exortum. DISC. Harum ergo partium naturalis diei quæ præcedit in tempore, utrum nox ſeu dies? MAG. Dies ſine dubio ab initio mundi uſque ad reſurrectionem Chriſti, a reſurrectione autem Chriſti uſque ad diem judicii non præcedit. Quia divina auctoritas, quæ homini caſuro a paradiſi lumine in hanc convallem lacrymarum in Geneſi dies a mane cum ſequenti veſpere uſque ad mane alterum computandos eſſe decrevit, eadem in evangelio a peccatorum tenebris ad veram lucem recedentibus totius diei tempus a veſpera inchoari & ſic cum ſequenti die conſummari ſanxit in veſperam.

XXIII. *Vbi dies incipiat ſeu finiatur. Et ubi primus dies ſeculi fuerit.*

DISC. Vbi dies naturalis rite initium finemque ſortitur? MAG. Diverſe ſecundum variarum gentium libitum dies naturalis incipere dicitur. DISC. Quomodo? MAG. Nam Hebraei, Chaldaei, & Perſae, ſequentes juxta primae conditionis ordinem diei curſum, a mane inchoantes, ad mane deducunt, umbrarum videlicet tempus luci ſupponentes. At contra Ægyptii ab occaſu ad occaſum. Porro Romani a medio noctis in medium umbrae. Et Athenienſes a meridie in meridiem dies ſuos computare maluerunt. DISC. Quo ſane in loco primus dies ſeculi extitit? MAG. Quinta decima Kalendarum Aprilium, quo videlicet die lucem formatam primitus credimus, & ſic tres illos dies primos abſque ullis horarum dimenſionibus, utpote nondum factis ſyderibus, eucurriſſe. Quarto demum mane, hoc eſt, duodecima Kal. Aprilis, ſol & ſydera condita ſunt, ut eſſent in ſigna & tempora & dies & annos.

XXIV. *De hebdomada.*

DISC. Hebdomada quid eſt? MAG. Septem dierum curſus. DISC. Vnde dicitur hebdomada? MAG. A ſeptenario utique numero hebdomada nomen accepit. Nam hebdomada Graece, ſeptimana dicitur Latine, eo quod ſeptem manes, id eſt, dies ſeptem, in ſe complectitur.

XXV. *De ſpeciebus hebdomadarum.*

DISC. Hebdomadae ſpeciebus uniformis an polyformis eſt? MAG. Polyformis utique, quia ſcripturae ſanctae auctoritate multis ſpeciebus eſt inſignis. DISC. Quomodo? MAG. Prima ergo ac ſingularis illa hebdomada, & a qua ceterae formam capeſſunt, divina eſt operatione ſublimis: quia Dominus ſex diebus mundi ornatum complens, ſeptima requievit ab operibus ſuis. Ad hujus exemplum divinae hebdomadis, ſecunda hominibus obſervanda mandatur, dicente Domino: *Sex diebus operaberis & facies omnia opera tua. Septima autem die ſabbati Domini Dei tui non facias omne opus*, & reliqua. Tertia ſpecies hebdomadis in celebratione Pentecoſtes agitur, ſeptem videlicet ſeptimanis dierum & monade, hoc eſt, quinquaginta diebus impleta. Qua die & Moyſes in monte legem a Domino accepit, & Chriſtus in linguis igneis Spiritus ſancti gratiam de cælo miſit. Quarta ſeptimi menſis erat hebdomada, qui ſolemnitatibus praeclaris pene totus expendebatur, quando & dies propitiationis & feſtivitas tabernaculorum ſecundum legem celebrabantur. Quinta hebdomada eſt ſeptimi anni, quo toto populus ab agriculandi opere legis imperio vacabat, dicente Domino: *Sex annis ſeres agrum tuum, ſeptimo ceſſabis.* Sexta anni Iubilæi, hoc eſt, remiſſionis, hebdomada eſt, quæ ſeptem hebdomadibus annorum, hoc eſt, quadraginta novem annis, texitur. Qua expleta, hoc eſt, quinquageſimo demum anno incipiente, tubæ clarius reſonabant, & ad omnes juxta legem poſſeſſio revertebatur antiqua. Septima ſpecies hebdomadis eſt qua Propheta Daniel utitur, more quidem legis ſeptenis annis ſingulas complectens hebdomadas, ſed nova ratione ipſos annos abbrevians, duodenis videlicet menſibus lunæ ſingulos determinans. Emboliſmos vero menſes, qui de annis undecim epactarum diebus adcreſcere ſolent, non lege patria tertio vel altero anno ſingulos adjiciens, ſed ubi ad duodecimum numerum augeſcendo pervenirent, pro integro anno pariter interſerens. DISC. Si hae ſeptem ſpecies hebdomadarum aliquid myſticum ſignificent rogo ut dicas. MAG. Ergo, ni fallor, cunctæ hæ ſpecies ad unum finem ſpectant, nos quidem ammonentes, poſt operum bonorum perfectionem, in Spiritus ſancti gratia perpetuam ſperare quietem.

XXVI. *De denominatione dierum.*

DISC. Quae autem ſit recta & authentica dierum hebdomadae nuncupatio profer. MAG. Hebdomada ergo antiquitus ſic computabatur in populo Dei. Prima ſabbati, vel una ſabbati, ſive ſabbatorum, ſecunda ſabbati, tertia ſabbati, quarta ſabbati, quinta ſabbati, ſexta ſabbati, ſeptima ſabbati, vel ſabbatum. Non quod omnes ſabbatorum, hoc eſt, requietionum dies eſſe potuerint; ſed quod a requietionum die, quae ſuo cultu & nomine ſingularis excellebat, prima vel ſecunda vel tertia vel ceterae ſuo quaeque cenſerentur ordine. DISC. Et unde iſtae nuncupationes, quarum moderni utuntur, venerunt? MAG. Ex antiqua ſcilicet ethnicorum ſuperſtitione. Verum cum gentiles obſervationem à populo Iſraël hebdomadis ediſcerent, mox hanc in laudem ſuorum deflexere deorum, primam videlicet diem Soli, ſecundam Lunæ, tertiam Marti, quartam Mercurio, quintam Iovi, ſextam Veneri, ſeptimam Saturno dicantes, eiſdem utique monſtris ſuos dies quibus & errantia ſydera conſecrantes. Exiſtimabant enim ſe habere a Sole ſpiritum, a Luna corpus, a Marte fervorem, a Mercurio ſapientiam & verbum, a Iove temperantiam, a Venere voluptatem, a Saturno tarditatem. Et ob hoc tanto errori ſe dederunt, eligentes potius ſervire creaturæ quam creatori.

XXVII. *De feriis.*

DISC. Sed ſi errori huic aliquod medicamentum ſit, dic. MAG. Inventum eſt utique. Nam Silveſter Papa ferias habere clerum edocuit. Et primam quidem diem, qua & lux in principio facta & Chriſti eſt reſurrectione celebrata, more antiquo dominicam nuncupavit. Deiu ſecundam feriam, tertiam feriam, quartam feriam, quintam feriam & ſextam. de ſuo adnectens ſabbatum ex veteri ſcriptura retinuit. DISC. Vnde dicitur feria? MAG. A fando ſcilicet. Et ideo dnminicus dies, in quo dixit Deus *Fiat lux*, prima feria dici poteſt. Deinde ceterae feriae a prima numerantur. DISC. Hebdomada ergo quot horas continet? MAG. CLXVII. DISC. Quot punctos? MAG. DCLXII. DISC. Quot minuta? MAG. IDCLXXX. DISC. Quot partes? MAG. $\overline{II}$DXX. DISC. Quot momenta? MAG. $\overline{III}$DCCXX. DISC. Quot oſtenta? MAG. XLXXX. DISC. Quot atomos? MAG. $\overline{III}$ millia millium & $\overline{DCCXC}$ DCCCC.

XXVIII. *De menſibus.*

DISC. Menſis quid eſt? MAG. Lunaris per Zodiacum circuitus. DISC. Vnde dicitur menſis?

Mag. A luna, quae Græco ſermone mene dicitur. Nam & apud eos menſes vocantur menes. Sicut & apud Hebraeos, Hieronymo teſte, una, quam Iare nominant, menſibus nomen dedit. Vnde & Ieſus filius Sirach de luna loquens ait: *Menſis ſecundum nomen eſt ejus*. Disc. Vtrum ad ſolem an lunam menſis pertinet? Mag. Ad utroſque, ſed magis ad lunam. Ideoque rectius ita diffiniendum puto, quod menſis ſit luminis lunaris circuitus, ac redintegratio de nova ad novam. Solaris autem menſis digreſſio ſolis eſt per duodecimam partem Zodiaci, id eſt, ſigniferi circuli, quae triginta diebus & decem ſemis horis impletur, viginti duabus videlicet horis ac dimidia lunari menſe productior. Siquidem ſolaris menſis aequa diviſione toto anno per duodecim partito continet dies triginta, decem horas ac ſemiſſem. Lunaris vero continet naturaliter dies viginti novem & duodecim horas. Sed quia haec computatio difficilis fuit, antiqui Romanorum decernebant aliquos ſolarium menſium dies habere triginta unum, aliquos vero triginta, quendam autem viginti octo. Lunares autem menſes ſex voluerunt habere dies triginta, alios quoque ſex viginti novem. Disc. Qui ſunt ſolarium menſium qui triginta unum dies habent? Mag. Septem, id eſt, Januarius, Martius, Majus, Julius, Auguſtus, October, & December. Disc. Qui ſunt qui triginta? Mag. Quatuor. Aprilis, Junius, September, & November. Februarius vero ſolus viginti octo dies habet. Disc. Lunarium menſium quos dicis habere dies triginta? Mag. Lunam Januarii menſis & Martii, Maii & Julii, Septembris & Novembris. Disc. Qui ſunt qui viginti novem tenent? Mag. Ceteri omnes. Disc. Qui primi rationem menſium invenerunt? Mag. Ni fallor, Chaldaei, a quibus tota aſtrologiae diſciplina coepit. De quibus Abraham Patriarcha, ut Joſephus teſtatur, edoctus Deum caeli ſyderum converſione cognovit, ipſamque mox diſciplinam veracius intellectam Ægyptiorum, cum apud eos exularet, genti advexit. Sed licet ſcriptura palam non dicat, tamen non eſt credendum antiquos, qui ante diluvium erant, hujus peritiae penitus expertes fuiſſe, cum plerique illorum Deo placuiſſe leguntur, ſicut Abel juſtus, & Enoch, qui cum Deo ambulavit & translatus eſt, & Noë, qui fuit vir perfectus in generationibus ſuis.

XXIX. *De Hebraeorum menſibus*.

Disc. Qui primi menſes obſervare leguntur? Mag. Hebraei videlicet, quibus legiſlator ait de paſchali menſe: *Menſis iſte vobis principium menſium ſit in menſibus anni*. Disc. Quomodo Hebraei menſes ſuos nominant, & quoto ordine numerant? Mag. Hebraei ergo, qui ſecundum lunae curſum menſes ſuos computant, primum menſem, in quo Paſcha celebrant, Niſan appellant, ſecundum Jar nominant, tertium Sivan, quartum Thamul, quintum Alo, ſextum Elul, ſeptimum Theſeri, octavum Mareſuan, nonum Kaslen, decimum Tebet, undecimum Sabath, duodecimum Adar. Quos videlicet menſes propter lunae circulum, qui viginti novem ſemis diebus conſtat, tricenis undetriceniſque diebus alternantes, ſecundo demum vel tertio anno exacto, menſem ſuperfluum, qui ex annuis undecim epactarum diebus confici ſolet, intercalat. Disc. Primum ergo Hebraeorum menſem cui menſium Romanorum rectiſſime deputamus? Mag. Aprilio videlicet: quia in eo aut luna paſchalis finitur; aut in eo incipiens, ex maxima parte decurrit.

XXX. *De Ægyptiorum menſibus*.

Disc. Ægyptii vero, quos ab Abraham conſtat didiciſſe aſtrologiam, quomodo menſes ſuos computant? Mag. Secundum ſolis utique curſum, & ſingulos menſes ſuos tricenis includunt diebus. Disc. Quomodo eos vocant? Mag. Primum ergo menſem, quem autumno tempore, id eſt, quarto Kal. Septembris, incipiunt, Thoth vocant, ſecundum Faovi, tertium Athyr, quartum Choëac, quintum Thubi, ſextum Methir, ſeptimum Famenoth, octavum Farmuthi, nonum Pachom, decimum Pauni, undecimum Epifi, duodecimum Meſori; quem decimo Kalendarum Septembrium die terminantes, reſiduos quinque dies epagomenos vel intercalares ſive additos vocant. quibus etiam quarto anno diem ſextum, qui ex quadrantibus confici ſolet, adnectunt. Vnde fit ut eorum anni primi a bis ſexto tertio Kalendarum Septembrium, ceteri vero quarto Kalendarum earumdem die ſortiantur initium. Nec ullo modo poſt intercalatum quadrantem ante noſtrae intercalationis tempus, quod fit ſexto Kalendarum Martiarum die, in computo lunae vel eorundem feſtivitate dierum poſſunt cum noſtri anni curriculo recipere concordiam.

XXXI. *De Graecorum menſibus*.

Disc. Quia de Hebraeorum & Ægyptiorum menſibus dixiſti, ſupereſt ut de Graecorum & Romanorum, quos conſtat a Graecis liberales diſciplinas accepiſſe, menſibus dicas. Mag. Prope ergo par fit ſeries menſium Graecorum & Romanorum; excepto quod nullam in ſuis menſibus Graeci Kalendarum, Nonarum, & Iduum diſtinctionem obſervant, ſicut nec Ægyptii; ſed ſimpliciter ab exordio uſque ad finem numero diſcurrente computant. Siquidem Graeci fixum in duodecim menſibus anni vertentis ordinavere circulum. Quorum plerique a Kalendis Decembribus ſuum inchoantes annum, eodem quo Romani menſes ſuos dierum numero perſtringunt. Vocatur autem apud eos ipſe December Apileos, Ianuarius Eudynios, Februarius Peritios, Martius Diſtros, Aprilis Xanthicos, Maius Artemiſios, Iunius Deſios, Iulius Panemos, Auguſtus Loos, September Gorpieos, October Hyperberetheos, November Dios.

XXXII. *De menſibus Romanorum*.

Disc. Menſes autem Romanorum quibus auctoribus ſunt ordinati? Mag. Primas apud eos Romulus decem menſes ordinavit, alios triginta, alios vero triginta & uno dierum. Et a Martio incipiens, Decembrem noviſſimum poſuit. Sed cum hic numerus neque ſolis curſui neque rationibus lunae conveniret, ſecutus eſt Numa Pompilius, quinquaginta dies addidit, ut in CCCLIV. diebus, quibus duodecim lunae curſus confici credidit, annus extenderetur. Atque his quinquaginta diebus additis adjecit alios ſex retractos illis ſex menſibus qui triginta habebant dies, id eſt, de ſingulis ſingulos factoſque quinquaginta & ſex dies in duos novos menſes pari ratione diviſit. ac de duobus priorem Ianuarium nuncupavit, primumque anni menſem eſſe voluit. ſequentem vero Februarium nominavit. Pauloque poſt Numa in honorem imparis numeri unum adjecit diem, quem Ianuario dedit. Sed cum haec ratio adhuc fixa non eſſe videbatur, comparata ad ſyderum curſum, tandem Caius Iulius Caeſar imitatus Ægyptios ad numerum Solis annum, ſicut hodie ſervatur, inſtituit, decem videlicet dies obſervationi ceteri ſuperadjiciens, ut annum CCCLXV. dies, quibus ipſe Zodiacum luſtret, efficerent. Et ne quadrans deeſſet, inſtituit ut quarto quoque anno ſacerdotes, qui curabant menſibus ac diebus, unum intercalarent diem, eo ſcilicet menſe ac loco quo etiam apud veteres menſis intercalabatur, id eſt, ante quinque ultimos menſis Februarii dies. idque bis ſextum cenſuit nominandum. Disc. Menſium vocabula quot modis conſtant, & unde originem ſumpſerint, expone. Mag. Quatuor ergo modis menſes nominantur, hoc eſt ſub idolis, ſub rebus, ſub Regibus, ſub numeris. Disc. Quot modis Ianuarius dictus eſt?

Mag.

Digitized by Google

MAG. Ianuarius autem duobus modis nomen accepit, hoc eſt, ex idolo, & re. Ex idolo ergo, hoc eſt, ex Iano bifronte, ſimulacro videlicet Iani Epirotarum Regis, qui argumento excogitato ſemetipſum igni tradidit, & ex hoc Romanis victoriam peperit. Bifrons autem Iani ſimulacrum erat, quia ex una parte viri & ex altera feminae adorabant. Indeque Ianuarium vocaverunt bicipitis diei menſem reſpicientem tranſacti anni finem ac proſpicientem futuri anni principium. Item Ianuarius ex re dicitur, eo quod ſit janua anni, hoc eſt, principium. DISC. Februarius unde dicitur? MAG. Ab idolo & re. DISC. Quomodo? MAG. Ab idolo ergo Februo, hoc eſt, Plutone, qui luſtrationum potens eſſe a gentilibus credebatur, Februarius eſt nominatus. Luſtrari enim eo menſe civitatem Romanam neceſſe erat, quo ſtatuta juſta, hoc eſt, ſacrificia, diis manibus ſolverent. Sive Februarius dictus eſt a febre, hoc eſt, a frigore, propter frigidum tempus ipſius menſis. DISC. Martius ergo unde dictus? MAG. A Marte idolo, qui pater Romuli & Romanae gentis auctor eſſe aeſtimabatur. Sive a re, hoc eſt, maribus, nomen Martius accepit. Nam & eo tempore cuncta animantia terrae mares deſiderant ad concumbendi voluntatem. DISC. Quibus modis Aprilis dicitur? MAG. Duobus modis. Sub idolo, id eſt, Venere matre, ut ferunt, Æneae. Afron enim Græce ſpuma interpretatur. Vnde Venus orta credita eſt, quae Afrilis ſive Afrilis ſive Afronia apud Graecos nominata eſt. Et ſub re, hoc eſt, ab aperiendo, quaſi apericulis. In hoc enim menſe, remotis nubibus, pruinis, ac tempeſtatibus hibernis, caelum, terra, mare nautis, agricolis, & horoſcopis aperitur. Arbores quoque & herbae, ſed & animantia quaeque, in prolem ſe aperire incipiunt. DISC. Quot modis Maius dicitur? MAG. Duobus, hoc eſt, ſub idolo Maio, quem Iovem eſſe voluerunt, quaſi majeſtate praecipuum. Sive a Maia Mercurii matre. Et ſub re, hoc eſt, a majoribus Romanorum. quem Romulo ita vocari placuit. DISC. Iunius unde nomen habet? MAG. A Iunone filia Saturni, ſorore Iovis. Sive a junioribus Romanorum, qui armis defendebant rempublicam. DISC. Iulius unde nomen accepit? MAG. Hoc eſt, a Iulio Caeſare; quia in quarto Idus Iulii menſis creatus Caius Iulius Caeſar, qui primus arripuit imperium apud Romanos. Nam antea a Martio menſe numeratus, Quintilis a numero ſortitus eſt nomen. DISC. Auguſtus nomen unde accepit? MAG. Ab Octaviano Caeſare Auguſto, qui in Kalendis iſtius menſis Antonium & Cleopatram vicit, & imperium populi Romani firmavit. Cum autem Auguſti nomen ille inde aſſumpſerit, ex Senatus conſulto menſem ob memoriam ſui nomen hoc habere voluit. DISC. September unde vocatur? MAG. A numero, eo quod ſit ſeptimus imber a Martio. DISC. Octimbrem ergo, Novembrem, & Decembrem unde judicas eſſe dictos? MAG. A numero quippe ſimiliter & ab imbre, quia his temporibus imbres terrae imminent.

XXXIII. *De Kalendis, Nonis, & Idibus.*

DISC. De Kalendis ergo, Nonis, & Idibus peto ut mihi ediſſeras. MAG. Faciam. Kalendae ergo a Graeca origine nomen traxerunt; quia Kalo verbum Graecum eſt, id eſt, voco. Priſcis ergo temporibus Pontifici minori haec providentia delegabatur ut novae lunae primum obſervaret aſpectum, viſum Regi ſacrificulo nuntiaret. Itaque ſacrificio a Rege & minore Pontifice celebrato, idem Pontifex Kalata, id eſt, vocata in Capitolium plebe juxta curiam calabram, quae caſæ Romuli proxima eſt, quot numero dies a Kalendis ad Nonas ſupereſſent pronuntiabat. Et quintanas quidem dicto quinquies verbo Kalo, ſeptimadas repetito ſepties praedicabat. Et hanc diem qui ex his diebus qui kalarentur primus eſſet, placuit Kalendas vocari. Et hinc ipſi curiae, ad quam vocabantur, Kalabræ nomen datum eſt, & claſſi, quod omnis in eam vocaretur populus. Ideo autem minor Pontifex numerum dierum qui ad Nonas ſupereſſet kalando prodebat, quia poſt novam lunam oportebat Nonarum die populares qui in agris eſſent confluere in urbem, accepturos cauſas feriarum a Rege ſacrorum, ſciturosque quid eſſet eo menſe faciendum. Vnde quidam hinc Nonas exiſtimant dictas, quaſi novae initium obſervationis, vel quia ab eo die ſemper ad Idus octo dies putarentur. Porro Idus vocare placuit diem qui dividit menſem. Induere enim Etruſca lingua dividere eſt. Vnde vidua quaſi valde idua, id eſt, valde diviſa. Aut vidua, id eſt, a viro diviſa. Nonnullis placet Idus dictas vocabulo Graeco a ſpecie, quae apud illos idea vocatur, quod ea die plenam ſpeciem luna demonſtret. DISC. Menſis quot horas habet? MAG. Menſis proprius, qui triginta dies habet, horas continet DCCXX. DISC. Quot punctos? MAG. $\overline{\text{II}}$ DCCCLXXX. DISC. Quot minuta? MAG. $\overline{\text{VII}}$ CC. DISC. Quot momenta? MAG. $\overline{\text{XXVIII}}$ DCCC. DISC. Quot oſtenta? MAG. $\overline{\text{XLIII}}$. & CC. DISC. Quot atomos? MAG. Centies & ſexagies centum millia & $\overline{\text{CCXLIII}}$ CC.

XXXIV. *De quatuor viciſſitudinibus temporum.*

DISC. Viciſſitudinem ergo, quam in ſerie temporum numerabas, vellem a te audire quid ſignificaret. MAG. Viciſſitudines ergo, quaſi alii tempora nominant, quatuor ſunt, hyems, ver, aeſtas, autumnus. DISC. Vnde dicuntur viciſſitudines? MAG. Eo quod vicinus ſibi cedunt ſucceduntque. DISC. Vnde eaſdem tempora nominant? MAG. Quia quadam ſuae ſimilitudine qualitatis adinvicem comparata volvuntur, ac terrenis fructibus naſcendis maturandiſque temperamenta cuſtodiunt. DISC. Quomodo? MAG. Hyems enim, ut pote longius ſole remoto, frigida eſt & humida. Ver, illo ſuper terras redeunte, humidum & calidum. Æſtas, illo ſuper fervente, calida & ſicca. Autumnus, illo ad interiora decidenti, ſiccus & frigidus. Sicque fit ut amplexantibus ſingulis medio moderamine quae circa ſe ſunt orbis inſtar adinvicem cuncta concludantur. Quibus aeque qualitatibus, diſparibus quidem per ſe, ſed alterutra ad invicem ſocietate contexis, ipſa quoque mundi elementa conſtat eſſe diſtincta. Terra namque ſicca & frigida, aqua frigida & humida, aer humidus & calidus, ignis calidus & ſiccus. Ideoque haec autumno, illa hyemi, iſte veri, ille conferatur aeſtati. DISC. Vnde ver vocatur? MAG. Quod in eo cuncta vernent, hoc eſt, vireſcant. DISC. Vnde æſtas? MAG. Ab aeſtu qui in ea maturandis fructibus datur. DISC. Vnde dicitur autumnus? MAG. De autumatione fructuum qui in eo colliguntur. DISC. Vnde hyems? MAG. A frigore. Porro hyems a Doctoribus interpretatur & ſterilitas. DISC. Vbi quodque iſtorum temporum ſortitur initium? MAG. Iſidorus namque Hiſpalenſis Epiſcopus hyemen nono Kal. Decembris, ver octavo Kal. Martii, aeſtatem nono Kal. Junii, autumnum decimo Kal. Septembris habere dixit exortum. Graeci autem & Romani, quorum rationem in hujuſmodi diſciplinis potius quam Hiſpanorum autoritas ſequi conſuevit, hyemem ſeptimo Idus Novembris, ver ſeptimo Idus Februarii, aeſtatem ſeptimo Idus Maii, autumnum ſeptimo Id. Auguſti inchoare decernunt, hyemis videlicet & aeſtatis initia veſpertino vel matutino vergiliarum ortu occaſuque ſignantes, item veris & autumni, cum Pliades medio fere die vel nocte oriuntur & occidunt, ponentes ingreſſum. Et Plinius ſecundus in libro ſecundo naturalis hiſtoriæ eodem modo diſtinguenda judicavit. Sed & homo Eccleſiæ ſanctus Anatholius in opere ſuo paſchali ita ait: *Hoc autem non ignores, quod ipſa quatuor quæ prædiximus temporum confinia, licet menſium ſequentium Kalendis adproximentur, unumquodque tamen medium temporum, id eſt, veris & æſtatis, autumni & hyemis, teneat; &*

non

Digitized by Google

non exinde temporum principia inchoantur unde menſium Kalendæ initiantur. Sed ita unumquodque inchoandum tempus eſt ut a prima die veris tempus æquinoctium dividit, & æſtatis ſolſtitium æſtivum, autumni quoque æquinoctium autumnale, & hiemis ſolſtitium brumale ſimiliter dividat. DISC. Numquid ergo hæc quatuor tempora parem longitudinem habent? MAG. Habent utique, & ſecundum æquam portionem recipit unumquodque menſes tres; dies nonaginta & unum, horas ſeptem & dimidiam. DISC. Quomodo ergo ſecundum horarum diviſionem & ceteras ſubdiviſiones unumquodque tempus tenet? MAG. Habet ergo unumquodque tempus, ſecundum horarum ſupputationem, $\overline{\text{VII}}$CXC. & unam horam ac ſemiſſem; ſecundum punctos, $\overline{\text{VIII}}$DCCLXVI. ſecundum vero minuta, $\overline{\text{XXI}}$DXXXV. ſecundum momenta, $\overline{\text{LXXXV}}$LX. ſecundum oſtenta, $\overline{\text{CXXXI}}$XX. Atomos quater centies & nonagies centum milia & DXIC.

XXXV. *De annis.*

DISC. Quid eſt annus? MAG. Solis circuitus ac reditus per duodecim menſes. DISC. Vnde dicitur annus? MAG. Ab innovando cuncta quæ naturali ordine tranſierant. Vel a circuitu temporis annus nomen accepit. Quia veteres annum pro circum ponere ſolebant, ut Cato dicit in originibus oratorum annum terminum, id eſt, circum terminum. Et ambire dicitur per circum ire.

XXXVI. *Quot ſpecies ſint annorum.*

DISC. Quot ſpecies ſunt annorum? MAG. Septemdecim. DISC. Quomodo? MAG. Nam lunæ annus quinque ſpecies habet, ſolis vero tres. Sunt & anni ſingularum planetarum, id eſt, errantium ſyderum, a ſtellis quibus ſerviunt nominati. Eſt annus hebdomadarum. Eſt annus ſeptimus requiei ſecundum legem. Eſt & Iubilæi. Eſt & annus omnium planetarum, qui vocatur magnus. DISC. Hæc per ſingulas ſpecies rogo ut exponas. MAG. Primus modus de luna eſt, cum luna viginti ſeptem diebus & octo horis Zodiacum percurrens, ad id ſignum ex quo egreſſa eſt revertitur. Secundus duobus diebus & quatuor horis & prolixior. Tertius, qui duodecim menſibus hujuſmodi, id eſt, diebus CCCIV. expletur, & vocatur communis. Quartus, qui embolismus Græce dicitur, id eſt, ſuperargumentum, & habet tredecim menſes, id eſt, dies CCCLXXXIV. Quintus eſt dum luna per decem & novem annos, etiam ſaltu tranſacta, ad eaſdem recurrit ætates. Sextus annus eſt ſolaris, cum ſol ad eadem loca ſyderum redit, peractis CCCLXV. diebus & ſex horis. Septimus eſt item ſolaris, dum quarto anno bis ſextus inſeritur, & fiunt dies CCCLXVI. Octavus eſt item ſolaris, dum ſol per viginti octo annos circulum concurrentium complet. Nonus annus eſt ſecundum ſtellam quæ vocatur Mercurius, qui CCCXXXIX. diebus expletur. Decimus annus eſt ſecundum ſtellam quæ vocatur Venus, qui CCCXLVIII. diebus expletur. Vndecimus eſt annus ſecundum ſtellam quæ vocatur Mars, qui peractis duobus annis completur. Duodecimus annus eſt ſecundum ſtellam quæ vocatur Iovis, qui peractis duodecim annis impletur. Tertius decimus annus eſt ſecundum ſtellam quae vocatur Saturnus, qui peractis triginta annis impletur. Quartus decimus annus eſt ſecundum hebdomadas totius anni, id eſt, quinquaginta duas, qui habet dies CCCLXIV. Quintus decimus eſt annus requies ſeptimi anni ſecundum legem, quo jubebatur populo Dei a rurali opere vacare. Sextus decimus annus eſt, ſpecies anni Iubilæi, qui eſt annus remiſſionis, & quinquaginta annis impletur. Septimus & decimus annus eſt, qui vocatur magnus, annus planetarum, dum omnia ſydera ad locum revertuntur ubi primum ſtatuta fuerunt, & quingentis triginta duobus annis impletur. DISC. Annus ergo ſolaris, qui CCCLXV. diebus & quadrante conſtat, quot horas amplectitur? MAG. Vtique $\overline{\text{IX}}$DCCLXVI. DISC. Quot punctos? MAG. $\overline{\text{XXXV}}$CXC. DISC. Quot minuta? MAG. $\overline{\text{LXXXVII}}$DCLX. DISC. Quot momenta? MAG. $\overline{\text{CCCL}}$DCXL. DISC. Quot oſtenta? MAG. $\overline{\text{DXXV}}$DCCCCLX. DISC. Quot atomos? MAG. Decies novies centies centum milia & quatuor mille millia & DCCCCXXXILX.

XXXVII. *De planetis & origine nominum earum.*

DISC. Quia de ſolaribus & lunaribus annis dicens, de annis quinque planetarum adjunxiſti, precor ut ipſorum ſyderum proprietatem non graveris explanare. MAG. Septem enim ſunt planetae, quae adverſo curſu contra mundum feruntur, hoc eſt, Sol, Luna, Mercurius, Venus, Mars, Iovis, Saturnus. Hae ergo, cum ſphaera caeleſtis ab oriente in occaſum ſe vergat, recurrunt orientem verſus per Zodiacum, &, ut ſapientibus iſtius mundi viſum eſt, caeli temperant velocitatem, ne nimio curſus ſui rotatu praecipitetur. DISC. Vnde dicitur ſol? MAG. Quod ſolus inter omnia ſydera luceat. Oriente enim ſole, cetera ſydera mox radios ſuos abſcondunt; &, ut quibuſdam placet, ipſe lunae & ſtellis omnibus ſuo aſpectu tribuit ut lucere valeant, quia non proprio, ſed mutuato a ſolis lumine reſplendent. Vnde Poëta ait: *Lucentemque globum lunæ Titaniaque aſtra ſpiritus intus alit.* DISC. Vnde dicitur luna? MAG. Luna dicitur quaſi lucina ablata media ſyllaba; de qua Virgilius ait: *Caſta fave Lucina.* Sumpſit autem nomen per dirivationem a ſolis luce, eo quod ab eo lumen accipiat, acceptumque reddat. DISC. Vnde dicuntur ſtellae? MAG. A ſtando; quia fixae ſtant ſemper in caelo, nec cadunt. Nam quod videmus a caelo ſtellas quaſi labi, non ſunt ſtellae, ſed igniculi ab aethere lapſi, qui ſunt dum ventus altiora petens aetherium ignem ſecum trahit, qui tractu ſuo imitatur ſtellas cadentes. Nam ſtellae cadere non poſſunt. Immobiles enim, ut praedictum eſt, ſunt, & cum caelo fixae feruntur. DISC. Si ſtellae in caelo fixae ſunt, ut aſſeris, unde planetae dicuntur? MAG. Planetae autem ſolummodo non ſunt fixae, ut reliquae, ſed in aere feruntur. Dictae autem planetae * *apo tes planes*, id eſt, ab errore. (* ἀπὸ τῆς πλάνης.) Nam interdum in auſtrum, interdum in Septentrionem, plerumque contra mundum, nonnunquam cum mundo feruntur. Haec & retrograda & anomala, antigrada & ſtativa dicuntur. DISC. Quomodo? MAG. Nam retrogradatio ſtellarum eſt dum ſtella motum ſuum agit ſimul & retro ſubmoveri videtur. Anomala dicuntur quando particulas addunt vel detrahunt. Antigrada vel praecedentia ſunt dum motum ſuum conſuetum agere videntur, & tamen aliquid praeter conſuetudinem praecedunt. Stativa dicuntur, quia dum ſemper ſtella movetur, tamen in aliquibus locis ſtare videtur.

XXXVIII. *De planetarum curſu per ſigniferum, & natura ſigniferi.*

DISC. Sed quia audivi te dicentem planetarum tranſitum eſſe in Zodiaco, ipſius Zodiaci proprietatem & curſum earum rogo ut exponas. MAG. Faciam. Zodiacus vel ſignifer eſt circulus obliquus duodecim ſignis conſtans, per quem errantes ſtellae feruntur; nec aliud habitatur in terris quam quod illis ſubjacet. Reliqua a polis ſqualent. Eſt autem ſignifer CCCLXV. partibus & quadrante unius partis per caeli ambitum longus, & duodecim partibus latus per tranſverſum. Veneris tantum ſtella excedit eum binis partibus. Luna quoque per totam latitudinem ejus vagatur, ſed omnino non excedens eum. Ab his Mercurii ſtella laxiſſime, ut tamen e duodenis partibus (Tot ſunt enim latitudinis, ut diximus) non amplius octonas pererret, neque has aequaliter, ſed duas medio ejus & ſupra quatuor, infra duas. Sed ſol in medio fertur inter duas partes flexuoſo draconum meatu inaequalis. Martis ſtella quatuor mediis

Iovis media, & ſuper eam duabus. Saturni duabus, ut ſol.

XXXIX *De duodecim ſignis.*

DISC. Signa autem Zodiaci vellem ut ediceres unde traxerint nomina. MAG. A cauſis ergo annalibus vel a gentilium fabulis nomina ſumpſerunt ſigna duodecim. Nam arietem Martio menſi propter Hammonem Jovem tribuunt. Vnde & in ejus ſimulacro arietis cornua fingunt. Taurum Aprili, propter eundem Iovem, quod in bovem ſit fabuloſe converſus. Caſtorem & Pollucem Maio, propter inſigne virtutis. Porro cancrum Iunio, quando ſol ad inferiora redit, quod cancer impulſus retro curſum dirigere ſoleat. Leonem, quem occidit Hercules, Iulio propter vim fervoris adſignant. Virginem Auguſto, quod tunc exhauſta caloribus tellus nihil pariat. Libram Septembri ob aequalitatem diei & noctis. Scorpium & Sagittarium equinis cruribus deformatum, propter flumina menſium ipſorum, October & November accipiunt. Capricornum December propter capram Iovis nutricem, cujus extrema piſci ſimilia pinguntur, quod hujus menſis ultima ſint pluvialia. Aquarium Ianuario, Februario piſces, ob menſes imbriferos tradunt. Singulis autem ſignis triginta partes, ternae vero decades putantur, eo quod ſol triginta diebus & decem ſemis horis illa percurrat, a medio menſis, id eſt, XV. Kalendarum die, ſemper incipiens. Vnde & quibuſdam veterum placuit ſequentis menſis eſſe ſignum, cujus ad uſque medietatem unumquodque percendit, eique adſcribi, ſicut ille qui verſibus inde cecinit heroicis ita: *Reſpicis Apriles aries frixe Kalendas. Maius Agenorei miratur cornua Tauri*, & cetera eodem modo. Sunt autem haec ſigna tantae magnitudinis ut non minore quam duarum ſpatio horarum vel oriri, vel occidere, vel de loco poſſint moveri.

XL. *Demonſtratio ſignorum per ſolis curſum*

DISC. Vellem quidem ut aliquam notitiam mihi inde dares. MAG. Notitia ergo horum ſignorum melius a conloquente & digito demonſtrante quam a ſcribente percipitur, quia per ſtellas in eis diſpoſitas notabiles fiunt. Et haec niſi ab eo qui aſtronomiae diſciplinam tenet, & ſyderum loca intimare ac demonſtrare noverit, nullatenus edici pleniter queunt. Sed horum tamen ſignorum curioſus inquiſitor poteſt aliquam accipere notitiam, ſi diligenter ſolis & lunae in eis obſervaverit curſus, aditus, & receſſus. Siquidem ſol moratur tranſiens in unoquoque ſigno triginta dies, decem horas & ſemiſſem, ac deinde in aliud ſignum ingreditur, quod ſimiliter in triginta diebus & decem horis ac ſemiſſe pertranſiens, tertium intrat. Sicque illud ſignum quod jampridem reliquerat ſtellis apparentibus ab oriente ante aurorae exortum notabile reddet. Sunt quidem tria ſigna ſemper circa ſolem diurno lumine plena, id eſt, hoc quod nuperrime ipſe reliquerat, & ipſum in quo praeſens eſt, & illud in quod proxime ingreſſurus eſt. Luna quoque ſimiliter ſuo curſu ſigna demonſtrat. Nam ipſa binis diebus & ſemis horis ac biſſe unius horae ſingula ſigna perlabitur. Et ſi calculator veraciter argumentum quod de ejus tranſitu per ſigna factum eſt perdiſcet, poterit ex ejus ſtatu ſignorum conjicere loca.

XLI. *De lunae curſu per ſigna.*

DISC. Ipſum argumentum vellem ut mihi ediceres. MAG. Luna cotidie quatuor punctis, ſive creſcens a ſole longius abit, ſive decreſcens ſoli vicinior quam pridie fuerat redditur. Singula autem ſigna decem punctos habent, id eſt, duas horas, ſicut & ſuperius ammonuimus. Quinque enim puncti in luna horam faciunt. Et ideo ſi vis ſcire in quo ſigno luna eſt, ſume lunam quam volueris, ut puta quintam. Multiplica per quatuor. Fiunt viginti. Partire per decem bis denivies. Duobus ergo ſignis quinta luna ſemper a ſole diſtat. Item ſume octavam lunam. Multiplica per quatuor. Fiunt triginta duo. Partire per decem; ter deni tries, & remanent duo. Tribus ergo ſignis & duobus punctis octava luna ſemper a ſole dirimitur. Duos autem punctos, ſex partes intellige, id eſt, quantum ſol in Zodiaco ſex diebus conficit itineris. Punctus ſiquidem habet tres partes, quia ſignum quodque decem punctos, triginta partes habet. Et ne ſuſpicio tibi forte argumenti fallentis incidat, quære ad diametrum cœli quod quintam decimam lunam tenere nemo qui dubitet. Multiplica quindecim per quatuor. Fiunt ſexaginta. Partire per decem, ſexies deni ſexais. Sex enim ſignis decima quinta luna ſemper, id eſt, dimidio ſphaerae caeleſtis a ſole diſcernitur, ſive ante ſeu retro reſpexeris. Denique orbem lunae, quotiens pleniſſimus eſt, contra ſolem cernis oppoſitum, humilem videlicet ſole ſublimi, & ſublimem humili. Quia nimirum cum ſole æſtivum tenente circulum plena eſt, ipſa tenet brumalem; cum ſole divexo imprumalem plena eſt, ipſam ſolſtitiali ſcandere circulo nox longiſſima prodit. At cum iſte hoc æquinoctium, in plenilunio tum illa alterum ſervat. Et quot partibus ſol æquinoctium vel ſolſtitium, quod nuperrime luſtraverat, tranſiit, totidem partibus luna plena vel æquinoctium vel ſolſtitium, quod contra eſt, patet eſſe ingreſſa. DISC. Poſt quot dies ſol illam partem cæli conſcendet ad quam luna tertia perveniet? MAG. Menſe toto & diebus ſex.

Vide Cotelerii Monumenta Ecclesiae Graecae to. 2 pag. 530.

XLII. *Argumentum ad inveſtigandum lunæ curſum.*

DISC. Oſtende mihi quomodo. MAG. Sol igitur cotidie partem unam Zodiaci ſui complet. Neque enim aliud partes Zodiaci quam cotidianos ſolis in cælo ſentire debemus progreſſus. Luna vero cotidie tredecim partes ejuſdem Zodiaci conficit, id eſt, punctos quatuor & unam partem. Et quia illa tredecim partes, ſol unam complet, inde fieri, ut ſupra docuimus, non plus cotidiano progreſſu à ſole quam quaternis punctis, hoc eſt, duodenis partibus elongetur. Ponat ergo lunam ubilibet computare voluerit, ut puta in Kalendis Ianuarij primam. Haec ubi prima noctem diemque tranſegerit, illum caeli locum tenet quem ſol decimo tertio ejuſdem menſis die completo. Vbi duo eſt, multiplica duo per quatuor. Fiunt ſeptem. Item ut de punctis ad partes pervenias, mulóplica octo per terna, fiunt viginti quatuor. Illam ergo cæli partem tenet luna ſecunda in quarto Non. Ianuarij quam ſol viceſimo quarto abhinc die confecto. Vbi tres eſt, multiplica tria per quatuor. Fiunt duodecim. Partire per decem, decies aſſe decus. & remanent duo puncti, id eſt, ſex partes. Illam ergo caeli partem tenet luna quarta in tertio Non. Ianua. quam ſol menſe toto & diebus ſex. Poſt tertium Non. Ianuarij exactis, id eſt ſexto, poſt tertium Non. Februarij die conſummato. Et ut ad ſummam perveniam, ſume triceſimam lunam, quae tunc fit tertio Kal. Februarij. Multiplica per quatuor. Fiunt centum viginti. Partire per decem duodecies deni een vies. Illa parte caeli luna triceſima currit quam duodecim menſibus exactis, id eſt, toto anni circulo tranſacto, ſol obtenturus eſt. Et notandum quod decem ſemis horae quae extra tricenas partes in unoquoque ſigno ſunt, quia plenam partem viginti quatuor horarum non reddunt, ſimul computari negleguntur, ſed infra prædictum numerum duodecim menſium comprehenduntur.

XLIII. *Argumentum de eo quot horis luna luceat.*

DISC. Vellem ut per argumentum aliquod mihi intimares quomodo poſſim comprehendere quot horis per ſingulas noctes ſuae aetatis luna luceret.
MAG.

MAG. Si vis ſcire quot horas luceat luna qualibet, tene aetatem lunae de qua inquiris. Multiplica per quatuor, quia prima luna quatuor punctis lucet. Adjiciturque hic numerus a ſecunda luna cotidie uſque ad plenilunium, detrahiturque dehinc paribus ſpatiis in diminutionem, luceetque pari modo luna prima & triceſima ſecunda & viceſima nona. Et ideo ſi noſſe velis, verbi gratia, quot horas luceat luna quinta, multiplica quinque per novem. Fiunt viginti. Partire per quinque quater quini. Fiunt viginti. Quatuor horas lucet luna quinta. Similiter viceſima quinta. Item ſi vis ſcire quot horas luceat luna decima, multiplica decem per quatuor. Fiunt quadraginta. Partire per quinque octies quini. Fiunt quadraginta. Octo horas lucet luna decima. Similiter & viceſima.

XLIV. *De magnitudine ſolis ſive lunae.*

DISC. De magnitudine ſolis & lunae vellem ut aliqua diceres. MAG. Solis ignem dicunt aqua nutriti, multoque hunc luna ampliorem, lunam vero terra eſſe majorem, unde & cunctis unius magnitudinis appareat. Quod enim ſol cubitalis videatur, nimiae celſitudinis diſtantia facit. Alioqnin major Indis oriens, & Britannis appareret occidens. Qui dum natura ſit igneus, motu quoque nimio calorem adauget. Hic curſu variante dies & menſes, tempora dividit & annos, aëriſque temperiem accedendo vel recedendo pro temporum ratione diſpenſat, ne ſi ſemper in hiſdem moraretur locis, alia calor, alia frigor abſumeret.

XLV. *De natura & ſitu lunae.*

Lunam non minui nec creſcere dicunt, ſed a ſole inluſtratam a parte quam habet ad eum paulatim, vel ab eo recedendo, vel ei propinquando, nobis candidam partem revolvere vel atram, & die quidem creſcente ſupinam cerni novam lunam, utpote ſuperiorem ſoli, & aquilonia ad ſubeuntem.

XLVI. *De eclypſin ſolis ſive lunae.*

DISC. Defectus luminis utriuſque ſyderis unde fit rogo ut ediſſeras. MAG. Solem interventu lunae, lunamque terrae objectu nobis perhibent occultari, ſed ſolis defectum nonniſi noviſſima primave fieri luna, quam vocant coitum, lunae autem nonniſi plena, non poſſe vero totum ſolem adimi terris intercedente luna, ſi terra major eſſet quam luna, omnibus autem annis fieri utriuſque ſyderis defectus ſtatutis diebus horiſque ſub terra, nec tamen cum ſuperne fiant, ubique cerni aliquando propter nubila, ſaepius globo terrae obſtante convexitatibus mundi.

XLVII. *Vbi eclypſin non fit, & quare.*

Defectus ſolis ac lunae veſpertinos orientis incolae non ſentiunt, nec matutinos ad occaſum habitantes, obſtante globo terrarum. Neque enim nox aut dies, quamvis eadem toto orbe ſimul eſt oppoſita globi noctem aut ambitu diem adferente. Tempore enim Alexandri magni luna defecit in Arabia hora noctis ſecunda, eademque in Sicilia exoriens. Et ſolis defectum qui fuit Ipſanio & Frontegio Conſulibus II. Kal. Maii, Campania hora diei inter ſeptimam & octavam, Armenia inter decimam & undecimam ſenſit.

XLVIII. *De indicio & qualitate planetarum.*

DISC. Dic mihi quo colore ſint planetae, ſi poſſim eas inde cognoſcere, & utrum mutent colores an non. MAG. Suus quidem unicuique color eſt, Saturno candidus, Jovi clarus, Marti igneus; Lucifero gaudens, Veſpero refulgens, Mercurio radians, lunae blandus, ſoli, cum oritur, ardens, poſtea ſplendens. Sed colores ratio altitudinem temperat. Siquidem earum ſimilitudinem trahunt in quatum aëtem venere ſubeundo; tinguntque ad propinquantes utralibet alieni meatus circulus, frigidior in pallorem, ardentior in ruborem, ventoſus in horrorem. Sol atque commiſſurae apſidum extremaeque orbitae atram in obſcuritatem. DISC. Quo autem in loco vel in quibus ſignis ſunt in praeſent.? MAG. Modo autem, Id eſt, anno dominicae incarnationis DCCCXX. menſe Julio, nona die mentis, eſt ſol in viceſima tertia parte cancri, luna in nona parte tauri, ſtella Saturni in ſigno arietis, Jovis in librae, Martis in piſcium. Veneris quoque ſtella & Mercurii, quia juxta ſolem in luce diurna modo ſunt, non apparet, in quo ſigno moretur. DISC. Cetera quoque ſidera quae extra Zodiacum ſunt peto ut breviter enumeres, & quae a dextra parte ipſius Zodiaci, quaeve a ſiniſtra ſint, ediſſeras. MAG. Si de curſu planetarum tantum contentus eſſes, jam ſatis tibi dictum eſſe putarem. Sed quia nimium curioſus ad cetera ſigna quae per totum ſphaerae caeleſtis ambitum conſiſtunt inquirendo progrederis, neceſſarium reor ut ipſius ſphaerae ſitum & naturam prius exponam ſecundum majorum ſententiam breviter, & ſic tuae interrogationi de ceteris reſpondeam.

XLIX. *De natura cæli.*

DISC. Vtinam facias! MAG. Caelum ſubtilis igneæque naturae, rotundumque, & a terrae centro aequis ſpatiis undique collectum eſt. Vnde & convexus mediuſque quacunque cernitur, inenarrabili celeritate cotidie circumagi ſapientes mundi dixerunt, ita ut rueret ſi non planetarum occurſu moderaretur, argumento ſyderum nitentes, quae fixo ſemper curſu circumvolant, ſeptentrionalibus breviores gyros circa cardinem peragentibus; cujus vertices extremos, quo circa ſphaera volvitur, polos nuncupant, glaciali rigore tabeſcentes. Horum unus ad ſeptentrionalem plagam conſurgens Boreus, alter divexus in auſtros, terraeque oppoſitus, auſtralis vocatur, quem interiora Auſtri ſcriptura ſancta nominat. In qua ſphaera quinque circulos eſſe ſapientes dixerunt.

L. *De quinque circulis mundi.*

Quorum primus eſt ſeptentrionalis. frigore inhabitabilis, cujus ſydera nobis nunquam occidunt. Secundus ſolſtitialis ex parte ſigniferi, excelliſſima nobis ad ſeptentrionalem plagam verſus, temperatus, habitabilis. Tertius aequinoctialis, medio ambitu ſigniferi orbis incedens, torridus, inhabitabilis. Quartus brumalis, a parte humillima ſigniferi ad auſtrinum polum verſus, temperatus, habitabilis. Quintus auſtralis, circa verticem auſtrinum, qui terra tegitur, frigore inhabitabilis. Tres autem medij circuli inaequalitates temporum diſtinguunt, cum ſol hunc ſolſtitio, illum aequinoctio, iſtum bruma teneat. Extremi enim ſemper ſole carent. Vnde & à Tyle inſula unius diei navigatione ad Aquilonem mare congelatum invenitur.

LI. *De his ſignis ſtellarum quæ extra Zodiacum ſunt.*

DISC. Haec quidem probo & cum gratia accipio. Sed de poſitione ſyderum, ſicut mihi promiſiſti, peto ut ediſſeras. MAG. Sunt ergo ſigna extra ea quae in Zodiaco conſiſtunt, ut Arati phœnomena teſtantur, numero triginta, quorum alia horoſcopus ad ſeptentrionem, alia ad auſtrum ſequeſtrat. DISC. Quae ſunt illa quae ad ſeptentrionem ſunt? MAG. Duae videlicet primum urſae, hoc eſt, helix, quae & arcturus major, & Phœnix ſive Cynoſura, quae & arcturus minor dicitur. Et Draco,

qui

qui continet utroſque arcturos, helicis ſupra volvens caput, & Phœnicis circumcigens caudam. Deinde Hercules ſuper anguem incumbens genu flexo, clava rejecla, pelle leonis opertus dicitur. Poſtea corona, habens ſtellas novem in circuitu poſitas. Tunc ſerpentarius, qui & Aſclepius vocatur, ſtans ſupra ſcorpionem, tenet ſerpentem in manibus. Item Arcas, qui & Bootes, fertur eſſe cuſtos plauſtri, praecedit arcturum majorem, quem & ipſe ſequitur. Cepheus & Aquila tunc ſplendidis ſtellis Caſſiepia & Andromedia dinoſcuntur. Deinde Perſeus & agitator cum hœdis ſuis clareſcunt. Bellorofons quoque & Delfin, Cignus & Libra ſuis in locis, & Trigon ſuper caput arietis, ſplendore notabiles ſunt. Disc. Quae ſunt illa quae Zodiacus ad auſtrum ſui ſecludit? Mag. Orion ſcilicet & Canicula, Lepus & Argo, Cetus & Eurus, qui & Eridanus. Cui ſubjacet ſtella quae dicitur Canopus, ſplendens, quae timonem navis tangit. Piſcis magnus, qui & auſter dicitur. Sacrarium. Centaurus cum beſtia quam manu tenet. Serpens, ſuper cujus caudam corvum ſedere dicunt. & in medio urnam adſerunt. Vltimus omnium Anticanus eſt, ſitus ſub geminis; & ideo Anticanus vocatus, quod contrarius ſit cani. Et mira gentium ſtultitia, quod ſydera quae Deus ad honorem hominis ſui creavit, & in cæleſtibus conſtituit, ea ipſi ſceleratis hominibus & brutis animalibus in terra creatis adſcripſerunt. Præter haec omnia, & lacteus circulus eſt figura candidior per medium caeli verticem, quem vulgo dicunt ex ſplendore ſolis in eo currentis ita fulgere. Sed fruſtra, cum ab illo nunquam niſi in parte Sagittarii vel geminorum tangatur, in quibus candidum circulum ſignifer cingit. Disc. Ad quid ergo haec ſydera legentibus proderunt, & in quo adjuvant computiſtam? Mag. Ad dinoſcendum ergo horas nocturnas non parum adjuvant calculatorem. Necnon & viatoribus & nautis valde neceſſaria ſunt, qui obſervant colores earum & curſus, & futuram tempeſtatem ſeu ſerenitatem inde conjiciunt.

LII. *De Cometis.*

Disc. Cometas ergo audivi quaſdam ſtellas nominari, ſed has in numerando ſtellas praetergreſſus es. Mag. Non enim quaſi obliviſcendo illas praetergreſſus ſum; ſed ordinem ſervavi, ut de eis ſeorſum dicerem, quarum qualitas & curſus a ceteris ſtellis ſeparata eſt. Cometae quoque ſunt ſtellae flammis crinitae, repente naſcentes, regni mutationem aut peſtilentiam aut bella aut ventos aeſtuſque portendentes. quarum aliae tenduntur errantium modo, aliae immobiles haerent. Omnes ferme ſub ipſo ſeptentrione aliqua ejus parte non certa, ſed maxime in candida, quae lactei circuli nomen accepit, breviſſimum quo cernerentur ſpatium ſeptem dierum adnotatum eſt, longiſſimum octoginta. Sparguntur aliquando & errantibus ſtellis ceteriſque crines. Sed cometes nunquam in occaſura parte caeli eſt.

LIII. *De ſolſtitiis & æquinoctiis.*

Disc. Poſtquam de ſtellarum ſitu & ratione ſatis dixiſti, neceſſarium reor ut de maximis luminaribus, id eſt, ſole & luna, adhuc referas, & oſtendas ubi æquinoctii & ſolſtitii proprius locus ſit. Mag. Solſtitia apud pleroſque bina putantur, hoc eſt viii. Kal. Ianuarii & Iulii. Similiter & æquinoctia bina, id eſt, viii. Kal. Aprilis & Octobris, octavis ſcilicet in partibus capricorni & cancri, arietis & libræ. Verum quia, ſicut in ratione paſchali didicimus, æquinoctium vernale duodecima Kalendarum die Aprilium cunctorum orientalium ſententiis, & maxime Ægyptiorum, quos calculandi eſſe peritiſſimos conſtat, ſpecialiter annotatur: ceteros quoque tres temporum articulos putamus aliquanto prius quam vulgaria ſcripta continent eſſe notandos. Vt enim de æquinoctio verno, quod caput aſſa memoratarum quatuor mutationum annalium mundi origo docet, breviter loquamur, regula tenet eccleſiaſticæ obſervationis, a Nicæno confirmata Concilio, ut Paſchæ dies ab xi. Kal. Aprilis uſque in ſeptimum Kal. Maij inquiratur. Item catholicæ inſtitutionis regula præcepit ut ante vernalis æquinoctii tranſgreſſum Paſcha non celebretur. Qui igitur octavo Kalendarum Aprilium die putat æquinoctium, neceſſe eſt idem aut ante æquinoctium Paſcha celebrari licitum dicat, aut ante ſeptimum Kalendarum Aprilium diem Paſcha celebrari licitum neget, ipſum quoque Paſcha quod Dominus pridie quam pateretur cum diſcipulis fecit, aut nono Kalendarum Aprilium die non fuiſſe, aut ante æquinoctium fuiſſe confirmet. Non enim noſtri tantum temporis, ſed etiam legalis, & Moſaica decernit inſtitutio, non ante traſcenſum hujus æquinoctii diem feſti Paſchalis eſſe celebrandum; ſicut atteſtante Anatolio evidenter docet Philo & Joſephus, ſicut eorum antiquiores Agathobolus, & ab eo eruditus Ariſtobulus ex Paneada, qui unus ex illis ſeptuaginta ſenioribus fuit qui miſſi fuerunt a Pontificibus ad Ptolomæum Regem Hebræorum libros interpretari in Græcum ſermonem; quibus multa ex traditionibus Moſi proponenti Regi percontatique reſponderunt. Ipſi ergo, cum quæſtiones Exodi exponerent, dixerunt Paſcha non prius eſſe immolandum quam aequinoctium vernale tranſiret. Vnde nos neceſſe eſt, ob conſervandam veritatis regulam, dicamus aperte & Paſcha ante æquinoctium tenebraſque devictas non immolandum, & hoc æquinoctium xii. Kalendarum Aprilium die veraciter aſcribendum; ſicut non ſolum auctoritate paterna, ſed & horologica conſideratione docemur. ſed & cetera tria temporum hujuſmodi confinia ſimili ratione aliquot diebus ante octavum Kalendarum ſequentium eſſe notanda. Igitur ſicut ſupra de viciſſitudinibus diximus, ita & nunc de iſtis quatuor terminis dicimus. Quia a duodecima Kal. Aprilis, quod eſt æquinoctium vernale, uſque in decimum tertium Kal. Julii ſunt dies nonaginta & unus. A duodecimo Kal. Julii uſque in decimum tertium Kal. Octobris ſimiliter dies nonaginta & unus. A decimo tertio Kal. Octobris uſque in decimum quintum Kal. Januarii, ſimiliter dies nonaginta & unus. A decimo tertio Kal. Januarii uſque in decimum quartum Kal. Aprilis ſimiliter ſunt dies nonaginta & unus. Fiunt omnes ſimul dies trecenti ſexaginta tres, & remanet dies unus de anni circulo, & ſex horæ, quæ per unumquemque annum propter rationem biſſexti adcreſcere probantur. quæ ſi dividantur per quatuor partes, & fuerint adjectæ partibus ſuperioribus, erunt unicuique parti dies nonaginta & unus & ſeptem horæ & dimidia hora. Sed notandum quod æquinoctialis dies omni mundo æqualis eſt. Vario autem lucis incremento in mero elongiſſimus dies duodecim horas æquinoctiales & octo partes unius horæ colligit, Alexandriæ vero quatuordecim horas, in Italia quindecim, in Britannia ſeptendecim, ubi æſtate lucidæ noctes haud dubie teſtantur id quod cogit ratio credi, ſolſtitii diebus accedente ſole propius verticem mundi anguſto lucis ambitu ſubjecta terræ continuos dies habere ſenis menſibus nocteſque e diverſo ad brumam remoto. Quod fieri in inſula Thyle Pytheas Maſſilienſis ſcribit ſex dierum navigatione in ſeptentrione a Britannia diſtante.

LIV. *De bis ſexto in ſolis lunæ curſu.*

Disc. Biſſexti rationem rogo ut edicas mihi atque ediſſeras. Mag. Bis ſextus ex quadrantis ratione per quadriennium conficitur, dum ſol ad id ſignum ex quo egreſſus eſt, non in ccclxv. diebus, ſed quarta diei parte ſuper adjecta, revertitur. Verbi gratia. Si nunc aequinoctialem caeli locum ſol oriens intraverit, in hunc anno ſequente meridie, tertio veſpero, quarto medio noctis, quinto rurſum in exortu recurrens neceſſario diem praemouet augendum; ne ſi forte non addatur, peractos ſexaginta quinque annos aequinoctium vernale brumali die pro-

proveniat. quae Ægyptii anno ſuo expleto, id eſt quarto Kal. Septembris, Romani ſexto Kal. Martii, unde & nomen accepit, interponunt. Breviori autem & vulgari ratione bis ſextum retardatio generat ſolis non ad eamdem lineam peractis CCCLXV. diebus plene redeuntis. Quem ſi, verbi gratia, in aequinoctio vernali, quod juxta Ægyptios duodecimo Kalendarum Aprilium die provenit, ſurgentem a medio orientis diligenter adnotaveris, hunc anno ſequente die videlicet eodem aliquanto inferius oriri, & tertio, quarto, quintoque eandem diminutionem in tantum augere reperies ut niſi diem ante ſuperadicias, XI. Kal. Aprilis aequinoctium facturus a medio ſurgat orientis, eandem ſcilicet tarditatem in ceteris ſervaturus exortibus. DISC. Numquid in lunae curſu quadrantis rationem obſervare debemus? MAG. Debemus utique. Quia ſi lunae quadrantem accommodare negaveris, ſed bis ſextili anno ejuſdem quantitatis menſem lunarem Februario, cujus & antea ſolebas, aptaveris, fit profecto ut & quartadecima luna paſchalis ejuſdem anni pridie quam debuerat adveniat, ideoque paſchalis ratio vacillet, & totus mox anni curſus titubet, ſtatuſque ille ſemper inviolabilis circuli decennovennalis magis magiſque turbatus evertatur. Quare oportet ut ſicut dictante quadrantis ratione quarto anno, quem bis ſextilem dicimus, unum diem ſolari adjeimus anno, ſimiliter lunari unam diem adiciamus, eamque lunae menſis Februarii tribuamus, ſive illam ante intercalatum quadrantem ſeu poſtmodum terminari contingat; ut quae ceteris annis viginti novem dierum, anno autem bis ſextili eum triginta computetur; ipſeque annus, ſi communis ſit, cum CCCLV. diebus, ſi embolimus, cum CCCLXXXV. compleatur. Sicque fit ut in una eademque ſexta Kalendarum Martiarum linea, & in ſole & in luna numerus geminetur. Ut in praeſenti anno, verbi gratia, ſextam ſeptimamque ponimus feriam, ita ibidem ſextam ſeptimamque ponamus lunam. Hac ſemper induſtria pervigiles, ut eum lunam menſis Februarii in anno bis ſextili triginta habere ſecerimus, in diebus tamen Kalendarum Martiarum, excepto ſolum undecimo circuli decennovennalis anno, ipſam quam & ante conſueverat luna ſervet aetatem. Quibus autem quantiſve temporum particulis idem lunae quadrans adcreſcat, majore quaeſitu indiget. Namque cum ipſo quadrante etiam crebra embolismorum interruptio & ſaltus quoque ratione tota diſcurſus lunaris menſura ad purum ne dignoſci queat obſiſtit.

LV. *Argumentum ad bis ſextum inveniendum.*

DISC. Vellem ut aliquod argumentum mihi dares per quod ſcire poſſem utrum bis ſextilis annus fieret, an etiam praeparationis bis ſexti. MAG. Si hoc noſſe deſideres, ſume annos ab incarnatione Domini quotcunque fuerint, ut puta in praeſenti DCCCXX. Hos partire per quatuor, quia bis ſextus poſt quatuor annos peractos intervenit. Quater ergo CC, DCCC, quater V, XX. Et quia nihil remanet, annus eſt bis ſextilis. Si ergo unus remanſerit, primus eſt annus praeparationis bis ſexti. Si duo, ſecundus. Si tres tertius.

LVI. *De ſaltu lunari.*

DISC. De ſaltu lunae poſco ut ſimiliter mihi rationem proferas ſicut & de bis ſexto feciſti. MAG. Saltum lunae locus & hora citior incenſionis ejus per novemdecim annos efficit. Quamvis enim quidam ſingulas lunas viginti novem ſemis diebus computantes, incenſiones earum medio diei & medio noctis ſemper alternent, non in hoc tamen veritatem naturae ſed calculandi facilitatem inquirunt. Nam ſi naturam quaeras, luna primi menſis, quae nunc verbi gratia meridie, & ſecundi, quae nunc in medio noctis accenditur, anno futuro hora & decem momentis & dimidio momenti & decima nona parte dimidii momenti ante medium diei vel noctis illuſtratur. Nec tamen hac diſtinctione ad certum embolismi vel communis anni terminum, ſed ad aequam diviſionem novemdecim tendit annorum. Sicque per novemdecim annos lunaris accenſio ſeſe praeoccupando unius diei ſpatium amittens, ultimum decennovennalis cycli annum CCCLXXXIII. diebus facit computari. Quod ſi facere negligas per quindecim decennovennales cyclos, quinta decima luna tibi ubi prima putatur occurret. DISC. Quantum in uno anno adcreſcit de ſaltu lunari? MAG. Hora & unus punctus & decima nona pars unius puncti, ſive alio modo dicas, hora & decem momenta & dimidium momentum & nonadecima dimidii momenti, ſicut ſupra oſtendimus. DISC. Quantum in uno menſe lunari? MAG. Quinquaginta & tria momenta & quinque oſtenta. In unoquoque ergo menſe quatuor momentis & quinque oſtentis deſit quod una lunatio ad viginti novem dierum & duodecim horarum plenitudinem non perveniet. Et in dimidio lunari menſe duo momenta & duo oſtenta & dimidium oſtentum. DISC. Ubi ergo locus illius ſaltus eſt? MAG. Aliquibus ergo duodecimo Kalendarum Aprilium die videtur anno reddendus, propter originem conditionis ſyderum; ut luna menſis Martii, quae eo fit die viceſima nona, dehinc vertatur in novam. Sed ſunt qui hoc nobis in luna Novembri menſis agendum magis autument; quatenus hujuſmodi impedimentis cum praecedentis anni fine abſolutis novum de cetero annum libero poſſint computo ingredi; juxta exemplum videlicet Ægyptiorum, qui hoc penultimo anni ſui menſe, qui eſt noſter Julius, facere perhibentur. Sed ſive hic, ſive illic, ſive alibi feceris, neceſſe eſt ibidem, ni fallor, tres pariter menſes undetricenorum computare dierum.

LVII. *De decennovennale circulo.*

DISC. Decennovennalis ergo circuli rationem, qui ſaltum lunarem gignit & lunae curſum ordinat, vellem a te audire & argumento conicere. MAG. Circulum decennovennalem propter quatuordecim lunas paſchales Nicaena ſynodus inſtituit, eo quod ad eundem unaquaeque luna per novemdecim annos inerrabili curſu redeat; qui dividitur in ogdoadas & endecadas, hoc eſt in octo & undecim annos. Octo enim anni lunares totidem annos ſolares duobus tantum diebus tranſcendunt: quorum alter ad explementum occurrit endecadis, alter ratione ſaltus abſumitur. Alioquin endecas ſolaris uno die tranſcenderet lunarem. Licet quidam violenter hos dies & bis ſextis octo annorum ſupplere nitantur, cum bis ſextus ſoleat in menſe Februario ſoli ſuperfuſus & lunae futuro tempori nihil praejudicare, & ipſi nullum indecadi bis ſextum addant. Ut ergo apertius dicam, duo lunae dies qui ſuperſunt in ogdoade, duos qui deſunt in endecade complebunt.

LVIII. *Argumentum ad inveniendum quotus ſit annus circuli decennovennalis.*

Si ergo velis argumento cognoſcere quotus ſit annus circuli decennovennalis, ſume annos ab incarnatione Domini quot fuerint, & unum ſemper adice. Has partire per decem & novem. Quod remanet, ipſe eſt annus cycli decennovennalis. Si nihil remanſerit, nonus decimus eſt. Verbi gratia. Ut in praeſenti ſunt DCCCXX. His adice unum, quia in ſecundo anno circuli decennovennalis ſunt. Dominus incarnatus eſt, & fiunt DCCCXXI. Hos partire per decem & novem. Quadragies deni & noveni DCCLX. Item ter deni & noveni, quinquaginta ſeptem. Qui ſuperiori numero copulati efficiunt numerum DCCCX. & VII. Et quia quatuor anni prioris numeri remanent, quartus annus eſt circuli decennovennalis.

LVIII. *De communibus annis & emboliſmis.*

DISC. Quid de communibus annis & emboliſmis dicas expecto. MAG. Dividitur autem circulus idem in emboliſmos annoſque communes, quos Hebraeorum quoque priſcorum auctoritate conſtat obſervatos. Communes quidem annos, id eſt, CCCLIV. dierum, duodecim. Emboliſmos autem, id eſt, CCCLXXXIV. dierum continens, ſeptem. Primus namque & ſecundus annus ſunt communes, tertius emboliſmus, quartus & quintus communes, ſextus emboliſmus, ſeptimus communis, octavus emboliſmus, nonus & decimus communes, undecimus emboliſmus, duodecimus & tertiuſdecimus communes, quartuſdecimus emboliſmus, quintuſdecimus & ſextuſdecimus communes, ſeptimuſdecimus emboliſmus, octavus decimus communis, nonus decimus emboliſmus. Qui utrique, ſicut & ſupra dictam eſt, ab exordio primi menſis, quem Hebraei Niſan vocant, hoc eſt, ab accenſione lunae paſchalis, initium ſumunt. Cujus exordium menſis hac regula debet obſervari, ut nunquam luna Paſchae quarta decima vernum praecedat aequinotium, ſed vel in ipſo aequinoctio, hoc eſt, duodecimo Kalendar. Aprilium die, vel eo tranſgreſſo, legitima procedat. Emboliſmorum autem, ſicut Dionyſius ait iſta ratio probatur exiſtere, quod annorum communium videntur damna ſupplere, quatenus ad ſolare tempus lunaris exequetur excurſio. Quamvis enim ſolis annuum cyclum per ſingulos menſes luna circumeat, tamen ejus perfectionem duodecim ſuis menſibus implere non praevalet. Denique in annis communibus ad rationem ſolaris anni undecim dies lunae deeſſe cernuntur. In emboliſmis vero decem & novem diebus eundem annum videtur ſolarem luna tranſcendere. Et Hebraei quidem, qui ſolos lunares in lege noverant & obſervabant menſes, juxta naturalem lunae curſum tricenis undetriceniſque diebus communium annorum menſes duodenos explicabunt, & tertio vel ſecundo ubi decebat anno tertium decimum in fine anni menſem triginta dierum adponebant, emboliſmum. Porro Romani, qui diſpares habent menſes, non uno quolibet in loco emboliſmos computando interponere voluerunt, ſed potius ubilibet mediis anni temporibus vacuum congruumque inter Kalendas locum invenire potuiſſent. Primam igitur emboliſmorum lunam quarto Non. Decembris, ſecundam quarto Non. Septembris, tertiam pridie Non. Martij, quartam pridie Non. Decembris, quintam quarto Non. Novembris, ſextam quarto Non. Auguſti, ſeptimam tertio Non. Martias naſci dixerunt.

LX. *De ogdoade & endecade.*

DISC. Quia ogdoadis & endecadis mentionem breviter ſuperius feciſti, peto ut plenius dicas ob quam utilitatem primitus talis diviſio facta ſit. MAG. Eo quod octavo & undecimo videlicet anno luna paſchalis ſupremas ſuae nativitatis metas ſubeat, & utrumque eorum inſolito emboliſmis more unus communis praecedat annus. Vel certe quia antiquis viſum eſt octo annos ſolares totidem lunaribus annis dierum numero aequari. Quod ab eruditioribus aevo ſequentes doctoribus expertum eſt niſi annis undecim adjectis nequaquam fieri poſſe. Ad indicium ergo utriuſque obſervationis ogdoadibus eſt & endecadibus tota lunae digeſta converſio. Nam & Graeci quondam, quos & antiquiſſimi Romanorum perhibentur imitari, cum ad lunae curſum adhuc annos computarent, octo annis communibus pari ratione confectis, emboliſmos trium menſium pariter intercalabant. Si enim octies undecim & quartam partem volueris ſupputare, nonaginta dies, hoc eſt, tres menſes, efficies. Nec tamen hac ratiocinatione ad ſtatum veritatis pervenire poterant. Quod unicuique rite calculanti & ogdoadis ſeu endecadis ad purum liquebit numerum veraciter conſiderant. Igitur numerus ipſe pulſandus eſt, videndumque quod octo anni ſolares habent dies, exceptis bis ſextis, $\overline{\text{II}}$DCCCCXX. Octies trecenteni ſexageni & quini faciunt $\overline{\text{II}}$DCCCCXX. Nam lunares anni totidem vide quot habeant dies. Octies trecenteni quinquageni & quaterni faciunt $\overline{\text{II}}$DCCCXXXII. Adde nonaginta trium menſium emboliſmorum, dies fiunt $\overline{\text{II}}$DCCCCCXXII. Sed duo qui minus habentur in ogdoade ſolari duorum bis ſextorum, ſicut ſupra oſtendimus, ſperant adjectione ſuppleri. Videamus & endecadem utriuſque ſyderis, ſi forte ibi ſol bis ſextile quaerat auxilium. Utrum enim tempus neceſſe eſt una regula complectatur. Undecies trecenteni ſexageni & quini fiunt $\overline{\text{IIII}}$XV. Item undecies trecenteni quinquageni & quaterni fiunt $\overline{\text{III}}$DCCCXCIV. Adde emboliſmorum menſium dies centum viginti. Fiunt $\overline{\text{IIII}}$XIV. Tolle unum ſaltus diem, remanent tredecim. Vide igitur ſi hoc opus habeat endecas ſolis ſubſidiaris ſextili, ut additis videlicet duobus vel tribus diebus lunarem compenſare ſufficiat endecadem. Non ergo duo dies qui in ogdoade ſolis a lunari ogdoade minus ſunt, duorum intercalatione bis ſextorum, ſed duorum magis dierum, qui in endecade ejus a lunari plus ſunt, adjectione ſupplentur. Nec nocet quod ſaltum lunae, quem quidam in ogdoadis initio ponunt, in endecade ponendum memoravimus. Ubicunque enim interpoſueris, eodem propoſita quaeſtio fine ſolvetur. Et habet circulus decennovennalis menſes ſolares CCXXVIII. lunares CCX, XXV. dies, exceptis bis ſextis, $\overline{\text{III}}$DCCCCXXXV. Quod ita apparet. Nam decies novies trecenteni ſexageni & quini fiunt $\overline{\text{VI}}$DCCCCXXXV. Item decies novies trecenteni quinquageni & quaterni $\overline{\text{VI}}$DCCXXVI. Adde emboliſmos quatuor menſium, dies ducenti decem. Fiunt $\overline{\text{VI}}$DCCCCXXXVI. Subtrahe unum ſaltus lunaris diem; & uno eodemque dierum numero ſolis & lunae curſum decennovennalem cyclum includere probabis. Item ogdoas ſolis habet menſes nonaginta ſex, lunae autem nonaginta novem. Endecas vero ſolis menſes habet CXXXII. lunae autem CXXXVI. De numero dierum ſupra dictum eſt.

LXI. *De annis dominicae incarnationis,*

DISC. Quia ergo decennovennalis circuli rationem cœpiſti explanare, precor ut per ſingulos tramites ejus plenam rationem mihi reddas. Et primum quid primus verſus contineat edic. MAG. Primo decennovennalis circuli verſu temporum ordo praefigitur, quem Graeci calculatores a Diocletiani Principis annis obſervavere. Sed Dionyſius venerabilis Abbas Romanae urbis, utriuſque linguae Graecae videlicet ac Latinae non ignobili praeditus ſcientia, paſchales ſcribens circulos, noluit eis, ſicut ipſe teſtatur, memoriam impii, & perſecutoris innectere; ſed magis elegit ab incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti annorum tempora praenotare; quatenus exordium ſpei noſtrae notius nobis exiſteret, & cauſa reparationis humanae, id eſt, paſſio redemptoris noſtri, evidentius eluceret. Qui in primo ſuo circulo quingenteſimum triceſimum ſecundum dominicae incarnationis annum in capite ponendo manifeſte docuit ſecundum ſui circuli annum ipſum eſſe quo ejuſdem ſacroſanctae incarnationis myſterium cœpit. DISC. Ipſius ergo curriculi quae fuit cauſa componendi? MAG. Propter ſolis lunaeque conventionem. Quia enim lunaris circulus decennovennalis eſt, ſolaris autem viginti & octo conficitur annis, multiplicatis per ſe invicem ambobus, ſumma quingentorum triginta & duorum colligitur annorum. Qua tandem replicata, totus ſolaris lunariſque recurſus ordo in ſe ſua per veſtigia revolvitur, eundem decennovennalis lunariſque cycli annum eaſdem epactas lunae, ſolis quoque dies concurrentes, eandem quartam decimam lunam, eundem dominici paſchae diem, ac lunam ipſius ex ordine reſtituens. Quod ergo ſecundo anno circuli, quem

quem primum Dionyſius ſcripſit quingenteſimus triceſimus tertius ab incarnatione Domini completus eſt annus, ſeries annorum Domini manifeſtat. Ipſe eſt nimirum, juxta concurſus ſyderum, ille in quo carnari dignatus eſt. Quia hic ſecundus annus decennovalis octavus decimus eſt cycli lunaris, undecim habens epactas, quinque concurrentes ſeptimanae dies, lunam quartam decimam, VIII. Kalend. Aprilis. Omnia tunc fuere ſimillima. Et ſi eſſet qui tunc Paſcha more nunc Eccleſiis uſitato die dominico faceret, ipſa nimirum dies, quomodo hic notatum eſt, ſexto Kal. Aprilis veniret, ac lunam haberet quartam decimam. Denique Dionyſius ipſe nobis quodam modo tacite quae dicimus in paſchalibus quae ſcripſit argumentis oſtendit; ubi ad inveniendum quotus ſit annus circuli decennovennalis, ſumere annos Domini, & priuſquam hos per decem & novem partiamur, unum praecepit adicere, ſignificans illo incarnato unum circuli decennovennalis annum jam fuiſſe completum. DISC. Quot ſunt anni ab incarnatione Domini in praeſenti ediſſere. MAG. Octingenti viginti.

LXII. *Argumentum ad inveniendum annos Domini.*

DISC. Proba ergo argumento quod dicis. MAG. Si vis ſcire quot ſunt anni ab incarnatione Domini, quaere per circulos Indictionem, qui poſt incarnationem ejus completi ſunt. Computa ergo quinquagies & ter quindecim, fiunt DCCXCV. Adde duodecim regulares. Quia quando incarnatio Domini facta eſt, duodecim anni de illo circulo Indictionum in quo Dominus carnatus eſt remanſerunt. Duodecim ergo additis ad praedictum numerum, fiunt nongenti & ſeptem. Adde Indictionem quamcumque volueris, ut puta praeſentis anni tertiam decimam Indictionem, fiunt DCCCXX. Iſte eſt numerus annorum Domini anno praeſenti. Cum autem ad plenitudinem circuli, id eſt, ad quintamdecimam Indictionem, perveneris, unum ſemper adicere memento, quia per circulos Indictionem quaeris, & ſic annos Domini ſine ullo errore reperies.

LXIII. *Quot ſint anni à paſſione Domini.*

DISC. Quot ſunt anni a Paſſione Domini? MAG. Septingenti octuaginta ſeptem. Habet enim, ni fallor, Eccleſiae fides Dominum in carne paulo plus quam triginta tres annos uſque ad ſuae tempora paſſionis vixiſſe: quia videlicet triginta annorum fuerit baptizatus, ſicut evangeliſta Lucas teſtatur, & tres ſemis annos poſt baptiſma praedicaverit; ſicut non ſolum in evangelio ſuo Ioannes commemorato redeuntis Paſchae tempore, ſed & in apocalypſi ſuo, Daniel quoque in ſuis viſionibus prophetice deſignat. Quoniam igitur, ut ſupra memoravimus, quingentis triginta duobus annis circulus paſchalis circumagitur, his adde triginta tres, vel potius triginta quatuor, ut illum ipſum quo paſſus eſt Dominus attingere poſſis annum, fiunt quingenti ſexaginta ſex. Ipſe eſt ergo annus dominicae paſſionis & reſurrectionis a mortuis. Quia ſicut quingenteſimus triceſimus tertius primo, ita quingenteſimus ſexageſimus ſextus triceſimo quarto per univerſos ſolis & lunae concordat diſcurſus.

LXIV. *Ubi paſſio Domini primum celebrata ſit.*

DISC. Quo menſe & qua die menſis creditur crucifixus, & ubi reſurrectio ejus primum celebrata eſt? MAG. Hoc autem diverſe a patribus nuntiatum eſt. Nam quod octavo Kalendarum Aprilium die reſurrexeris, multorum late doctorum eccleſiaſticorum conſtat ſententia vulgatum, ut beatus Hieronymus in martyrologio teſtatur dicens. VIII. *Kal. Aprilis Hieroſolyma Dominus crucifixus eſt*. Et VI. Kal. Aprilis: *Hieroſolyma reſurrectio Domini noſtri Ieſu Chriſti celebrata eſt*. Auguſtinus quoque in libro de ſancta trinitate quarto ita dicit: *Octavo enim Kal. Aprilis conceptus creditur, quo & paſſus. Ita monumento novo quo ſepultus eſt, ubi nullus erat poſitus mortuorum, nec ante nec poſtea, congruit uterus virginis, ubi nullus ſeminatus eſt mortalium*. At contra Theophilus Caeſarienſis, antiquus videlicet vicinuſque apoſtolicorum temporum doctor, in epiſtola ſynodica quam adverſus eos qui quartadecima luna cum Iudaeis Paſcha celebrabant, una cum ceteris Palaeſtinae Epiſcopis ſcripſit, ita dicit: *Et impium non eſt ut paſſio dominica tantum ſacramenti myſterium foras limitem excludatur. Paſſus namque Dominus ab undecimo Kal. Aprilis, qua nocte Iudaeis eſt traditus, & ab octavo Kal. Aprilis reſurrexit. Quomodo tres dies foras terminum excludentur?* Conſtitutumque eſt in illa ſynodo ut ab undecimo Kal. April. uſque in undecimum Kal. Maij Paſcha debeat obſervari. Et in eodem libro ſuperius ſcriptum eſt: *Nam Galli, quacumque die octavo Kal. Aprilis fuiſſet quando Chriſti reſurrectio fuiſſe tradebatur, Paſcha ſemper celebrabant*. Et ideo circulis beati Dionyſii apertis, ſi quingenteſimum ſexageſimum ſextum ab incarnatione Domini contingens annum, quartam decimam lunam in eo, octavo Kal. Aprilis, quinta feria, reperceris, & diem Paſchae dominicum ſexto Kal. Aprilis, luna ſeptima decima. Age Deo gratias quia quod quaerebas, ſicut ipſe promiſit, te invenire donavit. Nam quod Dominus quintadecima Luna feria ſexta crucem aſcenderit, & una ſabbatorum, id eſt, die dominica, reſurrexerit a mortuis, nulli licet dubitare catholico, ne legi, quae agnum paſchalem quartadecima die primi menſis ad veſperam immolari praecepit, pariter & evangelio, quod Dominum eadem veſpera tentum Iudaeis, & mane ſexta feria crucifixum, ac ſepultum prima ſabbati reſurrexiſſe perhibet, videatur incredulus. Sin vero annum qualem quaerebas in loco quem putabas invenire non poteris, vel Chronographorum incuriae, vel tuae potius tarditati culpam adſcribe, tantum diligentiſſime cavens ne Chronicorum ſcripta defenſando, intemerabile legis vel evangelii teſtimonium videaris impugnare.

LXV. *Numerus annorum ab initio mundi uſque in adventum Domini.*

DISC. Quot ſunt anni ab Initio mundi uſque in adventum Chriſti? MAG. Secundum Hebraïcam veritatem anni $\overline{\text{III}}$ DCCCCLVII. ſecundum vero ſeptuaginta interpretes anni $\overline{\text{V}}$ CXCIX. Colliguntur autem omnes anni a creatione primi hominis uſque in ſeptimum annum Hludovici Imperatoris, ſecundum Hebraicam veritatem, $\overline{\text{III}}$ DCCLXXVII. ſecundum ſeptuaginta VI decem & novem.

LXVI. *De Indictionibus.*

DISC. Quid in ſecundo tramite circuli decennovennalis continetur? MAG. Indictiones quindecim annorum circuim in ſua ſemper veſtigia reduces. DISC. Unde vero hae primum Indictiones, & propter quid ordinatae ſunt? MAG. Antiqua ergo Romanorum induſtria comperimus eas ad cavendum errorem qui de temporibus forte oboriri poterat inſtitutas. Dum enim, verbi gratia, quilibet Imperator medio anni tempore vita vel regno decederet, poterat evenire ut eundem annum unus hiſtoricus ejuſdem Regis adſcriberet temporibus, eo quod ejus partem regnaret, alter vero hiſtoricus ejuſdem ſucceſſori illius potius ad titulandum putaret, eo quod & hic partem aeque ejus haberet in regno. Verum ne per hujuſmodi diſſonantiam error temporibus inoleſceret, ſtatuerunt Indictiones, quibus uterque ſcriptor, immo etiam vulgus omne, temporum curſum facillime conſervaret; quas pro facilitate quoque calculandi quindecim eſſe voluerunt, ut planiſſimo numero & ad multiplicandum promptiſſimo compendioſius tractati temporis ſtatus in memoriam poſſit re-

reduci. Quidam autem putant quia quondam in republica, propter cenſum quinto anno peractum, urbs Roma luſtrabatur, ad indiculum ternæ luſtrationis & cenſus Indictiones eſſe conditas. Incipiunt autem Indictiones ab octavo Kal. Octobris, ibidemque terminantur.

LXVII. *Argumentum de Indictionibus.*

DISC. Argumentum autem ad inveniendas ipſas Indictiones volo ut mihi componas. MAG. Si autem velis argumento cognoſcere quota ſit Indictio, ſume annos Domini quotcunque fuerint, ut puta in præſenti DCCCXX. Adde regulares tres: quia quando incarnatio Domini facta eſt, tres anni de illo circulo Indictionum qui tunc ſuit præceſſerunt. Quibus additis ad priorem numerum, ſiunt ſimul anni DCCCXXIII. Hos divide per quindecim. Quinquies & quater quindeni faciunt DCCCX. & remanent tredecim. Tertia decima eſt Indictio anno præſente.

LXVIII. *De epactis lunaribus.*

DISC. De epactis ergo lunaribus jam nunc reor tempus adeſt ut dicas. MAG. Eſt utique, quia tertia præfari circuli linea continet epactas lunares, quæ ad curſum ſolis annuatim undenis diebus accreſcere ſolent. Inde quippe epactæ Græco vocabulo, id eſt, adjectiones, ſunt dictæ, quod per annos ſingulos undecim dierum, ut diximus, accumulentur augmento: vel certe quia ad inveniendas quotæ ſunt lunæ Kalendarum duodecim per totum adiciuntur annum. Et quidem per totum anni vertentis orbem ſuas quæque dies habet adjectiones lunares undecim. Nam, verbi gratia, ſi hodie, cum ſcribo, in undecimo Kal. Auguſti ſeptima eſt luna, poſt annum in ipſis Kalendis octava decima eſt, poſt duos annos vicesima nona. Nec eadem huc quæ nunc eſt prius quam decem & novem annorum peracto circulo redit. Sed proprie quæ in circulo decennali annotatae ſunt epactae lunam quota ſit in undecimo Kal. Aprilis, ubi paſchalis eſt feſti principium, ſignant. Hanc praefixam ſuccurſus regulam ſemper obſervantes, ut quoties minorem ſexto decimo numerum habent, paſchalem lunam praeferant, quoties autem majorem, in ſequentem lunam Paſcha, quaerendum demonſtrent. Quia nimirum lunae paſchalis plenitudo non aequinoctium praeire, ſed, ſicut in principio creaturarum ordinatum aſt, ſequi potius debet.

LXIX. *Argumentum de epactis.*

DISC. Argumentum de eiſdem epactis inveniendis dicito MAG. Si vis cognoſcere quotae epactae ſint, ſume annos Domini quot fuerint, ut puta in praeſentis anni quarta decima Indictione DCCCXX. Partire per decem & novem. Quadragies & ter deni & noveni faciunt DCCC & VII. & remanent tres. Illud item per undecim multiplica, quia in denario numero epactæ creſcunt. Fiunt triginta tres. Tolle triginta & remanent tres. Tres epactae ſunt anno praeſente. Quando aequam diviſionem annorum Domini numerus recipit, nullae ſunt epactae,

LXX. *De regulis lunaribus.*

DISC. Illi ergo numeri qui per ſingulos menſes epactis lunaribus aſſociantur, unde originem ſumpſerunt? MAG. Ex conſideratione lunae, quae eo anno quo nullae epactae ſunt aliquam in Kalendis menſium neceſſe aſt habeat aetatem. Primo ergo decennovennalis circuli anno, in quo nullae ſunt epactae, in Kal. Ianuarii non eſt luna, in Kal. Februarii decima, in Kal. Martii nona, in Kal. Aprilis decima, in Kal. Maij undecima, in Kal. Iunias duodecima, in Kal. Iul. tertiadecima, in Kal. Auguſti quartadecima, in Kal. Septembris ſextadecima, in Kal. Octobris ſexta decima, in Kal. Novembris octavadecima, in Kal. Decembris octavadecima. Hos tibi numeros pro regularibus ſingulorum menſium ſume. Quibus annuas addens epactas, lunam quota ſit per Kalendas quaſque ſine errore reperies. Si enim vis ſcire quota eſt luna in Kal. Ianuarii anno ſecundo circuli decennovennalis, tene novem regulares. Adde epactas undecim. Fiunt viginti. Vicesima eſt luna. Si vis ſcire quota eſt luna in Kal. Iun. anno tertio, tene regulares duodecim. Adde epactas anni illius viginti duas. Fiunt triginta quatuor. Tolle triginta. Remanent quatuor. Quarta eſt luna in Kalendas memoratas. DISC. Numquid haec regula argumenti fixa manet per totum circulum decennovennalem? MAG. Manet, praeter annos tres, in quibus idem argumentum ſtabilitatem ſui tenoris conſervare nequeat, octavus videlicet, undecimus, & nonus decimus, cui cauſam mutandi varia facit ac diſperſa per annum embolismorum inſertio. Siquidem anno octavo luna Kalendarum Maiarum, juxta rationem quidem argumenti, vicesima octava computatur. Sed propter emboliſmum, qui in Martio menſe inſeritur, vicesima ſeptima probatur exiſtere. Item in Kal. Iul. juxta argumentum tricesima potuit fiari luna. Sed propter adjectionem diei quem ſuperfluitas emboliſmi abſtulerat, fit vicesima nona. Item anno undecimo, quia luna emboliſmi pridie Nonas Decembris accenditur, facit lunam in Kal. Mart. vicesimam eſſe & octavam, cum hanc ratio argumenti vicesimam nonam tunc exiſtere doceat. Item anno decimo nono, quia luna emboliſmi tertio die Nonarum Martiarum incipit, cogit lunam in Kal. Maii vicesimam octavam computari, cum vicesima nona ſecundum argumenti calculationem canatur. Notandum autem quod hoc argumentum a Septembrio quidam incipiant, ponentes eidem Septembrio regulares quinque, Octobrio V. Novembrio VII. Decembrio VII. &c. ut ſupra nos poſuimus. Quod ob auctoritatem Ægyptiorum rationabiliter prorſus agunt; ut a quibus origo computandi ſumpta aſt horum quoque in computando anni principium imitentur. Verum aliis aptius multo & expeditius videtur ut computationis, quantum non neceſſitas rationis obſiſtit, a principio anni ſui, etiam apud Romanos incipiat & uſque ad terminum anni rato atque intemerato ordine procurrat,

LXXI. *De concurrentibus, id eſt, epactis ſolaribus,*

DISC. De epactis ſolaribus ordo depoſcit ut dicas, quia de lunaribus jam dixiſti. MAG. Quarto igitur decennovennalis circuli tramite ſignantur epactae ſolis, id eſt, concurrentes ſeptimanae dies, unius ſemper ternos per annos, duorum autem per annum bis ſextilem uſque ad ſeptimum numerum adjectione creſcentes; quarum circulus habet annos quater ſeptenos, id eſt, viginti octo. Quia nimirum non ante poteſt conſummari quam bis ſextus, qui quarto redire ſolet anno, cunctos ſeptimanae dies contingat, dominicam videlicet, ſextam feriam, quartam feriam, ſecundam feriam, ſabbatum, quintam feriam, tertiam feriam. Hoc etenim illos ordine percurrit. Cujus circuli talis eſt curſus ut quaecunque bis ſexti anno ſunt concurrentes, ipſae & ante quinquennium fuerint, & poſt ſex annos futurae ſint quæ primo poſt bis ſextum anno ſunt eadem & ante annos undecim tranſierint, & poſt ſex redeant quae ſecundo poſt bis ſextum eadem & ante annos ſeptem erint & poſt undecim remeant. Quae tertio poſt bis ſextum, ipſae & ante ſex annos praeterierint, & poſt quinque revertantur. Et hujus ordo diſcretionis cunctos annorum vertentium complectitur dies. DISC. Numquid hic circulus epactarum ſolis decennovennales circulos aliquo modo ordinat? MAG. Etiam. Nam hujus gyri ſolaris, qui viginti octo annis peragitur, cauſa facit decennovennales circulos viginti octo debere compleri priuſquam idem per omnia paſchalis obſervantiae curſus in ſe ipſum redeat, ut omnis nimirum hujus circuli annus caput circuli decen-

Digitized by Google

cennovennalis inſtituat, itemque annus quiſque circuli decennovennalis hujus caput adſequatur, ac per hoc tota paſchalis obſervantiae ſeries non minus quingentis triginta duobus explicetur.

LXXII. *Argumentum de epactis ſolaribus.*

DISC. Si aliquod ſit argumentum de epactis ſolaribus, peto ut proferas. MAG. Si vis conicere argumento quot ſint adjectiones ſolis, id eſt, concurrentes ſeptimanae dies, ſume annos ab Incarnatione Domini quot fuerint, ut puta in praeſenti DCCCXX. per Indictionem tertiam decimam, & annorum qui fuerint quartam partem ſemper adice, id eſt, nunc ducentos quinque, quia quarto anno ſemper bis ſextus adici ſolet. Nec aliter diviſio per ſeptenarium rata erit, niſi bis ſextilis dies adiciantur. His ergo additis, fiunt ſimul mille viginti quinque. His item adde quatuor, quia quatuor concurrentes fuerunt eo anno quando incarnatio Domini facta eſt. Fiunt mille viginti novem. Divide hunc numerum totum per ſepties centies. Ergo ſepteni ſunt ſeptingenti. Item quadragies ſepteni CCLXXX. & ſepties ſepteni XLIX. Iunge ergo hos numeros, id eſt DCC. & CCLXXX. ac XLIX. Fiunt MXXIX. Et quia nihil remanet, ſeptem ſunt concurrentes. Quando autem aliquid remanſerit, ipſo numero oſtendet quot ſint ejuſdem anni concurrentes. DISC. Vnde ergo concurrentes iſtae naſcuntur? MAG. Ex uno ergo qui in anno ſolari ſuper quinquaginta & duas hebdomadas remanet. Quia annus ſolis eadem die qua incipit, eadem finitur, niſi bis ſextus eveniat. Si autem bis ſextilis annus erit, ſecundo die finitur. Verbi gratia. Praeſens annus primam diem habuit dominicam. Et quia bis ſextus intervenit, noviſſimam diem habebit ſecundam feriam.

LXXIII. *De regulis ſolaribus.*

DISC. Regulares igitur qui dicuntur ad epactas ſolis adjecti, unde naſcuntur? MAG. Ex numero videlicet illo qui ultra ſeptenarium excedit. Nam Januarius habet regulares duos, Februarius quinque, Martius quinque, Aprilis unum, Majus tres, Junius ſex, Julius unum, Auguſtus quatuor, September ſeptem, October duos, November quinque, December ſeptem. Regulares namque iſti hoc ſpecialiter indicant, quota ſit feria per Kalendas ſingulorum menſium eo anno quo ſeptem concurrentes adſcripti ſunt dies. Ceteris vero annis addis concurrentes, quotquot in praeſenti fuerint adnotati, ad regulares menſium ſingulorum. Et ita diem Kalendarum ſine errore ſemper invenies. Hoc tantum memor eſto, ut cum imminente anno bis ſextili unus concurrentium intermittendus eſt dies, eo tamen numero quem intermiſſurus es Januario Februarioque utaris, at in Kalendis primum Martiis per illum qui circulo continetur ſolis computare incipias. Cum ergo diem Kalendarum verbi gratia Januariarum quaerere vis, dicis. Januarius duos. Adde concurrentes ſeptimanae dies qui fuerint anno, quo computas, ut puta tres. Fiunt quinque. Quinta feria intrant Kalendae Januariae. Item anno qui ſex habet concurrentes, ſume quinque regulares menſis Martii. Adde concurrentes ſex. Fiunt undecim. Tolle ſeptem. Remanent quatuor. Quarta feria ſunt Kalendae Martiae.

LXXIV. *Argumentum de ſolis & lunae curſu per dies anni.*

DISC. Numquid aliud argumentum de epactis ſolaribus extat? MAG. Illud utique pro argumento ponunt quod quota fuerat feria in nono Kal. Aprilis, tot concurrentes erunt per ſingulos annos. Sed eſt vetus argumentum, non modo de Kalendarum, verum & de quorumlibet inter Kalendas dierum luna vel feria dinoſcenda repertum, aliquando quidem gravius ad diſcendum, ſed majorum nobis auctoritate contraditum. Si ergo vis ſcire hoc vel illo die quota ſit luna, computa dies a principio menſis Januarii uſque in diem de quo inquiris. Et cum ſcieris, adde etiam lunae quae fuerit in Kalendis Januariis. Partire omnia per quinquaginta novem. Et ſi amplius triginta remanſerint, tolle triginta; & quod ſuper eſt, ipſa eſt luna diei quem quaeris. Item ſi vis ſcire hoc vel illo die quota ſit feria, computa dies a Kalendis Januariis uſque in diem de quo inquiris. Et cum noveris, adde feriam quae fuit die Kalendarum Januariarum. Et ſi bis ſextilis annus eſt, etiam bis ſexti diem, poſtquam tranſierit, augmentare memento. Partire omnia per ſeptem, & quod remanet, diem tibi ſeptimanae quae ſit, ubicunque quaeris, oſtendit. Quod ita ſolum ſine labore currit argumentum, ſi numerum menſium ſingulorum per Kalendas, Nonas, & Idus memoriter decantare conſueſcas ita. Ianuarius in Kalendis CCCLXVI. in Nonas VI. in Idus XIII. Februarius in Kalendis XXXII. in Nonas XXXVI. in Idus XLIV. Martius in Kalendis LX. in Nonas LXVI. in Idus LXXIV. Aprilis in Kalendis XCI. in Non. XCV. in Idus CIII. Maius in Kalendis CXXI. in Non. CXXVI. in Idus CXXV. Iunius in Kalendis CLII. in Non. CLIII. in Idus CLXIV. Iulius in Kalendis CLXXXII. in Non. CLXXXVIII. in Idus CXCIII. Auguſtus in Kalendis CCXIII. in Nonas CCXVII. in Idus CCXXV. September in Kalendis CCXLIV. in Non. CCXLVIII. in Idus CCLVI. October in Kalendis CCXLIV. in Non. CCLXXX. in Idus CCLXXXVIII. November in Kalendis CCCV. in Non. CCCIX. in Idus CCC. & VII. December in Kalendis CCCXXXV. in Non. CCCXXXIX. in Idus CCCXLVII. Si ergo vis ſcire, verbi gratia, anno praeſente, quota eſt luna in Kalendis Auguſti, dicito. Auguſtus in Kalendis CCXIII. Adde diem bis ſextilem, quia bis ſextus hoc anno fuit. Adde & lunam tertiam decimam, quae fuit in Kalendis Ianuarii. Fiunt CCXXVII. Subtrahe unum, quia diem Kalendarum Iannariarum bis adnumeraſti in principio dierum anni & in luminatione menſis Ianuarii. Fiunt CCXXV. Partire per LIX. Ter LIX. CLXXVII. Et remanent XLVIII. Recide XX. & remanent X. & VIII. Tolle bis ſextilem, quem in luna Februarii menſis addidiſti, & reſtant decem & ſeptem. Septima decima eſt luna anno praeſenti in Kalendis Auguſti. Item ſi vis ſcire quota ſit feria in ipſis Kalendis, dicito. Auguſtus in Kalendis, CCXIII. Subtrahe unum, & adde feriam quae fuit in Kalendis Ianuarii, id eſt, primam. Adde & diem bis ſextilem. Fiunt item CCXIV. Partire omnia per ſeptem. Tricies ſepteni CCX. & remanent quatuor. Quarta feria eſt in Kal. Auguſtas.

LXXV. *Item argumentum per dies menſis de eadem re.*

Adiciunt & aliud argumentum per dies menſis ſecundum ſolem & ſecundum lunam ita. Si vis ſcire quota ſit feria, de quocunque die inquirere volueris, accipe dies ipſius menſis praeteritos, & unum ſemper ſubtrahe. Adde & numerum quota fuerit feria in Kalendis ipſius menſis. Partire omnia per ſeptem, & quot remanſerint, tota feria erit illius diei de quo inquiris, & luna ſimiliter. Si vis ſcire quota luna eſt in unaquaque die praeſenti. Collige ſimul epactas quae fuerunt in Kalendis menſis cujuſcunque volueris & dies menſis illius uſque in praeſentem quamlibet diem. Dimitte ſemper unum, hoc eſt, illum diem Kalendarum, quia illum computaſti cum epactis, ne iterum debeas computare cum diebus menſis. Et ſi ille menſis triceſimam lunam debet habere, dimitte triginta. Aut ſi viceſimam nonam lunam ſolet habere, dimitte viginti novem. Quotus numerus remanſerit, tota erit epacta in illa die. Si autem illum numerum epactarum, quae currunt in Kalendis menſium & dierum, menſium numerus ſimul non pervenerit ad triginta vel viginti novem, quotus numerus fuerit, tota erit luna praeſens.

LXXVI.

Digitized by Google

LXXVI. *De reditu & computo articulari utrarumque epactarum ſolis & lunae.*

DISC. Quia de epactis ſolis & lunae non parum jam dixiſti, ſupereſt ut quomodo articulari digitorum computo conveniant dicas. MAG. Quidam autem, ob compendium calculandi, utrinſque ſyderis ordinem circuli & ſolaris videlicet & lunaris transferunt in articulos. Nam quia manus humana articulos habet adjunctis unguibus decem & novem, ſingulis his ſingulos aptantes annos, lunarem curſum in laeva manu intrinſecus a radice pollicis incipiunt, & in ungue minoris digiti intrinſecus eundem conſummant. Item quia manus binae articulos, exceptis unguibus, habent viginti octo, his ſingulos annos ſingulis aptant, inchoantes a minimo laevae digito, & in dextrae pollice complentes, non ut in lunari cyclo ſingulos ex ordine digitos expedientes, ſed ob rationem quadrantis per quaternos tranſverſum digitos quadriennium omne ſignantes, ita ut minimorum bis terni articuli digitorum totidem bis ſextiles contineant annos, item proximorum a minimis bis terni articuli digitorum proximos ab his ternis bis ſextis annos totidem expliceant, ſecundi ſimiliter ſecundos & tertii digiti tertios totidem annos aequa ratione complectantur, porro ſeptimus bis ſextilis cum tribus ſe ſequentibus annis bis binos ſibi pollicum vindicet articulos. Haec ſive hoc ſive alio quiſque ſibi calculator ordinare voluerit modo, nihilominus circulum utriuſque ſyderis libenter capient manus. Sed innumera hujus diſciplinae, ſicut & ceterarum artium, melius vivae vocis alloquio quam ſtili ſignantis traduntur officio.

LXXVII. *De cyclo lunari.*

DISC. Cycli lunaris volo & inhianter cupio a te rationem audire. MAG. Cyclus ergo lunaris quinta regione circuli decennovennalis includitur, a quarto ejus incipiens, & tertio completur in anno; qui proprie Romanorum eſt, & ad menſem Ianuarium pertinens. Nam ſicut annus quiſque decennovennalis circuli propter legalem Hebraeorum obſervationem a paſchali menſe inchoat, ibidemque finitur, ita & hic Romanorum inſtitutione a luna Ianuarii menſis inchoat, atque ibi definit. Sicut ille, ſic & iſte, primum & ſecundum communes annos, tertium habet emboliſmum, quartum & quintum communes, ſextum emboliſmum, ſeptimum communem, octavum emboliſmum. Hendecas quoque cycli lunaris, inſtar decennovennalis circuli, ſeptem annos communes & quatuor emboliſmos continet. Et habent communes anni menſes lunares duodecim, id eſt, dies trecentos quinquaginta quatuor, emboliſmi autem menſes tredecim, dies videlicet trecentos octuaginta quatuor praeter unum dumtaxat ſeptimum decimum cycli hujus annum, qui eſt decennovennalis primus, in qua unus dies ratione ſaltus lunaris intercipitur. Notandum autem quod primus cycli lunaris annus ideo in quarto decennovennalis circuli anno incipit, quia primam habet tunc lunam in Kalendis Ianuariis. Et ſic per diverſa loca ceteris annis inchoans, tandem poſt decem & novem annos ad eundem locum revertitur.

LXXVIII. *Argumentum lunaris cycli.*

DISC. Argumentum ejuſdem cycli exprime. MAG. Si vis noſſe cyclus lunae quantum annum agat, ſume annos Domini, ut puta DCCCXX. His ſubtrahe duo; quia quando Dominus incarnatus eſt, duo anni de cyclo lunari remanſerint. Subtractis ergo duobus, remanent octingenti decem & octo. Hos partire per decem & novem. Quadragies deni & noveni DCCLX. Item ter deni & noveni LVI. Qui ſuperioribus juncti faciunt DCCC. & XVII. & remanet unus. Primus annus eſt cycli lunaris. Quoties autem nihil remanſerit, nonus decimus eſt annus.

LXXIX. *Argumentum quota ſit luna in Kalendis Ianuariis.*

Si vero velis noſſe quota fuerit luna Kalendarum Ianuariarum, verbi gratia, anno praeſenti decennovennali quarto, lunari primo, ſume cyclum lunae primum, multiplica per undecim. Undecies unus fiunt undecim. Adde unum regularem, hoc eſt, diem Kalendarum Ianuariarum. Fiunt duodecim. Duodecima luna fuit in Kalendis Ianuariis. Item ſi velis noſſe anno lunari quinto quota ſit luna in Kalendis Ianuariis, multiplicata quinque per undecim. Fiunt quinquaginta quinque. Adde unum ſemper regularem. Fiunt quinquaginta ſex. Partire per triginta. Remanent viginti ſex. Viceſima ſexta eſt luna in Kalendis Ianuariis anno quinto cycli lunaris. Item ſume ſeptem. Multiplica per undecim. Fiunt octoginta octo. Adde unum regularem, & partire per triginta. Remanent viginti novem. Viceſima nona eſt luna in Kalendis ſupra ſcriptis anno cycli lunaris octavo. Tantum memor eſto decimo ſeptimo, octavo decimo, & decimo nono, cycli memorati anno, non unum, ut in reliquis, ſed duos adjicere regulares. Et lunam Kalendarum Ianuariarum ſine errore reperies.

LXXX. *De quartadecima luna paſchali.*

DISC. Nunc jam, ni fallor, locus expetit & ordo ut de quarta decima luna paſchae dicas, quae noſtrum Paſcha demonſtrat. MAG. Igitur ita eſt ut aſſeris. Sextus ſaepedicti circuli locus amplectitur lunas quartas decimas primi menſis, quibus veteres ſecundum legem Moyſi Paſcha celebrabant; ipſaeque Paſchae Domini diem ſingulis annis abſque omni ambiguitate demonſtrant Chriſtianis. Namque poſt quartam decimam lunam dominica dies occurrit, ipſa eſt paſchalis dominicae reſurrectionis, dies. Quae quidem quartadecima luna primum in aequinoctio, id eſt, in duodecima Kalendarum Aprilium, ultimum viceſimo anno ab hinc die, id eſt, quartadecima Kalendarum Majarum, ſuum veſpere proceſſu in terris oſtendit. Quibus terminis per annos denos & novenos legali tempore paſchalis obſervantiae diſcurſus conſtat eſſe comprehenſus. Et ſi fieri poſſit ut eadem omnibus annis ſabbati die luna quartadecima contigiſſet, nihil noſtrae paſchalis obſervantiae tempus a legali diſcreparet. Nam & ipſi juxta legis edicta ſemper quartadecima luna primi menſis ad veſperam immolantes & comedentes agni immolati carnem, ſanguinemque illius ad repellendum exterminatorem noſtris poſtibus aſpergentes, id eſt, baptiſmi & paſchalium celebrantes ſolemnia Miſſarum, ſpiritalem ſuperaremus Ægyptum, atque illuceſcente mane in luna quintadecima menſis ejuſdem primum azymorum diem intraremus, ſeptemque dies ejuſdem celebritatis legitimos a mane quinti decimi diei uſque in veſperam viceſimi primi menſis ipſius, id eſt, a dominico Paſchae uſque in dominicum octavum paſchae debita veneratione compleremus. Sed quoniam lunae dies eadem diverſas ſeptimanae devolvitur in ferias, id eſt, ut qui propter reſurrectionem noſtri redemptoris in dominicum diem Paſchae initium reſervare docemur, aliquoties noſtra feſtivitas ſeptimo poſt legalium azymorum exordium die ſumat ingreſſum. Non tamen unquam contingat ut non noſtra ſolemnitas paſchalis aliquem legalium Paſchae dierum, ſaepe autem omnis intra ſe complectatur.

LXXXI. *Argumentum de eadem luna quartadecima.*

DISC. Cum quartaedecimae lunae rationem dares, expecto quod argumentis eam comprobes atque confirmes. MAG. Denique multiplicia inde extant argumenta. Sed primum oportet calculatorem quemque

que peritum quartas decimas lunas primi menſis, ſicut & epactas lunae annuas, retinere memoriter. Sed & ſi quis has quoque argumento invenire deſiderat, videat quot ſint epactae lunares anni cujuſcunque computare voluerit. Et ſi quidem quatuordecim vel quindecim ſunt, undecima Kalendarum Aprilium vel duodecima Kalendarum earumdem die quartam decimam lunam venire cognoſcat. Quia nimirum undecimo Kalendarum ſupra ſcriptarum, ſicut ſaepe dictum eſt, proprius eſt omnium locus epactarum. Sin autem pauciores ſunt epactae, dimittat eas creſcere per dies uſque dum quartum decimum impleant numerum; & ibi ſe lunam Paſchae quartam decimam habere non dubitet. Porro plures quindenario numero ſi habuerit epactas, & has uſque ad triceſimum numerum, id eſt, ipſius terminum menſis, per dies creſcere ſinat. Et ſic a nova luna inchoans, atque uſque ad quartam decimam ex ordine percurrens, diem votis paſchalibus aptum rite reperiet. Sed & hoc notandum, quia quarta decima luna, ſi communis eſt annus, undecim diebus prius, ſi vero emboliſmus, decem & novem diebus tardius quam praecedente anno tranſierat ſemper redire conſuevit. excepto uno duntaxat primo circuli decennovenualis anno, in quo, propter rationem ſaltus lunaris, duodecim diebus annotinum curſum percurrere ſolet. Quaerenda eſt igitur nativitas lunae quartaedecimae ab octavo Iduum Martiarum uſque in Nonas Aprilis, quae primi menſis novorum initium oſtendit. A duodecimo vero Kal. Aprilis uſque quartum decimum Kal. Maji, in quacunque quarta decima luna occurrerit, ipſa ad celebrationem ſancti Paſchae perducet.

LXXXII. *Item aliud argumentum.*

Eſt etiam alia ratio qualiter terminus paſchalis inveniri poſſit. Martius habet regulares triginta ſex, Aprilis triginta quinque. Si vis invenire terminum in Martio aut Aprile, ſubtrahe de ipſis regularibus in quo menſe e duobus computare vis epactam quae eodem anno currit; & ſi plus triginta habueris, tolle etiam triginta; & quanti ſuperfuerint, totidem dies infra ipſum menſem habebis terminum. Verbi gratia. Anno praeſenti terminus paſchalis fuit quarto Non. Aprilis. Menſis Aprilis habet regulares triginta quinque. Tolle ex his epactam quae hoc anno eſt, id eſt, tres & remanent triginta duo. Recide triginta, & reſtant duo. Secunda die menſis Aprilis fuit terminus paſchalis. Item anno futuro, quando terminus paſchalis erit XI. Kal. Aprilis, ita argumento conicies illum. Martius habet regulares triginta ſex. Aufer ab eis epactam ipſius anni, hoc eſt, quatuordecim. Remanent viginti duo. Viceſima die ſecunda menſis Martii erit terminus paſchalis anno futuro. Si autem feriam argumento comprehendere velis in qua terminus paſchalis conſtet, ſume regulares ipſorum menſium ad hoc diſpoſitos, & ſic ſine errore illud reperies. Quia Martius habet regulares quatuor, Aprilis vero ſeptem, tene, conjunge illos ad numerum dierum menſis illius de quo inquiris, quos habet uſque ad terminum paſchalem. Iunge & concurrentes ſimul. Partire omnia per ſeptenarium numerum. Et quot remanſerit, talis feria erit. Si autem nihil remanſerit, ſabbatum eſt. Verbi gratia. Anno praeſenti tene duos dies menſis Aprilis. Iunge regulares ſeptem ipſius menſis & concurrentem ſeptimum praeſentis anni. Fiunt ſexdecim. Divide omnia per ſeptem. Bis ſeptem, quatuordecim, & remanent duo. Secunda feria fuit anno hoc terminus paſchalis. Item anno proxime futuro tene viginti duos dies menſis Martij qui ſunt uſque ad terminum paſchalem. Adde & regulares quatuor & concurrentem unum qui in ipſo eſt anno. Fiunt ſimul viginti ſeptem. Partire per ſeptem. Ter ſeptem, viginti & unus, & remanent ſex. Sexta feria erit terminus paſchalis anno futuro. DISC. Numquid aliquod inde extat argumentum unde ſciri poſſit utrum in Martio aut in Aprili ſit terminus paſchalis? MAG. Ex epactis utique facillime agnoſcere poteris, quarum proprie locus eſt in XI. Kal. Aprilis, utrum in Martio an in Aprile quartadecima luna eveniat: quia ſi plus quindecim aut minus quinque epactis habueris, in praedictis Kalendis Aprilis quartadecima luna deputatur. Si vero minus quindecim aut plus quinque habes, cum Martio. DISC. Ipſos ergo regulares quos dixiſti Martio eſſe triginta ſex, Aprili vero triginta quinque, vellem ut enarres unde venirent. MAG. Ex auctoritate Ægyptiorum, qui quinque dies quos epagomenos vocant, poſt finem noviſſimi menſis adiciunt. Ita enim hic quinque dies ad numerum dierum quos uterque menſis habet adiciuntur, videlicet Martio, qui triginta & unum, & Aprili, qui triginta dies continet, ut ablatis epactis ejuſdem anni de quo inquiris, certus remaneat numerus qui terminum paſchalem demonſtret. Verbi gratia. Primo anno circuli decennovennalis quod triceſimus eſt numerus epactarum recide à regularibus Aprilis menſis triginta, remanent quinque. Quinta die ejuſdem menſis eſt terminus paſchalis.

LXXXIII *Item aliud argumentum de terminis paſchalibus, & de accenſione lunæ primi menſis, & de terminis quadrageſimalibus, qualiter concordiam inter ſe habeant.*

Sicut regulatur dominica dies feſti paſchalis ad quartam decimam lunam primi menſis, ita initium quadrageſimæ regulatur & obſervat ſecundum lunam menſis Martii. Quaecunque enim dominica ſecuta fuerit quartam decimam lunam primi menſis, ſine dubio paſchalis feſti erit. Ita & quaecunque dominica adſecuta fuerit ſecundam lunam menſis Martii, initium erit quadrageſimae. Et ſicut quartadecima luna paſchalis habet decem & novem dies inter duos menſes ſolis per decem & novem annos, qui dicuntur termini paſchales, hoc eſt, Non. Aprilis, VIII. Kal. Aprilis, & reliqua, ſic etiam accenſio lunae primi menſis per decem & novem dies ſolis diſcurret; qui ſunt decima Kal. Aprilis, quarto Id. Martii, & reliqua. Tot etiam terminos per decem & novem dies menſis habet ſecunda luna Martii menſis, a qua regulatur initium quadrageſimae, hoc eſt, octavo Kal. Martii, tertio Id. Februarii, & reliqua. Et ſecundum ordinem quo ſcripti ſunt termini paſchales decem & novem, ſic & termini accenſionis lunae primi menſis decem & novem & termini ſecundae lunae decem & novem ſibi invicem reſpondent & conveniunt & in luna & in feria & in regularibus. Sicut enim luna paſchalis habet decem & novem regulares, qui ſimul & concurrentes cujuslibet anni praeſentis conjuncti demonſtrant diem ſeptimanae in quarta decima luna paſchali, ita idem regulares terminis initii ſuperpoſiti & concurrentes praeſentis cujuslibet anni demonſtrant diem ſeptimanae in ſecunda luna initio quadrageſimae. Notandum tamen quod quadrageſimalis terminus, quando ante ſextum Kal. Martias fuerit, & bis ſextus eodem anno evenerit, non obſervat praeſcripta loca terminorum, propter bis ſextum in luna, quem Februario addi debere diximus. Et ob hoc in ſequentem diem transferendus eſt, ut concordet cum termino paſchali in feria Verbi gratia. In praeſenti anno terminus quadrageſimae, qui conſcriptus eſt in undecimo kal. Martias, tranſlatus eſt in kal. Martias propter bis ſextum, quem in luna menſis Februarii duodecimo Kal. Martias inſeruimus. Hos autem terminos quadrageſimales, & accenſionem lunae primi menſis, & terminos paſchales, & eorum regulares, & terminos rogationum, qui ſunt in viceſima prima luna menſis Maji, & ad aetatem lunae in tempore letaniorum & aſcenſionis Domini inveniendam, promptiſſimi exiſtunt. Haec tamen omnia ſubjecta deſcriptio demonſtrat congruentiſſime per illas columellas.

Tabu-

Digitized by Google

Tabula addenda poſt paginam 81.

	Termini quadrageſimales.	*Regulares.*	*Termini accenſionis lunæ paſchalis.*	*Luna prima primi menſis.*	*Concurrentes.*	*Termini paſchales.*	*Regulares.*	*Termini rogationum.*	*Epacta.*	*De communibus & emboliſmis annis.*	
	VIII. Kal. Mart.	V.	X. Kal. April.	X. Kal. April.	B. I.	Non. April.	V.	V. Idus Maji.	Nulla.	Communis.	
	III. Id. Febr.	I.	V. Id. Mart.	IV. Id. Mart.	II. III.	VIII. Kal. April.	I.	II. Kal. Maji.	XI.	Communis.	
	VI. Non. Mart.	VI.	II. Kal. April.	II. Kal. April.	IV.	Id. April.	VI.	XIV. Kal. Jun.	XXII.	Emboliſmus.	
B	XI. Kal. Mart.	II.	XIII. Kal. April.	XIII. Kal. April.	B. VI.	IV. Non. April.	II.	VIII. Id. Maji.	III.	Communis.	
	VI. Id. Febr.	V.	VII. Id. Mart.	VII. Id. Mart.	I. II.	XI. Kal. April.	V.	V. Kal. Maji.	XIV.	Communis.	
	III. Kal. Mart.	III.	V. Kal. April.	IV. Kal. April.	B. IV.	IV. Id. April.	III.	XVII. Kal. Jun.	XXV.	Emboliſmus.	
	XIV. Kal. Mart.	VI.	XVI. Kal. April.	XVI. Kal. April.	V. VI.	III. Kal. April.	VI.	IV. Non. Maji.	VI.	Communis.	
B	Non. Mart.	IV.	Prid. Non. April.	Non. April.	VII.	XIV. Kal. Maji.	IV.	IX. Kal. Iun.	XVII.	Emboliſmus.	O G D.
	VI. Kal. Mart.	VII.	VIII. Kal. April.	VIII. Kal. April.	B. II. III. IV.	VII. Id. April.	VII.	III. Id. Maji.	XXVIII.	Communis.	
	Idus Februarij.	III.	II. Id. Mart.	Prid. Id. Mart.	V.	VI. Kal. April.	III.	VI. Non. Maji.	IX.	Communis.	
	IV. Non. Mart.	I.	V. Non. April.	IV. Non. Mart.	B. VII.	XVII. Kal. Maji.	I.	XII. Kal. Iun.	XX.	Emboliſmus.	
B	IX. Kal. Mart.	IV.	XI. Kal. April.	XI. Kal. April.	I. II.	Prid. Non. April.	IV.	VI. Id. Iun.	I.	Communis.	
	IV. Id. Febr.	VII.	V. Id. Mart.	V. Id. Mart.	III.	IX. Kal. April.	VII.	III. Kal. Maji.	XII.	Communis.	
	Kal. Martias.	V.	III. Kal. April.	III. Kal. April.	B. V.	Prid. Id. April.	V.	XV. Kal. Iun.	XXIII.	Emboliſmus.	
	XII. Kal. Mart.	I.	XV. Kal. April.	XIV. Kal. April.	VI. VII. I.	Kal. April.	I.	Non. Maji.	IV.	Communis.	
B	VII. Id. Febr.	IV.	Non. Mart.	VIII. Id. April.	B. III.	XII. Kal. April.	IV.	VI. Kal. Maji.	XV.	Communis.	
	IV. Kal. Mart.	II.	VI. Kal. April.	VI. Kal. April.	IV.	V. Id. April.	II.	Idus Maji.	XXVI.	Emboliſmus.	
	XV. Kal. Mart.	V.	XVII. Kal. April.	XVII. Kal. April.	V.	IV. Kal. April.	V.	IV. Non. Maji.	VII.	Communis.	
	Prid. Non. Mart.	III.	II. Non. Mart.	Prid. Non. Mart.	VI.	XV. Kal. Maji.	III.	X. Kal. Maji.	XVIII.	Communis.	

LXXXIV. *Item de eadem re argumentum verſibus comprehenſum.*

Hos quidem regulares, qui ſuperius conſcripti ſunt, ſimul cum terminis paſchalibus, quidam verſibus comprehendit, quo facilius in cantatione pariter dinoſcerentur, ita.

Non. Aprilis norunt quinos.
Octenæ Kalendas aſſi depromunt.
Idus Aprilis etiam ſexis.
Nonæ quartanæ namque dipondio.
Item undenae ambiunt quinos.
Quatuor Idus capiunt ternos.
Ternas Kalendas titulant ſenae.
Quatuor denae cubant in quadris.
Septenas Idus ſeptus elegunt.
Senae Kalendæ ſortiunt ternos.
Denas ſeptenas danamaſſi.
Pridie Nonarum porro quaternis.
Novenae notantur namque ſeptenis.
Pridias Idus panditur quinis.
Aprilis Kalendas unus exprimit.
Duodenas namque docte quaternis.
Speciem quinam ſperamus duobus.
Quaternae Kalendae quinque conſciunt.

His ergo regularibus additis anni praeſentis concurrentibus, totaque ſumma in ſeptem diſtributa, quotus numerus remanſerit, tota feria erit in termino paſchali. Si autem totum numerum per ſeptem partitus fuerit, ſabbato erit ille terminus paſchalis. Scias autem eoſdem regulares eſſe in terminis quadrageſimalibus, & dies accenſionis lunae primi menſis, & terminus paſchalis. Eſt autem aequalis ratio, & æqualis obſervatio inter accenſionem lunae primi menſis & quartam decimam lunam paſchalem & initium quadrageſimae. Sicut enim accenſio lunae primi menſis diſcurrit inter viginti & novem dies, hoc eſt, a Nonis Martii uſque in ſecundo Nonas Aprilis, ita prima luna primi menſis ab octavo Idus Martii uſque ad Nonas Aprilis variatur. Et ſicut enim quartadecima luna paſchalis inter viginti & novem dies diſcurrit, id eſt, a duodecimo Kal. Aprilis uſque ad quartum decimum Kal. Maii, ita ergo & accenſio lunae initii quadrageſimae inter viginti & novem dies variatur, hoc eſt, a Nonis Februarii uſque in tertio Non. Martii diſcurrit. Ille autem terminus quadrageſimalis ab ſeptimo Id. Februarii incipit uſque ad Nonas Martias. Viginti & novem dies ſunt inter iſtos duos terminos. Sic etiam & termini rogationum inter viginti & novem dies diſcurrunt, hoc eſt, a decimo ſexto Kal. Maii uſque nono Kal. Iunias.

LXXXV. *Argumentum ad inveniendum initium primi menſis.*

Disc. Si aliquod adhuc reſtet argumentum de termino paſchali, ne te, rogo taedeat edicere. Mag. Eſt ergo de inchoatione primi menſis tale argumentum. Si enim velis agnoſcere initium primi menſis, hoc eſt, ubi principium ſit lunae paſchalis, ſcias eodem anno de quo inquiris, quot epactae ſint in Kalendis Ianuariis; & quota luna fuerit, tot dies in Martio menſe a fine retro ſubtrahas. Et ubi deveneris, ibi initium primi menſis invenies; exceptis tribus emboliſmis, id eſt, in noviſſimo emboliſmo ogdoadis, & primo emboliſmo hendecadis, & noviſſimo emboliſmo hendecadis. In noviſſimo enim emboliſmo ogdoadis initium primi menſis in Nonis Aprilis invenitur. In primo autem hendecadae, in quarto Non. Aprilis invenitur. In ultimo vero emboliſmo hendecadis, in ſecundo Non. Aprilis principium primi menſis invenietur. Haec obſervatio nunquam fallit.

LXXXVI. *De die dominico Paſchæ.*

Disc. De noſtro ergo Paſcha valde deſidero ut plenam rationem reddas. Quia taliter, ut reor, quartædecimæ lunæ antiqui videlicet Iudæorum Paſchæ rationem utiliter tenemus ſi Paſcha verum ſecundum Apoſtolum, quod immolatus eſt Chriſtus, veraciter & congrua religione obſervemus. Mag. Ita eſt ut aſſeris; quia finis legis Chriſtus eſt ad juſtitiam omni credenti. Septimo ergo decennovennalis circuli titulo dies paſchae dominicus comprehenditur, qui de dominica noſtri Salvatoris reſurrectione a mortuis exordium cepit. Nam cum in veteri teſtamento tribus argumentorum indiciis paſchale tempus ſit obſervari praeceptum, videlicet ut poſt æquinoctium, ut menſe primo, ut tertia ejus ſeptimana, id eſt, a veſpera quartae decimae uſque in veſperam id eſt terminum viceſimae primae celebretur, quarta in ejuſdem obſervatione regula eſt nobis tempore dominicae reſurrectionis impoſita, ut cum aequinoctio traſcenſo lunam primi menſis, quartam decimam veſpere ortum facere viderimus, non ſtatim ad faciendum Paſcha proſiliamus, ſed, dominicum diem, quo ipſe Paſcha, id eſt, tranſitum de morte ad vitam, de corruptione ad incorruptionem, de pœna ad gloriam reſurgendo facere dignatus eſt, expectantes in ipſo tandem congruae Paſchae ſolemnia celebremus. Quod ſi quis objecerit non æquinoctii memoriam, ſed tantum primi menſis & tertiae in eo ſeptimanæ poſuiſſe legiferum, ſciat quia etſi æquinoctium nominatim non exprimit, in hoc tamen ipſo quod a plenilunio primi menſis Paſcha faciendum praecipit, æquinoctii tranſcenſum plenaria ratione depromit. Quoniam abſque ulla dubietate conſtat eam quae primo tranſitu aequinoctio plenum ſuum globum oſtenderit, primi menſis exiſtere lunam. Quoties ergo diem dominicum mox adventare quinta decima luna habemus, nil noſtrum tempus paſchale a regula diſſonat, quamvis aliis ſacramentorum generibus ejuſdem Paſchae ſolemnia colamus. Quoties vero ſecundo vel tertio vel quarto vel quinto vel ſexto vel ſeptimo abhinc die idem dominicus occurrerit, nec ſic quidem legem aut prophetas ſolvimus, ſed evangelicae potius gratiae ſacramenta adimplemus. Quia enim & ſalvator noſter, ſicut Theophilus venerabilis Alexandriae Epiſcopus ſcribit, quartadecima quidem eſt luna traditus, hoc eſt quinta die poſt ſabbatum, quintadecima autem crucifixus, die tertia reſurrexit, hoc eſt, ſeptima decima luna, quae tunc in dominica die videtur inventa, ſicuti ex evangeliorum obſervatione comperimus, habemus ergo ſolarium quo rectè facere Paſcha poſſimus, etiamſi dilatio fuerit conſecuta, propter incurrentem neceſſitatem, ut ſi quarta decima primi menſis in ſabbato evenerit luna, aut ſi in aliis ante ſabbatum diebus ſeptimanae ſequentis acciderit, ſine dubitatione Paſcha celebremus; ſi vero in dominicam inciderit, omnino in ſeptimanam ſequentem differamus propter eas quas teſtamur cauſas. Primum quidem ne tertiadecima luna inventa in ſabbati die ſolvamus jejunium, quod conſequens non eſt, quod nec ipſa lex praecepit. maxime cum & lumen ipſius lunae imperfectum adhuc in proprio globo eſſe videatur. Deinde ne dominica die luna quarta decima conſtituta jejunare cogamur, indecentem rem illicitamque facientes. Hoc enim Manichaeorum recte conſuetudo poſſedit. Quoniam igitur nec quarta decima luna veniente in dominicum diem jejunare debemus, neque conſequens eſt ut ſi in ſabbati die tertia decima eveniat, ſolvamus jejunium, neceſſario adſerimus hoc in ſeptimanam ſequentem debere differri, ſicut paulo ſuperius comprehendi, non tamen ex hac dilatione praevaricatione aliqua circa paſchalem calculum perpetrata. Quemadmodum enim decimus numerus complectitur primum, ſic & quoties quartadecima luna in dominicum incurrerit diem, eo quod in eo jejunare non liceat, in proximam ſeptimanam dif-

differri neceſſe eſt diem Paſchae. Nulla enim ex hoc immutatio fieri Paſchae videtur, quia ipſi ſequentes dies complectuntur & reliquos.

LXXXVII. *Opinio diverſorum ubi primum ſit dominica dies reſurrectionis Domini celebrata.*

Disc. Vbi autem dominicae reſurrectionis dies primum fuerit certum haberi vellem. Mag. Varie autem id refertur. Et quidem, ut ſuprà memoravimus, quidam octavo kalendarum Aprilium, ſed alii ſexto, nonnulli quinto kalendarum earundem die fuiſſe adſeverant. Vbi notandum quia ſi octavo kalendarum memoratarum, ut antiquiores ſcripſere, reſurrectio Domini facta eſt, quintus profecto circuli decennovennalis tunc agebatur annus, habens concurrentes ſeptem & lunam quartam decimam, ſicut ſemper undecimo Kal. Aprilis. Si autem ſexto Kal. Aprilis Dominus reſurrexit, tertius decimus circuli praefati annus exſtitit, quinque habens concurrentes & lunam quartam decimam, ut ſemper nono Kal. Aprilis. Porro ſi quinto Kalendarum ſuprà ſcriptarum reſurrectio celebrata eſt Chriſti, ſecundus circuli decennovennalis exiſtens annus concurrentes habebat quatuor & lunam tertiam decimam, ſicut ſemper octavo Kal. Aprilis. Quae cuncta ſeptimae decimae lunae, & in qua die dominico primo ſacroſanctae reſurrectionis ſunt acta myſteria, curſu panduntur indubio. Tantùm diligentiſſimè cavendum ne hanc ſexta decima luna, ut quidam, patratam confirmando, non ſolum inevitabile noſtrae calculationis diſpendium, ſed & graviſſimum catholicae fidei incurramus periculum.

LXXXVIII. *Argumentum ad inveniendum diem dominicam Paſchae.*

Disc. Numquid eſt aliquod de dominica Paſchae argumentum, ſicut & de quarta decima luna eſſe oſtendiſti? Mag. Illud pro argumento ponunt, quia quot dies ante pridie Idus Aprilis habueris Paſcha, tot diebus ante Kalendas Martias habebis initium quadrageſimae. Et quot dies poſt pridie Idus Aprilis habueris Paſcha, tot idem diebus poſt Kalendas Martias habebis initium quadrageſimae. Et ſi pridie Idus Aprilis Paſcha habueris, Kalendis Martiis initium quadrageſimae habebis. Quot dies ante Kal. Aprilis habueris Paſcha, tantos dies ante duodecimum kal. Martias habebis initium quadrageſimae. Et quot dies poſt kalendas Aprilis habueris Paſcha, tot diebus poſt duodecima kalendas Martias habebis initium quadrageſimae. Disc. In quot diebus evenit nobis Paſcha celebrare? Mag. Triginta quatuor vel triginta quinque, id eſt, ab undecima kal. April. uſque in ſeptimam kal. Maii. Et hoc in decennovennali cyclo fit propter concordiam epactarum. Iſti triginta quinque dies ſunt inde quia in CCCLIV. dies anni communes progrediuntur, & anni emboliſmi uſque in trecenti LXXXIV. quia in communibus annis ante CCCLIV. dies Paſcha non licet celebrare, ſupra vero licet. In emboliſmo autem anno ante CCCLXXXIV. non decet celebrari, ſupra vero decet. Iſte ergo numerus dierum in communibus annis & emboliſmis in celebratione Paſchae obſervandus eſt.

LXXXIX. *De luna dominicae Paſchae.*

Disc. De ultimo tramite decennovennalis circuli nunc, ni fallor, ordo expoſcit ut dicas. Mag. Vltima ſanè memorati circuli meta panduntur lunae dominici Paſchae, propter variantem ejuſdem dominici occurſum, ſeptem dierum ambitu incluſae, id eſt, à quinta decima uſque ad viceſimam primam. Qui pro certo dies creberrima legis ſunt adnotatione praefixi, dicente Domino: *Primo menſe, quarta decima die menſis, comedetis azyma uſque ad diem viceſimum primum ejuſdem menſis ad veſperam. Septem diebus fermentatum non invenietur in domibus veſtris.* Cujus primi menſis ſeptemque ejus dierum azymorum nunc regula talis eſt, ut quae poſt aequinoctium quinta decima luna occurrit, primi menſis intelligatur. Et haec quocunque ſeptem dierum, id eſt, à quinta decima uſque ad viceſimam primam, primum dominicum acceperit, Paſchalis feſti gaudiis aptum porrigat.

XC. *Argumentum ad ipſam lunam inveniendam.*

Si vis agnoſcere quota luna feſtivitas paſchae occurrat, ſi in Martio menſe Paſcha celebretur, computa menſes a Septembrio, hoc eſt, ab initio anni ſecundum Ægyptios, quorum rationem hic ſequitur Dionyſius, uſque ad Februarium, hoc eſt, uſque ad finem anni ſecundum antiquos Romanos ſex menſes ſunt. His ſemper adice duos regulares. Fiunt octo. Adde epactas, id eſt, adjectiones lunares. Verbi gratia. Anno futuro quarta decima Indictione XIV. ſunt viginti duo. Adde & dies menſis Martii uſque in dominicum Paſchae, quod fit nono Kal. Aprilis. Fiunt ſimul quadraginta ſex. Tolle triginta. Remanent ſexdecim. Sextadecima luna erit in Paſcha, id eſt, nono Kal. Aprilis, quando reſurrectio Domini celebratur. Si autem velis intelligere quota luna eſt in Paſcha, quandocunque in Aprili menſe celebratur, computa menſes a Septembre uſque ad Martium; quia, ut alii opinantur, quandocunque in Aprili Paſcha celebratur, Martius finis anni eſt. Quando autem in Martio paſcha invenitur, tunc Martius primus menſis dicitur. A Septembre ergo uſque ad Martium ſeptem menſes ſunt. His adde ſemper regulares duos. Fiunt octo. Adde epactas lunares cujuslibet praeſentis anni, verbi gratia, ut in hoc anno ſunt tres. Fiunt duodecim. Adde & dies menſis Aprilis qui ſint uſque in Paſcha, hoc eſt ſexto Idus Aprilis. Fiunt ſimul viginti. Viceſima luna fuit hoc anno in die reſurrectionis Domini.

XCI. *Item aliud argumentum.*

Notandum autem quod omnis paſchalis luna, cujuſcunque aetatis eſt, ſi detrahis ab ea duodecim, fiet tibi aetas lunae quae fit in initio quadrageſimae. Verbi gratia. Si quintadecima luna eſt paſchalis, tolle de quindecim duodecim, & remanent tres. Tertia eſt luna in initio quadrageſimae eo anno quo quintadecima eſt luna die dominica Paſchae & cetera ſimiliter.

XCII. *Quid diſtet inter Paſcha & azyma.*

Disc. Verum quia de utriuſque Paſchae ratione, & illius ſcilicet quod ſecundum legem quartamdecimam lunam proxima dominica in memoriam reſurrectionis Domini colatur, ſatis mihi feciſti, peto ut quid inter Paſcha & azyma diſtet edicas. Leguntur haec ſaepius in illis locis ubi de Paſchae primum obſervatione diſpoſitum eſt. Mag. Ergo juxta legis ſcripturam alia Paſchae, alia ſolemnitas eſt azymorum. Vna quippe dies Paſchae, id eſt, tranſitus, eſt, quarta decima videlicet primi menſis; in qua veſperaſcente agnus immolari juſſus eſt, & mox ſequente nocte tranſivit Dominus Ægyptiorum primogenita percutiens, & ſignatas agni ſanguine domos filiorum Iſraël liberans. Sequentes vero dies ſeptem, id eſt, à quinta decima uſque ad viceſimam primam menſis ejuſdem, azymorum propriè vocantur, ſicut libri teſtantur legis. Et Ioſephus ſcribit in libro antiquitatum quartodecimo ita dicens: *Quartadecima luna primi menſis agnus immolatur. Quintadecima autem ſuccedit feſtivitas azymorum, quae ſeptem diebus celebratur. Secunda vero azymorum die, quae eſt ſexta & decima, frugum primitias quas metunt offerunt.* Quem legalium morem ſacrorum etiam nunc Eccleſiae conſuetudo non ignobiliter imitatur, unam videlicet noctem tranſitus domini-

Digitized by Google

minici, id eſt, reſurrectionis ejus à mortuis, qua impios triumphando, fideles ſalvare dignatus eſt, principaliter obſervans, in cujus exortu ſanguis ipſius, videlicet agni immaculati, populus ejus fonte regenerationis ablutum mundat ab omni peccato, ac deinde alios ſeptem dies in memoriam ejuſdem dominicae reſurrectionis congrua feſtivitate ſubjungens. Verùm quia ipſa quoque dies Paſchae a fermento caſtigari praecipitur, haec evangelij ſcriptura aliquando primum azymorum cognominat. Et primo, inquiens, die azymorum, quando Paſcha immolabant, dicunt ei diſcipuli: *Quo vis eamus, & paremus tibi ut manduces Paſcha?* Item diem quintam decimam menſis primi, à qua ſeptem dies azymorum inchoatu, propter viciniam Paſchae, nomine vocat illius, cum dicit: *ſed manducarent Paſcha.* Non quia legi contraria eſt evangelica ſcriptura; ſed quia ſacramentum quod decebat, hoc nobis ſocietate vocabulorum vivacius inculcare curavit. Salva enim ſubtiliori diſcuſſione poſſumus intelligere quod myſtica Paſchae ſolemnia ſinguli noſtrum in die baptiſmatis egerint, ſpiritalem videlicet exterminatorem ſigno pretioſi ſanguinis evadendo, ſpiritales tranſeundo tenebras. Toto autem vitae proficientes tempore, quod deinceps in hac peregrinatione gerimus, ſeptem dies azymorum celebremus, quibus, ſicut Apoſtolus edocet, non in fermento malitiae & nequitiae, ſed in azymis ſinceritatis & veritatis epulari debemus. Et quia nos in baptiſmo, ut de poteſtate Satanae in partem fortis ſanctorum tranſire queamus, ſinceritatem & veritatem tenere neceſſe eſt, itemque toto noſtrae peregrinationis tempore, quod ſeptenario dierum numero volvitur, cotidiano profectu ad meliora tranſire praecipimur, quaſi & in Paſcha azymis veſci & in diebus azymorum Paſcha ſpiritaliter agere cognoſcimur.

XCIII. *De myſtica ſignificatione Paſchae.*

DISC. Quia de myſterio Paſchae aliqua dixiſti, peto ut ſi aliqua adhuc ſuperſint dicas. MAG. Sunt utique. Quia Aurelius Auguſtinus in epiſtola de Paſcha ad Januarium plura hinc retulit; quae tamen hic tantummodo commemoraſſe, non pleniter poſuiſſe, propter brevitatem noſtrae diſputationis cenſemus. Primum, quod poſt aequinoctium, id eſt, poſt victoriam lucis de umbra, noctis Paſcha celebratur, ſignificat quod poſt victoriam Chriſti de morte, Paſcha rite celebramus. In menſe novorum, id eſt, in novitate vitae, & in ſpem immortalitatis & reſurrectionis noſtrae. In plenilunio, vel poſt plenilunium, id eſt, in plenitudine fidei vel ſenſus, & poſt agnitionem gratiae vel myſteriorum Dei. In tertia hebdomada ejuſdem menſis, hoc eſt, in tertio tempore hujus ſeculi, id eſt, poſt Patriarchas ante legem, poſt Prophetas ſub lege, in initio gratiae & novi teſtamenti Chriſti triumphum, qui tertia die reſurrexit à mortuis, veneramur. Quod autem tunc Paſcha rite colitur cum globus lunae lucem de inferioribus ad ſuperiora traxerit, ſignificat nos debere omnem noſtrae mentis intentionem ab ambitione viſibilium ad inviſibilium amorem vertere, Chriſtumque non in terra adhuc praeliantem ſed in caelis jam regnantem inſpicere. Quod in die dominica ſanctum Paſcha celebramus, in qua primum lux creata eſt, Chriſtus quoque reſurrexit, & quae noſtram reſurrectionem praefigurat, ammonet nos per lucem fidei & bonorum operum cotidie paſſionibus Chriſti communicantes gloriam cum eo tenendam deſiderare caeleſtem. Quod ergo ſeptem diebus hanc ſanctiſſimam colimus ſolemnitatem, Spiritus ſancti gratiam ſignificat totam Eccleſiam inluſtraſſe catholicam. Quae gratia poſt reſurrectionem Chriſti manifeſte Apoſtolis & ceteris conlata eſt fidelibus. Haec nos breviter commemoraſſe ſufficiat. Ceterum qui plenius vult noſſe, legat praedictam epiſtolam, & ibi inveniet.

XCIV. *De circulo magno paſchali.*

Circulus Paſchae magnus eſt qui multiplicato per invicem ſolari ac lunari cyclo quingentis triginta duobus conficitur annis. Sive enim decies novies viceni & octeni, ſeu vicies octies deni ac noveni multiplicentur, quingentorum triginta duorum numerum complent. Vnde fit ut idem circulus magnus decennovennales lunae circulos viginti octo, ſolis autem, qui vicenis octeniſque conſummari ſolent annis, decem & novem habeat circulos, bis ſeatos decies novies ſeptenos, id eſt, centum triginta tres, menſes ſolares vicies octies ducentos viginti & octo, id eſt, ſex millia trecentos octoginta quatuor, menſes autem lunares vicies octies ducentos triginta quinque, id eſt, $\overline{\text{VI}}$DLXXX. dies, exceptis bis ſeatis, vicies octies, $\overline{\text{VI}}$DCCCCXXXV, id eſt, $\overline{\text{CXCIV}}$. CLXXX. adpoſitis autem bis ſeatis $\overline{\text{CXCIV}}$. CCCXVII. qui ubi memoratum ex ordine menſium dierumque ſummam compleverit, mox in ſe ipſum revolutus, cuncta quae ad ſolis vel lunae curſum pertinent, eodem quo praeterierant ſemper tenore reſtaurat. Tantum anni dominicae incarnationis ſuo certè tramite proficiant in majus, & Indictiones quoque ferantur in ordine, nil ſyderum curſum atque ideo nil paſchalis calculi ordinem movent.

XCV. *De ſeculis.*

DISC. Quia de temporum particulis & computi ratione pleniter, quantum brevitas dialogi noſtri ſinebat, expoſuiſti, ſupereſt ut de ſeculo, quod poſt annum in ſerie temporum poſuiſti, breviter dicas. MAG. Secula generationibus conſtant. Et inde ſecula dicuntur quod ſe ſequantur. Abeuntibus enim aliis, alij ſuccedunt. Hunc quidam quinquageſimum annum dicunt, quem Hebraei Jubileum vocant. Ob hanc cauſam & ille Hebraeus qui propter uxorem & liberos amans dominum ſuum aure pertonſâ aut ſervitio ſubjugatus ſervire jubetur in ſeculum, hoc eſt, uſque ad annum quinquageſimum. Aliquando tamen ſeculum in propheticis libris pro aeterno poſitum reperimus; ſicut eſt illud pſalmiſtae: *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia ejus, & laudatio ejus manet in ſeculum ſeculi.*

XCVI. *De aetatibus.*

DISC. Nunc jam libellum noſtrae diſputationis claudens, unde dicatur aetas profer, & quid ſignificet, & quid in ſe contineat, ut ita ſolvaris tandem à meae interrogationis ſtimulo & tuae reſponſionis debito. MAG. Faciam. Et utinam ſic ſaltim ab importunitate tua quieſcas, & feriatum ſtilum per aliquod tempus me habere permittas. Ætas plerunque dicitur & pro uno anno, ut in annalibus, & pro ſeptem, ut hominis, & pro centum, & pro quovis tempore. Vnde & aetas dicitur tempus quod de multis ſeculis inſtruitur. Et dicta aetas quaſi aevitas, id eſt, ſimilitudo aevi. Nam aevum eſt aetas perpetua, cujus neque initium neque extremum noſcitur. quod Graeci vocant æonas. quod aliquando apud eos pro ſeculo, aliquando pro aeterno ponitur. Vnde & apud Latinos dirivatum hoc nomen eſt. Ætas autem proprie duobus modis dicitur. Aut enim hominis vitae temporalis ſignificat articulos; ſicut eſt infantia, juventus, ſenectus. Aut mundi curſum, ut ſitu ſex aetates famoſiſſimae; quas libri tractatorum ſaepius memorant. Sed quia de utraque aetate jam aliqua prælibavimus, deinceps ſimul de utriſque dicemus.

I. Prima eſt ergo mundi hujus ætas ab Adam uſque ad Noë, continens annos juxta Hebraicam veritatem mille ſeacentos quinquaginta ſex, juxta ſeptuaginta interpretes $\overline{\text{II}}$CCXLII. Generationes juxta utramque editionem numero decem. Quæ univerſali eſt deleta diluvio.

Sicut primam cujuſque hominis oblivio demergere conſuevit aetatem, quotus quiſque eſt qui ſuam recordetur infantiam.

II. Secunda aetas a Noë uſque ad Abraham, generationes, juxta Hebraicam auctoritatem complexa decem, annos autem ducentos nonaginta duos, juxta ſeptuaginta interpretes anni mille ſeptuaginta duo, generationes vero undecim.

Haec quaſi pueritia fuit generis populi Dei. Et ideo in lingua inventa eſt Hebraea, id eſt, a pueritia. Namque homo incipit noſſe loqui poſt infantiam; quae hinc appellata eſt quod fari non poteſt.

III. Tertia ab Abraham uſque David, generationes juxta utramque auctoritatem quatuordecim, annos autem DCCCCXLII. complectens.

Haec velut quaedam adoleſcentia fuit populo Dei, a qua aetate incipit homo poſſe generare. Propterea Matthaeus evangeliſta generationum ex Abraham ſumpſit exordium; qui etiam pater gentium conſtitutus eſt quando mutatum nomen accepit.

IV. Quarta a David uſque ad tranſmigrationem Babylonis, annos habens juxta Hebraicam veritatem quadringentos ſeptuaginta tres, juxta ſeptuaginta translationem duodecim amplius, generationes juxta utroſque codices decem & ſeptem, quas tamen evangeliſta Matthaeus certi myſterii gratia quatuordecim ponit. a qua, velut juvenili aetate, in populo Dei Regum tempora coeperunt. Haec namque in hominibus aetas apta gubernando ſolet exiſtere regno.

V. Quinta, quaſi ſenilis aetas, a tranſmigratione Babylonis uſque adventum Domini Salvatoris in carnem, generationibus & ipſa quatuordecim, porrò annis quingentis octoginta novem extenta; in qua, ut gravi ſenectute feſſa, malis crebrioribus plebs Hebraea quaſſatur.

VI. Sexta, quae nunc agitur, aetas, nulla generationum vel temporum ſerie certa, ſed ut aetas decrepita, ipſa totius ſaeculi morte conſumenda.

Has aerumnoſas plenaſque laboribus mundi aetates quique felici morte vicerunt.

VII. Septima jam ſabbati perennis aetate ſuſcepti

VIII. Octavam beatae reſurrectionis aetatem, in qua ſemper cum Domino regnent, expectant. Ad quam nos feliciter ſua gratia pervenire ipſe concedat qui cuncta tempora creaverat, & aeternitate ſemper manet perenni, trinus & unus omnipotens Deus, qui eſt benedictus in ſecula. Amen.

Epiſtola peregrinorum Monachorum in monte Oliveti habitantium ad Leonem Papam III.

Ex Lib. VII. Miſc. Bal. pag. 14.

SAnctiſſimo ac reverentiſſimo Domino in Chriſto patri Leoni ſummo Pontifici & univerſali Papae ſedis ſanctae apoſtolicae urbis Romae congregatio montis Oliveti. Domine pater, te dignatus eſt Dominus exaltare ſuper omnes ſacerdotes, & exaltata eſt ſedes tua ſancta ſuper omnes ſedes Chriſtianorum, qui ſuo ore dignatus eſt Chriſtus dicere: *Tu es Petrus &c.* Benigniſſime pater, nos, qui ſumus hic in ſancta civitate Jeruſalem peregrini, ullum hominem ſuper terra non amamus pluſquam vos, & in quantum valemus in illis ſanctis locis pro vobis die noctuque Domino fundimus preces proſtrati omnes ſervi tui ſuper terram cum lacrymis. Itaque notam tibi facimus tribulationem noſtram, quam hic patimur. Johannes, qui fuit de monaſterio S. Sabae, quem Theodulus iguminus ſervus veſter ſcit, ipſe levatus eſt ſuper nos dicendo quod Franci qui ſunt in monte Oliveti haeretici ſunt, & dixit nobis quia omnes Franci haeretici eſtis, & reprobat fidem noſtram dicendo quia non eſt major haereſis. Et nos ei dicimus: Frater ſile. Quod ſi nos dicis haereticos, de ſede ſancta apoſtolica dicis haereſim. Et uſque in tantum nos conturbavit ut in die natalis Domini in ſanctam Bethleem in ſancto praeſepio, ubi noſter Dominus redemptor humani generis pro mundi ſalute naſci dignatus eſt, ſubmitteret laicos homines qui nos foras proicere vellent, dicendo quod haeretici eſtis, & libri quos habetis haeretici ſunt. Sed per veſtram ſanctam orationem & fidem confortavit nos Dominus. Non enim potuerunt nos foras eicere. Diximus omnes: Hic volumus mori. Nam foras nos non eicietis. Unde & fecimus vocem noſtram omnes nos ſervi veſtri pariter dicendo ad ſacerdotes qui ſunt in ſancta civitate: Videte, patres & fratres, de iſto homine qui contra nos tanta & talia loquitur & contra fidem ſanctam Romanam, quia talia verba nunquam audivimus de gente noſtra. Et poſt haec die ſancto dominico congregati ſunt ſacerdotes cum clero & populo contra ſanctum ſepulchrum Domini & inter ſanctum Calvariae locum, & interrogaverunt nos de fide noſtra ipſi ſacerdotes qualiter crederemus ſymbolum. Nos autem dicendo quod ſic credimus ſicut ſancta Eccleſia Romana, diximus & dicimus in noſtra lingua quae vos non dicitis in Greca, & in *Gloria Patri* non dicitis *ſicut erat in principio*, & in *Gloria in excelſis* non dicitis *tu ſolus altiſſimus*, & *Pater noſter* alio modo dicitis, & in ſymbolo nos dicimus plus quam vos, *qui ex patre filioque procedit*, unde dicit iſte Johannes inimicus animae ſuae propter hunc ſermonem eo quod haeretici ſimus. Quos Hieroſolymitas rogavimus dicentes: Nolite * odire hunc hominem, nec dicatis de nobis hac ſic. * audire.
Quod ſi nos dicitis haereticos, de throno beati Petri dicitis haereſim. Et ſi hoc dicitis peccatum inducitis ſuper vos. Et ſacerdotes ſcripſerunt nobis cartam de fide noſtra quam licet crederemus, dicendo nobis: Creditiſne ſicut ſancta reſurrectio Domini? Nos autem diximus quòd ſic credimus quomodo ſancta reſurrectio Domini & ſedes ſancta apoſtolica Romana. Poſt haec ipſe Archidiaconus in ſancto Conſtantino una nobiſcum aſcendit in pergo & legit ipſam cartam in populo. Et nos ſervi veſtri anathematizavimus omnem haereſim & omnes qui de ſancta ſede apoſtolica Romana dixerint haereſim. Et nunc, Domine pater benigniſſime, cogitare digneris de nobis ſervis tuis; qui etſi de longinquo ſumus, oves tuae ſumus, & tibi commiſſus eſt omnis mundus, ſicut veſtra ſanctitas ſcit, ſicut ait Dominus Petro: *Si diligis me, Petre, paſce oves meas.* Benigniſſime pater, dum eſſem ego Leo ſervus veſter ad ſancta veſtigia veſtra & ad pia veſtigia Domni Karoli piiſſimi Imperatoris filiique veſtri, audivimus in capella ejus dici in ſymbolo fidei *qui ex patre filioque procedit*, & in homilia ſancti Gregorii, quam nobis filius veſter Domnus Karolus Imperator dedit, in parabola octavarum Paſchæ, ubi dixit: *Sed ejus miſſio ipſa proceſſio eſt, qui de patre procedit & filio.* Et in regula ſancti Benedicti, quam nobis dedit filius veſter Domnus Karolus, quae habet fidem ſcriptam de ſancta & inſeparabili trinitate, dicit: *Credo ſpiritum ſanctum Deum verum ex patre procedentem & filio.* Et in dialogo quem nobis veſtra ſanctitas dare dignata eſt ſimiliter dicit. Et in fide ſancti Athanaſii eodem modo dicit. Itaque per ipſum Johannem facta eſt nobis grandis confuſio in ſancta civitate, quoniam dicit quod ſpiritus ſanctus non procedit de patre & filio, & de hoc miſit grandem errorem per omnia monaſteria, & requirebat fidem noſtram & libros noſtros, & de Domino Gregorio dicit quod non ſunt recipiendi ejus libri. Unde iterum atque iterum, ſancte pater, in terram proſtrati cum lacrymis poſtulamus & rogamus te per patrem & filium & ſpiritum ſanctum, qui trinitas inſeparabilis unus dicitur, ut digneris inquirere tam in Græco quam in Latino de ſanctis patribus qui ſymbolum compoſuerunt iſtum ſermonem ubi dicitur *ex patre filioque procedit*. Et in Graeco non dicunt ſicut nos, ſed dicunt *qui ex patre procedit*, & vident iſtum ſermonem gravem quem nos dicimus in Latino. Et mandare digneris Domno Karolo Imperatori filio veſtro quod nos iſtum ſermonem in ejus capella audivimus, *qui ex patre filioque procedit*. Et nos hic

ſer-

Digitized by Google

ſervos veſtros certos facere digneris; quia nulla ſpecies hujus ſacramenti tam nobis amabilis videatur quam ſanctus veſter vultus & ſancta oratio & deprecatio ſeu memoria veſtra. Unde & poſcimus, benigniſſime pater, veſtram ſanctiſſimam pietatem ut hos ſervos veſtros Johannem Presbyterum, quando Deo gubernante ad ſacroſanctam veſtram gravitatem pervenerint, benigne ſuſcipere dignemini & nobis ſervis veſtris certum mandatum dirigere. Commendamus nos Dominicus, Theodorus, Arimundus, Gregorius, Johannes, Leo, & omnis congregatio de monte ſancto Oliveti humilis servi veſtri veſtris ſacris ac Deo dignis orationibus. Deus & Dominus noſter te, ſanctiſſime pater, cum omnibus tuis ad exaltationem ſanctae ſuae Eccleſiae & ad ſalutem animae tuae & ad gaudium noſtrum regere, protegere, & pia miſeratione in omnibus & per omnia cuſtodire dignetur, qui dicitur benedictus in ſecula.

Domino piiſſimo & ſereniſſimo victori ac triumphatori filio amatori Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti Karolo Auguſto Leo Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Omnia quae de ſingulis partibus nobis accidunt neceſſe eſt ut veſtrae intimemus imperiali poteſtati. Praeſenti ſiquidem anno direxerunt nobis epiſtolam monachi qui in ſancto monte Oliveti morantur fidei * contentionem continentem quam inter ſe habebant. Nos vero ſymbolum orthodoxae fidei illis miſimus, quatenus omnes ſecundum hanc noſtram ſanctam catholicam & apoſtolicam Eccleſiam rectam & inviolatam teneant fidem. Quam vero epiſtolam veſtrae imperiali potentiae miſimus relegendam. Interea revertentes praeſentes fideles ſervientes veſtri, Agamus videlicet & Roculphus, à Hieroſolymis detulerunt nobis epiſtolam Thomae Hieroſolymorum Patriarchae. Quam relegentes repperimus ut per noſtram precatoriam epiſtolam veſtrae pietati eos commendaremus. Qua de re precamur veſtram imperialem potentiam ut ſicut ſoliti eſtis ſuper omnes fideles veſtros impertire ſuffragium, ita cum eis miſericordiam facere jubeatis. Ipſam vero epiſtolam quam nobis praedicti fideles veſtri detulerunt veſtrae ſerenitati miſimus. His praelibatis omnipotens Deus ſua vos protectione cuſtodiat, atque a perfidis omnibus regnum veſtrum ſui extenſione brachii defendat, voſque poſt longa annorum curricula ad gaudia aeterna perducat. Piiſſimum Domini Karoli imperium gratia ſuperna cuſtodiat, eique omnium gentium colla ſubſternat.

Vide Eginhartum an. 807. 809.

Incipit ſymbolum orthodoxae fidei Leonis Papae.

Vide Baronium an. 809.

LEo Epiſcopus ſervus ſervorum Dei omnibus orientalibus Eccleſiis. Hoc ſymbolum orthodoxae fidei vobis mittimus ut tam vos quam omnis mundus ſecundum Romanam ſanctam catholicam & apoſtolicam Eccleſiam rectam & inviolatam teneatis fidem. Credimus ſanctam trinitatem, id eſt, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, unum Deum omnipotentem, unius ſubſtantiae, unius eſſentiae, unius poteſtatis, creatorem omnium creaturarum, a quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, patrem a ſe ipſo, non ab alio, filium a patre genitum, Deum verum de Deo vero, lumen verum de lumine vero, non tamen duo lumina, ſed unum lumen, ſpiritum ſanctum a patre & a filio æqualiter procedentem, conſubſtantialem coæternum patri & filio. Pater plenus Deus in ſe, filius plenus Deus a patre genitus, ſpiritus ſanctus plenus Deus a patre & filio procedens. Non tamen tres Deos dicimus, ſed unum Deum omnipotentem, æternum, inviſibilem, incommutabilem, qui totus eſt ubique praeſens, non per partes diviſus, ſed totus in omnibus, non localiter, ſed perſonaliter, qui ſine commutatione ſui mutabilia creavit & creata gubernat, ſemper manens id quod eſt, cui nihil accidens eſſe poterit, quia ſimplici divinitatis naturæ nihil addi vel minui poteſt, quia ſemper quod eſt, cui ſemper primum eſt, cui ſempiternum eſt, cui idem eſt eſſe, vivere, & intelligere. Et hæc tria unus Deus. Hæc tria idem Deus & Dominus, vera & ſempiterna trinitas in perſonis, vera & ſempiterna unitas in ſubſtantia, quia una eſt ſubſtantia pater & filius & ſpiritus ſanctus. Hæc vero ſancta trinitas nihil eſt in tribus perſonis ſimul nominatis quam in una qualibet perſona ſemel dicta, quoniam unaquæque perſona plena eſt ſubſtantia in ſe, non tamen tres ſubſtantiæ, ſed unus Deus, una ſubſtantia, una eſſentia, una aeternitas, una magnitudo, una bonitas, pater & filius & ſpiritus ſanctus. Nec aliud eſt pater in natura quam filius vel ſpiritus ſanctus, nec aliud filius & ſpiritus ſanctus quam pater in natura, quibus eſt una natura. Sed alius eſt pater in perſona, alius filius in perſona, alius ſpiritus ſanctus in perſona. In patre æternitas, in filio æqualitas, in ſpiritu ſancto æternitatis æqualitatiſque connexio. Unum omnes in ſubſtantia & eſſentia, omnipotentia, & divinitate. Sicut enim eadem ſancta trinitas inſeparabilis eſt in ſubſtantia, ita inſeparabilis eſt in operibus, quamvis opera Dei quibuſdam perſonis ſpecialiter conveniant, ſicut patri vox illa quæ de cælo ſonuit ſuper Chriſtum baptizatum, & ad filii perſonam humanitatis tantummodo pertinet ſuſceptio, & ſpiritus ſancti perſonæ proprie congruit illa columba in cujus ſpecie idem ſpiritus ſanctus deſcendit ſuper eundem filium ſecundum hominem baptizatum. Tamen abſque omni dubitatione illam vocem & illam columbam in Chriſti humanitatem tota ſancta trinitas operata eſt, cujus opera inſeparabilia ſunt. Credimus eundem filium Dei verbum æternaliter natum de patre, conſubſtantialem patri per omnia, temporaliter natum de ſpiritu ſancto & Maria virgine, duas habentem nativitates, unam ex patre æternam, alteram ex matre temporalem, qui etiam filius Dei, ſuæ carnis conceptione conceptus eſt & ſuæ carnis nativitate natus. Deum verum confitemur conceptum & Deum verum natum, eundem verum Deum verum hominem unum Chriſtum filium Dei unigenitum, per primum & perfectum in duabus naturis in unius perſonæ ſingularitate impaſſibilem & paſſibilem, mortalem atque immortalem, crucifixum in infirmitate noſtra, eundemque ſemper viventem in virtute ſua, qui mortuus eſt carnis ſuæ morte & ſepultus, atque ab inferis, damnato & ſpoliato principe totius iniquitatis, rediens tertia die reſurrexit, atque cum triumpho gloriæ videntibus diſcipulis caelum aſcendit, ſedens in dextera patris, id eſt, majeſtate divinitatis, inde jam venturus judicare vivos & mortuos, quem impii judicantem videbunt in ea forma qua crucifixus eſt, non in ea humilitate qua injuſte judicatus eſt, ſed in ea claritate qua juſte judicaturus eſt mundum; cujus majeſtatis viſio aeterna eſt omnium ſanctorum beatitudo. Qui ſecundum hanc fidem rectam non crediderit, hunc damnat ſancta, catholica & apoſtolica Eccleſia quae fundata eſt ab ipſo Jeſu Chriſto Domino noſtro, cui eſt gloria in ſecula. Amen.

OPUSCULA
SANCTI BENEDICTI
ABBATIS ANIANENSIS.

Teſtimonium nubecula de incarnatione Domini, & ſancta & individua Trinitate & iteratione baptiſmatis devitanda pernicie.

BEnedictus filio Guarnario ſalutem. Nubem hanc teſtimoniorum catholicae fidei direxi tibi quoadusque Domino favente redeam, tuae memoriae commendandam, ne otio torpens, ſed magis magiſque provectu orthodoxi dogmatis fulciaris, quo

Ex Lib. V. Miſc. Baluz. pag. 1.

tibi

tibi & aliis mente ac ſpiritu ſufficiens eſſe poſſis; quatinus de indiciis ſagaciter ſtrenuus, juxta teſtimonium Johannis evangeliſtae teſtis exiſtens idoneus, refellendo ſcilicet deteſtandam Felicianam haereſem nuperrime redivivam, inquiens ita: *Haec autem ſcripta ſunt ut credatis quia Jeſus eſt Chriſtus filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Quid ad haec dicitis, inſani, quia garritis Jeſum Chriſtum filium non eſſe Dei, dum iſte evangeliſta dilectus & a Deo electus dixerit hanc ſibi eſſe occaſionem ſcribendi hoc evangelium ut crederetur quia Jeſus eſt Chriſtus filius Dei, ille inquam qui ab angelo nuntiatus eſt, & nomen illi impoſitum eſt Jeſus, dum venit ad virginem dicens: *Paries filium, & vocabis nomen ejus Jeſum.* Hic utique Jeſus, qui natus eſt ex virgine Maria, filius eſt Dei, ſicut teſtatur iſte evangeliſta, ut & omnes in hac fide vitam poſſint habere ſempiternam in nomine ejus. Quid de vobis aeſtimandum eſt qui eum non creditis filium eſſe Dei verum, ſed adoptivum, niſi forte ut nunquam habeatis vitam aeternam? Dicunt itaque adſumptionem & adoptionem unum eſſe, & Jeſum Chriſtum, ſecundum quod homo eſt, propter adſumptionem humanitatis neceſſario adoptivum eſſe, non intelligentes quanta eſt haec abſurditas quae ſequitur eos. Nam ſi adoptivus eſt propter adſumptionem, igitur ſibi perſona adoptiva eſt, quia filius adſumpſit hominem; & eſt tunc nepos Deo patri. quod quam impium ſit nullus aeſtimo fidelium ignorat. quod etiam abdicandi naevo in potiori nube teſtimoniorum, quam penes me habeo, plenius, cum venero, immo abundantiſſime lectitabis. Interdum & ſemper doceto Jeſum eſſe Chriſtum filium Dei verum in utraque natura. Quia ſicut filius Dei vere eſt filius hominis, ita filius hominis vere eſt filius Dei. Errare autem haereticos haec maxime cauſa facit, dum aut ignorant aut nolunt advertere in Domino Jeſu Chriſto, ſicut unam perſonam, ita eſſe duas ſubſtantias, Deum ex Deo patre, & hominem ex homine matre, & quae de ſe ipſe Dominus ſecundum diſpenſationem carnis adſumptae loquitur deputant divinitati; ut eſt illud *Pater major me eſt.* & illud: *Jeſus fatigatus ex itinere.* vel illud: *Flevit Lazarum.* vel alia hujuſmodi quae leguntur. Quod ſi vellent pulchre oſtendi quod Deus ex duabus naturis eſt advertere illud Apoſtoli, *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi*, vel illud evangelii, *Verbum caro factum eſt & habitavit in nobis*, non dubitarent, ut ſuperius dictum eſt, confiteri in una perſona duas eſſe ſubſtantias, & ubi audiunt *Pater major me eſt*, ſecundum humanitatem acciperent, ubi vero audiunt *Ego & pater unum ſumus*, ſecundum divinitatem dictum non dubitarent, ſicut ex ejus operationibus datur intelligi.

Secundum hominem enim eſurivit, ut veram carnem oſtenderet. Secundum autem Deum de quinque panibus quinque milia hominum ſaturavit, ut ſe Deum virtutibus adprobaret. Secundum hominem ſitivit, ſed ſecundum Deum Samaritanam viva aqua refecit. Secundum hominem navem aſcendit, ſed ſecundum Deum ſiccis pedibus ſuper mare ambulavit. Secundum hominem in navi dormivit, ſed ſecundum Deum ventis & fluctibus imperavit. Secundum hominem in cruce pependit, ſed ſecundum Deum paradiſum latroni donavit. Secundum hominem paſſus mortem guſtavit, ſecundum vero Deum ſemetipſum a mortuis ſuſcitavit. Si haec & ſimilia vellent ſapienter diſcernere, & unicuique ſubſtantiae quod ſuum eſt deputarent, facile poterant rectae fidei curſum tenere, & non pro ejus beneficiis, quae pro nobis redimendis in forma ſervi ſuſcepit vel paſſus eſt, divinitati ejus contumelias irrogarent, & ubicunque legunt in ſcripturis ſecundum humanitatem aliquid quod minus loquatur divinitas, ſed pro diſpenſatione carnis adſumptae hoc proteſtetur humanitas, naturae unicuique propria recognoſcerent, & divinitatis aequitatem derogare deſiſterent. Nam nos, ſicut eum Deum legimus, ita nec majorem nec minorem Deum uſquam legimus, nec credere religioſa mente debemus. Sed ad haec Arrianus perſiſtit & dicit: Fieri non poteſt ut non filius minor patre credatur. Apud homines ideo minorem filium generat pater quia & ipſe minor eſt generatus a patre. Idcirco creſcente filio pater ſeneſcit, & moriendo patre filius ſuccedere comprobatur, & melior ac potentior patre nonnunquam efficitur. Apud Deum vero non ita eſt: quia ubi creſcere vel ſeneſcere divinitas non habet, hoc eſt dignum ut filium dilectio habeat aequalem, quia non poteſt (pati) plenitudo minorem. Ideoque perfectus perfectum generat, omnipotens omnipotentem, plenus plenum. Et quia aetatis incrementum non habuit, minorem generare non potuit. Sed omnino qualis eſt pater, talem & filium eſſe cognoſce, ſicut ipſe dicit: *Qui me videt, videt & patrem.* & alibi: *Qui non honorificat filium, non honorificat patrem qui miſit illum.* Sed forte, quia audis miſſum, ideo putas minorem? Rogo te, Deum credis eſſe filium, an non? Sine dubio reſponſurus es, Deum. Quia etſi tu negare volueris, ſanctis ſcripturis convinceris, dicente Apoſtolo: *Ex quibus Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula.* & Johannes in epiſtola ſua, *Ut ſimus*, inquit, *in vero filio ejus, qui eſt verus Deus & vita aeterna.* & Thomas, *Deus meus*, inquit, *& Dominus meus.* & Melchiſedech ſummus ſacerdos, *Benedictus*, inquit, *Abraham Deo excelſo, qui creavit cælum & terram.* Vides quia non ſolum Deus, ſed Deus excelſus, Melchiſedech vocibus comprobatur. Teſtis eſt & Oſee Propheta dicens: *Firmans cælum & creans terram, ego Dominus Deus tuus, cujus manus creaverunt omnem militiam cæli.* Si ergo Deus eſt filius, immo quia Deus eſt, quia per ipſum facta ſunt omnia, & non ſolum non minor ſed excelſus Deus, interrogo te utrum Deus ubique ſit, an fortè localiter, cum impium ſit negare quod ubique ſit Deus. Et ſi ubique eſt, quaeſo te ubi miſſus eſt? Sed miſſionem filii incarnationem ejus intellige, ipſo Apoſtolo exponente. *Miſit*, inquit, *Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege.* Denique de ipſo legimus in Propheta: *Cælum & terram ego impleo, dicit Dominus.* & evangeliſta: *De plenitudine*, inquit, *ejus nos omnes accepimus.* Et ſi omnia ipſe implet, ubi miſſus eſt cujus majeſtate plena ſunt omnia? Sed adhuc fortè dicis, ſicut habet carnalis intellectus, inter gignentem patrem & genitum filium non potuiſſe fieri niſi ut aliquod fuiſſet ſpatium, ſpatium horae faciunt, horae tempus deſignant, ac ſic ſi tempus anteponis filio, non omnia per ipſum facta fateris. Et ubi eſt illud: *Omnia per ipſum facta ſunt.* Certè ſecundum tuam propoſitionem reſpondeo, qui dicis fuiſſe patrem aliquando ſine filio. Utique legimus pariter in Apoſtolo Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam. Et ipſe de ſe Dominus loquitur: *Ego ſum via, veritas, & vita.* Si ergo fuit pater ſine filio, ſicut tu dicis, fuit ſine virtute, fuit ſine ſapientia, fuit ſine vita, fuit ſine veritate. Sed quia ſine his nunquam fuiſſe pater credendus eſt, hoc convenit ſaluti tuae ut juxta fidem catholicam conſempiternum patri & aequalem filium fatearis, quia & virtus ejus legitur ſempiterna, dicente Apoſtolo: *Sempiterna quoque virtus ejus & divinitas.* Similiter & de veritate ejus, dicente Pſalmiſta: *Et veritas Domini manet in æternum.* Solent etiam iſtam velut quaeſtionis calumniam generare. In tantum, inquiunt, major eſt pater ut priori ſemper nominetur loco. Etiamſi priori ſemper loco nominaretur, valde videbatur eſſe conveniens; quia ex ipſo eſt filius, non ille ex filio. Tamen ut aequalitatem agnoſcas, audi in ſcripturis, ubi etiam prior filius nominatur. Iohannes evangeliſta ait: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.* In verbo itaque filium indicavit. Et Apoſtolus ad Epheſios: *An neſcitis quia omnis fornicator aut immundus non habet hereditatem in regno*

Digitized by Google

gno Chriſti & Dei. Ecce & hic priori loco filius nominatur. Et ad Galatas Paulus Apoſtolus: *Non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum & Deum patrem*. Et ad Theſſalonicenſes: *Ipſe autem Dominus Jeſus Chriſtus & Deus pater, quia dilexit nos*. Ad Corinthios: *Secundum gratiam Domini noſtri Jeſu-Chriſti, & caritas Dei patris, & communicatio ſancti ſpiritus cum omnibus vobis*. Et ipſe Dominus dicit: *Ego & pater unum ſumus*. Non dixit, *Pater & ego*. Et alibi: *Qui me videt, videt & patrem*. Et iterum: *Qui non honorificat filium, non honorificat patrem qui miſit illum*. Ecce quoties priori loco filius nominatur. Sed quia in patre & filio aequalitas eſt, nullum praejudicium nec ante nec poſtea nominatus alteri poterit exhibere; quia nulla eſt diverſitas ubi eſt aequalis in utroque divinitas. Sed ideo ſic legimus quia humana locutio aliter ſe non valet expedire niſi ut cum unum dixerit, ſic alterum dicat. Ecce ut agnoſcant quia ibi nihil majus minuſve eſt, ceſſet quaeſtio de patre anterius nominato: quia ubi una eſt ſubſtantia, una deitas, & incorporalis immenſitas, nulla eſt diſparilitas vel diverſitas aeſtimanda. Vbi enim unus Deus creditur, ibi minor & major excluditur. Neſcit enim numerum unitas, gradum non admittit aequalitas, ſicut ſcriptum eſt: *Non aſcendes per gradus ad altare meum*. Et ideo auferat contentionem & teneat cum catholica inſeparabilem trinitatem ſine permixtione conjunctam, ſine ſeparatione diſtinctam; quia pater & filius & ſpiritus ſanctus Deus verus, plenus, & unus eſt. Ipſa enim per ſe ratio docet quia unus nec poſteriorem recipit nec priorem, comparationem vel ſeparationem neſcit habere qui ſolus eſt, minor non poteſt eſſe qui plenus eſt; quia perfectioni nec addi quicquam nec minui poteſt. Credantur ergo tres perſonae, ſed non tres ſubſtantiae, tres proprietates, ſed non tres poteſtates. Ita una ſine principio ſempiternitas, ſicut una ſine fine majeſtas. Sine auctore pater, ſine tempore filius, ſine majore ſpiritus ſanctus. Nos enim catholici Dominum Deum noſtrum Ieſum Chriſtum & minorem dicimus patri & aequalem; minorem propter humanitatem aſſumptam, quia cum in forma Dei eſſet, formam ſervi induere dignatus eſt. Æqualem vero dicimus propter deitatis ſempiternitatem, qua ex patre parte exiſtens filius conſempiternus eſt patri. Quare ergo nobiſcum non confitentur aequalem, cum nos illis non negemus minorem? praeſertim cum utrumque utrique in ſcripturis ſanctis legimus, dicente evangeliſta. *Propterea*, inquit, *quaerebant eum interficere Judaei quia non ſolum ſolvebat ſabbatum, ſed etiam patrem ſuum dicebat Deum, aequalem ſe faciens Deo*. Ecce impietas Iudaeorum dicit aequalem, & non veretur dicere Chriſtianus minorem? Et alibi idem evangeliſta ait: *Qui non honorificat filium, non honorificat patrem qui miſit illum*. Æqualis enim honor nonniſi aequalibus exhibetur. Et alio loco idem dicit: *Sicut pater ſuſcitat mortuos & vivificat, ita & filius quos vult vivificat*. Audi dicentem *quos vult*, & aequalem eum patri ac ſuae poteſtatis eſſe cognoſce. Et non dicas eum minorem, quia nuſquam in ſcripturis ſanctis id reperies, ſed ſicut ipſe Philippo dicit, *Qui me videt, videt & patrem & omnia quae pater facit*. Vel illud: *Deus erat verbum*. Et Apoſtolus, ut memoravimus, *Qui eſt*, inquit, *ſuper omnia Deus benedictus in ſaecula*. Non poteſt minor credi qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula. Et alibi Apoſtolus: *Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe aequalem Deo*. Quare hoc? Quia nemo rapit niſi quod non habet. Ille ergo qui habebat aequalitatem, non eſt arbitratus rapinam; ſed quam rebellis angelus aſſumere voluit per rapinam, Chriſtus poſſidet per naturam. Quia vero eſt verus Deus audi beatum Iohannem dicentem in epiſtola ſua, *Et ſimus*, inquit, *in vero filio ejus Jeſu Chriſto. Hic eſt verus Deus & vita aeterna*. Audis verum Deum, & praeſumis dicere minorem, & non confiteris aequalem. Dicit etiam beatus Apoſtolus ad Titum: *Expectantes beatam ſpem & adventum gloriae magni Dei*. Neſcio qua fronte minor eſſe dicatur quem magnum Deum Apoſtolus profitetur. Hoc etiam perfidus error dicere ſolet, quod ubi in ſcripturis legimus aut ſolum Deum aut ſolum altiſſimum aut ſolum ſapientem, hoc non de trinitate dici, ſed de ſolo patre accipi debeat. quod quam abſurdum ſit ita ſentire de hoc uno teſtimonio convincatur. Dicit enim Apoſtolus: *Cognito ſoli ſapienti Deo*. Non intelligunt quia non dixit *ſoli ſapienti patri*, ſed *ſoli ſapienti Deo*. quae eſt trinitas. Nam dum ſoli patri hoc deputant, filium inſipientem blaſphemant. Et quomodo eum Apoſtolus ſapientiam Dei eſſe dicit ſi ſolus pater eſt ſapiens, cum nullus ſapiens poſſit eſſe niſi per ſapientiam ſuam? Et ubi eſt illud quod ad Coloſſenſes idem Apoſtolus proteſtatur de Chriſto Ieſu, *in quo ſunt omnes*, inquit, *theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi*? Vnde agnoſcant quam ſtultum ſit quod proponunt. Et ubicunque aliquid ſimiliter legunt, non uni perſonae deputant, ſed beatae trinitati, quae ſola ſummus Deus & verus eſt. Nam & de ſpiritu ſancto ſic dicit Apoſtolus: *Alii quidem datur ſermo ſapientiæ, alii autem ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritum*. Si ergo per ſpiritum ſanctum, ſicut verum eſt, & ſapientiae & ſcientiæ ſermo donatur, quomodo ſolius patris perſonæ hoc poteſt adſcribi quod ſolus ſit ſapiens, niſi, ut dictum eſt, æque vere trinitati illa conveniant? Solent etiam dicere: Ideo minor eſt filius quia viſibilis, pater autem inviſibilis. Non intelligunt quia nec filius in ſubſtantia deitatis ſuæ ſit viſibilis, niſi in adſumpto homine, qui & Chriſtus dicitur. Nam filius Dei, id eſt, verbum quod erat in principio Deus apud Deum, per quem facta ſunt omnia, videri in ſua ſubſtantia non poteſt, ſicut nec pater in ſubſtantia ſua. Interrogo autem ſine ſui injuria illum ipſum qui dicit quod viſus ſit filius Dei, utrum animam ſuam viſibilem an inviſibilem fateatur. Et cum dixerit inviſibilem, ſicut & verum eſt, dicatur ei: Si creatura, id eſt anima tua, inviſibilis eſt, creator utique Deus, creator univerſitatis, quomodo potuit eſſe viſibilis? Sed ideo induit carnem, quæ videri potuit, quia deitas ab homine videri non poteſt. Hac carne major eſt pater & aequalis verbo, major carne, aequalis ei per quem fecit nos, major eo qui factus eſt propter nos. Nam quod Deus ſit filius, licet multa teſtimonia ſuperius poſita evidenter perdoceant, tamen adhuc pauca credidi ſubjungenda. In geneſi ſcriptum eſt: *Creavit Deus hominem ad imaginem ſuam*. Ecce hic Deum agnoſce, quia & hominem ipſe creavit. Et Iſaias dicit de Iohanne praecurſore Domini. *Rectas facite ſemitas Dei noſtri*. Cujus Dei niſi utique filii, quem in carne veniſſe non dubitamus? Et paulo poſt: *Confortate manus diſſolutas, & genua debilium roborate. Dicite puſillanimes: Ecce Deus veſter in fortitudine veniet, & ſalvabit vos, & tunc aperientur oculi caecorum*. quod utique in adventu Chriſti completum eſſe cognoſcimus. Pſalmiſta etiam dicit: *Omnes gentes quaſcunque feciſti venient & adorabunt coram te Domine, quoniam magnus es & faciens mirabilia, tu es Deus ſolus*. Non puto aliquem eſſe tam impium qui neget filium Dei & mirabilia feciſſe & univerſas gentes creaſſe, niſi forte Iudæos. Et alibi Iſaias, cum adventum Chriſti per virginem nuntiat, dicit inter cetera: *Et vocabitur nomen ejus admirabilis, conſiliarius, Deus fortis*. Sed & beatus Apoſtolus: *Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti*. Et ut agnoſcas Deum eſſe Chriſtum, ſic alibi dicit: *Omnes ſtabimus ante tribunal Dei. Vivo ego, dicit Dominus, quia mihi flectetur omne genu*. Vtique de Chriſto dicit, quem ad judicandum vivos & mortuos venturum eſſe credimus. Pſalmiſta voces angelicarum faciens cum Chriſtus aſcendiſſet, *Tollite*, inquit, *portas principes veſtras, & elevamini portæ aeternales, & introibit Rex gloriæ*. Illis quaſi interrogantibus quis eſſet iſte Rex gloriae reſpondit:

Do-

Dominus fortis & potens, Dominus virtutum, ipſe eſt Rex gloriae. Et ne forte de patre dictum putent, quomodo multa abſurde intelligunt, audiant Apoſtolum huic verſiculo conſentientem. *Si enim*, inquit, *cognoviſſent, nunquam Dominum gloriae crucifixiſſent.*

Cum tam praeſentibus quam praeteritis teſtimoniis, quae de ſcripturis ſacris poſita ſunt, Deus eſſe filius demonſtretur, miror qua fronte eum aliqui minorem dicendo blaſphemare non metuunt, cum nuſquam omnino Deus minor eſſe legatur, niſi, ut dictum eſt, propter diſpenſationem carnis adſumptae, in qua non ſolùm ab angelis minoratus eſt, ſicut dicit Apoſtolus, *Eum autem qui modicum quam angeli minoratus eſt vidimus Ieſum propter paſſionem mortis*, ſed & matre ſua junior invenitur, ſicut jam diximus. Secundum hanc ergo regulam duas in Chriſto crede ſubſtantias, Deum verum & hominem verum. Secundum hominem morti ſubditur, ſed ſecundum Deum auctor vitae eſſe cognoſcitur, dicente beato Petro: *Petiſtis virum homicidam donari vobis, auctorem vero vitae interfeciſtis.* Secundum hominem, *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem*; ſed ſecundum Deum, *Poteſtatem habeo ponendi eam & iterum ſumendi eam, & nemo eam tollit a me, ſed ego eam pono a memetipſo.*

Hinc etiam occaſionem calumniandi ſolent (accipere) quod Dominus in evangelio dixerit: *Non poteſt filius a ſe facere quicquam niſi quod viderit patrem facientem.* Quod carnalis ſenſus non intelligens ideo dictum ut ſe ex patre eſſe oſtenderet, putat Deum patrem & filium, quomodo inter homines fieri ſolet, velut ipſe pater artifex filium ſuum artificium ſuum vult edocere, ut quod viderit patrem operantem filius ſpecialiter imitetur. Quod quam abſurdum ſit de Deo patre omnipotente ita credere, qui eſt incorporeus, inviſibilis, inaeſtimabilis, & immenſus, qui cordis oculos ſanos habet evidenter poteſt agnoſcere. Nam qui ſic ſentiunt, interrogandi ſunt mundus iſte quem cernimus à quo ſit factus. Vtique à filio minimè denegabunt, adteſtante evangeliſta & dicente: *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Dicant ergo ubi vidit filius patrem ante facientem alium mundum, ut ſic poſtmodum ille iſtum crearet, praeſertim cum apud potentiam Dei voluiſſe creaſſe ſit, ſicut legimus: *Ipſe dixit, & facta ſunt.* Sed ſublato cordis velamine bene facerent credere filium in patre & patrem eſſe in filio, quia divinitas ubique tota & praeſens tam patris quam filii quam ſpiritus ſancti ſine ſe eſſe nuſquam poteſt, ſicut ipſe dicit, *Ego in patre, & pater in me*; & cognoſcerent quid ſit videre filii, ut una eſt ſubſtantia, ita una voluntas, una potentia, una gloria, nihil ibi majus nihilque minus eſſe credentes. Si enim nos homines terreni quod facere volumus corpore animae noſtro ante meditationis inſinuatione praemiſſa, ſapientia exequente perficimus, & quodammodo conſilium innatum in mente noſtra, prius intus in corde agimus quod facere diſponimus, quae tamen abſque ulla participatione ſenſuum indiſſociabiliter una mens efficit, quomodo non Deus pater ſapientiae ſuae cum Deo filio, quae eſt ſapientia ſua in ſe manente, quia ipſe eſt, ut ſaepe diximus, ſapientia & virtus patris, & in una voluntate cuncta & una operatione perficit, & ea haec alia pater facit, alia filius? Sed eadem quae pater facit, ipſe & filius facit, ſicut ipſe teſtatur. *Quaecunque*, inquit, *pater facit, haec eadem & filius ſimiliter facit.* Sed ideo dixit, *Non poteſt filius à ſe facere quicquam niſi quod viderit patrem facientem*, ut nos cognoſcamus & credamus quia ex patre eſt filius, & non ex ſemetipſo vel aliunde, ſed conſempiternus patri, quia pater in ſe eſt, ſemper perfectus extitit. Nec enim aliquando, quomodo Arriani blaſphemantur, fuit ſine filio pater. Ergo imperfectus fuit. Ergo fuit ſine verbo, & ſicut jam memoravimus, fuit ſine ſapientia, ſine veritate, ſine vita, ſine juſtitia, ſine virtute; quia illae omnes ſpecies divinitatis ſecundum ſcripturas filius eſſe noſcuntur. Sed quia ſine his virtutibus patrem unquam dici fuiſſe blaſphemum eſt, hoc juſtum eſt convenit ut conſempiternum & coaequalem patri filium fateamur. Si enim Deus in cordibus noſtris, cum loquitur miro modo, loquitur ſine ſono, putas quomodo poteſt loqui filio ſuo, qui eſt verbum ejus? Sic ergo cogita, quod incorporaliter locutus eſt filio ſicut & incorporaliter pater genuit filium. Nec enim ſic docuit quaſi indoctum genuerit; ſed hoc eſt eum docuiſſe quod eſt doctum & ſcientem genuiſſe, & hoc eſt *Docuit me pater* quod eſt *ſcientem genuit me pater.* Quomodo autem a ſe nihil poteſt facere filius, de quo Propheta teſtatur & dicit: *Deus autem in caelo ſurſum, & in terra deorſum, omnia quaecunque voluit fecit.*

Sed forte dicturus es hoc de patre dictum. Redi ad evangeliſtam dicentem de filio quia omnia per ipſum facta ſunt & ſine ipſo factum eſt nihil. Qui etiam loquitur ad Moyſen: *Vade*, inquit, *dic filiis Iſrael, Deus patrum veſtrorum miſit me ad vos.* Illo reſpondente & dicente, *Dic mihi nomen tuum, nam non credent mihi*, poſt haec adiciens Deus dixit ei: *Vade, dic filiis Iſraël, Ego ſum qui ſum, & qui eſt miſit me ad vos.* Et ne de patre dictum accipias, audi beatum Apoſtolum huic loco conſentientem & quodammodo ipſum teſtimonium exponentem ad Corinthios. *Dei*, inquit, *filius, qui praedicatus eſt vobis per me & Silvanum & Timotheum, non fuit in illo eſt & non, ſed eſt in illo fuit. Quotquot enim promiſſiones Dei ſunt, in illo eſt.* Audi populum cum Moyſe concordantem, & tu noli a fide catholica diſcordare. Nam ſi Eccleſiam catholicam interrogas de patre, quid ſit, dicit, Deus. Si de filio, dicit, Deus. Si de ſpiritu ſancto, dicit, Deus. Et tamen non dicit tres deos, ne gentibus comparetur, qui plures deos errore ſuo decepti confingunt, ſed credit ſcripturae dicenti tam novi quam veteris teſtamenti quia Deus unus eſt, & unus major, alter minor non eſt, ut Arriani dicunt. Unus dici non poteſt major. Æqualitas unitatem excludit. Quomodo autem tres & unum credamus adverte. Unitatem facit aequalitas virtutum, trinitatem proprietas perſonarum. Audite quomodo ipſe intelligendam aequalitatem ſuam & patris docuerit. *Ego*, inquit, *& pater unum ſumus.* Aliud eſt *unum*, aliud *ſumus*. Nam cum dicit *ſumus*, perſonas ſignificat. Cum dicit *unum*, ſubſtantiam divinitatis deſignat. *Unum ſumus*, id eſt, juſtitia ſumus, eademque ſapientia, virtus indiviſa, par gloria. Quae cum ita ſint, contentio auferatur & fides integra teneatur.

Dicunt etiam: Ideo major eſt pater quia & immortalis. Interrogandi ſunt utrum filium in ſubſtantia deitatis ſuae mortalem eſſe fateantur. Quod ſi dixerint, quàm contra rationem dicant omnis homo agnoſcere poteſt qui etiam humanam animam immortalem eſſe non ambigit. Sed hoc eis dicendum, quod ſecundum carnem paſſus dicatur & mortuus, nam ſecundum divinitatem, qua ſemper extitit & univerſa creavit, immortalis permaneat.

Dicunt etiam eſſe viſibilem. Quod quam abſurdum ſit agnoſcant qui hoc dicunt. Cum nec anima humana poſſit eſſe viſibilis, quanto magis Deus in ſua ſubſtantia? Sed ideo carnem adſumpſit, quae poterat videri, quia deitas corporeis oculis non poterat intueri. Haec interim de aequalitate patris ac filii ad praeſens dicta ſufficiunt. Nam de aequalitate operum trinitatis, id eſt, patris & filii & ſpiritus ſancti, paulo poſt, donante Domino, de ſcripturis ſanctis monſtrabimus.

Nunc vero de ſancti ſpiritus deitate pauca de multis teſtimoniis ſunt ponenda; quem non ſolum minorem aſſerere, ſed etiam Deum omnino dicuntur haeretici denegare. Audiant pauca de deitate ſpiritus ſancti. In geneſi dicit ſermo divinus: *Spiritus Domini*

mini

mini ferebatur ſuper aquas, hoc eſt, eminentia poteſtatis, non inopia neceſſitatis. Et in evangelio: *Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare*. Et ne forte de patre dictum intelligas, & non de ſpiritu sancto, audi quod ſequitur. *Spiritus ubi vult ſpirat*. Audi *ubi vult*, & ſuae poteſtatis eum eſſe non dubites. Et Apoſtolus ad Corinthios dicit: *Diviſiones gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus. Et diviſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus. Et diviſiones operationum ſunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus*. Et ut cognoſcas ipſum ſpiritum nominatum Dominum & Deum, audi inferius quomodo concluſit. *Alii quidem datur per ſpiritum ſermo ſapientiae, alii autem ſermo ſcientiae ſecundum eundem ſpiritum. Alteri fides in eodem ſpiritu*. & reliqua. Et ſic concluſit. *Haec autem omnia operatur unus atque idem ſpiritus, dividens ſingulis prout vult*. Qui divina munera pront vult diſpenſat, legem ſuperioris ignorat. Agnoſce tandem quia qui prout vult dividit, nullis ſubditus eſſe probatur, ſed ſuae poteſtatis eſſe dinoſcitur. De ſumma enim poteſtate deſcendit voluntas cui nulla contradicit auctoritas. Et ad Hebraeos ſimiliter dicit (de) ſpiritus ſancti diſtributionibus ſecundum ſuam voluntatem; & quis iſte ſit diſtributor ac diviſor ad Romanos evidenter oſtendit dicens: *Unicuique ſicut Deus diviſit menſuram fidei*. & ad Corinthios: *Neſcitis*, inquit, *quoniam templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis*. & reliqua. Et quis iſte Deus ſit cujus templum prohibet violari ait in ſequentibus. *Neſcitis quia membra veſtra templum eſt ſpiritus ſancti*. Et quis eſſet iſte ſpiritus ſanctus, cujus templum eſſemus, ſic concludens demonſtrat. *Glorificate*, inquit, *& portate Deum in corpore veſtro*. Agnoſce ſpiritum ſanctum evidenter Deum, & deſine blaſphemare. Et in actibus Apoſtolorum beatus Petrus ad Ananiam, qui Deo voverat oblationem, & poſtmodum extitit indevotus, ſic dicit: *Quis compulit te mentiri ſpiritui ſancto? Non es mentitus hominibus, ſed Deo*. Ecce & hic eum evidentiſſime Deum eſſe beati Petri adteſtatio manifeſtat. Item ibi dixit ſpiritus ſanctus: *Segregate mihi Paulum & Barnabam ad opus ad quod elegi eos*. Et beatus Paulus ibibi dixit: *Attendite*, inquit, *vobis & univerſo gregi in quo vos ſpiritus ſanctus poſuit Apoſtolos regere Eccleſiam Dei quam adquiſivit ſanguine ſuo*. Et quis eſſet iſte qui Apoſtolos ſegregat & mittit idem Paulus ad Corinthios declarat dicens. *Et quoſdam*, inquit, *poſuit Deus in Eccleſia primum Apoſtolos, ſecundum Prophetas, tertio Doctores*, & reliqua. Ecce ubi ſpiritum ſanctum Deum luce clarius demonſtravit. Et quem in actibus ſpiritum ſanctum dixit ad Corinthios Deum eſſe manifeſte confeſſus eſt. Dicit enim idem vas electionis ad Judaeos: *Bene ſpiritus ſanctus de vobis prophetavit per os Iſaiae prophetae*. Et quis eſſet iſte ſpiritus ſanctus qui in Prophetis locutus ſit beatus David exprimit dicens: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*. Et beatus Petrus in actibus Apoſtolorum, *Ut impleretur*, inquit, *ſcriptura quam praemiſit Deus per os Prophetarum ſuorum*. Et hic agnoſce quod eum Deum evidenter declarat qui per os Prophetarum locutus eſt, ſicut Zacharias in evangelio ait. *Benedictus*, inquit, *Dominus Deus Iſrael, quia viſitavit & fecit redemptionem plebi ſuae*. Et poſt pauca ait: *Sicut locutus eſt per os ſanctorum Prophetarum ſuorum*. Agnoſcis Dominum Deum eſſe ſpiritum ſanctum, qui per os Prophetarum locutus eſt. Quod nec impii Iudaei denegant. Qui ſi Deus non eſſet, non in baptiſmo in uno nomine deitatis patri & filio ſociaretur, ſicut ſcriptum eſt ubi regulam baptiſmi poſuit ipſe Dominus. *Ite*, inquit, *baptizate omnes gentes in nomine patris & filii & ſpiritus ſancti*. Quod ſolum teſtimonium deberet haereticis ſufficere ad credulitatem inſeparabilis trinitatis, quia nec ipſi audent aliter baptizare, ne regulam Domini corrumpere videantur. Et ubi unum nomen dicitur, ibi major & minor excluditur. Et in ſecunda epiſtola ad Corinthios: *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti & caritas Dei & communicatio ſancti ſpiritus ſit cum omnibus vobis*. Ut agnoſcas patris & filii & ſpiritus ſancti unam eſſe ſubſtantiam ac divinitatem, audi Iſaiam Prophetam dicentem: *Quis appendit tribus digitis molem terræ?* Nam & ſingulariter invenimus in ſcripturis digitum ſanctum ſpiritum nominatum. Ut eſt illud in evangelio ubi ait: *Si ego in digito Dei daemonia eicio*. quod alius evangeliſta declarat dicens: *Si ego in ſpiritu Dei eicio daemonia*. Et magi Pharaonis victi ſignis dicunt: *Digitus Dei eſt*. In Pentecoſten, quod etiam ante adventum Chriſti Iudaei colebant, digito Dei id eſt ſpiritu ſancto inſcriptas tabulas Moyſes accepit; & quae tunc in lapideis tabulis præfigurata ſunt corda duriſſima Iudæorum poſt aſcenſionem Domini in carneis tabulis, id eſt in cordibus diſcipulorum, viſibiliter dignatus eſt apparere in ipſa ſpecie ignis, in qua Moyſi in deſerto apparuit. de quo credimus Iſaiam dicere: *Dominus noſter ignis conſumens eſt*. Et ſicut legimus quod nemo noverit cogitationes hominum niſi Deus, quomodo ſpiritus ſanctus non eſt Deus, quia etiam non ſolum in homine eſt, ſed & quæ inter ſunt ſcire dinoſcitur, dicente Apoſtolo: *Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei*. Et paulo poſt ita: *Quae Dei ſunt nemo cognovit niſi ſpiritus Dei*.

Sed forte dicit aliquis ideo minorem quia miſſus legitur? Et quid dicturus eſt cum legit in Iſaia Propheta ex perſona Chriſti dicentis: *Dominus miſit me & ſpiritus eius*, & alibi: *Spiritus Domini ſuper me. Propter quod unxerit me ad evangelizandum pauperibus remiſſionem & caecis viſum, ut adnuntiarem annum placabilem Domini*. & reliqua. Et ut ſcias evidenter de Domino dictum, evangeliſta dicit: *Cum veniſſet Dominus Jeſus in ſynagoga, datus eſt ei liber Iſaiae Prophetae; quem aperiens, invenit ſcriptum, Spiritus Domini ſuper me*. & reliqua quæ ſupra diximus. *Et poſt haec liquit*, inquit, *librum, & dedit miniſtro, & dixit: Hodie in vobis impleta eſt ſcriptura iſta*. Credendum eſt initi qui ubique eſſe dinoſcitur, ſicut dicit pſalmiſta: *Quo ibo a ſpiritu tuo, & a facie tua quo fugiam?* Sed ſicut filii miſſio incarnatio intelligitur, ita ſpiritus ſancti miſſio manifeſtatio declaratur, cum ſe dignatus eſt aut in columbae ſpecie vel in igne aut diverſis hujuſmodi adſumptis indiciis declarare. Quomodo ergo minor credendus eſt qui etiam Deum, qui ſicut ipſe æqualis eſt patri, adprobatur ad noſtram remiſſionem miſiſſe, & non ſolum miſiſſe, ſicut per Iſaiam dictum memoravimus, ſed etiam ſecundum carnem creaſſe, ſicut habes in evangelio angelum ad Mariam dixiſſe. *Spiritus*, inquit, *ſanctus ſuperveniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi*. & reliqua. Non enim generatione, ſed juſſione & benedictione ſancti ſpiritus conceptus eſt Chriſtus, ſicut & alius evangeliſta ait. *Inventa eſt*, inquit, *habens in utero de ſpiritu ſancto*. Prophetae autem dicunt, ut cum frequenter jam memoravimus, *Haec dicit Dominus*. Et qui ſit ille Dominus, Michæas Propheta evidenter oſtendit cum loquitur ad Achab dicens: *Et ſi tu de praelio ſanus redieris, in me non eſt locutus Deus*. Et quis iſte Deus ſit qui in Prophetis locutus ſit, Paulus Apoſtolus demonſtrat cum dicit ad Iudæos: *Bene*, inquit, *de vobis ſpiritus ſanctus prophetavit per os Iſaiae Prophetae. Vade, inquit, excæca cor populi hujus*. & reliqua.

Interrogandi ſunt tamen haeretici cujus major offenſa ſit, qui in patrem peccaverit, an qui in ſpiritu ſancto, quem dicunt Deum non eſſe. Et cum dixerint majorem offenſam eſſe qui in patrem peccat, interrogandi ſunt iterum, filii Iſrael utrum peccaverunt patri, an alteri. Cum reſponderint quia patri peccaverunt, iterum interrogandi ſunt ſi eis fuerint dimiſſa peccata. Utique non negabunt, quia & legimus quod converſi ſunt ad Deum, & dimiſſa fuerint eis peccata. Deinde interrogandi ſunt ut exponant quomodo intelligant dictum a Domino:

Quicunque in ſpiritu ſancto peccaverit, non remittetur ei neque in hoc ſaeculo neque in futuro. Si Deus non eſt, quare tam gravis ejus offenſa a Domino eſſe dicatur?

Iterum interrogandi ſunt ſi fuerint filii Iſrael contumaces Deo, an non. Cum non negaverint, quia nec poſſunt, dicendum eſt eis quomodo accipiant illud quod beatus Stephanus Iudaeis exprobraverit dicens: *Vos ſemper reſiſtitis ſpiritui ſancto, & ſemper et contumaces fuiſtis, ſicut & patres veſtri.* Audi etiam ad Theſſalonicenſes, ubi ſpiritum ſanctum & priori loco ponit & Dominum nuncupat dicens: *Dominus autem dirigat corda veſtra in caritate Dei, & patientia Chriſti.* Diligenter adverte quia hic ſpiritus ſanctus oratur ut corda credentium dirigat in caritate Dei & in patientia Chriſti.

Interrogandi ſunt etiam quid majus ſit, utrum caeli, an virtutes caelorum. Et cum ſine dubio dixerint virtutes caelorum, dicendum eſt eis: In tantum Spiritus ſanctus minor non eſt, ſed ſummus eſt, ut verbo Domini dicantur caeli creati, Spiritu ſancto virtutes caelorum. Accipe adhuc ubi creator evidenter Spiritus ſanctus deſcribitur. Iob dicit: *Spiritus divinus qui fecit me.* Et divinum utique & creatorem uno verſiculo demonſtravit, cum divinum appellat & Deum creatorem oſtendit; ſicut & David dicit: *Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terrae.*

Interrogandi etiam ſunt ſi creatura ubique eſſe poteſt an non. Et cum reſponderint quia non ubique, ſicut & verum eſt, dicendum: Abſque dubio ſpiritus ſanctus Deus eſt, & non creatura, quia ubique eſſe deſcribitur. de quo, ſicut jam dictum eſt, Propheta omnipotentiam ejus metuens dicit: *Quo ibo a ſpiritu tuo, & a facie tua quo fugiam?* Agnoſce ergo nullum eſſe locum ubi non omnipotentia ſpiritus ſancti praeſens eſſe probetur.

Item interrogandi utrum poſſit alius praeter Deum peccata dimittere. Et cum reſponderint quia nullus niſi Deus, quia ſcriptum eſt, *Nemo poteſt peccata dimittere niſi ſolus Deus*, dicendum eſt eis: Sine dubio ſpiritus ſanctus Deus eſt, qui remiſſionem peccatorum conferre dinoſcitur, ſicut Dominus dicit: *Accipite ſpiritum ſanctum, Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis.* Qui etiam in baptiſmo cum patre & filio baptizatis remiſſionem tribuit peccatorum. Audi etiam quod ad Corinthios jam dictum eſt. *Gratia*, inquit, *Domini noſtri Jeſu Chriſti, & caritas & communicatio ſancti ſpiritus cum omnibus vobis.* Qui ſi non eſſet Deus & creatura eſſet, ſicut blaſphemant haeretici, nunquam in baptiſmo, ubi ſalus humani generis agitur, patri & filio copularetur.

Nam quod unius ſubſtantiae ſit pater & filius & ſpiritus ſanctus Iſaias Propheta dicit, ſicut jam memoravimus: *Quis appendit tribus digitis molem terrae?* Quo loco per tres digitos in tribus perſonis unam ſubſtantiam eſſe perdocuit. Quod Apoſtolus de trinitate dictum intelligens ait: *Ex ipſo & per ipſum & in ipſo ſunt omnia.* Idem ex patre & filio & ſpiritu ſancto omnia continentur. Item ad Corinthios dicit idem Apoſtolus: *Deus qui praedixit in cordibus noſtris ad illuminationem ſcientiae claritatis Dei in faciem Jeſu Chriſti.* Quo loco manifeſtiſſime trinitas intelligitur. In eo vero ubi dicit *in faciem Chriſti Jeſu* filius deſignatur.

Audi adhuc quia trinitas in unitate manet, & unitas in trinitate, angelorum & archangelorum voces declarant in Iſaia, ubi Seraphim hymnum ſcribitur dicere, *Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus Sabaoth*, id eſt, ut tres perſonas & unum Deum intelligas. Non ſemel dicunt, ne ſingularitatem credas; non ſingillatim, ne ſanctum excludas; non *ſancti domini dii Sabaothes*, ne tres deos more gentilium fatearis; ſed dicunt *Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus Sabaoth*, ut trinitas Deus laudetur, qui eſt pater & filius & ſpiritus ſanctus. Quem etiam Deum eſſe ex operationum aequalitate, qui oculos cordis ſanos habet, facile poterit adprobare, ſicut in ſequentibus demonſtrabimus. Sicut ſalvat pater, ita & filius & ſpiritus ſanctus. De patre *Salva nos* dicitur *& congrega nos de nationibus.* De filio: *Venit filius hominis ſalvum facere quod perierat.* Et alibi: *Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum a peccatis eorum.* De ſpiritu ſancto ad Titum: *Salvos nos facit per lavacrum regenerationis ſpiritus ſancti.* Sicut confortat pater, ita & filius, ita & ſpiritus ſanctus. De patre: *Confortat me Deus deorum.* De filio Apoſtolus: *Gratias ago Domino Jeſu Chriſto, qui me confortavit, & fidelem me exiſtimavit.* De ſpiritu ſancto in evangelio: *Puer autem creſcebat & confortabatur plenus ſpiritu ſancto.* Vivificat pater, ita & filius, ita & ſpiritus ſanctus. In evangelio: *Sicut pater ſuſcitat mortuos & vivificat, ita & filius quos vult vivificat.* De ſpiritu ſancto in epiſtola Petri Apoſtoli: *Mortificatos carne, vivificatos autem ſpiritu.* Et Paulus Apoſtolus, *Littera*, inquit, *occidit, ſpiritus autem vivificat.* Et in evangelio: *Spiritus eſt qui vivificat. Nam caro non prodeſt quicquam.* Sicut liberat pater, ita filius, ita & ſpiritus ſanctus. De patre: *Deus excelſus liberator eorum eſt.* De filio in evangelio: *Si vos filius liberaverit, vere liberi eritis, & veritas liberabit vos.* De ſpiritu ſancto: *Spiritus vitae in Chriſto Jeſu liberavit me a lege peccati & mortis.* Elegit pater, ita & filius, ita & ſpiritus ſanctus. De patre Apoſtolus: *Benedictus Deus & pater Domini Jeſu Chriſti, qui elegit nos ante mundi conſtitutionem.* De filio: *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos.* De ſpiritu ſancto in actibus Apoſtolorum: *Cum ergo jejunaſſent & oraſſent, dixit eis ſpiritus ſanctus: Segregate mihi Barnabam & Paulum ad opus ad quod elegi eos.* Creator dicitur pater, ita filius, ita ſpiritus ſanctus. De patre Apoſtolus: *Quae ſit ſacramenti diſpenſatio a Deo, qui omnia creavit.* De filio ad Coloſſenſes: *Quia ab ipſo creata ſunt univerſa, & omnia in ipſo conſtant.* Et in evangelio: *Omnia per ipſum facta ſunt.* De ſpiritu in Salomone: *Et vidit & dinumeravit & menſus eſt omnia, ipſe creavit ea per ſpiritum ſanctum.* & in pſalmo: *Emitte ſpiritum tuum & creabuntur.* & alibi: *Et ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Sicut praedixit pater, ita & filius, ita & ſpiritus ſanctus. De patre: *Deus autem, ſicut praedixit pati Chriſtum ſuum, implevit ſic.* De filio in evangelio angelus dixit mulieribus: *Ite, adnuntiate fratribus quia praecedet vos in Galilaeam. Ibi eum videbitis, ſicut dixit vobis.* De ſpiritu ſancto in actibus Apoſtolorum Petrus loquitur: *Oportet impleri ſcripturam quam praedixit ſpiritus ſanctus per os David.* Magnus pater, ita filius, ita & ſpiritus ſanctus. De patre: *Magnus Deus noſter & laudabilis.* De filio ad Titum: *Expectantes beatam ſpem & adventum gloriae magni Dei & ſalvatoris noſtri Jeſu Chriſti.* De ſpiritu ſancto in Regum ait Dominus ad Heliam: *Ecce Dominus tranſiet, & ſpiritus ſanctus & fortis.* Sicut caritas patris, ita filii, ita & ſpiritus ſancti. De patre: *Superabundavit autem gratia Domini Jeſu Chriſti & caritas Dei noſtri.* De filio: *Caritas enim Chriſti urget nos.* De ſpiritu ſancto: *Quid vultis, in virga veniam ad vos, an in caritate ſpiritus.* Et alibi: *Caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum qui datus eſt nobis.* Vitam aeternam dat pater, ita filius, ita & ſpiritus ſanctus. De patre: *Pax Dei, quae exuperat omnem ſenſum.* De filio in evangelio: *Pacem do vobis, pacem meam dimitto vobis.* De ſpiritu ſancto: *Prudentia autem ſpiritus vita & pax.* Revelat pater, ita filius, ita & ſpiritus ſanctus. De patre ad Galatas: *Ut revelaret filium ſuum in me.* De filio inibi: *Neque ego enim ab homine accepi illud, ſed per revelationem Jeſu Chriſti.* De ſpiritu ſancto ad Epheſios: *Quod aliis generationibus non eſt agnitum, ſicut & nunc revelatum eſt ſanctis ejus per ſpiritum ſuum ſanctum.* Et alibi: *Nobis enim revelavit Deus per ſpiritum.* Sicut illuminat

pa-

pater, ita filius, ita & ſpiritus ſanctus. De patre, *Tu illuminabis lucernam meam Domine*. De filio in Apoſtolo: *Exurge qui dormis, & illuminabit tibi Chriſtus*. De ſpiritu ſancto idem Apoſtolus: *Quoniam Deus, qui dixit de tenebris lumen ſplendeſcere, illuxit in cordibus noſtris ad illuminationem ſcientiae claritatis Dei in faciem Chriſti Jeſu*. Sicut dicitur evangelium patris, ita filii, ita & ſpiritus ſancti. De patre ad Titum: *Quae eſt ſanctum evangelium gloriae beati Dei*. De filio ad Romanos: *Cui ſervio in ſpiritu meo in evangelio filii ejus*. De ſpiritu ſancto in epiſtola beati Petri: *Vobis autem miniſtraverunt haec qui vobis evangelizaverunt in ſpiritu ſancto*. Sicut illuxit pater, ita filius, ita & ſpiritus. De patre: *Deus meus, illumina tenebras meas*. De filio in pſalmo: *Deus Dominus, & illuxit nobis*. De ſpiritu ſancto per Prophetam: *Non abſcondam ultra faciem meam ab eis, pro eo quod illuxit ſpiritus meus ſuper univerſam domum Iſraël*. Et Apoſtolus: *Quoniam Deus qui dixit de tenebris lumen ſplendeſcere, qui illuxit in cordibus noſtris ad illuminationem claritatis Dei in faciem Chriſti Jeſu*. Praeſcientiam habet pater, ita filius, ita ſpiritus ſanctus. De patre: *Deus, qui occultorum cognitor eſt*. De filio: *Ab initio*, inquit, *ſciebat Jeſus quis eum eſſet traditurus*. De ſpiritu ſancto: *Cum venerit paraclitus ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, & quae ventura ſunt adnuntiabit vobis*. Sicut ubique eſſe dicitur pater, ita filius, ita & ſpiritus ſanctus. De patre: *Caelum & terram ego impleo, dicit Dominus*. De filio: *Ubicunque fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum*. Et Apoſtolus: *Qui aſcendit ſuper caelos, ut impleret omnia*. De ſpiritu ſancto in Salomone: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum & quod ſuper orbem eſt*. Implevit ipſum Dominum orbis totius conditorem, ſicut legimus: *Jeſus autem plenus ſpiritu ſancto regreſſus eſt ab Jordane*. Et David: *Quo ibo a ſpiritu tuo?* Arguit pater, ita filius, & ſpiritus ſanctus. De patre: *Domine, ne in ira tua arguas me*. De filio: *Arguam te, & ſtatuam illam contra faciem tuam*. De ſpiritu: *Cum venerit ſpiritus paraclitus, ipſe arguet mundum de peccato*. & reliqua. Bonus pater, bonus filius, bonus ſpiritus ſanctus. De patre; *Pater bone*. De filio: *Ego ſum paſtor bonus*. De ſpiritu ſancto: *Spiritus tuus bonus deducet me in via recta*. Sanctificat & juſtificat ſicut pater, ita filius, ita & ſpiritus ſanctus. Apoſtolus: *Sed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti & in ſpiritu Dei noſtri*. Sanctus dicitur pater, ſanctus dicitur filius, ſanctus & ſpiritus ſanctus. De patre in Levitico: *Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum*. De filio in evangelio: *Quod naſcetur ex te ſanctum vocabitur filius Dei*. Item ibi: *Scimus quia ſis ſanctus Dei*. De ſpiritu ſancto in Salomone: *Sanctus enim ſpiritus diſciplinae effugiet fictum*. Fortis pater, fortis filius, fortis & ſpiritus ſanctus. De patre: *Deus fortis & patiens*. De filio in Iſaia: *Et vocabitur nomen ejus Deus fortis*. De ſpiritu in Salomone: *Spiritus fortitudinis munus ejus*. Operatur pater, operatur filius, hoc & ſpiritus ſanctus. De patre ad Philippenſes. *Deus enim, qui operatur in vobis & velle*. De filio in evangelio: *Me oportet operari opera ejus qui miſit me*. De ſpiritu ſancto ad Corinthios: *Haec autem omnia operatur unus atque idem ſpiritus, dividens ſingulis prout vult*. Virtus pater, virtus filius, virtus & ſpiritus ſanctus. De patre Apoſtolus. *Non confundor*. De evangelio: *Virtus enim Dei eſt in ſalute omni credenti*. De filio Apoſtolus: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti*. De ſpiritu ſancto ad Theſſalonicenſes: *Evangelium noſtrum non fuit apud vos in verbo tantum, ſed in virtute ſpiritus ſancti*. Fons pater, fons filius, fons & ſpiritus ſanctus. De patre Hieremias: *Dereliquerunt me fontem aquae vivae*. De filio in Salomone: *Fons ſapientiae verbum Dei*. De ſpiritu ſancto Iſaias: *Ecce nomen Domini poſt multum tempus veniens ardens, in ira indignationis vorabit gens & ſpiritus ejus ut fons aquae vallem trahens*. Caritas pater, caritas filius, caritas & ſpiritus ſanctus. De patre in epiſtola Johannis: *Deus caritas eſt*. De filio Apoſtolus ad Corinthios: *Caritas enim Chriſti urguet vos*. De ſpiritu ſancto Apoſtolus: *Obſecro vos, fratres, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum & per caritatem ſpiritus*. Regenerat pater, ſic & filius, & ſpiritus ſanctus. De patre Petrus: *Benedictus Deus & pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui ſecundum magnam miſericordiam ſuam regeneravit nos in ſpem vitae aeternae*. De filio inibi: *Diligentes invicem ex corde, quaſi renati per verbum Dei vivi*. De ſpiritu ſancto in evangelio: *Si quis non renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non introibit in regnum cælorum*. Reſuſcitat pater, reſuſcitat filius, reſuſcitat & ſpiritus ſanctus. De patre in actibus Apoſtolorum: *Deus patrum noſtrorum, qui ſuſcitavit Jeſum, & nos ſuſcitavit per potentiam ſuam*. De filio in evangelio: *Venerunt Judæi, non ſolum propter Jeſum, ſed ut Lazarum viderent, quem ſuſcitavit Jeſus a mortuis*. (De ſpiritu ſancto in epiſtola ad Romanos.) *Habitat in vobis, vivificabit & mortalia corpora veſtra propter inhabitantem ſpiritum eius in nobis*. Gratia Dei patris, gratia filii, gratia ſpiritus ſancti. De patre: *Quis me liberavit de corpore mortis hujus, gratia Dei per Jeſum Chriſtum*. De filio ad Corinthios: *Scitis enim gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti, quia propter vos factus eſt pauper, cum eſſet dives*. De ſpiritu ſancto in actibus Apoſtolorum: *Et obſtupuerunt qui cum Petro venerant, quoniam in gentibus gratia ſpiritus ſancti diffuſa eſt*. Signat pater, ſignat filius, ſignat & ſpiritus ſanctus. De patre ad Corinthios: *Et qui ſignavit vos nobiſcum in Chriſto, & qui unxit nos Deus*. De filio ad Epheſios: *Audientes verbum veritatis evangelium ſalutis veſtræ, in quo ſignati eſtis*. De ſpiritu ſancto ubi ſupra: *Nolite contriſtare ſpiritum ſanctum, in quo ſignati eſtis, in die redemptionis*. Habitat pater in credentibus, habitat filius, habitat & ſpiritus ſanctus. De patre in Iſaia: *Servate diem ſabbati, ſanctificate eum, ut habitem in medio veſtri*. De filio ad Epheſios: *Habitare Chriſtum per fidem in cordibus veſtris*. De ſpiritu ſancto: *Neſcitis quoniam templum Dei eſtis & ſpiritus Dei habitat in vobis*. Scrutatur pater, ſcrutatur filius, ſcrutatur & ſpiritus ſanctus. De patre in pſalmu: *Scrutans corda & renes Deus*. De filio in Apocalypſi: *Et ſcient omnes Eccleſiæ quia ego ſum ſcrutator cordis & renum*. De ſpiritu ſancto in Apoſtolo: *Spiritus omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei*. Teſtificat pater, teſtificat filius, teſtificat & ſpiritus ſanctus. De patre in pſalmo: *Teſtimonium Dei fidele, ſapientiam præſtans parvulis*. De filio ad Timotheum: *Præcipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia, & in Chriſto Jeſu, qui teſtimonium reddit ſub Poncio Pilato*. De ſpiritu ſancto Apoſtolus: *Teſtimonium perhibet ſpiritui noſtro*. Oſtendit pater, oſtendit filius, oſtendit ſpiritus ſanctus. De patre ad Timotheum: *Quem ſuis temporibus oſtendens beatus & ſolus potens*. De filio in evangelio. Ipſe filius dicit: *Oſtendam autem vobis quem timeatis*. & *multa bona opera oſtendi vobis a patre meo*. De ſpiritu ſancto ad Corinthios: *Praedicatio mea, non in perſuaſionibus humanae ſapientiae verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus*. Implet pater, implet filius, implet ſpiritus ſanctus. De patre Hieremias: *Caelum & terram ego impleo, dicit Dominus*. De filio in Apoſtolo: *Dominus autem impleat corda veſtra, & confirmet in omni opere & ſermone bono*. Et in evangelio: *De plenitudine ejus omnes accepimus*. De ſpiritu ſancto in actibus Apoſtolorum: *Implevit omnem locum ubi erant diſcipuli congregati*. &: *Jeſus plenus ſpiritu ſancto regreſſus eſt ab Jordane*. Loquitur pater, loquitur filius, loquitur & ſpiritus ſanctus. De patre *Deus locutus eſt in ſancto ſuo*. De filio: *Loquente Jeſu ad turbas*.

Digitized by Google

bus. De ſpiritu ſancto: *Eſt qui loquitur in vobis*. Apparuit pater, apparuit filius, apparuit & ſpiritus ſanctus. De patre in actibus Apoſtolorum: *Deus gloriae apparuit patribus noſtris*. De filio in epiſtola Johannis: *Ad hoc apparuit filius ut ſolvantur opera diaboli*. De ſpiritu ſancto in Iob: *Et ſpiritus apparuit in oculis meis, & horror irruit in me*. Veritas pater, veritas filius, veritas & ſpiritus ſanctus. De patre in pſalmo: *Redemiſti Domine Deus veritatis*. De filio: *Veritas de terra orta eſt*. (De ſpiritu ſancto) in evangelio: *Cum venerit ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*. Ecce unitatem operis. Non dubites unitatem credere trinitatis.

Dicere etiam ſolent de baptiſmo quod in eo melior ſit illorum baptiſmum quam noſtrum quia qui de illis ad nos convertuntur, non eos rebaptizamus, ſed per manus impoſitionem reconciliamus, illi vero, ſi quos de noſtris ſeducere poſſunt, inconſideranter rebaptizant. Qui interrogandi ſunt, baptiſmum illud quod dant, ſuum dicunt eſſe, an noſtrum? Si noſtrum eſt, quare illud praeſumunt ſimiliter ut nos baptizando? Si illorum eſt, quare illud violant iterando? Sed nos reverentiam habemus dominicis verbis, & quomodo ipſe juſſit, ita & baptizamus in nomine patris & filii & ſpiritus ſancti. Sed & illos ſic certum eſt baptizare. Nam ſi ſic baptizarent illi quomodo credunt in nomine patris majoris & in nomine filii minoris, & in nomine ſpiritus ſancti multo minoris, tunc demum non iteraremus baptiſmum, ſed daremus, quia non ſecundum regulam quam Dominus tradidit baptizaſſent. Sed quid facimus? Bene baptizant, ſed male credunt. Bene baptizant, ſed malum eſt quod rebaptizant. Regulariter quidem baptizant, ſed fidem male inſinuant. Et dum carnaliter gradus in divinitate faciunt, offenſam divinitatis incurrunt, non metuentes illud quod ait Dominus: *Qui ſemel lotus eſt, non indiget iterum ut lavetur*. Dixit enim Dominus in evangelio: *Vos eſtis ſal terrae*. Et quicunque ſapiens eſt, non hoc ſine cauſa dictum intelligit. Sal enim ex aqua fit. Sed iterum baptizare ſe perminat ad nihilum, ſicut ſal in aqua miſſum redigitur, & anima ejus perpetua morte punitur. Dicit enim Apoſtolus de Eccleſia quoniam unus panis, unum corpus multi ſumus: quia ſicut ex multis granis unus panis efficitur ita ex multis populis una Eccleſia congregatur. & panis, ut omnes norunt, per aquam conficitur & per ignem exeoquitur; & omnis populus Chriſtianus per baptiſmi aquam & ignem ſancti ſpiritus oblatio Dei eſt effectus, dicente Domino: *Si quis non renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non intrabit in regnum caelorum*. Sed ſicut panem jam ſemel decoctum ſi aliquis remittat in aquam, & vellet recommiſceri & coquere, & perderet priſtinam dignitatem & in nigredinem terrae converteretur, ſic talis efficitur quicunque in ſe permittit baptiſmum iterari. Et ideo debet unuſquiſque uſque ad mortem baptiſmum ſuum Deo adjutore ſervare, ſi vult ad regna caelorum feliciter pervenire. Nam quicunque ſe rebaptizare permittit, ipſe blaſphemat in ſpiritu ſancto, dum ſe denegat Chriſtianum & per aquam ac ſpiritum ſanctum fuiſſe renatum, & neceſſe eſt ut illam quam memoravimus Domini ſententiam comminantis excipiat: Quia qui blaſphemaverit in ſpiritu ſancto, non ei remittetur, neque in hoc ſeculo, neque in futuro.

Diſputatio Benedicti Levitae adverſus Felicianam impietatem.

IN exordio nubeculæ teſtimoniorum catholicæ fidei, cum adverſus infelices Felicianos cohortarem divulſum alumnum viriliter contraire, recolo me ab evangelio Iohannis exordiſſe, iſtiuſmodi adteſtante. *Haec autem ſcripta ſunt ut credatis quia Jeſus eſt Chriſtus filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ipſius*. Ille inquam qui ab angelo nuntiatus eſt, & nomen illi impoſitum eſt Ieſus, nuntiante archangelo virgini: *Paries filium, & vocabis nomen ejus Jeſum*. Hic itaque Ieſus natus ex virgine Maria filius eſt Dei, ſicut teſtatur ille evangeliſta, ut omnes in hac fide fidentes vitam poſſint habere æternam in nomine ipſius. Sed quid ad hæc pervicacia Felicianorum infauſtuum poterit mutilare, dum iſte evangeliſta dilectus & à Deo electus hanc ſibi eſſe occaſionem ſcribendi evangelium dixerit quia Ieſus eſt Chriſtus filius Dei, & ut credentes vitam æternam habeant in nomine ipſius? Niſi forte ut fateantur, ſe nunquam habituros vitam æternam, quia non credunt filium eſſe Dei Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum verum & proprium, ſed neſcio qua demutatione fictum & adoptivum. Siccine dicunt aſſumptionem & adoptionem unum eſſe, & Ieſum Chriſtum, ſecundum quod homo eſt, propter adſumptionem humanitatis neceſſe fieri adoptivum eſſe, non proprium. Et quid faciet inſana illa procacio adverſus totius ſalutis diſpenſationem ita garriens ut virtutem Dei dicat non eſſe propriam & ſapientiam ejus aſſerat adoptivam? Nam Chriſtum Deum, virtutem & Dei ſapientiam eſſe Apoſtolus teſtis eſt: *Cui* (proprio filio) *non pepercit Deus, ſed pro nobis omnibus tradidit illum*. Inficiatores tamen tantæ veritati pellaces ac contra e contra aiunt. Virtutem Dei & ſapientiam Apoſtolus Chriſtum ſecundum adſumentem, & non ſecundum adſumptum, pronuntiat. Nam ſecundum adſumentem Chriſtus Dei eſt virtus & Dei ſapientia; ſecundum autem adſumptum: *Etſi noveramus Chriſtum ſecundum carnem, ſed jam non novimus eum*. O exſecranda dualitas, operoſa praeſumptio unam Domini noſtri Ieſu Chriſti perſonam dirimentis in duas, cum ſicut unuſquiſque noſtrum ex anima rationali & carne una ſit perſona, quia unus eſt homo, ita Deus & homo una ſit perſona, quia unus eſt Chriſtus, non duo. Unde beatus Petrus, cum ſciſcitaretur Dominus a diſcipulis ſuis quem eſſe dicerent homines filium hominis, & alii atque alii aliter atque aliter dicerent, reſpondit unus pro omnibus ex Dei & hominis ſubſtantia unitatis perſonam confitendo dicens: *Tu es Chriſtus filius Dei vivi*. Dominus de filio hominis id eſt homine interrogat, & Petrus eundem filium Dei vivi vera fidei puritate fatetur. Et e contra Feliciani infandi adoptivum eum vetemare contendunt, cum Dominus hanc fidei confeſſionem ſanciens, ob hanc Petrum beatificaverit, ſuper hanc Eccleſiam ſuam ſtabiliendam praedixerit dicens: *Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed pater meus qui eſt in caelis. Et ego tibi dico quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram aedificabo Eccleſiam meam, & portae inferi non praevalebunt adverſus eam*. Ut ergo ſecundum Danielem Prophetam adducatur juſtitia ſempiterna & ungatur ſanctus ſanctorum impleta hac prophetia, illa eſt vera fidei praerogata confeſſio uncti, id eſt Chriſti filii Dei, non adoptivi, ſed proprii; cui proprio filio non pepercit Deus.

Quanta ergo temeritas horum antifraſinorum haereticorum, videlicet Felicianorum, quia infelicium, contra tantam ſoliditatem a Domino commendatam ſuorumque Apoſtolorum dogmatibus propalatam portas mortis ſeſe ingerere Eccleſiae Dei nitentium nec praevalentium. O caeca temeritas inferorum portarum harum perſtrepentium confuſo ſtridore adverſus Dominum & adverſus Chriſtum ejus! O canina furies rabido ore Chriſtum filium Dei vivi oblatrantis ſecundum adſumptionem non eſſe eum Dei virtutem & Dei ſapientiam mentientis, cum ipſum nomen Chriſti ſecundum adſumptum, ſi fas eſt dicere, & non ſecundum adſumentem, eſt dictum! Verum quoniam Chriſtus ab unctione eſt dictus, & unctus in aſſumptione noſtro participio in aſſumente verbo, ſicut ſcriptum eſt, *Unxit te Deus tuus oleo laetitiae prae participibus tuis*. Prae participibus igitur Chriſticolis, ſcilicet cunctis, unctus eſt Chri-

ſtus

Digitized by Google

ſtus, in quo eſt eorum particeps homo verbum caro factum: quia quod illi adoptione acceperunt filii eſſe Dei Chriſtianitatis obtentu chriſmatis unctione, id Chriſtus poſſidet proprietate virtutis. nihilominus ut ſit proprius Dei unigenitus filius, de ſpiritu ſancto ex Maria virgine theotocon id eſt Dei genitrice virgine conceptus & natus, non duo, ſed unus. quia non duo ſunt filii, unus proprius, & alter adoptivus, ſed unus idem proprius unigenitus Dei filius. Et ideo ait Apoſtolus proprio filio non pepercíſſe. quoniam ubi venit plenitudo temporis, ſicut idem ipſe ait, miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege. Quod autem ſit unigenitus, ſacra ſcriptura non tacet, ſed creberrime inculcat. Unde eſt illud: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti a patre.*

Quid ad hæc favet nunc veſana temeritas dicentium aſſumptionem & adoptionem unum eſſe, & ideo Chriſtum ſecundum hominem aſſumptum eſſe etiam adoptivum, cum nihil horum convincantur in Chriſtum reperiri poſſe? Prorſus nec adoptionem, quia proprium eum docet Apoſtolus eſſe filium Dei, neque adſumptionem, quia dicit miſiſſe Deum filium ſuum factum ex muliere. quoniam verbum caro factum eſt, non adſumpſit carnem; ſed verbum caro factum, Deus homo factus eſt, filius Dei factus ex muliere. quoniam non prius factus caro, denuo eſt aſſumptus a verbo; ſed præveniendo verbum carne, verbum caro factum eſt. Idem, non cum eſſet pauper, dives factus eſt: ſed cum eſſet dives, pauper factus eſt: quia cum eſſet in forma Dei, non rapinam arbitrans eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudine hominum factus, habitu eſt inventus ut homo. Idem ipſe ipſe verbum, cum dives eſſet in forma Dei, æqualis Deo, pauper factus eſt, exinaniendo ſe, verbum caro fiendo, filius Dei factus ex muliere, non adſumptus, ut blaſphemi ajunt, adoptione. Vnus idem ipſe qui deſcendit, non ut hominem aſſumeret, qui necdum erat formatus, ſed ut homo fieret incarnatus. Idem ipſe eſt qui aſcendit ſuper omnes cælos, ut impleret omnia. Secundum quod magnum hoc eſſe pietatis ſacramentum Apoſtolus docet. *Quod manifeſtatum eſt*, inquit, *in carne, juſtificatum eſt in ſpiritu.* Apparuit angelis, prædicatum eſt in gentibus, creditum eſt in hoc mundo, adſumptum eſt in gloria. Hoc idem quod manifeſtatum eſt in carne, juſtificatum eſt in ſpiritu, quia dicente archangelo de ejuſdem Dei & Domini genitrice: *Quod enim in ea natum eſt, de ſpiritu ſancto eſt*. Ac ſic ut inſtaurarentur quæ in cælis & quæ in terris ſunt in ipſo, apparuit angelis, prædicatum eſt in gentibus, aſſumptum eſt in gloria, ut ſit mediator Dei & hominum Jeſus Chriſtus: quia qui Deus, idem eſt homo; & qui homo, idem ipſe eſt Deus.

Ex natura ergo utraque una Chriſtus perſona. De ipſo oſtendens idem ipſum dicit idem ipſe: *Nemo aſcendit in caelum niſi qui deſcendit de caelo, filius hominis qui eſt in caelo.* In terra erat tunc temporis localitate inter homines homo; & in caelo ſe eſſe dicebat filium hominis; quia qui filius hominis erat localitate, idem filius erat Dei immenſitate. Propter quod dicit: *Si ergo videritis filium hominis aſcendentem ubi erat prius?* Quem pro tanta unitatis proprietate vere filium Dei Iohannes Apoſtolus & evangeliſta, confeſſus eſt hominem, ut eundem qui ab initio vita aeterna eſt apud patrem, verbum ſe corporaliter & vidiſſe & contrectaſſe praedicaverit dicens: *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtrae tractaverunt de verbo vitae, & vita manifeſtata eſt, & vidimus & teſtamur & annuntiamus vobis vitam aeternam quae erat apud patrem & apparuit nobis.* Denique hanc vitam aeternam apud patrem ab initio, quam ſibi apparuiſſe teſtatur, niſi verbum caro fieret, neque vidiſſet, neque manibus contrectaſſet. Sed ut verbum caro fieret, teſtante eodem evangeliſta, *ſic Deus dilexit mundum ut filium ſuum unigenitum daret; ut omnis qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam aeternam.* Et propterea quia verbum caro factum eſt, & unigenitus Dei & vita aeterna eſt, ideo non eſt adoptivus, ſed ſecundum Apoſtolum proprius, & ſecundum evangeliſtam unigenitus Dei filius. Et ideo Apoſtolo non ſolum ut ſufficeret dicere, *Proprio filio ſuo non pepercit Deus*, ſed etiam ait: *Nos autem praedicamus Chriſtum crucifixum, Iudaeis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam, ipſis autem vocatis Iudaeis & Graecis Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam.*

Cum igitur Chriſtum crucifixum ex infirmitate noſtra, virtutem autem ex virtute ſua, eundem crucifixum dicat Apoſtolus Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam, quis infami elogio Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam ſecundum hominem crucifixum adoptivum audeat dicere, niſi mente inſana negando Chriſtum, & ſuo mendacio Antichriſtum ſe comprobante? Et quis eſt mendax, teſte Iohanne Apoſtolo, niſi qui negat quoniam Ieſus non eſt Chriſtus? Et hic eſt Antichriſtus qui negat patrem & filium. Omnis enim qui negat filium, nec patrem habet. Sed, ſicut iſdem ait filius, qui non honorificat filium, non honorificat patrem qui miſit illum.

Quocirca quanta ſit caecitatis obreptio quis non videat blaſphemantium Chriſtum adoptivum, quem tanta unitate cognoſcit unicum proprium & verum Dei unigenitum filium, in utraque natura perfectum, tantis idoneis teſtimoniis propalatum? Qui ſi adoptivus fuiſſet, fictus & non veritas eſſet. Et quomodo veritas de terra orta eſt, & ipſe de ſe dicit, *Ego ſum via, veritas, & vita*, ſi adoptivus & non in veritate Dei filius eſt? Nam teſte Iohanne ſcimus quoniam filius Dei venit & dedit nobis ſenſum ut cognoſcamus verum Deum & ſimus in vero filio ejus Ieſu Chriſto. Hic eſt verus Deus & vita aeterna. Quod ſi adoptivus eſſet, nec verus Dei filius patri Deo vero, neque Deus verus & vita aeterna exiſteret, qui vere eſt veritas de terra orta veniendo ut homo fieret, & proinde hominibus via, veritas, & vita. Verus eſt igitur, non adoptivus, proprius filius Dei Dominus Ieſus Chriſtus, qui de ſe ipſo caeco nato ſic exorſus eſt loqui: *Tu credis in filium Dei?* Et ille: *Quis eſt, Domine, ut credam in eum?* Et Dominus ei: *Et vidiſti eum, & qui loquitur tecum, ipſe eſt.* id eſt. quem vidiſti carne, qui alloquor, ego ipſe filius Dei ſum. Alioquin quia divinitate inviſibilis eſt, videbatur homo & loquebatur. quem etiam procidens adoravit filium Dei, in quo ſe dixit viſibilem & loquentem filium eſſe Dei. Hinc eſt etiam quod Apoſtolus Paulus ſecundum hominem ex ſemine David docet eum eſſe filium Dei. Unde & praedeſtinatum commemorat ſecundum hominem eum quem praedicat filium Dei, ſcribens ita: *Paulus ſervus Ieſu Chriſti, vocatus Apoſtolus, ſegregatus in evangelio Dei, quod ante promiſerat per Prophetas ſuos in ſcripturis ſanctis de filio ſuo, qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundum carnem, qui praedeſtinatus eſt filius Dei in virtute.* Nam quod praedeſtinatur, antequam ſit in re praeordinatur. Divinitas vero praedeſtinari nequit, quia ſempiterna eſſe dinoſcitur. Praedeſtinatus eſt autem filius Dei in virtute, non divinitate, ſed ſecundum quod factus eſt ex ſemine David ſecundum carnem, ſecundum quod antea Deus pater promiſerat per Prophetas ſuos in ſcripturis ſanctis de filio ſuo, qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundum carnem, ſecundum quod antea Deus pater promiſerat per Prophetas ſuos in ſcripturis ſanctis de filio ſuo, quem conſtituit heredem univerſorum, per quem fecit & ſæcula. Quapropter in virtute praedeſtinatus eſt filius Dei, nimirum in qua virtute Chriſtus Dei eſt virtus & Dei ſapientia, Deus homo factus, & homo in Deum clarificatus, ſecundum quod ipſe protulit dicens: *Clarifica me tu pater apud*

temet-

Digitized by Google

temetipſum claritate quam habui priùs quam mundus eſſet apud te. De qua deifica claritate ſecundum carnem filii Dei reſponſum eſt illi à Deo patre: *Et clarificavi, & iterum clarificabo*. De qua etiam iſdem qui ſupra, de quo dictum eſt. *Vas electionis eſt mihi, ut portet nomen meum coram gentibus & Regibus & filiis Iſrael*, ita luculentius luce depromſit dicens. *Optabam ego anathema eſſe pro fratribus meis*, qui ſunt Iſraëlitae, *ex quibus patres & adoptio & legislatio, & ex quibus Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſaecula*. Ecce qui ſecundum carnem ſuper omnia Deus benedictus in ſecula praedicatur, numquid non a Prophetis in ſcripturis ſanctis ſimili faſtu praeconizatur, juxta quod prophetatus praedeſtinatus eſt filius Dei in virtute? Vtique qui de Chriſto prophetando praedixit, *Specioſus forma prae filiis hominum*. & caetera, de eo proſecutus adjecit: *Sedes tua Deus in ſaeculum ſaeculi*. Et qui ait: *Benedictus qui venturus in nomine Domini*, ſubter, etiam intulit: *Deus Dominus & inluxit nobis*. Et Iſaias cum diceret, *Rorate caeli deſuper, & nubes pluant juſtum, aperiatur terra, & germinet ſalvatorem, & juſtitia oriatur ſimul, ego Dominus creavi eum*, proſecutus cetera de ejus magnificentia, in concluſione ſic ait: *Tantum in te eſt Deus, & non eſt abſque te Deus, vere tu es Deus abſconditus Deus Iſraël ſalvator*. Hieremias quoque: *Qui perfecit terram in ſempiterno tempore, hic Deus noſter eſt, & non aeſtimabitur alius ad illum. Hic adinvenit omnem viam diſciplinae, & dedit illam Iacob puero ſuo & Iſraël dilecto ſuo. Poſt haec ſuper terram viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt*. De quo (Propheta Habacuc) cum diceret, *Exiſti in ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chriſto tuo* . . . . eſſionis illius deitatis ejus confeſſionem eleganti profeſſione ſubintulit dicens: *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo. Deus Dominus fortitudo mea*. Ac per hoc quia, prout eſt, eſſentialiter promulgatur Deus a Prophetis & ſanctis Apoſtolis, & proinde nuſquam eſt ſolummodo vocativus, quia dicit Iſaias, *Et vocabitur nomen ejus admirabilis, conſiliarius, Deus*, ita nec etiam adoptione filius vocativus, licet dixerit archangelo evangelicus, *Quod enim ex te naſcetur ſanctum vocabitur filius Dei*, ſed proprius, unicus, unigenitus Dei filius, ſicut ſupra ex eloquio ſacro invicta auctoritate protulimus.

Attamen prænotati filii perditionis ad hæc & reliqua dehinc cuncta abſurdi, quia nec Chriſto nec illius ſunt evangeliſtis & Apoſtolis Prophetarumque oraculis creduli, pro eo quod non habendo teſtimonium Dei in ſe, non credunt in filio Dei, mendacem faciunt eum, quoniam non credunt in teſtimonio quo teſtificatus eſt Deus de filio ſuo, *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipſum audite*, nec etiam filio veraci veracem veritatem de ſe ipſo dicenti: *Si vos filius liberaverit, vere liberi eritis, & cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos*. Neque enim aliud nomen de ſub cælo, teſte beato Petro Apoſtolo, in quo oporteat hominem ſalvum fieri niſi in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Propter quod & pſalmigraphus: *Fiat manus tua ſuper virum dexterae tuae & ſuper filium hominis quem confirmaſti tibi, & non diſcedimus a te*. Enimvero extorres ab hac tutiſſima veritate, quia nec Deo patri credunt neque filio ejus, nec etiam ulli theologorum Chriſtum Dei filium in carne veniſſe, manifeſtum eſt eos Antichriſtos eſſe, dicente Iohanne: *Qui non confitetur Ieſum Chriſtum venientem in carne, hic eſt ſeductor & Antichriſtus*. Et item: *Omnis ſpiritus qui confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt. Et omnis ſpiritus qui ſolvit Ieſum, ex Deo non eſt; & hic eſt Antichriſtus, quod audiſtis quoniam venit & nunc in mundo eſt*. Quis eſt autem qui ſolvit Ieſum niſi qui dicit proprium eum eſſe filium Dei ex divinitate, adoptivum autem eſſe ex carne, diſſolvens unam perſonam unius Ieſu Chriſti Dei in duas filiorum perſonas Dei hominis cum Neſtorio, cum duarum naturarum ſubſtantia ſit una in Chriſto perſona; quoniam Dei filius in proprietate perſonæ & filii dignitate adunavit ſibi hominem ut eſſet unus Chriſtus & unus Deus & unus Dei filius totus in ſuis & totus in noſtris, perfectus in divinitate, & perfectus in humanitate, unicus unigenitus Dei filius. Quod cum multis idoneis teſtimoniis ſupra retulimus, & omnium prædeceſſorum patrum traditio pridem catholico dogmate comprobavit, & ſynodalium ſanctionum rata inconvulſaque ſententia definivit, quorum illibata fides iſta ſingulari, recipiendo unigenitum filium Dei in carne veniſſe, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, ut fierent filii Dei adoptione, ſecundum quod Domini Dei aſſumptio noſtra, & ſancti Iſrael Regis noſtri. Ipſe autem dixit aſſumptio noſtra . . . . refugium iſtud factus eſt nobis, quia verbum caro factum eſt, fiendo quod non erat, non amittendo quod erat, fiendo Deus homo ex proprietatis eſſentia unigenitus filius Dei noſtra aſſumptio & refugium, ut ex hac plenitudine gratiae fierent homines filii Dei adoptione. Ille, quia prius quàm montes fierent & formaretur terra & orbis, à ſeculo & in ſeculum Deus eſt, & ex tempore homo factus, aſſumptio & refugium noſtrum eſt; illi, quia *Ego dixi*, ait, *dii eſtis & filii excelſi omnes*, quotquot crediderunt in eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Proinde univerſos admonet Apoſtolus dicens: *Videte ne quis vos decipiat per philoſophiam & inanem fallaciam ſecundum traditionem hominum & non ſecundum Chriſtum: quia in ipſo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, & eſtis in illo repleti*. Non dixit *ſpiritaliter*, ſed *corporaliter*, ut veram intelligamus ſubſtantiam carnis, ubi eſt plenitudo divinitatis, habitatio corporalis. qua utique etiam tota repletur Eccleſia, quae inhaerens capiti corpus eſt Chriſti. propter quod Domini adſumptio noſtra, & ſancti Iſraël Regis noſtri, ut qui habitat in adjutorio altiſſimi, in protectione hac Domini commoretur. videlicet ut vera fidei confeſſione dicat Domino: *Suſceptor meus es tu & refugium meum Deus meus*. Non nuncupativus Deus, non adoptivus & falſus, ſed ſecundum oďnĕ adſumptio noſtra & ſancti Iſrael Regis noſtri, ſuſceptor & refugium Deus eſt noſter, ſecundum id quod Deus eſt, eſſentialis ſecundum quod nomen eſt ejus, ita & laus ejus, dicente Propheta: *Secundum nomen tuum Deus, ſic & laus tua in fines terrae. Nam & ipſe Deus meus & ſalutaris meus, ſuſceptor meus, non movebor amplius, quia ipſe Deus meus & ſalvator meus, ad u-tor meus, non emigrabo*. In Deo ergo ſalutari meo gloria mea Deus auxilii mei & ſpes mea in Deo eſt, qui vere Deus eſt ex duabus ſubſtantiis unigenitus Dei Jeſus Chriſtus filius Dei, a quo non movebor dubietate, non emigrabo alterius ad culturam, quoniam Deum neſcio alium praeter eum. Ipſe qui eſt Deus, & non aeſtimabitur alius ad illum.

Sane quia iſdem Deus ſalutaris ſuſceptor meus, quem virgo concepit & peperit, Emanuhel, quod interpretatum dicitur *Nobiſcum Deus*, ut ſit Dominus virtutum nobiſcum ſuſceptor noſter Deus Jacob, hortatur dicens: *Vacate & videte quoniam ego ſum Deus*, Deus inquam cui etiam cadenti morte carnis prophetice canitur: *Surge Deus, judica terram, quoniam tu hereditabis in omnibus gentibus*, quicq. aſcendit Deus in jubilatione & Dominus in voce tubae; ſecundum quod & dicit: *Pſallite Deo qui aſcendit ſuper caelum caeli ad orientem*. Propter quod inquit Pſalmiſta: *Pſallite Deo noſtro, pſallite Regi noſtro, quoniam Rex omnis terrae, Deus, pſallite ſapienter*.

Non ergo inſipide, ſed . . . . Rex omnis terrae Deus, qui deſcendit & aſcendit mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus, regnavit Deus ſuper gentes, Deus ſedet ſuper ſedem ſanctam ſuam. quoniam quippe eſſentialiter & verus eſt Deus Dominus Jeſus Chriſtus, qui aſcendit in caelum & ſedet a dextris Dei, ſicut doctiſſimorum patrum ſanctae Chalcidonenſis ſynodi teſtatur auctoritas. Ait

enim

Digitized by Google

enim: *Unum eundemque filium Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum confiteri conſonanter omnes inſtruimur & docemur, perfectum eundem in divinitate, & perfectum eundem in carne, Deum veraciter hominemque eundem ipſum veraciter ex anima rationali & corpore, omouſion id eſt unius eſſentiae patris ſecundum divinitatem, & homouſion nobis eundem ipſum ſecundum humanitatem, per omnia nobis abſque ſolummodo peccati colluvione ſimilem, ante ſecula quidem de patre natum ſecundum divinitatem, in noviſſimis autem diebus eundem ipſum propter nos & propter noſtram ſalutem ex Maria virgine theotocon id eſt Dei genitrice ſecundum humanitatem, unum eundemque Chriſtum filium Dei Deum unigenitum in duabus naturis, ſine confuſione, ſine converſione, ſine diviſione, ſine ſeparatione noſcendum, nuſquam naturarum differentia per unitatem penitus commutata, magis autem ſalva proprietate utriuſque naturae & in unam coeunte perſonam, nec in duas diviſum partitumque perſonas, unum eundemque filium unigenitum Deum verum Jeſum Chriſtum Dominum confitemur.* Haec eſt ſancta fides, inviolata veritas, amplectenda praedicatio, quam merito per ſpiritum ſanctum convenienter effuſam per totum mundum catholica confitetur Eccleſia.

Ceterum quia ſcriptum eſt: *Nolite multiplicari loqui ſublimia gloriantes, quoniam Deus ſcientiarum Dominus, & ipſi praeparantur cogitationes*, quamvis multa ſuppeditentur fateri de hac individua Dei & hominis ex duabus ſubſtantiis una deitatis perſona unigeniti filii Dei, credenda ſunt iſta non ultra quam ſapere quiſquam & intelligere poteſt cociendo adſtipulanda. ſicut nec omnino quomodo Deus pater Deum genuerit filium. quod & angeli neſciunt, & Prophetis eſt inſcium. Unde illud eſt dictum: *Generationem ejus quis enarravit?* Quam ſecretam originem cum proprio filio novit ipſe ſolus qui genuit, juxta quod ejuſdem unigenitus dicit: *Nemo novit filium niſi pater, & patrem nemo novit niſi filius, & cui voluerit filius revelare*. Sed ut breviter dicam, ſufficit nos ſcire quia lua genuit ſplendorem, Propheta teſtante: *In ſplendoribus ſanctorum ex utero ante luciferum genui te*. Lucem autem iſtam abſit ut quiſquam arbitretur corpoream, ſed lucem ſapientiae veram, quae illuminat omnem hominem venientem in mundum. in quo lumine obtentu fidei credo idipſum viſuri erimus lumen, ſecundum quod & pſaltidicus vates ſacro cano . . . . *quoniam apud te eſt fons vitae*, adjecit & *in lumine tuo videbimus lumen*. Interdum quoaduſque ille illuceſcat dies & lucifer oriatur in cordibus noſtris, ſpreta infanda haereticorum commenta, firmiſſime teneatur ſpei noſtrae ſolida veritas, verbi incarnati unitas ea duabus ſubſtantiis unius perſonae filii Dei vivi Jeſu Chriſti Domini noſtri; ut cognitis naturae utriuſque documentis, & verbum in Chriſto homine & Chriſtum hominem adoremus in verbo. quoniam promulgante beato Leone Papa, ſi, prout Apoſtolus ait, qui adhaeret Deo, unus ſpiritus eſt, multo magis verbum caro factum unus eſt Chriſtus, ubi nihil eſt alterius naturae quod non ſit utriuſque ſubiciens.

Non ergo infirmemur in conſilio miſericordiae Dei, quae nos & innocentiae reformet & vitae. Nec quia in ſalvatore noſtro manifeſta agnoſcimus gemina ſigna naturae, aut in gloria Dei de veritate carnis, aut in humilitate hominis de deitate majeſtatis ullatenus dubitemus: quia idem homo eſt in forma Dei qui formam recepit ſervi, idem & incorporeus manens & corpus aſſumens, idem in ſua virtute inviolabilis, & in noſtra infirmitate paſſibilis, idem a paterno indiviſus throno, & ab impiis crucifixus in ligno. Idem eſt ſuper caelorum altitudines victor mortis aſcendens, & uſque ad conſummationem ſeculi univerſam Eccleſiam non relinquens. Idem poſtremo eſt qui in eadem qua aſcendit carne venturus, ſicut judicium ſuſtinuit impiorum, ita judicaturus eſt de omnium actione mortalium. Unde, ne pluribus teſtimoniis immoremur, unum ſufficit ex evangelio beati Johannis adhibere, quod ipſe Dominus noſter hoc dicit: *Amen amen dico vobis, quia venit hora & nunc eſt quando mortui audient vocem filii Dei, & qui audierint vivent. Sicut enim pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & filio vitam habere in ſemetipſo, & poteſtatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis eſt.* Ergo ſub una ſententia, quia filius Dei eſt, atque quia filius hominis eſt, apparet quemadmodum Chriſtum Dominum in unitate perſonae credere debeamus; qui cum ſit filius Dei per quem facti ſumus, etiam filius hominis per aſſumptionem factus eſt carnis, ut moreretur, ſicut ait Apoſtolus, propter delicta noſtra, & reſurgeret propter juſtificationem noſtram, unus idemque Deus homo & homo Deus, filius Dei, filius hominis, & filius hominis, filius Dei. Verum quoniam nonniſi ex utroque ſalvamur. Talis enim erat hominum a primis ducta genitoribus cauſa mortalium ut originali peccato tranſeunte per poſteros nullus poenam damnationis evaderet niſi verbum caro fieret & habitaret in nobis. Nec enim verbum aut in carnem aut in animam aliqua ſui parte converſum eſt, cum ſimplex & incommutabilis natura deitatis tota in ſua ſit ſemper eſſentia, nec damnum ſui recipiens nec augmentum. Et ſic aſſumptam . . . . glorificata in glorificante permaneat. Cur autem inconveniens aut impoſſibile videatur ut verbum caro atque anima unus Ieſus Chriſtus & unus Dei hominiſque ſit filius, ſi caro & anima, quae diſſimilium naturarum ſunt, unam faciant etiam ſine verbi incarnatione perſonam, cum multo facilius ſit ut hanc unitatem ſui atque hominis deitatis praeſtet poteſtas quam ut eam in ſubſtantiis obtineat ſolius humanitatis infirmitas.

Nec verbum igitur in carnem, nec caro in verbum mutata eſt; ſed utrumque in uno manet, & unus in utroque eſt, non diverſitate diviſus, non permiſtione confuſus. Non alius ex patre, alius ex matre; ſed idem alter ex patre ante omne principium, alter de matre in fine ſeculorum; ut eſſet mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, in quo habitaret plenitudo divinitatis corporaliter. Totum igitur corpus implet tota divinitas; & ſicut nihil deeſt illius majeſtati cujus habitatione impletur habitaculum, ſic nihil eſt corporis quod non ſuo habitatore ſit plenum, in quo & nos ſumus repleti. Quod autem dictum eſt *Et eſtis in illo repleti*, noſtra utique eſt ſignificata natura; ad quos illa repletio non pertineret, niſi Dei verbum noſtri ſibi generis & animam & corpus inveniſſet, quae ita in unitate convenerunt ut nec ſeparationem poſſint habere nec finem, verus homo vero unitus Deo, nec ſecundum exiſtentem prius animam deductus e caelis, nec ſecundum carnem creatus ex nihilo, eandem gerens in verbi deitate perſonam ut veritas affectionum ſub moderamine deitatis eſſet & mentis, & tenens communem nobiſcum in corpore animaque naturam. Non enim eſſet Dei hominumque mediator niſi idem Deus idemque homo in utroque & unus eſſet & verus. De quo uno veroque docet beatus Apoſtolus Petrus magnum eſſe pietatis ſacramentum. *Quod manifeſtatum eſt*, inquit, *in carne, juſtificatum eſt in ſpiritu, apparuit angelis, praedicatum eſt gentibus, creditum eſt in hoc mundo, aſſumptum eſt in gloria*. Item unde ſupra ſanctus Hilarius in divinis dogmatibus inſigniter orthodoxus ita eſt orſus: *Cum verbum Deus in ſacramento naturae ſuae manens homo natus ſit, natus autem eſt non ut eſſet alius, ſed ut ante hominem Deus ſuſcipiens hominem homo Deus poſſit intelligi. Nam quomodo Jeſus Chriſtus Dei filius natus ex Maria eſt, niſi quod verbum caro factum eſt, ſcilicet quod filius Dei, cum in forma Dei eſſet, formam ſervi accepit?* Cum ergo Dominus & ſalvator noſter Ieſus Chriſtus & natus & paſſus & mortuus & ſepultus ſit & reſurrexerit, non poteſt in his ſacramentorum diverſitatibus

tibus

Digitized by Google

tibus ab ſe dividuus eſſe ne Chriſtus ſit, cum non alius Chriſtus quam qui in forma Dei erat formam ſervi accepit, neque alius quam qui natus eſt mortuus eſt, neque alius quam qui mortuus eſt reſurrexit, neque alius quam qui reſurrexit ſit in cælis, in cælis autem non alius ſit quam qui deſcendit de cælis. Homo itaque Dominus Ieſus Chriſtus unigenitus Deus, per carnem & verbum ut hominis filius ita & Dei filius. Audi in hoc apoſtolicae doctrinae eruditam, non carnis ſenſu, ſed dono ſpiritus, fidem, cum Graecis ſapientiam & Iudaeis ſigna petentibus loquitur: *Nos autem praedicamus Jeſum Chriſtum & hunc crucifixum, Judaeis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam, ipſis autem vocatis Judaeis & Graecis Jeſum Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam*. Nunquid diviſus eſt Chriſtus, ut alius ſit crucifixus & alius Chriſtus virtus & ſapientia Dei? Et cum idem unus atque unus ſit, deſcendens & aſcendens, unus quoque nobis Ieſus Chriſtus ſit Dei filius & hominis filius, & verbum Deus & homo caro, & paſſus & mortuus & ſepultus, & reſurgens in caelum receptus, ſedens a dextris Dei, habens in ſe uno eodemque per diſpenſationem atque naturam in Dei forma & in forma ſervi ſine aliqua ſeparatione quod homo eſt & diviſione quod Deus eſt, non ambiguum in quo ſacramento & paſſus eſt & viveret. Et cum in eodem eſſet infirmitas ad paſſionem & ad vitam Dei virtus, non alius ita diviſus a ſe eſſet qui & pateretur & viveret. Paſſus eſt enim unigenitus Deus quae homines pati poſſunt, ſicut dicit Apoſtolus: *Quia ſi confeſſus fueris in ore tuo Dominum Jeſum, & in corde tuo credideris quod Deus illum excitavit a mortuis, ſalvus eris*, ſalvus utique credendo & confitendo Dominum Ieſum ea ſe ipſo & mori & reſurgere potuiſſe. Nec enim, ſi non homo eſſet, mori potuiſſet, neque, ſi non Deus, reſurgeret. Vnus idemque, etſi crucifixus ex infirmitate, ſed vivit ex virtute Dei. Quod ſalutaris dogma ſalutariſque confeſſio miſericordia Dei melior ſuper vitas, quidni ſalutare vultus mei & Deus meus, licet proprium ſyntagma expoſcat teſtificationem authenticorum multiplicem, Stephanus tamen Epiſcopus in encycliis ad Leonem principem exinde ſcribens mirabiliter dicit: *Indutus eſt filius tunicam corporis, hoc eſt, integrum hominem, de ſancta virgine, quam ſanctus ſpiritus texuit. Ineffabiliter in ingreſſu, inenarrabiliter in egreſſu, incomprehenſibiliter ingreſſus eſt invisibilis, egreſſus eſt viſibilis. Ingreſſus eſt Dei verbum, egreſſus idem eſt homo. Paradigmate ſiquidem iſto idem eſt exutus qui & indutus, ſcilicet qui abſque homine Dei filius, etiam & cum homine unus idemque filius. Non alius adoptivus, & alius proprius Dei filius; ſed idem qui ex Deo eſt Deus, idem in homine Dei eſt unigenitus filius; quoniam ſi & habitu eſt inventus ut homo, non eſt habitu immutatus; licet habitus ſit illi aptificatus, non ullo modo adoptatus. Verum qui habitus non eſt habentis perſonae perſona, ſed participatio naturae perſiſtendo natura. Ac per hoc conſulte Dei filius habendo habitum, habitu inventus ut homo, idem ipſe manet naturali proprietate habendo habito, ipſa ſui deitatis perſiſtendo ſingularitatis perſona, quoniam perſona ingenunata propria ſua in homine venit deitatis perſona. Propter quod dicit:* Ego veni in nomine patris mei. *Nomen enim patris perſonam perſtruit filii: quia nonniſi habendo filium paternam gerit perſonam. Qui ergo in nomine patris venit, nihilominus filius eius fuit. Et ideo non duo venerunt filii verus & falſus, aut unus partim proprius, partim etiam adoptivus, ſed unus Jeſus Chriſtus ex toto benedictus qui venit in nomine Domini. Quia qui in principio erat verbum, idem verbum caro factum eſt, individuus; unus proprius & verus unigenitus Dei filius. Et ſi aliud atque aliud ex convenientia naturarum, non tamen eſt alius, ſed unus idemque ex toto unigenitus Dei filius.* Quod congruis exemplis ſanctus Auguſtinus Feliciano exponens Arriano, inter cetera ait: *Non alius homo corpus, alius animus. Quamvis aliud animus, aliud corpus, unus tamen atque idem homo & corpus docetur & animus. Rurſus non unum atque idipſum corpus docetur & animus, quia ex utroque homo factus eſt unus. Non enim haec aut ſubſtantias confundunt in unitatem perſonae, aut perſonam geminant diverſitate ſubſtantiae, quandoquidem unus ex his homo noſcitur extitiſſe. Non perdunt propria; ſed quia in unum atque inſeparabiliter conveniunt, ex propriis videntur facta communia. Afficitur in corpore mens doloribus corporis, fatigatur corpus cogitationibus mentis; & unum tamen horum proprium eſt corporis, alterum mentis. Quae dum uni homini acciderint, corporis communia videntur & mentis. Sic poſt partum virginis non alius Dei & alius hominis, ſed idem Chriſtus & Dei & hominis filius fuit. Et ſicut in uno homine aliud animus, aliud corpus, ſic in mediatore Dei & hominum aliud Dei filius, aliud hominis fuit. Vnus tamen ex utroque Chriſtus Dominus extitit. Aliud inquam pro diſcretione ſubſtantiae, non alius pro divinae proprietate perſonae.* Et velut ſuperius diximus quod ex anima rationali & carne unus fit homo, unius patris unicus proprius & verus unigenitus Dei filius, ita Deus & homo unus eſt Chriſtus, ex toto proprius & verus unigenitus Dei filius. Proprius ſiquidem, quod proprio filio ſuo non pepercit Deus. Vnigenitus & verus, juxta quod eſt ſanctus evangeliſta confeſſus: *Et vidimus gloriam eius, gloriam quaſi unigeniti a patre, plenum gratiae & veritatis*. Quique nimirum de terrigena virgine natus, veritas de terra orta eſt, idcirco veritas unigeniti & mendacium adoptivi .... veritatis careat mendacium adoptionis, & veritas unigeniti excludat alterius adoptionem mendacii. Ipſum vero & unigenitum declaratum & veritatem ſcimus Iohanne Apoſtolo atteſtante: *Quoniam filius Dei venit, & dedit nobis ſenſum, ut cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero filio eius Jeſu Chriſto. Hic eſt verus Deus & vita aeterna*. Eademque praeterea veritate de ſemet in Iohannis evangelio proloquente quod ſit veritas unigenitus ipſe, *Ego ſum*, inquiens, *via & veritas & vita*. Vnigenitum ſe etiam fatendo, enim dicit: *Sic Deus dilexit mundum ut filium ſuum unigenitum daret, ut omnis qui credit in illum non pereat, ſed habeat vitam aeternam*. Ac ideo, teſte eodem unigenito, qui credit in eum non judicatur; qui vero non credit, jam judicatus eſt, quia non credit in nomine unigeniti filii Dei.

Quocirca non immerito hæretici judicantur Feliciani, qui a tanta unigeniti veritate diſſentire probantur. Nobis ſane iſtiuſmodi credulitatis in confeſſione unius Dei & hominis unigeniti filii Dei ſolummodo una in veritate perſona ſanctorum patrum & Dei oraculis promulgata, qua capacitate nemo poteſt dicere Dominus Ieſus niſi in ſpiritu ſancto, quo corde creditur ad juſtitiam, ore confeſſio fit in ſalute, ſufficere credimus, dicente Apoſtolo: *Siquidem ſunt dii multi & domini multi. Nobis autem unus Deus pater, ex quo omnia, & nos in ipſo, & unus Dominus Jeſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum*. Igitur quia unus eſt Dominus Ieſus Chriſtus, dualitatem non recipit. Vnum enim dividi non poteſt. Deleantur ergo a ſuo errore qui dualitatem in Chriſto niſi ſunt introducere, proprium eum dicentes eſſe filium Dei divinitate, & adoptivum ex carne, cum, ſicut jam dixi, & competenter iterum iterumque inculcare non piget, ceu ex anima rationali & carne unus eſt homo unius genitoris proprius filius, ita & Deus homo unus ſit Chriſtus, unius patris proprius unigenitus, verus Dei filius. Ille ex mare & femina tantum originaliter ſolus. Dominus de ſpiritu ſancto ex Maria virgine ſingulariter Deus & homo Chriſtus eſt, individuus, unus. Vnus itaque Dominus, una fides, unum baptiſma, unus Deus, & pater omnium, qui ſuper omnes & per omnia & in omnibus nobis. Ipſi gloria ex hoc nunc in Eccleſia & in Chriſto Ieſu per omnes generationes ſeculi ſeculorum. Amen.

Epi-

Epiſtola Benedicti.

BEnedictus Guarnario filio ſalutem. Fili mi, exaudi oro vocem parentis poſt tergum pignoris exorantis. Immo ut acceptes obſecro quae etiam depromo. Faſcinario, procacitas, neque ut nugacitas, vana impudentia, quia ſunt fatua, ne faceſſitus faſcinatione eucharis linguae paraſitorum, tua abroges ipſa jura, cave ne quando aviditate praepropera abdices ea ipſe. quoniam qui in principio hereditate feſtinat, in noviſſimo benedictione carebit. Omnia enim tempus habent; licet is qui inſtituit tempora maneat extra tempora, & quaecumque in ejus aeternitate aeterna, a quo quia moderantur univerſa tempora omnibus mobilibus, ejus mobilior eſt ſapientia, dicitur illi: *Omnia in ſapientia feciſti*. Quique ſapientia fecit cuncta, putaſne in ſapientia diſponit ea? Numquid non ſapientia clamitat, & prudentia dat vocem ſuam? *Ego ſapientia habito in conſilio, & eruditis interſum cogitationibus, ludens in orbe terrarum, & delitiae meae eſſe cum filiis hominum*. Quocirca obſerva ne inſipienti favore a ſapientia deſipiſcas: quoniam divitiae ſalutis ſapientia & ſcientia, ac timor Domini ipſa theſaurus ejus. Sapientia autem eſt hominum pietas, recedere a malo intelligentia. Pietas ex religione divina, intelligentia ex rationali prudentia, ſecundum quod illud eſt evangelium ex religione ſimplicitas columbina, & ex intelligentia prudentia ſerpentina. Siquidem ſimplicitas a ſingulari ſapientia dicta. Alioquin ſimplicitas, quia ſtultitia eſt deputanda, prudentia a porro videntia, id eſt, a longe ante conſpicientia quaecunque ventura. Utique ſimplicitas ſingularitatis, quia Deus excedens omnia eſt, qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate. cedendum iſtiuſmodi intellectus ſapientiae. prudentiſſima prudentia aſſequenti divini muneris eſt, cujus moderatu ſingulari, ex quo reſiſti nititur, ex nunc omni modo exorditi ira illius comprobatur, non divinitatis perturbatio, ſed juſta renitenti redibitio, juxta quod dicitur; *Tu autem Domine virtutum cum tranquillitate judicas*. Ac per hoc te quaeſo bene indolis ne ipſe ira efficiaris Dei renitendo ei, ſed ut ante omnia animadvertas propheticum illud memento, qui cum diceret Deo, *Tu terribilis es, & quis reſiſtit tibi*? ilico ſubjecit: *Ex tunc ira tua*. Nempe quia ex eo eſt ira Dei ex quo . . . . . . reſiſtere illi. Expecta igitur Dominum . . . . a latere tuo, & cuſtodiet pedem tuum ne capiaris. Non enim eſt hominis via ejus neque viri ut ambulet & dirigat greſſus ſuos; ſed a Domino greſſus hominis diriguntur, & viam ejus volet. Cede ergo voluntati Dei, volenti tuam, ſequendo ſuam, ut non tua, ſed ſecundum quod tempus dictaverit, expectes ut fiat voluntas immutabilis ſua. Ceterum voluntati ejus, cum ſit immutabilis, quis reſiſtit? Quam immutabilitatem ut verbis diſertiſſimi eloquar Auguſtini, in tantum licet mutabilis videre poteris in quantum in ea nihil mutabile contemplabis, nec locis & temporibus, ſicut corpora, nec ſolum temporibus & quaſi locis, ſicut ſpirituum noſtrorum cogitationes, nec ſolis temporibus ex nulla vel imagine locorum, ſicut quaedam noſtrarum mentium ratiocinationes. Omnino enim Dei eſſentia, quae nihil habet mutabile, nec in aeternitatem, nec in veritatem, nec in voluntatem. Quia ibi eſt veritas, aeterna caritas. Et vera ibi eſt caritas, vera aeternitas. Et cara ibi eſt aeternitas, cara veritas. Ubi ſi cordis oculo te defixeris, terrigeno ſpreto angore, rato inconvulſoque divino numine compertus, & his temporaneis & perennibus beaberis ineffabilibus beaberis ineffabilibus muniis. Uti ſane exinde foedere fidei foedereris, formam fidei te expoſcente decepſi, qua te indeptum omnique erroris dempta deformitate, una nobiſcum novando novale ſpiritu mentis tuae, licet noſter homo exterior corrumpatur, ſed interior renovatur. Quodque beatus Paulus Apoſtolus ſanciendo cum promulgaret. *Renovamini ſpiritu mentis veſtrae, & induite novum hominem qui ſecundum Deum creatus eſt*, alias inculcans liquidius: *Exuentes vos*, ait, *veterem hominem cum actibus ejus, induite novum qui renovatur in agnitione Dei ſecundum imaginem ejus qui creavit eum*. Repulſo ergo veterrimo cupiditatis homunculo, dehinc compos inſtrumento perſtructo, exoptando te fili efflagito, in novitate vitae ambulare ſatagito. Et quia dicente Apoſtolo credere oportet accedentem ad Deum, & accedere eſt audire, quoniam fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti, conventione hujus novitatis habendo fidem quae operatur per dilectionem, age jam nunc de compendio, ut ad ejus commercii tranſeas viſionem. Non enim in ſolo opere virtutum, aut in ſola obſervantia mandatorum, ſed aſſerente etiam beato Papa Leone, in tramite fidei anguſta & ardua eſt via quae ducit ad vitam, & magni laboris eſt magnique diſcriminis inter dubias imperitorum opiniones & veriſimiles falſitates per unam ſanam doctrinam ſemitae inoffenſis greſſibus ambulare, & cum undique ſe laquei errorum opponant, omne periculum deceptionis evadere. Quis autem . . . . niſi qui ſpiritu Dei docente regitur, dicente Apoſtolo: *Nos autem non ſpiritum mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt, ut ſciamus quae a Deo donata ſunt nobis*. Canente etiam David: *Beatus quem tu erudieris, Domine, & de lege tua docueris eum*. Enimvero vere beatus, eatenus bene auctus, quia eruditione inreprehenſibilis legis Dei docti fulgebunt ſicut ſplendor firmamenti, & qui ad juſtitiam erudiunt plurimos, quaſi ſtellae in perpetuas aeternitates. Hac igitur doctus doctrina, plurimorum ad juſtitiam eruditor, fulgoratus hoc fulgore ſacro in perpetuas aeternitates valeto.

Neve aliquo fatigeris a ſuperſtitioſo argumento inſcio de fide apocrypho, ſcito profeſſu Graeco fidem eſſe hoc modo, una uſia, ac ſi dicat, una natura vel eſſentia, tres hypoſtaſes, quod reſonat in Latinum vel tres perſonas vel tres ſubſtantias. Nam Latinitas propriè non dicit de Deo niſi eſſentiam. Subſtantiam vero non propriè, ſed pronunciat abuſive: quoniam vera ſubſtantia apud Graecos perſona intelligitur, non natura. Vnde apud modernos ſcholaſticos, maxime apud Scotos, ſteſyllogiſmus deluſionis, ut dicant trinitatem, ſicut perſonarum, ita eſſe ſubſtantiarum; quatinus ſi adſenſerit illectus auditor trinitatem trium eſſe ſubſtantiarum Deum, trium derogetur cultor deorum; ſi autem abnuerit, perſonarum denegator culpetur; culpetur propter idioma Graecum, derogetur propter ſermonem Latinum. Sed haec de fide & omnis calliditatis verſutia ſimplicitate fidei catholicae eſt puritate vitanda, non captioſa interjectione linguarum, ſcaeva impactione interpolanda. Porro autem fides catholica haec eſt, ut unum Deum in trinitate & trinitatem in unitate veneremur, neque confundentes perſonas, neque ſubſtantiam ſeparantes. Quoniam quippe alia eſt perſona patris, alia filii, alia ſpiritus ſancti. Sed patris & filii & ſpiritus ſancti una eſt divinitas, aequalis gloria, coaeterna majeſtas. Non coaeternae majeſtates, non aequales gloriae, non trina deitas, aut triplex divinitas, id eſt, unum; ſed una eſt divinitas, una deitas, aequalis gloria, coaeterna majeſtas. Identidem nec etiam trinus Deus, ſed trinitas Deus eſt unus. Vnus ſane iſto modo, & Deus & Dominus unus & ſpiritus. Et haec una eſt catholica fides, qua te foederatum fidei unitate & nunc & in aeternum opto valere. Valeas vigeas per ſecula cuncta beandus, uti fidei penſum cujus eſt cernes ipſum, munus inexhauſtum commendo per ſecula divinum, ſaturitate raſa ſat conſpicando Deum.

Confeſſio fidei Benedicti Levitae, etſi peccatoris nonnunquam erronei, tamen fœdere iſto fidei inexhauſto fidenti.

CONfiteor tibi, Domine ſancte pater omnipotens aeterne Deus, per unigenitum tuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, in virtute & dono & gratia ſpiritus tui, cum timore & tremore & gaudio gratiarum, opus depromens ex cordis devotione, in oris reſultando profeſſione. Gratias ago, ſed ex toto corde, tota anima, totaque virtute, juſtitiam fidei dono muneris tui credendo, ore in ſalutis confeſſionem pronuntio. Gratias ago; ſed obſecro ſit tibi, ô Domine, ſacrificium acceptabile confeſſio nominis tui, ſecundum quod tibi debetur gratiarum actio & vox laudis in trinitatis unitate & unitatis trinitate, uni Deo vero & vivo, viſibilium omnium & inviſibilium creatori, & recreatarum rerum recreatori, non ex neceſſitate ſed ex tua omnipotentiſſima benignitate quaecunque agenti, quia nullius egiſti quaecunque feciſti, quodque tibi confiteor bonorum meorum non indigenti, immoto in te manenti, & quae moventur moventi, quia in te vivimus & movemur & ſumus. Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient. Sed quia filii ſervorum tuorum habitabunt ibi, & ſemen eorum in ſeculum dirigetur, hos inquam aeternitatis annos in idipſum lucem tuam inacceſſibilem, ô Domine, habiti directi in ſeculum fide tenus nunc, tunc autem ſpecie tenus aeternitate fruendo, ut ſint ipſi aeterni, idcirco potuiſti ſeculum noſtrum in illuminatione vultus tui. Meo ergo nunc ſeculo illuminatus fide iſto tuo lumine, apud quem non eſt tranſmutatio nec viciſſitudinis obumbratio, confiteor & ego eandem incommutabilitatem, patrem te Deum omnipotentem & filium & ſpiritum ſanctum unius eſſe ſubſtantiæ aut quod certius dici poteſt eſſentiæ, ejuſdemque poteſtatis & ſempiternitatis, unum verum Deum inviſibilem, incorruptibilem, immortalem, immutabilem, natura ſimplicitatis incorporeum, immenſitate incomprehenſa incircumſcriptum, ubique præſentem, & omnia excedentem, incontiguum & omnia continentem, majeſtate individua in æternum & ultra regnantem, viventem vitam, vitam a vivente, vivificatorem viventium, unum in duobus, & utroſque in idipſum, patrem in filio, filiumque in patre, in ſancto ſpiritu. Igitur cum profeſſione orthodoxa theologorum confiteor ita te, Domine, trinitatem, in patre unitatem, in filio æqualitatem, in ſpiritu ſancto unitatis æqualitatiſque concordiam, & tria hæc unum, omnia propter patrem, æqualia omnia propter filium, connexa omnia propter ſpiritum ſanctum. Sis iſta trinitas tu iſdem ineffabilis Domine Deus exiſtens divina natura, lux lucis, & fons luminis, ſpiritus lucis, ſpirituum omnium ſummus, a te per naturam, per ſubſtantiam majeſtatis, poteſtatis, atque virtutis, ab æterno in æternum ſine termino infinitus. Infinitas æternitatis in patre, ſpecies in imagine, uſus in munere. Sempiterni genitoris genitus ſempiternus, & conſempiternus utrorumque procedens ab utriſque ſpiritus ſanctus. Et id totum eſt ſimplum, totum trinitas, totum unitas, totum omouſion. Vnus Deus pater verbi viventis, ſapientiae ſubſiſtentis, & virtutis tuæ & figuræ. Perfectus perfecti genitor, pater filii unigeniti. Vnus Dominus ſolus ex ſolo Deo, figura & imago deitatis, verbum penetrans, ſapientia comprehendens omnia, & virtus qua tota creatura fieri potuit. Filius verus veri, & inviſibilis ex inviſibili, & incorruptibilis ex incorruptibili, & ſempiternus ex ſempiterno. Vnus ſpiritus ſanctus ex Deo ſubſtantiam habens, & qui per filium apparuit, perfecta imago filii perfecti, perfecta viventium cauſa, ſanctitas ſanctificationem præſtatrix: per quem Deus ſolus ſuper omnia & in omnibus cognoſcitur, & filius per omnia. Eſt enim intellectus ſapientiae ſpiritus ſanctus, unicus, multiplex, ſubtilis, mobilis, diſertus, incoinquinatus, certus, ſuavis, amans bonum, qui nihil vetat bene fieri, humanus, benignus, ſtabilis, certus, ſecurus, omnem habens virtutem, omnia proſpiciens, & qui capiat omnes ſpiritus, intelligibilis, mundus, ſubtilis. Siquidem hujus communicationis largitate confiteor ſingillatim perſonarum proprietatem ſervatam, nec ſubſtantialiter trinitatem dividi, nec perſonaliter omnino confundi, ſed omouſion trinitatem magis magiſque confitendo Deum, non autem omiouſion, quod, proh nefas, haeretici execrate dixerunt. Sacratiori ſane differentia fidei confiteor te cum catholica omni Eccleſia patrem ingenitum, filium genitum, ſpiritum ſanctum nec genitum nec ingenitum, ſed ex patre filioque procedentem, filium a te Deo patre naſcendo procedere, ſpiritum ſanctum procedendo non naſci. Et hanc inaeſtimabilem nativitatem; ſed & proceſſionem, nec coepiſſe & perfectam eſſe, nec deſtitiſſe & ſempiternam eſſe confiteor. Sed iſtam generationem tuam, ô Domine, ineffabilem vere, quin potius incomprehenſibilem, quis enarrabit? Quis enim ut eſt non ſolum edicere ſed etiam comprehendere valeat genitum non eſſe genitori poſteriorem, ac non id quod genuit praecedere generantem? Haec autem generatio nec anterius nec habet quicquam poſterius: quia ut nunc genitor es, ita pater ab aeterno es, quoniam immutabilis es. Semper ergo extitiſti pater, qui ſemper habuiſti filium cui exiſteres pater. Quia itaque immutabilis es, ſemper fuiſti ut es. Et ideo filium non praeiſti, qui ſemper, pater ut eſſes, filium habuiſti, qui ſicut nec coepiſti id eſſe, ita nec etiam deſtitiſti: quia tu idem ipſe es pater, ſicut ab aeterno fuiſti. Quocirca ſicut a principio ante luciferum, ita te hodie genuiſſe dixiſti, ut nec coepiſſe & perfectam eſſe oſtenderes iſtiuſmodi generationem generis tui, *Tecum*, inquiens, *principium in die virtutis tuae, in ſplendoribus ſanctorum, ante luciferum genui te*, &, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Sui ergo principium deſignatur ante luciferum genitus, eique dicitur *Hodie genui te*. Hinc ſempiterna nativitas declaratur. Propter quod ab Apoſtolo dicitur: *Non eſt in illo eſt & non, ſed eſt in illo fuit*. Sed eſto, maneat ſicut eſt, generationem ejus quis enarrabit? Quis nativitatem illius cum proceſſione diſtinguere valeat a ſpiritus ſancti proceſſione ſine nativitate? Quis hanc differentiam proceſſionis nec genitam nec ingenitam a proceſſione diſtinguere appetat filii genita? Quis qualem patrem, talem filium, talemque ſpiritum ſanctum audiens, ad talem perſonarum differentiam uniformem ex ſimplici eſſentia deitatis hujuſce etiam ſingularitate majeſtatis non obſtupeſcat attonitus? Quin praeterea quomodo capiat ubique totum, ubique praeſentem, non per partes diviſum viritim perſonarum proprietate, ſed totum in omnibus virtute omni tenente localiter ſed potentialiter per excellentem praeſentiam majeſtatis? qua licet ſis ubique, dees tamen plerunque. quia ſi praeſentia, non tamen es gratia. Sed ſi non poſſumus capiendo diſtinguere, poſſumus te docente fideliter confiteri, donec illuceſcat dies & lucifer oriatur in cordibus noſtris idem unigenitus Ieſus Chriſtus filius tuus; qui ſicut naſcendo de te vero Deo Deus eſt verus; ita lumen de lumine. in quo lumine tuo credo videbimus lumen, lumen inquam verum quod illuminat omnem hominem venientem in mundum, & dicit: *Ego ſum lux mundi. Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitae*. Siquidem ut hoc lumen verbum ſapientiam ac tuam virtutem proſequi valeremus, per quem feciſti omnia, hunc filium tuum voluiſti fieri inter omnia, ut per quem fuerant creata, per ipſum eſſent & recreata, propter quem omnia, & per quem omnia. Ac ideo hunc verbum caro factum confiteor, ſuae carnis conceptione conceptum, & ſuae carnis nativitate natum, non adoptivum, ſed proprium unigenitum tuum, perfectum Deum perfectumque hominem ex ſancta & immaculata ſemperque virgine theotocon beata Maria, animatum anima rationali, vera carne abſque peccato de ſpiritu ſancto conceptus, ut hominem quem ſola bonitate creaverat, quemque

que ad imaginem & ſuam ſimilitudinem perfecte formaverat, ſponte de hoc ſcemate lapſum miſericorditer repararet, reparatumque catholico baptiſmatis lavacro, ſui etiam confirmaret corporis ſanguiniſque celebre ſacramento. Quem veraciter crucifixum ſecundum aſſumptionem, non autem ſecundum aſſumentis virtutem, confiteor, & ad inferos deſcendiſſe, ſuorumque liberationem inibi egiſſe, ac die tertia veraciſſime reſurrexiſſe, & cum eadem ipſa carne glorificata in cælum aſcendiſſe, in qua ad judicium vivorum & mortuorum expectatur venturus. Hujuſcemodi ſacramento reſurrecturos cunctos confiteor homines in virum perfectum in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, non naturam aut ſexum mutando, ſed tantum fragilitatem & vitia deponendo, ſecundumque ſtudiorum & operum differentias & gratiam propoſitumque juſtitiæ bonitatis Dei euntibus, ſic aliis in opprobrium & ignem æternum. Confiteor etiam quod divinam humanamque ſubſtantiam in utraque perfectus unam Chriſtus perſonam geſtaverit: quia nec geminavit utriuſque ſubſtantiæ integritatis perſonam, nec confudit geminam unitatis perſonae ſubſtantiam. Alterum quippe neuter excluſit, quia utrumque unus intemerato jure ſervavit, ſecundum quod dicit: *Nemo aſcendit in caelum niſi qui deſcendit de caelo, filius hominis qui eſt in caelo. Et qui deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit.* Magnum ergo hoc eſt pietatis ſacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, juſtificatum eſt in ſpiritu, apparuit angelis, prædicatum eſt gentibus, creditum eſt in hoc mundo, aſſumptum eſt in gloria. Sic ſic quæ ſurſum ſunt ſapiendo vita noſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Cum autem Chriſtus apparuerit vita noſtra, credo, Domine, & nos apparebimus cum ipſo in gloria, cum quo tibi Deo patri in unitate ſpiritus ſancti omnis honor & gloria, virtus, majeſtas, & imperium, ac noſtri miſeratio per indebitam miſericordiam tuam, gratuita præveniente ac ſubſequente gratia ex nunc & per immortalia ſecula ſeculorum. Amen.

EXPLICIT FIDEI FORMA.

Capitulare ſecundum Theodulfi Epiſcopi Aurelianenſis.

Ex Lib VII. Miſc. Baluz. pag. 31.

A Primo hominis lapſu, in quo bonum naturae velut ipſa radix generis humani vitiata uſque nunc ſeminarium vitiorum naturæ inſertum pullulat, unde fit quod cum labore diſcimus, ſine labore obliviſcimur, difficile ad virtutes aſſurgimus, facile in vitia dilabimur. Quamobrem omni mentis circumſpectione ſatagendum, dilecti, o ſacerdotes, ut in diſcendo laborem adhibeamus & in retinendo quod didicimus uſum impendamus, maxime nos qui regiminis locum tenemus & ſimiles ejuſmodi ordinis noſtri. Itaque vos, o ſacerdotes Domini, admonemus ut fidem catholicam & memoriter teneatis & corde intelligatis, hoc eſt, *Credo*, & *quicumque vult ſalvus eſſe, ante omnia opus eſt ut teneat catholicam fidem*. Diſcutiendi autem ſunt omnes Domini ſacerdotes utrum canonem Miſſæ & ſecretam aut *Te igitur* memoriter teneant & bene diſtinguant, & nomina mortuorum & vivorum ſuis in locis ordinabiliter & cum omni devotione recitent, baptiſteriumque rite peragant & rectis verbis enuntiare poſſint, & de negligentia in baptizandis infirmis, ne aliquem ſub obtentu infirmorum ſanum baptizare præſumant niſi diebus ſtatutis Paſchatis & Pentecoſtes. Admonendum illis ut pro miniſterio baptizandi nihil exigant, ſive a baptizandis, ſive a parentibus illorum, nihil munuſculi, nihil pretii omnino, ſed cum gratiarum actione & cum ſumma devotione hoc peragant. Quod ſi forte parentes eorum, aut qui eos a ſacris fontibus ſuſcipiunt, ſponte & gratuito aliquid muneris vobis dare voluerint, accipite nihil haeſitantes.

Vide lib 6. in ſcellaneorum pag 80. 111. Et hic pag. 53. 109

To. 2. Capitular. pag. 615.

Inſtruendi ſunt ſacerdotes pariterque admonendi qualiter noverint decimas & oblationes quas a fidelibus accipiunt, peregrinorum & pauperum eſſe ſtipendia, & non quaſi ſuis ſed quaſi commendatis uti; de quibus omnibus ſciant ſe rationem poſituros & condemnationem paſſuros. Qualiter vero diſpenſari debeant ſacri canones inſtituunt, ſcilicet ut quatuor partes inde fiant, una ad fabricam Eccleſiae relevandam, altera pauperibus diſtribuenda, tertia Presbytero cum ſuis clericis habenda, quarta Epiſcopo reſervata, ut quicquid inde juſſerit prudenti conſilio fiat.

Lib 6 miſcella pag. 153. 155. Et hic pag. 108. 109.

Inhibendum modis omnibus intimandumque ut nullus Sacerdos, Diaconus, Subdiaconus perſonas feminarum, ſicut in canone inſertum continetur, de quibus ſuſpectio eſſe poteſt, in domo ſua habeat, ſed neque illas quas canones concedunt, quia inſtigante diabolo etiam in illis ſcelus frequenter perpetratum invenitur aut etiam in pediſequis earum. Nec igitur matrem neque amitam neque ſororem permittimus ultra habitare in domo una cum ſacerdote. Sed ſi quis de his habuerit talem neceſſitatem patientem cui ſit neceſſitas ſuſtentatio Presbyteri, Diaconi, vel Subdiaconi, habeat in vico aut in villa domum longe à converſatione Presbyteri, ubi ei adminiſtret quae neceſſaria ſunt.

Vide Notas ad Reginonem pag 551. & ad Capitularia pag 1238.

Sed etiam hoc ſecundum auctoritatem canonum modis omnibus prohibendum, ut quando Miſſa celebratur, nulla femina ad altare praeſumat accedere aut Presbytero miniſtrare aut intra cancellos ſtare aut ſedere.

Vide Notas ad Capitularia pag. 1125.

Commonendi ſunt ut diebus dominicis pro captu ingenii unuſquiſque ſacerdos ad plebem ſermonem praedicationis faciat, primum admonens plebem ut invicem ſe diligant, caritatem fraternitatis habeant, diligant Dominum pluſquam ſe, proximum tanquam ſe, deinde ut ab omni malo opere abſtineant, & quod ſibi nolunt fieri ab aliis, hoc illi aliis non faciant, & quod volunt ut ſibi homines faciant, haec eadem faciant illis.

Deinde, ſi Dominus dat intellectum, hoc quod ſacerdos veraciter intelligit de evangelio, de epiſtola ſancti Pauli, quantum poteſt dicat illis, admoneat ut ad Eccleſiam ſaepe currant, oblationes ſuas fideliter offerant, confeſſiones Deo & ſacerdotibus faciant.

Nullus ſit inter eos qui confeſſus non ſit adulterium, nec inceſtum, nec fornicationem cum feminis, maſculis, cum pecudibus inter ſe non conſentiant: ſed ſi quis inter eos ſit qui in his ſceleribus lapſus ſit, corrigant & publice cum ſuo ſacerdote emendent.

His & aliis quantum poteſt ſingulis diebus dominicis plebem ſuam inſtruat.

Admoneat etiam ut omnibus noctibus ſabbati & omnibus dominicis diebus cum ſuis noctibus ſequentibus, ſimiliter & in ſolemnitatibus, in jejuniis, abſtineant ſe a carnali voluptate; ut mundi corpore & corde ad Eccleſiam accedant, & ſolemnitatem celebrem impuritate voluptatis fœdare non praeſumant.

Praecipiendum ſacerdotibus Domini ſecundum canonicam auctoritatem de ſepulturis & hominibus ſepeliendis nihil muneris exigant, niſi forte qui ſepelitur vivens juſſerit Eccleſiae in cujus atrio ſepelitur de ſuis rebus aliquid tribuere, aut etiam poſt mortem illius, quibus commiſſum eſt ejus eleemoſynam facere, de illius rebus aliquid ſponte dare voluerint. Tamen nullatenus a Presbyteris aliquid ab illis exigatur nec ab illis qui locis & vicis praeſunt vel quorum poſſeſſio eſt ipſa Eccleſia vel hereditario vel beneficiario jure.

Prohibendum etiam ſecundum majorum inſtituta ut in Eccleſia nullatenus ſepeliantur, ſed in atrio aut in porticu aut exedra Eccleſiae. Intra Eccleſiam vero prope altare, ubi corpus Domini & ſanguis conficitur, nullatenus habeant licentiam ſepeliendi.

Vide Notas ad Reginonem pag. 558.

Adulterum aut adulteram ſi Presbyter in domo ſua retinuerit &, quod nefas eſt, conſenſerit in do-

mo ſua adulterium fieri, ſciat ſe ſui gradus honore privandum. Si vero hoc in plebe ſibi commiſſa repererit, niſi ſtatim, ſi vires ſuppetunt, non emendaverit, ſed aut propter potentiae timorem aut propter beneficium & lucrum & amicitiam illorum conſenſerit adulteris, cum depalatum fuerit excommunicandum. Si vero ille quantum potuit excommunicaverit & non potuit malum illud vetare, animam ſuam liberavit. Veruntamen cum omni ſtudio debet Archidiacono ſuo & Archidiaconus Epiſcopo denuntiare.

De inceſtis omni ſtudio perquirendum ſacerdotibus per homines veraces & timorem Dei ante oculos habentes. Et ſi repertum fuerit, ſtatim aut ipſi emendare ſtudeant, ut cum adjutorio Archidiaconi aut Epiſcopi emendare & extirpare ſatagant, ne tanto flagitii ſcelere illi polluantur & pereant & aliorum vicinitate omnipotentis Dei iram incurrant.

Admonendi ſunt ſacerdotes & inſtruendi ut primum ipſi ab omni ſtimulatione carnis ſint alieni, & nunc plebibus ſibi ſubjectis & verbis praedicent & exemplum oſtendant ut ab omni ſe fornicatione & ab omni irrationabili, veluti pecudum, luxuria & pollutione abſtineant. Mundo ſe corpore & mente Deo praeparent de confeſſionibus fidelium accipiendis & dijudicandis, conſiliis blandis; quia licet pro modulo quantitate peccati ſe pœnitentiae tempus inſtituendum & longum vel breve vel diſtrictum vel leve vel mediocre ſacerdoti, cum accipit cujuslibet fidelium confeſſionem peccatorum; quia licet ipſum peccatum perpetratum ſit, aut ſi poſtea iteratum aut frequenter perpetratum ſit, ſi ſponte, ſi coacte, ſi per ebrietatem & per quodlibet ingenium factum ſit; ut cum invenerit unde radix illius peccati proceſſit, tunc congruam adhibeat medicinam.

Qualiter vero peccati adhibenda ſit medicina, ſecundum canones authenticorum ſanctorum patrum eſſe debet, & non ſecundum placitum hominis, nec ſecundum voluntatem; nec in hac parte voluntas, aut gratia hominis ſectanda, ſed voluntas Dei in omnibus exquirenda in ſcripturis ſanctis, quatenus dignis precibus & pœnitudine digna placari poſſit omnipotentis Dei vindicta, quam homo ſuo vitio provocavit. Ad pœnitentiam vero populus taliter admonendus cum fragilitatis noſtrae caſus ſaepe conſtet in vitia proclivis; quamquam ſubventum ſit in Chriſti paſſione ut quod meritum peccati exigebat, Chriſti paſſio redimeret. Et cum ſalutaribus inſtitutis ſacroſancto baptiſmate in remiſſionem omnium peccatorum conceſſo abluamur, tamen quia per modum iſtius vitae curſum ſine vitiorum turbine nequaquam degere & ſubripientibus noſtrae imbecillitatis flagitiis vitam ſine peccati macula ducere non poſſumus, conceſſum eſt clementiſſimi Dei pietate remedium verae confeſſionis & pœnitentiae ablutio peccatorum, Domino praecipiente per prophetam: *Nolo mortem peccatoris, ſed ut revertatur & vivat*. Et illud evangelii: *Facite fructus dignos pœnitentiae*. Et Apoſtolus: *Confitemini alterutrum peccata veſtra, & orate ad invicem ut ſalvemini*. Eſt quippe verae confeſſionis fructuoſa pœnitentia, pœnitenda non admittere, admiſſa cum gemitu cordis deflere, ſatisfactione vera pœnitentiae cauſas excidere, nec earum ſuggeſtionibus aditum indulgere, nec iterum in vitiis perpetratis delabi.

Capitalia & mortalia crimina publicè deflenda ſunt ſecundum canonum & ſanctorum patrum inſtitutionem. Sed & ſecreta ſatisfactione ſolvi mortalia crimina non negamus, mutata tamen prius animi intentione; & ſaeculari jactantia ſimul depoſita, piae religionis confeſſo ſtudio, per vitae correctionem & jugi immo perpetuo luctu ſe ſubmittente. Nec debet tamen quiſque deſperare de omnipotentis Dei miſericordia & innumera pietate, quia ſcriptum eſt: *Peccator quocumque die converſus fuerit ab errore viae ſuae, & declinaverit ab operibus malis, omnes iniquitates ejus in oblivione erunt*. Pœnitentiae quippe modus in ſacerdotis pendet arbitrio. Qui ſacerdos diligentiſſime ſanctorum patrum inſtituta diſcutiens & intelligens, ſecundum eorum auctoritatem confitentibus pœnitentiam indicere debet. Eſt quippe auctoritas canonum & ſanctorum patrum firmiſſima inſtitutio.

Homicidium ſi quis voluntarie vel per inſidias fecerit, jugi ſe pœnitentiae ſubmittat; & ſi hoc publicè actum conſtat, ſi laicus, deponat arma & omnem ſaecularem militiam, & publicè ſatisfaciat, ita ut quadraginta diebus extra Eccleſiam foris ad oſtium oret; quibus in pane & aqua exactis, a communione orationum quinquennio removeatur, poſt quinquennium tantum in orationum communionem recipiatur, non offerat, non corpus Domini omnino attingat; in quo perdurans quatuordecim annos, tunc ad plenam communionem cum orationibus recipiatur, circa exitum vitae hanc conſequatur humanitatem ut viaticum accipiat euchariſtiam. Abſtinentia illius ſit in arbitrio ſacerdotis, ſecundum perſonam & poſſibilitatem ſic ei imponatur abſtinentia ciborum. Si autem occultum ſit; occultè ſimiliter agat ſicut ſuperius inſertum tenetur.

Homicidium qui caſu non volens perpetraverit, prior quidem regula per ſeptem annos pœnitentiam communionis ſociavit ſecundum gradus conſtitutos. Haec vero Ancyrani Concilii definitio quinquennii temporis pœnitentiam tribuit, ut quadraginta diebus foris ad Eccleſiae oſtium ſtet; quibus peractis, biennio ab oratione caeterorum fidelium ſegregetur, non communicet, non offerat; poſt biennium recipiatur in communione orationum & offerat, non tamen communicet; poſt quinquennium ad plenam communionem recipiatur. Abſtinentia ciborum in arbitrio ſacerdotis manebit, ſecundum perſonam & qualitatem hominis, ſic & pondus & abſtinentia erit.

Si quis egrediens per viam, & aut in domo ſua, aut in platea civitatis aut villae, ſubito aut ab alio ſuperventus, aut litis contentione, volens ſe defendere, non habens contra illum antea odium, interfecerit hominem, ſeptem annos ſecundum canonum inſtitutionem pœniteat, tribus a communione privetur, quatuor in communione orationum & oblationum ſuſceptus, ut ſacerdotis pendebit arbitrio utrum ſit corpus Chriſti dignus accipere aut uſque ad plenitudinem pœnitentiæ ab eo ſeparari. Abſtinentia ciborum in prudentia erit ſacerdotis ſecundum poſſibilitatem pœnitentis & devotionem & affectionem lacrymarum.

Mulieres quæ fornicantur & partus ſuos necant, aut ſecum agunt ut utero conceptos excutiant, antiqua quidem definitio uſque ad exitum vitæ eas ab Eccleſia removit. Humanius autem nunc ſecundum Ancyrani Concilii definitionem decem annorum tempus pœnitentiæ ſubmittuntur, ita ut quadraginta diebus foris ad oſtium Eccleſiæ orent; quibus peractis, per annorum quatuor ſpatia à communione fidelium & oblationum removeantur, deinde in communione orationum receptae decennii tempus impleant, & propter humanitatem euchariſtiam poſt actam pœnitentiam accipiant. Erit tamen in arbitrio ſacerdotis an ante perfectionem pœnitentiæ ad corpus Chriſti accedere debeant ſecundum quod viderit eas compunctas & in lacrymis conſuntas & devotionem magnam habentes. Ciborum abſtinentia erit in ſacerdotis providentia ſecundum quod eas viderit pœnitere & pro perſonarum qualitate.

Mulier quae duobus fratribus nupſerit abici debet uſque ad diem mortis. Sed propter humanitatem in extremis ſuis ſacramentis reconciliari oportet, ita tamen ut prius ſolvatur conjugium & maneat innupta, & vir ejus abſque uxore ſimili pœnitentiae ſubdatur.

Quod ſi duo fratres cum una femina fornicati fuerint, neſcientes alter alterius fornicationem, ſtatim ut cognoverint adulterium, qui hanc habet uxorem dimittat. Et ille quidem poſt actam pœnitentiam, ſi uxor defuncta fuerit, poteſt alteri ſociari, illa vivente nequaquam. Illa vero nunquam ulterius po-

poterit

Digitized by Google

terit in conjugium aſſumi, & jugi pœnitentiae ſubmiſſa, ad exitum vitae communionis gratiam percipiat.

Mulier quae dormiens filium ſuum oppreſſerit, & mortuus fuerit, ſex annos pœniteat. Vir ejus, ſi in domo illius fuerit, quatuor, ſi vero in uno lecto, ſimili modo pœniteat, duos in pane & aqua, reliquos quatuor ſecundum quod ſacerdos illos viderit poſſe, ita eis imponat abſtinentiam ciborum. Similiter & vir habens uxorem, ſi adulterium perpetraverit, faciat, poſt triennium communicet.

Concil Nann. cap. 12. Si cujus uxor adulterium perpetraverit, & a viro deprehenſum fuerit & publicatum, dimittat uxorem, ſi voluerit, propter fornicationem. Illa vero ſecundum quod ſuperius inſertum eſt agat pœnitentiam. Vir vero ejus illa vivente nullatenus habeat licentiam aliam ducere uxorem. Aut ſi voluerit, adulteram ſibi reconciliare licentiam habeat, ita tamen ut pariter cum illa & pœnitentiam agat, & exacta pœnitentia ad communionis gratiam, ſicut ſuperius habetur inſertum accedant. Similis forma & in muliere ſervabitur. Si vir ejus eam adulteraverit, habeat poteſtatem dimittendi virum propter fornicationem, maneat innupta quandiu vir ejus vixerit; quia nec ille habet poteſtatem accipere aliam prima vivente, nec illa alium virum ducere vivente adhuc primo. Habent tamen poteſtatem ſemetipſos reconciliare.

Si qua mulier non habens virum, aut vir non habens uxorem, fornicati fuerint, quinque annos pœniteant.

Quod ſi vir non habens uxorem cum alterius uxore adulteraverit, aut ſi qua mulier non habens virum cum alterius viro adulteraverit, adulter erit uterque, & ſecundum quod ſuperius continetur inſertum pœnitentiam agant.

Furtum ſi quis fecerit, ſeptem annos pœniteat, tres in pane & aqua. Secundum furti qualitatem, ita & modus erit pœnitentiae. Si per neceſſitatem furtum fecerit, levigetur. Dicit enim Salomon: *Non eſt grandis culpa cum quis furatus fuerit. Furatur enim ut eſurientem impleat animam.*

Qui perjuraverit, ſimiliter ſeptem annos pœniteat.

Qui falſum teſtimonium dixerit, & ejus teſtimonium alicui nocuerit, ſeptem annos pœniteat, ita tamen ut ille qui teſtimonium dixit damnum reſtituat omne cui per ſuum falſum teſtimonium nocuit. Et tunc poterit ad veniam per pœnitentiam pervenire. Si autem hoc facere noluerit, ſciat ſic ſe in vanum pœnitentiam agere.

Qui irrationabiliter verſantur, de his agatur quod in canonibus continetur in titulo in quo Graeca verba ſunt, quae in Latinum verſa ſunt de Concilio Ancyrano cap. XVI. in quo ſenſu triplex, hoc eſt, de his qui cum pecoribus commixti ſunt, & de his qui more pecorum inceſta commiſerunt cum conſanguineis, & de his qui cum maſculis concubuerunt. Quotquot igitur ante vigeſimum aetatis ſuae annum tale crimen admiſerint, quindecim annis in pœnitentia exactis, orationibus tantum incipiant participari, & in quinquennio altero in communione ſimplici perdurantes, poſt vigeſimum cum oblatione ad communionem ſuſcipiantur. Diſcutiatur autem & vita eorum quae fuerit tempore pœnitentiae, & ita hanc humanitatem conſequantur. Quod ſi qui perſeverantes in ipſis criminibus, prolixius tempus habeant ſubmiſſionis, & tales nunquam poterunt ad ſacerdotium provehi. Quotquot exacta viginti annorum aetate & illi qui uxores habent in haec ſcelera inciderint, viginti quinque annis pœnitentia acta ad communionem ſolummodo orationum recipiantur, altero vero quinquennio perdurantes plenam cum oblatione recipiant communionem. Quod ſi uxores habentes & excedentes quinquageſimum ſuae aetatis annum in his peccaverint, ad exitum vitae tantum communionem mereantur. Hi verò qui ſicut muta vixerunt animalia, & ſe & alios hujuſmodi peccan ſcabie contaminaverunt, id eſt, in conſanguineis, in pecudibus, in maſculis, ſtatuto tempore pœnitentiae non inter alius quam inter eos ſtare & orare debere qui tempeſtate lunatica jactantur eliſi ad terram ſpiritu immundo vexari, id eſt, cum energumenis. Sicut autem plus abominabile miſceri cum jumento quam cum maſculo, ita plus irrationabile crimen cum maſculo quam cum muliere. Cum conſanguinea & cum ſanctimoniali peccare aequale crimen. Id lex Moyſi morte mori judicat. Et cum jumento & maſculo & cum conſanguinea coëuntes.

Æquale autem crimen feminam cum femina peccare ſicut maſculum cum maſculo, & aequalis eſſe debet pœnitentia. De talibus ait Apoſtolus: *Nam feminae eorum immutaverunt naturalem uſum in eum uſum qui contra naturam eſt. Similiter & maſculi relicto naturali uſu feminae exarſerunt in deſideriis ſuis invicem, maſculi in maſculos turpitudinem operantes.* Quod autem ſupra diximus de his agatur qui publice ad confeſſionem venerint & publice pœnitentiam egerint. Quod ſi occulte actum eſt, & occulte ad ſacerdotem venerint, & puram confeſſionem fecerint, occulte pœnitere ſecundum aetatis modum quod ſuperius continetur, ita videlicet ut ſi ante vigeſimum annum aut per ignorantiam hoc egit, aut forte ignorabat non tale eſſe crimen, levius erga illum agendum, & hoc in ſacerdotis pendebit arbitrio. Diſcutere debet qualiter in hoc ſcelus delapſus ſit, aut quam longiori tempore in hoc ſcelere verſatus ſit; & ſecundum quod ab illo confeſſum fuerit, ita illi modus pœnitentiae adhibeatur. Videlicet ſi per ignorantiam hoc egit ſemel aut bis, id eſt, cum maſculo, cum jumento, & cum conſanguinea, ſtatim cum cognoverit hoc grave eſſe ſcelus dimittit, ut humanius loquamur, ſeptem annos pœniteat, tribus abſtineat a carne, & anno non communicet, nec ad ipſum diem Paſchae, nec offerat, & omni ſe mente ſubiciat, ut ſpiritus ſalvus fiat in die Domini, caeteroſque ſecundum modum fragilitatis in arbitrio ſacerdotis faciat in abſtinentia ciborum. Quod ſi longiori tempore in hoc crimine verſatus, & poſtquam novit illud ſcelus magnum eſſe peccatum commonitus, iterum atque iterum hoc perpetravit, ſicut ſuperius continetur inſertum ita pœnitebit. Primum quinque annis ab omni communione ſegregatus, poſt illos quindecim annos non offerat, non communicet ad orationem, cum caeteris Chriſtianis in Eccleſiam non intret; quibus exactis, tantum ad communionem orationis ſuſcipiatur. Deinde in pœnitentia viginti annis expletis, ſi bene & cum lacrymis & cum omni devotione pœnitentiam egit, ad plenam communionem & reconciliationem ſuſcipiatur. Similiter & de caeteris temporibus ſupra inſertis obſervandum. Si, quod abſit, in locis ſanctis tale crimen admiſerit aliquis, duplicetur illi poenitentia. Vocatur autem in ſcripturis crimen peſſimum tam de jumento quam de maſculo quam de conſanguinea. Vocatur autem in mundo immunditia vel delectabile peccatum cum femina non naturaliter concumbere, cum unde Onas filius Juda a Deo percuſſus fuit quia fundebat in terram ſemen ingreſſus ad mulierem. Simul etiam vocatur immunditia mollities vel propter tactum vel viſum vel recordationem mulieris, ut aliqua delectatione acciderit vigilanti, vel qui inter femora ſua impuritatem ſolus cum ſe ipſo vel cum alio exercet; de quibus ait Paulus Apoſtolus. *Neque immundi regnum Dei poſſidebunt.* Item: *nec omnis immunditia, nec nominetur in vobis.* Et alibi: *Neque molles regnum Dei poſſidebunt.* Qui in his incidit, ita pœniteat quaſi de crimine quod de regno Dei excludit.

Adulterium ſi quis Presbyter perpetraverit, ſive palatum & publice cognitum, ab ordine ſacerdotii ceſſabit, & publica pœnitentia decem annorum purgabitur. Quod ſi occulte hoc fecerit, & occulte ad confeſſionem venerit, occulte ei pœnitentia imponatur. Relinquatur autem in ſuo arbitrio utrum ceſſare debeat ab illo miniſterio, an permanens poſſit dignam ſatisfactionem Domino exinde facere. Quod

ſi ille

Digitized by Google

ſi ille ſe lacrymis & orationibus devotiſſime quotidie laverit & eleemoſynarum exhibitione peccata ſua extinguere curaverit, ſi occultum eſt, poterit occulte in ſuo permanens gradu agere pœnitentiam. Fornicationem ſi perpetraverit, eodem modo purgabitur ſeptem annis. Si vero ſodomitice, id eſt, cum maſculo collapſus ſit, eodem modo XV. annis expiabitur.

Similis forma & de Diaconis & de his qui in ſacris ordinibus conſtituti ſunt obſervanda, ita videlicet ut Diaconus ſeptem annis pœniteat pro adulterio, pro fornicatione vero quinque annis, pro ſodomitico decem annis, pro adulterio quinque annis, pro fornicatione annis tribus, pro ſodomitico ſeptem annis. Secundum praefixos gradus uſque ad ultimum gradum eccleſiaſticum obſervantia talis habeatur. Ne quis autem ſe excuſet ſacerdotum ex eo quod ait Paulus Apoſtolus, *Propter fornicationem autem unuſquiſque uxorem habeat*, ſciant his tantum eſſe dictum qui in laicali ordine conſtituti ſunt, vel qui necdum ad ſubdiaconatum acceſſerunt. Nullo modo enim ad ſubdiaconatum permittunt canones accedere niſi eos qui perpetuam continentiam caſtitatis promiſerint ſe deinceps ſervaturos. Nam ſacerdotes Judaeorum a Domino juſſi ſunt per Moyſem ducere uxores, & de nulla tribu niſi de Levi fiebant ſacerdotes, ut progenies una cuſtodiretur per ſucceſſionem.

Nunc autem de omnibus gentibus, ſicut ad baptiſmum, ſic ad ſacerdotium permittuntur accedere; nullaque neceſſitas uxores ducere, qui non per carnis ſucceſſionem, ſed per morum imitationem in ſacerdotio ſubrogantur. Ipſi tamen Judaeorum ſacerdotes, non habentes tam ſanctum ſacrificium ſicut nos habemus, tempore vicis ſuae longe erant a domo ſua, & a conjugali opere remoti juxta templum in continentia caſtitatis excubabant donec tempus miniſterii ſui explerent. Nunc autem, ſicut ſemper miniſtrare debent, ita ſemper continentes eſſe oportet ſacerdotes. Tractant enim, non victimas pecudum, ſed ipſum immaculatum corpus & ſanguinem Domini. Ejuſdem continentiae & Diaconi & Subdiaconi & in Domino & ipſi in tractatione tanti ſacramenti miniſtri accedunt altaris.

Laicis vero vel qui nequaquam ad altaris miniſterium accedunt praecipitur ab Apoſtolo ut qui ſe non continent nubant. *Melius enim nubere quam uri*. Hoc eſt, melius eſt uxorem legitime ducere quam exardeſcere per opera fornicationis & adulterii ſive ſodomitici & immunditiae.

Admonendi ſunt Presbyteri; ut caritatem inter ſe habentes mutuam, procul ab omni faſtu ſuperbiae & invidiae mordacitate ſanctum exemplum ſubditis donent tam clero quam laicis. Non ſint rapaces, non cupidi, non vinolenti, non procaces, non rixoſi, non calumniam cuiquam facientes, ſed in omnibus ſe ipſos irreprehenſibiliter cuſtodientes, formam ſalutis clero & plebibus miniſtrent, quatenus eorum exemplis ad aeternam vitam & morum probitatem proficientes humilitate ſubleventur.

Admonendi ſunt ut uſuras nequaquam exerceant, & plebibus ſibi ſubjectis & clero praedicent ut ab hoc vitio omnibus modis abſtineant ſecundum canonum inſtitutionem. Quiſquis per quodlibet ingenium magis accipit quam praeſtat, ſciat ſe uſuram feciſſe. Nam ſi quis triticum aut aliam ſpeciem frugum commodat, & non eandem ſpeciem accipit, ſed aut denarios, quantum tum venundari poterat quando illa commodavit, aut aliquid aliud accepit, abſque dubio uſuram perpetravit. Si quis vero ex ordine clericorum hoc agere praeſumpſerit, ſciat ſe ſui gradus periculum ſubiturum. Si vero laicus fuerit, ſciat ſe excommunicandum. Unde convenit ut primum omnes in clericali ordine conſtituti ab his abſtineant & admodum plebibus injungant ut nullus hoc facere omnino audeat.

Sacerdos cum a fidelibus confeſſionem accipit, inter caetera debet confitentem admonere ut de octo principalibus vitiis confeſſionem faciat & emendationem promittat & pœnitentiam medicinam animae ſuae ſuſcipiat. Vitiorum autem principalium octo, ſicuti continentur, nomina per ſingula interroget, & ille confiteatur, & de omnibus, ſicut praemiſſum eſt, confeſſionem faciat. Et tunc ei medela pœnitentiæ adhibeatur. Principalia autem vitia, ſine quibus vix ullus inveniri poteſt, haec ſunt. Primum gaſtrimargia, hoc eſt, ventris ingluvies. Secundum fornicatio. Tertium acedia ſive triſtitia. Quartum avaritia. Quintum vana gloria. Sextum invidia. Septimum ira. Octavum ſuperbia.

Si quem autem verecundum viderit ſacerdos & erubeſcentem confiteri & diſcooperire peccata ſua quae geſſit, ammoneat illum dicens: Frater mi, ſaepius nos Dominus hortatur ad medicamina verae confeſſionis, non quod Deus indigeat noſtrae confeſſionis, qui omnia (novit) quae agimus, loquimur, cogitamus. Sed aliter ſalvi fieri non poſſumus niſi confiteamur pœnitentes quodcunque geſſimus negligentes. Dolet diabolus quando confitetur peccata ſua, & deſiderat nos celare quae fecimus: quia qui ſe ipſum accuſat in peccatis ſuis, hunc diabolus non habet iterum accuſare in die judicii, ſi tamen confitens pœnitendo diluit quae fecit, nec iterum renovat quae egit. Unde Jacobus Apoſtolus ait: *Confitemini alterutrum peccata veſtra*. Et Paulus: *Ore confeſſio fit ad ſalutem*. Et Salomon: *Qui abſcondit ſcelera ſua non dirigetur. Qui autem confeſſus fuerit & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur*. Johannes quoque evangeliſta: *Si confitemini peccata veſtra, fidelis & juſtus Deus ut remittat vobis peccata veſtra & mundet vos ab omni iniquitate*. Similiter & pſalmiſta ait: *Dixi, pronuntiabo adverſum me injuſtitias meas, Domine, & tu remiſiſti impietatem peccati mei*. Sciendum autem hoc magnum ſalutis medicamen non iterare quae impie geſſit nec priores cicatrices vulneribus aliis reſauciare.

Prima autem hebdomada ante initium quadrageſimae confeſſio danda de omnibus peccatis quae ſive opere ſive loquutione perpetrantur. Et ſic nominatim debet eis ſacerdos dicere ſupradicta octo principalia vitia. Primum gula, de quae diabolus decepit Adam, per quam Chriſtum tentavit cum dixit: *Si filius Dei es, dic ut lapides iſti panes fiant*. & per abſtinentiam ſananda. Secundum vitium principale fornicatio, de qua ait Salomon: *Fovea profunda meretrix & puteus anguſtus*, & idem doctor: *Quis fortior Sanſone? Quis ſapientior Salomone? Hic filius mulierum decipiatur*, & caſtitate ſananda. Tertium principale vitium acedia, id eſt, inſtabilitas loci. Haec non ſinit hominem perſeverare in bono. Haec per perſeverantiam boni operis ſananda, quia, ſicut ait Gregorius, *incaſſum bonum agit ſi ante terminum vitae deſeratur*. Quartum principale vitium avaritia, per quam vir avarus inferno ſimilis eſt. Avaro viro nihil ſceleſtius. Haec eleemoſynarum eſt largitate ſananda; quia ſicut avaritia in infernum mergit, ita largitas in caelum elevare conſuevit. Quintum principale vitium vana gloria. Haec omni bono opere caret; quia ſicut lapis nullus non pervenit ad caelum, ſic oratio cum vana gloria non pervenit ad Deum. Haec dilectione Dei ſananda. Sextum principale vitium invidia, de qua ait Salomon: *Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum*. Haec caritate ſananda. Caritas non aemulatur, omnia ſuffert. Septimum principale vitium ira, de qua Chriſtus ait: *Omnis qui iraſcitur fratri ſuo reus erit concilio*. Et Paulus: *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram. Nolite locum dare diabolo*. Et iterum: *Non vos defendentes, ſed date locum irae*. Haec patientia ſananda: *Beati pacifici*, ait Dominus, *quoniam filii Dei vocabuntur*. Et iterum: *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui vos perſequuntur & calumniantibus vobis*. Et alibi: *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras*. Non ipſum autem proprie triſtitia quod ira. Triſtitia ad

acc-

Digitized by Google

acediam pertinet, triſtitia ſaeculi generat mortem. Triſtitia mala deſperationem operatur & inſtabilitatem locorum. Unde & acidioſus dicitur triſtis. Apoſtoli irati non fuerunt, triſtes autem fuerunt. Triſtitia eorum verſa eſt in gaudium. Et triſtitia ſive acedia, quae eſt vitium ſupradictum, gaudio ſpirituali ſananda. Octavum principale vitium ſuperbia, de qua Chriſtus ait: *Omnis qui ſe exaltaverit humiliabitur*. Et Salomon: *Ubi fuerit ſuperbia, ibi erit contumelia*. Jeſus filius Syrach: *Odibilis coram Deo & hominibus ſuperbia*. Auguſtinus: *Quid tanta in nos ſuperbia, quæ angelos decepit? Quanto magis homines ſecum mergere cupit?* Inde angeli facti ſunt daemones. Sicut ſuperbia origo omnium criminum, ſic ruina omnium virtutum. Sanctus Gregorius ait: *Fructus putrefactus inutilis agricolis, & fructus ſuperbi inutilis Domino*. Sicut pondus fructuum frangit ramum, ſic ſuperbia decorem evertit animarum. Superbia depoſuit archangelum & tanquam fulgur fecit decidere in lapſum. Haec humilitate ſananda, quia humilitate homines angelis adaequantur.

Hæc octo principalia vitia & illæ quæ de radicibus illorum oriuntur niſi mundaverit quis hic per confeſſionem & pœnitentiam, non poſſunt mundari in die judicii, ſed deducunt homines in infernum. Quid erubeſcit homo confiteri, qui peccatis non erubuit coinquinari? Confitendo diluitur quod peccando contrahitur. Quomodo poteſt medicus vulnus ſanare quod ægrotus erubeſcit oſtendere? Ægrotus peccator, ſacerdos ſapiens medicus.

Qui autem confitetur, flectat genua cum ſacerdote coram Deo, & tunc confiteatur quicquid a juventute recordari poteſt ex omnibus modis quæ geſſit. Et ſi ille tota facinora ſua recordari non poſſit, aut ſi forſitan erubeſcit, ſacerdos debet eum interrogare quicquid in pœnitentiali conſtitutum eſt, ſi in illud vel in aliud crimen cecidit. Sed tamen non omnia crimina debet ei innoteſcere, quia multa vitia recitantur in pœnitentiali quæ non decet hominem ſcire. Ideo non debet eum ſacerdos de omnibus interrogare; ne forte cum ab illo receſſerit, ſuadente diabolo in aliquod crimen de his quæ ante neſciebat cadat. Et poſtquam omnia peccata ſua confeſſus fuerit, faciat ei ſymbolum dicere & omnibus qui in ſe peccaverunt dimittere & emendationem promittere Deo, nec iterum ad illa peccata redeat. Cum hæc omnia fecerit, conſiderabit ſacerdos magnitudinem culparum, & juxta modum imponat ei tempus pœnitentiæ. Deinde ſuper eum ſeptem pſalmos pœnitentiales cum orationibus quæ ſunt in ſacramentario dicat, & abſolvat eum in pace.

Sciendum autem quod ſi quis Epiſcoporum in aliquo de octo principalibus inquinatus ſit, quatuordecim annis pœniteat, Presbyter duodecim, Diaconus octo, clericus ſex, laicus quatuor.

Mulier quæ partum ſuum necat, XIV. annis pœniteat. Si filium ſuum occiderit, XV. annis pœniteat. Si in utero ante partum occiderit, VII. annis poeniteat. Si infans ſine baptiſmo mortuus fuerit, parentes ejus annum integrum poeniteant, & nunquam ſine aliqua poenitentia ſiant.

Sunt aliqua peccata quæ, ſicut Iſidorus ait, igne purgatorio purgari poſſunt; quæ eſt ſuperfluitas manducandi & bibendi, pauſandi, loquendi, & tarditas infirmos viſitandi, ad Eccleſiam veniendi, eleemoſynam dandi, ira repentina, quae non tenetur in corde, ebrietas, ſi non frequenter. Nam ira quae manet in corde & odium generat & deſiderat vindictam, & inter principalia reputatur.

Quidam dixerunt minora peccata eſſe hujuſmodi, id eſt parvum perjurium, ſi non frequenter ſolitum, loquentes inter jocando vel iraſcendo parvæ rei furtum, nubere cum uxore quam polluiſti in ſomno, percutere hominem ut ſanguis fluat, truncare membrum hominis ut non moriatur, coire cum uxore in die dominico vel in diebus quibus non licet, violare mortuorum ſepulchra cauſa ibi fabricandi domum, negligere ſacrificium ut non faciat cum diligentia qua debet, bibere maleficium vel immundam rem, uſuras dare, res alienas tollere parvas, ſacrilegium facere in parvis rebus, id eſt, de Eccleſia furari aliquid, pecuniam eccleſiaſticam furari vel fraudare, domum cremare ſine damno magno, alios cauſa lætitiæ inebriare, morticina manducare, id eſt, mortificatum a beſtia vel avibus vel de morbo mortua. De his & talibus ejuſmodi ſimilibus Epiſcopus VII. hebdomadas poeniteat, Presbyter quinque, Diaconus quatuor, Subdiaconus tres, clericus duas, laicus unam. Si in majori crimine in ipſis rebus vel aliis invenitur, ſecundum levitatem vel æſtimationem peccati modus poenitentiæ vel ampliabitur vel levigabitur. Odire vero fratrem, in quo odio quanto tempore fuerit, tanto ſpatio in pane & aqua vivat.

Admonendi etiam ſunt ſacerdotes de unctione infirmorum & poenitentia & viatico, ne aliquis ſine viatico moriatur. Sed & ſi quis poenitentiam in infirmitate quaerit, dum ſacerdos ad eum venerit, ſi contigerit eum officio linguae privari, conſtitutum eſt ut idonei viri illi qui cum ab eo initio infirmitatis fuerunt vera teſtimonia dicant quae ab illo audierunt dum loqui poterat, ſive de poenitentia, ſive de barba tondenda, ſive de monachatu. Et tunc ſacerdos commonitus officium circa eum adimpleat, & fidejuſſoribus ejus poenitentiam ejus pro eo imponat, & illi pro eo adimpleant.

Epiſcopus vero ſi ita fuerit infirmatus ut eum ungi liceat, & alter Epiſcopus non ſit praeſens qui ei officium adimpleat unctionis, Presbytero licet eum unctionis officio conſecrare. Nulla enim in primo tempore praedicationis Apoſtolorum diſtantia fuit inter Epiſcopos & Presbyteros; nec adhuc eſſet, niſi cauſa diſſenſionis haereticorum diverſa docebant & contraria ſibi multi Presbyteri.

Primitus autem infirmo poenitentia detur. Deinde, ſi permiſerit infirmitas, abluto corpore, albis veſtibus induatur, & in Eccleſiam deportetur, & jaceat in cilicio ſuperjecto cinere. Portetur ibi crux & aqua benedicta; ut cum venerint ad eum, videlicet tres Presbyteri, dicant capitulum: *Pax huic domui & omnibus habitantibus in ea. Pax ingredientibus & egredientibus in nomine Domini*. Deinde fundat ſacerdos de oleo ſacrato in aquam benedictam, & ſpargat eam dicens antiphonam: *Benedic Domine domum iſtam & omnes habitantes in ea, quoniam tu Domine dixiſti Pax huic domui &c. Benedic Domine timentes te puſillos cum majoribus. Benedicti vos a Domino, qui fecit caelum & terram*. Et iterum dicat antiphonam: *Aſperges me Domine hyſſopo &c.* Et data oratione cinerem ſacratum imponat capiti & pectori infirmi in crucis modum dicens: *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo donec revertaris in terram de qua ſumptus es. Pulvis es, & in pulverem reverteris*. Deinde incipiant ſeptem pſalmos pœnitentiales pro eo. Et ſi poteſt, infirmus ſtet genibus flexis & capite inclinato ſive omni corpore proſtratus. Poſt letaniam dicta oratione incipiat unctionem canentibus caeteris pſalmos & antiphonam congruentes, & faciat de oleo ſuper eum duodecim ſigna crucis, hoc eſt, primum inter ſcapulas magnam crucem uſque ad collum & ex tranſverſo uſque ſuper ſcapulas cum oratione, deinde in collo uſque ad cervicem, tertiam ſuper caput uſque ad frontem in tranſverſo ab aure uſque ad aurem, deinde quartam & quintam in viſu, hoc eſt, in ſuperciliis oculorum, ſextam in olfactu, id eſt, in naſo ſive in naribus, ſeptimam in guſtu, hoc eſt, in labiis, octavam & nonam crucem in auditu, id eſt, in auribus deforis, decimam in gutture, undecimam in pectore, duodecimam & decimam tertiam in tactu, id eſt, in unaquaque manu deforis, reliquas duas in pedibus. Hoc autem numero quindenario facimus cruces de oleo ſancto ſuper hominem infirmum propter trinitatis myſterium & quinque ſenſuum ſignificationem. Terni enim quinquies

quin-

Digitized by Google

quindecim perficiunt. Et quia per imparem numerum ſaepius ſanctificare ſolitum eſt, quidam viginti cruces facere ſuper infirmum volunt, quidam ex quatuor, id eſt, tres inter ſcapulas, tres ſuper ſcapulas, tres in collo, in cervice, in cerebro, tres in fronte & ſuperciliis, tres in naribus & labiis, duas in auribus, duas in gutture & pectore, duas in manibus, duas in pedibus. Quidam addunt duas in temporibus, duas in manibus interius faciunt. Quidam in fronte ullius nec in manibus ſacerdotis interius crucem de oleo facere oportere dicunt. Sed tamen nil obeſt. Epiſcopus enim non oleum infirmorum ſed chriſma frontibus omnium baptizatorum & manibus ſacerdotum imponit. Nam pectus & inter ſcapulas baptizatis crucem faciendo de oleo exorcizato, non de oleo infirmorum, Presbyter tangit ante baptiſmum. Itaque nil obeſſe videmus eadem loca tangi in unctione infirmi de oleo infirmorum. Apoſtoli autem ungentes oleo infirmos non amplius quam tres cruces cum oleo ſuper eos faciebant. Unde Graeci, qui ipſam traditionem Apoſtolorum imitantur, ſimiliter tres tantum cruces cum oleo faciunt, fundentes cum ampulla oleum infirmorum in crucis modum ſuper caput & veſtimenta & totum corpus infirmi, incipientes crucem a capite uſque ad pedes, in tranſverſo a manu dextera uſque ad brachia & pectus uſque ad ſiniſtram manum, ſemel dicentes ad ipſas tres cruces: *Ungo te in nomine patris & filii & ſpiritus ſancti, ut oratio fidei ſalvet te, & alleviet te Dominus, & ſi in peccatis ſis, remittantur tibi*. Illa autem veſtimenta oleo ſuperfuſa quibus infirmandus non ſepeliuntur, & ſi convaluerit, abluuntur in loco mundo, & iterum utitur eis. Non ſolum autem clericis, ſed etiam laicis, nec tantum viris, ſed & feminis, unctio talis tribuenda, ſi neceſſe fuerit; quia quoſdam ſanctos viros legimus puellas paralyticas oleo ſancto unxiſſe & ſanaſſe. Energumenos etiam legimus oleo ſancto perunctos & ſanatos. Ideo ſi infirmus in amentiam verſus, tamen juxta Concilium Arauſicenſe omne officium pietatis exhibeatur ei, & ipſa communio, ſi tamen in ſua ſanitate catholicam fidem credebat. Sic enim in eo Concilio habetur ſcriptum: *Amentibus quaecunque ſunt pietatis conferantur*. Et rite in hora qua ſubito obmuteſcens baptizari aut poenitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis praeteritae teſtimonia juſta fuerint. Sic quandiu vita apparet in infirmo, commendari omnibus officiis pietatis poterit, etiamſi teſtimonia voluntatis ejus defuerint. Pro fide tamen amicorum omnia ei debent impendi ſacramentorum adjutoria, exemplo evangelico, ubi Jeſus non ad paralytici ſed ad illorum qui eum portabant fidem reſpiciens ait: *Homo dimittuntur tibi peccata tua*. Hoc autem omnibus modis obſervari oportet, ut poſt mortem communio euchariſtiae in os cadaveris * immittatur aliquo intuitu miſericordiae. quod prohibent valde canones. Sola poenitentia ab amicis pro mortuo poteſt poſt mortem ejus accipi, ſi tanta in eis fuerit caritas.

* non

Ipſis quoque pueris neceſſaria eſt inunctio, cum legamus nonullos virorum ſanctorum oleo membra puerorum unxiſſe ſacrato & ad ſanitatem priſtinam revocaſſe. Nam pœnitentia pueris adeo videtur neceſſaria ut legamus quoſdam pueros pro meritis peccatorum miniſtris ſatanae traditos, & abſque pœnitentia interierunt.

Sicut autem jam diximus, ita licitum eſt Presbyteris Epiſcopis ungere in infirmitate, ut Carthaginenſe Concilium Presbyteris concedat fideles chriſmate confirmare more Epiſcoporum, ſi tamen in periculo mortis aliquem viderint qui ab Epiſcopo chriſmate ſancto fuerit confirmatus. Similiter de reconciliatione pœnitentium in periculo mortis eis conceditur. Presbyteri enim, licet pontificatus apicem non habeant, tamen ſecundi Epiſcopi ſunt.

Uncto vero infirmo cum orationibus, ut dictum eſt, jubeatur a ſacerdote orationem dominicam & ſymbolum dicere & ſpiritum ſuum in manus Dei commendare & ſignaculo crucis ſe munire & viventibus valedicere. Tunc ſacerdos det ei pacem & communicet eum dicens: *Corpus & ſanguis Domini ſit tibi remiſſio omnium peccatorum tuorum, & cuſtodiat te in vitam aeternam*. Tunc data oratione, in fine dicat ſacerdos: *Benedicamus Domino*. Et reſpondeant omnes: *Deo gratias*. & expletum eſt. In craſtino & uſque ad ſeptem dies viſitet eum ſacerdos, & fundat ſuper eum orationes ad hoc congruentes.

Dicendum etiam ſacerdotibus ut quando pœnitentibus imponunt modum & tempus poenitentiae, dicant eis haec verba: Frater, in hoc omnis poenitentia valet, praeter ita crimina poenitere, & a futuris abſtinere, dare ſtudium in laboribus, in vigiliis, in orationibus, in jejuniis, in eleemoſynis, in indulgentia inimicorum: quia non requirit Deus longa ſpatia poenitentiae, ſicut per prophetam dicitur: *Cum converſus ingemueris, tunc ſalvus eris*. Et iterum: *Convertimini ad me, & ego revertar ad vos*. In hoc miſericors Dominus, & non vult mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat. Et in evangelio ait: *Gaudium erit in caelo ſuper uno peccatore poenitentiam agente magis quam ſuper nonaginta novem qui non indigent poenitentia*. Et iterum: *Qua die converſus fuerit peccator coram me, omnes ejus iniquitates delebo*. Vide ergo, frater mi, quantis teſtimoniis remedia peccatorum didiciſti, & ſcias non aliter veniam promereri poſſe niſi ex toto corde converſus fueris. Fac ergo tibi unam ſarcinam ex omnibus peccatis tuis, quae nunquam ab oculis tuis recedere poſſit: quia acceptabilior Deo eſt jugis oratio ac gemitus aſſiduus quam longa & tepida poenitentia.

Sciat autem ſacerdos quod confitentium ſingulas culpas inveſtigare non debet. Quando majorem invenerit, de ejus cauſa judicabit.

De ovibus Chriſti lucrandis vobis ſacerdotibus haec dicere ſtuduimus auxiliante Domino Jeſu Chriſto, cui gloria in ſaecula ſaeculorum.

CAPITULA RODULFI ARCHIEPISCOPI BITURICENSIS

INCIPIT PROLOGUS.

RODulfus exilis ſervorum Dei ſervus fratribus & conſacerdotibus Bituricenſis Eccleſiae noſtrae ſalutem. Non latere credimus beatitudinis veſtrae ſolertiam quanta eccleſiaſticae nobis diſciplinae, quantiſve cordianis ſollicitudinibus ſubditorum inſuper & temporalium oppreſſionibus rerum, quibus indeſinenter undique coanguſtamur, ſollicitudo contringat. Ideirco, ut vobiſcum contuli, ex antiquorum ſcriptis, ſcripturarum quoque ac canonum orſis excerpere dudum opuſculum vitae ſacerdotalis pœnitentiaeque ac ſatisfactionis minime quivi: quoniam animus partitus per diverſa fit tardior ad ſingula. Non enim reniſus ſum petitioni veſtrae velut otii taedio durus, ſed ſupradictae impoſſibilitatis nervo vinctus. Jam vero tantorum nolens reſiſtere querimoniis dignum ac utile fore cenſeo condignis parere deſideriis laudabilibuſque ſatisfacere petitionibus. Quapropter me ipſum, fratres, abnegare nolo, ſed ardenti animo, ſine aliquo excuſationis verbo, hujus ponderis ſarcinam a vobis illatam, a Domino quoque ſublevandam, arripere non recuſo, jactans in Chriſto meum cogitatum, cujus hortatu huic operi tribuam incrementum. Ipſe enim inquit: *Aperi oſtium, & ego adimplebo illud*. Valde etenim me ſollicitat quoniam Ex L. VI. Mſ. Baluz. pag. 139.

ait

Concil. Cabilon. II. cap. 38.

ita in ſacerdotum noſtrorum libellis reperi quos vulgo pœnitentiales vocant, quorum errores certi, auctores ſunt incerti, confuſa judicia pœnitentium atque ita diverſa & nullius auctoritate ſuffulta ut vix animus prudentis prope diſſonantia tanti diſcriminis poſſit ſuſtinere jacturam. Hos vero obliterans, & ſtudium meum certis atque catholicis ſcripturis accommodans, quid agere ſacerdotes, qualiterve converſari vel quomodo Chriſti gregem veluti paſtores ingenio compotes & ſermone tantum medicinali antidoto levigatum ad perpetuae caulas paſcuae revocare oporteat, ex ſanctorum patrum canonumque ſententiis exiguum opus in uno volumine aggregare curavi. Et ut faſtidioſis & minus eruditis lectoribus taedium minime inferrem, hujus modici opuſculi ſummam XLV. capitulis perſtrinxi. Si autem quis paſchalibus multimodiſque refertus dapibus hunc noſtri laboris ſpreverit actum, in his obſecro caritate ſervata opibus utefcat cecropiis, noſtris omittens contraire puriſſimae devotionis ſine aliquo arrogantiae faſtu conatibus. Legentium quippe totis praecordiorum niſibus efflagitare non ceſſo induſtriam quatenus dilectionis munere recreati, quae in his membranis conſpicuo corrigibilia & minus apta perſpexerint ocello, abſque dilacerationis obſtaculo, non ut obtrectatores inſani, ſed tanquam amplectitores benevoli, emendare atque corrigere caritative ſtudioſe ſtudeant, ut & perfectio dilectionis ſervetur in mente, & effectus optimi ſtudii exerceatur in opere. Unde poſco vos, o fratres dilectiſſimi, fundite pro meis peccaminibus ſupplicibus votis ad Dominum preces, quod clemens atque multum miſericors vincula pravitatis meae abſolvat, & gaudia aeterna concedat. Deus omnipotens aeternus paſtor vos ubique protegat & ab omnibus perturbationibus liberet.

CAP. I. *De fide ſanctæ trinitatis, qualiter tenenda ſit a Presbyteris & prædicanda.*

Lib. 1. Capitular. cap. 70.

Primo omnium credendum eſt atque omnibus generaliter prædicandum patrem & filium & ſpiritum ſanctum unum Deum eſſe omnipotentem, aeternum, inviſibilem, qui creavit caelum & terram, mare & omnia quae in eis ſunt, & unam eſſe deitatem & ſubſtantiam & majeſtatem in tribus perſonis patris & filii & ſpiritus ſancti. Itemque quoniam filius Dei incarnatus eſt de ſpiritu ſancto & Maria virgine pro ſalute & reparatione humani generis, homo factus, paſſus, ſepultus, tertia die reſurrexit, & aſcendit ad caelos, ſedetque ad dexteram patris, & quia venturus ſit judicare omnes homines propter merita propria, & quoniam omnes mortui in vera carne reſurgent, impii propter ſcelera ſua cum diabolo in ignem mittendi aeternum, juſti vero cum Chriſto & cum angelis ſuis in vitam conſociandi aeternam.

CAP. II. *De honore & reſtauratione Eccleſiarum.*

Lib. 1. Capitular. cap. 67. & lib. 6. cap. 377.

Capitulare Theodulfi cap. 10.

Placuit nobis admonere fratres & conſacerdotes noſtros ut Eccleſia Dei per illorum parrochias ſuum habeat honorem, & altaria ſecundum ſuam dignitatem venerentur & exornentur, domuſque Dei & altaria ſacrata non ſint avibus & canibus pervia, & ut ſaecularia negotia & vaniloquia in Eccleſiis non agantur, quia domus Dei domus orationis debet eſſe, non ſpelunca latronum, & non ob aliam cauſam in Eccleſiam convenire debere niſi ad laudandum Deum & ejus ſervitium faciendum. Diſceptationes vero & tumultus & vaniloquia & ſcurrilitas caeteraeque turpes actiones ab eodem ſancto loco penitus prohibenda ſunt. Ubi enim Dei nomen invocatur, ſacrificium Deo offertur, angelorum frequentia ineſſe non dubitatur, periculoſum eſt tale aliquid dicere vel agere quod loco non convenit. Si enim Dominus illos de templo ejecit qui victimas quas ibi offerebant emebant & vendebant, quanto magis illos iratus abjiciet qui mendaciis, vaniloquiis, riſibus, & hujuſmodi nugis locum divino cultui mancipatum fœdant? Monemus etiam ut praedictas Eccleſias bene conſtruant & emendent juxta rerum poſſibilitatem, & luminaria eis tribuant, ſicut decet, ut in omnibus honorificetur Deus, & Eccleſia ſancta Chriſti ſanguine mercata veneretur, magnificetur, atque exaltetur.

Lib. 1. Capitular. cap. 5.

CAP. III. *Ut Miſſa nequaquam alibi niſi in Eccleſia celebretur. Et ut in Eccleſiis cellaria non fiant.*

Capitulare Theodulfi cap. 11.

Miſſarum ſolemnia nequaquam alibi niſi in Eccleſia celebranda ſunt, non in quibuslibet domibus & in vilibus locis, ſed in loco quem elegerit Dominus, juxta illud quod ſcriptum eſt: *Vide ne offeras holocauſta tua in omni loco quem videris, ſed in loco quem elegerit Dominus ut ponat nomen ſuum ibi.* excepta ratione eorum qui in exercitum pergentes ad hoc opus habent tentoria & altaria dedicata in quibus Miſſarum ſolemnia expleant. Videmus etiam crebro in Eccleſiis meſſes, vinum, fœnum, & caeterarum frugum ſpecies congeri. Unde horrea vel cellaria potius quam Eccleſiae eſſe probantur. Et ob hoc, quod nefas eſt, homicidia, adulteria, furta, comeſſationes, ebrietates, turpiloquia, & his ſimilia inlicita, quae viſu & auditu obſcœna ſunt ibi fieri ſæpe a plurimis didicimus. Quapropter volumus ut hoc penitus obſervetur quatinus in Eccleſia nihil aliud praeter veſtimenta eccleſiaſtica & vaſa ſancta & libros & ea quae honori congruunt vel non officiunt eccleſiaſtico recondatur; ne forte ſi alia ibi quam oporter negotia exerceantur, a Domino audiamus: *Domus mea domus orationis vocabitur. Vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum.* Et iterum: *Auferte iſta hinc, & nolite facere domum patris mei domum negotiationis.*

Capitulare Theodulfi cap. 8.

CAP. IV. *Ut in Eccleſiis deinceps ſepulturæ mortuorum non fiant.*

Capitulare Theodulfi cap. 9.

Vide Notas ad Reginonem pag. 557.

Antiquus in his regionibus in Eccleſia ſepeliendorum mortuorum uſus fuit, & plerumque loca divino cultui mancipata & ad offerendas Deo hoſtias præparata cimiteria ſive polyandria facta ſunt. Unde volumus ut ab hac re deinceps abſtineatur, & nemo in Eccleſia ſepeliatur, niſi forte talis ſit perſona ſacerdotis aut cujuslibet juſti hominis qui per vitæ meritum talem vivendo ſuo corpori defuncto locum adquiſivit. Corpora vero quæ antiquitus in Eccleſiis ſepulta ſunt nequaquam projiciantur; ſed tumuli qui apparent profundius in terram mittantur, & pavimento deſuper facto, nullo tumulorum veſtigio apparente, Eccleſiæ reverentia conſervetur. Ubi vero tanta eſt multitudo cadaverum ut hoc facere difficile ſit, locus ille pro cimiterio habeatur, ablato inde altari, & in eo loco conſtructo ubi religioſe & pure Deo ſacrificium offerri valeat.

CAP. V. *De libris & veſtimentis eccleſiaſticis vel ſacerdotalibus & de vaſis ſacris.*

Lib. 1. Capitular. cap. 68 103 & lib. 5. cap. 219.

Capitulare Theodulfi cap. 18.

Admonendi etiam ſunt ſacerdotes ut operam dent quatinus Miſſalem & lectionarium, pſalterium, ſive alios libellos ſibi neceſſarios bene correctos habeant, quia ſæpe dum bene aliquid Deum rogare cupiunt, per inemendatos libros male rogant. Et pueros ſuos non ſinant vel legendo vel ſcribendo eos corrumpere, corrigere, vaſaque Deo ſacrata magna veneratione habeantur. Et non liceat alicui calicem aut patenam aut quodlibet vas ſacratum & divino cultui mancipatum ad alios uſus retorquere. Nam quicunque de calice ſacrato aliud bibit præter Chriſti ſanguinem, qui in ſacramento accipitur, & patenam ad aliud officium habet quam ad altaris miniſterium, deterrendus eſt exemplo Balthaſar, qui dum vaſa Domini in uſus comunes aſſumpſit, vitam pariter cum regno amiſit. Statuimus quoque ut cum ſummo ſtudio linteamina nitida altaribus præparent, &

ſacerdotalia indumenta cum quibus ſacrificatur optima pro viribus & munda habere ſatagant, & ſive nova ſive vetuſtate confecta ad alios uſus tranſire nullo modo ſinant.

Cap. VI. *De Euchariſtia.*

Lib. 1. Capitular. cap. 155. Capitulare Theodulfi cap. 5.

Ut Presbyteri ſemper habeant paratam euchariſtiam, ut quando quiſque infirmaverit, aut parvulus infirmus fuerit, ſtatim eos communicent, ne ſine communione moriantur. Panes enim quos in ſacrificio offertis, aut a vobis ipſis aut a veſtris miniſtris ad id agendum idoneis coram vobis nitide ac ſtudioſe fiant, & diligenter obſervetur ut panis & vinum & aqua, ſine quibus Miſſæ nequeunt celebrari, mundiſſime atque ſtudioſe tractentur, & nihil in his vile, nihil reprehenſibile inveniatur, & ut ſacrificia ſanctificata cum magna diligentia ab eis colligantur qui digni ſunt, & honorifice ſerventur.

Lib. 1. Capitular. cap. 67.

Ab omnibus autem cavendum ſummopere eſſe monemus ut non diutius ſerventur, ne forte putrida & inhoneſta appareant, ſed tam diu in vaſe mundiſſimo cuſtodiantur uſque dum ad alia dicata ſuccedant.

Cap. VII. *De vita & moribus Sacerdotum.*

Capitulare Theodulfi cap. 2.

Oportet ſacerdotes Dei aſſiduitatem habere legendi & inſtantiam orandi; quia vita viri juſti lectione inſtruitur, oratione ornatur, & aſſiduitate lectionis munitur, juxta illum qui dicebat. *In corde meo abſcondi eloquia tua, ut non peccem tibi.* Hæc ſunt arma, lectio videlicet & oratio, quibus diabolus expugnatur. Hæc ſunt inſtrumenta quibus beatitudo adquiritur.

Ibid cap. 3.

His armis vitia comprimuntur, his alimentis virtutes nutriuntur. Et ſi quando a lectione vel oratione ceſſatur, debet manuum operatio ſubſequi, quia otiofitas inimica eſt animæ, & antiquus hoſtis quem a lectione ſive ab oratione ſeu operatione vacantem invenerit facile ad ima rapit. Debet itaque Chriſti ſacerdos compoſitis moribus, vultu hilari, ſermone proficuo, exemplo ſalubri, placido animo, ſine dolo & ſimulatione, atque omnibus in commune virtutibus clarere, quatinus ſibi commiſſos non livoris atque amaritudinis zelo pertrahat ad ruinam, ſed caritatis atque dulcedinis providentia provocet ad ſalutem.

Cap. VIII. *De doctrina & obſervantia ſacerdotum.*

Lib. 1. Capitular. cap. 66.

Ut presbyteri qui ſibi & cæteris prodeſſe debent ſummopere ſtudeant ut doctrinam rectam teneant, & baptiſma catholicum obſervent, & Miſſarum preces bene intelligant, & horas canonicas diurnas vel nocturnas cuſtodiant, & ut pſalmi digne ſecundum diviſiones verſuum modulentur, & dominicam orationem & ſymbolum atque expoſitionem ipſi noſcant & omnibus prædicent intelligendam, & unuſquiſque ſciat quid a Deo petat; quatinus eorum doctrinis atque exemplis multi pertrahantur ad ſervitium Dei, ſicut ipſe Dominus in evangelio præcepit: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus ut videant opera veſtra bona & glorificent patrem veſtrum qui in cælis eſt.*

Cap. IX. *Ut laici ſeniores domus ſacerdotum aliqua occaſione cum feminis & canibus habitandi cauſam non habeant.*

Omnes in commune ſeniores Eccleſiarum laicos monemus ut in domibus ſacerdotum, quae mundae ac caſtae & religioſae debent eſſe, cum uxoribus vel aliis feminis ſeu canibus habitare nullatenus praeſumant: quoniam illicitum eſt eum qui ſoli Deo ſervire jubetur luxurioſis verbis atque ſuperfluis implicari tumultibus, & commiſſi officii praenxas pſallendi, vigilandi, orandi, aut, ſi neceſſitas evenerit, baptizandi, infirmiſque & deficientibus ſubveniendi, corrumpere metas. Hoc vero nefas deinceps fieri vetamus, ne Dei miniſtri ſaeculari oppreſſione laedantur, & Chriſti grex cariſſimo pretio comparatus negligentia paſtorali morte damnetur aeterna. Si autem ab hinc tale aliquid geſtum fuerit, ad noſtram citius perveniat notitiam, ut auctoritate divina ad corrigendum vel inviti deducantur transgreſſores.

Cap. X. *Quo ordine a Presbyteris Miſſa celebretur.*

Capitulare Theodulfi cap. 7.

Sacerdos Miſſam ſolus nequaquam celebret: quia ſicut illa celebrari non poteſt ſine ſalutatione ſacerdotis, reſponſione plebis, admonitione ſacerdotis, reſponſione nihilominus plebis, ita nimirum nequaquam ab uno debet celebrari, eſſe autem debent duo aut tres qui circumſtent, quos ille ſalutet, a quibus ei reſpondeatur. Et ut epiſtolam nullus laicus legere praeſumat nec clericus, niſi prius ſubdiaconatus ſuſceperit officium. Sicut enim Miſſam Sacerdotes & evangelium legere Diaconi jubentur, ita epiſtolam pronuntiare inter ſacra Miſſarum ſolemnia Subdiaconi noſcuntur. Nam ſi Subdiaconus defuerit, aut a Diacono aut ab ipſo legatur Presbytero, ut non vituperetur miniſterium ſacrum, ſed in omnibus honorificetur Deus.

Capitulare Theodulfi cap. 6.

Feminae autem Sacerdote Miſſam celebrante nequaquam ad altare accedant, nec vaſa ſacra contingant, ſed in locis ſuis ſtent. Memores enim eſſe debent feminae infirmitatis ſuae & ſexus imbecillitatis. Et idcirco ſancta quaelibet in miniſterio Eccleſiae contingere pertimeſcant. Quae etiam laici viri pertimeſcere debent, ne Ozan poenam ſubeant; qui dum arcam Domini extra ordinari Dei ſuſtentare voluit, ſed Domino percutiente interiit.

Cap. XI. *De hoſpitalitate.*

Capitulare Theodulfi cap. 25.

Admonendi ſunt ſacerdotes ut hoſpitalitatem & per ſe diligant & caeteris diligendam eſſe inſinuent, & nulli hoſpitium prohibeant. Et ſi cui forte hoſpitium praeſtiterint, nullum ab eo munus accipiant, niſi forte ille qui recipitur ſponte ſua aliquid det. Dicendumque illis qualiter multi per hoſpitalitatis officium Deo placuerunt; dicente Apoſtolo: *Per hanc enim placuerunt quidam Deo, angelis hoſpitio ſuſceptis.* Et iterum: *Hoſpitales invicem ſine murmuratione.* Et ipſe Dominus ad judicium dicturus eſt: *Hoſpes eram, & collegiſtis me.* Sciant namque quicunque hoſpitalitatem amant, Chriſtum ſe in hoſpitibus recipere. Eſurientes ergo ſatiandi ſunt, ſitientes potandi, nudi operiendi, infirmi & qui in carcere ſunt viſitandi, & hoſpites colligendi, dicente Domino: *Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare; ſitivi, & dediſtis mihi bibere.* & caetera. Nam haec omnia & in ſe quiſque debet ſpiritaliter agere & in aliis carnaliter adimplere.

Cap. XII. *De Conciliis obſervandis.*

Secundum priſcorum edicta patrum cuncti ſacerdotes per parrochias conſtituti ad Concilium venire jubentur, ut ibi omnium quaeſtionum negotia ab Epiſcopo diſcutiantur, ut quae utilia ſunt comprobentur, & inutilia quaeque & illicita canonice corrigantur. Unde monemus omnes ut haec ſalutaria monita cuſtodire non negligant, & ad ſynodum omni occaſione ſublata occurrere indifferenter ſatagant, qualiter unanimitate ſervata omnium diſceptationum rumoſa tollantur diſcidia. Si quis vero his inſtitutionibus contraire tentaverit, & ſynodalia jura contemnens ad noſtrum Concilium noſtrorumque miniſtrorum feſtinare diſtulerit, niſi juſtam excuſationis protulerit cauſam, canonicae excommunicationis ſentiet poenam.

Cap.

Digitized by Google

CAP. XIII. *De praedicatione ſacerdotum.*

Capitulare Theodulſi cap. 28.

Hortamur vos paratos eſſe ad docendas plebes. Qui ſcripturas ſcit, praedicet ſcripturas. Qui vero ſcripturam neſcit, ſaltem hoc quod notiſſimum eſt plebibus dicat, ut declinent a malo & faciant bonum, inquirant pacem & ſequantur eam, quia oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum. Vultus autem Domini ſuper facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum. Nullus ergo ſe excuſare poterit quod non habeat linguam unde poſſit aliquem aedificare. Mox enim ut quemlibet errantem viderit, prout poteſt aut valet, aut arguendo aut obſecrando aut increpando ab errore retrahat & ad peragendum bonum opus hortetur. Modus autem praedicationis hic eſt. In primis Dominum Deum diligere ex toto corde, tota anima, tota virtute, deinde proximum tanquam ſe ipſum. Deinde non occidere, non adulterare, non facere furtum, non concupiſcere, non falſum teſtimonium dicere, honorare omnes homines, & quod ſibi quis fieri non vult alio non faciat, abnegare ſemetipſum ſibi, ut ſequatur Chriſtum, corpus caſtigare, delitias non amare, jejunium amare, pauperes recreare, nudum veſtire, hoſpites ſuſcipere, infirmum viſitare, mortuum ſepelire, in tribulatione poſitis ſubvenire, dolentem conſolari, a ſaeculi actibus ſe facere alienum, nihil amori Chriſti praeponere, iram non perficere, iracundiae tempus non reſervare, dolum in corde non tenere, pacem falſam non dare, caritatem non derelinquere, non jurare, ne fortè perjures, veritatem ex corde & ore proferre, malum pro malo non reddere, injuriam non facere, ſed & factam patienter ſufferre, inimicos diligere propter Deum, maledicentes ſe non remaledicere, ſed magis benedicere, perſecutionem pro juſtitia ſuſtinere, non eſſe ſuperbum, non vinolentum, non multum edacem, non ſomnolentum, non pigrum, non murmurioſum, non detractorem, non litigioſum, ſpem ſuam Deo committere. Bonum aliquid in ſe cum viderit, Deo applicet, non ſibi: malum verò à ſe factum ſciat & ſibi reputet. Diem judicii timere, gehennam expaveſcere, vitam aeternam omni concupiſcentia ſpiritali deſiderare, mortem cotidie ante oculos ſuſpectam habere, actus vitae ſuae omni hora cuſtodire, in omni loco Deum ſe reſpicere pro certo ſcire, cogitationes malas cordi ſuo advenientes abjicere, os ſuum a malo vel pravo eloquio cuſtodire, multum loqui non amare, quoniam ſecundum ſcripturam in multiloquio peccatum non deerit, verba vana aut riſui apta non loqui, riſum multum non amare, lectiones ſanctas libenter audire, orationi frequenter incumbere, mala praeterita cum lacrymis & gemitu cotidie in oratione Deo confiteri, de ipſis malis de caetero emendare, deſideria carnis non perficere, voluntatem propriam odire, praeceptis ſacerdotis in omnibus obedire, etiamſi ipſe aliter, quod abſit, quam non oportet agat, memores illius dominici praecepti, *Quæ dicunt facite, quae autem faciunt facere nolite*; praecepta Dei factis cotidie adimplere, caſtitatem amare, zelum & invidiam non habere, contentionem non amare, ſeniores venerari, juniores diligere, cum diſcordantibus ante ſolis occaſum in pacem redire, & de Dei miſericordia nunquam deſperare. Haec ſunt enim inſtrumenta ſpiritalia; quae cum fuerint a nobis die noctuque inceſſabiliter adimpleta & in die judicii reconſignata, illa merces a Domino recompenſabitur quam ipſe promiſit: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus his qui diligunt eum.*

Ib. cap. 28.

CAP. XIV. *De Presbyteris qui in coena Domini pro chriſmate veniunt, ut unuſquiſque tres deferat ampullas.*

De Presbyteris qui accipiendi chriſmatis gratia ad civitates in coena Domini venire ſoliti ſunt conſtituimus ut ex decem unus eligatur, qui acceptum chriſma ſociis ſuis diligenter perferat. Hi vero qui non longius a civitate quàm ſex aut ſeptem millibus habitant, ad accipiendum chriſma per ſe veniant. Tres autem omnes ſecum deferant ampullas, unam pro chriſmate, aliam pro oleo ad catecuminos, tertiam pro oleo ad infirmos ungendos. Secundum itaque beati Apoſtoli Jacobi documentum, cui etiam decreta patrum conſonant, infirmi oleo quod ab Epiſcopis benedicitur a Presbyteris ungi debent. Dicit enim: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum & allevabit eum Dominus. Et ſi in peccatis eſt, remittetur ei.* Non eſt ergo parvipendenda hujuſcemodi medicina, quae corporis animaeque medetur languoribus. Presbyteri autem chriſma ſub ſigillo cuſtodiant, ut nulli ſub praetextu medicinae vel alicujus maleficii dare praeſumant. Si fecerint, honore priventur.

Lib. 1. Capitular cap. 92. 116. Vide Notas ad Capitularia pag. 1170.

Lib. 5. Capitular. cap. 145.

CAP. XV. *De parrochianis & de parrochia alterius & de clericis alienis.*

Capitulare Theodulſi cap. 14. Lib. 7. Capitular cap. 198. & lib. 1 cap. 147. 148.

Nullus Presbyter alterius parrochianum perſuadeat ut ad ſuam Eccleſiam concurrat, relicta propria Eccleſia, nec ad Miſſam recipiat, niſi in itinere fuerit, aut placitum ibi habuerit, aut aliqua juſta ratio intervenerit. Nulluſque Presbyter in alterius Eccleſia Miſſam canere praeſumat, niſi in itinere poſitus, aut ob eo juſſus ad quem ipſa pertinet Eccleſia. Nec decimas alteri debitas audeat recipere, ſed unuſquiſque ſua Eccleſia & populo contentus, quod ſibi non vult fieri, alteri nequaquam faciat, juxta illud evangelicum: *Quaecunque vultis ut vobis faciant homines, & vos eadem facite illis.* Hoc quoque modis omnibus prohibemus ut nullus Presbyter alterius clericum ſollicitet aut recipiat, quia gravis de hac re in ſacris canonibus ſententia eſt. Quiſquis autem contra haec ſtatuta venerit, vel his monitis noſtris reniti tentaverit, aut gradum ſe ſciat amiſſurum, aut in carcere longo tempore detinendum.

CAP. XVI. *De feminis a Presbyteris non ſuſcipiendis.*

Capitulare Theodulſi cap. 12.

Nulla femina in domo ſacerdotis habitet. Quamvis enim canones matrem & ſororem & hujuſcemodi perſonas in quibus nulla ſit ſuſpicio cum illo habitare concedant, hoc nos modis omnibus idcirco amputamus, quia in obſequio ſive occaſione illarum veniunt aliae feminae quae non ſunt ei affinitate conjunctae, & eum ad peccatum inliciunt. Occaſiones enim amputandae ſunt peccatorum, & tollendae omnes ſuſpiciones quibus ſubtilitas diaboli ſub praetextu caritatis & dilectionis incautas animas & ignaras inretire conſuevit. Idcirco ad cuſtodiendam vitam eorum vel famam ſpeciali ordinatione praecipimus ut nullus ſacerdotum extraneae mulieri qualibet collatione aut familiaritate jungatur, & non ſolum in domo illius femina non accedat, ſed nec ipſe frequentandi domum feminae habeat poteſtatem, nec in cellarium vel in ſecretum ancillam aut libertam ſeu quamcumque feminam intromittat. Si quis vero Presbyter crimine fornicationis de quacunque femina ſuſpicatus poſt primam & ſecundam admonitionem inveniatur fabulari cum ea vel aliquo modo converſari, noverit ſe a ſacerdotii honore & ab officio removendum, nulla ei prorſus recuperationis conſolatione relicta.

CAP. XVII. *Ut nullus Presbyter Eccleſiam alterius ſubripere audeat.*

Capitulare Theodulſi cap. 16.

Si quis Presbyter inventus fuerit alicui clerico aut laico munera dare aut dediſſe aut ullo modo quibuslibet factionibus vel fraudibus ſeu doloſitatibus publice vel occulte attentare ut Eccleſiam alterius Presbyte-

Lib. 7. Capitular cap 206. byteri ſubripiat, ſciat ſe pro hac rapina & ſaeva cupiditate aut gradum amiſſurum aut in carceris aerumna longo tempore poenitentiam agendo detinendum. Statuimus quoque ut nullus ſacerdos pro accepta Eccleſia munera dare praeſumat. Et hoc juxta canonum decreta ſeu glorioſiſſimorum Karoli ſcilicet ac *Lib. 1. Capitular cap. 150.* Ludovici decernimus ut unuſquiſque Presbyter res quas poſt diem conſecrationis acquiſierit ad propriam relinquat Eccleſiam.

Cap. XVIII. *Ut pro baptizandis ſive pro ſepeliendis fidelibus ſive pro poenitentia danda aut pro ſacramentis in Eccleſia faciendis nulla pretia exigantur.*

Lib. 5. Capitular. c. 57 & lib. 6 cap 100. 283. Capitula Karoli Calvi tit. 7. cap. 2 S. Gregor. lib 7. indic. 2. ep. 55. Audivimus quoſdam ſacerdotes maligno inſtinctu agitatos pro baptiſmatis gratia ſive pro ſepulturae loco pretia injuſta a nonnullis accepiſſe. quod neſandiſſimum facinus in cunctis majorum inſtitutis novimus prohibitum. Gratis enim datur, & gratis dari jubetur. Et ideo nihil deinceps, quia gratis eſt datum, pro baptizandis ſive ſepeliendis hominibus pretii exigere praeſumant; ſed eos quos corporis valitudo ſociat ſaluti, temporibus conſtitutis ſponte baptizent; & ſi in fine mortis conſtituti fuerint, eos abſque aliqua dilatione ſine alicujus pretii munere ad regenerationis baptiſmum admittant. Cum vero ab hac vita receſſerint, cum pſalmis & canticis diligenter ad ſepulchrum illos deferant, nullum exinde pretium requirentes, niſi ipſi aut parentes eorum ſeu eleemoſynarii ſponte aliquid tribuant. Similiter de poenitentia danda & de ſacramento in Eccleſia faciendo eccleſiaſtica vetat auctoritas nullum prorſus exquirere donum. Poenitentiam autem quaerentibus cito ſuccurrendum eſt. Et jurantibus ne in perjurium incidant praedicandum. Peccantes autem ut ad poenitentiam redeant omni ſollicitudine invitandi. Et jurantes ut crimen non incurrant omnimodis ſuadendi ſunt. Quoniam frequenter nonnulli paupertate cogente deterriti baptiſmum differunt, & abſque baptiſmatis gratia filios ſuos mori permittunt. Alii quoque juramenti pretium, quod ab illis inlicite a ſacerdotibus exigitur, metuentes, perjurium perpetrare non formidant. Si quis vero ſacerdotum haec prohibita deprehenſus fuerit admiſiſſe, vel commiſſa potius ſpontanea voluntate citius non correxerit, proprii honoris inrecuperabiliter periculo ſubjacebit.

Cap. XIX. *A quibus inlicitis Presbyteri maxime ſe cohibere debeant.*

Capitulare Theodulfi cap 13. Obſervandum eſt ſacerdotibus ut ab ebrietate ſe abſtineant, quoniam ſecundum ſcripturam ebrietas nullum vitium excuſat. Et Apoſtolus commonet dicens: *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria.* Et neque per tabernas eant bibendo aut comedendo, neque domos aut villas curioſitate qualibet peragrent, aut cum feminis vel quibuslibet impuris perſonis convivia exerceant, neque comeſſationibus & caeteris peſtibus ad gaſtrimargiam pertinentibus deſerviant, & ad forum vel mercatum nullatenus vadant, neque ad ſaeculare judicium pergant, niſi forte ut pauperibus ſuccurrant, aut de verbo Dei judices admoneant ut juſta judicia judicent. Si vero eorum propria cauſa agenda eſt, cum licentia Epiſcopi & cum advocato pergant. Prohibemus autem omnimodis ut Presbyte-*Lib. 5. Capitular. cap. 325.* ri villici & conductores ſeniorum non fiant, nec cartas ſcribant, nec ad nuptias pergant, nec arma aſſumant, nec fidejuſſores exiſtant. Carnis quoque voluptates & negotia ſaecularia & vanas hujus mundi delitias, impudica convivia, vana ſpectacula, mortiferas hujus ſaeculi pompas, obſcoena jocorum verba, riſus inutiles, venationem cum avibus vel canibus, uſuras, negotiationes inlicitas, pondera iniqua, placita ſaecularia, munera injuſta, & omnia mortalia peccata, & ſi qua ſunt ſimilia, monemus ut refugiant: quoniam ſecundum Apoſtolum *nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſaecularibus ut ei placeat cui ſe probavit.* Caeteros itaque ad Eccleſiam Chriſti pertinentes pie & juſte praevidere & regere debent tanquam Chriſti milites, bene agendo & praedicando juxta Domini ſententiam, qui ait: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus ut videant veſtra bona opera & glorificent patrem veſtrum qui in caelis eſt.*

Cap. XX. *Quod ſtatutis diebus & in vicis baptiſma celebretur. Et de infirmis baptizandis.*

Baptiſmum certis temporibus celebrari antiqui patres ſanxerunt, Paſcha ſcilicet & Pentecoſten. Aliis vero temporibus quempiam baptizari canonica vetat auctoritas, praeter eum quem in periculo mortis conſtitutum neceſſitas ſumma conſtringit. His itaque duobus temporibus, Paſcha ſcilicet & Pentecoſten, omnes ſacerdotes ex cellis ad vicos convenire debent, & ibi officio peracto, cum ſumma diligentia baptizandos quoſque baptizent. Et tunc ad proprias Eccleſias cum baptizatis ſuis & caeteris ſubjectis remeantes Miſſarum ſolemnia perſolvant, & baptizati, & qui eos a fonte baptiſmatis ſuſceperunt omnes excommunicent. Et quandiu in albis ſunt, cotidie a patrinis ad Eccleſiam cum luminaribus deducantur, & corpus & ſanguinem Chriſti uſque in diem octavum aequali jure cuncti percipere ſtudeant. Si autem parvulus aegrotans ad quemlibet Presbyterum quocunque tempore vel hora baptiſmi gratia de cujuslibet parrochia allatus fuerit, ei baptiſmi ſacramentum nullo modo negetur. Si quis hoc munus petenti concedere detrectaverit, & ille parvulus abſque baptiſmatis gratia mortuus fuerit, noverit ſe ille qui eum non baptizavit pro ejus anima rationem redditurum.

Cap. XXI. *De decimis a fidelibus dandis.*

Decimas de omnibus rebus juxta modum a beatis patribus conſtitutum a cuncto populo cum omni devotione Dei Eccleſiis reddendas eſſe monemus, ut ſacerdotes, qui per ſacras eorum orationes & oblationes pro pace, pro totius populi Chriſtiani ſalute, pro frugibus terrae, pro infirmis quoque & defunctis omnipotentis Dei miſericordiam implorant, victum & veſtimentum & caetera quae in eis ſunt neceſſaria habeant, & ut hoſpitibus & peregrinis, orphanis & viduis, debilibus & aegrotis ſolatium praebere valeant. Sunt praeterea quidam qui decimas *Concil Cabilon II. cap 19.* ſuas dare ad Eccleſias ſuas negligunt, ubi & ipſi & eorum ſervi Miſſas audiant. Proinde decrevimus ut omnes ibi decimas dent ubi infantes eorum baptizantur, & ubi Miſſas audiunt, & ubi res ipſae convenire videntur, juxta proprii Epiſcopi decretum. Presbyteri vero ab his qui decimas non dant wadios nunquam accipiant. Sed qui poſt crebras admoni- *Capitula excerpta ex lege Longobardor. cap 41.* tiones & praedicationes eas dare neglexerint excommunicentur. Juramento autem propter periculum perjurii conſtringi eos nolumus.

Cap. XXII. *De oratione dominica & ſymbolo. Et de ſpiritalibus patribus & filiolis.*

Commonendi ſunt fideles ut omnes generaliter a minimo uſque ad maximum orationem dominicam & ſymbolum diſcant. Et dicendum eis quod in his duabus ſententiis omne fidei Chriſtianae fundamentum incumbit. Et niſi quis has duas ſententias & memoriter tenuerit & ex toto corde crediderit, & in oratione ſaepiſſime frequentaverit, catholicus eſſe non poterit. Conſtitutum namque eſt ut nullus chriſmetur, neque baptizetur, neque a lavacro fontis alium ſuſcipiat, neque coram Epiſcopo ad confirmandum quemlibet teneat, niſi ſymbolum & orationem dominicam memoriter tenuerit, exceptis his quos ad loquendum aetas minime perduxit. Patrini

autem

Digitized by Google

Lib. 1. Capitular. cap. 40. autem eos quos de fonte lavacri ſuſcipiunt erudire ſummopere ſtudeant, & orationem dominicam & ſymbolum illis inſinuent, quoniam eos Domino genuerunt, & pro eis fidejuſſores exiſtunt. Qui vero *Lib. 6. Capitular. cap. 182.* in publica pœnitentia ſunt conſtituti, aut criminali peccato tenentur obnoxii, neminem a lavacro fontis ſuſcipere neque coram Epiſcopo ad confirmationem tenere praeſumant uſquequo poenitentia peracta ſatisfactionem condignam percipere mereantur.

CAP. XXIII *De honore parentum, & dominis ſubditorum admonendis.*

Lib. 1. Capitular. cap. 45. Admonendi ſunt fideles ſanctæ Dei Eccleſiæ ut filios ſuos & filias ſuas doceant parentibus obedientiam exhibere, dicente Domino: *Fili, honorifica patrem tuum & matrem tuam.* Nam & ipſi parentes erga filios ſuos ac filias modeſte debent agere, dicente Apoſtolo: *Et vos, parentes, nolite ad iracundiam provocare filios veſtros.* Nam & hoc dicendum eſt eis ut ſi illi tali affectu parcere velint injuriis filiorum, non hos impune Dominus ſinit, niſi forte digni pœnitentiæ exhibeant: quia levius eſt filios parentum quælibet flagella ſuſcipere quam Dei iram incurrere. *Lib. 2. Capitular. cap. 44.* Admonendi ſunt etiam domini ſubditorum ut circa ſubjectos pie & miſericorditer agant, nec eos qualibet injuſta occaſione condemnent, nec eos opprimant, nec illorum ſubſtantiolas injuſte tollant, nec ipſa debita quæ a ſubditis reddenda ſunt impie ac crudeliter exigant. *Lib. 2. Capitular. cap. 41.* Quia ergo conſtat in Eccleſia diverſarum conditionum homines eſſe, ut ſint nobiles & ignobiles, ſervi, coloni, inquilini, & caetera hujuſmodi nomina, oportet ut quicunque eis praelati ſunt, clerici ſive laici, clementer erga eos agant & miſericorditer eos tractent, ſive in exigendis ab eis operibus, ſive in accipiendis tributis vel quibuſdam debitis; ſciantque eos fratres ſuos eſſe & unum ſecum patrem ſe habere Deum, cui clamant, *Pater noſter qui es in cælis*, & unam matrem ſanctam Eccleſiam, quæ eos intemerato ſacri fontis utero gignit. Diſciplina igitur eis miſericordiſſima & gubernatio opportuna adhibenda eſt; diſciplina, ne indiſciplinate vivendo auctorem ſuum offendant; gubernatio, ne in cotidianis vitæ commeatibus prælatorum adminiculo deſtituti fateſcant.

CAP. XXIV. *Quod non ſit perſonarum acceptio apud Deum.*

Concil. Cabilon. II. cap. 34. Quia igitur, Apoſtolo teſtante, non eſt perſonarum acceptio apud Deum, & in omnibus judiciis cavendum eſt, multo magis in hoc pœnitentiæ judicio præcaveri debet ut nullus ſacerdotum unquam aut gratia aut odio alicujus perſonæ ſecus judicet quam quod in canonibus ſacris invenerit, aut quod illi ſecundum ſanctarum ſcripturarum auctoritatem & eccleſiaſticam conſuetudinem rectius viſum fuerit. Si ergo medici, qui corporibus medicinam inferre conantur, nequaquam propter perſonæ cujuslibet acceptionem his quos ſanare cupiunt cauterio aut ferro aut duris aliis quibuslibet rebus parcunt, multo magis his obſervandum eſt qui non corporum ſed animarum medici exiſtunt. Neque enim penſanda eſt poenitentia quantitate temporis, ſed ardore mentis & mortificatione corporis. Cor autem contritum & humiliatum Deus non ſpernit.

CAP. XXV. *De diſcordantibus.*

Vide Notas ad Reginonem pag. 550. Addit. IV. Capitular. cap. 50. Oblationes diffidentium fratrum neque in ſacrario neque in gazophylacio recipiantur. Placuit etiam ut ſicut plerumque fit, illi qui odio aut longinqua inter ſe lite diſceſſerint, & ad pacem redire diuturna intentione noluerint, de Eccleſiæ coetu juſtiſſima excommunicatione pellantur quoadusque ad caritatem, quæ cooperit multitudinem peccatorum, venire feſtinent.

CAP. XXVI. *Qualiter dies dominicus obſervetur.*

Diem dominicum Apoſtoli ideo religioſa ſanxerunt ſolemnitate quia in eodem die redemptor noſter a mortuis reſurrexit. Quique ideo dominicus appellatur ut in eo a terrenis operibus & a mundi illecebris abſtinentes, tantum divinis cultibus ſerviamus. Nam ſicut ipſe Dominus Jeſus Chriſtus & ſalvator noſter tertia die reſurrexit a mortuis, ita & nos reſurrecturos in noviſſimo ſaeculo ſperamus. Unde etiam in dominica die ſtantes oramus. quod eſt ſignum futurae reſurrectionis. Hoc agit univerſa Eccleſia quae in peregrinatione mortalitatis inventa eſt, expectans in finem ſaeculi quod in Domini noſtri Jeſu Chriſti corpore praemonſtratum eſt, qui eſt primogenitus mortuorum. Dies autem dominicus à Chriſtianis poſt reſurrectionem Domini celebratus eſt, & ex illo coepit habere feſtivitatem ſuam. Tanta ergo hujus diei debet eſſe obſervantia ut praeter orationes & Miſſarum ſolemnia & ea quae ad veſcendum pertinent nihil aliud fiat. Videlicet ut nec opera ſervilia in eo agantur, nec viri ruralia exerceant, nec vineas colant, nec campos arent, nec meſſem metant, nec foenum ſecent, nec ſepem ponant, nec ſilvas ſtirpent, nec arbores caedant, nec in petris laborent, nec domos conſtruant, nec hortum faciant, nec terram moveant, nec ad placita conveniant, nec venationes exerceant, niſi tantum cibi vel frigoris neceſſitate. Item feminae opera textrilia non faciant, nec veſtimenta capulent, nec conſuant, nec veſtimenta lavent, nec liniant, nec linum battant, nec lanam carpere praeſumant, nec berbices tondeant, ut omnimodis honorum requies die dominico perſolvatur. Ipſe eſt enim primus dies ſaeculi. In ipſo formata ſunt elementa mundi, in ipſo creati ſunt angeli, in eo manna de caelo datum eſt, in eo redemptor humani generis a mortuis reſurrexit, in eo ſpiritus ſanctus ſuper diſcipulos deſcendit. Conveniendum eſt ſabbato die cum luminaribus ad Eccleſiam, conveniendum eſt ad vigilias ſive ad matutinum officium, concurrendum eſt etiam cum oblationibus ad Miſſarum ſolemnia. Et dum convenitur, nulla jurgia ſunt habenda; ſed tota die tantum Deo vacandum eſt, & non in crapula & ebrietate vel in luxuriis & jocularibus verbis, ſed in Dei laudibus & eleemoſynis cum amicis, proximis, & peregrinis ſpiritaliter epulandum. *Lib. 1. Capitular. cap. 75. lib. 6. cap. 380. & lib. 7. cap. 176.*

CAP. XXVII. *De diebus feſtis anni.*

Feſtos dies in anno celebrare ſanximus, hoc eſt, diem dominicum Paſchae cum omni honore & ſobrietate venerari, ſimili modo totam hebdomadam illam obſervare decrevimus, diem aſcenſionis Domini pleniter celebrare. In Pentecoſten ſimiliter ut in Paſcha, nativitatem ſancti Johannis Baptiſtae, Petri & Pauli diem unum, ſancti Laurentii, aſſumptionem ſanctae Mariae, dedicationem ſancti Michaëlis, natalem ſancti Martini, ſancti Andreae, & omnium Apoſtolorum. In nativitate Domini dies quatuor, octavas Domini, Epiphania, purificationem ſanctae Mariae, natalem ſancti Urſicini & ſancti Auſtregiſili & ſancti Sulpitii. Et illas feſtivitates ſanctorum obſervare decrevimus quorum in unaquaque parrochia ſancta corpora requieſcunt vel reliquiae venerantur. His praedictis diebus ab operibus quieſcendum eſſe diximus. Caeteras feſtivitates ſanctorum Apoſtolorum, martyrum, confeſſorum, atque virginum congruo honore celebrandas eſſe cenſemus. *Lib. 2. Capitular. cap. 35. Regino lib. 1. cap. 377.*

CAP. XXVIII. *Qualiter fideles in Miſſarum ſolemniis offerre debeant vel communicare.*

Sacrificium quod a Chriſtianis Deo offertur primum Chriſtus Dominus noſter & magiſter inſtituit

quan-

quando commendavit Apoſtolis corpus & ſanguinem ſuum prius quam traderetur. Sic enim legitur. *Accepit*, inquit, *Jeſus panem & calicem, & benedicens dedit eis.* Dicunt aliqui, niſi aliquo intercedente peccato, euchariſtiam cotidie accipiendam. Hunc enim panem dari nobis cotidie jubente Domino poſtulamus dicentes: *Panem noſtrum cotidianum da nobis hodie.* Quod quidem bene dicunt, ſi hoc cum religione & devotione & humilitate ſuſcipiunt, nec fidendo de juſtitia, ſuperba praeſumptione id faciant. Caeterum ſi talia ſunt peccata quae quaſi mortuum ab altario removeant, prius agenda eſt poenitentia; ac ſi deinde hoc ſaluti ferum medicamentum ſuſcipiendum, juxta Apoſtolum probare ſe debet homo & ſic de pane illo manducare & de calice bibere. Si vero indiſcrete accipitur, timendum eſt illud quod ait idem Apoſtolus: *Qui manducat & bibit indigne judicium ſibi manducat & bibit.* Hoc eſt enim indigne accipere, ſi eo tempore quis accipiat quo debet habere poenitentiam. Quod ſi tanta non ſunt peccata ut excommunicandus quiſque judicetur, non ſe debet a medicina dominici corporis ſeparare, ne dum nimium in longum differtur, ad perniciem animae pertineat, dicente Domino: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Conjugatis autem abſtinendum eſt a coitu aliquot diebus, orationique vacandum, ut ad tantum accedere purificati valeant ſacramentum. Relegant regnorum libros, & invenient ſacerdotem Abimelech de panibus propoſitionis noluiſſe prius dare David & pueris ejus antequam interrogaret utrum mundi eſſent pueri a mulieribus, non utique ab alienis, ſed a propriis conjugibus; & niſi eos audiſſet ab heri & nudius tertius vacaſſe ab opere conjugali, nunquam panes ſanctos ad comedendum conceſſiſſet. Quapropter eligendi ſunt aliqui dies quibus prius homo continentius vivat, quo ad tantum ſacramentum dignus accedere poſſit. Similiter & eos qui in Miſſarum ſolemniis panem & vinum ſacerdotibus ad altare offerunt, a conjugibus aliquandiu abſtinere oportet, & poſtea aqua loti, & veſtimentis ablutis, pro ſuis ſuorumque erratibus oblationes Deo offerant, & ſi velint, communicent. Quibus autem ſacrificii ſumptus negatur, offerendi facultas non tribuitur.

Regno lib. 1. cap. 194.

Lib. 1. Capitular cap. 40.

CAP. XXIX. *De jejunio quadrageſimali.*

Capitulare Theodulfi cap 37.

Dies autem quadrageſimales cum ſumma obſervatione cuſtodiendi ſunt, ut jejunium in eis praeter dies dominicos, qui ab abſtinentia ſubtracti ſunt, nullatenus ſolvatur, quia ipſi dies decimae ſunt anni noſtri, quos cum omni religione & ſanctitate tranſigere debemus. Nulla enim in his occaſio ſit reſolvendi jejunii; quia alio tempore ſolet jejunium caritatis cauſa diſſolvi. Iſto vero nunquam debet, & in alio tempore jejunare praemium adquirere eſt. In hoc vero, praeter infirmos aut parvulos, quiſquis non jejunat, poenam ſibi adquirit, quia eoſdem dies Dominus & per Moyſen & per Heliam & per ſemetipſum ſacro jejunio conſecravit. Abſtinendum eſt enim in his ſacratiſſimis diebus a conjugibus, quia pene nihil valet jejunium quod conjugali opere polluitur. Ab omnibus ergo fidelibus ſingulis dominicis diebus in quadrageſima, praeter eos qui pro crimine mortali excommunicati ſunt, ſacramenta corporis & ſanguinis Chriſti ſumenda ſunt, & in coena Domini, & in Paraſceve, & vigilia Paſchae, & in die reſurrectionis Domini penitus communicandum eſt. Et ipſi dies paſchalis hebdomadae omnes aequali religione colendi ſunt.

Idem cap 43.

Idem cap. 41.

CAP. XXX. *De caeteris jejuniis inſtitutis.*

Lib 5. Capitular. cap. 151.

De jejunio in quatuor anni temporibus conſervando, quando lectiones duodecim in ſabbato leguntur, ſtatutum eſt a ſanctis patribus ut in primo menſe in prima hebdomada, in Junio in ſecunda hebdomada, in Septembrio in tertia hebdomada, in Decembrio in quarta hebdomada, tribus diebus, id eſt quarta & ſexta & ſeptima feria, omnes, exceptis infirmibus & infirmis, uſque ad nonam jejunent & abſtineant ſe a carne. Eodem modo in diebus rogationum jejunandum eſt, & a carne triduo abſtinendum eſt. Jejunia vero a ſacerdotibus indicta ſine neceſſitate rationabili ſolvenda non ſunt. In diebus itaque jejunii eleemoſyna facienda eſt, & cibum & potum quo quiſque uti vellet, ſi non jejunaret, pauperibus eroget; quia jejunare & cibos prandii ad coenam reſervare non mercedis ſed ciborum eſt incrementum

Capitulare Theodulfi cap 38.

CAP. XXXI. *De obſervationibus jejuniorum.*

Capitulare Theodulfi cap 40.

Abſtinentia in diebus jejunii pene omnium deliciarum eſſe debet, & ſobrie & caſte vivendum, ut ſanctificato corde & corpore ipſi ſancti dies tranſigantur. Denuntiandum eſt etiam miniſtris reipublicae ut a quarta feria ante initium quadrageſimae, nec in ipſa quarta feria, uſque poſt octavas Paſchae, mallum vel placitum publicum niſi de concordia & pacificatione diſcordantium tenere praeſumant. Similiter a quarta feria ante nativitatem Domini uſque poſt conſecratos dies obſervent, necnon & in jejuniis quatuor temporum & in rogationibus & in caeteris jejuniis conſtitutis ſimili obſervatione eoſdem feriatos dies venerari omnimodis ſtudeant. In his autem jejuniorum diebus nullae lites, nullae contentiones eſſe debent, ſed in Dei laudibus & in opere neceſſario perſiſtendum. Arguit enim eos qui contentiones & lites jejunii tempore exercent, & qui debita a debitoribus exigunt, Dominus per prophetam dicens: *Ecce in die jejunii veſtri inveniuntur voluntates veſtræ, & omnes debitores veſtros repetitis. Ecce ad lites & contentiones jejunatis, & percutitis pugno impie.*

Capitula Karoli Calvi tit. 35. cap. 8.

Capitulare Teodulfi cap. 42.

CAP. XXXII. *De poenitentia fidelibus danda.*

Capitulare Teodulfi cap 36.

Hebdomada una ante initium quadrageſimæ confeſſiones ſacerdotibus dandæ ſunt, poenitentia accipienda, diſcordantes reconciliandi, & omnia jurgia ſedanda; & dimittere debent debita invicem de cordibus ſuis, ut liberius dicant: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Et ſic ingredientes in beatæ quadrageſimæ tempus mundis & purificatis mentibus ad ſanctum Paſcha accedant, & per poenitentiam ſe renovent, quae eſt ſecundus baptiſmus. Confeſſiones vero dandæ ſunt de omnibus peccatis quæ ſive in opere ſive in cogitatione perpetrantur. Octo ſunt vitia principalia ſine quibus vix ullus inveniri poteſt. Eſt enim primum gaſtrimargia, hoc eſt, ventris ingluvies, ſecundum fornicatio, tertium accidia ſive triſtitia, quartum avaritia, quintum vana gloria, ſextum invidia, ſeptimum ira, octavum ſuperbia. Quando ergo quis ad confeſſionem venit, diligenter debet inquiri quomodo aut qua occaſione peccatum perpetraverit quod peregiſſe confitetur, & juxta modum facti debet ei poenitentia indicari. Debet ei perſuaderi ut de perverſis cogitationibus faciat confeſſionem. Debet ei etiam injungi ut de octo vitiis principalibus faciat confeſſionem. Et nominatim debet ei ſacerdos unumquodque vitium dicere & ſuam de eo confeſſionem accipere.

Capitulare Teodulfi cap. 31.

CAP. XXXIII. *De modis pœnitentiæ vel remediis.*

Concil. Cabilon. II. cap. 38.

Modus autem poenitentiæ peccata ſua confitentibus aut per antiquorum canonum inſtitutionem, aut per ſanctarum ſcripturarum auctoritatem, aut per eccleſiaſticam conſuetudinem imponi debet, repudiatis ac penitus eliminatis libellis quos poenitentiales vocant; quorum ſunt certi errores, incerti auctores,

de

de quibus recte dici poteſt. *Mortificabant animas quæ non moriebantur, & vivificabant animas quæ non vivebant.* Qui dum pro peccatis gravibus leves quoſdam & inuſitatos imponunt poenitentiæ modos, conſuunt pulvillos, ſecundum propheticum ſermonem, ſub omni cubito manus & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad capiendas animas. Sicut enim baptiſmus peccata, ita & poenitentia purgat. Septem enim modis peccata dimitti ſcriptura ſancta demonſtrat. Primo in baptiſmate, ſecundo per martyrium, tertio per eleemoſynam, juxta illud evangelicum: *Veruntamen date eleemoſynam, & omnia munda ſunt vobis.* Quarto ſi remittat quis peccanti in ſe peccata ſua, juxta illud: *Dimittite & dimittetur vobis.* Quinto ſi per prædicationem quis & bonorum operum exercitium alios ab errore ſuo convertat, juxta illud Apoſtoli: *quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viae ſuae, ſalvabit animam ejus a morte.* Sexto per caritatem, juxta illud: *Caritas Domini cooperit multitudinem peccatorum.* Septimo per poenitentiam, juxta quod ait David: *Converſus ſum in aerumna dum configitur ſpina.* His ergo ſeptem modis & remiſſio datur & æternæ retributionis præmium adquiritur.

CAP. XXXIV. *De publica pœnitentia.*

Concil. Cabilon. II. cap. 25. Poenitentiam agere juxta antiquam canonum inſtitutionem in pleriſque locis ab uſu receſſit, & neque excommunicandi neque reconciliandi antiqui moris ordo ſervatur. Et ideo qui publice peccat publica multetur poenitentia & ſecundum ordinem canonum pro merito ſuo excommunicetur & reconcilietur. Non enim licitum eſt Presbyteris publicam dare poenitentiam, ſed publice peccantes oportet ut juxta antiquorum canonum decreta per epiſcopale miniſterium publica Deum ſtudeant ſatisfactione placare.

CAP. XXXV. *De uſuris & fœnore.*

Oportet ſacerdotes & omnes in commune fideles ut ſi quando fruges vel quoſdam redditus terræ congregant & protelant, non ideo hoc faciant ut carius vendant & theſauros congregent, ſed ut pauperibus tempore neceſſitatis ſubveniant; nec ad uſuram aliquid dent, quoniam ab ipſo Domino in lege omnibus interdictum eſt ad uſuram aliquid dare. Uſura *Lib. 1. Capitular. cap. 119.* eſt ubi amplius requiritur quam datur. Verbi gratia, ſi dederis ſolidos decem & amplius requiſieris, vel ſi dederis modios frumenti aut vini, & iterum ſuper aliquid quacunque occaſione vel quocunque modo exegeris. *Lib. 1. Capitular. cap. 124. 125.* Quicunque enim tempore meſſis, vel tempore vindemiæ, non neceſſitate, ſed propter cupiditatem, comparat annonam aut vinum, & ſervat uſque dum carius vendere poſſit, hoc turpe lucrum eſſe dicimus. Foenus autem exercet qui aliquid præſtat. Nam juſtum foenus eſt qui amplius non requirit niſi quantum præſtat.

CAP. XXXVI. *De perjurio & falſo teſtimonio.*

Capitulare Theodulfi cap. 26, 27. Prædicandum eſt ut perjurium fideles caveant & ab hoc ſummopere abſtineant, ſcientes hoc grande ſcelus eſſe & in lege & prophetis ſive evangelio prohibitum. Audivimus enim quoſdam parvi pendere hoc ſcelus & levem quodam modo perjuris pœnitentiæ modum imponere. Qui noſſe debent talem de perjurio poenitentiam imponere debere qualem & de adulterio, de fornicatione, de homicidio, & de cæteris criminalibus vitiis: quoniam in lege Domino præcipiente habemus: *Non perjurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui, & ne aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Dicendum eſt etiam eis ut a falſo teſtimonio ſe abſtineant, ſcientes & hoc graviſſimum ſcelus eſſe & ab ipſo Domino in monte Sinai prohibitum, dicente eodem Domino: *Non falſum teſtimonium dixeris*, ſive *teſtis falſus non erit impunitus.* Sciat ſe etiam quiſquis hoc perpetraverit tali poenitentia purgandum ut ſuperius dictum eſt de perjurio. Dicendumque eſt illis quod ſumma, non dicam ſtultitia, ſed nequitia eſt pro cupiditate auri & argenti aut veſtimentorum aut cujuslibet rei, aut quod creberrime contingere ſolet, propter ebrietatem, in tam grande ſcelus corruere, ut aut ſeptem annis in arcta ærumna ſit, aut ab Eccleſia ſit repulſus, dicente Domino: *Quid prodeſt homini, ſi lucretur totum mundum, & animae ſuae detrimentum faciat.* Quippe cum aliis videatur pius exiſtere, ſibimet crudelis exiſtat. Si quis vero perpetrato perjurio, aut falſo teſtimonio, vel quolibet criminali peccato, timens poenitentiae longam aerumnam, ad confeſſionem venire noluerit, ab Eccleſia repellendus eſt, ſive a communione & conſortio fidelium, ut nullus cum eo comedat, neque bibat, neque oret, neque in ſua domo eum recipiat.

CAP. XXXVII. *De perjurio, furto, & rapina.*

Quicunque ſciens perjurium perpetraverit, annis ſeptem ſe poenitentiae ſubdat, & ita deinceps ad communionem revertatur. Qui vero cupiditate captus furtum fecerit, quod abſtulerit reddat, & annis quinque poenitentiam agat. Similiter & qui per rapinam alterius res injuſte abſtulerit, & hoc quod vi inlicite extorſit reſtauret, & totidem annis, id eſt quinque, reatum ſuum poenitentiae jejuniis diluat. Si autem neſcit cui damnum intulit, aut non valet reddere quod violenter ſubrepſit, aſperiori poenitentiae ſe ſubmittat & poſt ſeptem annos perfectionem plenam conſequatur acta legitima poenitentia.

CAP. XXXVIII. *De obſervationibus vanitatum.*

Quicunque fidelium auguria & auſpicia ſive ſomnia vel divinationes quaslibet more gentilium obſervaverint, *Vide Notas ad Capitular. 1038.* ſive ſortes quas mentiuntur eſſe ſanctorum, quae clerici vel laici detecti fuerint vel conſulere vel docere, aut in domos ſuas hujuſmodi homines introduxerint exquirendi aliquid arte malefica, aut domos ſuas luſtraverint, ab Eccleſia quinquennio habeantur extranei poenitentiam agentes ſecundum antiquas regulas conſtitutas. Non enim licet Chriſtianis traditiones gentilium obſervare vel colere elementa aut lunas aut ſtellarum curſus, aut inanem ſignorum fallaciam pro domo facienda vel ſegete vel arboribus plantandis vel conjugiis ſociandis. Scriptum eſt enim: *Omnia quaecunque facitis in nomine Domini facite.* Nec licet in collectionibus herbarum aliquas obſervationes vel incantationes adtendere, niſi tantum cum ſymbolo divino & oratione dominica. Similiter nec Chriſtianas mulieres licet vanitatem in ſuis lanificiis obſervare, ſed Deum invocent adjutorem, qui eis ſapientiam texendi donavit, ut in omnibus honorificetur Deus.

CAP. XXXIX. *De homicidiis ſponte commiſſis & non ſponte commiſſis.*

De his qui voluntarie homicidium faciunt gravis ſententia in ſcripturis ſacris eſt, dicente Apoſtolo: *Qui templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus. Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* Quicunque ergo voluntarie homicidium fecerit, ab Eccleſia Dei eſt repellendus & a conſortio fidelium ſequeſtrandus juxta canonum inſtituta, ubi ita ſcriptum reperimus: *Qui voluntarie homicidium fecerit, poenitentiæ quidem jugiter ſe ſubmittat, perfectionem vero circa exitum vitae conſequatur.* Et item: *Si quis voluntarie homicidium fecerit, ad januam Eccleſiae catholicae ſemper jaceat, & communionem in exitu vitae ſuae recipiat. Si autem non voluntate, ſed caſu aliquo, homicidium fuerit factum,*

prior

Conc. Ancyr. c. 22. 23.

prior canon ſeptem annis agi pœnitentiam juſſit, ſecundus canon quinque mandavit. Et alibi: *De homicidiis non ſponte commiſſis prior quidem definitio poſt ſeptem annos pœnitentiae perfectionem conſequi praecepit. Secunda vero quinquennii tempus explere.*

CAP. XL. *De homicidiis diverſis occaſionibus perpetratis.*

Si quis ſervum proprium, licet criminibus multis approbatum, ſine conſcientia judicis occiderit, excommunicatione vel poenitentia biennii reatum ſanguinis emendabit. Si vero domina furore zeli accenſa flagellis verberaverit ancillam ſuam, ita ut infra diem tertium animam cruciatu effundat, & quod incertum ſi voluntate per ſeptem annos, ſi in caſu occiderit, per quinquennii tempora a communione placuit abſtineri. Quod ſi infra tempora conſtituta fuerit infirmata, accipiat communionem. Placuit etiam ut hi qui ſibi ipſis aut per ferrum, aut per venenum, aut per praecipitium, aut per ſuſpendium, vel quolibet modo violenter inferunt mortem, nulla illis in oblatione commemoratio fiat, neque cum pſalmis ad ſepulturam eorum cadavera deducantur. Similiter & de his placuit qui pro ſuis ſceleribus puniuntur.

CAP. XLI. *De feminis quae partus ſuos necant, & cum duobus fratribus fornicantur.*

Conc. Ancyr. cap. 21.

Si qua mulier fornicaverit, & infantem qui exinde natus fuerit occiderit, & quae ſtuduerit abortum facere & quod eſt conceptum necare, aut certe ut non concipiat elaborat, ſive ex adulterio, ſive ex legitimo matrimonio, has tales mulieres in morte non recipere communionem priores canones decreverunt. Nos tamen pro miſericordia ſive tales ſive conſcias ipſarum decem annos agere poenitentiam judicavimus. Et ſi qua mulier duos fratres, aut ſi quis vir duas ſorores habuerit, a communione ſe abſtineant uſque ad mortem, in morte autem eis communio pro miſericordia detur. Si vero ſupervixerint communione accepta, & de infirmitate convaluerint, agant plenam poenitentiam tempore conſtituto, & hoc ſecundum antiquam definitionem. Humanius autem nunc definimus ut eis decem annorum tempus poenitentiae tribuatur, ita tamen ut omni tempore vitae ſuae fletibus & humilitati inſiſtant.

CAP. XLII. *De adulterio.*

Conc. Ancyr. cap. 20.

Si cujus uxor adulterata fuerit, vel ſi ipſe adulterium commiſerit, ſeptem annorum poenitentia oportet eum perfectionem conſequi ſecundum priſtinos gradus. Si vero uxorem habens concubinam habuerit, non communicet, donec deſinat ab ea & ad poenitentiam revertatur. Quod ſi conſcio marito uxor fuerit moechata, uſque in finem non communicet. Si autem eam reliquerit, poſt decem annos accipiat communionem.

CAP. XLIII. *De his qui fornicantur irrationabiliter.*

Conc. Ancyr. cap. 16.

De his qui irrationabiliter verſati ſunt ſive verſantur, id eſt, qui ſe miſcent pecoribus aut cum maſculis polluuntur, ſi quis ante viceſimum annum tale crimen commiſerit, quindecim annis exactis in poenitentia communionem orationis mereatur, deinde quinquennio in hac communione durans, tunc demum oblationis ſacramenta contingat. Diſcutiatur autem & vita eorum qualis tempore poenitudinis extiterit, & ita miſericordiam conſequantur. Quotquot autem peracta viginti annorum aetate uxores habentes in hoc peccatum prolapſi ſunt, viginti quinque annis poenitudinem gerentes in communione ſuſcipiantur orationum: in qua quinquennio perdurantes tunc demum oblationis ſacramenta percipiant. Quod ſi uxores habentes & tranſcendentes quinquageſimum annum aetatis ita deliquerint, ad exitum vitae communionis gratiam conſequantur.

CAP. XLIV. *De ſatisfactione & reconciliatione pœnitentium.*

Satisfactio autem eſt cauſas peccatorum & ſuggeſtiones excludere & ultra peccatum non iterare. Reconciliatio vero eſt quae poſt complementum poenitentiae adhibetur. Nam ſicut conciliamur Deo quando primum per baptiſmum a gentilitate convertimur, ita reconciliamur quando poſt peccatum poenitendo regredimur. Quorum autem peccata in publico ſunt, in publico debet eſſe poenitentia per tempora quae Epiſcopi arbitrio poenitentibus ſecundum differentiam peccatorum decernuntur; eorumque reconciliatio eſſe debet ab Epiſcopo ſive a Presbyteris, juſſu tamen Epiſcoporum, ſicut canones Africani concilii teſtantur, ubi ita ſcriptum eſt. *Cujuſcumque pœnitentis publicum & vulgatiſſimum crimen eſt quod univerſam Eccleſiam commoverit, ante abſidam ei manus imponatur.* Si vero poenitens mortis periculum incurrerit, per Epiſcopi licentiam a Presbytero reconcilietur & communionis gratia muniatur, ne deſperationis fune ligatus ad aeternum pertrahatur interitum. Nulli ergo fidelium ultima poenitentia vel reconciliatio ſive corporis & ſanguinis Chriſti perceptio neganda eſt. Quorum autem peccata occulta ſunt & ſpontanea confeſſione ſoli tantummodo Presbytero ab eis fuerint revelata, horum occulta debet eſſe poenitentia ſecundum Presbyteri judicium cui confeſſi ſunt, ne infirmi in Eccleſia ſcandalizentur videntes eorum poenas quorum penitus ignorant cauſas. Quali autem tempore poenitentium reconciliatio fieri debeat oſtendunt decreta Innocentii Papae, ubi ita ſcriptum reperitur: *De pœnitentibus autem qui ſive ex gravioribus commiſſis ſive ex levioribus poenitentiam gerunt, ſi nulla intervenerit aegritudo, quinta feria ante Paſcha eis remittendum eſſe Romanae Eccleſiae conſuetudo demonſtrat. Caeterum de pondere aeſtimando delictorum Sacerdotis eſt judicare, ut attendat ad confeſſionem & ad fletus atque lacrymas poenitentis, ac tunc poteſt dimitti cum viderit congruam ſatiſfactionem. Sane ſi quis in aegritudinem inciderit, ei eſt ante Paſcha relaxandum, ne de hoc ſaeculo abſque communione diſcedat.* Hoc ergo ante omnia cavendum eſt, ne in extremis poenitenti poenitentia & reconciliatio denegetur, ne in deſperatione pereat. Perdidiſſet enim latro in cruce ad dextram Chriſti pendens praemium, ſi illum unius horae poenitentia non juvaſſet. Vera ergo ad Dominum converſio in ultimis poſitorum mente potius eſt aeſtimanda quam tempore, propheta aſſerente: *Cum converſus*, inquit, *ingemueris tunc ſalvus eris.*

Lib. 5. Capitular. cap. 137.

Innoc. I. in epiſtola ad Decentium.

CAP. XLV. *De pollutionibus nocturnis.*

S. Gregor. epiſt. ad S. Auguſtinum cap. 11.

Quaerendum eſt utrum poſt illuſionem quae per ſomnium ſolet accidere corpus & ſanguinem Domini quislibet accipere valeat, aut ſi Sacerdos ſacra myſteria celebrare debeat an non. Ad haec reſpondendum eſt quoniam in veteri teſtamento pollutum niſi prius lotum aqua uſque ad veſperum intrare in Eccleſiam non conceditur. Quod tamen aliter populus ſpiritalis intelligens ſub eodem intellectu accipit, quia quaſi per ſomnium illuditur qui tentatus vanis imaginibus immunditiae in cogitatione inquinatur. Sed lavandus eſt aqua, ut culpas cogitationis lacrymis abluat. Et niſi prius ignis tentationis receſſerit, reum ſe uſque ad veſperum recognoſcat. Sed eſt in eadem illuſione neceſſaria valde diſcretio, quæ ſubtiliter penſare debeat ex qua re accidat menti dormientis. Aliquando enim ex

era-

Digitized by Google

crapula, ideſt, ex nimio cibo vel potu, aliquando ex naturæ ſuperfluitate vel infirmitate, aliquando ex cogitatione contingit. Et quidem cum ex naturæ ſuperfluitate vel infirmitate evenerit, omnimodo hæc illuſio non eſt timenda; ſed ille qui pertulit, ſe ipſum ac veſtimenta ſua aquis emundans, licite miniſterium peragat & ad ſacra myſteria devotus accedat. Cum vero ultra modum appetitus gulæ in ſumendis alimentis rapitur, atque idcirco humorum receptacula gravantur, habet exinde animus aliquem reatum, non tamen uſque ad prohibitionem percipiendi ſacri myſterii vel Miſſarum ſolemnia celebrandi, cum fortaſſe aut feſtus dies exigit, aut exhiberi myſterium, pro eo quod Sacerdos alius in loco deeſt, ipſa neceſſitas compellit. Nam ſi adſunt alii qui implere illud officium valeant, illuſio per crapulam facta a perceptione ſacramenti prohibere non debet, ſed ab immolatione ſacri myſterii abſtinere, ut arbitror, humiliter debet, ſi tamen dormientem turpis imaginatio non concuſſerit. Nam ſunt quibus plerumque ita illuſio naſcitur ut eorum animus etiam in ſomno corporis poſitus turpibus imaginationibus non foedetur. Si vero ex turpi cogitatione vigilantis oritur illuſio, mentem dormientis radix foedat coinquinationis. Quia quod cogitavit ſciens hoc pertulit neſciens. Ille talis non debet accedere ad percipiendum vel conſecrandum corporis & ſanguinis Chriſti ſacramentum quouſque poenitentiæ & abſtinentiæ bidnana vel triduana ſatisfactione purgatus & aqua ablutus mundetur, & ſumente corpore purus ad tam ſacratiſſimum myſterii munus accedere feſtinet immunis.

EXPLICIUNT CAPITULA.

Geſta Johannis VIII.

Ex L. VII. Miſc. Baluz. pag. 349.

JOhannes natione Romanus ex patre Gundo, ſedit annos x. dies II. Hic beatiſſimus pro utilitate omnium Eccleſiarum Dei, & praecipue Gallicanae Eccleſiae, Arelatem maritimali itinere devertus eſt. Ubi Leo Abbas in praeſentia ejus veniens contra Gilbertum Nemauſenſem Epiſcopum conqueſtus eſt. Monaſterium enim (beati) Petri, in quo quieſcit corpus beati Ægidii, in finibus Gothiae in valle Flaviana, (quam vallem Flavius quidam Rex beato Ægidio donaverat, & ſanctus Ægidius exinde donationem integriter Romanae Eccleſiae & Domino Papae fecerat, & ibi in veneratione principum Apoſtolorum Petri & Pauli monaſterium aedificaverat) praefatus Gilbertus Nemauſenſis antiſtes praedictum monaſterium quadam temeritate invadens, eidem Leoni Abbati abſtulerat. Deinde praeceptum ex Rege Francorum exceperat, in quo nec firmitatem credens, Romanum Pontificem adiit, ſuper hoc in auctoritatem furtim quaſi de ſuis apoſtolicam exquiſivit. Sed ſanctae recordationis Dominus Nicolaus Papa, licèt hujus fraudis eſſet ignarus, divino tamen ſpiritu plenus, omnes de hoc legem quaerentes excuſare fategit. Sed Dominus Johannes Papa cum munimenta chartarum ejuſdem monaſterii requireret, privilegium quod Romanus venerabilis Papa Benedictus ſancto Ægidio corporaliter tradiderat, ei eſt oblatum. Tunc Dominus Johannes Papa per Deuſde Ducem Ravennatem advocatum ſuum contra Gilbertum Nemanſenſem Epiſcopum ipſum monaſterium quaeſivit. Tunc ambarum partium advocatis per fidejuſſorem legatis, executore dumtaxat Georgio ſcriniario & Deuſde agente, voluit idem Gilbertus Epiſcopus per praeceptum Domini Nicolai piae memoriae ibi relectum, quod furtim quaſi de ſuis ex apoſtolica ſede fraudaverat & per praeceptum quod ex quodam Rege Francorum falſum exceperat, in quo nec ulla firmitas ſubſiſtebat, defendere. Sed Dominus Papa omnes Epiſcopos & judices Romae vel provinciales ſub excommunicationis anathemate admonuit de hoc rectam legem dicturos & facturos. Tunc Roſtagnus Arelatenſis Archiepiſcopus, Walbertus Portuenſis Epiſcopus, Paſchalis Amerinus Epiſcopus, Radbertus Valentiae Epiſcopus, Lituinus Maſſilienſis Epiſcopus, Ictarius Vivarienſis Epiſcopus. & alii Epiſcopi provinciae & judices, Johannes Dux & Daturus Ravennae, Ardus, Adbertus, Guiſalfredus, Arderadus, Gondalſus, & alii nonnulli provinciales judices, ut praeceptum lectum audierunt, mox cognoverunt apoſtolicam Domini Nicolai cenſuram, excuſare de hoc legem quaerentes. Et dixerunt per illud praeceptum hoc monaſterium non poſſe defendi, judicantes ſtatim ut praefatum monaſterium Gilbertus Epiſcopus Domino Papæ redderet & poenam invaſionis ſibi componeret. Tunc ipſum advocatum Deuſde Ducem Ravennatem Papa illuc tranſmiſit, qui ſuper hoc corporalem traditionem de omnibus rebus praedicti monaſterii tam intus quàm extra a praefato Gilberto Epiſcopo recepit. Deinde in Galliam tranſitum faciens, anno incarnationis dominicae * DCCCLXXVIII. XV. Kal. Septembris indictione XI. anno pontificatus ſui in ſacratiſſima ſede beati Petri Apoſtoli ſexto, (in menſe) Auguſto, Trecas civitatem in praeſentia Domini Ludovici ſereniſſimi Regis Concilium permaximum celebravit.

* In veteri codice adnotatum eſt ea acta eſſe anno DCCCLXXIX. indictione IX & Concilium Trecenſe fuiſſe celebratum menſe Aprili. Quod cum conſtare non poſſit cum veritate hiſtoriæ, nos notas illas correximus ut in re certa.

Opera pretium eſt iſtic ſubnectere epiſtolam CXCI. Joannis Papæ VIII cum in ea agatur de cauſa monaſterii ſancti Ægidii adverſus Gilbertum Epiſcopum Nemauſenſem.

Roſtagno Archiepiſcopo Arelatenſi, Sigibodo Archiepiſcopo Narbonenſi, & Roberto Archiepiſcopo Aquenſi, a paribus. Veracium relatione comperimus Gilbertum Nemauſenſem venerabilem Epiſcopum quod quoddam monaſterium noſtrum quod ſuper eundem Epiſcopum acquiſivimus ipſe Gilbertus temere invaſerit, cunctaſque res ipſius monaſterii per ſuos homines diſtribuerit, & illius monachos inde contra ſacras regulas omnino expulerit. Quod tantum nobis diſplicuit quantum ſicut ipſe nobiſcum advertis, calcata reverentia venerandorum canonum, contra privilegium apoſtolicae ſedis eum feciſſe non ambigis. Quapropter fraternitati tuæ dirigimus ut vice noſtra cum confratribus & coepiſcopis noſtris junctus eundem Nemauſenſem Epiſcopum ad commune colloquium convocetis & ex auctoritate noſtra conveniatis ut ab omni invaſione ipſius monaſterii tam ſe quam ſuos removeat & ulterius nec res ejus nec monachos illic Domino famulantes moleſtare praeſumat. Quod ſi ipſe ſurda aure, quod abſit, per vos monita noſtra audierit, tunc ex auctoritate beati Petri Apoſtoli, cui idem monaſterium pertinet, ſimul & noſtra illum a miniſterio ſacerdotali excommunicando ſuſpende quouſque dum aut ab ipſa invaſione ſe ſubtrahat aut ad ſedem apoſtolicam vel ad noſtram praeſentiam nobis ſatisfacturus occurrat. Agat in his ſanctimonia tua ſicut illam agere decet, ut & nos Deo laudes & tibi gratias referamus. Data XVIII. Kal. Julii, indictione XII.

Addam iſtic aliam ejuſdem Papæ epiſtolam hactenus ineditam; in qua licet non agatur de negotio monaſterii ſancti Ægidii, poteſt tamen ad illud quodam modo referri, cum illa ſit decretum generale adverſus invaſores rerum Eccleſiæ. Immo fortaſſis datum eſt occaſione iſtius controverſiae.

JOhannes Papa VIII. Si quis domum Dei violaverit, & aliqua ſine licentia illius cui commiſſa eſſe dinoſcitur inde abſtulerit, vel eccleſiaſticis perſonis injuriam fecerit, donec in conventu admonitus legitime ſatisfaciat, ſciat ſe communione fore privatum. Si vero poſt ſecundam & tertiam conventio-

tionem coram Epiſcopo ſatisfacere detrectaverit; ſa-
crilegii periculo ab omnibus obnoxius teneatur, ita
ut ſecundum Apoſtolum nemini fidelium miſceatur.

ABBONIS ABBATIS
FLORIACENSIS.

Epiſtola ad Leonem Abbatem ſancti Bonifacii.

Ex Lib. I. Miſc. Baluz. pag. 479. FAcundiæ prærogativa cum vitae merito & ſapien-
tiae doctrina mirabiliter intonanti Domno L. ſan-
cti Bonefacii cariſſimorum cariſſimo Abbati Floria-
An. 996. centis coenobii humilis Abbas Abbo ſpiritum Domi-
ni, qui replevit orbem terrarum, replere illius ipſius
ſcientiam & intellectum. Caritas, quae eſt vinculum
perfectionis, dum nos ambos Remis politos con-
glutinaret labiis privatae collocutionis, tot oratorios
rivos, tantos ſanctae ſcripturae favos bono zelo ful-
minea lingua veſtra eructavit coram & ſecreto ut
Pſal. 44. exclamans compellar dicere: *Diffuſa eſt gratia in
labiis tuis. Propterea benedixit te Deus in aeter-
num.* Dum ergo ad talia rutilantium verborum ful-
gura ſtupui, coactus ſum deinceps ubique confiteri
vos tonitruum eſſe ſpiritus ſancti, qui ſuper Apoſto-
los in igneis linguis deſcendit, qui etiam vos arden-
tem rompheam ad ſecandos improbos de templo ſuo
ſeptem donis gratiarum decenter elimavit. Inter haec
tandem erectis animi luminibus ſolares veſtrae elo-
quentiae radios aquilinis oculis conſpicere volui; &
ſicut ait Eccleſiaſtes, frater fratrem adjuvans quaſi
Prov. 18. civitas munita & fortis, baculum robuſti adjutorii &
columnam inſeparabilis amicitiae vos in aeternum, ſi
placeat, habere decrevi. Hujus rei gratia flecto genua
Epheſ. 3. mea ad patrem, ut det vobis id ipſum ſapere per Do-
minum noſtrum Ieſum Chriſtum, & favus diſtillans
labia veſtra, memoriale noſtrum hereditate poſſideant
in ſempiterna ſaecula. Inter familiaria verborum no-
ſtrorum arcana diſtillavit auribus noſtris unum quod-
dam eloquium veſtra magnificentia, quod non minus
adimplere, ſi Deus voluerit, ſatago quam vitam per-
petuam mercari ex voto. Pretioſarum reliquiarum
ſancti patris Benedicti inſignia poſtulaſtis vobis dirigi,
eo quod indubitatum penitus eſſet ſanctiſſimam ipſius
corporis praeſentiam a nobis retineri, ideoque velle
enixius in honore illius oratorium conſtrui, itemque
nobis de ſancto Bonefatio aut de ſacris artubus caete-
Vide vitam S. Abbonis cap. 11. rorum ſanctorum nobis eadem recompenſari. Adjecit
inſuper veſtra incomparabilis bonitas quod ſi nos ur-
geret ſuper re domeſtica aliqua voluntas corroborare
noſtra privilegia per Romanae auctoritatis ſtilum apo-
ſtolicum, vos in omnibus & per omnia noſtri fore
fideliſſimum collaboratorem. Haec autem omnia per-
ficere voti erat quando magnifica principis Apoſto-
lorum membra ſupplex adii; ſed Romanam Eccle-
ſiam digno viduatam paſtore heu, proh dolor, offen-
di. Veſtra autem abſentia profiteor ita affectus ſum
ſicut ſolet affici foetus gallinae conquerens raucis vo-
cibus abſtractum eſſe unicum matris ſuae praeſidium.
Nuper autem audivi nuncium quod me laetificavit
ſuper aurum & topazium, erectum eſſe apoſtolicum
decus per quendam imperialis ſanguinis virum, to-
tum virtutibus & ſapientia compoſitum. Veſter ve-
ro reditus intonuit menti noſtrae velut paradiſiacae
reverſionis inenarrabilis concentus. Nunc igitur, ſicut
locuti ſumus ad invicem, & haec epiſtola veſtris a-
ſpectibus ſe praeſentat, per hos ſancti patris Benedi-
cti monachus audire placeat & audita perficere velut
promiſiſtis cum ſumma fide & devotione. Ipſe autem
idem ſpiritus, qui inſpiravit omnis eloquentiae flore
Gregorium, inſpiret hujus ſuae ſanctae Romanae
Eccleſiae venerabilem Apoſtolicum, vobiſque con-
cedat ut ſitis eidem ipſi dulciſſimus a ſecretis, ad
conſolidandam dejectionem Apoſtolicae auctoritatis.
Valete.

Epiſtola encyclica monachorum Floriacenſium de cæde Abbonis Abbatis.

VNiverſis Abbatibus Chriſtique fidelibus quoquo Anno 1004
locorum habitantibus, Floriacenſis conciola de-
jecta & patre viduata. Fletu pene abſorptis, dolore
contritis, manum porrigite ſpiritalis auxilii, patres
ſanctiſſimi, per affectum fraternae caritatis. Pane
moeroris potuque amaritudinis cibati, veſtris oratio-
nibus mereamur recreari, quorum cythara laetitiae
verſa eſt in luctum moeſtitiae, quorum organum
luctuoſe ſonat lamentum, & jocunditas vocem tan-
tummodo flentium. Pervenit gladius doloris uſque
ad animam, dum deploramus pro ſanctae religionis
ſtudio domnum & Abbatem noſtrum Abbonem ex-
ceſſiſſe a ſaeculo coronatum martyrio, qui Waſco-
num gladiis felix promeruit feliciter beatorum mar-
tyrum ſocius fieri; cujus animae contagia veſtra ora-
tio abſtergat, qui veſtri amator omniumque Chriſti
ſervientium verus ſemper extitit dilector. Nobis quo-
que, quos orphanos reliquit, fraternis ſuccurrite vo-
tis, & Deum omnipotentem placate orationum ho-
ſtiis, ut dignetur ſua gratia gregem decapitatum &
pio patre orbatum conſolari. Obiit Idibus Novem-
bris, die natalis ſancti Brici.

Epiſtola Widi monachi ad Heribertum Archiepiſcopum.

FRaternae mortis crimen incurrit quiſquis, cum Circa ann. 1000.
poteſt, fratrem a morte minime defendit. Nos
quoque, qui excellentiae veſtrae ſummum diſcrimen
audivimus, ſummi reatus poenam incurrimus ſi ta-
ceamus, Domino per Prophetam terribiliter atte-
ſtante quod profecto ſanguinem fundit qui impiorum
iniquitatem tacendo diſſimulat. Audivimus enim, quod
valde miramur, quod ſacri apud vos ordines pecuniis
diſtrahuntur, dum quicunque tale aliquid attentaverint,
omnino haeretici comprobentur, ſancto ſpiritu per Gre-
gorium intonante quia quiſquis per pecunias ordinatur, S. Gregor. lib 4. epiſt.
ad hoc ut fiat haereticus promovetur. Et ut hujus no- 51 55. 56.
ſtrae paginulae non praeſumptionem ſed timoris cau- & lib 7.
ſam fuiſſe monſtremus, beatus idem proſequitur: Ind. 2. epiſt.
Quiſquis contra ſimoniacam & neophytorum haere- 110. 1. q.
ſim pro officii ſui loco vehementer non arſerit, cum 1. c. 9.
eo ſe non dubitet habiturum portionem qui prius com- Quiſquis.
miſit hoc piaculare flagitium. Quibus in verbis cum
haeretica & ſimoniaca & neophytorum haereſis ex-
primatur, quod aeterna morte digniſſimum crimen
ſit apertiſſime declaratur, proteſtante per Auguſtinum Fulgent. de
divino oraculo ac dicente: *Firmiſſime tene & nul-* fide ad Pe-
latenus dubites omnem hæreticum vel ſchiſmaticum, tr. c. 391.
*quamvis multas eleemoſynas faciat vel etiam pro
Chriſto ſanguinem fundat, cum diabolo & angelis
ejus æterni ignis incendio mancipandum, niſi ante
finem hujus vitae catholicæ fuerit incorporatus & re-
dintegratus Eccleſiæ.* Hinc eſt quod Dominus ven-
dentes & ementes de templo ejecit, Dathan & Abiron
ambientes terra glutivit, Simonemque tentantem Pe-
trus damnavit, omneſque in eo ſimoniacos eccleſia-
ſticis jaculis Petrus perpetuo anathemate condemna-
vit. Et turpe nimium eſt ut in pleniſſimo jam vi-
gore confirmata Eccleſia tam ferali inimico ſuccum-
bat, de quo in primordio ſuae infantiae tanta virtu- 1. q. 3. c. 7
te triumphat. Si quis autem objecerit non conſecra- S. quis obje-
tiones ſed res ipſas quæ ex conſecratione proveniunt cerit.
vendi, videtur quidem aliquid dicere, nihil autem
penitus ſapere. Nam cum corporalis Eccleſia aut
Epiſcopus aut Abbas aut tale aliquid ſine rebus cor-
poralibus & exterioribus in nullo proficiat, ſicut nec
anima ſine corpore temporaliter vivit, quiſquis ho-
rum alterum vendit ſine quo alterum habere non
provenit, neutrum venditum derelinquit. Quam ta- Concil.
men objectionem ſacer penitus canon exterminat, Chalcedon
cum procuratorem vel defenſorem Eccleſiae vel re- c. 2.
gulæ

Digitized by Google

gulæ ſubjectum adeo per pecunias ordinari prohibent ut interventores quoque tanti ſceleris anathematis mucrone ſuccidat. Quid plura? Si anathematizati & excommunicati & ut vere hæretici ſimoniaci & neophyti a numero ſunt fidelium Eccleſiæ ſeparati, quis non videat quia hujuſmodi Sacerdotum vel Clericorum miſſæ & orationes Deum ad iracundiam ſuper populum provocent, quem placari talibus credebamus? Scriptum eſt enim: *Omne quod non eſt ex fide peccatum eſt*. Et item: *Veri ſacrificii locus extra catholicam Eccleſiam non eſt*. Vnde & dicitur: *Haereticum hominem poſt primam & ſecundam correptionem devita*. Quomodo ergo tales Epiſcopos vel Abbates vel reliquos Clericos devitamus ſi eorum Miſſas audimus, cum quibus ſi vel ſemel oramus, excommunicationem ſubimus? Quos quidem Sacerdotes eſſe ſaltim credere omnino errare eſt cum Petrus Simoni dicat: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quia aeſtimaſti donum Dei pecuniis poſſidere*. Vbi cum *æſtimaſti* dicitur, patet quia non pro eo quod fecerit, ſed quia facere ſe poſſe crediderit condemnatur, cum tamen minus ſit aeſtimare quam credere. Cum itaque hæreticum qualemcunque eſſe ſit certa & indubitata damnatio, quid valet Arrianos, Sabellianos, Photinianos, impioſque Manichæos orbe pepuliſſe, ſi ſimoniaca & neophytorum hæreſis, quæ, ut beatus Gregorius dicit, ante omnes in Eccleſia diabolica fraude ſubrepſerit, quaſi primam & maximam Eccleſiæ caſtitatem fœda nimium pollutione contaminet? Igitur id propter Deum veſtram excellentiam & omnes fideles Chriſti rogamus & obteſtamur, ſi habere partem in Chriſto cupitis, ſummopere inſtate ut tam ſæva peſtis, quæ innumeros populos jam uſquequaque ſæviendo æterna morte multavit, veſtra auctoritate & exemplo penitus deſtruatur, ne ulterius, quod abſit, in ſpiritu ſancto peccare, neque hic neque in futuro ſæculo remittatur.

Rom. 14. 3. q 1. c. 71. Extra. Tit. 3.

Act. 8.

Tria antiqua epiſtolæ iſtius, quæ ab Ivone quoque in parte ſecunda Decreti Cap. 84. edita eſt, exemplaria habemus, unum ex bibliotheca regia, reliqua ex Colbertina. In uno illorum ea nullum titulum habet, in alio vero hunc: *Epiſtola ſancti Paſchaſij Papa ad Mediolanenſem Archiepiſcopum ſimoniaca hæreſi laborantem*. Conſtat ſane avo Paſchalis ſecundi, qui Paſchaſius quoque dictus eſt à nonnullis, Petrum Groſſulanum Mediolanenſem Archiepiſcopum accuſatum fuiſſe quod archiepiſcopalem dignitatem pretio mercatus fuiſſet. Verum cum de iſtiuſmodi ſimonia non agatur in hac epiſtola, eaque ſcripta videatur ab homine qui minoris eſſet dignitatis quam is ad quem ſcribebatur, facile adducor ut credam veriorem eſſe inſcriptionem quam præfert codex regius, in quo ſic legitur: *Epiſtola Lvidi monachi ad Heribertum Archiepiſcopum*, Colonienſem ſcilicet, quem variis calumniis impetitum fuiſſe docet in vita ejus Rupertus Abbas Tuitienſis. Ob eam vero cauſam in primis nos etiam hanc repreſentare voluimus, ut eam auctori ſuo integram reſtitueremus.

TERRIBILITER ATTERET) In uno codice Colbertino legitur *inſtante*, in alio *intonante*. In utroque autem deeſt vox *terribiliter*.

QUICQUIS] In Colbertinis ſcriptum eſt *Quia quis*.

HABITURUM PORT) Eadem exemplaria habent *portionem habere*.

DAMNAVIT) Hæc vox & quæ ſequuntur uſque ad vocem *condemnavit* non extant in eiſdem exemplaribus, & videntur ſuperflua.

PLENISSIMO IAM VIGORE) Ita codices Colbertini. At regius habet *pleniſſimum jam vigorem*.

VENDI, VINCERE) Retinuimus lectionem codicis regij. In uno Colbertino ſcriptum eſt: *vendi videtur quid eſt aliquid dicere niſi aut penitus nihil ſapere*. In alio, ubi vox *vendi* non extat, ita legitur hic locus. *quid ut aliquis aliud dicere, niſi autem penitus nihil ſapere*.

NAUT. VEND. HEREL.) Ita Colbertini. Regius: *neutrum eos vendit non dereliquunt*.

SEMEL ERAMUS] Colbertini ſimpliciter, *audimus*.

Concilium Barcinonenſe habitum anno DCCCCVI. & Agathenſe apud ſanctum Tiberium anno DCCCCVII.

Ex L. VII. Miſc. Baluz. pag. 51.

ANnuente atque inſpirante divina clementia, anno Verbi incarnati DCCCCVI. conventus Pontificum reverendorum factus eſt apud nobilem civitatem Barchinonam; in quo adfuerunt reverendiſſimus Metropolita Arnuſtus primæ Narbonenſis civitatis antiſtes, pariterque Servus-Dei, & Renardus, necnon Aquinus, & Nantigiſus, ſeu etiam Idalcarius, & Theudericus, ſanctiſſimi præſules, eximiuſque Princeps & Marchio Wifredus, cum iis etiam Abbatibus, & diverſi ordinis clericorum maxima conglobatio, & religioſorum laïcorum immodica caterva. His igitur omnibus in Eccleſia ſanctæ Crucis in unum congregatis, ſurrexit quidam in medio ſanctæ religionis Epiſcopus Auſonenſis Eccleſiae, nomine Idalcarius, proferens querimoniam ſuæ Eccleſiæ, dicenſque. Attendat & conſideret veſtra reverenda paternitas, Reverende Archipræſul Arnuſte, necnon & omnes qui in hoc ſacro Concilio adeſtis. Cum priſcis temporibus tota Hiſpania atque Gotia ſacris inſiſteret eruditionibus, & vernaret clero, atque fulgeret Eccleſiis Chriſto dicatis, inter reliquas ipſa quoque Auſonenſis Eccleſia nobilis habebatur. Peccatis vero exigentibus illorum qui tunc habitatores erant illarum terrarum, ut omnes noſtis, barbarico gladio divino judicio traditi ſunt, ita ut nec aliquis Chriſtianorum in prædicto pago Auſonae remaneret. Poſt multorum autem annorum curricula miſertus Dominus terræ, ſuſcitavit in ea nobiliſſimum Principem Wilfredum & fratres ejus: qui ex diverſis locis & gentibus homines pio amore colligentes, praelibatam Eccleſiam cum ſuis finibus in priſtinum inſtauraverunt ſtatum. Cum autem adhuc in paucitate conſiſteret, & nedum talis eſſet ut per ſe ipſam, ſicut antiquitus, Epiſcopum habere poſſet, adhuc praedictus Marchio reverendiſſimum Sigebodum Epiſcopum & Narbonenſem Metropolitanum, ut jam fatam Eccleſiam ſub ſuo teneret regimine, & tam per ſe quam per ſuos convicinos ſuffraganeos illam ordinaret atque diſponeret, donec faciente Deo paulatim ad incrementum perveniret, qualiter in ea proprius Epiſcopus juxta antiquum morem conſiſtere poſſet. Cum vero pietas superni numinis ipſam Eccleſiam per jamdictum Principem longe lateque dilataſſet, & cuncti cernerent illam proprium debere Epiſcopum habere, jam venerabili Sigebodo divina vocatione ex hac luce ſubtracto, expetivit tam idem Marchio quam omnis clerus & populus Auſonenſis reverendum Theodardum praelibatae ſedis Narbonenſis Pontificem ut ſaepedictae Eccleſiæ Auſonenſi proprium ordinaret Epiſcopum. Qui, una cum cæteris Pontificibus, dignis illorum petitionibus annuens, in pontificium ejuſdem Eccleſiæ deceſſorem noſtrum divinæ memoriæ Gotmarum ſacra benedictione conſecrare non diſtulit. Illis quoque univerſæ carnis viam carpentibus, eximio Archipontifice Arnuſto Narbonam Theodardo ſuccedente, me quoque immeritum Auſonenſi per cleri & plebis electionem prætecit Eccleſiæ. Injunctum eſt autem deceſſori meo a reverendo Theodardo, & mihi a præſenti Metropolitano, ut Eccleſiæ Narbonenſi, quæ eſt in honorem ſanctorum martyrum Juſti & Paſtoris ſita, per ſingulos annos libram argenteam perſolveremus. Nunc itaque videat ſanctiſſimus Metropolita & omnes reverendiſſimi qui adeſtis Epiſcopi, & revolvat omnia volumina ſanctae legis Chriſtianae, ſi aequum eſt Epiſcopum fiſcalem eſſe, vel ſi cathedra epiſcopalis alicui Eccleſiae tributum debeat perſolvere, niſi tantum quod jura canonum reſonant, humilem ſubjectionem atque debitum honorem proprio deferre Metropolitano. Diutiſſime autem illic de hoc tractantibus Epiſcopis, querimoniae tandem idem reſpondit Metropolita. De hoc quod ſtrenue ſagacitas dilecti confratris noſtri Idalcarii Epiſcopi querelatur, juxta quidem nobis ejus videtur querela. Sed in hoc nos, acta quidem prioris deceſſoris noſtri ſequentes, improviſe atque inconſiderate egimus. Ideoque quod querimonia ejus recta nobis ac vobis videtur, differamus illud uſque ad plenam ſynodum & perfectum duodenarium numerum confratrum noſtrorum. Et nunc, ſecundum divinam inſpirationem, ex hoc quod rectius eſt ſtatuemus.

Digitized by Google

Sequenti denique anno ſancta ſynodus congregata eſt in loco qui dicitur coenobio ſancti Tiberii, in dioceſi Agatenſi, in quo iterum adfuerunt reliqui Epiſcopi qui priori defuerunt conventui. in qua iterum ſynodo eadem quaeſtio a cunctis iterum ventilata eſt. Univerſi igitur qui inibi reſidebant, ſancti ſpiritus illuſtratione afflati, decernentes pariter decreverunt non debere Epiſcopum tributarium eſſe, neque cathedram epiſcopalem, quae domina & mater eſt proprii cleri & plebis, alicui ſervitio mancipari, ſed liberam eſſe ab omni jure fiſcali. Placuit itaque omnibus quorum nomina ſubter tenentur inſerta ut hoc decretum ſcripturae propriis roboretur manibus, & ſub divinum anathema atque aeterna cenſura ſtatuerunt ne quis uſquam ſucceſſorum illorum ſanctae Auſonenſi Eccleſiae imponeret quod pia conſideratione illius, omnibus decernentibus, ab ea funditus amputatum eſt. Igitur ego Arnuſtus annuente ſuperna clementia exiguus Narbonenſis Epiſcopus, omnium confratrum noſtrorum rectiſſimam ex hoc reſpiciens defenſionem, cedo atque perdono tam eidem ſupradicto Idalcario Epiſcopo ſanctae Auſonenſis Eccleſiae quam omnibus ſucceſſoribus ſuis praedictum argenti librae cenſum, quod a deceſſore meo Domno Theodardo vel a me improviſe impoſitum eſt; ita quod a me neque a ſucceſſoribus meis ullo modo requiratur; ſed liceat memorato Epiſcopo ſuiſque ſucceſſoribus immunes eſſe ab omni jure fiſcali, ſicut reliqui in noſtra provincia vel ubicunque Chriſtiana religio pollet. Si quis vero, quod abſit, temerario auſu contra hoc decretum a nobis pio amore ſtatutum agere voluerit, ſicut ſupra ſcriptum eſt, divino judicio & anathematis vinculo feriatur.

Aruullus ſanctae Narbonenſis Eccleſiae humilis Epiſcopus hoc decretum roboravi.

Audkarius Epiſcopus.
Gunterius Epiſcopus.
Reginardus Epiſcopus.
Guimera Epiſcopus.
Gerardus Epiſcopus.
Riculfus Epiſcopus conſenſi.

Guiguo ſanctae Gerundenſis Eccleſiae Epiſcopus conſenſi.

Nantigiſus ſanctae Urgellitanae Eccleſiae Epiſcopus conſenſi.

Stephanus clericus, qui hunc decretum ſanctae Eccleſiae Auſonenſis ſcripſi die & anno quo ſupra.

Paulo ante annum ab incarnatione Chriſti ſeptingenteſimum Sarraceni in Hiſpaniam tranſgreſſi, ferro ubique graſſati ſunt, ac velut ad abolendum nomen Chriſtianum acceſſiſſent, nulla ſacra nulloſque ritus permittebant Chriſtianis. Hinc Eccleſiae fuere ſine ſacerdotibus, & ſtatim pulſa religio ab iis regionibus quas Sarraceni inſederunt. Attigit illa clades provinciam Tarraconenſem, ac tota fere illius pars quae citra Rubricatum habitatur facta eſt ſub tributo. In ea tunc erat Auſona, nobilis quondam civitas, quae tum exciſa fuit, & cuncta late regio immaniter devaſtata. Neque tamen ſedes ibi fixerunt Sarraceni. Tarraco erat in eorum poteſtate, & Auſona eo uſque dejecta erat ut ne quidem cogitari poſſet de reſtauranda civitatis illius Eccleſia. Ergo provincia quidem Tarraconenſis, ea nimirum portio quae citra Rubricatum eſt, ſubjecta fuit Archiepiſcopo Narbonenſi, tanquam viciniori, & ſpeciali dioceſi Narbonenſi adjecta civitas Auſonenſis, quamvis longo intervallo disjuncta, donec proprium Epiſcopum habere poſſet; uti diximus in Notis ad Concilium Narbonenſe habitum ſub Karolo Magno. Tandem Eccleſiae Auſonenſi datus eſt proprius Epiſcopus à Theodardo Archiepiſcopo Narbonenſi, Godmarus nimirum; ea tamen lege, ut ſingulis annis Epiſcopus Auſonenſis libram argenteam perſolveret Eccleſiae Narbonenſi, more feudorum. Iniquum deinde eſſe putavit Idalcarius Epiſcopus Auſonenſis, conqueſtuſque eſt in iſta ſynodo Barcinonenſi de injuſta hac exactione. Et porro cauſa finita eſt anno ſequenti in ſynodo habita apud ſanctum Tiberium.

SERVUS DEI) Gerundenſis Epiſcopus. Vide quae de eo dicta ſunt in libro quarto Marcae Hiſpanicae.

REGINARDUS) Epiſcopus Biterrenſis.

AQUINUS) Undenam fuerit Epiſcopus nondum poſſum divinare. Certe nomen iſtud nulli eorum Epiſcoporum convenit qui tum erant in ſuffragio Archiepiſcopi Narbonenſis. Fortaſſis erratum eſt a librario, proque *Aquinus* legendum eſt forſan *Adulfus* qui eo omnino aetate vivebat. Erat autem Epiſcopus Palliarenſis, ut patet ex Concilio apud Fontem coopertam habito anno DCCCCXI.

NANTIGISUS) Urgellenſis Epiſcopus.

IDALCARIUS) Epiſcopus Auſonenſis poſt Godmarum, id eſt ſecundus poſt reſtitutam ſedem Auſonenſem. Ordinatus fuit ab Arnuſto Archiepiſcopo Narbonenſi.

FRODOINUS) Barcinonenſis Epiſcopus, qui ſynodo Narbonenſi apud Fontem coopertam interfuit anno DCCCCVI.

WIFREDUS) Comes Barcinonenſis, cognomento Piloſus. Fundavit monaſterium Rivipullenſe, in quo ſepultus eſt anno DCCCXCVIII.

ECCLESIAE S. CRUCIS) id eſt, Cathedralis Eccleſia Barcinonenſis, quae nomen habet ſanctae crucis.

BARBARICO GRADIO) id eſt, Sarracenico.

SOLITUDINIS FORMAM) Iſtud non eſt ita intelligendum ac ſi tum primum dioceſis Auſonenſis commiſſa fuiſſet Archiepiſcopo Narbonenſi. Jam enim iſtud factum fuerat ſuperiore ſaeculo, uti diximus in Notis ad Concilium Narbonenſe quod ſub Karolo Magno habitum eſt. Sed quia haud dubie poſt Karoli Magni tempora rurſum Sarraceni irruperant in eam dioceſim, ac Chriſtianitatem omnem inde abegerant; Wifredus Comes in eos irruens, ultra Rubricatum ſecedere coëgit, etiam uſque ad Tarraconem. Ergo quia Sarraceni deleverant Chriſtianos apud Auſonam, Wifredus alios ex variis locis invitatos, oravit deinde Sigebodum Archiepiſcopum Narbonenſem ut quemadmodum praedeceſſores ejus curam ſuſceperant dioeceſeos Auſonenſis, ipſe quoque novam hanc Chriſtianorum coloniam foveret donec ita reſtaurari civitas poſſet ut proprium habere Epiſcopum valeret.

PLENAM SYNODUM) id eſt, eam ſynodum in qua adſunt duodecim Epiſcopi, ut ſcriptum eſt paulo infra. Certa enim & integra eſt provinciae quae ex duodecim conſtat epiſcopatibus; ut Pelagius II. ſcribit ad Joannem Conſtantinopolitanum, & poſt eum Urbanus II. in epiſtola ad Lambertum Epiſcopum Attrebatenſem in libro quinto miſcellaneorum noſtrorum. Concilium Antiochenum canone XVI. perfectam ſynodum dicens in qua Metropolitanus adſit, tametſi fortaſſis duodenarius Epiſcoporum numerus non adeſſet, ut pluribus diximus ad librum Agobardi de diſpenſatione eccleſiaſticarum rerum cap. XX.

SANCTI TIBERII) Vetus monaſterium apud Ceſſeronem, ad Arauream fluvium, in dioeceſi Agathenſi, cujus mentio extat in Conſtitutione Ludovici Pii de monaſteriis regni Francorum. Ceſſarionis nomen deinde omiſſum eſt, ob reverentiam ſancti Tiberii martyris & ſociorum ejus, qui illic paſſi ſunt ſub imperio Diocletiani. Hodie enim locus ille vocatur *Saint Tibery*.

Epiſcoporum porro qui huic ſynodo interfuerunt haec ſunt nomina. Arnuſtus Narbonenſis Metropolitanus, Audkarius ſive Aurgerius Lodovenſis, Gunterius Magalonenſis, Reginardus Biterrenſis, Guimera Carcaſſonenſis, Gerardus Agathenſis, Riculfus Helenenſis, Guigo Gerundenſis, Nantigiſus Urgellenſis omnes ſuffraganei Eccleſiae Narbonenſis. Deſunt autem in ſubſcriptionibus nomina Epiſcoporum Toloſani, Ucetienſis, Barcinonenſis, Auſonenſis, & Nemauſenſis, quos huic conventui interfuiſſe teſtantur acta, juxta conſtitutum prioris ſynodi.

Caeſarii Abbatis ſanctae Caeciliae in Monteſerrato qui ſe profitebatur Archiepiſcopum Tarraconenſem eſſe, epiſtola ad Joannem Papam XIV.

SYdereo fulgore veluti clari poli luminaria virtutum meritis radianti, florenti ut olori opinione alma, candenti ut lilium, pudicitiae cingulo rubenti ut roſa, prolixa execratione eccleſiaſticae ut apparet gaudium jejuniorum vigiliarumque, ac obedientiae colla ſubmittentium, fragranti reſperſione, odorifera unitate, diſſociabili pacis, amoris, ac benignitatis, & ſuavitatis vinculis connexum, quorum oratio in alto aethereoque throno penetrat ſicut incenſum . . . . . nitore & humilitatis volatu reſplendet color, & laus ac minus vel prope reſonare cernitur, Domno meo JOHANNI, ego Caeſarius indignus gratia Dei Archiepiſcopus provinciae Tarraconae, quae eſt fundata in Spania. O Domine mi Pater, ſanctiſſime apoſtolice, audire me, Pater, quomodo ego pergi ad domum ſancti Jacobi apoſtolicae ſedis, qui eſt tumulatus in ſuam apoſtolicam ſedem Galiciae. Et ego indignus ſupradictus fui ad domum ſancti Jacobi, & petivi benedictionem de provincia Tarragona, vel ſuis munincentiis, hoc eſt, Barquinona, Egara, Jerunda, Ympurias, Auſona, Urgello, Hilerta, Hyeto, Tortuoſa, Caeſaranguſta, Oſcha, Pamplona, Aucna, Calaorra, Tiraſona. Et ſiunt XVI. civitates ſub metropolitana Tarraconenſi. Petivi ego benedictionem de illa provincia ſupra nominata, & inveni ea . . . . . me Dominum glorioſiſſimum Siſinandum condam, qui praefuit cum ſuis Pontificibus, id eſt, glorioſiſſimo viro & Chriſto dilectiſſimo Ermegildo nomine. Aſpectu pulcherrimus Lucenſis Metropolitanus in Chri-

Digitized by Google

Chriſti nomine reſpondit: Scimus etenim quia a ſanctis patribus conſtitutum eſt ut in unaquaque provincia Metropolitanus Epiſcopus ordinetur. Nam & Tarracona, ſcimus, quia in principio civitas metropolitana nominata eſt, & Conciliis in eadem . . . . . uſque dum ab Hiſmahelitanis regnum noſtrum deſtructum eſt. Et nos in recuperationem ſanctorum reſtituere debemus, vel benedicere hunc Praeſulem, ut cito faciamus. Wiſiolfus fulgentiſſimus vir Tudenſis Epiſcopus clariſſimo vultu dixit: Noſtra praeſumptio faciendi; quia a Principibus noſtris juſſum eſt, & a Conciliis Toletanis conſcriptum, ut quod juſte invenerimus, condiligendi haberemus poteſtatem. Feſtinemus. Hoc juſtum eſt. Rudeſindus Dumienſis Epiſcopus, Gundiſſalus Legionenſis Epiſcopus, Adovarius Auſtoriacenſis ſedis Epiſcopus, Domenicus Numentinae, quae modo Zamora nuncupatur, ſedis Epiſcopus, Tudemundus Salmantiſenſis ſedis Epiſcopus, Eredulſus Aurienſis ſedis Epiſcopus, Ornatus Lamacenſis ſedis Epiſcopus, Didacus Portucalenſis ſedis Epiſcopus. Adamantius Abba vir ſanctiſſimus & timoratus hilari aſpectu ait: Regulari ſubjectione continetur, & ea diligenter inſtruimus, & praecepta canonum obſervanda referimus, & hunc ad Praeſulem dignitatis oportet obtineri. Alii autem plures cum magna exultatione dixerunt. Verum eſt hoc. Novimus quia hic famulus Dei praedictus Caeſarius Abba, Archiepiſcopum eum debemus eligere. Sancio huic proviſioni ſubcripſi ſub die III. Kalend. Decembris aera DCCCCXXXVIII. Haec omnes in uno collegio ſancimus atque corroboramus. Iſti Epiſcopi ſuperius exarati unxerunt me, & benedixerunt de ipſa provincia Tarraconenſi, vel cum ſuis munificentiis, civitates exaratas. Et ego Caeſarius Archipraeſul reverſus ad provinciam meam nominatam, contradixerunt me Epiſcopi his nominibus. Petrus Barchinonenſis Epiſcopus, Arnulphus quondam qui fuit ſedis Gerundenſis Epiſcopus, Atto ſedis Auſonenſis Epiſcopus, Wiſaldus Urgelitanenſis ſedis Epiſcopus, & Emericus Metropolitanus ſedis Narbonenſis Epiſcopus. Iſti jam ſupraſcripti & nominati, quia iſtum apoſtolatum, quod eſt nominatum Spania & occidentalia, dixerunt non erat apoſtolatum ſancti Jacobi; quia ille Apoſtolus interfectus hic venit, nullo modo autem vivus. Et ego reſponſum dedi illis ſecundum canonicam auctoritatem de Nicaeno Concilio, ubi fuerunt treſcentum decem & octo Epiſcopi, & ſecundum canonem Toletanum,

Concil. 4. Toletan.

ubi ſubſcripſerunt Epiſcopi LXVI. Epiſcoporum Spaniae & Gotthiae provinciarum edita anno III. regnante Domino Siſenando die Nonas Decembris aera DCLXXI. O Domine, ſciatis vos quia Petrus namque Romam accepit, Andreas Achaiam, Jacobus qui interpretatur filius Zebedaei, frater Johannis Apoſtoli & Evangeliſtae, Spaniam & occidentalia loca praedicavit, & ſub Herode gladio caeſus occubuit. Johannes qui interpretatur Zebedaei filius, Apoſtolus & Evangeliſta, Aſiam praedicavit & Epheſum. Thomas Indiam praedicavit, Mathaeus Macedoniam, Philippus Galatiam, Bartholomaeus Lichoniam, Simeon Zelotes Ægyptum, Mathias Judaeam, Jacobus frater Domini Jeroſolymam, Judas Jacobi Meſopotamiam. Paulo autem cum caeteris Apoſtolis nulla ſors propria traditur, ſed eſt praedicator gentium. O Pater ſancte, ego dico, qui hoc contradicit quod verum non eſſet, contradictor eſt Domini & legi. O Domine mi, cognoſcite de ſententia canonica auctoritate, ubi dicitur de Metropolitanis ſingularum provinciarum.

Concil. Antioch. c. 9.

Per ſingulas regiones Epiſcopos convenit noſſe Metropolitanum Epiſcopum ſollicitudinem totius provinciae gerere. Propter quod ad metropolim omnes undique qui negotia videntur habere concurrunt. Precor vos, Pater, per Deum Patrem omnipotentem ut veſtrum conſilium & veſtras gramams mihi tramittere faciatis per iſtum ſacerdotem nominativum nomine Galindo. Et quandocunque ego citius potuero, cum reverentia magna honore pergere facio ad limitem ſancti Petri Apoſtoli. Et ego cupio veſtros pedes oſculare & vultum veſtrum hilarem videre. Rogamus ut talem nobis doneris ex veſtris conſiliis quomodo ego poſſim explicari ſuper illos. Tantum agite ut rogamus, & noſtris precibus veſtras dignate accommodare aures, Domine & venerabilis Papa. Amen. Fiat.

Quamvis certum ſit Cæſarium Abbatem ſanctæ Cæciliæ in Monteſerrato ſe geſſiſſe pro Archiepiſcopo Tarraconenſi, difficile tamen videtur certo conſtituere quo demum tempore hunc titulum uſurpavit. Error enim manifeſtus eſt in numero æræ quæ annotata eſt in epiſtola ejus ad Papam. Quippe conſtat ex bulla Benedicti Papæ VI. ad eum data indictione XV. id eſt anno Chriſti DCCCCLXXII. illum fuiſſe tum Abbatem tantum. Puto tamen illum factum eſſe Archiepiſcopum ea tempeſtate. Certis enim teſtimoniis probari poteſt Epiſcopos provinciæ qui ordinationi ejus contradixere, nimirum Aymericum Narbonenſem Metropolitanum provinciæ Tarraconenſis, Petrum Epiſcopum Barcinonenſem, Arnulphum Gerundenſem, Attonem Auſonenſem, & Wiſadum Urgellenſem, probari inquam poteſt certiſſimis teſtimoniis Epiſcopos illos ea tempeſtate tenuiſſe cathedras illic enuntiatas. Potuerunt illi jure meritoque Cæſarii ordinationem repudiare. Primo, quia tum provincia Tarraconenſis habebat ſuum Metropolitanum, Narbonenſem nimirum Archiepiſcopum. Secundo, quia Cæſarius fuerat ordinatus ab Epiſcopis alterius provinciæ & alterius regni, qui nullam poteſtatem habebant ordinandi Metropolitanum in aliena provincia. Itaque juſte rejectus eſt. Nomina Epiſcoporum qui eum ordinaverunt expreſſa ſunt in epiſtola Cæſarii. Verum adeo manci & imperfecti ſunt catalogi veterum Epiſcoporum Hiſpaniæ ut admodum difficile ſit quicquam veri proferre de Epiſcopis qui hujus pravæ ordinationis auctores fuere. Reperi tamen Rudeſindum, qui primo fuerat Epiſcopus Dumienſis, fuiſſe per ea tempora Epiſcopum Compoſtellanum, Teodemundum Salmanticenſem, & Odoarium Aſturicenſem. De cæteris nihil invenire potui.

Cum ergo Cæſarius pateretur contradictionem ab Epiſcopis provinciæ Tarraconenſis, eaque res illum male haberet, imploravit auxilium & auctoritatem Papæ Joannis, qui tum erat Joannes XIV. iſtius nominis in ſedem apoſtolicam evectus anno DCCCCLXXXIV. longo intervallo poſt annum DCCCCLXXII. quo puto Cæſarium ambitione incenſum ad perpetrandum hoc facinus prorupiſſe. Conatus tamen ejus fruſtra fuit, nequicquam eum juvante auctoritate apoſtolatus ſancti Jacobi, ut dixi in libro quarto Marcæ Hiſpanicæ pag. 404.

Cæterum valde notandum eſt quod Cæſarius ait in hac epiſtola, Epiſcopos qui ei contradicebant dixiſſe Jacobum Apoſtolum interfectum Compoſtellam veniſſe, nullo modo autem vivum. Cui illorum ſententiæ conſonant litteræ Adefonſi Regis Hiſpaniæ datæ anno DCCCCVI. in quibus ſcriptum eſt hujus Apoſtoli corpus, ut multæ veridicæ continent hiſtoriæ, manu Domini gubernante per ratem portatum Compoſtellam fuiſſe atque ſepultum. Iſtæ litteræ editæ ſunt ab Andrea Ducheſnio in Notis ad Bibliothecam Cluniacenſem. Ego eas vidi in chartulario Eccleſiæ ſancti Martini Turonenſis. Pro eo autem quod in editione ſcriptum eſt, *per manſionem & datum*, legendum eſt *per Manſionem & Datum*.

Emendabo quoque, data occaſione, nonnulla ex Concilio Toletano quarto. Editiones præferunt illi interfuiſſe LXII. Epiſcopos. At in vetuſtiſſima canonum collectione Hiſpanica, cujus duo vetuſtiſſima exemplaria vidi, unum ex bibliotheca Eccleſiæ Lugdunenſis, aliud in Colbertina, diſerte ſcriptum eſt LXVI. Epiſcopos interfuiſſe huic Concilio. Rurſum in editionibus ſcriptum eſt illud fuiſſe habitum die nono Decembris. At libri veteres & epiſtola Cæſarii habent *die Nonas*. In præfatione legitur *ſancta confeſſoris Leucadia*, in veteribus libris, *ſancta martyres Leucadia*, quod eſt multo melius.

CONCILIUM ROMANUM

Habitum a Gregorio Papa V. anno DCCCCXCVIII.

GRegorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Divina nobis ſaluberrima præcepta & ſanctorum canonum inſtituta veneranda nos admonent conſiderationis intuitu, immo & apoſtolici moderaminis annitu, utilitatum commoditatem atque firmitatis proficere integritatem, quatenus procurandarum utilitatum ſubſidia, ut divino cultui dedicata exiſtunt, inconcuſſe permaneant, atque in laudibus Dei diutiſſime perſolvendis valeant proficere. Hoc procul dubio, commiſſa ſollicitudo nos provocat pia conſideratione ſanare, ut ex hoc divina placata clementia, in ſydereis arcibus nobis adſcribatur remuneratio. Ideoque omnibus ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelibus tam præſentibus quam & futuris notum eſſe volumus qualiter peracta fuit ſynodus ſeptimo Idus Majas in baſilica beati Petri Apoſtolorum principis, ante aram ſive altare ejus, cum omnibus Romanæ Eccleſiæ Epiſco-

Digitized by Google

piſcopis & ultramontanis necnon Diaconibus utriuſque gradus ſanctæ noſtræ apoſtolicæ ſedis, cunctæque ſedis Romanæ urbis, inter quos etiam adfuit Dominus glorioſiſſimus & ſereniſſimus Otto tertius Imperator auguſtus cum ultramontanis Longobardorumque Ducibus, Comitibus, ſeu militiæ copiis nimis. Et ſedente ibic ad pedes præfati Auguſti Ermengaudo Comite filio Borrelli Aquitanorum ſive Gothorum nobiliſſimo Marchione cum optimatibus ſive clericis ſuis, Arnulpho Epiſcopo, & Guadaldo advocato Epiſcopo, in eodem conventu vel ſynodo inter ſe altercantibus de epiſcopio Auſonenſi, Guadaldo ſe reclamante ante apoſtolicam & imperialem praeſentiam quod praedictus Arnulphus per vim & injuſte tolleret ei praedictum Auſonenſem epiſcopatum, una cum Raymundo ipſius provinciae Marchione, Arnulpho Epiſcopo reſpondente quod ei non abſtuliſſet per vim nec injuſte praedictum epiſcopatum, ſed juſte & legaliter ſe obtinere, & a proprio Metropolitano Narbonenſi, cujus dioeceſis fore debet, eſſe conſecratum, & Guadaldum vivente Fruiano Pontifice Auſonenſi ab alio Metropolitano Oddone Galliae provinciae Archiepiſcopo fraudulenter & abſque lege ordinatum, & a Joanne Papa anteceſſore noſtro & a coetu Epiſcoporum Romanae Eccleſiae ſive aliis compluribus condemnatum & anathematizatum, reclamante ſe praedicto Epiſcopo Fruiano, quem Guadaldus interfici fecerat cum fratre & conſanguineo ſuo & aliis pluribus. Haec talia illis dicentibus, diligenti animo, cum ſummo ſtudio, letaniis, pſalmis, & orationibus intercedentibus, & fidem catholicam relegentes, tractare coepimus qualiter fida relatione ad regularem tramitem perduceremus & ſecundum canonicam & apoſtolicam auctoritatem eos diſcuteremus. Tunc nos demum ſecundum canonicam & apoſtolicam auctoritatem ferula excommunicationis & bandi noſtri conſtrinximus praelibatum Ermengaudum Comitem cum clericis & optimatibus ſuis ut quicquid exinde veraciter ſentirent nobis pro amore Dei & Apoſtolorum principis Petri renuntiare ſatagerent. At illi profeſſi ſunt uno animo unaque voce ea quae ab Arnulpho Epiſcopo audieramus vera & recta omnia eſſe & Guadaldum vivente Fruiano Epiſcopo epiſcopatum ſibimet uſurpaſſe & ab alio Metropolitano injuſte ſubintroductum, & poſtea praedictum Fruianum a praefato Guadaldo innocenter occiſum. Deinceps noſmet coetuſque Epiſcoporum diligenter praefatum Guadaldum inquirendo diſcuſſimus ſi vera eſſent quae ipſi contra eum objecerant. At ille, quia negare non potuit, ſe proprio ore profeſſus eſt praefatum epiſcopatum vivente Fruiano Pontifice ſibimet ſubripuiſſe, & ab alio Metropolitano, non a dioeceſano Narbonenſi, ordinatum, & ſeditionem ſe incitaſſe qua ipſe praelibatus Pontifex Fruianus a ſuis fuit interemptus. Tunc nos deinceps haec audientes, & ejus verbis magis quam aliorum teſtimoniis credentes, coepimus perquirere ſanctos canones, & recitando invenimus capitula a ſancto Nicaeno Concilio conſtituta, non debere uſurpari alicui epiſcopatum Epiſcopo vivente, nec ab alio Metropolitano niſi dioeceſano ordinari, etiamſi talem clerus & plebs eligerent, ſed hujus rei factorem ſecundum ſuam profeſſionem & canonicam & apoſtolicam auctoritatem debere deponi. Nos denique obedientes praeceptis canonum, judicantibus Epiſcopis Romanis, Longobardis, & ultramontanis, conſentiente & judicante Domno Ottone Imperatore Auguſto, juſſimus a Benedicto Archidiacono noſtro & Rotberto Oblationario ipſum Guadaldum deponi. Qui ſtatim noſtris juſſibus obedientes, ut mos eſt Romanorum, de dextera illius anulum evellentes, & virgam paſtoralem ſuper caput ipſius frangentes, & caſulam atque dalmaticam ſcindentes, & ab ordine pontificatus eum degradantes, in terram ſedere fecerunt. Poſt haec omnia peracta, Domno Imperatore jubente, & Epiſcopis Romanis, Longobardis, atque ultramontanis judicantibus, conſentiente & acclamante Ermengaudo Comite cum clericis & optimatibus qui de regione illa ibi aderant, una cum ſenatu & militia Romana Longobardorum & ultramontanorum, privilegio noſtrae auctoritatis confirmando & corroborando Arnulphum praenominatum Epiſcopum in ordine pontificali Eccleſiae Auſonenſis ſtatuimus atque ſublimavimus, anulumque & virgam paſtoralem ei dedimus, ligandi ſolvendique poteſtatem vice Apoſtolorum & noſtra ei conceſſimus, & epiſcopatum praefatum una cum praecepto Domni Auguſti cum omnibus ſuis pertinentiis quae ad ſedem ipſam pertinent vel pertinere debent illi ſtabilivimus, ita ut nullus homo vel judicialis poteſtas in praefato epiſcopatu vel ſede aliquid contra hunc Arnulphum Epiſcopum ſive ſucceſſores ſuos temerario auſu contra Eccleſiam (ſeu res) ſancti Petri ſeu ſanctae Mariae in vico Auſonenſi ſitas diſrumpere, invadere, ſurripere, vel dehoneſtare, aut diſſipare, aut aliquid per vim auferre, contendere, vel extorquere praeſumat, id eſt, nec parrochias, neque vicos, nec praedia, aut caſtella, neque monetam, neque teloneа, neque paſcuaria, neque omnia quicquid dici vel nominari poteſt, ſen etiam abbatias quae ad jus Eccleſiae pertinent. Si quis autem contra hoc noſtri privilegii robur vel contra jus ſupradictarum Eccleſiarum, ſive praecepta epiſcopii, vel contra Canonicos ibidem Deo famulantes, ad irrumpendum venerit, aut in aliquo moleſtiam fecerit, aut laeſerit, niſi reſipuerit, anathematis vinculo ex auctoritate beati Petri & aliorum Apoſtolorum atque ex parte noſtra ſciat ſe eſſe excommunicatum & cum Juda traditore catenis igneis nodatum.

Scriptum per manus Petri Notarii & Scriniarii ſanctae Romanae Eccleſiae in menſe Maio, indictione XI.

Benedictus ſanctae Romanae Eccleſiae Archidiaconus, qui depoſuit Guadaldum.

Joannes Diaconus ſanctae Romanae Eccleſiae, qui Homo vocor.

Ego Notkerus ſanctae Laodicenſis Eccleſiae Epiſcopus ſubſcripſi.

Benedictus Diaconus.

Joannes Diaconus ſanctae Eccleſiae Romanae.

Petrus Abbas, qui in ſynodo quod hoc privilegium narrat reſedi & ſubſcripſi.

Ego Otto Dei gratia Romanorum Imperator Auguſtus ſubſcripſi.

Anno pontificatus Domni Gregorii ſummi Pontificis & univerſalis quinti Papae in ſacratiſſima ſede beati Petri Apoſtoli tertio, imperante Domno tertio Ottone a Deo coronato, magno & pacifico Imperatore, anno ſecundo, in menſe Madio, & indictione XI.

Joannes Praefectus & Comes palatii atque dativus judex.

Cum in libro quarto Marcae Hiſpanicae pag. 417. agerem de geſtis in hoc Concilio, neſcio quomodo factum eſt ut monerem nomen Notkeri Epiſcopi Laodicenſis non recenſeri inter eos quorum nomina poſita ſunt in fine geſtorum ejuſdem Concilii. Hoc te monere volui, lector, ut ſcias erraviſſe me in hoc loco.

Decreta Nicolai II. Papae.

ANno primo Philippi Regis. Haec ſunt praecepta Nicolai Papae in canonibus ſacris viciſſim reperta, quae Romana Eccleſia praecipue aſſerit tenere.

I. Primum quidem ut pax & tregua Domini a fidelibus Chriſtianis reperta & laudata, ſicut ſcriptura habentur, ita firmiter teneantur, infractores vero anathemate feriantur.

II. Ut nullus Epiſcopus vel Presbyter excommunicato alterius vel ſuo ſcienter communicet. Quod ſi fecerit, ſciat ſibi gradus ſui periculum imminere.

III. Ut Presbyteri conjugati aut uxores dimittant,

neque

Digitized by Google

neque cum eis ſine teſtimonio legitimo habitent, aut Eccleſiam cum ordinibus ſuis annuant.

IV. Ut Presbyteri & Diaconi & Subdiaconi & omnes qui Canonici ſunt uxores non habeant. Et ſi duxerint, deponantur & a Canonicorum conſortio ſeparentur.

V. Ut Eccleſiae & altaria neu vendantur nec emantur. Qui autem amodo vendiderint aut emerint, anathemati ſubjacebunt.

VI. Ut Epiſcopi & clerici arma non ferant, neque venatui neque aucupio ſtudeant, neque tabulis aut teſſeris ludant.

VII. Ut Epiſcopi canonicas vel officia eccleſiaſtica non vendant, & de conſecrationibus Eccleſiarum, aut ordinationibus clericorum, ipſi & clerici eorum nihil exigant.

VIII. Ut Eccleſiae per pretium a ſimoniacis conſecratae denuo conſecrentur.

IX. Ut Presbyteri & omnes a tempore Nicolai Papae uſque nunc & deinceps ſcienter ordinati a ſimoniacis ſciant ſe non eſſe ordinatos, & deinceps non fiant.

X. Ut dominicis diebus mercata non fiant, exceptis annuis feriis, & quae ad victum pertinent.

XI. Scimus quidem laicis Eccleſias omnino non competere. Sed ubi illis ex toto auferri non poſſunt, ſaltim oblationes Miſſarum & altarium laicis omnino prohibemus.

XII. De cimiteriis autem & ſepultura & baptiſteriis exactionem fieri omnino prohibemus.

XIII. Si quis infra ſeptimum conſanguinitatis gradum uxorem habet, aut deinceps duxerit, ab Epiſcopo ſuo eam dimittere canonice compellatur. Si vero obedire noluerit, excommunicetur.

XIV. Ut nullus Abbas obedientias ſuas vendat, neque nullus monachus emat obedientias. Quod ſi praeſumpſerint, utrique ordine officioque careant, quia ſimoniace agunt. Et monachi proprium omnino non habeant.

XV. Abbatibus, Presbyteris, miniſtriſque quid de rebus eccleſiaſticis vel ſacro miniſterio alienare vel obligare abſque permiſſu & ſubſcriptione conventus ſui nihil liceat. Quod qui praeſumpſerit, degradetur, communione conceſſa; & quod temere praeſumptum eſt & alienatum ordinatione ſui Epiſcopi revocetur.

CONCILIUM ROMANUM.

Habitum anno MLXXXI.

ANno Gregorii VII. Papæ nono, IV. Nonas Maii, convenientibus ſimul Epiſcopis, Cardinalibus, Abbatibus, Archipresbyteris, ut diſcerent utrum bona Eccleſiarum poſſent poni in pignore pro pecunia colligenda ad reſiſtendum Gulberto Archiepiſcopo Ravennati Romanam ſedem invadere conanti, quæſitis auctoritatibus exempliſque ſanctorum, unanimiter laudaverunt ſacras res Eccleſiarum nullatenus in militia ſæculari exponendas, niſi in alimonia pauperum, in ſancto uſu rerum divinarum, & in redemptione captivorum. Ita quippe ſub procuratione Joſeph fuerant immunia a tributo prædia ſacerdotum, nec exponebatur aut mittebatur in corbonam pretium ſanguinis, nec Heliodorus raptor ſacrarum rerum ſub Onia Pontifice fuit impunitus. Quibus actis interfuerunt Johannes Epiſcopus Portuenſis, Johannes Epiſcopus Tuſculanenſis, Umbertus Epiſcopus Prænestinus, Brunus Epiſcopus Segninus, Beno Cardinalis ſancti Martini, Ber.... Cardinalis Griſogoni, Benedictus Cardinalis ſanctæ Pudentianæ, Cono Cardinalis ſanctæ Anaſtaſiæ, Azo Cardinalis ſancti Marci, Romanus Cardinalis ſanctæ Suſannæ, Bonus ſenior Cardinalis ſanctæ Mariæ, Maurus Abbas ſancti Sabbæ, Laurentius Cantor, Petrus Archipresbyter de porta Latina, Johannes Archipresbyter de ſancto Sebaſtiano, Johannes Archipresbyter de ſancta Cæcilia,.... Archipresbyter Salvatoris, & alii plures.

Definitio quae fuit inter Gothafredum Magalonenſem Epiſcopum & Petrum Anianenſem Abbatem in Concilio Claromontano anno MXCV.

CUm apud Claromontem Arvernorum civitatem Dominus Papa Urbanus II. in Concilio reſideret, conſedentibus in eodem Concilio diverſarum provinciarum Primatibus, Archiepiſcopis, Abbatibuſque quamplurimis, veniens ante venerabilem Papam Gothafridus Magalonenſis Epiſcopus clamorem fecit ſuper Abbate Petro & monachis Anianenſis monaſterii, quod monachorum & Abbatis ordinationes & conſecrationes Eccleſiarum aliunde quam ab Eccleſia Magalonenſi quærerent aut acciperent, & quod contra fas præſumptione illicita ſub obtentu privilegii pœnitentiam dandi excommunicandique ac abſolvendi ſeu reconciliandi vel alienos parrochianos undecunque paſſim recipiendi ad ſepulturam inaudito more licentiam vindicarent. Quod narratum in Concilio valde diſplicuit omnibus. Placuit autem Domino Papæ Urbano & univerſo ſancto collegio ut tale privilegium caſſaretur & abraderetur, & ut Abbas Anianenſis Petrus in medio Concilii ante Magalonenſem Epiſcopum veniens in manu ejus obedientiam debitam promitteret Eccleſiæ Magalonenſi de ordinationibus & conſecrationibus & judiciis, ſalvis tamen privilegiis Anianenſis monaſterii, in quantum ſecundum canones pro ſalute & ſtabilitate ipſius monaſterii conſtituta fuerant. Quam definitionem inter utramque Eccleſiam Alexander II. Papa antea fecerat, ſic ſcribens. ALEXANDER *Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Abbati & univerſae congregationi Anianenſis monaſterii ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Pervenit ad nos querela Magalonenſis Epiſcopi ſuper intolerabili praeſumptione & inobedientia veſtra, quod quamvis Romanam Eccleſiam Epiſcopum eam cenſere & tolerare cognoveritis, nullius tamen epiſcopalis reverentiae honorem ſibi attribuitis, immo & contemptu ejus, illicita vobis uſurpantes, in corpus totius Eccleſiae graviter ac nefunde delinquitis. Nam quod excommunicatos illius nulla auctoritate fulti ſuſcipitis, & quod ejus manus impoſitione contempta ordinationes veſtras ad libitum veſtrum aliunde petitis, in hoc & canonicae traditionis inſtituta corrumpitis, & exemplo reprobo grave ſcandalum in Eccleſia generatis. Unde vos auctoritate apoſtolica commonemus ut haec & alia hujuſmodi penitus relinquentes praefato Epiſcopo veſtro deinceps totius ſubjectionis & reverentiae debitum exhibeatis, ſcientes quoniam ſi haec querela ulterius ad nos delata fuerit, diſtrictam in ſe temeritatis veſtrae pertinacia vindictam provocabit.* Ne autem inter utramque Eccleſiam Magalonenſem & Anianenſem diſſenſionis aut diſcordiae occaſio ulla remaneret, Dominus Papa Urbanus hanc definitionem ſcribi juſſit, ſcriptamque ſigillo apoſtolicae ſedis firmavit. Datum apud Arverniam XIII. Kal. Decembris per manus Joannis S. R. Eccl. Diaconi Cardinalis anno dominicae incarnationis milleſimo nonageſimo quinto, indictione tertia, anno pontificatus Domini Urbani Papae II. octavo.

CONCILIUM CLAROMONTANUM

Ab Innocentio Papa II. celebratum anno MCXXX.

ANno dominicae incarnationis MCXXX. reſidente Domino Papa Innocentio cum Epiſcopis & Cardinalibus, catholicis ſimul & religioſis viris, ac Ex Lib. VII. Miſc. Baluz. pag. 74.

R. Lug-

R. Lugdunenſi, W. Bituricenſi, Stephano Viennenſi, A. Narbonenſi, B. Arelatenſi, O. Terraconenſi, G. Auxitano, F. Aquenſi, P. Tarentaſienſi Archiepiſcopis, eorumque ſuffraganeis Epiſcopis, & Abbatibus quampluribus, Cluniacenſi, Dolenſi, Caſae Dei, & aliis juris ſedis apoſtolicae, cum praefatis Pontificibus ſubjectis, una cum Salſeburgenſi Archiepiſcopo, & Monaſterienſi Epiſcopo, ac Abbate Gorgienſi, qui pro honore & ſalute Eccleſiae pro Teutonico regno occurrerant, aſſidente & Hu. Anicienſi Epiſcopo, cum innumera multitudine ſapientium & bonorum virorum, apud Clarummontem, menſe Novembris, indictione octava, ſynodus eſt in nomine Domini celebrata; in qua de fide catholica & animarum aedificatione, ac morum honeſtate, malorumque pullulantium eradicatione tractatum eſt, & obedientia Domino Papae Innocentio aſtanti ab univerſis eſt conſtanter promiſſa. Capitula vero recitata ſunt haec.

Quoniam frigeſcente caritate ſuperabundavit iniquitas, & in noviſſimis diebus inſtant tempora periculoſa, (Sunt enim homines ſe ipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus inobedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate, proditores, protervi, tumidi, voluptatum amatores magis quam Dei) invocanda eſt ab univerſis cum devotione gratia ſancti ſpiritus, ut mala pullulantia reſecet, & in ſervis ſuis ſua dona multiplicet, ac tempora quieta conſervet. Ad extirpandas igitur vitiorum pravitates, praedeceſſorum ſtatuta in medium ſunt producta, & novitatibus creſcentium vitiorum nova medicamina ſunt adhibita.

I. Statuimus ut ſi quis ſimoniace ordinatus fuerit, ab officio omnino cadat quod illicite uſurpavit. Vel ſi quis praebendas, aut honorem, vel promotionem aliquam eccleſiaſticam, interveniente execrabilis ardore avaritiae, per pecuniam adquiſivit, honore male adquiſito careat, & nota infamiae percellatur.

II. Praecipimus etiam quod tam Epiſcopi quam clerici in ſtatu mentis, in habitu corporis, Deo & hominibus placere ſtudeant, & nec in ſuperfluitate, ſciſſura, aut colore veſtium, intuentium, quorum forma & exemplum eſſe debent, offendant aſpectum, ſed quod eorum deceat ſanctitatem.

III. Illud autem quod in ſacro Calcidonenſi conſtitutum eſt Concilio irrefragabiliter conſervari praecipimus; ut videlicet decedentium bona Epiſcoporum a nullo omnino hominum diripiantur, ſed ad opus ſucceſſoris ſui in libera oeconomi & clericorum permaneant poteſtate. Ceſſet igitur de caetero illa deteſtabilis & ſaeva rapacitas. Si quis autem hoc omnino attentare praeſumpſerit, excommunicationi ſubjaceat. Qui vero morientium Presbyterorum vel clericorum bona rapuerint, ſimili ſententiae ſubjiciantur.

IV. Decrevimus ut ii qui a ſubdiaconatu & ſupra uxores duxerint, aut concubinas habuerint, officio atque eccleſiaſtico beneficio careant. Cum enim ipſi templum Dei, vaſa Domini, ſacrarium ſpiritus ſancti debeant eſſe & dici, indignum eſt eos cubilibus & immunditiis deſervire.

V. Prava autem conſuetudo, prout accepimus, & deteſtabilis inolevit, quoniam monachi & regulares Canonici poſt ſuſceptum habitum & profeſſionem factam, ſpreta bonorum magiſtrorum Benedicti & Auguſtini regula, leges temporales & medicinam gratia lucri temporalis addiſcunt. Avaritiae namque flammis accenſi ſe patronos cauſarum faciunt. Et cum pſalmodiae & hymnis vacare deberent, glorioſae vocis freti munimine allegationum ſuarum varietate juſtum & injuſtum faſque nefaſque confundunt. Atteſtantur vero imperiales conſtitutiones abſurdum, immo & opprobrium eſſe clericis, ſi periti ſe velint diſceptationum eſſe forenſium, hujuſmodi temeratoribus graviter feriendis. Ipſi quoque neglecta animarum cura, ordinis ſui propoſitum nullatenus attendentes, pro deteſtanda pecunia ſanitatem pollicentes, humanorum curatores ſe faciunt corporum. Cumque impudicus oculus impudici cordis ſit nuntius, illa de quibus loqui etiam erubeſcit honeſtas non debet religio pertractare. Ut ergo ordo monaſticus & canonicus Deo placens in ſancto propoſito inviolabiliter conſervetur, ne hoc ulterius praeſumatur, auctoritate apoſtolica interdicimus. Epiſcopi autem, Abbates, & Priores tantae enormitati conſentientes, & non corrigentes, propriis honoribus ſpolientur.

VI. Praecipimus etiam ut laici qui Eccleſias tenent, aut eas Epiſcopis reſtituant, aut excommunicationi ſubjaceant.

VII. Innovamus autem & praecipimus ut nullus in Archidiaconum niſi Diaconus, nullus in Decanum vel Praepoſitum niſi Presbyter ordinetur. Archidiaconi vero, Decani, vel Praepoſiti qui infra ordines praenominatos exiſtunt, ſi inobedientes ordinari contempſerint, honore ſuſcepto priventur.

VIII. Praecipimus etiam ut Presbyteri, clerici, monachi, peregrini, & mercatores omni tempore ſint ſecuri. Treguam autem ab occaſu ſolis quarta feria uſque ad ortum ſolis in ſecunda feria, & ab adventu Domini uſque ad octavas Epiphaniae, & a quinquageſima uſque ad octavas Pentecoſtes, ab omnibus inviolabiliter obſervari decernimus. Si quis autem treguam frangere tentaverit, poſt tertiam commonitionem ſi non ſatisfecerit, Epiſcopus ſuus excommunicationis in eum ſententiam dictet, & ſcriptam vicinis Epiſcopis annuntiet. Epiſcoporum autem nullus excommunicatum in communionem ſuſcipiat, immo ſcripto ſuſceptam ſententiam quiſque confirmet. Si quis autem hoc violare praeſumpſerit, ordinis ſui periculo ſubjacebit. Et quoniam funiculus triplex difficile rumpitur, praecipimus ut Epiſcopi ad ſolum Deum & ſalutem populi habentes reſpectum, omni tepiditate ſepoſita ad pacem firmiter tenendam mutuum ſibi conſilium & auxilium praebeant, neque hoc alicujus amore aut odio praetermittant. Quod ſi quis in hoc Dei opere tepidus inventus fuerit, damnum propriae dignitatis incurrat.

IX. Deteſtabiles autem illas nundinas vel ferias in quibus milites ex condicto convenire ſolent & ad oſtentationem virium ſuarum & audaciae temerarie congrediuntur, unde mortes hominum & animarum pericula ſaepe proveniunt, omnimode interdicimus. Quod ſi quis eorum ibidem mortuus fuerit, quamvis ei poſcenti poenitentia & viaticum non negetur, eccleſiaſtica tamen careat ſepultura.

X. Item placuit ut ſi quis ſuadente diabolo hujus ſacrilegii reatum incurrerit quod in clericos vel monachos manus injecerit, anathemati ſubjaceat. Quod qui fecerit, excommunicetur.

XI. Indubitatum eſt quoniam honores eccleſiaſtici ſanguinis non ſunt, ſed meriti, & Eccleſia Dei non hereditario jure aliquando nec ſecundum carnem ſucceſſorem expetit, ſed ad ſui regimen & officiorum ſuorum diſpenſationes honeſtas, ſapientes, & religioſas perſonas expoſcit. Eapropter auctoritate prohibemus apoſtolica ne quis Eccleſias, praebendas, praepoſituras, capellanias, aut aliqua eccleſiaſtica officia hereditario jure valeat vendicare aut expoſtulare praeſumat. Quod ſi quis improbus & ambitionis reus attentare praeſumpſerit, debita poena mulctabitur, & poſtulatis carebit.

XII. Sane conjunctiones conſanguineorum omnino fieri prohibemus. Hujuſmodi namque inceſtum, qui jam fere ſtimulante humani generis inimico in uſum verſus eſt, ſanctorum patrum ſtatuta & ſacroſancta Dei deteſtatur Eccleſia. Leges etiam ſaeculi de tali contubernio natos infames pronuntiant & ab hereditate repellunt.

XIII. Peſſimam ſiquidem, depopulatricem, & horrendam incendiorum malitiam auctoritate Dei & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli omnino deteſtamur & interdicimus. Haec enim peſtis, haec hoſtilis vaſtitas, omnes alias depraedationes exſuperat. Quae quantum Dei populo ſit damnoſa, quantumque detrimentum animabus & corporibus inferat, nullus ignorat. Aſſurgendum eſt igitur & omnimodis laborandum ut tanta clades tantaque pernicies pro ſalute populi eradicetur & extirpetur. Si quis igitur

poſt

Digitized by Google

poſt hujus noſtrae prohibitionis promulgationem malo ſtudio, ſive pro odio, ſive pro vindicta, ignes appoſuerit vel apponi fecerit, aut appoſitoribus conſilium vel auxilium ſciemer tribuerit, excommunicetur. Et ſi in hoc mortuus fuerit incendiarius, Chriſtianorum careat ſepultura, nec abſolvatur niſi prius damno cui intulit ſecundum facultatem ſuam reſarcito, juret ſe ulterius ignem non appoſiturum. Poenitentia autem ei detur ut in Hieroſolymis aut in Hiſpania in ſervitio Dei per integrum annum permaneat. Si quis autem Archiepiſcopus aut Epiſcopus hoc relaxaverit, damnum reſtituat, & per unum annum ab officio epiſcopali abſtineat. Sane Regibus & Principibus faciendae juſtitiae facultatem, conſultis Archiepiſcopis & Epiſcopis, non negamus.

Concilium illud, in quo vir celeberrimus & harum rerum valde peritus Jacobus Sirmondus pronuntiavit veriſimile eſſe eoſdem ipſos canones qui conſtituti ſunt in Concilio quod Innocentius II. celebravit in Eccleſia Lateranenſi fuiſſe promulgatos, aut omnes, aut pro parte, nunc damus ex archivo Eccleſiae Barcinonenſis, unde illud habuerat illuſtriſſimus vir Petrus de Marca Archiepiſcopus Pariſienſis. Admonet autem Sirmondus mentionem iſtius Concilii facere Bernardum Guidonis in libello de Conciliis his verbis: *Anno Domini MCXXX. indictione VIII. menſe Novembri apud Claromontem. praeſidente ibidem Innocentio Papa II. cum Cardinalibus & Archiepiſcopis & Epiſcopis ac religioſis viris, cum multitudine ſapientum & litteratorum virorum, celebrata eſt ſynodus in qua de fide catholica & animarum aedificatione ac morum honeſtate & malorum eradicatione tractatum eſt, & obedientia eidem Papa Innocentio adſtanti ab univerſis eſt gratanter promiſſa. In eadem quoque ſynodo conceſſum eſt privilegium clericis, quod habetur in decretis 17. q. 4. Si quis ſuadente.* Viderat igitur Bernardus decreta iſtius Concilii Claromontenſis. Eadem vidiſſe conſtat Ptolemaeum Lucenſem, cujus haec ſunt verba: *Innocentius in Claromonte Concilium celebrat, ibique etiam conſtitutionem facit quod ſi quis ſuadente diabolo manus violentas in clericum, monachum, vel converſum injecerit, ſententiam excommunicationis incurrat, nec ab eo poſſit abſolvi niſi per curiam Romanam vel cui commiſerit, quam habet XVII q. IV Si quis ſuadente.* Videtur etiam Petrus Jacobi de Aureliano, qui in practica ſua referens hunc canonem, qui apud Gratianum deſcriptus eſt ex Innocentio tantum abſque ulla mentione Concilii, ait conſtitutionem illam factam fuiſſe ab Innocentio in Concilio Claromontano. Correctores Romani, quibus cognitum non erat iſtud Concilium, addiderunt hunc canonem ſumptum eſſe ex Concilio Lateranenſi, ubi extat, cum dicendum fuerit ſumptum fuiſſe ex iſto Claromontano, ubi primum editus fuit, & ex quo citatur ab auctoribus ſupra nominatis.

Peregrinatio Hiſpanica injuncta incendiariis in capite ultimo hujus Concilii non erat ſimplex peregrinatio religionis ergo, uti monuimus in additione ad librum octavum de concordia ſacerdotii & imperii cap. 21. cum interpretaremur conſtitutiones a Caliſto Papa II. editas in Concilio Lateranenſi anno MCXXII.

CONCILIUM LONDINENSE

Habitum anno MCLI.

ANno dominicae incarnationis MCLI. papatus Domni Eugenii Papae III. incipiente VII. Anglorum Rege Stephano regnante anno XVI. praeſidente Tebbaldo Cantuarienſi Archiepiſcopo totius Britanniae Primate & ſedis apoſtolicae Legato anno XIII. celebratum eſt Londoniae Concilium menſe Martio, in quo ſtatuta haec fuerunt quae ſubter annexa ſunt.

CAP. I. Multorum experimenta morborum novas nos cogunt medicinas quaerere, ut tribulationibus quae invenerunt nos nimis poſſimus remediis ſalubribus obviare. Sancimus igitur ut Eccleſiae & poſſeſſiones eccleſiaſticae ab operationibus & exactionibus quas vulgo tenſerias ſive tallagias vocant omnino liberae permaneant, nec ſuper his eas aliqui de caetero inquietare praeſumant. Qui vero contra hoc decretum venire tentaverint, divino in terris eorum ceſſante officio, tandem, donec condigne ſatisfaciant, anathematis ſententia percellantur. Sane operationes Regi debitas fieri non prohibemus, Regis tamen praecedente mandato.

CAP. II. Quia vero Eccleſiae per Angliam conſtitutae occaſione placitorum coronae Regis pertinentium attenuantur ſupra modum & deſtruuntur, nolumus eas ſicut hactenus ſuper eiſdem placitis Baronibus reſpondere. Ideoque praecipimus quatinus in hujus noſtrae inſtitutionis tranſgreſſoribus & terris eorum Epiſcopi in quorum parrochiis fuerint juſtitiam ſatagant eccleſiaſticam exercere. Qua in re ſi Epiſcopi negligentes extiterint, ab eiſdem damna Eccleſiae requirantur.

CAP. III. Praeterea ſtatuimus ut qui pro invaſione ſeu pro rapina rei eccleſiaſticae anathematis vinculo innodantur, abſolvi nullatenus mereantur donec ablata integre reſtituant, vel Eccleſiae quae damnum paſſa eſt ſufficienter caveant quod univerſum debitum infra tempus quadrimenſtre perſolvant. Veruntamen ſi de rebus mobilibus eorum qui damna inferunt eadem reſarciri non poterunt, ſupportandos eos eſſe putamus, ut fidejuſſoriam praeſtantes cautionem, vel ea deficiente juratoriam, ad annuae praeſtationis ſolutionem ſecundum ſuas facultates Epiſcopi taxatione teneantur. Si quis autem eos aliter abſolvere praeſumpſerit, eadem damna reſarcire compellatur.

CAP. IV. Illud quoque adjicientes decernimus, ne liceat de caetero alicui eccleſiaſticae perſonae poſt invaſoris ſeu raptoris excommunicationem de damno Eccleſiae illato ultra viceſimam partem debiti aliquid remittere. Qui vero remiſerit, ſi Epiſcopus eſt, per ſex menſes, ſi alia eccleſiaſtica perſona, per annum integrum ab officio ſuſpendatur.

CAP. V. Sanctorum patrum veſtigia ſecuti praecipimus ut hi qui anathematis ſententia condemnantur, ſi per annum integrum in ea pertinaciter perſeverent, infames & deteſtabiles habeantur, ut neque in teſtimoniis neque in cauſis audiantur, & in principis ſit poteſtate ipſos exheredare.

CAP. VI. Prava nimis & ſtatutis canonum contraria inolevit conſuetudo ut in Eccleſiis Angliae clerici paſſim & ſine delectu recipiantur. Quod ne de caetero fiat modis omnibus prohibemus.

CAP. VII. Nihilominus etiam praeſentis ſcripti auctoritate ſtatuendum eſſe cenſemus ut quotiens ſacerdotibus innotuerit praedam ſive rapinam rerum eccleſiaſticarum ad loca in quibus degunt deveniſſe, divina ibidem officia celebrare non praeſumant donec Epiſcopi vel Archidiaconi ſuper hoc mandatum ſuſcipiant, vel ipſa rapina reſtituatur. Ceſſantibus autem matricibus Eccleſiis, capellae quae intra munitiones conſtructae ſunt, non expectata ceſſandi juſſione ab adminiſtratione divinorum ceſſent. Sacerdotes vero qui hujus ſanctionis contemptores extiterint, per annum integrum officio proprio careant. Quod ſi ſaepius in hac re negligentes reperti fuerint, pro arbitrio Epiſcopi ſui majori ſeveritati ſubjiciantur.

CAP. VIII. Hoc quoque praeſentis ſanctionis pagina firmandum eſſe credimus, ne quis in civitate vel portu, neque in vico, neque in caſtro, neque omnino alicubi locorum nova vectigalia, quae vulgo pedagia dicuntur, inſtituere vel inſtitutionibus conſentire audeat. Hujus autem ſtatuti temeratores, quia rem exemplo pernicioſam inducunt, anathemati ſubjiciendos non dubitamus.

CONCILIUM TURONENSE

Celebratum ſub Alexandro PP. III.

I. QUoniam novis ſupervenientibus morbis novas expedit invenire medicinas, eccleſiaſticae libertati conſulere & ſubditorum utilitati providere curantes, ſtatuimus ut Capellani caſtrorum &c. *ut in editionibus.*

II. De cimiteriis & Eccleſiis ſeu quibuslibet poſſeſſionibus eccleſiaſticis dari cenſarias prohibemus &c. *ut in editionibus.*

III. Qui vero Eccleſiam vel cimiterium combuſſerit, vel ordinatis manus violentas impoſuerit &c. *ut in editionibus.*

Digitized by Google

IV. Si quis Judæus excommunicatum nomine ſuſceperit hoſpitio &c. *ut in editionibus*.

V. Præcipimus etiam quod Decani fide aſtringantur &c. *ut in editionibus*.

VI. Prohibemus etiam ne Abbates vel monachi vel Priores &c. *ut in editionibus*.

VII. Clericis etiam & laicis prohibemus ne quis ſcienter prædia Eccleſiæ emat &c. *ut in editionibus*.

VIII. Decernimus ut laici eccleſiaſtica terminare non præſumant negotia. Epiſcopi, Abbates, Archidiaconi, & alii Eccleſiarum Prælati de negotiis vel aliis quæ ſpiritualia eſſe noſcuntur aliquorum laicorum judicio non diſponant, nec propter eorum prohibitionem eccleſiaſticam prætermittant exercere juſtitiam.

IX. Hæc autem ſanctorum patrum diffinitione conſona ſancimus, ut in eos qui ad cimiterium vel ad Eccleſiam confugerint nullus audeat manus injicere. Quod ſi quis fecerit, anathema ſit.

X. Præcipimus ut ſi qui clerici Eccleſiarum noſtrarum fratribus Hoſpitalis cum licentia ſui Prælati ſponte ac gratis per annum vel per biennium ſervire decreverint, nequaquam impediantur; & interim ſua beneficia eccleſiaſtica & redditus, ſi quos habent, non amittant.

XI. Si quis ſacerdos vel clericus Eccleſiam vel eccleſiaſticum habens beneficium publice fornicariam habeat, ſi ſemel, ſecundo, & tertio commonitus eam non dimiſerit, & a ſe prorſus non expulerit, ſed potius in immonditia duxerit perſiſtendum, omni officio & eccleſiaſtico privetur beneficio.

XII. Quamvis grave ſit nimis, & divini dignum animadverſione judicii habeatur quod laici quidam quod ſacerdotum eſt in eccleſiaſticis rebus uſurpant, majorem tamen incutit dolorem ac formidinem quod fomitem ſui erroris &c. *ut in editionibus*.

XIII. Non magnopere antiqui hoſtis invidia infirma membra Eccleſiæ præcipitare laborat, ſed manum mittit ad deſiderabilia ejus &c. *ut in editionibus*.

XIV. Secundum ſtatuta prædeceſſorum noſtrorum decernimus ne monachi vel clerici cauſa lucri negotiationem exerceant, & ne monachi a clericis vel a laicis firmam teneant, neque laici Eccleſiam vel eccleſiaſtica beneficia ad firmam teneant.

XV. Illud etiam in vicariis qui perſonæ fide & ſacramento ſunt obligati duximus ſtatuendum quod ſi fidei vel ſacramenti religione contempta perſonatum ſibi falſo aſſumentes, contra perſonas ſe erexerint, & ſuper hoc in jure convicti fuerint, de cætero in eodem epiſcopatu ad officii ſui executionem non admittantur.

XVI. Quoniam enormis quædam conſuetudo in quibuſdam locis contra ſanctorum patrum conſtitutiones invaluit &c. *ut in editionibus*.

XVII. Non ſatis utiliter avaritia in populo redarguitur &c. *ut in editionibus*.

XVIII. Pro ſepultura quoque, chriſmatis & olei ſacri perceptione &c. *ut in editionibus*.

XIX. Quia in quibuſdam epiſcopatibus Decani quidam vel Archipresbyteri ad agendas vices Epiſcoporum vel Archidiaconorum &c. *ut in editionibus*.

XX. Majoribus Eccleſiae beneficiis in ſua integritate manentibus, indecorum nimis eſſe videtur ut minores clericorum praebendae recipiant ſectionem &c. *ut in editionibus*.

XXI. Plures clericorum &, quod mœrentes dicimus, eorum quoque qui praeſens ſaeculum profeſſione vocis & habitu reliquerunt &c. *ut in editionibus*.

XXII. Fures aut latrones ſi in furando aut prædando occidantur, viſum nobis eſt pro eis non eſſe orandum. Si autem apprehenſi vel vulnerati Presbytero aut Diacono confeſſi fuerint, communionem eis non negamus.

XXIII. In partibus Toloſæ damnata hæreſis dudum emerſit, quae more cancri paulatim ſe ad vicina loca diffundens, per Gaſconiam &c. *ut in editionibus*.

XXIV. Ut nemo Presbyterorum exennium vel quodcunque emolumentum temporale immo detrimentum ſpirituale a quocunque publice peccante vel inceſtuoſo accipiat ut Epiſcopo vel miniſtris ejus peccatum reticeat; nec pro reſpectu cujuslibet pecuniae aut conſanguinitatis aut familiaritatis, alienis communicans peccatis, hoc Epiſcopo innoteſcere detractet; nec a quoquam poenitente aut gratia aut favore munus ſuſcipere praeſumat, aut minus digne poenitentem ad reconciliationem adducat, & reconciliationis teſtimonium ferat, vel quocunque livore alium quemlibet digne poenitentem à reconciliatione removeat. Hoc enim ſimoniacum a Deo & hominibus cognitum eſt.

XXV. Calumniam & audaciam temere litigantium condemnando in expenſas & alio multiplici remedio imperialis ſanctio compeſcit. Quoniam igitur ſacris conſtitutis conſonare dinoſcitur, praecipimus ut de caetero in cauſis pecuniariis victus victori in expenſas condemnetur, niſi forte, ſicut cautum eſt, pro abſente feratur ſententia.

XXVI. Dictum eſt in quibuſdam locis pro perceptione chriſmatis dari ſolere nummos, ſimiliter pro baptiſmate & communione. Hoc ſimoniacam eſſe haereſim ſancta ſynodus deteſtavit & anathematizavit. Prohibemus ergo ne de caetero nec pro ordine nec pro chriſmate nec pro baptiſmate vel extrema unctione vel ſepultura vel communione vel dedicatione quicquam exigatur; ſed dona Chriſti gratuita gratis diſpenſatione donentur. Si quis contra ſtatuerit, anathema ſit.

Charta Concilii Turonenſis quae miſſa fuit Epiſcopo Magalonenſi ejuſdemque loci capitulo & Abbati & conventui Cluniacenſi.

HU. Oſtienſis. B. Portuenſis Epiſcopi, W. tituli ſancti Petri ad vincula Presbyter, M. ſancti Georgii ad velum aureum Dei gratia Romanae Eccleſiae Cardinales venerabilibus fratribus J. eadem gratia Magalonenſi Epiſcopo ejuſdemque loci capitulo, Stephano Cluniacenſi Abbati, univerſoque ejuſdem loci conventui, ſalutem in Chriſto. Dum in Concilio Turonis celebrato ad terminandam controverſiam quae ſuper Eccleſia beati Petri juxta Montempeſſulanum ſita inter vos vertebatur a sereniſſimo Papa Alexandro dies vobis fuiſſet apoſtolicis litteris praeſtituta, & Romanorum Pontificum ſcriptis in medium hinc inde prolatis, lis ipſa dubios ſortiretur eventus, ex mandato praefati Romani Pontificis, partis etiam utriuſque conſenſu, hujuſmodi perpetuis temporibus inter vos ſtatuimus ſervari concordiam, ut ſcilicet de caetero monachi Cluniacenſes excommunicatos Magalonenſis Eccleſiae ſeu etiam interdictos non recipiant neque poenitentiam dent in villa Montiſpeſſulani vel in aliis villis Magalonenſis epiſcopatus per ſe aut per capellanum aliquem introductum, ad infirmos etiam non accedant niſi vocati, neque ſacerdotalem miſerationem aliquando exhibeant, cum autem vocati acceſſerint, ſi infirmus apud eorum monaſterium ſepulturam elegerit, liberam ejus habeant ſepulturam. Canonici vero Magalonenſes in pulſandis campanis & receptione funeris in Eccleſiam debitam humilitatem exhibeant, monachi autem tertiam partem omnium quos eis infirmus moriens contulerit Canonicis Magalonenſibus ſolvant, niſi forte decedens praefatis monachis in converſum vel monachum ſe reddiderit, vel etiam talis fuerit in quem jus excommunicationis ferendae Magalonenſes cum decederet non haberent. Si tamen is qui apud jamdictum monaſterium ſepeliri decreverit partem rerum ſuarum monachis partemque praenominatis Canonicis duxerit relinquendam, Canonicis dabitur optio

de

de duobus, ut ſcilicet a monachis nihil recepturi legatam ſibi partem retineant, aut relictorum contributione facta totius ſummae praeter tertiam aſſequantur. Praeterea Miſſas ſponſaliorum ſeu partus Canonicis Magalonenſibus non decantabunt, neque jamdictos parrochianos recipient in praecipuis feſtivitatibus vel ad poenitentiam, ſi Eccleſiis ad quas ſpectant voluerint ſe forte ſubtrahere. Decimas quoque ad jus Magalonenſis Eccleſiae ſpectantes de caetero non recipient nec retinebunt, ſed tam de his praediis quae nunc in praenominata parrochia habent quam de his quae in futurum ad proprietatem eorum fuerint modis aliquibus devoluta decimas Magalonenſi Eccleſiae perſolvant, exceptis terris & vineis quas nunc, tempore ſcilicet hujus concordiae, introductae circa idem monaſterium ſine interpoſitione fluminis aliarumve terrarum poſſidere noſcuntur. Si vero aliquando contigerit villam circa monaſterium praenominatum aedificari, jus parrochiale in eadem villa Magalonenſis Eccleſia obtinebit. Monachorum autem erit capellanum eligere ejuſdemque loci Epiſcopo praeſentare. Praeſentatus autem ab Epiſcopo curam animarum recipiet, niſi cauſa evidens & rationabilis contradicat. Nihilominus etiam ſtatuimus ne aliquando liceat Cluniacenſibus duodenarium monachorum numerum in eodem prioratu excedere aut aliquando ibi conſtituere Abbatem, ſeu aliam Eccleſiam in ſaepedicto epiſcopatu abſque Epiſcopi & capituli conſenſu aedificare. Non licebit etiam monachis poſſeſſiones ad Magalonenſem Eccleſiam ratione facti vel alio jure pertinentes aut Canonicos vel converſos ipſius ſeu etiam donatos abſque Epiſcopi & capituli licentia recipere. Idem etiam tenebuntur Canonici erga monachos obſervare. Conſecrationem quoque Eccleſiae & altarium atque promotiones monachorum ad Magalonenſem Epiſcopum pertinebunt, ſi ea gratis & libere peragere voluerit. Ut autem hujuſmodi concordia perpetua ſtabilitate firmetur, ſigillorum noſtrorum munimine eam duximus roborandam. Actum Turonis Idus Junii anno incarnationis dominicae MCLXIII. indictione undecima, pontificatus magnifici Papae Alexandri III. anno quarto.

Teſtimonia de indulgentia conceſſa Eccleſiæ ſanctæ Mariæ de Portiuncula.

Ex L. IV. Miſc. Bal. p. 450. IN nomine Domini. Amen. Ego frater Benedictus de Arecio, qui olim fui cum beato Franciſco cum adhuc viveret, & divina gratia operante ipſe pater ſanctiſſimus ad ſuum ordinem me recepit, qui ſociorum ſuorum ſocius fui, & cum ipſis frequenter & in vita patris noſtri & poſt ipſius receſſum de hoc mundo ad patrem cum eiſdem diſcretis ordinis collationem frequenter habui, confiteor me frequenter audiviſſe a quodam ſociorum ſupradictorum beati Franciſci, qui vocabatur frater Matthaeus de Marignano, qui fuit homo veritatis & probatiſſimae vitae, quod ipſe fuit cum beato Franciſco apud Peruſium ante praeſentiam ſanctae memoriae Domini Papae Honorii cum petivit indulgentiam omnium peccatorum pro illis qui contriti & confeſſi convenirent ad locum ſanctae Mariae de Angelis, quae alio nomine Portiuncula nominatur, prima die Kalendarum Auguſti a veſpere dictae diei uſque ad veſperas ſequentis diei. Quae indulgentia cum fuiſſet tam humiliter quam conſtanter a beato Franciſco poſtulata, fuit tandem a ſummo Pontifice liberaliſſime & gratiſſime conceſſa; quamvis diceret ipſe ſummus Pontifex non eſſe conſuetudinis apoſtolicae ſedis talem indulgentiam facere.

Haec ſupradicta confiteor ego frater Rainerius de Mariano de Arecio ſocius venerabilis fratris Benedicti me audiviſſe frequenter a ſupradicto fratre Matthaeo ſocio beati Franciſci; cui fratri Matthaeo & ego frater Rainerius fui ſocius ſpecialiſſimus.

Item coram fratre Angelo Miniſtro, fratre Bonifacio Gardiano, fratre Bertolo de Peruſio, & aliis fratribus, in loco Portiunculae, Petrus Calſannus dixit quod interfuit conſtructioni Eccleſiae ſanctae Mariae de Portiuncula, & audivit tunc beatum Franciſcum plura praedicantem coram venerabilibus Epiſcopis; & habebat quandam cedulam in manu, & dixit: Ego volo vos omnes mittere ad paradiſum, & annuncio vobis indulgentiam quam habeo ab ore ſummi Pontificis. Omnes vos, qui veniſtis hodie, & omnes qui venient annuatim tali die bene corde contrito, habebunt indulgentiam omnium ſuorum peccatorum. Ego volui pro octo diebus, ſed non potui.

TESTIMONIA DE INDULGENTIA

Conceſſa Eccleſiae Sanctae Mariae de Portiuncula.

IN Chriſti nomine Amen. Coram Fratre Angelo miniſtro, & Fratre Bonifacio, & F. Guidone, & F. Bartholo de Peruſio, & aliis Fratribus in loco Portiunculae. Petrus Galfaneus proteſtatus eſt, & dixit, quod interfuit conſecrationi Eccleſiae S. Mariae de Portiuncula; & audivit B. Franciſcum, tunc praedicantem populo coram quinque Epiſcopis, & habebat quandam cedulam in manu, & dixit: ego (volo) vos omnes mittere in Paradiſum, & annuncio vobis indulgentiam quam habeo ab ore Summi Pontificis, ut vos omnes, qui veniſtis hodie, & omnes, qui venient annuatim tali die bono corde, & contrito habeant Indulgentiam ſuorum peccatorum. Ego volui pro octo diebus, ſed non potui. Hoc ſcriptum eſt in Calendario Sanctae Mariae de Portiuncula. Ex Cod. MS. Sec. XIV. S. M. C. O.

In nomine Domini Amen. Ego Frater Benedictus de Arecio, qui fui cum B. Franciſco dum adhuc viveret, & divina gratia operante ipſe P. Sanctiſſimus in ſuo ordine me recepit; qui ſociorum ſuorum ſocius fui, & cum ipſis frequenter, & in vita S. P. mei, & poſt ipſum receſſum de hoc mundo ad Patrem, cum iiſdem diſcretis Ordinis frequenter collationem habui. Confiteor me frequenter audiviſſe a quodam ſociorum B. Franciſci, qui vocabatur Frater Mathaeus de Marignano, qui homo magnae veritatis, & perfectiſſimae vitae fuit. Cum B. Franciſcum apud Peruſium ante praeſentiam bonae memoriae D. Papae Honorii, cum petiit indulgentiam omnium peccatorum pro illis qui contriti & confeſſi venirent ad locum Sanctae Mariae de Angelis, qui alio nomine Portiunculae nuncupatur primo die Calendarum Auguſti, a Veſpere dictae diei, uſque ad Veſperas ſequentis diei, quae indulgentia cum fuiſſet tam humiliter, quam conſtanter a B. Franciſco poſtulata, fuit autem a S. Pontifice libentiſſime, & gratiſſime conceſſa, quamvis diceret ipſe ſummus Pontifex non eſſe conſuetudinem Apoſtolicae Sedis, talem indulgentiae (*ſic*) facere.

Haec eadem ſupradicta confiteor ego frater Rainerius de Aretio ſocius Ven. F. Benedicti, me audiviſſe frequenter a ſupradicto F. Matthaeo ſocio B. Franciſci, cui Fratri Matthaeo ego F. Rainenerius fui ſocius ſpecialiſſimus. Lectae & publicatae fuerunt ſupradictae conſtitutiones apud cellam F. Benedicti de Aretio coram F. Rainerio de Caſtillione, & F. Caro de Aretio, & Compagno de Burgo, & F. Homodeo de Aretio, & F. Liberto de Florentia, & F. Jacobo de Florentia, & F. Archaldo de Aretio, & F. Bonaventura de Aretio; & Maſſario de Aretio, ad haec vocato & rogato. In An. Domini MCCLXXVII. minime imperante Papa in Eccleſia Romana vacante, Indictione V. die Dominico ultimo Octobris. Ego Joannes Notarius filius olim Carnelaſiaris praedictis omnibus

bus interfui, & de mandato F. Benedicti, & F. Rainerii praedicta omnia ſcripſi, & publicavi.

In Chriſti nomine Amen. F. Michael Angelus miniſter Provinciae S. Franciſci retulit quod in praeſentia ſua, & F. Deodati Cuſtodis Peruſii, & in praeſentia F. Angeli ſocii ejuſdem miniſtri, D. Jacobus Capoli dixit quod ſemel coram uxore ſua, & Jacobutio, & alia perſona interrogavit F. Leonem utrum indulgentia, quae eſt in Portiuncula eſſet vera, qui reſpondit ſic, & dixit: Quod B. Franciſcus ſibi in haec verba retulit, quod petivit a D. Papa, ut faceret ſibi indulgentiam in Anniverſario conſecrationis Eccleſiae. Et D. Papa interrogavit quantam vellet. Et D. Papa de uno anno, & poſtea de tribus, & venerunt uſque ad ſeptem. Et S. Franciſcus non erat contentus. Et tunc dixit D. Papa quantum vellet, qui reſpondit volo, ſi placet S. P. ut propter beneficia, quae fecit Dominus in illo loco, & adhuc faciet, quod omnes, qui venerint bene contriti, & confeſſi habeant peccatorum ſuorum indulgentiam. Et D. Papa dixit quod tantum valeret per unam dierum naturalem videlicet a veſperis uſque ad Veſperas. Et cum B. Franciſcus exiret a D. Papa audivit poſt conceſſionem vocem dicentem: Fili Franciſce ſcias quod ſicut haec Indulgentia data eſt in terra, ita confirmata eſt in Cœlo.

Narratio de forma & modo electionis factæ de Domino noſtro Papa Martino V. in Concilio Conſtantienſi,

Ex l. VII. Miſc. Baluz, pag. 90. POſt varias hujus ſacri Concilii fluctuationes, ipſum divina clementia deduxit papalis electionis ſalutarem ad portum. Nempe cum de modo electionis fuiſſet diutine diſceptatum, & variis circa hoc currentibus opinionibus, prout alias vobis ſcripſi, optata concordia reperiri non poſſet, tandem ſpiritu pacis illapſo, fuit in hoc de conſenſu Cardinalium & nationum omnium concordatum, quod ſcilicet quaelibet natio ſex nobiles viros in ſacris conſtitutos de ſe ipſa eligeret, & iſti omnes, qui inſimul erant triginta, adjungerentur Cardinalibus, qui erant viginti tres, & ille eſſet Papa, & non alius, quem duae partes Cardinalium & duae partes cujuslibet praefati ſenarii elegiſſent. Hic autem modus licet appareret ad electionem habendam valde difficilis, quia tres perſonae unius ſenarii hanc poterant impedire, tamen ideo ſic acceptatus fuit quia Papam ſic eligendum reddebant indubium & facile acceptabilem ab omnibus Regibus & nationibus Chriſtianis, ex quo nulla eſſet natio quae ipſum non elegiſſet in Papam. Videbatur inſuper haec forma continere eminenter omnes alias eligendi formas. Nam forma capitis *Ego Lodovicus* 63. diſt. & forma capitis *In nomine Domini*. 23. diſt. & forma capitis *Licet de vitanda*. extra de electione, in dicta forma pariter includuntur. Octava igitur die Novembris celebrata fuit ſolemnis ſeſſio, in qua facta ſunt iſta. Primo forma eligendi praedicta fuit promulgata & per totum generale Concilium concorditer decreta, & aſſignatus locus conclavis, videlicet quaedam ſolemnis domus communis civitatis Conſtantiae aptiſſima ad hoc factum; aſſignataque dies & hora intrandi, videlicet dies illamet ante ſolis occaſum. Secundo dicti electores de nationibus electi & etiam ipſi Cardinales fuerunt habilitati, ſi & quantum indigebant. Tertio dicti electores de nationibus fuerunt nominati. Videlicet pro natione Italica Bar-
Vide to. XII. Conciliorum pag. 249. 251. tholomaeus Mediolanenſis Archiepiſcopus, Franciſcus Melfienſis, Henricus Feltrenſis Epiſcopi, Jacobus electus Pennenſis, Leonardus Generalis ordinis Praedicatorum in obedientia quondam Johannis, Pandulphus de Malateſtis Archidiaconus Bononienſis. Pro Gallicana Johannes Patriarcha Conſtantinopolitanus, Guillelmus Bituricenſis, Jacobus Turonenſis Archiepiſcopi, Johannes Gebennenſis Epiſcopus, Robertus Abbas Cluniacenſis, & Galterus Graſli Decretorum Doctor Prior Rhodi. Pro Germanica Johannes Rigenſis, Nicolaus Gneſnenſis Archiepiſcopi, Symeon Stragonienſis Epiſcopus, Lambertus de Stipite Prior de Bertanya Decretorum Doctor, Nicolaus Dinkeschelſpuel, Conradus de Suſato ſacrae paginae magiſter. Pro natione Hiſpaniae Didacus Conchenſis, Nicolaus Aquenſis, Johannes Pacenſis Epiſcopi, Philippus de Mendalia magiſter Archidiaconus Penetenſis in Eccleſia Barchinonenſi, Gudiſalvus Garſiae Decretorum Doctor Archidiaconus de Brevieſca Burgenſis, Velaſcus Petri utriuſque juris Doctor, Portugalenſis. Pro Anglica vero Richardus Londonienſis, Nicolaus Batonienſis, Johannes Liquefeldenſis, Johannes Moxicenſis Epiſcopi, Thomas ſanctae Mariae Eboracenſis Abbas, Thomas Eboracenſis Decanus & ſedis apoſtolicae Notarius. Quarto fuerunt nominati cuſtodes conclavis pro Cardinalibus Magiſter Rhodi; pro natione Italiae Comites Laudenſis & Bertholdus; pro natione Gallicana Dux Bavariae frater Reginae Franciae, Baſtardus Sabaudiae, & Cancellarius, & quidam Miles ambaſiator Regis Ludovici; pro natione Germaniae Dominus Marchianus de Vrandeburch, quidam Comes de domo imperiali, duo Barones ambaſiatores Regis Poloniae, & multi alii nobiles Domini illius nationis; pro natione Angliae, non recordor; pro natione vero Hiſpaniae Dominus Fernandus Petri de Avala, Dominus Comes Cardonae, Dominus Miles Alcaydus Domicellorum Regis Caſtellae, Dominus Raymundus Chamar, quidam nobilis Miles ambaſiator Regis Portugaliae; pro civitate vero Conſtantienſi Magiſter civium cum certis aliis notabilibus burgenſibus civitatis. Quinto fuerunt nominati de qualibet natione certi eccleſiaſtici qui una cum Vicecamerario cibaria & alia introducenda infra conclave perſcrutari haberent. Imperator vero ut ſuperintendens in omnibus praeſens erat. Sexto fuerunt lectae decretales *Ne Romani* & extravagans Clementis VI. de modo ſe habendi electores in conclavi & eorum reſtrictione mentionem facientes. Septimo ipſe Imperator, cuſtodes, & alii ſupra nominati ſolemniter juraverunt ſupra Miſſale & ſuper crucem ſe ſervaturos, quantum eos tangebat, decretales praefatas, & ipſum conclave ſecure & fideliter cuſtodire, nec ad aliquid aliud ipſos electores quovismodo reſtringere vel reſtringi permittere niſi ſecundum quod ibidem fuerat expreſſatum. Eadem igitur die, hora veſperorum, omnes electores numero LIII. conclave intraverunt. Diebus autem quibus fuerunt in conclavi, inſiſtebat ad extra clerus & populus Miſſarum ſacrificiis, orationibus, jejuniis, & eleemoſynis, divinam in hoc opere miſericordiam interpellans. Et ecce in die beati Martini, poſt Miſſarum ſolemnia, poſt verbi Dei exhortationem devotam, inchoatur religioſa proceſſio, & verſus conclave, prout duobus diebus praecedentibus factum fuerat, praeparatur. Procedit puerorum innocentium multitudo, & vocibus altiſonis tonant per nubila, caelos rumpunt, ſummipotentem excitant, *Oſanna* inquiunt *in excelſis*. Clericorum, religioſorum, Praelatorum hymnis canora caeleſtibus turba proſequitur. Subſequitur utrinſque popularis devotio: quae ſingultuoſis gemitibus dum ſilenter orat, clamore valido divinae clementiae aures pulſat. Mirantur, imitantur omnes per quos tranſit devota proceſſio. Fluunt hinc inde lacrymae hymnis & canticis ſuaveſonantis Eccleſiae vehementer affecti, tundunt manibus pectora. Eriguntur vultus ad ſydera, & plus votis quam vocibus ſpiritus ſancti gratia imploratur. Inter haec Martinus Pontifex ad litteram Dominus frater Martinus ordinis noſtri Attrabatenſis Epiſcopus, qui die illa hujus celebritatis officium faciebat, aliorum Pontificum & Praelatorum vallatus veneranda caterva, conclavis accedit ad oſtium, & ſuper electores benedictiones divinas imprecans, precibus preces ingeminant, adventum ſancti ſpiritus alta voce cum caeteris invo-

can-

Digitized by Google

eando. Audiunt haec omnia electores ab intra, qui adhuc a concordia longe erant, & eorum non immerito ſtupent mentes, commoventur viſcera, corda molleſcunt, mutantur vota, devotione liqueſcunt animi, dulceſque per oculos ſtillant guttas, poplites ad terram flectunt, manus ad Deum extendunt, os in oratione aperiunt, ut ſpiritum ſanctum attrahant venientem. Erat enim hora tertia, illa inquam tertia de qua hymnus: *Dum cunctis hora tertia repente mundus intonat, orantibus Apoſtolis Deum veniſſe nuntiat*. Factus eſt enim repente de caelo ſonus. Sonus enim ad extra canentium, licet eſſet de terra, tamen erat de caelo. Ut enim a quibuſdam electorum audivi, voces canentium puerorum ſibi videbantur voces de caelo deſcendentium angelorum tanquam advenientis ſancti ſpiritus vehementer, id eſt, mentem a primo ſtatu diſcordiae ad concordiam vehementer. Et replevit totam domum, ſcilicet conclavis, ubi erant electores ſedentes; & replevit repente, & mutavit electorum corda: quia antequam ad Eccleſiam rediſſet proceſſio, ad hujus electionis concordiam adunavit. Et tunc cœperunt loqui variis linguis & ſcedulis, prout ſpiritus dabat eloqui illis, dicentes: *Ego eligo in Papam Dominum Cardinalem de Columna hic præſentem*. Vere a Domino factum eſt iſtud. Nam de praefato Domino Cardinale nulla fiebat quoad hoc mentio, licet de multis aliis fieret mentio, quaſi certa: utique a Domino factum eſt illud. Quis enim non videat, attenta electorum varietate & multitudine & forma eligendi decreta, ut praedicitur, in publica ſeſſione, hujus electionis concordiam humanitus difficillimam extitiſſe? Quis ergo in hac difficultate tantam facilitatem appoſuit niſi ſpiritus ſanctus, cujus eſt diviſa adunare & tarda molimina in ſua operatione neſcire? Ipſe certe, qui olim per diverſitatem linguarum multarum gentes in unitate fidei congregavit, ipſe nunc in hac electione varietatem nationum & voluntatem univit; & qui olim diſcipulos in cœnaculo adimplevit, repente ipſe electores in conclavi clauſos brevi concordavit in tempore. Jam ergo per Dei gratiam non eſt locus rebellioni vel ſchiſmati, quia nationes omnes & obedientes Reges & Principes Chriſtiani per ſuos deputatos huic electioni manum & animum præbuerunt; & quod plus eſt, non ſolum duæ partes collegii & cujuslibet alterius aggregari, quod utique ſuffeciſſet, ſed omnes & ſinguli electores in ſummum Pontificem concorditer elegerunt. Ceſſent ergo amodo argumenta quæ contra electiones olim Domini Clementis & Urbani per tot annorum curricula cucurrerunt, contra Clementem ſcilicet quod electus fuiſſet ſede non vacante, contra Urbanum quod ex impreſſione, & non pure, gratuite, & ſincere. Sed non ſic in propoſito. Celebrata eſt enim hæc electio ſede vacante, ſcilicet quod poſtquam unus competitorum ſponte reſignaverat, & alii duo morte civili oberrant, prout fuit univerſali Eccleſiæ manifeſtum, celebrata nihilominus in tanta libertate & pace quod nec intus nec extra conclave cujuſvis violentiæ vel impreſſionis potuit ſentiri ſpiraculum. Intus conclave tanta quietis & pacis religioſitas quod velut quoddam religioſorum dormitorium videbatur. Extra in civitate tanta ſecuritas ut quoad hoc magis monaſterium regulariter quam civitas popularium appareret. Exierat enim edictum a Cæſare Auguſto quatenus ſub pœna mortis nullus tempore electionis, niſi deputatus, ad locum conclavis accederet, nullus in civitate rumorem quantumlibet excitare præſumeret, nullus ad taxillos luderet, ut omnis diſſenſionis vel tumoris occaſio tolleretur. Numquid devotum erat videre Cæſaream majeſtatem tam præclara militia conſtipatam circa cuſtodiam & ſecuritatem conclavis tam reverenter juramenta præſtare, tam fideliter obſervare? Potius videbatur circa conclave perambulantes eſſe Eccleſiæ vaſſalli & ſervi humiles quam Principes & Domini tam ſublimes. Retrocedat amodo argumentum de capitulo *Si quis pecunia militari vel populari tumultu &c.* quod nos circa electiones alias tanto tempore laceſſivit; quia in hac electione nullatenus locum habet. Et hæc de forma electionis dicta ſufficiant. Materia vero ejus eſt. Dominus olim Cardinalis de Columna, ætate quinquagenarius, Martinus V. dictus, eo quod in die beati Martini fuit electus, vir clemens & benignus, ſimplex & rectus, non intricatus, ſed planus, non innitens propriæ prudentiæ, ſed conſilio credens, quantum humana fragilitas noſſe ſinit, ſalubriter reget, dum tamen mali conſiliarii non decipiant ipſum. Conſervet illum Deus ad utilitatem Eccleſiæ & ſalutem animæ ſuæ. Amen.

Epiſtola Balthaſaris Coſſæ, qui fuerat Johannes Papa XXIII. iſtius nominis, ad Petrum de Luna dictum Benedictum XIII.

Nobiliſſimo ac metuendiſſimo Domino Petro de Luna olim in ſua tunc obedientia Benedicto XIII. nuncupato, per Balthaſarem de Coxa.

Poſtquam pius Dominus adjutor meus & protector meus, in quo ſperavit cor meum, & adjutus ſum, & exaudivit vocem deprecationis meae, & refloruit caro mea Florentiae, dum ex mera liberrima voluntate confeſſus publice ſum coram ſuo ſancto vicario ipſum, qui eſt fortitudo plebis ſuae & protectio ſalvationum Chriſti ſui, ſalvum feciſſet populum ſuum a peſtifero antiquatoque ſchiſmate, unico ſuo ovili unicum & indubium praeficiendo paſtorem, ſcilicet ſanctiſſimum in Chriſto Patrem & beatiſſimum Dominum Martinum ſua mirabili providentia Papam V. ante cujus ſacratiſſimos pedes me, ut optabam, in libertatis plenitudine humilitatiſque ſinceritate praeſentavi, a cujuſque beatiſſima clementia, poſt alias plurimas, etiam iſtam motu ſuo proprio conſecutus ſum gratiam ut me in dignitate Cardinalis reponere & Eccleſiae Tuſculanae praeficere dignaretur in Epiſcopum & paſtorem, poſt haec inquam, per quae tam animae meae quam corporis jocundiſſimam ſum adeptus quietem, quammulti optimi viri, vaſa Chriſti, animae veſtrae, ô metuendiſſime Domine, ex totis praecordiis exoptante; ſalutem, magnam apud me fecerunt inſtantiam ut vobis. quantum mihi foret poſſibile, bonum procurarem & pacem. quod nullatenus rebatur fieri poſſe facilius quam ſi mentem & actus meos ſuper pace ſanctae matris Eccleſiae conſervanda veſtrae dominationi perſcriberem, aſſerentes dominationem eandem quibuſdam ſuis dictis ac reſponſis aliquem dediſſe colorem, propter illa quae in mei acciderunt perſonam. Ego vero, quamvis non tam verborum claritudine quam factorum effectu meam voluerim & velim orbi terrarum ſuper pace Eccleſiae innoteſcere voluntatem, tamen operae pretium arbitratus ſum praeſentes vobis deſtinare litterulas, quibus meae intentionis ſinceritas peramplius veſtrae reverentiae perfectiuſque clareſcat, praeſertim cum non dubitem multa per multos vobis eſſe dicta & ſcripta mendacia. Cumque diebus praeteritis ego timens iterum reintrare carceres, aliquorum ſuaſu ab honeſta ſocietate quam mihi praedictus ſanctiſſimus Dominus noſter aſſignaverat declinaverim, & me in quodam caſtro cujuſdam amici mei poſuerim, ubi veraciter comperta ſummi Pontificis voluntate, ſtatim ad ipſius ſacratiſſimam praeſentiam in libertate omnimoda poſitus feſtinavi, & in vigilia corporis Chriſti ſuo ſacro me praeſentavi conſpectui; gratiaſque quas potui egi Domino Deo noſtro, quia videbam quod quam maximam ſemper optaveram, perfectam ſcilicet in ſancta Eccleſia unionem. Et quoniam nonnulli in diverſis mundi partibus conſtituti forte murmurabant me apud . . . .
non ſponte nec libere reſignaſſe, in declaratione meae voluntatis in praeſentia ſanctiſſimi Domini noſtri & Dominorum meorum Cardinalium & alio-

Ex L. VII. Miſc. Baluz. pag. 97.

Digitized by Google

aliorum multorum & in aliis pluribus locis publicis & ſecretis ſaepe teſtatus ſum & teſtificor, profeſſus ſum & profiteor me ceſſiſſe libera & ſpontanea voluntate, meamque ceſſionem ratam & gratam habui, nec aliquem actum recordor me unquam feciſſe libentius quam pro pace Eccleſiae ſtatui cedere ad cujus regimen me ſentiebam indignum; cujuſque tantum gravabar quaſi infinito pondere, ut nunquam in illo unicam diem ſciam me habuiſſe quietem. quod, ut ſupra dixi, clarius factis confirmandum duxi quam verbis. Et per haec, quantum ad illorum hortatus quibus petentibus meam vobis voluntatem notifico, ſatis ſcripſiſſe me credo. Reſtat ut vobis, tanquam Domino litteratiſſimo, ad veſtri commonitionem & mei, de contradictione veſtra aliqualiter exponenda ſumam admirationem, omnique poſcenti voluntatis meae & actuum praedictorum reddam juſtiſſimam & evidentiſſimam rationem, quam quiſque animae paſſionibus ſequeſtratus attenderit. In primis igitur rogo firmiter ut veſtra praegrandis circumſpectio arbitretur quod etſi ego a certo tenerem veritatem papatus in tranſacto ſchiſmate fuiſſe apud Dominum Urbanum & ſucceſſores ſuos, ſemper tamen viam ceſſionis in tam colorato ſchiſmate ab utraque partium hoc eſt tota Chriſtianitate diutiſſime approbatam & vehementi inſtantia poſtulatam ita dilexi ut per eam citius & facilius quam per alias vias pacem Eccleſiae dari poſſe ſine ulla dubitatione crediderim, & ideo illam a contendentibus de papam acceptari & * exemptari debere, praeſertim cum ſe ad eam voto & juramento reſtrinxerant, conſtanter tenuerim; quod ſi facere recuſarent, tanquam perjuros votique violatores, ſchiſmaque foventes & notorie nutrientes, ſanctamque Eccleſiam nequiter dividentes, ab ipſa Eccleſia tanquam praeciſa membra fore cenſueram repellendos, ſignanter cum eſſet apud ipſam univerſalem Eccleſiam dubium de papatu; quod ut a ſancta pelleretur Eccleſia, ego in cardinalatu meo quantum potui laboravi, ejuſdem matris Eccleſiae auctoritatem, conſenſum, clamores, querelaſque ſecutus. Quamobrem Piſano Concilio, quantum in me fuit, dedi auxilium, conſilium, & favorem. Defuncto vero ſanctae memoriae Domino Alexandro, & me inſufficiente ad apicem apoſtolatus aſſumpto, non ceſſavi laborem impendere pro pace Eccleſiae integraliter conſequenda. Cumque eſſem in Conſtantienſi Concilio, ſupplicatuſque vobis & olim Gregorio cedentibus vel dejectis cedere vellem, libenter conſenſi, & juxta tenorem cujuſdam per me publice lectae cedulae renuntiare promiſi. Propter aliqua tamen perſonam meam tangentia, item ut liberius executarem promiſſum, de Conſtantia receſſi, & ad Scafuſiam quadam nocte me tranſtuli, prius aliquibus ex Dominis Cardinalibus adviſatis me non recedere ad impediendam vel dilatandam meam in aliquo ceſſionem. Nec modi poſtea contra me tenti meum bonum propoſitum immutarunt. Imo quamprimum fui a Concilio & ſacro collegio requiſitus, in praeſentia quinque Cardinalium libentiſſime ceſſi, ad magnam reputans gratiam Domino Jeſu Chriſto quod ſtatum ad petitionem Eccleſiae univerſalis pro ſequenda unitate dimitterem, quem digne gubernare non poteram. Quis enim ſanae mentis ignorat quod ex debito paſtoralis officii Praeſul ſit obligatus de neceſſitate ſalutis ad deponendum mitram, qui obligatur pro ovibus ad ponendam animam? Quomodo ille poſiturus eſt animam qui non ponit ſubſtantiam? Parcet profecto, juxta beati Gregorii ſententiam, parcet animae qui parcit ſubſtantiae. Sed talis juxta verba Domini non paſtor ſed mercenarius tunc convincitur, ſi non oves paſcens, imo & animam ſuam in tali paſtu condemnans. Ego, doctiſſime Domine, volui oſtendere mundo, in pace procuranda, verum me fuiſſe paſtorem. Ideo illam dignitatis celſitudinem parvipendi, conſiderans, juxta Auguſtini claram propriamque in re praeſenti doctrinam, quod epiſcopalis dignitas fructuoſior mihi eſſet, ſi depoſita gregem Chriſti colligeret quam retenta diſperderet. Nam, ut ipſe ait, qua fronte in futuro ſaeculo promiſſum a Chriſto expectamus honorem, ſi noſter honor impediret in hoc ſaeculo unitatem. Longe quippe, inquit alibi idem Doctor magnus Auguſtinus, eſt glorioſius epiſcopatus ſarcinam propter Eccleſiae vitanda pericula depoſuiſſe quam propter regenda gubernacula ſuſcepiſſe. Ad quae & ſimilia dirigens conſiderationis intuitum, me ceſſiſſe, & poſt in pleniſſima libertate ceſſionem meam verbis & actibus confirmaſſe, ſuaſioneſque aliquorum, qui ut ſuos nutrirent peſtiferos diabolicoſque conatus, me in libertate poſitum ad ſuſcitanda ſcandala incitabant, viriliter contempſiſſe delectat, ita ut maxima indicibiliſque mihi adſit corporalis jucunditas ſpiritualiſque alacritas, quoties praedictorum actuum reminiſcor. Et haec de me ipſo, quantum patitur epiſtolaris anguſtia, dixiſſe ſufficiat; ut ſit gloria Deo, a quo omne datum optimum donumque deſcendit perfectum; item ut peſſimorum hominum refrenetur audacia, qui ſemper nituntur ſeminare zizaniam. De vobis autem, doctiſſime ac nobiliſſime Domine, quid loquar, cum omnem admirationem tranſcendat virum tam clari generis, & qui tantae fuit a multis reputatus virtutis, talem in factis Eccleſiae tenuiſſe proceſſum, pro cujus unitate non ſolum renuntiare, ſed mori, vos ſemper fuiſſe & eſſe paratiſſimum praedicaſtis, pro cujus unitate veſtram renuntiationem directe vel indirecte nullatenus impedire juramento medio confirmaſtis. ut alia ſileam quae in ſcedula conclavis & aliis veſtris oblationibus continentur. Igitur vehementer ſtupent omnes, cum ſola de contendentibus veſtra dignatio remaneret, quare non ſatisfeciſtis Eccleſiae matri veſtrae, quare eam tanto tempore fluctuare feciſtis, poſtquam, ut dixi, ceſſerat olim Gregorius, & ea quae contra vos Piſis facta fuere, juxta tenorem petitionis veſtrae non ſolum revocarentur, ſed declararentur fuiſſe invalida atque nulla. Clamor itaque omnium in hanc deſcendit ſententiam. Quis unquam opinari potuiſſet quod tantus vir illos qui praedicaverant nunquam eum pro pace renuntiaturum Eccleſiae, imo ſimulate fuiſſe viam ceſſionis cum olim Gregorio proſecutum, ſic feciſſet veraces, & ora omnium eum amantium tantis adimpleviſſet ruboribus ut non ſolum pedes eorum nomine ſuo annuntiantium pacem, evangelizantium bonum, ſed etiam facies confuſae ſint. & merito. Expectabant enim & ad ſui excuſationem clamabant quod ubi omnes concordarent, ipſe concordiam adjuvaret. Sed cum Deus diverſitatem gentium & contrarietatem nationum in ſui nominis confeſſionem ſuper modo eligendi ſibi indubitatum vicarium mirabiliter adunaſſet, & tam brevi tempore praeter ſpem omnium in unam ſanctiſſimam miraculoſe concordaſſent perſonam, quam ipſe qui fecit concordiam in ſublimibus ſuis evidenter elegerat, quid dicere in excuſationemque ſui qualemcunque poterant ſuis contradictionibus praeſtare colorem, niſi forte dicerent quod ipſe reſpondit, ſe ſcilicet non eſſe in libertate. O bone Deus, quare tua permittit vera juſtitia tantum homines ſic errare? Reputabat ſe eſſe liberum ut toti Eccleſiae contradiceret, & non liberum ut cum tota Eccleſia concordaret, cum illa ab eo cum magna humilitate pacem quaereret, non conflictum. Quinimo inquam non liber erat qui in caſtro fortiſſimo & muniſſimo reſidebat, ad quod ut libertate debita frueretur ſe declinare reſponderat. Quomodo non liberum hominem tanto tectum auro, tantis pollentem jocalibus pretioſis, tam multis ſtipatum militibus, & circumſeptum armigeris ſuae voluntati parentibus? Quomodo non liberum ad quem niſi de voluntate ſua nullus patet ingreſſus, qui ad eum intrantes, ſi vult, terrere poterit, ſed ab eis terreri non valet? Haec inquam & ſimilia clamitant contra vos. Ego autem attendo quod forte veſtra circumſpecta dominatio alia formidabat quae non dicebat. Timebat forte ſcandala quae propter me poſſent in Eccleſia ſuſci-

tari,

* acceptari.

tari. Et ideo, doctiſſime Domine, expectabatis, prout aliquibus mihi referentibus praedixiſtis, libertatem meam, ut tunc me ratificante ceſſionem meam, etiam vos libentiſſime cederetis. Ecce igitur habetis quod optaſtis, ſi pacem Eccleſiae dilexiſtis. Si ſchiſma, quod jam non ſolum tolerare ſed audire mundus, abhorrere & fugere dignum ducitis, acceleret veſtrae magnitudo prudentiae ad liberandam animam, ad reparandam reintegrandamque famam teſtinet. Quod ſi adhuc ſancto operi veſtrae dominationis reluctatur opinio, deponat humilitas veſtra illam & acriter deteſtatur, cui Eccleſiam univerſalem dicens cum Auguſtino omnis catholicus ſecurus eam partem deteſtetur cui Eccleſiam univerſalem apoſtolicis ſedibus roboratam non communicare cognoſcit. Secure igitur deteſtamini opinionem veſtram, cui Eccleſiam univerſalem contradixiſſe cognoſcitis, & quod plus eſt, non ſolum auctoritative in Concilio univerſaliter, ſed etiam diſcretive & ſingulariter, ita ut nullus fidelis & prudens in tota reperiatur Eccleſia quin veſtram contradictionem exhorreat. Faciatis igitur ſacrificium Deo de opinione praedicta, ſi bono veſtro alterius contradicat. Et venite cum gaudio ad ſacratos pedes Domini noſtri ſanctiſſimi, a cujus mirabili clementia quicquid veſtrae conſcientiae ſalubre, quicquid famae decorum, quicquid perſonae utile ſit, facillime veſtra reverentia impetrabitis. in quo principaliter bonum veſtrum, & paucarum animarum quae vos forte ſequuntur conſidero. Nam quod ad pacem Eccleſiae attinet, illam Chriſti gratia jam ſumus adepti perfectam. Omnes enim Reges, omnia regna, omneſque communitates & dominia Chriſtianitatis unam ſequuntur Eccleſiam, & unicum indubitatumque confitentur Chriſti vicarium praedictum ſanctiſſimum Dominum noſtrum Dominum Martinum divina providentia Papam quintum. Finaliter vero veſtram dominationem exoro quatenus ſi aliquod praedictorum eandem dominationem offendit, magis ad ſinceritatem meae benivolentiae erga veſtram perſonam nobiliſſimam quam ad ipſa verba reſpiciat. Mihi equidem aliqualiter indiſpoſito in perſona & multis in aliis occupationibus non occurrerunt honeſtiora vel humiliora verba nec etiam enodatiores ſententiae ad exprimendum intentum meum dominationi praedictae, cui Chriſtus dare dignetur ſpiritum tranquillitatis & pacis ad exequendum feliciter quae ſuperius continentur.

Incipiunt geſta quibus Atrebatenſium civitas ſub Vrbano Romanae & apoſtolicae ſedis Epiſcopo, excuſſo Cameracenſium ſubjectionis jugo, in antiquam reformatur dignitatem.

Ex Lib. V, Miſc. Baluz. pag. 237.

ANno igitur Dei Chriſti milleſimo nonageſimo ſecundo, tertio Idus Auguſti, defuncto domno Gerardo juniore Cameracenſi Epiſcopo, qui & Atrebatenſi ſedi praefuerat, Atrebatenſis Eccleſia, quae diu proprii paſtoris ſolatio caruerat, in aures domni Vrbani II. Papae diutinum laborem & calamitatem rerumque ſuarum expoliationem gemebunda effudit. Ipſe igitur Papa omnium Eccleſiarum gerens ſollicitudinem, & Atrebatenſis Eccleſiae reminiſcens dignitatem, immo Remenſi metropoli duodecim epiſcopatus redintegrare cupiens, domno Raynoldo venerabili Remorum Archiepiſcopo pro praefata Atrebatenſi Eccleſia ſcripſit in haec verba.

Vrbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Raynoldo venerabili Remorum Archiepiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Noverit tua fraternitas quod Atrebatenſis Eccleſia una ex nobilioribus Eccleſiis Remenſis metropolis fuit, Pontifices viros religioſiſſimos & cetera pontificalia jura firmis rationum monumentis obtinuit. Mandamus itaque tibi atque praecipimus ut illum quem Eccleſia illa canonico conſenſu cleri & populi ſibi in Epiſcopum elegerit conſecrare & eidem Eccleſiae incardinare non differas. Solet enim fieri ut Eccleſiae perſecutionis tempore ſuis ordinibus, ſuis populis, ſubſidiis etiam temporalibus deſtitutae aliis temporaliter committantur Eccleſiis, poſtquam vero his quibus imminutae fuerant Deo diſponente abundare coeperint, priſtinam recipiant dignitatem. Solius enim Apoſtolici eſt epiſcopatus conjungere & conjunctos diſjungere aut etiam novos conſtruere. Fretus itaque noſtra auctoritate id ne timeas adimplere. Voluntatis etenim noſtrae eſt Remenſis Eccleſiae olim duodecim epiſcopatuum dignitatem Deo cooperante in priſtinum gradum revocare.

Vrbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei clero & populo Eccleſiae Atrebatenſis ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Atrebatenſis Eccleſia una ex nobilioribus Eccleſiis comprovincialibus Remenſis metropolis ſolemnibus canonum monumentis ſicta, olim principalis ſedes epiſcopatus fuit, proprium Pontificem habuit, ſuam dioceſim & cetera pontificalia jura firmis antiquitate rationum inſtrumentis obtinuit. Volumus itaque & apoſtolica auctoritate praecipimus ut jugo Cameracenſis ſubjectionis ab Eccleſia veſtra excuſſo, & recepta dignitate primis temporibus rationabili firmitate poſſeſſa, Cardinalem Epiſcopum vobis & Eccleſiae veſtrae utilem eligere & electum per manum Metropolitani veſtri conſecrare & Eccleſiae veſtrae incardinare ſtudeatis. Ei vero qui canonico conſenſu cleri & populi electus fuerit apoſtolica auctoritate interdicimus ne impoſitam ſibi electionem diſſimulatione aliqua hujus novae ordinationis ſubterfugiat. Solet enim fieri ut Eccleſiae perſecutionis tempore ſuis ordinibus, ſuis populis, ſubſidiis etiam temporalibus deſtitutae aliis temporaliter committantur Eccleſiis, poſtquam vero his quibus imminutae fuerant Domino donante abundare coeperint, priſtinam recipiant dignitatem. Data Caſtraneti IV. Nonas Decembris.

Epiſtola Atrebatenſis Eccleſiae ad domnum Rainoldum Archiepiſcopum Remenſem.

REverentiſſimo Patri Raynoldo Remorum Archiepiſcopo Atrebatenſis Eccleſiae clerus & populus orationis aſſiduitatem & fidelem per omnia obedientiam. Dominus noſter Jeſus Chriſtus videns vidit afflictionem Eccleſiae noſtrae tyrannico Cameracenſium jugo olim per multa (annorum volumina) indecenter oppreſſae, ejuſque filiorum prae doctrinae paſtoralis penuria per vitia diverſa labentium periculo condoluit, dum his diebus per domni Apoſtolici Urbani imperium, per noſtri quoque Principis Roberti totiuſque cleri & populi congratulantis aſſenſum, eidem Eccleſiae rectorem proprium reſtituere diſpoſuit. Dei igitur clementiam, ne nos in hoc coepto negotio deſerat, imploramus. Veſtrae quoque paternitatis conſolationem expoſcimus quatenus ad ipſam electionem oratione & jejunio a ſancto ſpiritu quaeſitam clericum diſcretum & nobilem ſeu Abbatem qui in hoc ſacro miniſterio veſtri interſit vicarius a veſtro latere tranſmittere non differatis. Nos enim non dilationis alicujus occaſionem inveſtigare, ſed parati ſumus rationabili juſſioni domni Apoſtolici ad praeſens obedire.

Epiſtola Raimoldi Archiepiſcopi Remenſis Atrebatenſi Eccleſiae delegata.

RAynoldus Remorum Archiepiſcopus Atrebatenſi Eccleſiae ſalutem & benedictionem in Domino Jeſu. Noverit veſtra fraternitas quoniam Cameracenſes clericos ut Remis ad Concilium quod in Dominica qua canitur *Oculi mei ſemper* celebraturi ſumus veniant, & ut ſecum privilegia ſua afferant, quorum auctoritate Eccleſiam veſtram Epiſcopi ſui dominio velint ſubjugare monuimus. Mandamus itaque vobis quatenus ad idem Concilium auctori-

tati-

tatibus ſententiiſque patrum fulti, quas inſuper a beato Remigio inſtitutore veſtro habetis, veniatis, & eas in conſpectu Concilii non timide proferatis. Quod ſi rationes veſtrae victoriae locum obtinuerint, ex domni Papae praecepto & totius Concilii conſilio a veſtro deſiderio non vos fraudari patiemur.

Taliter Atrebatenſis Eccleſia ad Concilium invitata in conſpectu totius Concilii hanc diutinae calamitatis querimoniam effudit.

AUdiat domni Archiepiſcopi providentia, audiat & hujus ſanctae ſynodi congregatio devota querimonias quas in neceſſitate ſua facit ſoror Atrebatenſis Eccleſia. Haec civitas olim ſuo proprio paſtori dicata & ſubnixa ſub ſola ſancta Remenſi Eccleſia, una ex antiquis & nobilioribus civitatibus totius Remenſis metropolis, valuit in omni eccleſiaſtica diſciplina. Quod vero civitatis & nomen & dignitatem obtinueris teſtatur Oroſius Presbyter in libro contra paganos, ſaepius in ſuo tractatu de ipſa faciens mentionem. Sed & chronicales libri de conditoribus urbium certiſſime tractantes Romam & Remis a Romulo & Remo, Sueſſiones vero & Atrebatum a Cneo Pompejo, reliquas circa civitates a quibuſdam Gallis fuiſſe referunt inſtitutas. Quod autem haec civitas ſit, & Epiſcopum proprium habuerit, in Eccleſia Arelatenſi, Viennenſi, Lugdunenſi, immo in hac ſancta Remenſi, ex ſanctorum canonum epilogio colligitur, ubi Gallicanae metropoles & earum ſuffraganeae enumerantur, inter quas & haec civitas Atrebatum a Remenſi quarta & ante Cameracum poſita invenitur. Hinc legitur in vita ſancti Remigii: *Per idem tempus ab Anaſtaſio Imperatore codicillos Hludovvicus Rex pro conſulatu accepit. Sed & Hormiſda Romanae ſedis Pontifex ſancto Remigio antiquae metropolis Epiſcopo, quae tunc temporis habebat ſub ſe duodecim civitates & totidem Epiſcopos eiſdem praeſidentes, vices ſuas in regno Hludovvici commiſit.* Item in vita beati Vedaſti: *Sanctus igitur Remigius divina diſpenſatione & ſalubri ſacerdotum conſilio beatum Vedaſtum ordinavit Epiſcopum, & ad praedicandum verbum vita Atrebatae urbi eum direxit &c.* Item teſtamentum beati Remigii ab ipſo editum Atrebatae urbi principaliter Epiſcopum fuiſſe confirmat hoc modo: *Ego Remigius Eccleſiae Atrebatenſi, cui Domino annuente Vedaſtum fratrem meum cariſſimum Epiſcopum conſecravi, ex dono Hludovvici Regis duas villas in alimoniis clericorum, Orcos videlicet & Sabucetum, deputavi, quibus etiam pro memoria nominis mei viginti ſolidos dari jubeo. Ego Remigius teſtamentum meum relegi, ſignavi, ſubſcripſi, & in nomine patris & filii & ſpiritus ſancti Deo adjuvante complevi.* Proſecuta autem excommunicatione in hujus teſtamenti violatorem primus reſpondit Vedaſtus Epiſcopus: *Cui pater meus Remigius maledixit maledixi, & cui benedixit benedixi. Interfui quoque & ſubſcripſi Genebaldus Epiſcopus.* Lupus Epiſcopus, Medardus Epiſcopus, Benedictus Epiſcopus, Eulogius Epiſcopus idem dixerunt. Quoniam igitur Atrebatenſem Eccleſiam tot & tantis auctoritatibus fretam principalem Epiſcopum patens eſt habuiſſe, civitas eadem ultra priorem modum populoſa, clerus & populus patrii paſtoris abſentiam diutius ſuſtinere non valens, quem olim amiſit, ſibi proprium efflagitat reſtitui. Anno ſiquidem Dei Chriſti milleſimo nonageſimo ſecundo, III. Idus Auguſti, defuncto domno Gerardo juniore Cameracenſi Epiſcopo, qui & Atrebatenſi ſedi ſic utinam ſtuduiſſet prodeſſe quomodo contigit & praeeſſe, praedicta Eccleſia interius & exterius miſerabiliter afflicta in aures domni Romani Pontificis Vrbani diutinum laborem & dolorem effudit. Ipſe igitur pater prudentiſſimus intelligens adveniſſe tempus miſerendi ejus, habens vero poteſtatem male ordinata in priſtinam revocare dignitatem, Atrebatenſi Eccleſiae liberam contulit poteſtatem quatenus ſecundum inſtituta ſanctorum canonum ſibi proprium eligerent Epiſcopum. Tibi etiam, Pater venerabilis Raynolde, ut electum conſecrare non differas delegavit. Quod autem eidem Eccleſiae paſtorem habere deſideranti, eo quod & civitas ſit & valde populoſa & aliquando habuerit, paſtor reſtitui debeat ex ſanctorum patrum ſententiis ſubſequentibus colligi poteſt. Inde enim in una epiſtolarum beati Clementis Papae ſic legitur: *Epiſcopos autem per ſingulas civitates quibus Petrus magiſter meus non miſerat prudentes & ſimplices nobis mittere praecepit. Vos autem per veſtras dioceſes Epiſcopos conſecrate & mittite. In ſingulis vero civitatibus ſingulos, & non binos vel ternos, nec in villis vel caſtellis vel modicis civitatibus, ne vile eorum nomen fiat.* Hinc pulcre proſecutum in Sardicenſi Concilio Epiſcopum eſſe ordinandum in his civitatibus quae Epiſcopos habuerunt, aut ſi qua talis aut tam populoſa eſt civitas quae mereatur habere Epiſcopum. Inde etiam Felix Epiſcopus Selemſelitanus in ſecundo Concilio Africano ita dixit: *Etiam, ſi hoc placet ſanctitati veſtrae, inſinuo ut dioceſes quae nunquam acceperunt Epiſcopos non habeant, & illa dioceſis quae aliquando habuit habeat proprium, & ſi abſcedente tempore, creſcente fide, Dei populus multiplicatus deſideraverit proprium rectorem habere, ejus videlicet voluntate in cujus poteſtate eſt dioceſis conſtituta, habeat proprium Epiſcopum. Ab univerſis dictum eſt: Placet.* Quod autem praedictus Papa hanc rem laudabiliter definivit, & in ejus ſit arbitrio conjunctos disjungere & plures epiſcopatus unire ex beati Gregorii vita vel regiſtro colligitur, qui tres vel quatuor ſaepe univit, & ſaepe unitos disjunxit. Inde etiam Felici Epiſcopo Acropolitano ita ſcribit: *Quoniam Velina, Buxentina, & Blandana, quae tibi in vicino ſunt conſtitutae, ſacerdotis vacare noſcuntur regimine, propterea fraternitati tuae earum ſolemniter operam viſitationis injungimus.* Item Ianuario Epiſcopo Caralis Sardiniae: *Pervenit ad nos in loco qui intra provinciam Sardiniam (ſitus eſt &) Phauſiana dicitur conſuetudinem fuiſſe Epiſcopum ordinari, ſed hanc pro rerum neceſſitate longis aboleviſſe temporibus. Quia autem nunc ſacerdotum indigentia quoſdam illic paganos remanere cognovimus & ferino degentes modo Dei cultum penitus ignorare, hortamur fraternitatem tuam ut illic ſecundum priſtinum morem ordinare feſtinet antiſtitem, talem videlicet qui ad hoc opus moribus ac verbo aptus exiſtat & aberrantes ad gregem dominicum paſtorali ſtudeat aemulatione deducere; quatenus eo illic animarum vacante compendio, nec vos inveniamini ſuperflua popoſciſſe, nec olim deſtructa fruſtra nos reformaſſe poeniteat.* Quocirca, ſancti Patres & Domini, ſub obtentu ſancti ſpiritus, ſub cujus nomine convocati eſtis, reſpicite ſororem veſtram, Atrebatenſem Eccleſiam, eripite a jugo ſervitutis diu injuſte captivatam, ne tandem aliquando taedio affecta poſt veſtigia gregum incipiat vagari a paſtore deſtituta.

Haec in pleno Concilio proclamatione ſed & Eccleſiae ſuae, ut praemoniti fuerant, Atrebatenſes deliberatione perlecta, cum e contra Cameracenſes clerici non ſolum privilegia quibus Atrebatenſem Eccleſiam ſibi poſſidendam vendicarent non afferrent, ſed nec auctoritates ibi perlectas ratione aliqua infirmare praevaluiſſent, domnus Archiepiſcopus, ut pius pater, de ejuſdem Eccleſiae reſtitutione ſollicitus, apoſtolicas litteras ad ſe directas in medium afferri & legi praecepit haec continentes.

Vrbanus Epiſcopus S. S. D. dilecto confratri Raynoldo Remorum Archiepiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Noveris ſua fraternitas quod Eccleſia Atrebat. &c. *ut ſupra pag.* 527.

Ipſo denique Archiepiſcopo jubente allatus eſt ſanctorum canonum liber. Quo aſſumpto Notarius hanc ſententiam in conſpectu omnium perlegit.

Oſius Epiſcopus in Sardicenſi Concilio dixit. Licentia ordinandi Epiſcopum danda paſſim non eſt.

Si

Digitized by Google

Si enim ſubito aut vicus aliquis aut modica civitas, cui ſatis eſt unus Presbyter, voluerit ſibi Epiſcopum ordinari, ad hoc ut vileſcat nomen Epiſcopi & ſummi honoris auctoritas, non debent illi ex alia provincia invitati facere Epiſcopum niſi aut in civitatibus quae Epiſcopos habuerunt, aut ſi qua tam populoſa eſt civitas vel locus qui mereatur habere Epiſcopum, Synodus reſpondit: Placet.

Exurgentes etiam domnus Burchardus Abbas de ſancto Baſolo, Dudo quoque capellanus, qui nuper a facie Apoſtolici fuerant regreſſi, eundem Papam de hoc negotio Archiepiſcopo per eos mandaſſe & praecepiſſe teſtati ſunt, ut ſcilicet in Atrebatenſi Eccleſia Epiſcopum ſine dilatione ordinaret. Super his igitur omnibus ab Epiſcopis ibidem reſidentibus, domno ſcilicet Hugone Sueſſionenſi, domno Elinando Landunenſi, domno Rabbodo Viromandenſi, domno Fulcone Belvacenſi, domno Gerwino Ambianenſi, domno Gerardo Morinenſi, & ab univerſo Concilio conſilium expetivit. Cum vero Epiſcopi cum Archidiaconis & altioribus praeſentis cleri perſonis & quibuſdam Abbatibus à conſilio rediiſſent, inducias tanti diffiniendi negotii ab Archiepiſcopo poſtulaverunt. Videns autem Galcherus Cameracenſium Archidiaconus cum aliis ejuſdem Eccleſiae clericis domnum Archiepiſcopum induciarum petitioni nolle acquieſcere, ſed potius ad obediendum Apoſtolici definitioni inſtare, proſiliens in medium cauſam Atrebatenſis Eccleſiae conatus eſt perturbare dicens Atrebatenſem Eccleſiam non debere jure aliquo proprium Pontificem habere ſeque ipſum vel Cameracenſes clericos in praeſentia domni Papae hoc ipſum eſſe paratos probare. Hoc Archiepiſcopus audiens domno Galberto Praepoſito ceteriſque Atrebatenſibus id dedit conſilii quatenus gratia confirmationis cauſae ſuae & pro reclamantium ſatisfactione praeſentiam Apoſtolici non dubitarent repetere. Annuente igitur univerſo Concilio ſtatuti ſunt octo dies, a Dominica ſcilicet ante aſcenſionem Domini uſque ad ſubſequentem, in quibus utraque pars Apoſtolico ſe praeſentaret, & prius veniens alteram expectaret: Facto igitur ſilentio, domnus Archiepiſcopus ſic tandem cauſam iſtam diffinivit. Et ut hoc pro certo ſcirent, toti ſynodo conteſtans denuntiavit quod ſi pars Atrebatenſium ire negligeret, de hoc negotio eos amplius non audiret. Si vero Cameracenſes ire reſpuerent, in Eccleſia Atrebatenſi ſecundum praeceptum domni Papae ſine dilatione ordinaret Epiſcopum. Qualiter autem Atrebatenſes clerici, Iohannes ſcilicet & Drogo, novem diebus in praeſentia Apoſtolici demorati ſunt, qualiter etiam domnus Papa quod prius ſtatuerat tunc ſecundo confirmaverit, ex ejuſdem litteris perpenditur ſic Archiepiſcopo dicentibus.

Vrbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto in Chriſto fratri & coepiſcopo Raynoldo Remenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Atrebatenſes clerici cum fraternitatis tuae litteris ad noſtram praeſentiam redierunt pro reſtitutione Eccleſiae ſuae ſupplicitér implorantes. Suſtinuerunt autem Cameracenſium clericorum adventum uſque ad tempus quod utriſque in provinciali Concilio fuerat conſtitutum. Ceterum Cameracenſium ante nos nullus advenit. Nos igitur id ipſum repetitis litteris fraternitati tuae ſignificamus, id ipſum praecipimus. Omnino enim volumus ut Remenſis metropolis ad integritatem antiquae dignitatis annuente Domino reducatur. Ideoque omnino praecipimus in Atrebatenſi Eccleſia Epiſcopum ordinandum, niſi forte ejuſdem urbis poſſeſſionem Cameracenſis Eccleſia valeat Romanae auctoritatis privilegio vendicare. Hoc enim juſtitiae ratio exigit, animarum utilitas poſtulat, Eccleſiae honor implorat. Quod ſi forte aemulorum vereris invidiam, & obloquentium latratus pro gravitate tuae religionis horreſcis, quemcumque in praefata Eccleſia te annuente clerus & populus ſecundum Deum elegerit, ad nos cum communi decreto & ſollicitudinis tuae litteris transmittatur. Nos cum divinae gratiae adjutorio, ſalvo Eccleſiae tuae jure, eum tanquam beati Petri manibus conſecrabimus.

His litteris ab Archiepiſcopo reverenter ſuſceptis & lectis, cum a praedictis litterarum latoribus ſecreto quaeſiſſet quam perſonam Atrebatenſis Eccleſia ſibi in Epiſcopum eligendum diſpoſuiſſet, illi autem trium perſonarum nomina, ſicut velle Eccleſiam ſuam ſuſpicabantur, Archiepiſcopo intimaſſent, unam inter alias ſpecialius laudavit, commendavit domnum ſcilicet Lambertum Ghiſnenſem, & ut eligeretur conſilium dedit. Praefatis vero clericis ſuſcepto Archiepiſcopi conſilio inſtantibus ut ſuas cum Apoſtolici litteris tranſmitteret reſpondit non eſſe neceſſarium nec idoneum ut litteris Domini Papae jam ſecundo Eccleſiae Atrebatenſi de ordinatione Epiſcopi diffinitae praecipientibus ſuas ulterius litteras ſubjungeret. Veſtrum enim, inquit, eſt eligere, noſtrum conſecrare. Iidem itaque clerici Archiepiſcopi ſui conſilio inſtructi Atrebatum venientes, ejuſdem Eccleſiæ clero & populo litteras Apoſtolici detulerunt, quarum forma hæc eſt.

Urbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis clero & populo Atrebatenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Duo Eccleſiæ veſtræ clerici confratris noſtri reverentiſſimi Remorum Archiepiſcopi Raynoldi litteras afferentes ante noſtram præſentiam redierunt pro reſtitutione Eccleſiæ veſtræ ſuppliciter implorantes. Suſtinuerunt autem Cameracenſium clericorum adventum uſque ad tempus quod utriſque in provinciali Concilio fuerat conſtitutum. Ceterum Cameracenſium ante nos nullus advenit. Nos igitur id ipſum repetitis litteris ſignificamus, id ipſum præcipimus. Omnino enim volumus ut Remenſis metropolis ad integritatem antiquæ dignitatis annuente Domino reducatur. Ideoque omnino præcipimus in veſtra Eccleſia Epiſcopum ordinari, niſi forte ejuſdem urbis poſſeſſionem Cameracenſis Eccleſia valeat Romanæ auctoritatis privilegio vendicare. Quod ſi ab hujuſmodi noſtræ præceptionis effectu veſter Archiepiſcopus provida diſſimulatione ſubtraxerit, vos quemcumque in paſtorem vobis ipſo conſentiente ſecundum Deum elegeritis, ad nos cum communi decreto & ejuſdem Archiepiſcopi litteris tranſmittere procurabitis. Nos eum ſalvo Remenſis Eccleſiae jure opitulante divina gratia conſecrabimus.

Cognoſcens igitur clerus & populus Atrebatenſis domni Papae voluntatem atque auctoritatem ut ſibi Epiſcopum eligerent jam denuo miſſam, indicto triduano jejunio & letaniis VI. Idus Iulii faciendae electionis diem communiter ſtatuerunt. Ad hanc ergo diem non ſolum propriae ſedis clericos, ſed & convicinae dioceſis quoſdam, inter quos familiarius Inſulanae congregationis Canonicos, ſicut fraternitatis & ſocietatis ſuae amicos, & maxime quia in eadem Eccleſia theſaurum quem deſiderabant commorari noverant, ſcripto ſigillato invitare ſtuduerunt. Scriptum igitur illis miſſum hujuſmodi eſt.

Gualbertus Eccleſiae Atrebatenſis Praepoſitus cum Decano & univerſis Eccleſiae filiis domno Gualtero Inſulenſi Praepoſito, Decano, & ceteris fratribus ſalutem & dilectionem in Chriſto Ieſu. Sicut, fratres dilectiſſimi, vobis non eſt incognitum, Eccleſia noſtra olim Cameracenſium oppreſſione praediis ſuis & ornamentis & omni terreno decore privata, his diebus, cum domno Gerardo defuncto paſtore careret, Apoſtolici Vrbani miſericordiam adiit, ſuamque illi calamitatem anxia patefecit. Ipſe igitur pater prudentiſſimus intelligens adveniſſe tempus miſerendi ejus, ut ſibi proprium deligerent denuntiavit. Quocirca, fratres cariſſimi, per caritatem Dei & dilectionem proximi & per amorem ſanctæ matris Eccleſiæ obteſtamur & obſecramus quatenus ad hanc electionem, quam proxima die dominica ſtatuimus fiendam, tres aut quatuor ex veſtris fratribus, qui nobis tanto operi, cooperante ſpiritu ſancto, conſilium & auxilium ſubminiſtrent, dignemini tranſmittere; inter quos, propulſa omni occaſione, domnum Clarembaldum, domnum Cantorem Lambertum, alium quoque Lambertum de Cummines mittere elaborate. Valete.

Itaque VI. Idus Julii, quae tunc dies dominica habebatur, cum conveniſſet cleri & populi maxima multitudo in Eccleſia ſanctae genitricis Mariae, finitis Miſſarum ſolemniis, invocato ſpiritu ſancto, recapitulatis etiam in pulpito domni Papae litteris in praeſenti ſede Epiſcopum ordinari praecipientibus, domnus Lambertus natione Ghiſnenſis, titulo autem Inſulanae congregationis Canonicus & Praecentor, a Deo vocatus, & ab omni Eccleſia praefata diu deſideratus, in capitulo beatae Mariae prius a domno Praepoſito Gualberto, Guiberto Decano, ceteriſque Canonicis concorditer ex nomine deſignatus, in conſpectu totius Eccleſiae manifeſtatur. Sic igitur Domino annuente electus a clero & tertio acclamatus & collaudatus a populo, licet invitus & multum renitens, eligitur, capitur, & in ſede pontificali inthronizatur. Illo itaque flente & in nullo ut epiſcoparetur conſentiente, Decano autem ſuo Ingelranno ceteriſque Inſulanis Canonicis graviter flentibus & quaſi depraedationem concanonici & Praecentoris ſui aegre ferentibus, recitata eſt ſententia domni Apoſtolici continens hanc formam. *Ei vero qui canonico conſenſu cleri & populi electus fuerit apoſtolica auctoritate interdicimus ne impoſitam ſibi electionem diſſimulatione aliqua hujus novae ordinationis ſubterfugiat.* Perpendentes autem Inſulani Canonici interdictum Apoſtolici, etſi inviti, hac conditione acquieverunt quatenus Eccleſia Atrebatenſis ab Inſulana congregatione cum ſibi in Epiſcopum legitime dari, ſicut canonicum eſt, expeterent. quod & Eccleſia Atrebatenſis ſollicite ſtuduit adimplere. Congratulante igitur tota civitate pro tam canonica diu deſiderati paſtoris patrata electione, Archiepiſcopo litteras ut praedictum electum conſecraret deſtinaverunt. Reſcriptum Archiepiſcopi hujuſmodi fuit.

Raynoldus gratia Dei Remorum Archiepiſcopus domno Gualberto univerſaeque Atrebatenſis Eccleſiae congregationi ſalutem & benedictionem in Domino Ieſu. Scripſiſtis nobis quatenus terminum vobis reſcriberemus in quo electum veſtrum conſecrare vellemus. At quia conſecratio illa non ſolum ad noſtram, verum etiam ad coepiſcoporum noſtrorum poteſtatem juxta canonum ſanctionem pertinere videtur, diem vobis hujus conſecrationis abſque eorundem conſilio haudquaquam reſcribendum eſſe dignum duximus. Sed cum in feſto ſanctae Mariae mediante Auguſto magnum & Epiſcoporum & clericorum conventum Remis habituri ſimus, illud quod ab eis ſuper hoc conſilium acceperimus & terminum in quo eundem electum veſtrum debeamus conſecrare vobis mandare non differemus. Valete.

Ad hanc ergo diem Atrebatenſis Eccleſia iterum ſe domno Archiepiſcopo Remis in his perſonis praeſentavit, domno ſcilicet Abone, Heriberto, Johanne, & altero Johanne; a quibus iterum hujus conſecrationis ſecundas inducias uſque ad omnium ſanctorum ſolemnitatem expetivit. Sed ſaepefata Eccleſia deſolationis diuturno taedio affecta, protelationibus tantis non canonicis annuere non valens, domni Papae manſuetudinem jam tertio repetere procuravit. Ad hoc itaque duo clerici miſſi, Cantor ſcilicet Eccleſiae Odo, cum Johanne Diacono, has litteras domno Papae praeſentaverunt.

Venerabili magnificoque totius ſanctae Eccleſiae Papae Vrbano devotus clerus & populus Atrebatenſis orationem continuam atque ſubjectionem prona mente omnimodam. Gratias immenſas conditori atque reparatori noſtro pleno corde agimus omnium, qui inſpirando movendoque cor tuum, hactenus per multa annorum volumina depreſſos gementeſque viſitare ac liberare dignatus es a jugo novercae noſtrae, ſcilicet Cameracenſis Eccleſiae, ut ad priſtinam libertatem canonico rediremus ſcripto, & apoſtolica auctoritate roboraſti, teſtando Atrebatenſem Eccleſiam unam ex nobilioribus civitatibus Remenſis metropolis & principalem ſedem epiſcopatus fuiſſe, ſuam diœceſim & cetera pontificalia jura habuiſſe, ac ut ſecundum ſacros canones nobis dignum Deo & hominibus eligeremus paſtorem praecepiſti, quod & fecimus in imitatione ſanctorum patrum jejunio triduano, precibus lacrymabilibus, & eleemoſynis nonnullis, Lambertum videlicet Ghiſnenſem, virum religioſum, corda fidelium largo fonte praedicationis irrigantem, ita ut a multis millibus piae plebis clametur quia Propheta magnus ſurrexit in nobis & quia Deus viſitavit plebem ſuam. Hunc itaque cathena obedientiae tuae vinculatum tenemus, praeſtolantes miſericordiam Dei, a quo omnes procedunt benedictiones, per te nobis impleri. Nos etenim, rector ſancte, ut juſſit clementia tua, obediendo tibi per omnia, bis miſimus jam pro ipſius conſecratione Archiepiſcopo Remenſi legationem ut eum aut conſecraret aut cum litteris ſuis tibi conſecrandum dirigeret. Ipſe vero tuo ſancto canonicoque praecepto differens obedire, dilationem invenit animabus fidelium periculoſam ac nulla ratione ſubnixam, ut dignitas tua praeſentium fratrum perpendere poterit relatione. Nunc igitur, pie pater, hac tam gravi neceſſitate compulſi ad te noſtrum ſolum ſub Deo refugium cogimur redire, ut quod ſancte Deoque digne cepiſti, amore ipſius cujus ſanguine ſumus abluti ne differas adimplere. Idque humiliter petimus ut ſumma obedientia infra terminum tuae diſpoſitioni placitum Archiepiſcopo eum praecipias conſecrare, aut adduci jubeas conſecrandum dignitati tuae, ne diverticulando juſſio tua jam tertio Archiepiſcopo injuncta ac in omnibus pene Galliae partibus divulgata videatur annullari.

Compatiens igitur domnus Papa Eccleſiae Atrebatenſis fatigationi, immo Archiepiſcopi tarditatem in hoc tam ſacro finiendo admirans negotio, ſcriptum ſigillatum eidem Archiepiſcopo direxerit in haec verba.

Vrbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei reverentiſſimo confratri & coepiſcopo Raynoldo Remenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Quod de Atrebatenſi Eccleſia conſtituimus, cum pro animarum ſalute multiplici, tum pro veſtrae metropolis redintegratione, tum etiam pro juſtitiae exhibitione perfecimus. Etſi enim in tempore frater fratri, ſoror ſorori, vel annis minor, vel infirmitate defectior committatur, non tamen idcirco, cum ad emancipationem venerit, vel tutelae ejus vel curae legalibus ſanctionibus ſubjacebit. Gravamur igitur quod huic noſtrae conſtitutioni & tuae metropolis reſtitutioni tamdiu tam obſtinaciter reſtitiſti, & electum Atrebatenſis Eccleſiae conſecrare uſque hodie diſtuliſti. Tuae igitur reverentiae praeſentium litterarum auctoritate præcipimus ut eundem electum, poſtquam has litteras videris, infra triginta dierum ſpatium conſecrare procures, omni formidine ſemota, omni diſſimulatione ſepoſita. Quod ſi fortaſſis occultiori aliquo conſilio adimplere nolueris, eum ad nos cum litterarum tuarum aſtipulatione tranſmitte. Si vero & hoc contempſeris, nos eum ad nos venire praecipimus conſecrationis gratiam recepturum.

Epiſtola domni Papae ad electum Atrebatenſem delegata.

URbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto confratri & conſacerdoti Lamberto Eccleſiae Atrebatenſis electo ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Laetamur propter te in Domino, frater cariſſime, quia ipſo diſponente in Atrebatenſi Eccleſia, quae tamdiu proprii paſtoris ſolatio caruit, nunc tandem ſecundum noſtrum praeceptum novus paſtor electus es. Speramus etenim per divinitus tibi datam ſcientiam & religionem quorundam veſtratium relatione nobis inſinuatam maximum eidem Eccleſiae & corporalium & ſpiritualium rerum commodum affuturum. Scire autem te volumus de conſecratione tua Archiepiſcopo (tuo) nos ſcripſiſſe. Tu igitur ejus conſpectui te praeſentare procura. Quod ſi ille infra triginta dies poſtquam noſtras litteras acceperit te conſecrare noluerit, nos te

quan-

quantocius ad nos venire praecipimus. Interim commiſſae tibi Eccleſiae bona interius exteriuſque cuſtodi. Data V. Idus Octobris.

Igitur receptis & lectis Archiepiſcopo domni Papae litteris, electo Atrebatenſi ſcripſit in haec verba.

Raynoldus Dei gratia Remorum Archiepiſcopus dilectiſſimo confratri & conſacerdoti ſuo Lamberto ſalutem & benedictionem in Domino Jeſu. Litteras quas nobis pro conſecratione tua domnus Papa direxit ſuſcepimus, ſed & earum quae tibi directae ſunt exemplar vidimus: quas cum perlegiſſemus, coëpiſcopo noſtro Sueſſionenſi eas tranſmiſimus, & ut ipſe ceteris ſuffraganeis tranſmitteret praecepimus, quatenus ab eis accepto conſilio tuae fraternitati reſpondeamus. Ideoque tibi uſque octavas ſancti Andreae aliquem legatum tuum ad nos deleges mandamus, per quem tuae dilectioni reſcribamus quid ſuper omnibus illis quae de te domnus Papa injunxit acturi ſumus. Vale.

Nos vero (*id eſt*, Atrebatenſes clerici) die ſtatuto legatos noſtros ei miſimus. Sed nec terminum certum conſecrationis nec ejus litteras accepimus. Tamen nos a coepto opere deſiſtere recuſavimus. Electum noſtrum cum his ſubjunctis litteris miſimus ipſi.

Dilecto & in veritate diligendo & honorando Patri & Domino Raynoldo Dei ordinatione Remorum Archiepiſcopo clerus & populus Atrebatenſis Eccleſiae cum Lamberto etſi inutili ſanctitatis ſuae ſervo veram dilectionem cum orationibus & obedientia. Veſtrae excellentiae dignitati multiplices referimus gratias quia hactenus gratanter nobis ut pius pater juvamen exhibuiſtis & benignum vos erga nos in cunctis cauſae noſtrae fore promiſiſtis. Sed paternitatem veſtram miramur plurimum in calce noſtri negotii infrigidatam exiſtere, cum infra terminum ab Apoſtolico veſtrae magnificentiae electi noſtri conſecrationis injunctum nec ſolemniter litteris veſtris, ut arbitrabamur, ad conſecrationem electum noſtrum vocaſtis, nec diem certum infra terminum deſignaſtis. Nunc autem, cum conſecratio deinceps infra tricennalem metam nequit fieri, ſaltem litteras veſtrae auctoritatis, quae Apoſtolico deferantur, ut ipſe juſſit, pro conſecratione noſtri electi nobis dare velitis plurima pace precamur. Valete.

Atrebatenſis itaque electus ex obedientia domni Papae, etſi non multum rationabili invitatione domni Raynoldi Metropolitani ſui ad conſecrationem vocatus, tamen ne arrogantiae aut injuſtitiae adſcriberetur, XVI. Kal. Januarii, quae tunc dies dominica habebatur, Remis ſe Archiepiſcopo praeſentavit juxta tenorem & terminum ſibi a domno Papa conſtitutum. Archiepiſcopus vero accepto aſtutiori quam prudentiori conſilio electum Atrebatenſem cum adſtipulatione & ſuarum & Atrebatenſis Eccleſiae litterarum miſit Romam ad domnum Papam. Igitur Atrebatenſis electus, & domnus Odo Cantor, & Achardus magiſter ſcholarum, & Drogo Albiniacenſis Praepoſitus, cum ſervientibus ſuis VIIII. Kal. Januarii, quae tunc vigilia natalis Domini erat, urbem Remorum egreditur, & apud urbem Cathalaunorum in monaſterio omnium ſanctorum a domno Odone venerabili Abbate Canonicorum ibidem communiter viventium honeſte colligitur, & in natali beati protomartyris Stephani per fratrem Nevelonem praedicti monaſterii ſacerdotem & Canonicum uſque Trecas urbem conducitur. Et licet apud Trecas cum periculo & timore ſit demoratus pro odio Philippi Regis Francorum, & Roberti Comitis Flandriae, tamen Deo miſerante uſque Moliſmum in terram Odonis Ducis cum pace pervenit; ibique domnum Gualterium Duacenſem aliquando Caſtellanum virum religioſum, licet laicum, expectavit. Laetificatus tandem & conſolatus ex adventu domni Gualterii Duacenſis, laborem viarum & difficultatem aggreditur, & apud Divionem memorabile Ducis Burgundiae caſtellum propter recreandos & equos & equites ſuos per duos hoſpitatus eſt dies. Cum autem demoraretur, ſupervenit ibi lucerna ardens & lucens in domo Domini laudabiliter honorabilis & honorabiliter laudabilis domnus Hugo Lugdunenſis Primas & apoſtolicae ſedis Legatus. Cognita Atrebatenſis electi cauſa, venerabilis praedictus Primas & apoſtolicae ſedis Legatus domnus Hugo ipſum electum & omnes ſuos ſecum per magni nominis & religionis virum domnum Abbatem Cluniacenſem amicum & aequivocum ſuum deduxit, & apud Lugdunum per ſex dies pro nimia aquarum inundantia & hyemis aſperitate detinuit & quaeque neceſſaria abunde ſubminiſtravit. Accepta tandem tanti Pontificis benedictione Atrebatenſis electus & conviatores ſui ſecurius iter arripiunt, & poſt multa viarum & hyemis diſcrimina porticum beati Petri Apoſtolorum principis feria ſexta ante Dominicam *Eſto mihi in Deum protectorem* ingrediuntur. Ne autem a Guibertinis aliqua illis inferretur injuria, ſubſequenti ſabbato ſummo in mane domno Urbano Papae ſuum praemittunt electum Romae apud ſanctam Mariam novam tunc commoranti. Ad pedes autem domni Papae Urbani electus ſe proſternens, cum lacrymis petiit a domno Papa ſe ab illa electione abſolvi, dicens ſe non eſſe idoneum, nec debere vocari ad tam importabile onus, tum pro infeſtatione Henrici excommunicati Imperatoris, ad cujus imperium Cameracus hactenus pertinebat, tum pro infeſtatione clericorum & laicorum Cameracenſium divitum, potentum, & ſecundum ſeculum valde ſapientium, necnon etiam pro nimia vaſtatione & paupertate rerum & religionis Atrebatenſis Eccleſiae. Beatiſſimus vero Papa facta abſolutione & data benedictione, ſicut mos eſt apoſtolicae ſedis, ſuſcepit eum in oſculo ſancto, & flocci pendens haec omnia dixit ei: *Frater, non ſunt condignae paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis*, & cetera verba confortatoria quae ad plenum nunc memoriae non occurrunt. Ad ultimum ſubjecit: *Eſne, frater, hoſpitatus*? &: *Ubi ſunt comperegrini tui*? Reſpondit: *Nondum ſum hoſpitatus, ſed ſocios meos apud beatum Petrum in porticu dimiſi*. Hoc audiens Papa ſtatim praecepit adeſſe domnum Daibertum Piſanum Archiepiſcopum, & ait illi: *Hunc fratrem noſtrum Lambertum Atrebatenſem electum in hoſpitium collige, & qualiter ſui & ſua de porticu ſancti Petri ad nos cum ſecuritate deducantur tu & Petrus Leonis quantocius providete*. Quod & factum eſt.

Cum autem opportunitatem ſibi & locum loquendi domnus Papa mandavit, iterum ſicut & prius proſtravit ſe ad pedes ejus, rogans eum quatenus propter Deum ab hac impoſita ſibi electione illum abſolveret. Sed domnus Papa nec huic petitioni aſſenſit. Sed & praedicti Canonici & qui cum eo Romam venerant domnum Papam inſtanter exorant ut eorum & Eccleſiae ſuae miſereatur & electum ſuum conſecrare non differat. Accepto domnus Papa conſilio, die ſtatuto, abſente electo, in praeſentia Epiſcoporum & Cardinalium ſuorum & Romanorum fecit recitare omnem Eccleſiae Atrebatenſis actionem. Quam Romani audientes petierunt ut ſibi Oſtienſis ordinaretur Epiſcopus. Domnus vero Papa, ſicut vir prudens, ne novella Atrebatenſis Eccleſiae plantatio eradicaretur, Romanorum preces in hac parte non ſuſcepit, ſed poſt aliquot dies ſecreto alloquitur ſaepedictum electum, & in nomine Domini & ex parte beati Petri praecepit ei hanc obedientiam ſubire in remiſſionem peccatorum ſuorum. Ille tandem acquieſcens divinae ordinationi & apoſtolicae obeditioni conſecratur in Epiſcopum Romae apud ſanctam Mariam novam a ſaepius jam dicto domno Apoſtolico Urbano anno Dei Chriſti MXCIII. XIV. Kal. Aprilis, quae tunc Dominica *Laetare Jeruſalem* habebatur, ſub teſtimonio venerabilium Epiſcoporum Iohannis Tuſculani, Humbaldi Sabinenſis, Iohannis Portuenſis, Brunonis Signenſis, domni

quoque Daiberti Piſanorum Archiepiſcopi, & Cardinalium Presbyterorum, & maximae multitudinis Romanorum.

Confirmatus autem Epiſcopus Atrebatenſis, ſicut canonicum eſt, privilegio & auctoritate litterarum apoſtolicae ſedis, praemiſit Drogonem cum quibuſdam ſociis ſuis, poſtmodum vero Odonem Cantorem & Achardum magiſtrum ſcholarum. Ipſe vero aſſociatus domno Radulpho Turonenſi Archiepiſcopo, retento ſecum Gualtero Duacenſi, in ſexta feria de Dominica *Quaſi modo geniti* Romam egreditur, & apud Oſtiam mare intrat, & poſt aliqua tempeſtuoſa pericula portum Piſanum ſatis deſideratum occupant, & inde Odonem Cantorem & Gualterum Duacenſem ad Cluſam praemittunt. Ibi invento * Auxienſi Archiepiſcopo Petro, rurſum Turonenſis Archiepiſcopus & Atrebatenſis Epiſcopus mare intrant & apud Ianuam anchoram figunt. Dimiſſo ibi Auxienſi Archiepiſcopo, Turonenſis & Atrebatenſis comperegrini apud Cluſam Longobardorum aſſociati, conviatoribus Odone Cantore & Gualtero Duacenſi, uſque Lugdunum proſpere perveniunt, ibique diſcedunt. Et ſic, Deo miſerante, domnus Lambertus in die Pentecoſtes a clericis & civibus Atrebatenſibus devote ſuſcipitur, & ante horam tertiam in pontificali ſede per auctoritatem beati Petri & obedientiam Romanae Eccleſiæ inthronizatur. Quoniam vero compendioſam digreſſionem fecimus, ad rei geſtæ ordinem rurſum ſtilum noſtrum convertamus.

Domino & reverentiſſimo ſanctae & apoſtolicae ſedis Papae Vrbano Raynoldus, licet indignus, Dei gratia Remorum Archiepiſcopus ſalutis, obſequii, debitaeque ſubjectionis munus uberrimum in Domino. Poſt directas primum nobis a paternitate veſtra litteras placuit veſtro, ſereniſſime Pater, apoſtolatui ut iterum alias nobis dirigeretis, praecepto praecipientes quatenus infra triginta dierum ſpatium poſtquam veſtras litteras videremus Atrebatenſis Eccleſiae electum in Epiſcopum conſecrare non differremus. Addidit & hoc ſolertia veſtra, ut ſi aliqua nobis occurreret cauſa qua munus illud aggredi formidaremus, cum vobis cum litterarum noſtrarum adſtipulatione conſecrandum dirigeremus. Suſceptis igitur hujus veſtrae praeceptionis apicibus, ne quid inconſultis coepiſcopis noſtris & conſacerdotibus praeſumeremus, cum conſtet utique tam ex eorundem quam ex noſtra auctoritate eandem pendere conſecrationem, mandatorum veſtrorum ſchedulam ad univerſos ad quos potuimus direximus, ſingulorumque ſciſcitati ſumus ſententiam quatenus illud nobis ſuper hac re conſilium providerent quod nec veſtrae obeditioni obverſaretur & ex quo Remenſis Eccleſiae dignitas non imminueretur. Itaque haec omnium & Epiſcoporum & clericorum noſtrorum una vox fuit & ſententia ut nos quidem ab electi illius conſecratione manum ſuſpenderemus, ſed eum vobis, cum hoc veſtrae praeciperent litterae, tranſmitteremus, & quicquid inde altitudinis veſtrae ſolertia faciendum decerneret arbitrio veſtro relinqueremus. Timuerunt enim & timent ne Cameracenſes ex hoc facto accepta occaſione ſe a Remenſi Eccleſia abrumperent, cum & civitas eorum alterius regni habeatur, & regni cujus Rex nobis & Eccleſiae Romanae jam & ex longo tempore inimicatur. Addiderunt etiam damnoſam admodum fieri commutationem, ſi dum Remenſis Eccleſia Atrebati Epiſcopum fieri conſentiret, Cameracum, quae ſexies quam Atrebatum & continentior & locupletior eſt, amitteret. Obſecramus ergo excellentiam veſtram, Pater ſanctiſſime, obſecrant & Epiſcopi & clerici noſtri, quatenus vos, qui in arce & in ſpecula omnium Eccleſiarum praeſidetis, negotium ita temperetis ut nec quiſquam, quod abſit, decretorum veſtrorum inde diſpoſitionem reprehendat, nec Remenſis Eccleſia ullam ſuae dignitatis jacturam veſtris in temporibus ſuſtineat. Nos tamen, qui veſtris obſecundandum deliberationibus perpetuo propoſuimus, quicunque ſit modus conſecrationis, ubi eum dignitas veſtra conſecrarit, conſecratum benigne ſuſcipiemus, ſuſceptumque ſicut Epiſcopum & ſuffraganeum noſtrum deinceps honorabimus. Ceterum veſtram noſſe volumus celſitudinem nos nequaquam rem hanc ideo tamdiu diſtuliſſe ut aut veſtris unquam juſſionibus obſiſtere enitamur, aut ut Domino illi in aliquo derogemus. Eum non hoc duntaxat honore dignum eſſe cenſemus, ſed cujuſvis alterius promotionis apicem ei merito conferendum adjudicamus. Valeat beatitudo veſtra incolumis in Domino.

Vrbano Dei gratia Papae, zelo boni ferventiſſimo, ac Eccleſiarum reſtauratori excellentiſſimo, Eccleſia Atrebatenſis ſummatim reſpirans, depulſo jugo indebitae ſervitutis, vivere vigereque perenniter in Chriſto, cum orationum & obedientiae munere. Sanctitatis veſtrae paternitati praedicabili agimus quamplures gratias, & licet quaterno itinere fatigati, virtutem tamen in vobis perſeverantiae & extollimus & amplectimur, quoniam in reſtitutione Eccleſiae noſtrae non invenitur in vobis eſt & non, ſed ſpiritu ſancto innuente viſitati a vobis antiquae donamur libertati & propriae dioceſis jura mancipamus. Omne igitur collegium perfectorum, quia ſoſpitas recuperata unius commembri fit gaudium totius corporis Chriſti. Sicut autem juſſit veſtra ſublimitas, litteras veſtras de noſtri electi conſecratione Archiepiſcopo tradidimus, eundemque electum infra tricennalem terminum a veſtra auctoritate conſtitutum praeſentavimus. Quod vero eum conſecrare diſtulerit, non ipſius negligentiae, ſed Dei, a quo omnis poteſtas, ordinationi attribuimus. Quas tamen dilationis protulerit cauſas fratribus referentibus ſeriatim ſcietis. Nunc ergo ad veſtram excellentiam cum paucis fratribus pro temporis anguſtia, periculorum inſtantia, rerum quoque diu afflictae Eccleſiae penuria, tranſmittimus conſecrandum, obnixe pro Chriſto & in Chriſto ſupplicantes ut ſublimatus pontificali infula nobis indilate remittatur noſter electus, quia nobis plurimum eſt neceſſarius, exiſtens animarum noſtrarum peritiſſimus medicus. Hinc etiam ſanctitatem veſtram affluentem miſericordia precamur quo ſervulis veſtris hoc privilegium velitis dare ne deinceps quibuslibet forte proclamationem excitantibus hujus canonicae incardinationis debeamus reſpondere: quoniam quod ſemel conſtat bene diffinitum, perpetualiter debet manere inconvulſum. Simulque praecipiat auctoritas veſtra ut diviſio duorum regnorum, Francorum ſcilicet & Teutonicorum, ſit epiſcopatus noſtri meta, ſicut antiquis temporibus fuiſſe per ſucceſſorum relationem & alia certa indicia cognovimus, ne aliquando lis inde oriatur, vel nefas diſcordiae efficiatur. Decet namque ſanctitatem veſtram ad finem uſque bonum perducere quod conſtat vos laudabiliter incepiſſe.

Vrbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto fratri & coepiſcopo Raynoldo Remenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Decuerat fraternitatis tuae prudentiam ad reparandam dignitatem commiſſae tibi Eccleſiae diligentius inſudare. Miramur ergo quod nunc quoque Cameracenſium injuſtis clamoribus aures inclines ut eis Atrebatenſis ſubiciatur Eccleſia, cum conſtet eos ipſum quoque Eccleſiae ſuae clericum, quem ſecundum litterarum veſtrarum tenorem ſibi unanimiter elegerunt, non niſi per manum excommunicati & haeretici velle ſuſcipere. Propter quod ſolum debitae etiam dignitatis merentur detrimenta ſentire. Illud autem nullo modo verearis ut ſub hac occaſione ſuum in Cameracenſi Eccleſia jus metropolis Remenſis amittat. Quiſquis enim illic niſi per Remenſem Archiepiſcopum praeſumpſerit ordinari, una cum ordinatore ſuo diſtrictionis apoſtolicae gladio ferietur. Quamobrem tuam ſollicitudinem expedit vigilanter inſiſtere ut utraque Eccleſia Cardinali non deſtituatur Epiſcopo, niſi forte Cameracenſes pri-

* *Leg.* Axienſi, *id eſt, Aquiſextienſi. Atrebatenſes clerici neſciebant Latine reddere nomen ipſius Archiepiſcopi, qui vulgo vocatur* l'Archeveſque d'Aix.

Digitized by Google

privilegium Romanae auctoritatis oſtenderint quod eis Atrebatenſem ſubdat Eccleſiam. Vnde fraternitas tua eos praemouere procuret quatenus in proxima quadrageſima, cum Atrebatenſes pro electi ſui confirmatione ad nos venerint, ipſi quoque cum Eccleſiae ſuae auctoritatibus noſtrae ſe audientiae repraeſentent. Porro electionem quam de communi filio Manaſſe eos generaliter feciſſe ſignificaſti collaudamus & confirmamus, niſi quaelibet talia obvitent quae ſanctis debeant canonibus coerceri. Quod ut ad effectum veniat, Cameracenſes ipſos a ſacramento illo temerario parati ſumus abſolvere, ſi tamen & ipſi electum ſuum recipere & de temeritate illa parati fuerint ſecundum tuum conſilium pœnitentiam exhibere. Alioquin datam in eos a fraternitate tua interdictionis ſententiam confirmamus.

Vrbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis fratribus & coepiſcopis Raynoldo Remenſi & ſuffraganeis ejus ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Cum Atrebatenſes clerici electum ſuum cum decreto communi præſentiæ noſtræ exhibuiſſent, nos eos apud nos integro mentis ſpatio retinuimus, Cameracenſium præſtolantes adventum, ſi forte aliquod munimentum afferrent per quod Cameracenſi Eccleſiae Atrebatenſis videretur eſſe ſubjecta. Ipſi autem, ſicut in praeteritis terminis, ita & nunc, nec venerunt, nec cauſas cur non venerant direxerunt. Nos igitur juſtam omnino cauſam Atrebatenſium perpendentes, & labores pro Eccleſiae ſuae reſtitutione jam diutinos apoſtolica manſuetudine reſpicientes, ſanctorum canonum decretis & apoſtolicae ſedis auctoritate muniti, religioſum & ſapientem virum Lambertum, quem ad nos deduxerunt, beato Vedaſto & ſanctis aliis Pontificibus qui in Atrebatenſi Eccleſia quondam praeſederunt tandem largiente Domino inſtituimus ſucceſſorem, ſalva in omnibus Remenſis metropolis reverentia, quam videlicet multis retro temporibus imminutam nunc tandem per humilitatem noſtram omnipotens Dominus in parte hac redintegrare dignatus eſt. Eum itaque ad vos cum litteris praeſentibus remittentes caritati veſtrae attentius commendamus, rogantes ac praecipientes ut ei ad redintegrandum commiſſae ſibi Eccleſiae ſtatum tanquam confratri & coepiſcopo ſollicite aſſiſtatis. Nos ſiquidem auctore Deo legitimum ſempiternum ſtatuimus ut Atrebatenſis Eccleſia Cardinali deinceps potiatur Epiſcopo. Quod annuente Deo & religionis augmento & animarum ſaluti & temporali ipſius Eccleſiae relevationi plurimum credimus profuturum. Nunc tuae ſollicitudinis intereſt, frater cariſſime Raynolde, qui tam Atrebatenſi Eccleſiae quam Cameracenſi Metropolitani auctoritate praeſidere cognoſceris, eos omnes qui ſecundum privilegii noſtri tenorem ad Atrebatenſem videntur pertinere parrochiam ad Epiſcopi Atrebatenſis obedientiam tuis litteris invitare & ſententiam noſtram tuis ſuffragiis proſequi, ut quicunque in duabus archidiaconiis, videlicet Atrebatenſi & Obſtrevandenſi, clerici ſunt, a profeſſione Cameracenſis Eccleſiae abſolvantur. Si qui vero obedire contempſerint, quamcumque in eos ſententiam ipſe epiſcopali moderatione dictaverit firma permaneat.

Urbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Alardo Atrebatenſi, Bernardo Obſtrevandenſi Archidiaconis, & omnibus Præpoſitis atque Decanis, cum omnibus clericis qui in prædictis archidiaconiis ſunt, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Apoſtolicæ ſedis nos compellit auctoritas univerſis per orbem terrarum Eccleſiis providere & ſua jura poſcentibus paterna compaſſione ſuccurrere. Quia igitur Atrebatenſis Eccleſia multis jam temporibus propria carens dignitate Cameracenſis Eccleſiæ jugum pertulit, dignum profecto duximus ut propitiante Domino amiſſa ei dignitas ex apoſtolicæ ſedis benignitate reſtitueretur. Neque enim ſubjectionem Atrebatenſis Eccleſiæ aliquod Romanæ auctoritatis chirographum Cameracenſibus vendicat, & Atrebatenſis urbis populoſitas longe illam cui hactenus ſubdita fuerat antecedit. Et canonum itaque decretis & prædeceſſorum noſtrorum exemplis freti nunc tandem annuente Domino Atrebatenſium votis juſtis & petitionibus importunis effectum dedimus, & venerabilem virum Lambertum, quem communi aſſenſu electum ad nos cum communi decreto deduxerant, in Epiſcopum conſecravimus, & quæque ad Atrebatenſem parrochiam antiquitus pertinuiſſe noſcuntur ipſi & ipſius ſucceſſoribus perpetuo regenda & epiſcopali jure poſſidenda privilegii noſtri auctoritate firmavimus, nominatim archidiaconias duas, quarum una Atrebatenſis, altera dicitur Obſtrevandenſis. Veſtram ergo dilectionem litteris præſentibus admonemus atque præcipimus ut ei deinceps tanquam Cardinali Epiſcopo & tanquam beati Petri manibus conſecrato ſubeſſe & obedire curetis. Unde & vos & clericos univerſos qui in prædictis archidiaconiis ſunt a profeſſione Eccleſiæ Cameracenſis abſolvimus. Si qui vero inter vos hujus noſtræ conſtitutionis tenore perſpecto prædicto confratri noſtro Atrebatenſi Epiſcopo obedire contempſerint, quamcunque in eos ſententiam ipſe epiſcopali moderatione dictaverit auctoritatis noſtræ pondere firma permaneat. Data Romae VIIII. Kal. Aprilis.

Urbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Aloldo ſancti Vedaſti, Richardo Marcianenſi, Alberto Haſnonenſi, Hamerico Aquicinenſi Abbatibus, item Abbatiſſae ſanctae Ragenfredis, & Abbatiſſae Strumenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Apoſtolicae ſedis &c. *ut ſupra uſque* dignum duximus ut ejuſdem Eccleſiae filiis amiſſam repetentibus dignitatem, noſtrae benignitatis inclinaremus aſſenſum. Neque enim &c. *ut ſupra uſque* epiſcopali jure poſſidenda firmavimus, nominatim &c. *ut ſupra uſque* dictaverit firma permaneat. Datum *ut ſupra*.

Vrbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Roberto Flandrenſium Comiti ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Magna tibi exultatione gratulandum eſt quod Eccleſiae quae in tua ditione ſunt tuis temporibus amiſſam recipiunt dignitatem. Ecce enim Atrebatenſis civitas, quae in comitatu tuo principalis eſt, ex apoſtolicae ſedis auctoritate Cardinalem recepit Epiſcopum. Eum ergo & ei commiſſam Eccleſiam nobilitati tuae litteris praeſentibus commendamus, rogantes & in peccatorum tuorum remiſſionem praecipientes ut eum debita obedientia venereris, tuearis, adjuves, atque ad reſtituenda ipſius Eccleſiae bona auxilii tui brachium modis omnibus porrigas. Data Romae II. Kal. Aprilis.

Urbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto in Chriſto fratri Lamberto Atrebatenſi Epiſcopo noſtris manibus conſecrato ejuſque ſucceſſoribus canonice ſubſtituendis in perpetuum. Liquet ſanctorum canonum inſtitutis integram eſſe provinciam & metropolitanum proprium debere ſortiri quae duodecim conſtat epiſcopatibus. Secundam igitur Belgicam conſtat integritatem provinciae obtinere, quæ duodecim quondam ſcitur Epiſcopos habuiſſe, & Remenſem Eccleſiam jure metropolitanam haberi, quæ tot ſoleat ſuffraganeis eminere. Ceterum peccatis exigentibus accolarum, cum irruentibus barbaris urbes quædam detritæ ſunt, duodecim ille numerus imminutus eſt. Inter quas Atrebatum nobilis quondam & populoſa civitas, quæ per beatum Remigium Epiſcopum Vedaſtum obtinuit, poſt nonnullorum antiſtitum obitum epiſcopalis cathedræ perdidit dignitatem, & per nonnulla tempora Cameracenſi Epiſcopo ſubdita obedivit. Porro noſtris temporibus ſupernæ miſerationis reſpectu prædicta civitas in ejuſmodi ſtatum reducta eſt ut & populi frequentia & divitiarum abundantia Cameracenſem ſuperet civitatem. Dignum igitur ſpiritui ſancto & auctoritati apoſtolicae viſum eſt ut Atrebatenſi Eccleſiae Cardinalis reſtitueretur Epiſcopus. Sanctum enim Sardicenſe Concilium ſtatuit non paſſim Epiſcopum ordinari niſi aut in civitatibus quae Epiſcopos habuerunt, aut quae tam populoſae ſunt ut habere mereantur Epiſcopum. In ſecundo quoque Concilio Africano decernitur ut illa dioe-

dioeceſis quae aliquando habuit Epiſcopum, habeat proprium, & ſi accedente tempore, creſcente fide, Dei populus multiplicatus deſideraverit habere proprium rectorem, ejus videlicet voluntate in cujus poteſtate eſt dioeceſis conſtituta, habeat proprium Epiſcopum. Beatus quoque Gregorius in Sardinia apud Phauſianam oppidum ſecundum priſtinum modum reordinari praecepit antiſtitem. Et nos ergo Atrebatenſis Eccleſiae reſtitutioni & Remenſis metropolis redintegrationi pro noſtri officii debito imminentes, te, frater cariſſime Lamberte, cleri plebiſque conſenſu electum unanimi, beato Vedaſto & ſanctis qui in urbe ipſa quondam praeſedere Pontificibus conſtituimus ſucceſſorem. Per praeſentis itaque privilegii paginam legitimum perpetuum ſtatuimus ut Atrebatenſis Eccleſia deinceps Cardinalem ſemper Epiſcopum ſortiatur. Quicquid autem praedictae Eccleſiae beatus Remigius contulit, quicquid antiquis temporibus, dum epiſcopali dignitate polleret, eam poſſidere conſtiterit, ſalvis legalibus inſtitutis & Romanae Eccleſiae privilegiis, ratum tibi ac tuis ſucceſſoribus ſancimus permanere; in quibus nominatim archidiaconias duas, quarum una Atrebatenſis, altera dicitur Oſtrevandenſis, praefatae Eccleſiae confirmamus; & illos omnino limites inter Atrebatenſem & Cameracenſem Eccleſias fore praecipimus quos antiquitus fuiſſe vel ſcriptorum munimentis vel territoriorum diremptione vel certis aliquibus indiciis potuerit comprobari; ut annuente Deo Eccleſiarum pax nulla occaſione turbetur, & quae pro fidelium ſalute ſtatuta ſunt perenni tempore inconvulſa ſtabilitate perſiſtant. Sane ſi quis in craſtinum Archiepiſcopus aut Epiſcopus, Imperator aut Rex, Princeps aut Dux, Comes aut Vicecomes, Judex aut perſona quaelibet magna vel parva, hujus noſtri privilegii paginam ſciens, contra eam temere venire tentaverit, ſecundo tertiove commonitus ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reumque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo corpore & ſanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti alienus fiat, atque in extremo examine diſtrictae ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco juſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatinus & hic fructum bonae actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem praemia aeternae pacis inveniant.

Scriptum Romae per manum Bonihominis Scriniarii ſacri palatii.

Datum Romae per manum Johannis ſanctae Romanae Eccleſiae Diaconi Cardinalis x. Kal. Aprilis, indictione II. anno dominicae incarnationis MXCIII. pontificatus autem domni Vrbani II. Papae VII.

Recitatum eſt autem hoc privilegium in Claromontenſi Concilio ex praecepto domni Vrbani Papae II. cui ipſe praeſedit, & cum eo Cardinales Romani, Archiepiſcopi XIII. Epiſcopi CC. & XXV. Abbates vero XC. & ex eo amplius, exceptis honeſtis & religioſis diverſarum regionum & provinciarum clericis & laicis; & intente & ſub magno ſilentio ab omni conſeſſu Concilii auditum, collaudatum, & confirmatum eſt III. Kal. Decembris, indictione III. anno dominicae incarnationis MXCIV. pontificatus autem domni Vrbani II. Papae VIII.

Reverendis Patribus Domino Manaſſe Praepoſito, L. Decano, cum omni capitulo ſanctae Remenſis Eccleſiae, Lambertus Atrebatenſis ſedis ſervus inutilis ſe ipſum & aeternam in Domino ſalutem. Cum ſciamus non latere diligentiam veſtram quod quantocius potuimus domno Archiepiſcopo litteras domni Papae Vrbani ſibi & ſuffraganeis ſuis pro me miſſas per domnum Lambertum monachum virum religioſum miſerim, litteras quoque impedimenti mei veniendi ad ſanctam Remenſem ſedem non praetermiſerim, poſtmodum vero per domnum Hugonem ſancti Dionyſii Abbatem excuſationes canonicas mandaverim, ſatis miror quod needum aliquid conſolationis aut pietatis nec ab ipſo nec a vobis ſuſcipere meruerim, ſed me praeoccupatorem Atrebatenſis ſedis & quaſi contemptorem ſanctae Remenſis Eccleſiae per Abbatem Aquicinenſem & per monachos Marcianenſes nos nominare complacuit. Sed novit Dominus, cujus oculis ſunt nuda & aperta omnia, inſuper apoſtolica ſedes, quam rogatus, quam coactus, immo apoſtolicae obedientiae auctoritate ligatus praedictae Atrebatenſi ſedi deſervire compulſus fuerim. De quaſi contemptu autem veniendi apud ſanctam Remenſem ſedem, unde placuit domno Archiepiſcopo nos arguere, ſatisfacere vobis paratus ſum per praeſentes fratres noſtros. Noſtis enim & inopiam ſedis noſtrae & difficultatem viarum & tempeſtatem bellorum & odium Cameracenſium in nos & quorundam aliorum in via poſitorum. Proſtratus itaque ſanctitatis veſtrae pedibus, ut me in verbo veritatis audiatis & excuſatum me habere velitis ſuppliciter exoramus ut domno Archiepiſcopo ſuggerere velitis ut ſuper nos & ſuper Eccleſiam nobis commiſſam viſcera miſericordiae ſuae aperiens ſecundum tenorem litterarum a domno Papa ſibi tranſmiſſarum, eaſdem litteras ſuis ſuffragiis proſequatur. Vt autem omnem occaſionem contemptus a nobis removeatis, profeſſionem noſtram per hos fratres noſtros praeſentamus, eandem facturi cum ad vos Deo miſerante cum ſalute advenire poterimus.

Reverendo Patri & Domino ſuo Raynoldo Dei gratia Remorum Archiepiſcopo Lambertus ſanctae Atrebatenſis ſedis ſervus inutilis cum debita ſubjectionis reverentia, quod oculus non vidit, & auris non audivit, nec in cor hominis aſcendit. Cum paternitati veſtrae quantocius potuimus litteras domni Papae Vrbani, noſtras quoque noſtri impedimenti cauſas continentes mittere ſtuduerimus, valde durum nobis videtur quod neque ex tenore litterarum domni Papae neque ex ſupplicatione litterarum noſtrarum aliquid nobis reſcribere placuit, ſed per Abbatem Hamericum Aquicinenſem, quod manſuetudinem veſtram non decuiſſet, litteras nobis delegaſtis, in quibus nos praeoccupatorem ſedis Atrebatenſis nominaſtis, & ne Abbates ad obedientiam Eccleſiae noſtrae, ſecundum quod miſſae eis à domno Papa litterae praecipiunt, commonerem mandaſtis. Nos vero rurſus per communem filium veſtrae & noſtrae Eccleſiae domnum Hugonem ſancti Dionyſii Abbatem cauſas impoſſibilitatis noſtrae veniendi ad vos in praeſentiarum diſcretioni veſtrae intimare ſtuduimus. Sed ſuper his omnibus nec primo nec ſecundo aliquid ex affectu pietatis nec alicujus compaſſionis legationem veſtram ſuſcipere meruimus; ſed per monachos Marcianenſes pro cauſa domni Alardi Archidiaconi & pro excommunicato in aſſultu Eccleſiae ſine confeſſione & viatico defuncto, quamquam vobis aliter relatum ſit, litteras direxiſtis, in quibus nos quaſi contemptorem Remenſis Eccleſiae inſinuare voluiſtis; quamquam non lateat prudentiam veſtram nos hanc ſedem non praeoccupaſſe, ſed coactos & conſtrictos & apoſtolicae auctoritatis obedientia eandem ſedem obtinuiſſe. Ne autem quaſi contemptor ſanctae Remenſis Eccleſiae videar in oculis miſericordiae veſtrae, hos fratres noſtros in perſona & verbo noſtro pro excuſatione noſtra ſatisfacturos tranſmittimus. Precamur itaque clementiam veſtram ut per praeſentes fratres noſtros, tum pro caritate ſpiritus ſancti, tum pro dilectione & reverentia domni Papae, noſtram profeſſionem interim ſuſcipiatis, conſimile opus miſericordiae nobiſcum facientes quod in apoſtolica benevolentia tempore veſtrae profeſſionis conſecuti eſtis. Cum autem Deo miſerante ad vos proficiſcendi facultas attributa fuerit, quod nunc per fratres noſtros facimus, tunc Deo volente in propria perſona nos facturos profitemur. Exoramus etiam paternitatem veſtram ut litteras domni Papae, quemadmodum vobis ſcripſit, veſtris ſuffragiis proſequamini. Domnum Alardum Archidiaconum & Abbates & cauſas eorum intuitu veſtri amoris, ſi litteris domni Papae obedierint, benigne tractabimus. Benevalete in Domino ſemper, Reverende Pater & Domine.

Ego

Digitized by Google

Ego Lambertus Atrebatenſis ſedis ordinatus Epiſcopus tibi, paſtor Raynolde, & privilegio Remorum Eccleſiae tuiſque ſucceſſoribus ſecundum ſacros canones & decreta ſedis apoſtolicae ex ſacris canonibus ac legibus promulgata pro ſcire & poſſe me obediturum promitto. Pro ejuſdem quoque Metropolitani publicis & privatis negotiis ſtudio, conſilio, ſocietate me elaboraturum & abſque illius conſenſu nullum me praebere in magnis negotiis vel ordinationibus aſſenſum niſi in eo quod pertinet ad propriam parrochiam meam profiteor, & huic profeſſioni meae coram Deo & ſanctis ejus, ſub teſtimonio quoque praeſentis Eccleſiae, ſubſcribo in nomine patris & filii & ſpiritus ſancti. Amen.

Facta eſt autem haec profeſſio Remis menſe Septembri XI. Kal. Octobris, die natali beati Matthiae Apoſtoli & Evangeliſtae, indictione II. anno autem Dei Chriſti MXCIV.

Rainoldus Dei gratia Remorum Archiepiſcopus glorioſiſſimo Principi domino Roberto Flandrenſium Comiti ſalutis & benedictionis ubertatem in Domino. Dilectionis veſtrae litteras benigne ſuſcepimus, ſuſceptaſque gratanter perlegimus. Quoniam itaque in ipſis ut nobis quid animi ſuper ordinatione dilectiſſimi fratris noſtri Lamberti Atrebatenſis Epiſcopi haberemus rogaſtis vellemus remandare, nolumus lateat cariſſimam nobis prudentiam veſtram nos ipſum plurimis diebus, ut quod de eo agendum erat legitime ex Epiſcoporum noſtrorum conſilio fieret, detinuiſſe, ad ultimum in Concilio quod Remis cum coëpiſcopis noſtris atque principibus multis XV. Kal. Octobris habuimus juxta domini Papae Vrbani praecepta, quibus inobedire nefas eſt, conſilio & aſſenſu coëpiſcoporum noſtrorum more eccleſiaſtico ipſius profeſſionem ſuſcepimus ejuſque conſecrationem confirmantes confirmavimus. Vnde veſtrae mandamus ſollicitudini quatenus eundem amodo cum debito honore, cum debita reverentia ſuſcipiatis, ejuſque laboribus publice & privatim pro amore Dei communiceitis, ſed & in quantum eccleſiaſtica permittit ratio ei ut paſtori veſtro, ut Epiſcopo veſtro obediatis. Valete.

Rainoldus Dei gratia Remorum Archiepiſcopus cariſſimo filio ſuo Lamberto conſacerdoti & coëpiſcopo quod ſibi in Domino. Canonicum iſtum, videlicet Engelbertum, ſcias a nobis abſolutum eſſe. Ceteros vero qui excommunicationis noſtrae cauſa jam ad te pervenerunt vel venturi ſunt volumus & mandamus quatenus & illos abſolvas & ſub regulari regimine, ubi corporis & animae conſolationem habere poſſint, collocare ſtudeas quouſque illorum Eccleſia reſipiſcat, ſicque poſt per noſtram abſolutionem atque licentiam illos ut proprios filios recipiat. Vale.

Rainoldus Dei gratia Remorum Archiepiſcopus dilectiſſimo confratri & conſacerdoti ſuo Lamberto Atrebatenſium Epiſcopo ſalutem & benedictionem in Domino Jeſu. Dilectioni veſtrae inſinuandum dignum duximus nos nuperrime domni Papae Vrbani epiſtolam ſuſcepiſſe & ab eo ut veſtra convocata fraternitate circa medium Februarii proximi ad Concilium quod intra Tuſciam vel Longobardiam tunc temporis celebraturus eſt ad praeſentiam ejus accedere curemus ſollicitudinem veſtram monitam eſſe. Et nos igitur ad ipſius monitionem veſtram monemus fraternitatem, quatenus circa praedictum terminum veſtram ipſi praeſentiam cum omnibus Abbatibus veſtris ad ipſum Concilium exhibere curetis. Valete.

Hugo Lugdunenſis Archiepiſcopus apoſtolicae ſedis Legatus Roberto nobiliſſimo Comiti Flandrenſium ſalutem. Venerabilem in Chriſto fratrem noſtrum Atrebatenſem Epiſcopum excellentiae veſtrae commendamus, & ut eum tanquam Cardinalem Epiſcopum, tanquam beati Petri manibus conſecratum, ope veſtra & auxilio tueamini rogamus, & vice Domini Papae Vrbani ſecundum praeceptum ipſius in remiſſionem peccatorum vobis praecipimus. Ad reſtituenda quoque bona ipſius Eccleſiae brachium adjutorii veſtri ei porrigatis, cognoſcentes vos pro obedientia hac habituros gratiam apoſtolicam & a Deo remunerationem aeternam.

Vrbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Gualchero Cameracenſi electo ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Meminiſſe te convenit quia jurejurando promiſeris apoſtolicae ſedis decreta te fideliter obſervaturum. Quod igitur de Atrebatenſi Eccleſia ſedes apoſtolica ſtatuit cave ne tentes quilibet occaſione turbare. Immo volumus atque praecipimus ut ea omnia quae ad jus illius Eccleſiae ſecundum privilegium noſtrum pertinere cognoſcis quiete ab ea poſſideri & inconvulſa manere permittas.

Vrbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Roberto Flandrenſium Comiti & optimatibus ejus ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Pro cariſſimo fratre noſtro Lamberto Atrebatenſi Epiſcopo repetitis vos litteris exhortamur & oramus ut ei ad reparandam renovati epiſcopatus dignitatem conſilii & auxilii veſtri manus porrigatis, & poſſeſſiones ejuſdem epiſcopatus a Cameracenſibus Epiſcopis, quibus Eccleſia eadem commiſſa fuerat, male diſtractas de manibus tenentium eripere & eidem Eccleſiae reſtituere pro veſtrorum peccatorum remiſſione omnibus modis laboretis. Volumus praeterea & apoſtolica auctoritate jubemus ut nullo deinceps tempore praefatam Eccleſiam alicui Eccleſiae ſubici vel infeſtari patiamini, ſed ipſam tanquam matrem veſtram & dominam, ſalvo Remenſis Eccleſiae jure, honorare, ab injuriis tueri & defendere procurate. Data Placentiae V. Idus Martii.

Anno igitur Dei Chriſti MXCVIIII. Dominus Urbanus Papa II. qui jam prius ad Clarmontem generale celebraverat Concilium, rurſum Romae in Eccleſia beati Petri Apoſtoli pro errore & haereſibus Graecorum diverſarum regionum & provinciarum Primates, Archiepiſcopos, & Epiſcopos ad celebrandum Concilium ſtuduit convocare in ſecunda Dominica poſt Albas qua *Miſericordia Domini* cantatur. Huic quoque Concilio cum ceteris Remenſis provinciae Epiſcopis interfuit Lambertus Atrebatenſis Epiſcopus. Qualia autem decreta praedictus Papa de Latina & Graeca Eccleſia & de miniſtris altaris & de ordinatis a ſimoniacis & de beneficiis & officiis eccleſiaſticis per pecuniam adeptis ante corpus beati Petri dederit ſtudioſus lector legendo invenire poterit.

Igitur in praedicto Dei Chriſti anno MXCVIIII. IV. Kal. Auguſti, indictione VII. ingreſſus eſt viam univerſae carnis dignae memoriae religioſus Papa Urbanus II. & ſepultus eſt in Eccleſia beati Petri Apoſtoli juxta ſanctum Leonem Papam & Epheſini Concilii auctorem. Urbano autem in apoſtolica ſede ſuccedit domnus Rainerus venerabilis Cardinalis de titulo ſancti Clementis, cognomento Paſchalis II. Papa.

Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Lamberto Atrebatenſi Epiſcopo ejuſque ſucceſſoribus canonice ſubſtituendis in perpetuum. Quae juſte a patribus conſtituta ſunt oportet profecto ut ſub metu & inrefragabili auctoritate teneantur. Dignum enim eſt ut nulla deſidia negligantur, nulla diſſenſione violentur, nulla concertatione turbentur. Unde & nos quod a piae memoriae praedeceſſore noſtro Urbano de reſtitutione Atrebatenſis Eccleſiae conſtitutum eſt juſtum omnino & ſacris canonibus congruum perpendentes, noſtri quoque decreti auctoritate ſancimus, ut videlicet Eccleſia eadem, ſicut antiquitus epiſcopali dignitate claruit, ita etiam in poſterum Cardinalem per Dei gratiam ſortiatur antiſtitem. Divinae ſiquidem miſerationis affectum quem in Eccleſiarum ſuarum & populorum reſtitutionibus operatur debemus & nos competentibus ſubſequi ac implere ſuffragiis. Te igitur, dilectiſſime ac reverendiſſime frater, quem in Atrebatenſi Eccleſia praedeceſſor noſter Domino reſtituente conſtituit, nos quoque cum divini favo-

ris

ris praeſidio in epiſcopalis dignitatis functione firmamus. Quicquid autem praedictae Eccleſiae beatus Remigius contulit, quicquid antiquis temporibus, dum epiſcopali dignitate polleret, eam poſſediſſe conſtiterit, ſalvis legalibus inſtitutis & Romanae Eccleſiae privilegiis, ratum tibi ac tuis ſucceſſoribus permanere cenſemus; in quibus nominatim archidiaconias duas, quarum una Atrebatenſis, altera dicitur Obſtrevantenſis, praefatae Eccleſiae confirmamus. Et illos omnino limites inter Atrebatenſem & Cameracenſem Eccleſias fore praecipimus quos antiquitas fuiſſe vel ſcriptorum monumentis vel territoriorum diremptione vel certis aliquibus indiciis potuerit comprobari, ut Eccleſiarum pax annuente Deo nulla occaſione turbetur, & quae pro fidelium ſalute ſtatuta ſunt perenni tempore inconvulſa ſtabilitate perſiſtant. Si qua ſane in futurum eccleſiaſtica ſecularisve perſona hanc noſtrae conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere venire tentaverit, ſecundo tertiove commonita ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo corpore & ſanguine Dei ac Domini noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictae ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco juſta ſervantibus ſit pax Domini Jeſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonae actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen. Amen.

Ego Paſchalis catholicae Eccleſiae Epiſcopus ſubſcripſi.

Scriptum per manum Petri Notarii regionarii & ſcriniarii ſacri palatii.

Datum Laterani per manum Johannis ſanctae Romanae Eccleſiae Diaconi Cardinalis XVII. Kalend. Maii, indictione nona, incarnationis dominicae anno MCII. pontificatus autem domni Paſchalis II. Papae anno ſecundo.

Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Radulpho Remenſi Archiepiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Quod de Atrebatenſis epiſcopatus reſtitutione a praedeceſſore noſtro ſanctae memoriae Urbano factum eſt ſcitote apud nos firmum & inviolabile permanere nec unquam paſſuros nos ut Cameracenſi ſubiciatur Eccleſiae. Porro tam vos quam ſucceſſores veſtros praeſentium litterarum auctoritate compellimus ut poſt mortem Atrebatenſis Epiſcopi ad faciendam illic Epiſcopi electionem ſollicite invigilare & electum ſine morae longioris obſtaculo conſecrare curetis. Si quis autem adverſus haec agere tentaverit, excommunicationis vinculo innodetur. Datum Laterani VIII Idus Aprilis.

Harum exemplar litterarum cum bulla ſcias conſervari Remis in Eccleſia beatae Mariae ſemper virginis dominae noſtrae in ſacrario in locello aureo qui vulgo dicitur berceolum.

Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei clero & populo Atrebatenſium ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Audivimus quoſdam perverſe agentes & apoſtolicae ſedis auctoritatem annullare cupientes ad hoc conatus ſui molimen intendere ut Atrebatenſis Eccleſia, epiſcopali cathedra perdita, peſſundetur & Cameracenſi ſubiciatur Eccleſiae. Vnde nos univerſitati veſtrae ſcripta praeſentia dirigentes, omnipotentis Dei patris & filii & ſpiritus ſancti auctoritate ſancimus reſtitutionem Atrebatenſis epiſcopatus a praedeceſſore noſtro Vrbano factam & a nobis per Dei gratiam confirmatam firmam & inviolabilem permanere. Quaſcunque vero poſſeſſiones ab eadem reſtitutione epiſcopatus ipſe poſſedit, quietas ſemper integraſque poſſideat. Sub anathematis etiam prohibitione interdicimus ne Atrebatenſis Eccleſiae ſtatus Cameracenſi unquam ſubdatur Eccleſiae. Si qui vero temerario auſu adverſus iſta praeſumpſerint, eos Dathan & Abiron judicium ſubſequatur, qui Moyſi & Aaron datam divinitus poteſtatem comprimere tentaverunt. Poſt exceſſum igitur venerabilis fratris noſtri Lamberti, qui nunc Atrebatenſi Eccleſiae praeſidet, a vobis Epiſcopum omnino praecipimus eligendum, cui, ſi canonica eum ſtatuta non reſpuant, omnino non liceat electionem aut communi aut melioris partis conſenſu impoſitam ſubterfugere. Datum Laterani VIII. Idus Aprilis, indictione V.

Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Balduino Flandrenſium Comiti & ſpectabili Clementiae matri ejus Comitiſſae ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Quod de Atrebatenſis epiſcopatus reſtitutione a praedeceſſore noſtro ſanctae memoriae Vrbano factum eſt ſcitote apud nos firmum & inviolabile permanere nec unquam paſſuros nos ut Cameracenſi ſubiciatur Eccleſiae. Si quis autem adverſus haec agere tentaverit, excommunicationis vinculo innodetur. Vos igitur ſicut Eccleſiae filios commonemus, rogamus, & praecipimus ne poſſeſſiones Atrebatenſis epiſcopatus, quas a reſtitutione ſua habuit, ab aliquo auferri vel minui patiamini. Si qui vero praeſumpſerint, vos defenſionem pro peccatorum veſtrorum remiſſione eidem Eccleſiae impendatis. Datum Laterani VIII. Idus Aprilis.

Raynoldus Dei gratia Remorum Archiepiſcopus dilectiſſimo fratri & conſacerdoti ſuo Lamberto Atrebatenſium Epiſcopo ſalutem & benedictionem in Domino Ieſu. Dilectiſſimam nobis fraternitatem veſtram ignorare nolumus quoniam domni Papae Vrbani epiſtolam nuperrime ſuſcepimus, quae nos ut ad Concilium quod in octavis ſancti Martini, XIIII. videlicet Kal. Decembris, apud Arvernenſem, quae & Clarimontis dicitur, Eccleſiam celebraturus eſt praeſentialiter accederemus praemonuit, & ut omnes noſtrae metropolis ſuffraganeos, convocatis tam Abbatibus quam ceteris Eccleſiarum primoribus, ſed & excellentioribus principibus, ad ipſum Concilium invitaremus praecepit. Et nos ſane apoſtolicae monitioni obviam, quod nefas eſt, incedere nolentes, Concilium quod in octavis omnium ſanctorum inſumpſeramus, propter hoc, ut juſtum eſt, dimittendum dignum putavimus. Veſtram ergo ſollicitudinem litteris praeſentibus monemus quatenus omni occaſione ſepoſita veſtram ad idem Concilium praeſentiam exhibere &, ut praedictum eſt, & Abbates & ceterarum Eccleſiarum veſtratum primores & dioceſeos veſtrae principes, & maxime Balduinum Comitem de Montibus, monere curetis. Nulli autem vel inopiae vel alicujus neceſſitatis occaſio quin veniat praebeat audaciam, cum nos niſi perſonas non ingenti quidem famulorum caterva ſtipatas requiramus. Quicunque autem poſt hanc admonitionem noſtram ſe ab hoc Concilio abſentaverit, noverit proculdubio quoniam & ordinis ſui periculum incurret, & domni Papae iram, nec impune quidem, ſibi theſaurizabit. Valete.

Vrbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto fratri Lamberto Atrebatenſi Epiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Noverit dilectio tua nos in proximo Novembri, in octavis videlicet ſancti Martini, apud Clarummontem annuente Domino ſynodale Concilium ſtatuiſſe; ad quod tuam prudentiam invitamus, ut omni occaſione ſepoſita ſtatuto in tempore praedicto in loco non omittas occurrere. Noveris praeterea Cameracenſem Epiſcopum miſſis ad nos litteris ac nunciis pro Atrebatenſi Eccleſia vehementer interpellaſſe dicentem ſe & Eccleſiam ſuam Romanis privilegiis eſſe munitam. Vnde oportet prudentiam tuam ad hujus negotii reſponſionem paratam cum tuis clericis convenire. Data apud Anicium XVIII. Kal. Auguſti.

Taliter itaque Lambertus Atrebatenſis Epiſcopus ad Claromontenſe Concilium domni Papae Vrbani invitatus proficiſcitur die natalis Apoſtolorum Simonis & Iudae, quae tunc dies dominica habebatur, & cum eo domnus Clarembaldus Archidiaconus ſuus, & venerabiles domnus Aloldus ſancti Vedaſti & domnus Hamericus Aquicinenſis Abbates, domnus quoque Gualbertus Praepoſitus, Odo Cantor, Achat-

Digitized by Google

chardus magiſter ſcholarum, Hugo Presbyter & Canonicus, Marcellinus Archipresbyter, religioſus etiam Diaconus Iohannes de Monte ſancti Eligii poſtmodum Atrebatenſis Archidiaconus, & Drogo praedicti Epiſcopi Oeconomus, & Otbertus Scholaſticus de Bethunia. Perveniens itaque apud Proviniacum Comitis Stephani celebre caſtellum, VIII. Idus Novembris Proviniacum egreditur, & ipſa eadem die a Guarnerio quodam Milite de Caſtello Pont de via ſua trahitur, capitur, & captus Epiſcopus cum clericis ſuis a Guarnerio praedicto Milite & ſuis ſatellitibus detinetur. Abbas ſancti Vedaſti praeceſſerat Epiſcopum cum gratia & benedictione ſua. Guarnerius vero increpatus a Philippo fratre ſuo Trecenſi Epiſcopo, & Dei omnipotentis miſeratione viſitatus, V. Idus Novembris ſummo in mane ad pedes Epiſcopi & Archidiaconi ſui Clarembaldi & reliquorum clericorum ſuorum proſtratus cum lacrymis veniam poſtulavit, dolens ac poenitens ſe ſtulte & prave egiſſe quia manum miſerit in Chriſtum Domini. Epiſcopus vero proſtratum Militem erigens diſcalciatum ad monaſterium praeceſſit, ibique eum poenitentiam cum ſuis qui eum ceperant agentem abſolvit. Et eodem die Epiſcopus a praedicto Milite cum omnibus ſuis clericis & laicis detinetur, ſervitur, & per manum ejus uſque Autiſſiodorum cum ſecuritate conducitur. Domnus vero Vrbanus Papa audiens Atrebatenſem Epiſcopum captum, quantocius ſcripſit Guarnerio de Pont & Richerio venerabili Senonum Archiepiſcopo in haec verba.

Vrbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Guarnerio Pontionis filio ſalutem & apoſtolicam benedictionem, ſi obedierit. Venerabilem fratrem noſtrum Atrebatenſem Epiſcopum ad Concilium venientem te cepiſſe audivimus, & cur ceperis plurimum miramur. Rex enim Francorum non ſolum venire alios non prohibet, verum etiam omnibus ſuae poteſtatis Epiſcopis & Abbatibus venire ad Concilium licentiam dedit. Vnde litteris te praeſentibus admonemus ut captum Epiſcopum pro reverentia beati Petri & noſtro amore cum ſuis omnibus liberum abire permittas. Alioquin quandiu illum tenueris, & te & terram tuam excommunicationi ſubjicimus.

Vrbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei cariſſimo fratri Richerio Senonum Archiepiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Audivimus Guarnerium Pontionis filium venerabilem fratrem noſtrum Atrebatenſem Epiſcopum ad Concilium venientem cepiſſe captumque retinere. Ea propter litteris te praeſentibus jubemus ut eundem Guarnerium captum praeſulem cum ſuis omnibus libertati reſtituere commoneas. Quod ſi contempſerit, quandiu illum tenuerit, & ipſum & locum ſuum excommunicationi ſubjicias.

Apud Autiſſiodorum autem Atrebatenſis Epiſcopus perveniens, aſſociatur commitatui domni Richerii Senonenſis Archiepiſcopi & conſuffraganeorum ſuorum Remenſis provinciae domni Gerwini Ambianenſis, domni Gerardi Tarvanenſis Epiſcoporum. Et ſic XV. Kal. Decembris in octavis ſancti Martini, quas tunc dies dominica feſtiviores reddidit, urbem Claromontenſem ingreditur, & a venerabili Primate Lugdunenſi domno Hugone apoſtolicae ſedis Legato necnon & ab ipſo domno Papa benigne in oſculo ſancto ſuſcipitur, atque apoſtolica benedictione cum ſuis laetificatus exhilaratur. Deinde domnus Papa IV. Kal. Decembris indictione IV. Concilium Claromontenſe concludens praecepit recitari privilegium renovationis & reſtitutionis Atrebatenſis Eccleſiae in conſpectu totius Concilii; in quo Cardinales Romani conſederunt ei, & Archiepiſcopi XIV. Epiſcopi CC. & XXV. & Abbates XC. & amplius, exceptis honeſtis atque religioſis diverſarum regionum atque provinciarum clericis & laicis quorum numerum leviter quiſquam ſcire prae multitudine non potuit. Recitatum eſt autem Atrebatenſis Eccleſiae privilegium & diſtincte & aperte lectum, atque ab omni conſeſſu Concilii ſub magno ſilentio intente auditum, collaudatum, & confirmatum eſt anno Dei Chriſti MXCV. cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt aequalis honor & gloria per infinita ſecula ſeculorum. Amen.

EPISTOLÆ

LAMBERTI EPISCOPI ATREBATENSIS & aliorum ad ipſum.

DOmino patri Lamberto gratia Dei Atrebatenſi Epiſt. 1.
Epiſcopo Gualterus Inſulanae Eccleſiae Praepoſitus & confratres ſalutem & obſequii devotionem. Quia ſanctae petitionis veſtrae de domno confratre noſtro Clarembaldo inſtantiam ſancti ſpiritus inſtinctu, cui reſiſtere fas non eſt, inflammatam eſſe credimus, veſtrae de ipſo electioni, quam Deo auctore in ſpirituale commodum ceſſuram confidimus, non acquieſcere, Deum offendere timuimus. Moleſti igitur, quia maximum ex ejus abſentia ſanctae religionis exemplar amiſſuri, immo veſtro, cui nos congratulari decet, dantes operam profectui, eum veſtrae paternitati deſerviturum concedimus. Valete.

Getewinus gratia Dei Praeſul Ambianenſis Domino Epiſt. 2.
& cariſſimo fratri in Chriſto Lamberto ſanctae Atrebatenſis Eccleſiae diſcreto Praeſuli perſeverare feliciter in propoſito religionis. In ſancta Ambianenſi Eccleſia, quae parvitati noſtrae committitur, diligentia magna, labore, & ſumptu cujuſdam fratris noſtri feretrum quoddam praeparatum eſt auro, argento, & geminis ad reliquias reponendas beati martyris Fuſciani, & hoc ſenatus noſtri diſpoſuimus decreto fieri in celebratione ſancti Michaëlis Archangeli. Obnixe igitur paternitatis veſtrae reverentiam praeſentibus flagitamus litteris, quia eſtis vir timens Deum & Deo & hominibus placetis & opere & doctrina melliflui oris, quatenus ad tantum opus exequendum miniſtrum & adjutorem vos habere ſe laetetur ſancta mater noſtra Eccleſia Ambianenſis. Vt igitur tantum martyrem ante tribunal Dei interventorem habeatis, ceteris negotiis abjectis huic petitioni noſtrae & ardentiſſimo deſiderio ſatisfaciatis. Valete.

Rainoldus Dei gratia Remorum Archiepiſcopus Epiſt. 3
dilecto fratri & conſacerdoti ſuo Lamberto Atrebatenſi Epiſcopo ſalutem & benedictionem in Domino Jeſu. Memoriter vobis inhaerere credimus quicquid de Hugone de Inciaco nuper cum fraternitate veſtra multo ſermone contulimus. Ipſe ſiquidem Hugo nuperrime in villa ſancti Gaugerici quae Felcherias dicitur in trevia Dei cum armata manu advenit; ibique circumquaque diſcurrens, igni penitus totam villam concremavit, praedamque non minimam atque hominum multitudinem miſerabiliter ſecum adduxit. Pervenit etiam ad aures noſtras quod ſe epiſtolam noſtram habere glorietur qua cum ab omni timore Cameracenſis Epiſcopi, ſed & ab omnium Presbyterorum excommunicatione, in quamcumque dementiam elatus fuerit, deliberari, quod abſit, debeat. Scire igitur vos volentes hanc omnem jactantiam ejus irritam eſſe, veſtrae fraternitati mandamus ut & illum, quem praecipue diligimus, vos ammoneatis, quatenus omni excuſatione ſublata, ut in ſanctae pacis violatorem, in ipſum gladium anathematis exeratis, & ne ulterius donec ad ſatisfactionem veniat in cunctis receptibus ſuis ſeu in omni loco in quo ipſe vel complices ejus praeſentialiter affuerint divinum celebretur officium praecepti veſtri auctoritate inhibeatis. Valete.

Rainoldus Dei gratia Remorum Archiepiſcopus Epiſt. 4.
fratri & coëpiſcopo ſuo Lamberto Atrebatenſi ſalutem & benedictionem in Domino Ieſu. Ad colloquium Comitis Roberti & ad recipiendam de eo juſtitiam in octavis ſanctae Mariae in Auguſto vel praeſentiam noſtram exhibere vel nuntios noſtros delegare, ſicut jam vobis & coëpiſcopis noſtris No-

vionienſi atque Morinenſi mandavimus, parati erimus. Quod autem de Hugone de Inciaco nobis ſcripſiſtis lignere vobis credimus quoniam in Concilio quod Compendii celebravimus ad querimonias & clamores Gerardi Cameracenſis Epiſcopi omnium praeſidentium judicio in eum anathematis gladium exeruimus & in omnes ejus cooperatores & conſentaneos. Sed neque ideo ipſe nec filius ejus Cameracenſem Eccleſiam perſequi deſtiterunt. Quippe quos par expectatio ultionis angebat, par malitiae & immoderationis vinculum aſtringebat. Itaque quoniam, ſicut ab Apoſtolo dictum eſt, *inſipiens factus ſum, vos me coëgiſtis*, & iterum in actibus Apoſtolorum ad Iudaeos, *quoniam indignos vos judicaſtis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes*, ſic quia idem Hugo indignum ſe converſionis & concordiae judicavit, Gerardus Cameracenſis Epiſcopus cum Comite Flandrenſi ad convincendam Hugonis malitiam foedus iniit. Vnde Epiſcopum Cameracenſem Gerardum cum Hugone concordiam facere abſque Comite Flandrenſi nulla aequitatis ratio permiſit, nec nos ſane eum nihilominus niſi excommunicatum habuimus. At vero ſi voluntatis ipſius eſſet, & Cameracenſem Epiſcopum Remis in praeſentia noſtra ad juſtitiam faciendam & recipiendam ab ipſo termino congruente paratum haberemus, & nos ſimiliter utrorumque rationes aequa judicii & miſericordiae lance penderemus, & in omnibus modum obſervare non diſſimularemus. Per vos autem ſolum ad emendationem venire nec ſolam excommunicationis veſtrae ſententiam vereri debet, cum & parrochianus Epiſcopi Cameracenſis eſſe dignoſcitur, & Inciacum, per quod hanc exercet malitiam, in epiſcopatu Cameracenſi poſitum ſit. Valete, & quod cum Comite Flandrenſi egeritis nobis reſcribite.

Epiſt. 5. Domino Lamberto fratri & amico Atrebatenſi Epiſcopo Poppo Dei gratia Mediomatricæ urbis Epiſcopus munus dilectionis & orationis in Domino. Perlectis ſanctitatis veſtræ litteris, pro commiſſo nobis clerico gratias vobis digne reddimus, ſed notari cur dignitas veſtra familiaritatis & orationis vicem infirmitati noſtræ reſcribere reticuiſſet, cum ſit apoſtolica veritate prolatum: *Orate pro invicem ut ſalvemini*. Submoneo igitur religionis veſtræ celſitudinem ut orationes veſtras atque ſocietatem Dei genitricis Eccleſiæ degentium reſcribere non recuſeris. Hæc ſunt enim quæ a vobis ſperabamus, hæc ſunt quibus æterno Regi debemus invicem feliciter commendari. Valeat ſanctitas veſtra. Viſitet nos oriens ex alto.

Epiſt. 6. Lamberto Dei gratia Atrebatenſium Epiſcopo Yvo Carnotenſis Eccleſiæ ſervus ſinceræ dilectionis & devotæ orationis munus. Si tanta eſſet nobis vicinitas locorum quanta eſt animorum &c. *ut apud Ivonem Carnotenſem epiſt.* 33.

Epiſt. 7. Guillelmus Eccleſiæ Rothomagenſis Archiepiſcopus cum cæteris ejuſdem Eccleſiæ clericis Lamberto Atrebatenſis Eccleſiæ epiſcopio non incommode præſidenti ſalutem cum oratione. Richardum a me in ſacerdotem ſub Chriſti clementia ordinatum tuæ commendo paternitati. Eum ſub tui cuſtodia nullis precor ſinas ſubjacere vel lacerari terroribus.

Epiſt. 8. Reverentiſſimo Domino & Patri Lamberto ſanctæ Atrebatenſis Eccleſiæ Epiſcopo R. & Manaſſes Archidiaconi, L. Decanus, R. Cantor, & univerſus Remenſis clerus & populus, ſalutem & auxilium a Domino Ieſu. Caritati veſtrae inſinuare commodum putavimus reverentiſſimum patrem & Dominum noſtrum Rainoldum Archiepiſcopum XII. Kal. Februarii cum triumpho gloriae viam univerſae carnis ingreſſum eſſe. Unde ſanctitatem veſtram obnixe exoratam volumus ut ex debitae caritatis praerogativa orationum & auxiliorum veſtrorum dexteram ei porrigatis, atque in omnibus locis quibus vos præeſſe voluit diſpoſitio divina hoc idem fieri praecipientes, diem depoſitionis ejus memoriter ſcribi faciatis. Ceterum cum tanti patris ac protectoris Eccleſia noſtra defenſione viduata magnis cœpiſſet laborare periculis, ſed & inimici Dei undique terrarum ſedentes in inſidiis innumeris perſecutionibus publice & privatim eam impugnare conarentur, per ſpiritum conſilii finem divina miſericordia precibus noſtris conceſſit, quae non patitur nos gravari ſupra quam poſſumus, proventum faciens cum tentatione ut ſuſtinere poſſimus. Secundum itaque ſanctorum canonum auctoritatem & eccleſiaſticam conſuetudinem Dominum noſtrum Manaſſem Eccleſiæ noſtrae Præpoſitum apprime nobis cognitum, cooperante gratia ſpiritus ſancti, omniumque pariter proſequente petitione, in Archiepiſcopum nobis rapuimus, dominumque nobis ipſum irrefragabiliter conſtituimus, quippe quem ferventiori ſtudio erga nos & omnem Eccleſiam hactenus exardere plurimum congratulati ſumus. Hic ſiquidem ut quantum in terris eſt omnium expectatiſſimus, quanto in ipſius inquiſitione immoramur, tanto in oculis omnium noſtrum gratioſior apparet. Nihil enim aliud eſt quam ex omnibus bonis quædam perfecta collecta perfectio. Unde, ſicut de beato Martino legitur, nos eum potius contigit rapuiſſe quam elegiſſe. Et veſtra igitur benignitas & dominatio tum pro ejus honeſtatis & religionis magnitudine, tum pro petitionis noſtræ reverentia, electionem ipſius cum omni devotione ſuſcipiat & confirmet, & ad ea quæ oportet agenda veſtrum ei auxilium largiatur; quatenus & de profectu animarum & bonorum operum conſummatione noſtra per vos Remenſis gaudeat Eccleſia. Valete. Obiit domnus Raynoldus venerabilis Remorum Archiepiſcopus anno Dei Chriſti milleſimo nonageſimo quinto, XII. Kal. Februarii.

Epiſt. 9. Reverendis Patribus & Dominis R. & M. Archidiaconibus, L. Decano, R. Cantori, & univerſo ſanctae Remenſis Eccleſiae clero & populo, Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus ſanctitatis eorum ſervus & ſalutis amator aeternam in Domino ſalutem. Scire volumus dilectionem veſtram quoniam prius quam a vobis diſceremus diem obitus venerandi patris noſtri domni Rainoldi Archiepiſcopi, & in noſtra Eccleſia & apud ſanctum Vedaſtum fieri fecimus (officium) & per diœceſim noſtram ut fiat per congregationes & monachorum & clericorum inſtabimus. Super electione domni Manaſſe Remenſis Eccleſiae Praepoſiti laudabiliter honorandi & honorabiliter laudandi vobis, ſicut patribus noſtris, ſicut dominis noſtris congaudemus, & congaudendo, Deum, qui eſt verum gaudium omnium fidelium, exoramus quatenus hoc bonum opus ipſe qui incepit perficiat. Electioni iſti a vobis factae de perſona natalibus & moribus honeſta, ſicut canonicum eſt, & libenter aſſenſum praebemus, & cetera quae ſanctae Remenſi Eccleſiae debemus pro paupertate noſtra & pro religione veſtra parati ſumus in miſericordia Dei vobis exhibere. Reverendiſſimi Patres & Domini mei, bene valete in ſpiritu ſancto paraclito, & pro me ſanctitatis veſtrae ſervo orare non dedignemini. Data Atrebati IV. Nonas Februarii.

Epiſt. 10. Urbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectiſſimis confratribus & conſacerdotibus Remenſis Eccleſiae ſuffraganeis ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Defuncto venerabili confratre noſtro veſtrae metropolis Archiepiſcopo, ejuſdem Eccleſiae Præpoſitum Manaſſem communi cleri plebiſque conſenſu ſecundum ſedis apoſtolicae decreta cognovimus ad ipſius metropolis regimen eſſe provectum. Quae ſcilicet provectio, quia ſanctis videtur convenire canonibus, non grata nobis eſſe non poteſt. Eam igitur auctoritatis noſtrae pondere confirmantes, dilectionem veſtram litteris praeſentibus exhortamur ne ab ejuſdem electi perſona quod veſtri officii intereſt diſſimulatione qualibet ſubtrahatis, ſed omnino ſatagire ut quod bene inceptum eſt largiente Domino melius compleatur, ne diutius tanta Eccleſia officiorum epiſcopalium adminiſtratione privetur. Data Andegavi VIII. Idus Februarii.

Ma-

Digitized by Google

Epiſt. 11. Manaſſes Dei gratia Remenſis electus Lamberto eadem gratia Atrebatenſium Epiſcopo ſalutem & obſequium. Convenientibus in unum voto meo & apoſtolico praecepto ſcribo tibi, dilecte mi, ut remoto omni impedimento, omni occaſione poſthabita, uſque ad quintam feriam primae hebdomadis quadrageſimae complexibus dilectionis noſtrae te ingeras, te praeſentes. Promoveri enim ad diaconatum & ſacerdotium per impoſitionem manuum tuarum ardeo & clamo. Venias autem paucis comitantibus, ſicut te facturum mihi nuntiavit Abbas ſancti Dionyſii. Nec hoc dico ut parcam marſupio, ſed quia cum pauco comitatu inimicorum terras quietius ſpero te mecum ad Papam tranſiturum. Communico autem tibi gaudium meum domnum Papam & univerſos qui ſecum ſunt electioni meae congaudere, auctoritate qua vigent eam roborare, in nullo apoſtolicum brachium ſe mihi contrahere. Vale.

Epiſt. 12. Urbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis clero, ordini, militibus, & plebi Remis conſiſtentibus ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Affectionis quidem noſtrae viſcera, filii in Chriſto cariſſimi, anguſtata ſunt, quia vos paſtoris ſollicitudine, nos vero confratris & coëpiſcopi Rainoldi ſolatio novimus deſtitutos. Sed in tribulatione hac per omnipotentis Dei gratiam caritatis noſtrae præcordia dilatantur, quia vos ſollicitudine debita, affectione ſollicita, ſine dolo, ſine pravitate de veſtrae Eccleſiae filiis paſtorem elegiſſe comperimus. Afferit autem ſpei veſtrae fiduciam unanimitatis veſtrae conſenſus. Ubi enim univerſorum poſtulatio congruit, dubitare nos nequaquam oportet ibi Dominum Jeſum & voluntatis auctorem & petitionis arbitrum fore & ordinationis praeſulem & largitorem gratiae. Bonis ergo ſtudiis veſtris ampliori devotione congratulamur, & quod ſecundum apoſtolicae ſedis decreta juſte ſanctoque coepiſtis, nos per omnipotentis Dei gratiam ſedis apoſtolicae aſſertione firmamus. Vos ſiquidem in apoſtolicae ſedis libertatem conſurrexiſtis, ut ſicut caput regni exiſtitis, ita etiam religionis & auctoritatis catholicae in eodem regno principium exiſtitis. Nihil itaque ſuper vos iniquorum verba praevaleant, nihil terrenae pravitas intentionis obfuſcet. Quod enim omnipotens Dominus aſpirando praevenit per merita & preces beatae & glorioſae ſemper virginis Mariae ſanctique patris veſtri Remigii adjuvando proſequuturum fore confidimus. In ipſo igitur confidentes quod ſimpliciter & ſine pravitate (coepiſtis) proſequi procurate. Neque enim vobis in parte hac apoſtolicae ſedis brachium contrahetur. Nullus in hoc negotio idololatriae fucus interveniat, nullae minae, nulli terrores nobilitatem veſtram ab hac libertate dimoveant; ne forte, quod abſit, cum ſpiritu coeperitis, carne conſummemini. Eccleſiae veſtrae ſuffraganeis auctoritatis noſtrae ſcripta direximus ut in electo quod ſui eſt officii nulla negligant occaſione cumplere. Quod ſi fortaſſis illi ſe aliqua, quod non arbitramur, pravitate ſubtraxerint, vos eum tempore congruo noſtro conſpectui praeſentabitis. Novit enim beati Petri libertas & gratia ut ſe confidentibus non deeſſe. De dilectione & obedientia erga eum vivaciter exhibenda vos cohortari minus neceſſarium duximus. Neque enim ambigimus quod qui tantam vobis in ejus electione unanimitatem, tantum ſtudium, tantam flagrantiam aſpiravit, ipſe etiam mentes veſtras ad diligendum, ad obediendum, ad ſerviendum ardore ſui ſpiritus illuſtrabit. Ipſe vos ſua gratia benedicat, ipſe corroboret, & paſtorem & gregem ad aeternae refectionis paſcua introducat. Data Andegavi VIII. Idus Februarii.

Epiſt. 13. Urbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Manaſſe Remenſium electo ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Omnipotenti Deo gratias agimus quia perſonam tuam, de cujus probitate plurimum confidimus, ad Remenſis Eccleſiae regimen electam ſine pravitate cognovimus. Nunc igitur dilectionem tuam apoſtolicae gratiae litteris viſitantes hortamur ut bona initia ſtudeas provectibus melioribus exaltare. Nullae igitur minae, nulli terrores prudentiam tuam impediant quin in coepta ſimplicitate ac libertate perſiſtas. Cave prorſus & vigila ne regiae ſuperbiae qualibet inconſtantia ſubiciaris, ne cum ſpiritu coeperis, carne conſummeris. De apoſtolicae ſedis adjutorio in nullo diffidas; quia ſi in ejus libertate permanſeris, ejus per omnia auxiliis munieris. Data Andegavi VIII. Idus Februarii.

Epiſt. 14. Urbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis fratribus & coepiſcopis Hugoni Sueſſionenſi, Lamberto Atrebatenſi, Philippo Catalaunenſi, Gerardo Morinenſi, ceteriſque Remenſis Eccleſiae ſuffraganeis ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Scripſimus nuper fraternitati veſtrae, & ecce iterum ſcribimus, ne cujuslibet occaſionis obtentu venerabili confratri noſtro Manaſſe in Archiepiſcopum veſtrae metropolis per divinam gratiam electo quod veſtri officii intereſſe cognoſcitis ſubtrahatis. Per obedientiam igitur quam ſedi apoſtolicae vos debere non ignoratis dilectioni veſtrae praecipimus ut quocunque in tempore ad ordinationem ſeu conſecrationem ſuam vos advocaverit, alacriter ad hoc ipſum & vivaciter occurratis, ſicut & veſtri ordinis integritatem & gratiae noſtrae plenitudinem deſideratis. Data Turonis IIII. Nonas Martii.

Tali ergo tamque valida apoſtolicae auctoritatis & confirmationis aſtipulatione Remis in Eccleſia beatae Mariae ſemper virginis Dominae noſtrae ordinatur domnus Manaſſes electus Archiepiſcopus Nonis Martii, prima videlicet tunc temporis quadrageſimae hebdomada, a domno Lamberto Atrebatenſi Epiſcopo in Diaconum. Sabbato autem medianae quadrageſimae a domno Hugone venerabili Sueſſorum Epiſcopo ordinatur & Presbyter in praedicta beatae Mariae Eccleſia. Et in ſubſequenti Dominica *Judica me Deus* conſecratur apud ſanctum Remigium per manus ejuſdem domni Hugonis Sueſſionenſis Epiſcopi Archiepiſcopus, aſtantibus & manus ei imponentibus domno Elinando Laudunenſi Epiſcopo, Rabbodo Noviomenſi Epiſcopo, Gerewino Ambianenſi Epiſcopo, Lamberto Atrebatenſi Epiſcopo, Lietoldo Silvanectenſi Epiſcopo. Hoc ordine & modo perficitur ordinatio & conſecratio domni Manaſſe Remenſis Archiepiſcopi anno Dei Chriſti milleſimo nonageſimo quinto, quarto Kal. Aprilis.

Epiſt. 15. Poppo per miſericordiam Dei Metenſis Epiſcopus dilecto Patri Lamberto Atrebatenſium gratia Dei Epiſcopo debitum caritatis in omnibus. Dilectiſſimi fratres nobis litteras oſtenderunt quas eis miſiſtis; quibus conceſſimus quicquid rogaſtis ſecundum petitionem & eorum voluntatem. Nos itaque ſuppliciter oramus participes fieri in veſtris orationibus, ſicut ſcripſiſtis noſtris fratribus, ut ex mutua dilectione invigilantes communi ſaluti, tandem valeamus aeterna beatitudine perfrui. Rogamus etiam obnixe veſtram benignitatem ut nos apud viros religioſos in noſtra perſona intime commendetis & apud Dominum Papam, & ubicunque opus fuerit nos & noſtram Eccleſiam, ut in vobis confidimus, in conſilio & auxilio ſuſtineatis & defenſione, ſi oportuerit. De nobis vero certus eſtote per omnia in quibuſcunque poterimus nos praebere vobis neceſſarium ad veſtrum honorem & utilitatem dignam. Valete.

Epiſt. 16. Lamberto Dei gratia Atrebatentium Epiſcopo Robertus Peronenſis & uxor ſua debitam dilectionem & ſubjectionem. Caritatem veſtram piiſſime deprecamur ut his burgenſibus meis cum vino ad Atrebatum tendentibus, quibus Arnulfus & Radulfus de Batpalmis in praeterita hebdomada, pacis ſoluto foedere, vinum ſuum abſtulerunt, aut ſua reddere faciatis, aut veſtrum officium impleatis. Valete.

Epiſt. 17. Manaſſes Dei gratia Remorum Archiepiſcopus fratri Lamberto Atrebatenſi Epiſcopo ſalutis & dilectionis plurimum in Domino. Domnum Manaſ-

Digitized by Google

ſem Cameracenſem clectum in octavis Pentecoſtes, frater cariſſime, in Epiſcopum Remis conſecraturi ſumus, ad cujus conſecrationem fraternitatis tuae praeſentiam invitamus, vobis denuntiantes Atrebatenſi Eccleſiae utiliſſimum fore vos ejus conſecrationi intereſſe. Querela enim illa quam Cameracenſis Eccleſia adverſus Atrebatenſem Eccleſiam habet multum infirmabitur, ſi illius conſecrationi praeſentia veſtra cooperatrix & teſtis exhibeatur. Veſtrae praeterea dilectioni occultum eſſe nolumus quia quarta poſt conſecrationem feria nos & Flandrenſis Comes mediante Anſello de Ribomonte Cameracum conventuri ſumus, ut ejecta peſte illa de Cameracenſi Eccleſia conſecratum noſtrum in ſedem ſuam Deo propitio conſtituamus. Veſtra igitur vigilantia Comitem adeat, quibus poteſt perſuaſionibus eum compellat ut Cameracenſi Eccleſiae compatiens ſciſmaticum illum eiciendo ſubveniat. Valete.

Epiſt. 18. Dilecto Domino, amico, & parrochiano ſuo Eurardo Tornacenſi Advocato Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus aeternam in Domino ſalutem. Si ſciretis quanta qualique poena puniendi ſunt illi qui contra ſanctorum patrum & canonum decreta decimas & oblationes altarium, quae ſolis clericis debentur, uſurpant, nequaquam altare ſanctae Mariae de Caſtello uſurpare praeſumeretis. Quapropter recordamini filiorum Chore perditionem, qui uſurpantes ea quae ſacerdotibus debebantur, terra eos degluttiente vivi abſorpti ſunt. Saül quoque Rex, quia officium ſacrificandi ſibi uſurpavit, & regnum & vitam a Deo damnatus perdidit. Ozias quoque Rex ſimili de cauſa a Deo lepra percuſſus eſt. Igitur, ſicut veſtrum non eſt nec cujuſlibet laici in Eccleſia Dei praedicare, baptizare, confeſſiones ſuſcipere, poenitentias dare, aut ſacrificare, ita nullius veſtrum eſt decimas & oblationes altarium ſibi vendicare. Quapropter mandamus dilectioni veſtrae ut ſupradictum altare in pace nobis & reddatis & tenere permittatis. Quod ſi facere nolueritis, ſicut in Conciliis conſtitutum eſt, divinum ibi fieri officium interdicemus. Valete, & quae Dei ſunt facite.

Epiſt. 19. Manaſſes Dei gratia Remorum Archiepiſcopus clericis & Alelmo de Paſſu, ab errore converti. Quoniam contempto apoſtolico decreto dilectiſſimo confratri & coepiſcopo Lamberto Atrebatenſi obedire contempſiſtis, excommunicationem ab eo in vos factam & apoſtolica auctoritate corroboratam metropolitana auctoritate proſequimur & confirmamus. Praecipimus ergo vobis ut infra octo dies poſtquam has litteras videritis ante praedicti confratris noſtri praeſentiam condignam ſatisfactionem pro veſtra tam audaci rebellione facturi vos praeſentetis, & deinceps ei tanquam Patri & Epiſcopo omnino obediatis.

Epiſt. 20. Manaſſes Dei gratia Remorum Archiepiſcopus univerſis Abbatibus, Archidiaconis, Decanis, & omni clero Cameracenſi, Comiti B. Comiti G. A. T. de Aveſnis, cum ceteris primatibus & univerſo populo Cameracenſis Eccleſiae, ſalutem. Credimus Cameracenſis Eccleſiae miſeriam & afflictionem vos jam a multis retro diebus reſpexiſſe qua omnium iniquorum diabolus per maledictum illum Gualcherium, cui ſatellitii ſui multam manum accommodat, exercuit & exercet. Credimus etiam ejus Eccleſiae lacrymis vos condeſcendere & compati tanquam viros miſericordiae, tanquam filios obedientiae, tanquam eos qui cum Chriſti ſint, conventionem non habent ad Belial, cujus Eccleſiae filios propter obedientiam domni Papae, propter noſtrorum & matris ſuae Remenſis Eccleſiae cuſtodiam mandatorum, in omni egeſtate & nuditate a ſedibus ſuis per maledictum illum pulſos Remis ad nos confugientes in ea qua debuimus caritate ſuſcepimus, diemque illis praefiximus quo domnum Manaſſem electum ſuum conſecraremus, & e veſtigio conſecrationis ad vos illum adduceremus, & in manibus veſtris tanquam paſtorem animarum veſtrarum deponeremus. Sed quia ſeries hujus negotii praeſentiam dilecti filii noſtri Comitis Flandrenſium habebat neceſſariam, eum autem, quia aberat, ſuper his ante hac convenire fas non fuit, dilata eſt ad breve Cameracenſis electi quam praefixeramus conſecratio. Vt autem interim Cameracenſium filiorum noſtrorum mederemur deſolationi, ex eorumdem poſtulatione & confratrum noſtrorum judicio ad haec confugimus remedia. Poteſtatem ligandi & ſolvendi & omne epiſcopale officium in Cameracenſi epiſcopio adminiſtrandi ex apoſtolica auctoritate & noſtra Atrebatenſi Epiſcopo contradidimus, etſi reluctanti, eumque in privilegio hujus auctoritatis ad vos remittimus reportantem humeris ſuis, humeris miſericordiae, diſperſionem ſibi creditarum ovium. Vnde vos, dilectiſſimi, in ſpiritu miſericordiae, in ſpiritu compaſſionis convenio & apoſtolica auctoritate & noſtra praecipiendo obteſtor ut & Epiſcopo cui committimus omnem ſubjectionem exhibeatis, & Cameracenſibus clericis propter cuſtodiam mandatorum Dei a ſedibus ſuis pulſis cum omni integritate & quiete habere faciatis quicquid de rebus Cameracenſis epiſcopii & communitatis fratrum & illorum ſciſmaticorum, qui adhuc cum illo Satanae membro Cameraci remorantur, in Comitatibus veſtris ſeu in virtute veſtra alicubi ſitum eſt. Hoc autem in remiſſionem peccatorum veſtrorum vobis praecipiendo praecipio. Reminiſcimini, filii quia in hanc cauſam gladium portatis. Penſate, dilectiſſimi, quia haec eſt via in eam quae caeleſtis eſt Ieruſalem. Venite, filii, audite me, quia hic eſt timor Dei quem doceo vos. Valete.

Hugo ſanctae Lugdunenſis Eccleſiae ſervus reverentiſſimo fratri Lamberto Atrebatenſi Epiſcopo ſalutem. Curamus innoteſcere veſtrae dilectioni ſororem noſtram in Chriſto Emmam, quae apud nos recluſa amore nominis Chriſti fuit multis diebus, nono Kal. Februarii de ſeculo praeſenti ad caeleſtia, ut credimus, migraſſe. Sed quia ſoli Deo nota eſt ſalus vel perditio mortalium, nulluſque merito ſuo juſtificari apud illum valet, niſi miſeratione divinae purgetur pietatis, praemonendo obſecramus caritatem veſtram quatenus in orationibus veſtris & benefactis animae ipſius ſuccurratis, ut & vos quoque idem praemium ab eodem creatore & redemptore noſtro Ieſu Chriſto conſequi mereamini. Filia quippe veſtrae Eccleſiae, ſicut ipſa ſaepiſſime teſtabatur, erat veſtrae fraternitatis. Valete. Epiſt. 21.

Lamberto Dei gratia Atrebatenſium Epiſcopo Hugo Sueſſorum Epiſcopus ſalutem & in Chriſto dilectionem. Mitto fraternitati veſtrae iſtum parrochianum noſtrum Herimarum nomine, ut ei denarios de quatuor carratis vini, quos Gormarus & Reinerus filius ejus debent & injuſte detinent, reddi faciatis. Audivimus illum velle ire Ieruſalem. Sed prohibeat paternitatis veſtrae prudentia ne pecuniam iſtius ſecum deferat. De rapina enim non eſt facienda eleemoſyna. Iſtud etiam prohibitum eſſe ſcitis a Domino Papa, ne quis in hac via alterius ſubſtantiam deferat. Praecor igitur dilectionem veſtram quod, niſi debitum reddiderint, juſtitiam de eis quae pertinet ad vos pro amore meo huic faciatis. Valete. Epiſt. 22.

Lamberto Dei gratia Atrebatenſium venerabili Epiſcopo Rabbodo humilis Tornacenſium Praeſul ſalutem & dilectionem in Domino. Antiquus humani generis inimicus invidiae facibus accenſus pacem Eccleſiae, quam ſuis fraudibus nocivam intelligit eſſe, omni conatu nititur perturbare. Sed illi, Epiſcopos dico, quibus commiſſus eſt baculus ad tuendum Chriſtianum ovile, incurſantes lupos a dominicarum ovium laeſione debent arcere. Nec ſolum ſpecialiter nobis commiſſis juſtum eſt nos cuſtodire, curam impendere, verum etiam alienis caritatis affectu & pietatis ſtudio oportet invigilare. Moveat igitur pietatem veſtram monachorum ſancti Amandi lacrymabilis querimonia & injuſtiſſime a ſubditis noſtris eis illata execrabilis injuria. Nuper etenim mihi per eos tranſeunti non ſine multa animi contritione & copioſa lacrymarum effuſione, gemitu etiam ab intimis penetralibus educto verba interrumpente, con- Epiſt. 23.

queſti

Digitized by Google

queſti ſunt terrarum ſuarum violentas depraedationes, hominum ſaevíſſimas verberationes, poenales incarcerationes, & uſque ad noviſſimum quadrantem intolerabiles redemptiones; quae omnia inferri ſibi ab Anſelmo & ejus Dapifero Rainero lacrymabiliter ingemiſcunt. Ego autem haec audiens de pravitate veſtri parrochiani doleo, dolens reclamo, reclamans conſilium & auxilium veſtrum ſupplex imploro; ſcilicet ut eum ad ſatisfaciendum propria excommunicatione compellatis, & mihi eum excommunicandi licentiam concedatis; qui niſi ad ſatisfactionem venerit, monachi & ſanctorum reliquiis in terram depoſitis in hujus rei ultionem Deum invocabunt, & Anſelmum cum ſuis fautoribus maledictionibus & execrationibus anathematizabunt. Valete.

Epiſt. 24. Lamberto Dei gratia Atrebatenſium Epiſcopo Manaſſes eadem gratia Cameracenſium Epiſcopus ſalutem & mutuam dilectionem in Chriſto. Amorem & fraternitatem tuam deprecor quatenus benedictionem Eccleſiarum & reconciliationem per praeſentem legatum mihi mittas. Ego enim inſtanti die dominica Dei annuente clementia Eccleſiam conſecrare diſpoſui, & ut amicus ab amico officio noſtro neceſſaria a te quaerere non dubitavi. Vale.

Epiſt. 25. Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus domno Bernoldo Praepoſito, Richoardo Decano, ceteriſque Watinenſis monaſterii fratribus, omnia honeſte & ſecundum ordinem facere. Cum liqueat ſanctorum canonum auctoritatibus aliquem clericum in alterius epiſcopatu ſine commendaticiis Epiſcopi ſui litteris non pergere nec debere recipi, miramur prudentiam veſtram ſatis & ſuper non debentem tranſgredi ſed conſervare canones, Eccleſiæ noſtræ theſaurum, domnum ſcilicet Achardum filium noſtrum & ſanctæ Mariæ Præpoſitum, tam incidenter tamque illicite rapuiſſe. Perpendentes itaque patrem noſtrum Damaſum Papam in hujuſmodi violatores auctoritatem quæ vos non latet ſententiam dantem, dilectum fratrem noſtrum, quem contra fas & cauſa rationabili carentem, & cum neceſſe non ſit Canonicum fieri, Canonicum quem male & inhoneſte recepiſtis, bene & honeſte uſque ad Dominicam *Populus Sion* reddendum procurate. Fratrem vero Achardum vobis teſtibus ſicut Canonicum convenimus quatenus uſque ad eundem terminum pro tam gravi culpa ſatisfacturus adveniat. Sin autem ſcripturarum auctoritatibus noſtrique Metropolitani & coëpiſcoporum noſtrorum conſilio poſiti quæ ei convenit ſententiae gladium in eum exeremus, voſque pro inobedientibus ſpiritui ſancto, cui contraire nefas eſt, deinceps habebimus.

Epiſt. 26. Domino ac venerabili Lamberto Atrebatenſi Epiſcopo Gerardus Morinorum Epiſcopus ſalutem in Domino Ieſu. Mittimus clericum iſtum Tainboldum nomine veſtrae ſanctitati quatenus eum ad ordinem ſacerdotii promoveatis. Valete.

Epiſt. 27. Lamberto Dei gratia Atrebatenſi Epiſcopo Hugo gratia Dei Sueſſionenſis Epiſcopus & Anſellus Belvacenſis electus ſalutem in Domino Ieſu. De negotiis noſtris familiariter, utpote conſanguinei & amici, tractantes, ſummam conſiliorum & actuum noſtrorum a te dirigendam in honeſtum finem obnixius expoſcimus, quem eminenti ſapientia praeditum in multis magniſque conſultationibus cognovimus. Et quoniam tibi familiariter loqui volumus, nec litteris omnia explicare ſufficimus, precamur benignitatem tuam ut in oppidum nobis occurras quod Mirelli mons dicitur, & in tua dioceſi ſitum tuae urbi proximum habetur, XVI. Kal. Ianuarii primo diluculo adeſto nobis. Vale.

Epiſt. 28. Gerewinus Dei gratia Ambianenſium Epiſcopus venerabili Lamberto Atrebatenſium Praeſuli cum Chriſto perenniter gloriari. Ex precatu domni Hugonis Cluniacenſis Abbatis, cui a cunctis fidelibus obtemperandum, veſtrae mandamus fraternitati quatenus hos quatuor monachos cum uno clerico ordinibus quos petierint vice noſtra ſublimetis. Non enim ad præſens quibuſdam obſiſtentibus cauſis ordines facere diſpoſui. Vale.

Honorabili Domino Gerardo Dei gratia Morinenſi Epiſcopo Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus aeternam in Domino ſalutem. Reverentiae veſtrae auctoritatem in adventu Domini adientes conqueſti ſumus ſuper domno Achardo Praepoſito & Canonico noſtro quod inobediendo a nobis recedens in veſtro epiſcopatu non canonice detinetur, & ut nobis reſtitueretur, nec a quoquam veſtra permiſſione ordinaretur, ut auctoritas exigit, plurimum precati ſumus; unde veſtra prudentia nos conclamantes minime exaudivit. Nunc vero per praeſentes litteras noſtras veſtram miſericordiam convenire fraterna pietate cogimur, precantes ut ovem noſtram, quae inobediendo a grege deviavit, uſque ad ſancti Pauli converſionem auctoritate veſtra reddi praecipiatis. Sin autem, ſciatis nos in praeſentia magiſtrorum noſtrorum exinde proclamaturos & juſtitiam Deo auxiliante conſecuturos. Quid de hujuſmodi clericis Epiſcopis ſuis inobedientibus & ad alias Eccleſias transmigrantibus Leo magnus Papa & doctor decreverit advertere, ſicut profeſſi ſumus, non negligamus. Ait enim *Alienum clericum invito Epiſcopo ſuo nemo ſuſcipiat, nemo ſollicitet, niſi forte ex placito caritatis id inter dantem accipientemque conveniat. Nam gravis injuriæ reus eſt qui de fratris Eccleſia id quod eſt utilius aut pretioſius audet vel abducere vel tenere. Itaque ſi intra provinciam res agitur, transfugam clericum ad Eccleſiam ſuam Metropolitanus compellet redire.* Item de eodem in Concilio Cartaginenſi cap. XX. ut clericum alienum niſi concedente proprio Epiſcopo nemo audeat vel retinere vel promovere in Eccleſia ſibi credita. Item perpendere debemus ex auctoritate ejuſdem Concilii cap. XV. ut laici contemptores canonum excommunicentur, clerici vero honore priventur. Cum igitur ſanctorum auctoritas laicos contemptores canonum excommunicet, clericos vero honore privet, miramur vero nec nobis nec Eccleſiae noſtrae matri veſtrae adhuc quod fraternum & epiſcopale eſt feciſſe. Bene valete. Epiſt. 29.

Dilectiſſimo confratri immo patri Lamberto Atrebatenſium venerabili Epiſcopo Hugo Dei gratia Sueſſorum Epiſcopus ſalutem & gloriam in Domino. Ab illo rebelli & ſacrilego Sancti-Medardenſi, non Abbate, ſed invaſore, poſt primam injuriam iterum injuriari & indignius contemni me coram veſtra dilectione ingemiſco. Nam quo modo Remis veſtro aliorumque coëpiſcoporum decreto firmatum fuit ad ſatisfaciendum mihi ſprevit. Veſtram igitur maximam mihi & cariſſimam fraternitatem peto ut ſecundum quod de inobediente & perverſo faciendum fore condecreviſtis, furem illum & latronem & non poenitentem & a me excommunicatum excommunicetis. In idipſum namque opem veſtram mihi pariter promiſiſtis. Vale. Hoc ergo die inſtantis eonae dominicae quaeſo faciatis. Epiſt. 30.

Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus honorabili Dominae ſuae Clementiae Flandrenſium Comitiſſae ſalutem & obſequium cum orationibus. Nobilitati veſtrae notum fieri volumus quoſdam peregrinos parrochianos noſtros Roma venientes omnes extraneas terras quiete tranſiſſe. Tandem in veſtra terra pervenientes a Praepoſito veſtro G. apud Batpalmas depraedati ſunt. Nos vero miniſterium quod ad nos pertinet facere volentes mandavimus ei ut libere vel per fidejuſſionem quod injuſte in pace abſtulerat redderet. Illum hoc facere renuentem in coena Domini excommunicavimus. Nunc autem miſericordiam veſtram exoramus ut ſecundum pacem iſtiuſmodi hominem tractetis & peregrinis ſua reddi faciatis. Quod ſi redditum non fuerit, nos ſtatuta pacis mutare non valentes, totum caſtrum in quo hoc facinus & alia multa facinora acta ſunt in bannum mittemus. Vale. Epiſt. 31.

Reverendo & diligendo Domino ſuo Lamberto Atrebatenſium Epiſcopo Hugo Dei gratia Sueſſorum Epiſcopus in Chriſto ſalutem & obſequium. Frequenter & multum expertus ſum dilectionem veſtram Epiſt. 32.

Digitized by Google

ſtram nobis ſatis benevolam eſſe ſatiſque prodeſſe; ſed in eo quod maxime actum eſt negotio de Sancti-Medardenſi Abbate, quatenus mihi adjutor fueritis, res ipſa conſilio & auxilio veſtro compoſita indicio eſt. Noſſe enim vos volo quod ille Abbas ſupplex nos adiit, peccaſſe ſe confitens; quem abſolvi petentem abſolvimus, & remiſſa nobis a veteri Abbate illius monaſterii cura & baculo paſtorali, & praeſentata nobis electione de ipſo Radulfo Abbatem fecimus. Sed antequam haec perficerentur, Rex litteris ad me miſſis ſe agitationem hanc moleſte ferre oſtendebat, & adjurabat me, atque ad colloquium & orationem vocabat; cujus averſionem volens declinare, ſic illa peregimus noſtri juris plenitudine roborata. Itaque quaeſo ut eum emendatum & abſolutum abſolvatis. Valete.

Epiſt. 33. Manaſſes Dei gratia Remorum Archiepiſcopus Lamberto eadem gratia Atrebatenſis Eccleſiae Epiſcopo ſalutem ac plenae felicitatis ſtatum. Noverit dilectio veſtra, frater in Chriſto amantiſſime, domnum Ingelrannum Laudunenſis Eccleſiae Epiſcopum cum gratia & aſſenſu ordinandi & in Epiſcopum conſecrandi domnum Anſellum Belvacenſis Eccleſiae electum ab Archiepiſcopo Lugdunenſi regreſſum eſſe. Ne igitur diutius Belvacenſis Eccleſia officiorum epiſcopalium privetur adminiſtratione, ea qua praeſidemus vos monemus auctoritate ne a praefata electi perſona quod veſtri eſt officii diſſimulatione aliqua ſubtrahatis, ſed omni quae obeſſe poteſt procul ablegata occaſione, hac quae poſt octavas Pentecoſtes proxime inſtat Dominica ejus conſecrationi Remis intereſſe memineritis. Valete.

Epiſt. 34. Reverentiſſimo Domino & patri patrum Papae Vrbano Lambertus ſanctæ Atrebatenſis Eccleſiae ſervus inutilis debitam ſubjectionem cum orationibus. Scire volumus ſanctitatem veſtram nos & provinciae noſtrae Abbates & coepiſcopos Remis pro quibuſdam eccleſiaſticis negotiis convocatos a Metropolitano noſtro; ubi inter cetera negotia reclamavit domnus B. Abbas Majoris monaſterii animam fratris & filii ſui Roberti Abbatis monaſterii ſancti Remigii, conteſtans in verbo veritatis quod eum nec per ſe nec per perſonam ab eo miſſam Remenſi Eccleſiae omnino liberum niſi ſalva profeſſione & ſubjectione Majoris monaſterii contradiderit. quod ita conſtare domnus Remenſis Archiepiſcopus proteſtatus eſt. Adjecit etiam Abbas quod cum plura de praedicto Roberto Abbate inordinata & irregularia audiſſet fieri, primo eum per epiſtolam, poſtmodum vero per idoneas perſonas ſub nomine obedientiae commonefecerit quatenus in determinato ſibi die & tempore reſponſurus de vita & converſatione ſua Abbati ſe praeſentaret in capitulo Majoris monaſterii, ſin autem, daret Abbas ſententiam in eum tanquam in reum profeſſionis & ſanctae Regulae contemptorem. Frater autem R. Abbas haec indicans domno Archiepiſcopo accepit ab eo conſilium & praeceptum ne aliquo modo vel occaſione ſe erigeret contra patrem ſuum, Abbatem videlicet Majoris monaſterii; quod ſi facere praeſumpſiſſet, qualem in eum praedictus Abbas daret ſententiam domnus Archiepiſcopus collaudaret & confirmaret. Cum vero in præfixo termino, ſicut ei conſtitutum fuerat, Majori monaſterio ſe non praeſentaſſet, dedit in eum Abbas Majoris monaſterii excommunicationis ſententiam. Super omnibus his ab Archiepiſcopo noſtro commoniti, cum Robertus verbis Abbatis ſui canonica ratione contraire nequiviſſet, judicatum eſt ab Epiſcopis & Abbatibus alterius monachum ab Archiepiſcopo non eſſe retinendum, ſed prorſus in poteſtatem Abbatis ſui redigendum. Ille autem hoc audiens avertit ſe a judicio juſtitiae, & nos & coepiſcopos cum Abbatibus, ut ſubterfugeret diſciplinam, ad apoſtolicam invitavit audientiam. Cujus rei ſeriem propterea juſtitiae veſtrae deſcripſimus ut ſi forte inobediens & excommunicatus iſte ad vos venerit, non audiatis contra judicium Epiſcoporum, contra religionem Abbatum; ſed ut ſententia eorum veſtra auctoritate robur obtineat, proſtrati ſanctitatis veſtrae pedibus humiliter exoramus. Benevalete, reverentiſſime Domine & pater, & pro nobis in maximo periculo & dolore per obedientiam veſtram conſtitutis orare non dedignemini.

Manaſſes Dei gratia Remorum Archiepiſcopus Lamberto eadem gratia Atrebatenſis Eccleſiæ Epiſcopo ſalutem & dilectionem in Domino. Morinenſis Eccleſiæ congregatio ac Bernoldus Abbas Guatinenſis cum grege tibi credito Eccleſiae Guatinenſis conſecrationem pia devotione ſitientes, & hujus officii exequendi poteſtatem domno Gerardo Morinenſi Epiſcopo hoc tempore non eſſe conceſſam conſiderantes, a nobis, in cujus providentia nunc paſtoris cura pendet, expetierunt quatenus hujus conſecrationis officium alicui coepiſcoporum noſtrorum injungeremus. Nos vero, quia remotioribus Epiſcopis aliquod in itinere impedimentum obtingere metuimus, diverſa diverſorum malefacta circumſpicientes, vobis, quia ceteris vicinior eſtis, quia, ut ſperamus, ſine impedimento illuc tranſire poteſtis, quia ipſius Eccleſiae familiaris eſtis, hujus conſecrationis officium injungimus, praecipientes quatenus praefatæ Eccleſiæ libertatem noſtra fultus auctoritate firmetis in perpetuum ſecundum decreta & ſanctiones canonum. Valete. Epiſt. 35.

Reverentiſſimo Domino & patri patrum Papæ Vrbano Lambertus ſanctæ Atrebatenſis Eccleſiae Epiſcopus ſervus inutilis debitam cum orationibus obedientiam. Dominus Gerardus Morinenſis Epiſcopus ſperans apud ſanctitatem veſtram nos poſſe intercedere ut pro eo vobis litteras noſtras dirigeremus exoravit. Nos vero quid de cauſa ejus poſt Nemauſenſe Concilium definieritis ignorantes, ſicut tunc, ita & adhuc, ut ei ſecundum Deum faciatis miſericordiam ſanctitatem veſtram ab eo rogati exoramus. Bene valete, reverentiſſime Domine. Epiſt. 36

Anſelmus Archiepiſcopus Cantuariæ amico ſuo reverendo Epiſcopo Atrebatenſi Lamberto ſalutem. Precor ſanctitatem veſtram quatenus propter domni Papae amorem & noſtrum faciatis conduci iſtum clericum ejus per epiſcopatum veſtrum quantum vobis placet. Valete. Epiſt. 37.

Venerabili fratri Lamberto Atrebatenſi Epiſcopo Hugo Lugdunenſis Eccleſiæ ſervus ſalutem. Frater iſte geruIus horum querimoniam nobis fecit de fratre noſtro Ambianenſi Epiſcopo & Fulcone Archidiacono amico & familiari noſtro, rogans quatenus cauſam ſuam fraternitati veſtrae committeremus. Injungimus itaque caritati veſtræ ut Ambianenſem Epiſcopum & prædictum Fulconem Archidiaconum conveniatis, & ut praedicto fratri de quibus conqueritur juſtitiam in audientia veſtra faciant admoneatis. Quod ſi facere noluerint, ex parte noſtra amicum noſtrum Remenſem Archiepiſcopum rogate ut eos quod juſtum fuerit jamdicto fratri exequi faciat. Epiſt. 38.

Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus honorabili Dominae ſuae Clementiae Flandrenſium Comitiſſæ ſalutem & fidele ſervitium cum orationibus. Domnus Manaſſes Remenſis Archiepiſcopus nuper mihi miſit litteras pro Morinenſi Eccleſia, quibus injunxit ut vos arrationarem per nos vel per litteras noſtras de Roberto & de munitione ejus, per quam non deſiſtit prædictam Eccleſiam & bona clericorum diripere & devaſtare, & quod inde reſponderetis reſcire eum facerem in proxima Dominica quando cantabitur *Populus Sion*. Rogamus ergo excellentiam veſtram & honeſtati veſtræ conſulimus quatenus ſic juſte & honeſte Archiepiſcopo reſpondeatis ne in vobis aut culpam aut injuſtitiam pro Roberto contra Morinenſem Eccleſiam matrem veſtram aliquo modo inveniat. Bene valete in Domino ſemper. Amen. Epiſt. 39.

Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus honorabili Domino & amico ſuo Gonfrido Lenſenſi Caſtellano, licet aliter merito, ſalutem & dilectionem cum orationibus. Pervenit ad ſynodum noſtram gravis clamor de vobis quod atrium de Lothes & Epiſt. 40.

terram

terram ad ejuſdem atrii Eccleſiam pertinentem infregeritis, & homines, licet rei juſtitiae veſtrae fuerint, ut dicitur, inde nobis inconſultis, quod nullo modo vobis nec alicui terrenæ poteſtati facere licet, contra libertatem ſanctæ Dei Eccleſiæ matris veſtræ, contra excommunicationem atriorum & terrarum ſanctuarii, contra pacem juratam, pro ſola voluntate veſtra res illorum vobis retinueritis. Vnde multum miramur vos tam grande malum in partibus noſtris feciſſe, quod facere non ſoletis, cum in terra nativitatis veſtræ ſemper legalem & bene modeſtum vos fuiſſe conſtiterit. Scire volumus vos quia Ozias Rex Iſraël percuſſus eſt a Domino lepra perpetua pro eo quod officium pontificatus ſibi uſurpare præſumpſit. Similiter & Nabuchodonoſor Rex Babyloniæ quia non dedit gloriam Deo, creator omnium Deus duram & extra ſocietatem humanam per ſeptem annos ſibi ab eo accepit vindictam. Quia igitur haec & quaecunque ſcripta ſunt juxta Apoſtolum Paulum ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, per præſentes litteras noſtras ad correctionem ſalutis veſtræ in praeſentia noſtra vos invitamus, & eos qui vobis in tam perverſo facto cooperatores fuerunt. Propterea vero ſynodalem ſuſpendimus a vobis excommunicationis ſententiam, quia vos & hujus operationis nequam magis deſideramus humiliter ſalvari quam contumaciter & ſuperbe damnari. Si igitur infra quindecim dies ab hodierna die viſis litteris noſtris juxta conſtitutionem libertatis & pacis atriorum & terrarum ſanctuarii ſatisfacere Deo & nobis, quod abſit, nolueritis, nos ſalvatore omnium adjuvante, & ſanctorum canonum ſeveritate inſinuante, & in eos quos jam vocavimus & bannivimus & in deſenſores eorum excommunicationem facere non tardabimus. Vale.

Epiſt. 41. Manaſſes Dei gratia Remorum Archiepiſcopus dilecto confratri & conſacerdoti ſuo Lamberto eadem gratia Atrebatenſium Epiſcopo ſalutem & dilectionis affluentiam. Noviomenſis Eccleſia paſtoris ſui ſolatio & debita ſollicitudine ſe deſtitutam ingemiſcens, & perſecutionem quam interius exteriuſque patitur lacrymabiliter nobis aperiens, factam de domno Baldrico cum magno cleri ac populi unanimitatis conſenſu electionem nobis praeſentavit. Nos vero nihil in eo quod ſacris obviet canonibus cognoſcentes, & noſtro eam aſſenſu probavimus, & diem conſecrationis illius Dominicam in octavis hujus inſtantis Pentecoſtes determinavimus; ad quam ut in electo quod veſtri eſt officii compleatis dilectionem veſtram commonentes invitamus, quatenus omni quod obeſſe poteſt procul relegata occaſione, die praefata Remis adeſſe memineritis. Vt nos tamen parte aliqua laboris noſtri exonereris, ita vos venturum quinta vel ſexta feria volumus ut pro nobis in ſabbato ordines faciatis. Valete.

Epiſt. 42. Reverentiſſimo atque dilectiſſimo Domino Lamberto Atrebatenſium Epiſcopo R. Noviomenſis Eccleſiae Decanus ſibique ſubdita congregatio fideles orationes plurimumque dilectionis in Domino. Noverit, Domine, paternitas tua, Eccleſiam noſtram paſtoris noſtri defuncti viduatam ſolamine, multis in momento jactatam naufragiis, multis etiam perſecutionum oppreſſam turbinibus, via ad ſalutiferae portum reductam conſolationis. Sed quia Dei miſericors providentia ſperantium in ſe gemitus non deſpicit, plebis ſuae miſeriam dignatus eſt viſitare, & electione paſtoris Eccleſiam ſuam amiſſae privilegio reformare laetitiae. Habet enim communi cleri plebiſque conſilio & aſſenſu paſtorem non aliunde illatum, non alium, ſed ſuum, ſuo profuſum utero, quem gremio ſuſceptum ipſa ſibi lactavit, quem ſibi ablactatum ipſamet educavit, & ab ipſis cunarum exordiis per aetatum & ordinum gradus ſibi penitus vendicavit, ut habere gaudeat ex filio patrem, ex alumno rectorem, ex Canonico ſuo & Archidiacono Baldrico Pontificem. Nullum namque in tota Eccleſia hac promotione cognoſcimus digniorem. Vos itaque, pater ſanctiſſime, qui conſolationem noſtram, ut credimus, fraterna benevolentia diligitis, petimus quatenus ſuper hoc aſſenſum veſtrum domno noſtro Archiepiſcopo tranſmittatis, & ad conſecrandum paſtorem vos nobis caritative ſolamen & auxilium exhibeatis. Valete.

Epiſt. 43. Honorabili Domino & patri cariſſimo Manaſſe Dei gratia Remenſi Archiepiſcopo Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus aeternam in Domino ſalutem. Invitavit nos paternitas veſtra ſero nimium ad conſecrationem Noviomenſis electi, praeſertim cum nobis nec copia rerum ſuppeditet, nec ſecuritas viarum. Praeterea reminiſcemini quod dum juſſiſtis & potuimus ſine excuſatione vobis & matri noſtrae Remenſi Eccleſiae jam non ſemel, ſed ſaepe, ſervivimus & ſervire parati ſumus. Sed quoniam in praeſenti his quae praediximus & aliis quae paternitati veſtrae poſtmodum ſuggeremus impedimur, celſitudinem veſtram adverſum nos non indignari precamur. Quicquid autem metropolitana auctoritas veſtra quod ſacris non obvie canonibus aut apoſtolicae ſedis praeceptis faciendum decreverit, libenti animo laudamus & laudando confirmamus. Valete.

Epiſt. 44. Lamberto Dei gratia Atrebatenſi Epiſcopo & cognato ſuo Guido Pontivorum Comes ſalutem & amicitiam. Veſtram humiliter obſecro pietatem ut ſeptima feria Pentecoſtes Abbatiſvillam venire dignemini, quoniam in craſtina die dominica debeo Ludowicum Regis filium armis militaribus adornare & honorare & ad militiam promovere & ordinare. Precor itaque ut ad ipſum Ludowicum honorandum veniatis. Auctoritatem enim veſtri conſilii in hoc facto intereſſe deſideravi. Igitur etſi propter ipſum Ludowicum venire refutatis, tamen propter me & propter cognationem inter vos & me habitam flagito ut venire dignemini; & propter remunerationem cujuſcumque rei quam a me amodo impetrare valueritis rogo ut in ſabbato Pentecoſtes veniatis. Valete.

Epiſt. 45. Clementia nutu Dei Flandriae Comitiſſa Lamberto Atrebatenſium Epiſcopo ſuo cariſſimo optata quaeque in Domino. Quoniam cauſa quae inter me & Tarvanenſis Eccleſiae clericos tractatur tibi nota eſt, ſuperfluum duxi iterum tibi referre. Verumtamen quia in te non minimum confido, mando & ut amicum moneo quatenus Archiepiſcopo nuntium aut litteras cum meis mittas, moneas & ſuadeas ut de his qui mihi injuriam faciunt plenam juſtitiam faciat, & conſilium mihi & honori meo condignum ſuper his dare non differat, ne ejus juſtitia deficiente opus ſit mihi ad vindicandum manum extendere. Vale.

Epiſt. 46. Totus reverentiae digniſſimo ſanctae Atrebatenſis Eccleſiae Lamberto Epiſcopo Poppo confrater & coëpiſcopus Metenſis perſeverantiam in bonis operibus. Quoniam a (filiis) noſtrae Eccleſiae comperimus magnum vos cum domno anteceſſore noſtro Hermanno quondam modo amicitiae iniſſe foedus, cujus vicis, licet indigni, fungimur officio, quia ſic ſe noſtrae rationis intulit occaſio, idem pactum amicitiae inter nos tanto amplius renovari magno optaremus deſiderio quanto amplius nos indigere videmus auxilio. Per hujus enim copulationis gaudium magnum nobis provenire crederemus ſolatium, quoniam imbecillitati minus valentium, ut ſcripturae ſacrae confirmat auctoritas, multum prodeſt ſocietas bonorum. Quod ſi unquam ad recompenſandam eidem domno Hermanno copulam locum in quo ejus membra tumulata quieſcunt adire decerneretis, non parva nobis cordis laetitia de veſtra exhiberetur praeſentia. Quia igitur ob perſecutionis exilia ad ordinationis complenda officia loca deſunt opportuna, horum filiorum noſtrorum pulſatus precibus, eos veſtrae dilectioni tranſmittere decrevimus, ut a vobis in proximo promoveantur conſecrationum gradibus. Valete.

Epiſt. 47. Lamberto Atrebatenſis Eccleſiae reverentiſſimo Epiſcopo Philippus Catalaunenſis Epiſcopus ſtola immor-

Digitized by Google

mortalitatis indui. Quoniam quidem noſtrum eſt omnibus ſanctae Eccleſiae filiis in neceſſitatibus ſubvenire, ſummopere penſandum nobis eſt illis conſolationis auxilium impendere quos ob timorem caeleſtis patriae mundi hujus credimus ſolatium deſeruiſſe. Quapropter veſtram, venerande pater, exoramus caritatem ut hos fratres, quos venerabilis Poppo Metenſis Epiſcopus conſecrationis cauſa ad nos direxit, ad ſacros ordines in epiſcopatu noſtro, in Eccleſia videlicet omnium ſanctorum promoveatis. Mihi etenim curis ſecularibus implicito fungi modo non licet hujuſmodi officio. Vale.

Epiſt. 48. Urbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei reverentiſſimo fratri & coëpiſcopo Manaſſe Remenſi Archiepiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Quamvis clericorum Noviomenſium litteras de Tornacenſis Eccleſiae conjunctione falſas ex parte non ambigamus, non enim in vita tantum venerabilis fratris noſtri Rabbodi unitatem ipſarum Eccleſiarum ſanxeramus, & authentica tantam Noviomenſium privilegia rata manere decreveramus, nil tamen ad praeſens ſuper hac re vel mutandum vel ſtabiliendum duximus. Fratrem autem Baldricum, quem ad nos miſiſtis, Noviomenſem electum nos tuae fraternitati remittimus. Tu ipſi & Eccleſiae in qua electus eſt ſecundum Deum atque ſalutem tuae & ipſius animae providere debita ſollicitudine procurato. Vale.

Epiſt. 49. Manaſſes Dei gratia Remorum Archiepiſcopus dilecto fratri & coëpiſcopo ſuo Lamberto Atrebatenſi ſalutem & omne gaudium. Scire vos volumus, frater in Chriſto dilectiſſime, domnum Papam electum Noviomenſem domnum Baldricum cum litteris ſuis ut quod ei debetur impendamus ad nos remiſiſſe, noſque ipſi diem conſecrationis in proxima videlicet dominica poſt Teophaniam ad conſilium noſtrae Eccleſiae ſtatuiſſe. Ad hanc itaque ejus conſecrationem fraternitatem veſtram poſtpoſita omni occaſione praeſentibus indiciis invitamus, ut die praedicta debitum ei nobiſcum impendatis. Valete.

Epiſt. 50. Manaſſes Dei gratia Remorum Archiepiſcopus clero, ordini, & populo Morinenſi ſalutem & dilectionem. Noverit dilectio veſtra, cariſſimi, quia domnus Papa inter caetera praecepta ſua nobis per Epiſcopos noſtros qui Roma regreſſi ſunt tranſmiſſa maxime de Eccleſia veſtra nos providere praecepit ne diutius paſtoris ſolatio deſtituta remaneat, ſed eum ſine dilatione conſequatur. Quocirca vobis tanquam filiis ea qua praeſumus auctoritate praecipimus quatenus ſexta feria proxime inſtanti domnum Iohannem, cujus electionem domnus Papa & Romanum Concilium approbat & confirmat, Atrebatenſi Epiſcopo, cui illum promovere in ſacerdotem vice noſtra praecipimus, nolentes eum vobiſcum ad nos uſque defatigare, praeſenteris, ut & nos ei quam citius conſecrationis manum imponere poſſimus. Quod ſi cauſas praetenderitis, ſi dilationes afferre malueritis, habebit Dominus de manu veſtra ſanguinem populi ſui requirere. Valete.

Epiſt. 51. Domino ſuo Lamberto Dei gratia Atrebatenſium Epiſcopo univerſus clerus & populus Tarvanenſis in operibus bonis cooperationem ſpiritus ſancti. Suſceptis domni Papae litteris ſuper confirmatione electionis Domni Iohannis Atrebatenſis Archidiaconi, eam corde & animo communiter approbamus, ſcientes eum boni teſtimonii virum ac tanto officio vita & converſatione idoneum. Et quoniam diutius ab epiſcopalibus officiis noſtra carere non valet Eccleſia, ſupplicamus ſanctitati veſtrae ut pro periculo quod ipſi Eccleſiae quotidie ſcitis imminere electum noſtrum in ſacerdotem promovendo veſtra caritas acceleret ſuccurrere, quatenus conſequentes ſine dilatione aliqua epiſcopalem conſecrationem praeſtante Domino percipiat. Domini autem gratia eum ſuper gregem iſti committendum ſic concedat vigilare ut ab ipſo audire mereatur *Euge ſerve bone*. Valete.

Epiſt. 52. Domino & confratri ſuo Lamberto Dei gratia Atrebatenſium Epiſcopo Manaſſes Cameracenſis Eccleſiae Epiſcopus ſalutem & ſervitium. Veſtrae ſanctitati notificamus Eccleſiam de Ficano, quia proprio caret paſtore, nimis eſſe deſolatam; ad cujus conſolationem fratres ejuſdem coenobii quendam Aquicincti monachum nomine Taimboldum in Abbatem elegerunt, utque inde veſtram paternitatem interpellaremus a nobis quaeſierunt. Nos vero eorum precibus ex debito paternae caritatis acquieſcentes, mandamus vobis & in ſpiritu humilitatis deprecamur quatenus ſuper tanta neceſſitate ad deliberandum monachum dignemini Abbatem interpellare, & ſi juſtum & canonicum fuerit, etiam per obedientiam conſtringere. Valete.

Epiſt. 53. Lamberto Dei gratia Atrebatenſium Epiſcopo Ida Comitiſſa de Montibus ſalutem & obedientiam. Veſtram, dulciſſime, fidenter expoſtulo paternitatem ut ſicut in aliis mihi vos experta ſum amicum utilem, ita in hoc negotio ſentiam injuſtae delationis excuſatorem, ne ego aut terra mea ſententia excommunicationis feriatur elaborate. De omnibus coram vobis praeſto ſum ſatisfacere. Valete.

Epiſt. 54. Domino & amico cariſſimo Lamberto venerabili Dei gratia Atrebatenſi Epiſcopo Philippus eadem gratia Catalaunenſis Epiſcopus fidele ſervitium cum orationibus. Quoniam Eccleſiam beati Memmii primi paſtoris noſtri XVII. Kal. Novembris cum divino auxilio dedicaturi ſumus, ad hanc celebritatem fraternitatem veſtram invitamus. Vos enim tantæ ſollennitati intereſſe volumus, tum ſanctitatis qua præeminetis excellentia, tum quia dilectionis priſtinæ recreari volumus collocutione mutua. Rogat ergo vos beatus Memmius, rogamus & nos ea qua confidimus, de vobis dilectione ut humilitatem noſtram ſublimitas veſtra viſitare & praedictae Eccleſiae conſecrandae non dedignetur adeſſe. Valete.

Epiſt. 55. Domino ſuo Lamberto Atrebatenſium Dei gratia Epiſcopo frater R. ſancti Remigii Abbas expulſus, quod patri filius & domino ſervus. Litteras judicii noſtri quod Romae factum fuit volumus veſtrae paternitati tranſmittere, ut notum vobis ſit me nullo unquam judicio depoſitum eſſe. Scire ſimiliter volumus dilectionem veſtram quae verba Papa contra Vlricum protulerit cum me accuſaret, hoc ſolum dicens quia Abbas Majoris monaſterii penitus a jugo ſuae dominationis me non abſolviſſet. Teſtor Deum me vera dicturum, prout intellexi, & teſtimonio eorum qui mecum interfuerunt ſcripto commendavi. Et ſi non dico eaſdem ſyllabas & compoſitam dictionem, dicam tamen aequipollentes & in ipſius narrationis compoſitionem. Ait ergo: *In tota ſerie ſanctorum canonum Archiabbatem unquam invenimus annotatum, quod utique fuiſſet, ſi Abbas Abbati præponi debuiſſet, ſed ſicut nemo poteſt duobus dominis ſervire, ſic nemo poteſt duobus profeſſionibus obedire. Monachus enim ex quo eſt ab Eccleſia ſua emiſſus & in Abbatem promotus, cujus eſt Abbas ejus eſt & monachus.* Haec dixit. Vos igitur perpendite quam recte egerit adverſum me Archiepiſcopus noſter, apud quem ſupplicamus vobis ut ſitis interceſſor noſter.

Epiſt. 56. Manaſſes Dei gratia Remorum Archiepiſcopus Lamberto confratri ſuo Atrebatenſi Epiſcopo ſalutem in Chriſto Jeſu. Notum vobis ſit, frater cariſſime, rumorem verum & gaudioſum in aures noſtras noviter perveniſſe, quem non ab humana poteſtate, immo a divina majeſtate credimus deſcendiſſe, Jeruſalem ſcilicet ſtare in excelſo cum gaudio & jucunditate quam noſtris temporibus a Deo ſuo tam glorioſe ſuſceperit, Jeruſalem urbs noſtrae redemptionis & gloria gaudio gaudet inopinabili, quia per laborem & potentiam incomparabilem filiorum Dei a ſervitute paganorum crudeliſſima deliberata eſt. Congaudeamus & nos, quorum fides Chriſtianitatis in ſpeculo claritatis aeternae illis temporibus poſita eſt. Commoniti igitur, vocati, & compulſi, non ſolum per litteras domni Papae Paſchalis, verum etiam per preces humillimas Godefridi Ducis, quem exercitus Chriſti divina ordinatione in Re-

gem

Digitized by Google

gem ſublimavit, necnon & per domni Arnulfi ſupplicationes melliſluas, quem in Patriarchatum Ieroſolymitanae ſedis unanimiter elegit, vobis mandamus caritate conſimili quatenus per ſingulas parrochiarum veſtrarum Eccleſias cum jejuniis & eleemoſynis indeficienter orare faciatis ut Rex Regum & Dominus dominantium contra hoſtes Chriſtianorum Regi impendat victoriam & contra ſectas & deceptiones haereticorum Patriarchae religionem & ſapientiam. Mandamus pariter & per obedientiam commonemus quatenus omnes qui voventes iter ſignum crucis ſuper ſe fecerunt ad proficiſcendum Ieruſalem ad ſubveniendum fratribus ſuis comminando conſtringatis, ſi vigent corpore & unde iter perficere poſſint habuerint. Ceteros autem per praedicationes veſtras ſolerter ac devotiſſime monere ne ceſſetis quatenus populo Dei ſubvenire non negligant; ut quemadmodum primi, ita & noviſſimi denarium qui promittitur laborantibus in vinea pariter accipiant. Valete. Orate pro Podienſi Epiſcopo, pro Auraſicenſi Epiſcopo, pro Anſello de Ributmonte, & pro ceteris omnibus qui tam glorioſo coronati martyrio in pace defuncti ſunt.

Epiſt. 57. Manaſſes Dei gratia Remorum Archiepiſcopus dilecto fratri & coepiſcopo ſuo Lamberto Atrebatenſi ſalutem cum omni proſperitate & benedictione. Cum frater Galterus canonice & abſque legali contradictione in clericatum admiſſus ſit, eum in Canonicum promovere nulla repugnat ratio vel juſtitia contradicit, cum uxorem ipſius mœchatam eſſe, alteri etiam viro nupſiſſe nemo qui dubitet. Vt enim juxta Apoſtolum loquamur, poſtquam uxorem ſuam mœchari reſcivit, libera ei omnino eam dimittendi & quodlibet votum exequendi tantum in Domino data eſt poteſtas, praeter hoc quod ea vivente alteram ducere non poteſt. Audito ſane quod in Eccleſia veſtra & de praebendis & de altaribus in ſecundam & tertiam & quartam perſonam haereditaria ſucceſſione fiat inveſtitura, magna admiratione concutimur quod tam pravo & inaudito uſui fraternitas veſtra minime reſtiterit. Hic enim uſus per ſimoniacam pravitatem in ſancta Eccleſia inolevit totis viribus abolendus, & omni diligentia extirpandus, quem noſtra Remenſis Eccleſia quaſi nefarium execratur, omneſque ejuſmodi inveſtituras irritas habet, cum Dominus per Prophetam imprecetur: *Omnes qui hereditate poſſederunt ſanctuarium Dei, Deus meus pone illos ut rotam & ſicut ſtipulam ante faciem venti.* Valete.

Epiſt. 58. Manaſſes Dei gratia Remorum Archiepiſcopus dilectiſſimo confratri ſuo Lamberto Atrebatenſium Epiſcopo ſalutem in Chriſto Ieſu. Quia confratris noſtri & coepiſcopi Manaſſe preces non deſiſtunt lacrymoſæ, neque nos deſiſtimus, ſed pro eo vos corde & ore interpellamus, precamur, commotique dolore fraternæ deſolationis caritative commonemus ne, ſicuti jam vobis mandaſſe credimus, terram Comitiſſæ Montium interdicere differatis, ſed ad honorem Dei quod veſtri juris eſt ſine dilatione plenarie peragatis. Præterea vobis mandamus præcipue per obedientiam omnibus Abbatibus veſtris, monachis, & clericis ne deinceps Cameracum intrent, nec ullo modo excommunicatis communicent, neque aliqua colloquia cum Gualchero habeant. Multoties namque mala colloquia bonos mores corrumpunt, & ſicut nobis relatum eſt, potius incitant eum in malo perſeverare quam revocent ab errore. Ergo iſtos corrigamus, ne coinquinentur ab injuſtis. Valete, illorumque altaria qui Cameraci reſident firmiter vobis retinete. Valete.

Epiſt. 59. Domino ſuo Lamberto providentia Dei Atrebatenſium Epiſcopo Manaſſes ejuſdem miſericordia Cameracenſium paſtor indignus ſalutem & ſervitium. Si frater fratrem adjuvare noluerit, amborum conſolatio multiplicabitur. Conſolamini igitur, conſolamini me, pater reverende, me inquam conſolamini, quem Cameracenſium maledicta progenies tam impudenter tradiderit quam ſine culpa, ſine merito Comitiſſa Montenſis perſequi non deſiſtit. Itaque cum Deus ſpiritualem gladium nobis ſolummodo reliquerit, illos ſpirituali gladio puniamus quorum marinoſis impulſi tempeſtatibus neque die neque hora quieſcere poſſumus. Cum igitur dicat Apoſtolus, *alter alterius onera portate &c.* Pater ſanctiſſime, portate onus meum, interdicite per terram praedictae Comitiſſae divinum officium, quae neque Deum offendere, neque Romanam ſedem, neque Remenſem Eccleſiam, neque paſtoralitatem veſtram erubeſcit dedecorare; unde me cum omnibus meis benevolis perpetuae ſervituti poteritis redigere. Valete, altariaque excommunicatorum meorum ab ipſorum immundis manibus eripite. Valete.

Epiſt. 60. Manaſſes Dei gratia Remorum Archiepiſcopus cariſſimo ſuo ſtrenuiſſimo Comiti Roberto ſalutem dilectionem, & benedictionis copiam. Quam prompta quamque benigna affectione nos in terra veſtra receperitis recolentes, magnas dilectioni veſtrae gratias referimus, parati ad quodcunque eſt amicitiæ utilitatibus veſtris pro poſſe noſtro operandum. Porro ſi amicitia de mutuis conſtet officiis, facile eſt ut ex animo veſtro noſtrum metiamini. Ceterum cum de eccleſiaſticis utilitatibus & negotiis apud ſanctum Audomarum nobiſcum una cum coepiſcopis noſtris ſermonem habuiſſemus, de conjugatis Presbyteris & ceteris eccleſiaſticis ordinibus mentionem feciſſe nos meminimus, abſque conſenſu conſilioque eorundem coepiſcoporum noſtrorum conjuges eorum, niſi ab hujuſmodi conſortio declinarent, vobis ceteriſque principibus veſtris capiendas poſt factam excommunicationem exponentes. Igitur cum clericis noſtris inito conſilio conquerentibus adverſum nos nihil juris canonice eis praeſidentibus abſque aſſenſu eorum parrochiis eorum habere recognoſcentes, maturius vobis ſcribendum neceſſarium duximus, mandantes ſimul & commonentes ne Presbyteros ceteroſque ſacri ordinis miniſtros hac de cauſa inquietare vel eorum conjuges perſequi attentetis vel ab aliquo principe veſtro injuriari permittatis, niſi forte Epiſcopus in cujus parrochia eſſe dignoſcitur in auxilium vos ſibi adſciverit. Nolumus enim neque juſtum eſt ut in aliquo coepiſcopis noſtris habeamur injurii, ne ſi quid durius juſto præceperimus, in occaſionem rapinae & utilitatem eccleſiaſtici ordinis proveniat. Decrevimus enim ut in ſynodis ſuis Epiſcopi ipſos acerrime ſuper hoc conveniant, & niſi admonitione facta ab hoc pravo opere deſtiterint, tunc demum ſibi vos adjutores & ultores adſciſcant. Valete

Epiſt. 61. Iohannes & Benedictus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales atque Legati Lamberto Atrebatenſi Epiſcopo ſalutem & gratiam. Sicut Eccleſiae noſtrae antiqua eſt conſuetudo, & ſacrorum canonum exigit conſtitutio, ab apoſtolica ſede directi ſumus ad celebranda Concilia & negotia eccleſiaſtica tractanda atque definienda. Quapropter ut injunctum negotium explere valeamus, invitamus & invitando præcipimus apoſtolica auctoritate ut XIIII. Kal. Decembris Pictavim cum Abbatibus tuis venias. Ibi enim Domino adjuvante tecum & cum aliis Epiſcopis & Archiepiſcopis Concilium celebraturi ſumus.

Ego Iohannes tuæ ſanctitatis ſervus te ſpecialiter ſaluto, & conſilium & auxilium tuum tam in hoc quam in ceteris negotiis vehementer expoto, & ut ſervus de domino & filius de patre de tua gratia & amicitia præſumo. Vale.

Epiſt. 62. Domino & patri ſuo Lamberto Atrebatenſium venerando Epiſcopo Hugo Sueſſionenſis perſona, indignus vocari Epiſcopus, obſequium ſemper in Domino. Significavi vobis nuper quod mente aſſidue gero deſiderium meum videndi vos & conſulendi prudentiam veſtram, optime pater. Item idipſum mihi a veſtra paternitate conferri tota aviditate expoſco. Cum igitur in proximo diſceſſurus ſim, conſilium tuum & prudentiae tuae colloquium, quod, ut vere decet, ſemper magni pendo, ſaltem ſemel ante diſceſſionem habere cupiens, locum & tempus mihi præfigi & determinari efflagito ubi optatam mihi faciem

ciem fortaſſe in omni vita mea ſemel adhuc videre contingat. Deſidero enim vos ſicut angelum Dei. A vobis enim multa bona accepi, multa bona audivi. Vnde & infinitarum vobis ſemper ſum & ero debitor gratiarum. Vale.

Epiſt. 63. Lamberto Dei gratia Atrebatenſium Epiſcopo Hugo Decanus, Rogerus & Lſiardus Archidiaconi, omniſque congregatio Belvacenſis Eccleſiae, caſati etiam, cum univerſo populo ejuſdem civitatis, orationes & fidele ſervitium. Multa & innumera diverſi quoque generis incommoda ad impedimentum Belvacenſis Eccleſiæ ſibi invicem occurrentia nos invitant ad veſtram paternitatem literas mittere, ut veſtræ vigilantiæ ſtudio ab ingruentibus tempeſtatibus ad portum quietis poſſimus ennatare. Cum in Eccleſiam & patriam noſtram paſtore deſtitutam hoſtes non ſolum inviſibiles, ſed etiam viſibiles, crudeliter graſſarentur, ad refrenandam multimodæ hoſtilitatis nequitiam domnum Stephanum Parifienſem Archidiaconum utilem & honeſtum virum cleri & populi pari voluntate & concordi conſilio, remota omni ſimoniaca pravitate, in Dominum & Epiſcopum elegimus; qui & per majores Eccleſiae noſtrae perſonas a nobis requiſitus, nequaquam noſtris petitionibus acquievit, ſed omnino refutavit. Timentes autem ne poſtea aliquorum intruſione ex tranſverſo nobis illata gravaremur, iterum ad praefatum electum communi conſilio recurrentes, renuentem ac reclamantem, tandem vero a Pariſienſi Eccleſia nobis conceſſum, honorifice recepimus, & eum in Dominum & Epiſcopum deinceps habere decrevimus. Et quoniam omnibus oculum rationis habentibus manifeſtum eſt quod Eccleſia noſtra ab ingruentibus incommodis nequaquam poterit liberari niſi prius paſtorali fuerit ſollicitudine praemunita, veſtram idcirco ſanctitatem obnixe deprecamur ut apud domnum Papam pro electo noſtro literis & ſigillo veſtro intercedatis quatenus idem electus noſter per veſtram interceſſionem adipiſcatur gratiam conſecrationis. Super illo autem negotio a domno Manaſſe Remorum Archiepiſcopo & ceteris coëpiſcopis qui conventui Sueſſionis habito interfuerunt quaeſivimus & impetravimus litteras ſummo Pontifici dirigendas; quoniam neceſſe eſt ut Belvacenſis Eccleſia per ſanctam Remenſem Eccleſiam utique matrem ſuam & ceteras ſorores ſuas curae paſtoralis ſollicitudine perveniat ad quietem, quae tamdiu in valle lacrymarum depreſſa eſt non habens conſolatorem. Precamur etiam ut domno Iohanni Presbytero Cardinali atque Legato ſanctae Romanae Eccleſiae familiari amico veſtro deprecatorias ſuper iſto negotio litteras dirigatis, quatenus apud domnum Papam veſtris precibus ipſum pro nobis interceſſorem acquiratis. Valete.

Epiſt. 64. Lambertus Atrebatenſis Epiſcopus Balduino clerico Iprenſi a ſede apoſtolica nuper regreſſo, & omnibus conſodalibus ſuis ſuper Morinenſi Epiſcopo de altari Iprenſi cauſam habentibus, ſalutem. Invitamus vos ſecundum domni Papae praeceptum & invitando apoſtolica auctoritate monemus quatenus ſexta feria infra octavas Epiphaniae, id eſt, tertio Idus Januarii, ante horam ſextam, in praeſentia noſtra Atrebatum adveniatis, ut ibi cauſa veſtra, de praedicto videlicet altari, diligenter inveſtigata canonice poſſit Dei omnipotentis miſeratione definiri. Valete.

Epiſt. 65. Reverentiſſimo Domino & patri patrum Paſchali Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus debitam ſubjectionem cum orationibus. Cauſam Morinenſis Epiſcopi & Iprenſium clericorum, ſicuti paternitas veſtra nobis injunxit, hoc modo definivimus. Cum ad diem illis praefixam ſe nobis utrinque praeſentarent, ne in hac cauſa aliquid contentioſe ageretur, optionem eis eligendi judices de quibus nulla poſſet eſſe ſuſpicio dedimus. quod Epiſcopus conceſſit, clerici vero renuerunt. Denique Epiſcopus dixit ſe paratum eſſe probare eos Eccleſiam Iprenſem ſimoniace adeptos fuiſſe & poſt Nemauſenſe Concilium a domno Gerardo accepiſſe, & eundem Gerardum eodem tempore a domno Vrbano beatae memoriae Papa ab omni epiſcopali officio ſuſpenſum fuiſſe. Clerici vero huic ejus objectioni nullum omnino reſponſum dare voluerunt, tantummodo poſtulantes ut eis inducias daremus, eo quod quidam eorum ſocius abeſſet, quem dicebant infirmari. Vnde cum eis judicium ſuper his facere praeciperemus, dixerunt ſe non ad hoc veniſſe ut judicium aliquod ſubirent, ſed ſi non darentur induciae quas poſtulabant, recederent. Nos vero veſtra apoſtolica auctoritate, videlicet in hoc negotio vice veſtra fungentes, interdiximus ut a noſtra immo veſtra praeſentia nonniſi judiciali & canonico ordine recederent. Illi vero haec omnia nihil pendentes, ſed Deo & vobis & nobis inobedientes, nullo facto ſibi judicio, nullo praejudicio, nos & omnes fratres noſtros ſe ſuſpectos habere dixerunt, & veſtram iterum audientiam appellaverunt. Sed novit ſanctitas veſtra hujuſmodi, non appellationem, ſed ludificationem duabus de cauſis irritam debere fieri; tum quia a ſede apoſtolica ad aliam appellare non licet, tum quia eis optionem electorum judicum dedimus, a quibus appellari iterum licitum non eſt. Quapropter fratres noſtri judicaverunt Epiſcopum Morinenſem cauſam ſuam obtinuiſſe & eos debere vinculo anathematis obligari ſi a die illa & deinceps Epiſcopo de Eccleſia illa injuriam fecerint. Vnde ſanctitatem veſtram exoramus ut quod ex veſtro praecepto & vice veſtra obedientes & vere ſine perſonarum acceptione definivimus, veſtra auctoritate roboretur. Conſulimus etiam veſtram apoſtolicam ſedem ſuper hoc Dei & noſtro negotio. Clericus quidam in praeſentia noſtra accuſavit Abbatem unum de ſimonia emptae Eccleſiae, quam ſe probare pollicetur. Reſcribat itaque nobis veſtra paternitas cum quot teſtibus & quibus hoc probare poſſit, ſi laicis, ſi clericis, ſi ſubdiaconibus, ſi Diaconibus, ſi Presbyteris, & ſi clericus defecerit, quid Abbas facturus ſit.

Epiſt. 66. Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Lamberto Atrebatenſi Epiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Frater iſte praeſentium portitor cum Tarvanenſis Capituli litteris venit ad nos, conquerens ſe jamdudum de monaſterii ſui abbatia per manum Bononienſis Comitis expulſum. Is autem frater qui eidem monaſterio praeeſſe dicitur, cum ad nos veniret, infirmitate, ſicut nobis relatum eſt, praepeditus, ad nos pervenire non potuit. Hanc igitur cauſam fraternitati tuae vice noſtra diſcutiendam committimus, ut aſſumpto tecum fratre noſtro Tarvennenſi Epiſcopo, utriuſque Abbatis allegationem diligentius pertractes & uſque in proximam Apoſtolorum Petri & Pauli ſolemnitatem negotium hoc omnino canonice juſtitia dictante definias. Data Laterani VII. Kal. Maii.

Epiſt. 67. Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus dilecto in Chriſto fratri Lanfrido ſancti Wimari Abbati ſalutem. Noverit veſtra dilectio nos domni Papae Paſchalis litteras nuper ſuſcepiſſe, viceſque ſuas de negotio Heriberti Abbatis & veſtro, ſcilicet de abbatia ſancti Wimari, canonice diſcutiendo nobis injunxiſſe. Vnde litteris praeſentibus vos monemus & apoſtolica auctoritate, cujus legatione in hac cauſa fungimur, praecipimus ut VI. feria ante inſtantem ſancti Johannis Baptiſtae nativitatem XV. Kalend. Julii ante horam ſextam, omni tergiverſatione ſemota, ſuper his quae ab Heriberto vobis objicientur canonice reſponſurus Tarvennae nobis occurratis.

Epiſt. 68. Reverentiſſimo Domino & patri patrum Papae Paſchali Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus debitam ſubjectionem cum orationibus. Pro venerabili Metropolitano noſtro domno Manaſſe Remenſi Archiepiſcopo, pro quo domnus Johannes Morinenſis Epiſcopus ad ſanctitatis veſtrae diſcretionem dirigitur ut eum exaudire dignemini, humilitas noſtra excellentiam veſtram ſuppliciter exorat. Siquidem experientia novimus praefatum Metropolitanum apoſtolicae ſedis decreta venerari, veritatem

dili-

diligere, Deum timere, religioſos & boni teſtimonii viros honorare, ſpecialiter vero in cura pauperum ſe ſollicitum exhibere. Paternitatis veſtrae ſanctitatem omnium Eccleſiarum ſollicitudinem gerentem diutius nobis incolumem propitia divinitas cuſtodiat.

Epiſt. 69. Manaſſes Dei gratia Remorum Archiepiſcopus Lamberto venerabili Atrebatentium Epiſcopo ſalutem & dilectionis affluentiam. Divinae auctoritatis juſſu commonemur aliorum miſeriis ac ſi noſtris condolere & pro perverſorum obſtinatione ut reſipiſcant omnipotentis pietatem exorare, utque de ipſorum nefariorum manibus afflictos dignetur liberare. Nam in initio naſcentis Eccleſiae de caeli clavigero in carceris ſqualore poſito ita refert apoſtolica lectio: *Petrus quidem ſervabatur in carcere, oratio autem fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo.* Et tuba caeli Paulus ſuo nos exemplo docet miſerorum doloribus compati, dum ita Corinthiis inquit: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non uror?* Quocirca valde condolemus & caritatem veſtram condolere admonemus graviſſime captioni domni Hugonis Catalaunenſis Epiſcopi, aetate & ſapientia patris & domini noſtri, & nobilitate praecellentis, quem Albricus de Meslano tyrannica tenet innectum captione & in ipſius ejuſdem, proh pudor, epiſcopatu; pro quo facto nos ab Eccleſiae communione tam eum quam illos quorum conſilio & auxilio illum coepit ſeparavimus, & cantare & ſigna noſtra ſonare omiſimus, curſum tamen omnium horarum & Miſſam in commemoratione beati Petri Apoſtoli cantantes ad quoddam altare ipſius celebramus, ut Dominus ſua gratia confratrem noſtrum de captione eruat; & ut vos itidem faciatis ad altare quoddam beati Petri & in omnibus congregationibus hoc ſimiliter fieri praecipiatis precamur & commonemus, & ad principale altare privata item Miſſa celebretur; in toto autem epiſcopatu divinum officium interdicatur, exceptis congregationibus in quibus, ſicut praedictum eſt, cantatur, & in ſupradictos malefactores quotidie excommunicatio proferatur donec vel poenitentia eos corrigat vel divina mulctet ſententia. Vale.

Epiſt. 70. Honorabili Domino & patri cariſſimo Manaſſe Dei gratia Remorum Archiepiſcopo Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus dilectionem & aeternam in Deo ſalutem. Litteras ſigillo veſtro ſignatas a quodam laico & facie & nomine nobis ignoto nuper ſuſcepimus; & eas coram fratribus noſtris aperientes reperimus venerabilem coëpiſcopum noſtrum domnum Hugonem Catalaunenſem in captione detineri. quod nimium dolemus. Poſt haec vero, cum dixiſſent ut hac de cauſa a divinis laudibus ceſſaremus, dubitaverunt fratres noſtri a ſede veſtrae diſcretionis hujuſmodi litteras proceſſiſſe, tum quia legatus omnibus ignotus erat, tum quia praeceptum hoc veteri & novo teſtamento minime concordat. In veteri etenim teſtamento legitur, *& clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, & de neceſſitatibus eorum liberavit eos.* Non praecepit ceſſare, ſed clamare. In novo autem, cum Petrus ſervaretur, oratio fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo. Orante ſiquidem Eccleſia & non ceſſante, miſit Dominus angelum ſuum, & eripuit eum de manibus Herodis & de omni expectatione plebis Judaeorum. Et Dominus in evangelio ait: *Oportet ſemper orare & nunquam deficere.* Praeterea obiciunt nobis quod domnus Hugo Lugdunenſis Primas & apoſtolicae ſedis Legatus, cum ab Archembaldo de Borbon captus teneretur, Archembaldum ſpecialiter excommunicavit, terram ſuam & caſtella a divinis ceſſare fecit, necnon omnem provinciam interdixit. Similiter vir venerandae memoriae Papa Urbanus in epiſtola pro correptione Domini Philippi Francorum Regis domno noſtro Rainoldo Archiepiſcopo praedeceſſori veſtro directa inter alia de captione Carnotenſis Epiſcopi ſcripſit dicens: *Eandem quoque inſtantiam pro ereptione confratris noſtri Carnotenſis Epiſcopi adhibete. Quod ſi monitis veſtris qui eum cepit obtemperare contempſerit, vos & ipſum excommunicationi ſubicite, & caſtellis in quibuſcunque eum retinuerit & terrae ejus divinum officium interdicite, ne ſimilia deinceps in viros hujus ordinis praeſumantur, ut ordinem veſtrum diligitis, ita hoc accelerare omnibus modis ſatagetis.* Pro nobis nihilominus ad Claromontenſe Concilium properantibus, dum a Guarnerio de Pont * capti retineremur, venerabilis praefatus Papa Senonenſi Archiepiſcopo Richerio ſcripſit & praecepit ut quandiu Guarnerius nos teneret, illum & terram ſuam excommunicationi ſubiceret. Item ex decretis Claromontenſis Concilii: *Si quis Epiſcopum ceperit vel incarceraverit, perpetuae infamiae ſubjaceat, ulterius arma non exerceat. Et clamatum eſt ab omnibus: Fiat.* Ad haec exempla vobis direximus quatenus in his periculoſis temporibus, quae invenerunt nos nimis, veſtra metropolitana ſedes hoc facere & hoc denuntiare ſtudeat quod rationabiliter tota provincia faciendum ſuſcipiat. Reverende mi Pater & Domine, bene valete in Deo ſalutari noſtro, & quod ſuper his juſtum & rationabile vobis viſum fuerit reſcribere nobis.

* Vide ſupra pag. 137.

Epiſt. 71. Manaſſes Dei gratia Remorum Archiepiſcopus Lamberto venerabili Atrebatentium Epiſcopo ceteriſque qui cum eo ſunt Atrebatenſis Eccleſiae fratribus in ſuis Deum miſerationibus magnificare. Gratiarum actiones Domino referre laudeſque indeſinenter cantare ſatagite, qui planctum noſtrum, qui triſtitiam noſtram convertit in gaudium & exultationem.Glorioſe enim honorificatus eſt, & Chriſtum ſuum magnifice de vinculis liberavit. Antichriſtus etenim ille qui eum in captione habebat, auſugiendo, eum in Tullenſem epiſcopatum traduxerat; ubi poſtquam Tullenſis Epiſcopus eum eſſe didicit, vocato ad ſe Duce Theoderico ceteriſque epiſcopatus ſui principibus, cum de liberando inter ſe tractarent Epiſcopo, & hoc viriliter inſumendum decernerent, ſenſit damnatus ille qui eum tenebat, & caſtelli ſui timens ſubverſionem, & quod infamem & illegitimum ipſum adjudicare vellent, reddidit Epiſcopum liberum, & quae ſua fuerunt omnia ſive ſuorum, partim jam reſtituit, partem reliquam in domo ſua Catalaunis ſe redditurum & juſtitiam ei ſe facturum pepigit. Unde vos omnes commonitos volumus ut qui pro liberando a carcere preces ad Dominum multiplicatis, pro liberato laudes multiplicare & Deum magnificare memineritis. Valete.

Epiſt. 72. Dilecto in Chriſto fratri & Domino ſuo Lamberto venerabili Atrebatenſium Epiſcopo Baldricus eadem gratia Noviomenſium Epiſcopus gratiam ſemper habere ſancti ſpiritus. Jam vobis ſcripſimus, Pater reverentiſſime, pro monachis ſancti Quintini de Monte ordinandis. Modo vero iterato vobis ſcribimus humiliter obſecrantes & in gratia ſpiritus ſancti poſtulantes ut praeſentes clericos noſtros ad ſacros ordines promoveatis, Balduinum in Acolytum, Levolfum & Evrardum & Giſlebertum in ſubdiaconatus gradum, Bernardum & Hambertum in diaconatus officium, Bernerum in Presbyterum. Valete.

Epiſt. 73. Venerabili Atrebatenſium Epiſcopo Lamberto I. Eccleſiae beati Quintini Theſaurarius apud Deum & homines gratiam. Paternitati veſtrae volumus innoteſcat puerum hunc rogatu amicorum noſtrorum, Guenemari ſcilicet Leudenſis atque Galandi, a nobis plena libertate eſſe donatum; petimuſque ut quae a vobis humiliter expetierit, benigne ei, ſi placet, largiamini, ſignique hoc vobis quod cum hoc anno Romam tenderetis, clericum noſtrum Fulconem in Hamenſium porta obvium habueritis. Sigillum quippe litteris adhibere non potuimus, cum id etiam in ipſis incendiis amiſerimus. Valete.

Epiſt. 74. Domino Lamberto Dei gratia Atrebatenſium Epiſcopo Baldricus eadem gratia humilis Noviomenſium Epiſcopus ſe ipſum per omnia in Domino. Veſtram ſcimus non ſubterfugiſſe notitiam magiſtrum

Petrum in noſtra Eccleſia habuiſſe titulum & poſtmodum divina diſpenſante gratia in veſtro epiſcopio poſtpoſuiſſe ſeculum. Quoniam noviter in veſtro epiſcopatu ſibi elegit locum convenientem & quietum, eum benigne paternitati veſtrae committimus, utque curam illius tam in ordinibus quam in ceteris habeatis obnixe precamur. Valete.

Epiſt. 75. Manaſſes Dei gratia Remorum Archiepiſcopus reverentiſſimo fratri & coepiſcopo ſuo domno Lamberto Atrebatenſi ſalutem cum omni dilectione. Abbate Foreſtenſis monaſterii viam univerſae carnis ingreſſo, direxerunt ad nos nuperrime litteras ſuas Abbas ſancti Richarii & I. Ambianenſis Eccleſiae Archidiaconus ſignificantes nobis ejuſdem coenobii fratrem quendam monachum ſancti Richarii nomine Robertum in Abbatem ſibi elegiſſe; eumque teſtimonio fideli proſequentes, electionem ejus canonicam & unanimi concordia factam eſſe affirmaverunt. Comitiſſa etiam Pontivenſis ceterique ipſius terrae viri teſtimonium ei reddentes, & electionem ejus canonicam affirmantes, ut eum conſecremus poſtulaverunt. Verum quoniam locus ille non ſufficienter neceſſariis abundat, nec ad nos ejus facilis patet tranſitus, fraternitati veſtrae mandamus & precamur ut quia vobis vicinior eſt, eum in Abbatem conſecretis, niſi forte quod ſacris obviet canonibus de eo & de ejus electione audieritis. Valete.

Epiſt. 76. Domino Lamberto venerabili Atrebatenſium Epiſcopo Robertus Flandriarum Comes ſalutes & amicitias. Noverit diſcretio veſtra me hominium Imperatori Theutonico feciſſe, quia aliter feodum quod ab eo tenere per anteceſſoriam debeo integre habere non poteram, praeſertim quia praeter hoc patriae noſtrae pacem reſtitui nequaquam poſſe ſentiebam, hoc tamen factum eſſe ſalva mihi auctoritate & obedientia Romani Pontificis ejuſque Eccleſiae necnon Remenſis & abſque meae Chriſtianitatis legalitatiſve violatione, porro me ſuper his loci ac dignitatis veſtrae temerationem aut damnum nullatenus incurriſſe. Dilectioni igitur veſtrae pacem & ſecuritatem omnimodam mando, & de his quae a nobis geſta vel agenda de praedictis habentur ſaluberrimo veſtrae ſanctitatis conſilio me amodo per omnia committendum certiſſime promitto. Valete.

Epiſt. 77. Enremarus Dei gratia Hieroſolymitanus Patriarcha ſpirituali patri ſuo dilectiſſimo Lamberto Atrebatenſi Epiſcopo fraternam in Chriſto dilectionem. Gratias omnimodas vobis refero, pater dilectiſſime, quia dum ſub manu humilitatis veſtrae eram, paterno affectu me dilexiſtis atque inſtruxiſtis. Quapropter amicitiae & dilectionis tunc inter nos collaudatae ut patrem & doctorem vos diligenter admoneo immemorem non eſſe. Quamvis enim ſpatio terrarum mariſque ſeparatus veſtram dulcedinem, unde doleo, corporali viſu videre nequeo, tamen oculis mentis bonitatem veſtram & caritatem ſemper intueor; quia prae omnibus, Deus ſcit, vos diligo & amplector. Igitur, cariſſime, in benevolentia veſtra admodum confidens obſecro ut ſarcinam obedientiae quam mihi impoſitam eſſe ſcitis, ſi vobis placet, me alleviare juveris, apoſtolicum implens praeceptum, *Alter alterius onera portate &c.* Si quid autem nobis mandare veſtrae placet excellentiae, ſecundum poſſe meum in omnibus voluntati veſtrae me invenietis promptiſſimum. In orationibus & in aliis beneficiis ſi quid divinae clementiae fragilitas noſtra efficere poteſt placibile, ut magiſtrum & fratrem dilectiſſimum ſcitote vos eſſe conſortem. Ad haec de benedictione ſancti ſepulchri mittimus vobis anulum unum aureum, ampullulas cryſtallinas duas balſamo plenas. Benevalete, & orate pro nobis & pro civitate ſancta Hieruſalem. Data III. Nonas Aprilis.

Poſtea ſequebatur bulla plumbea Patriarchae; in cujus circuitu interiori haec ſcripta erant Graece, ὁ ἅγιος τάφος τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ, *in exteriori vero Latine*, Sigillum Enremari Patriarchae Hieruſalem.

Et in margine: Accepta XIII. Kal. Decembris. Miſſa ab Hieruſalem Atrebatum anno Dei Chriſti MCIV.

Honorabili Domino & in veritate dilecto Enremaro Hieroſolymorum Patriarchae Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit. Saepius jam vobis per familiares noſtros gratiarum actiones pro donis veſtris reddidimus & ut de ſtatu veſtro & de continentia veſtra nobis remandaretis diligenter mandavimus. Sed quia necdum aliquis de veſtro ſtatu & ſalute certificavit, non fuit nobis pigrum per dilectum fratrem noſtrum A. Morinorum Archidiaconum vos ſalutare & commonefacere quatenus noſtri memor ſitis in orationibus veſtris apud ſanctam reſurrectionem Domini noſtri Jeſu Chriſti. Bene valete. Reverende mi, quia nobis religioſa & honeſta dona mittere procuraſtis, retribuatur vobis in reſurrectione juſtorum. Salutant vos qui nobiſcum ſunt fratres domnus Clarembaldus Archidiaconus noſter & Cono vir religioſus de Arida Gamantia. *Epiſt. 78.*

Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei egregio Comiti Euſtachio ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Quae bonis inchoantur principiis, niſi bono fine claudantur, non laudem ſed vituperationem merentur. Quamobrem ſtrenuitatem tuam monemus & monentes rogamus ut de bonis quae coepiſti nullam poenitudinem geras, ſed in eis immobilis perſeveres, altaria quae fratri noſtro Lamberto Atrebatenſi Epiſcopo cum quadam diceris conditione reſtituiſſe, quiete deinceps & ſine aliqua moleſtia ipſum & ipſius Eccleſiam in perpetuum poſſidere permittas, cum eo pacem & concordiam integram componas. Valde enim periculoſum eſt eos offendere quos Deus dixit ſuorum pupillam oculorum. Quapropter nobilitatem tuam iterum iterumque monemus ut Atrebatenſem Eccleſiam altaria illa perpetuis temporibus quiete poſſidere permittas, & illius Eccleſiae antiſtitem tanquam patrem ſpiritualem venerari, diligere, & pacem cum ipſo plenam habere procures. Omnipotens Dominus ſanctorum Apoſtolorum meritis vos ab omni malo protegat & defendat, in bonis perſeverantiam tribuat, a peccatis abſolvat & ad vitam perducat aeternam. Data Terracinae III. Kal. Martii. *Epiſt. 79.*

Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Manaſſe Remenſi Epiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Super Guarinfrido Archipresbytero conqueritur frater noſter Atrebatenſis Epiſcopus quia decem ſui juris Eccleſias in Atrebatenſi, ut dicitur, territorio ſitas ei violenter aufert & jamdiu pertinaciter retinet, unde ab eodem fratre noſtro excommunicatus aſſeritur. Mandamus igitur dilectioni tuae ut eumdem Guarinfridum convenias; & ſi fratri noſtro ſatisfacere noluerit, pro ſua in eum contumacia non ſolum excommunicationem, ſed etiam anathema dictabis. Data Terracinae II. Kal. Martii. *Epiſt. 80.*

Manaſſes Dei gratia Remorum Archiepiſcopus Guarinfredo Archipresbytero ſalutem & pacem, ſi obedierit. Conqueritur frater noſter Lambertus Atrebatenſis Epiſcopus quia decem ſui juris Eccleſias & earum redditus in territorio Atrebatenſi conſtitutas, videlicet Vals in Artenſi, Nocroil, Cadom, Perolvillam, Cauventicurt, Fraſnoi, Serum, Saudemont, Scluſam, Abilcurt, & his appendentes capellas ei violenter aufers, & jamdiu eas cum redditibus earum pertinaciter retinere præſumis. Super quo apoſtolicas ſuſcepimus litteras. Unde mandamus tibi atque præcipimus quatinus prædicto confratri noſtro Lamberto Atrebatenſi Epiſcopo Eccleſias illas dimittas & uſque ad imminentem Dominicam in qua *Miſericordia Domini* cantabitur ſatisfacias. Quod ſi facere quæ mandamus diſtuleris & contra apoſtolicæ ſedis decreta ſtare præſumpſeris, a jamjam determinata tibi dominica die anathemati ſubjacebis. Vale. *Epiſt. 81.*

Paſcha-

Digitized by Google

Epiſt. 82. Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri & coëpiſcopo Manaſſe Remenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Significaverat nobis dilectio tua Abbatem ſancti Medardi in Concilio comprovincialium a Milite quodam de ſimonia inopinate pulſatum ſeptima manu purgari debere adjudicatum. Ipſe poſtmodum ad nos veniens gravatum ſe in cauſa ipſa fuiſſe conqueſtus eſt, quoniam adverſus ſe unius perſonæ, quæ ei jamdiu inimica extiterat, accuſatio ſine omnium teſtium aſſertione ſuſcepta eſt. Qua in re multum de ſapientiæ veſtræ proviſione miramur. Licet enim ad ſimoniaci flagitii accuſationem perſonas etiam cujuſlibet ordinis minus idoneas eccleſiaſticæ conſuetudinis uſus admittat, divini tamen oris ſententiam præterire quis audeat, qua dicitur: *Non ſtabit unus teſtis contra aliquem, quicquid illud peccati & facinoris fuerit, ſed in ore duorum aut trium teſtium ſtabit omne verbum*. Porro de his qui ante heſternum & nudiuſtertius inimici extiterant una & eadem in omnibus cauſis patrum deliberatio continetur. Igitur etſi aliis in converſationibus idem Abbas minus integer æſtimetur, in hoc tamen negotio, ubi nullus prorſus teſtis affuiſſe dicitur, pro ſola inefficacis infamiæ nota quod ſe ſeptima manu purgaverit ſufficere arbitramur, niſi forte criminis ejuſdem teſtes emerſerint. Data Laterani IIII. Kal. Aprilis.

Epiſt. 83. Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Lamberto Atrebatenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Latores præſentium Robertus & A. cum querela venientes ad nos, per beati Petri gratiam ſine querela eos remittimus, quia inter ipſos & ipſorum adverſarios ſine controverſia pax reconciliata eſt. Sane quia ipſi præter licentiam tuam ſe veniſſe dixerunt, rogamus hanc nobis offenſam donate. Robertum deinceps benignius habetote ſicut prædeceſſor veſter Gerardus Epiſcopus eum habuiſſe cognoſcitur. Ipſe enim in omnibus tibi paratus eſt obedire, quia Romanæ Eccleſiæ filius amodo eſſe deſiderat. Data Laterani XII. Kal. Aprilis.

Epiſt. 84. Richardus Dei gratia Albanenſis Epiſcopus apoſtolicae ſedis Legatus Roberto egregio Flandrenſium Comiti ſalutem. Quantae famae, quantae honeſtatis, quantae religionis ſit intimus frater noſter Lambertus Atrebatenſis Epiſcopus, cum remotiſſimi noverint, credimus te, qui Comes ſuae civitatis es, non latere. Etenim adeo apoſtolicae ſedi commendabilis eſt perſona ut eum quadam praerogativa inter reliquos Galliarum Epiſcopos habeat principalem. Talem ergo tamque venerabilem virum prudentiae potentiaeque tuae committimus ut contra omnes qui adverſus ipſum rebellionis aliquid machinantur jure poteſtatis tibi a Deo creditae tuearis. Robertum vero Atrebatenſem dictum clericum viduae copulatum Epiſcopo ſuo obſtinate rebellem cum omnibus ſuae partis complicibus habeas excommunicatum, donec tamen ſuo reconcilietur Epiſcopo. Si qua ſane contra clericorum nequitiam Epiſcopus tenenda decreverit, non te fautorem nequitiae, ſed juſtitiae ſentiat defenſorem. Vale.

Epiſt. 85. Reverentiſſimo Domino & Patri patrum Paſchali Papae Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus debitam cum orationibus ſubjectionem. Pro religioſo fratre noſtro Iohanne Abbate Montis ſancti Eligii precamur ſanctitatis veſtrae ſollicitudinem quatenus eum in cauſis ſuis paterne dignemini audire. Precamur etiam ut eum & ſucceſſores ejus in eo quo nunc eſt loco & ordine privilegio veſtro & res Eccleſiae legitime datas canonice poſſeſſas vel Deo miſerante donandas confirmetis. Conceſſimus etiam Canonicis ibi regulariter & abſque proprietate viventibus & victutis canonicam electionem obeunte Abbate faciendam, ſalvo in omnibus jure Atrebatenſis Epiſcopi. Sancta trinitas Deus noſter ſanctitatem veſtram diutius cuſtodiat incolumem.

Epiſt. 86. Reverentiſſimo Domino & Patri patrum Paſchali Papae Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus debitam cum orationibus reverentiam. Sanctitatis veſtrae pedibus humiliati paternitatis veſtrae dulcedinem exoramus quatenus juxta decreta ſanctorum patrum & inſtitutiones canonum nos audire & tractare in omnibus velitis. Siquidem Deo propitio eccleſiaſticas diſpenſationes in praebendis & altaribus pure & canonice ordinare ſtuduimus & ſtudemus. Per fidelem namque praeſentium latorem Eccleſiae noſtrae filium & ſubdiaconum Drogonem ſcripſimus excellentiae veſtrae quatenus veſtra permiſſione Abbatem ſuper octo monachos ordinare poſſemus in Eccleſia nomine Feſcherias ad titulum ſancti Praejecti a domno Gerardo Epiſcopo praedeceſſore noſtro libere poſſeſſa & ſanctae Atrebatenſi Eccleſiae hactenus in omnibus ſubjecta. Vnde quia petitionem noſtram ſuſcepiſtis, & ut inibi Abbatem juxta regulam beati Benedicti ad obedientiam Atrebatenſis ſedis ordinaremus, privilegii veſtri auctoritate nobis confirmaſtis, gratias multiplices agimus veſtrae eccleſiaſticae diſpenſationi. Sed quia poſtmodum ſancti Praejecti Abbas Guirebertus conqueſtus eſt vobis quod ipſam noſtram Eccleſiam quaſi ſuam cellam ſibi auferrem, inde litteris veſtrae auctoritatis ad Remenſem ſedem, ubi cauſam iſtam canonice definiendam Archiepiſcopo mandaveratis, die ſtatuto vocatus in praeſentia Archiepiſcopi & coëpiſcoporum comprovincialium cauſam hujus negotii juſtitiam proſecuturus adveni. Qualiter autem cauſa iſta in praeſentia Archiepiſcopi Remenſis & comprovincialium Epiſcoporum uſque ad judicium deducta ſit, & qualiter praedictus Abbas juſtitiae ſuae diffidens judicium ſubire noluerit, ſicut credimus, domnus Archiepiſcopus litteris ſuis jam vobis ſignificavit. Vnde iterum ſanctitatis veſtrae ſollicitudinem exorantes deſideramus quatenus nobiſcum ſtetis, & ſicut privilegii veſtri auctoritate confirmaſtis, hoc idem vos tenere velitis. Et inde magis miramur & gravamur cur eum in nobis nondum inveneritis eſt & non, tam cito nos ob hujuſmodi cauſam vocari atque defatigari volueritis. Sancta trinitas Deus noſter quotidianam ſollicitudinem veſtram pro ſancta catholica Eccleſia laborantem & orantem diutius cuſtodiat incolumem.

Reverentiſſimo Domino & Patri patrum Paſchali Papae Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus debitam ſubjectionem cum orationibus. Quoniam placuit ſollicitudini veſtrae, quam erga omnes Eccleſias geritis, inter nos & clericos noſtros juxta ſcita canonum & decreta ſanctorum ad honorem Chriſtianae religionis cauſas definire, gratias Deo & veſtrae ſanctitati reddimus. Praeterea precamur juſtitiam veſtram ne nuntium Euſtachii Comitis nomine Guagonem clericum noſtrum contra nos injuſte agentem de altaribus & Eccleſiis noſtris quas Gaufridus Pariſienſis Epiſcopus primo Atrebatenſis Archidiaconus in perſonatu libere triginta & eo amplius annis poſſedit & epiſcopalia jura in diebus noſtris annualiter perſolvit, ad damnum Eccleſiae noſtrae audire velitis. Ad haec ſcire volumus ſanctitatem veſtram quod praedictus Comes nec per nos nec per Archiepiſcopum Remenſem nec etiam per litteras veſtras ſecundo ſibi a vobis miſſas noſtra nos poſſidere permittit, ſed potius & ipſe & miniſtri ſui ea nobis auferunt. Vnde jam eum ab introitu Eccleſiarum removimus, & miniſtros ejus rerum eccleſiaſticarum raptores excommunicavimus, & ut vos excommunicationem noſtram confirmare velitis exoramus. De Roberti cauſa, unde nobis ſcripſiſtis, ſi quid boni & juſti valueritis impendere, nos pro pace Eccleſiae tolerabimus. Definitivam ſententiam, ſalvo honore & judicio ſanctae Romanae Eccleſiae, nobis reſcribatis. De Gandenſi Abbate & de ceteris quaeſtionibus quas fidelis ſubdiaconus noſter vobis dixerit, ſibi reſpondeatis. Sancta trinitas Deus noſter ſanctitatem veſtram diutius cuſtodiat incolumem. Epiſt. 87.

Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Lamberto Atrebatenſi Epiſcopo ſalutem & benedictionem. Nonnulli Eccleſiae tuae clerici ante noſtram praeſentiam convenerunt, diverſas querimonias aſſerentes. Quibus ſeriatim auditis & fratrum noſtro- Epiſt. 88.

ſtro-

Digitized by Google

ſtrorum conſultatione tractatis, omnes ab excommunicationis vinculo, promiſſo unique debito ſatisfactionis, abſolvimus. Omnes enim juxta tenorem a nobis propoſitum debitam tibi tanquam Epiſcopo proprio obedientiam promiſerunt. Et pro his quidem qui rapinas bonorum ſuorum per clientes tuos ſuſtinuiſſe conqueſti ſunt, benignitatem tuam rogamus ut juſtitiam ſuper eorundem bonorum rapina perficias; quarum profecto rerum deſcriptionem nobis oblatam per unum tibi Archidiaconum deſtinamus. Porro Diaconi duo Algiſus & Robertus uxores hactenus habitas tactis ſacroſanctis evangeliis abdicarunt; pro quibus etiam diſpenſationem tuam monemus, & petimus ut eorum vitae & ſaluti in poſterum debeas providere. Hugo autem Balduini filius intra dies quadraginta poſtquam in patriam Domino diſponente redierit, de illata ſibi querimonia ſe juſtitiam facturum tibi jurisjurandi aſſertione firmavit, niſi quantum fueris ei tua miſeratione dimiſſum. Sane in Roberti cauſa beati Siricii & prolata coram nobis & effectu eſt perpetrata ſententia quam Himerio Tarraconenſi Epiſcopo ſcribens ait: *Quiſquis clericus aut viduam aut certe ſecundam duxerit conjugem, omni mox eccleſiaſticæ dignitatis privilegio denudetur, laica tantum ſibi communione conceſſa.* Cui mox in praeceptis dedimus ut tibi deinceps tanquam proprio ſtudeat Epiſcopo humiliter obedire. Et ipſe etiam, cum excommunicationis vinculo ſolveretur, ſe de praeſenti negotio quicquid praeciperemus facturum ſuper evangelia ſancta juraverat. Et ipſum igitur tanquam filium jam obedientem ſuſcipias, & ei quod juſte valueris paternae miſerationis impendas. Si quid autem boni miſericorditer conceſſeris nos pro pace Eccleſiae tolerabimus. Datum Laterani Nonis Decembris.

Epiſt. 89. Reverentiſſimo Domino & Patri patrum Paſchali Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus debitam ſubjectionem cum orationibus. Precamur paternitatis veſtrae reverentiam ut iſtos fratres de congregatione ſancti Amati Duacenſis de petitione ſua exaudire placeat, videlicet ut Eccleſiae ſuae libertatem & bona legitime data vel danda canonice poſſeſſa privilegii veſtri auctoritate firmetis, ne invaſorum manus, quibus circumquaque premitur, Eccleſiam noſtrae obedientiae ſubditam penitus devaſtandi locum habeant. Quod autem Decanus, in cujus manu cura eſt, ad vos non venit, credite quia non temeritas ſed ſenium cauſa eſt & infirmitas. Sancta trinitas Deus noſter paternitatem veſtram diutius conſervet incolumem.

Epiſt. 90. Reverentiſſimo Domino & Patri patrum cariſſimo Paſchali Papae Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus continuam ſpiritus ſancti conſolationem. Soror & filia noſtrae Eccleſiae Abbatiſſa Fulgendis praeſentium latrix multum rogavit per nos ſanctitati veſtrae commendari, quatenus praeſentem Abbatiſſam in eo quo nunc eſt loco, profeſſione, & ordine pondere veſtrae auctoritatis, ſalvo in omnibus jure & canonica diſpoſitione Atrebatenſis Epiſcopi, confirmare dignemini. Locum monaſterii qui dicitur Strum & altare de Hamartvilla, ſicut praedeceſſor meus domnus Gerardus Epiſcopus conceſſit & ſcripto ſuo conſignavit, nos quoque ſpe & amore religionis huic praeſenti Abbatiſſae ſuccedentibuſque ſibi Abbatiſſis in monaſterio quo nunc praeeſſe dignoſcitur regulariter electis, canonice promovendis, & abſque ſeculari ſtrepitu victuris poſſidendas concedimus. Ceteras autem res & poſſeſſiones juſte acquiſitas & acquirendas propter infeſtationes & depraedationes pravorum hominum nihilominus corroborare velitis. Sancta trinitas Deus noſter ſollicitudinem veſtram diutius cuſtodiat incolumem pro Eccleſia ſancta catholica laborantem & orantem.

Epiſt. 91. Reverentiſſimo Domino & Patri patrum Papae Paſchali Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus debitam cum orationibus reverentiam. Frater & Eccleſiae noſtrae filius Cono praeſentium lator rogavit nos quatenus apud miſericordiam veſtram obtineret ut Eccleſiam nomine Rochennas & locum in quo cum fratribus habitat ea qua donavimus libertate confirmare velitis. Conceſſimus enim & ſcripto confirmavimus prædicta loca Prælato & fratribus inibi Deo devote & religioſe ſervientibus & canonice & abſque proprietate viventibus & victuris ab omni cathedratica redhibitione libera, excepto quod in cœna Domini ad manum Epiſcopi duodecim denarios ſolvant, & ut ſub propria & ſpeciali ſubjectione, ordinatione, & defenſione Atrebatenſis Epiſcopi prædicti fratres permaneant conſtituimus. Sanctitatem veſtram pro ſancta Eccleſia laborantem diutius cuſtodiat Dominus incolumem.

Honorabili Domino & in veritate dilecto Anſelmo Dei ordinatione Cantuariorum Archiepiſcopo Lambertus ſanctæ Atrebatenſis Eccleſiæ ſervus inutilis, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit. Magno deſiderio deſideravi ſcire de ſtatu & ſanitate veſtra. Scribo dulciſſimæ mihi paternitati veſtræ quatenus ſuper his ſcripto veſtro nos certificare dignemini. Ut autem mei peccatoris ad ipſam dominicam menſam & in ſanctis orationibus veſtris reminiſcamini & veniam peccatorum mihi apud Deum obtineatis corde contrito & ſpiritu humiliato ſanctitatem veſtram exoratam deſidero. Bene valeat diutius & ſemper ſancta & religioſa converſatio veſtra in Domino, optime pater, & ut domnum Baldricum amicum veſtrum Turnacenſem ſanctitatis veſtrae filium vice noſtra ſalutetis multum rogamus. Epiſt. 92.

Venerabili Atrebatenſi Epiſcopo Lamberto & amico dilectiſſimo Anſelmus ſervus Eccleſiæ Cantuarienſis ſalutem & fideles orationes. Gratias ago reverendæ dilectioni veſtræ pro ſollicitudine quam habet erga me in eo quod tantopere noſſe vult de noſtra ſanitate. Dico itaque vobis quia gratia Dei corpore ſanus ſum, ſed continua debilitate laboro. Quod me rogatis ut veſtri memoriam habeam in orationibus noſtris, pro certo ſcitote quia licet orationes meæ viles ſint, tamen quotidie veſtri memoriam in eis habeo & Deo donante habebo. Omnipotens Deus ſua vos gratia ab omni malo ſemper defendat, & ſuam vobis conſolationem benignus impendat. Epiſt. 93.

Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Henrico Abbati ſancti Vedaſti ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Rumor quem de te nuper audivimus laetitiam nobis non modicam attulit. Audivimus enim quod aſſumptis de Cluniacenſi congregatione fratribus monaſterii tui mores corrigere & religioni ſtudere jam cœperis. quod nimium religioſos viros qui te noverunt laetificant. Monemus itaque & rogamus ut in eo quod cœpiſti conſtanter inſiſtas & religionis ſtudium ad finem bonum perducere ſollicitius elabores. Epiſt. 94.

Domino Lamberto Atrebatenſium venerabili Epiſcopo Baldricus per Dei gratiam Noviomenſis Epiſcopus ſalutem & fraternam caritatem. Pauper haec femina, noſtra quidem parrochiana, velari devote expetit. Oramus itaque ſerenitatem veſtram velari eam a vobis, ſi placet, & in famulam Chriſti conſecrari. Valete. Epiſt. 95.

Domino Lamberto Dei gratia Atrebatenſi Epiſcopo Godefridus eadem gratia Dei Ambianenſis Epiſcopus ſalutem. Hunc ſacerdotem noſtrum Theoderannum neceſſitate compulſum de epiſcopatu noſtro prodeuntem & in veſtro epiſcopatu remanere volentem abſolutum vobis tradimus, ita ſcilicet ut obedientiam quam Eccleſiae noſtrae & nobis debebat vobis debeat & perſolvat. Valete. Epiſt. 96

Reverentiſſimo Domino & Patri Patrum Paſchali Papae Lambertus ſanctae Atrebatenſis Eccleſiae ſervus inutilis debitam cum orationibus reverentiam. De triſti & gemebunda ſanctæ Remenſis Eccleſiae & ejus honorabilis Metropolitani domni Radulfi preſſura ſummopere rogamus ſanctitatis veſtrae ſollicitudinem quam erga omnes Eccleſias geritis quatenus & apud Deum & apud homines praedictae Eccleſiae pacem bonam veſtro ſapienti conſilio & auctoritatis auxilio reformare ſtudeatis. Speramus enim quod Epiſt. 97

per

per nuntios Ludovici Regis Francorum, ſi vigilantia veſtra intendere voluerit, & pacem Remenſi Eccleſiae & ejus Metropolitano gratiam & amicitiam Regis obtinere poteritis. Bene & diutius & ſemper valeat ſanctitas veſtra in Domino, & pro me peccatore orare dignemini.

Epiſt. 98. Willelmus Dei gratia Rothomagenſis Archiepiſcopus dilectiſſimo & Domno & fratri Atrebatenſium Epiſcopo Lamberto praeſentem & aeternam ſalutem. Gualterum dilectiſſimum filium noſtrum, quia vobiſcum ei habitare placuit, veſtrae religioni pro honeſtate ſua multum commendamus. Ipſe enim, quia vitiis quorundam aſſentire noluit, eorum odia magis pro veritate quam pro vitio ſuo incurrit. Valete.

Epiſt. 99. Honorabili Domno & in veritate dilecto Daimberto Dei ordinatione Senonenſi Archiepiſcopo Lambertus ſanctae Atrebatenſis Eccleſiae ſervus inutilis quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit. Chirothecas auro friſo honeſte adornatas & manutergium, quae in ſervitium dignitatis veſtrae vobis mittere curavimus, ut ea accepto ſuſcipere dignemini humiliter exoramus. Bene valete, Reverende pater, & mei peccatoris in ſanctis orationibus veſtris, maxime autem ad menſam dominicam mementote, ut Deus pater miſericordiarum & totius conſolationis me peccatorem de lacu miſeriae a luto faecis & de carcere hujus vitae miſericorditer ad ſalutem educere dignetur.

Epiſt. 100. Henricus Dei gratia Rex Anglorum & Dux Normannorum Lamber[illegible] Atrebatenſi Epiſcopo ſalutem & amicitiam. Gra[illegible] reddo de hoc quod mihi mandaſti per D. clericum tuum, & volo ut in me ex hoc amodo habeas fiduciam, & libenter pro te faciam. Vale.

Epiſt. 101. O. ſanctae Romanae Eccleſiae Presbyter Cardinalis cariſſimo patri Lamberto Atrebatenſi Epiſcopo ſalutem & pacem bonam. Nuper diſcedens a latere Domini Papae ſuſcepi mandata tibi & coepiſcopis communicanda. Unde ex ejus qui me miſit auctoritate hortamur dilectionem tuam quarta quadrageſimae dominica Corbejae nobis adituram. Valete.

Epiſt. 102. Domino Lamberto Dei gratia Atrebatenſium Epiſcopo Odo indignus Cameracenſis Eccleſiae ſervus fideles orationes in Domino. Illius fratris nomine Rogeri obedientiam, quantum mea intereſt, vobis concedo, ſi vobis placet eum retinere. Valete.

Epiſt. 103. Domino venerabili patrique ſuo reverendo Domino Lamberto Atrebatenſi Epiſcopo humilis conventus Aquicinenſium fratrum cum debitae ſubjectionis ſponſione ſupplices ſalutes & obſequia. Noverit veneranda paternitas veſtra nos omnes dediſſe domno Gelduino pridem Abbati noſtro talem per omnia licentiam dimittendae abbatiae qualem reſciſtis ſive per ipſum ſive per domnum Amandum Priorem noſtrum fratreſque quos cum eo direximus. Precamur autem ut ſimplicitati potius quam arrogantiae imputetis quod non primo cum eis hujus conſenſus noſtri literas miſimus vobis. Magno quippe dolore confuſi hoc ignoranter omiſimus. Nec ſane leviter vel ad primas preces ejus dedimus ei hujuſmodi licentiam; ſed quia, niſi ſibi daremus, vehementi affirmatione diſceſſurum ſe minabatur, maluimus ſaltem hoc modo eum retinere quam prorſus dimittere. Bene valete; & memorem noſtri eſſe optamus vos, Domine.

Epiſt. 104 Domino venerabili Lamberto Atrebatenſium Epiſcopo humilis conventus Aquicinenſium debitae ſubjectionis & reverentiae ſalutes auxiliante propitia gratia Dei. Hunc praeſentem fratrem noſtrum domnum Robertum communi conſenſu in Abbatem nobis elegimus, conſecrandumque veſtrae paternitati direximus, obſecrantes ut quod in eo coepimus laudetis & confirmetis. Dominus vos incolumem conſervet.

Epiſt. 105. Honorabili Domino & Regi ſuo Ludovico in veritate dilecto Lambertus ſanctae Atrebatenſis Eccleſiae Presbyter vivere & regnare in Domino Jeſu Chriſto unico Dei patris filio, Rege Regum, & omnium dominantium domino. Rogamus altitudinis veſtrae manſuetudinem, de qua multum confidimus, quatenus huic nuntio noſtro praeſentium latori locum donetis ubi vobis licenter quae mandamus denuntiet. Bene valete in Domino Deo ſemper, & per eum per quem Reges regnant oriatur in diebus veſtris juſtitia & abundantia pacis.

Epiſt. 106. Reverendo patri & Domino Radulfo Dei ordinatione Remorum Archiepiſcopo Lambertus ſanctae Atrebatenſis Eccleſiae ſervus inutilis gaudium & laetitiam ſempiternam in ſpiritu ſancto. Pro fratre noſtro Henrico ſancti Vedaſti Abbate ſcribimus vobis ut ſi aliquis ad vos criminator aut ſuſurro propter eum perturbandum advenerit, nullius perſonam recipiatis aut vocem audiatis, excepto ſi ad vos appellatum fuerit, donec nobis perſonas accuſantium immo Chriſtianae pacis & ſanctorum canonum perturbatores ſignificaveritis. Bene valete, reverende mi Pater & Domine, cum omnibus vos in veritate diligentibus, & orate pro nobis.

Epiſt. 107. Domno Pomoni religioſo ſacerdoti & Deo amabili & omni ſuae congregationi Lambertus ſanctae Atrebatenſis Eccleſiae ſervus inutilis & Presbyter indignus quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit. Quoniam multa mihi de laudabili veſtra veſtrorumque filiorum converſatione referentes compatriotae mei honeſti Presbyteri L. videlicet atque A. dederunt mihi quaſi quandam fiduciam apud fraternitatis veſtrae dilectionem impetrare quod poſtulamus. Poſtulamus namque inſtanter quatenus viſibilem, ut dicitur, Miſſae celebrationem, quam quidam frater Canonicus veſter apud beatum Petrum vobis convicaneum monachus factus in confeſſione monaſterii praedicti Apoſtoli beatum Auguſtinum vidit & audivit agentem ad altare proprii ſepulchri, veſtro veraci ſtilo deſcriptum quod ibi cantatum eſt, quod lectum eſt nobis mittere dignemini. Communionem ſolummodo, *hoc corpus quod pro vobis tradetur*, praedicti fratres in illo officio conteſtati ſunt ſe retinuiſſe & cantatam ibi fuiſſe. Bene valete, reverende & dilecte pater, in unico Dei patris filio ſalvatore noſtro Domino Jeſu Chriſto, & orate pro nobis. Viſionis autem modum & tempus & horam cum dominicae incarnationis anno & indictione, ſicut canonicum eſt, & quis fuerit in ſancta Romana catholica & apoſtolica ſede Pontifex, & quis Tiricinenſi tunc praefuerit Eccleſiae, annotate.

Epiſt. 108. Merito tibi amantiſſimo fratri & Domino G. Pariſienſi Archidiacono Lambertus ſanctae Atrebatenſis Eccleſiae ſervus inutilis quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit. Cum caritas vinculum perfectionis ſit & magiſtra omnium virtutum, & juxta beatum Fulgentium Epiſcopum, qui in caritate ambulat, non errat, neque peccat, miramur ſatis & ſupra quare nuper manutergium quod illi Dei ſervo Meladunenſi Abbati fratri veſtro miſeramus, cujus obitum needum audieramus, tam obſtinaciter, ſi audeam dicere, tamque contradictorie tandem vobis retinere, ſed non ſine conditione, voluiſtis. Nolite itaque, dilecte mi frater & Domine, nolite tale quid in noſtris deſideriis & votis deinceps facere, ſed quod cum bona voluntate & plena caritate praedicto Dei ſervo munuſculum miſimus, quaſi quodam jure haereditario, tum pro ejus dilectione, tum pro devota noſtra donatione, vobis vendicare non negligatis. Bene valete, & orate pro nobis.

Epiſt. 109. Inter ceteros & prae ceteris Epiſcopis honorabili Domino & amico Richardo Albano Lambertus ſanctae Atrebatenſis Eccleſiae ſervus inutilis & Presbyter indignus gaudium & laetitiam ſempiternam in ſpiritu ſancto. Ex abundanti dilectione bonitatis veſtrae quam circa nos geritis praeſumentes, hunc praeſentium latorem vobis commendamus, ut eum diligenter audiatis, & pro Dei amore & noſtra petitio-

titione ut in ſuae cauſae juſtitia ſentiat noſtrum ſibi prodeſſe patrocinium humiliter exoramus. Bene vale, reverende mi pater & Domine, in Domino Deo ſalutari noſtro, & orate pro nobis.

Epiſt. 110 Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus F. germano & uterino fratri ſuo luctari cum angelo ſicut luctatus eſt Jacob, ſed ſurgente aurora angelum non dimittere donec ab eo mereatur benedictionem ſuſcipere. Quoniam divina lex magis inſequitur & proſequitur atque requirit promiſſa quam debita, nullus veraciter Chriſtianus facilis aut fallax fiat ad promittendum, ne reus aut mendax judicetur promiſſum non adimplendo. Quantum autem piaculum animae ſit mendacium, audiamus cum timore & tremore Prophetam dicentem: *Os quod mentitur occidit animam*. Vnde & David Rex ſanctiſſimus & Propheta veraciſſimus ait: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*, & rurſum: *Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos*. Et Dominus Jeſus in evangelio: *Ex verbis enim tuis juſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis*. Sequitur & alia ſcriptura dicens: *In manibus linguæ vita & mors*. Super hoc deteſtabili & tam mortifero vitio audiamus ſanum conſilium ſacrae ſcripturae dicentis: *Qui cuſtodit os ſuum, cuſtodit animam ſuam*. Apoſtolus quoque Paulus praeco noſtrae ſalutis & doctus medicus noſtrae infirmitatis omnem catholicam Eccleſiam inſtruit dicens: *Nolite mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes novum eum qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis*. Corrigamus ergo juxta tot ſcripturarum medicinalia praecepta pravas & perverſas mentiendi conſuetudines. Nullum decipiamus, nulli quod facere nolumus promittamus, quia dum caute & provide proximo mentimur, nos ipſos & animas noſtras occidimus, & apoſtatam angelum imitamur, de quo Chriſtus Jeſus in ſacroſancto evangelio ait: *Ille ab initio homicida fuit & in veritate non ſtetit mendax eſt & pater eius*. Quis videlicet mendacii pater diabolus eſt, non generando, ſed ſuperbia illud ſibi adinveniendo. Quare de mendacio tantum ſcribere voluerim lator præſentium & vobis & dilectae mihi fratriſſae ſecreto intimabit. Bene valete in Domino, & ſic ſtudete tranſire per bona temporalia ut non amittatis aeterna.

Epiſt. 111. Richardus Dei gratia Albanenſis Epiſcopus apoſtolicae ſedis, licet indignus, miniſter & Legatus venerabili fratri Lamberto Atrebatenſi Epiſcopo ſalutem. Audivimus morem abhorrendum & ſacris canonibus prohibitum in Eccleſia veſtra inoleviſſe, videlicet quaſdam Eccleſias tres aut eo amplius perſonas principaliter praelatas habere, & una mortua, ceteras in partem ejus ſuccedere, & ſic uſque ad ultimam, cum in beati Auguſtini commentariis recolamus nos legiſſe unam Eccleſiam unum tantum Presbyterum habere debere. Hoc igitur prohibemus, & ut viriliter prohibeatis apoſtolica vobis auctoritate praecipimus. Ad hoc de uſuratiis hoc fieri apoſtolica auctoritate jubemus ut ſi eorum impetitores ſe eis pecuniam ſuam & uſuram reddidiſſe teſtium aſſertione poſſint comprobare, non dubitetis eos judiciarium ordinem impleviſſe & ſic uſuram reddi debere.

Epiſt. 112. Domino Lamberto Atrebatenſi Dei gratia Epiſcopo omnibus jure venerando, mihi vero prae ceteris ſpeciali dilectione ſemper amplectendo, Gilduinus veſtrae ſervus ſanctitatis, veram animae & corporis in Chriſto Jeſu ſalutem. Illum amorem & dilectionis gratiam quam circa parvitatem noſtram ſanctitas veſtra dignata eſt exhibere ex quo veſtrae familiaritatis notitia merui ſublimari adhuc integram ſentio & deſidero permanere. Niſi enim pacem meam plurimum amaretis, fratribus noſtris Aquicinenſibus de me talia quaerentibus taliter non reſpondiſſetis. Cognovi enim, domno Drogone ex parte veſtra mihi referente, fratres Aquicinenſes me in Abbatem ſibi iterum elegiſſe, & ut ſuper tali negotio eos juvaretis paternitatem veſtram conſuluiſſe, vos vero hoc non poſſe, quia jam nec veſter monachus eram nec in veſtra dioceſi commorabar, reſpondiſſe, nunc autem domnum Drogonem ut quaenam eſſet voluntas noſtra ſuper hac re diligenter ſciſcitaretur miſiſſe. Vnde veſtrae ſanctae caritati, quia quietem recluſionis noſtrae turbare non vultis, multimodas gratias agimus, & ut ſuper hoc vos adjutorem & defenſorem ſemper habeam omnimoda prece obnixius deprecamur; quia revera non aliam voluntatem, teſte Deo, de hac vel alia abbatia habemus vel ultra cooperante Deo habere volumus quam illa die habuimus qua illam dimiſimus; & ſi voluntas ineſſet, certe ſalus corporis, quae jam deficit, ad tantum pondus nullo modo ſufficiens eſſet. Valete.

Epiſt. 113. Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus dilecto in Chriſto fratri F. Abbati, ſpiritu ambulare, & deſideria carnis non perficere, ſed quae illi praecepit Deus cogitare ſemper & facere. Cum litteras noſtras nuper tibi miſerimus & per obedientiam tibi praeceperimus quatenus in quinta praeterita feria ad nos venires, & necdum veniſti, nec quare non veneris mandaſti, non ſicut hactenus aequo portamus. Mandamus ergo tibi & ea qua tibi auctoritate praeſumus conſtanter praecipimus quatenus, remota omni occaſione, in inſtanti quinta feria ſive prima ſequenti ſexta feria ante horam ſextam te nobis praeſentare non differas. Habemus enim tecum de religione tua & de converſatione monaſterii tui collationem facere, quia Cardinalis domnus Richardus Epiſcopus apoſtolicae ſedis Legat[illegible] Concilium celebrare ante feſtivitatem ſancti [illegible]gii diſpoſuit & Abbates Remenſis provinciae adeſſe mandavit. Quoniam ergo melior eſt obedientia quam victima, & juxta beatum Gregorium uſus rectae converſationis eſt ut obedientiam non imperet qui eam Praelatis exhibere non novit, & vera obedientia moram non habet, interdicimus tibi & locum & ſedem Abbatis niſi quod mandamus adimplere cum diligentia ſtudueris.

Epiſt. 114. Domino Lamberto Dei gratia Atrebatenſium Epiſcopo frater A. Prior Aquicinenſis, grexque ſub eo degens, debitae obſequium ſubjectionis. Quoniam Domine pater, ut vobis notum eſt, electione qua domnum Gilduinum elegeramus fruſtrati ſumus, veſtrae parentes juſſioni, condicta die congregatis in unum cunctis propemodum filiis noſtrae Eccleſiae, poſt multimodam ventilationem, tandem adminiculante ſancto ſpiritu, quem noſtris votis adfore oravimus cum lacrymis, communi conſilio elegimus Priorem Eccleſiae ſancti Vedaſti domnum Alviſum paſtorem nobis fieri. Vnde precamur veſtram clementiam quatenus domnum Lambertum Abbatem ſancti Bertini ſuper hoc negotio pulſetis; ut quia monachus ſui cœnobii eſt profeſſus, noſtris aſſentiri dignetur votis, largiendo eum in quo acclamavit totius ſanior Capituli aſſenſus unanimis. Valete.

Epiſt. 115. Venerabili Domino Iohanni Dei gratia Morinorum Epiſcopo Lambertus Atrebatenſis Dei miſeratione, ſi quid eſt, bene & ſemper valere in unico Dei patris filio. Quia ſcriptum eſt, *frater adjuvans fratrem, ambo conſolabuntur*, rogamus ſanctitatem veſtram, de qua multum confidimus, immo praeſummus, quatenus electionem quam Aquicinenſes fratres de filio veſtro Alviſo ſancti Vedaſti Priore fecerunt nobiſcum confirmetis & confortetis, vel ut eum Abbatem habeant ſecundum auctoritatem vobis a Deo donatam inſtanter adjuvetis. Bene valete, reverende Domine, & orate pro nobis.

Epiſt. 116. Honorabili Domino & in veritate dilecto & ſemper diligendo Lamberto Abbati Lambertus qualiſcunque ſanctae Atrebatenſis Eccleſiae ſervus & Archidiaconi C. & R. ſalutis & ſanctitatis ſuae amatores gaudium & laetitiam ſempiternam in ſpiritu ſancto, & amori Dei nihil praeponere. Reverende Domine & pater honorande, quod a ſapientia vobis divinitus data ſuppliciter exigimus, hilariter faciatis; quia, juxta Apoſtolum, hilarem datorem diligit Deus, humiliter & efficaciter impetrare deſideramus. Electionem ſiquidem Aquicinenſes fratres de Priore ſancti

cti Vedaſti Alviſio fecerunt. Placeat ergo vobis eum illis donare in Abbatem & nobis ad obedientiam noſtrae Eccleſiae abſolutum reddere, ut in libertate ſpiritus & illis poſſit praeeſſe & prodeſſe & Deo digne ubique deſervire; quoniam ex abundanti eſt vos docere quid beatus Benedictus de ſancto Mauro fecerit, quid etiam ſanctus Euſtaſius Abbas de ſancto Audomaro & Bertino & Momnoleno fecerit non latet; ut omnia in caritate fiant propter amorem Dei & dilectionem proximi, ex bono odore veſtri monaſterii alii refociſſentur, & in vinea boni operarii per vos conſolentur. Bene valete, dilecte pater & Domine, & orate pro nobis.

Epiſt. 117. Domino & confratri Lamberto Dei gratia Atrebatenſium Epiſcopo Baldricus ſub eadem gratia Noviomenſium & Tornacenſium Epiſcopus ſalutem & veram in Chriſto dilectionem. Fraternitati veſtrae notificamus clericum iſtum Bernardum nomine in epiſcopatu noſtro natum, nutritum, & eruditum, ac per nos ad ſacerdotii gradum fuiſſe promotum. Hunc etiam liberum vobis cum debita ſubjectione & obedientia mittimus, & ut ei paterna benignitate ſui officii ſolatium concedatis caritative petimus. Valete.

Epiſt. 118. Honorabili Domino Odoni Cameracenſium Epiſcopo Lambertus ſanctae Atrebatenſis Eccleſiae qualiſcunque miniſter ſpiritualium gratiam gaudiorum. Significatum eſt nobis a curia & per curiam Balduini Flandrenſis Comitis quod vos nuper apud Duacum per Archidiaconos veſtros A. & R. & nuntium Imperatoris litteras praeſentari feciſtis, in quibus ſic continetur, inter cetera ſcriptum. *Unde mandando rogamus ut Epiſcopum Cameracenſem tam Eccleſia ſibi commiſſa amore gratiæ noſtræ ſuſtentare curetis in omnibus quæcunque eadem Eccleſia ante diſcordiam regni & ſacerdotii in pago Atrebatenſi ſive in comitatu veſtro tenuit.* Ad haec quidam de nuntiis, quod in litteris praeſentatis non continebatur, nominavit Stratam & Mareolam, & cetera quae voluit Imperatoris eſſe dixit. Eccleſia vero Atrebatenſis & nos adhuc neſcientes quod Atrebatum fuerit de imperio, ſed de regno Francorum, & per conſilium & auxilium Comitis Roberti apud Caſtellum tumulati, in cujus poteſtate Atrebatum erat, necnon & per licentiam & aſſenſum Philippi Francorum Regis, de cujus regno Atrebatum eſſe dignoſcitur, & per Concilia ſub Rainoldo Archiepiſcopo Remis habita, & per auctoritatem apoſtolicae ſedis & Urbani Romani Pontificis II. tota actio Atrebatenſis Eccleſiae decurſa & ordinatio confirmata ſit, videtur nobis vos inordinate erga nos & erga Atrebatenſem Eccleſiam feciſſe quod primo per curias Principum querimoniam de nobis feciſtis antequam nos per communes fratres noſtros & Remenſis provinciae ſuffraganeos conveniretis. Rogamus ergo vos per fraternitatis amorem, qua ſanctitatem veſtram ſine ſimulatione diligimus, ut nobis reſcribatis ſi praedictae querimoniae apud Principes per vos ſunt tactae. Bene valete, & orate pro nobis.

Epiſt. 119. Domino & patri reverendo ſanctae Atrebatenſis Eccleſiae Dei gratia Epiſcopo frater Wa. ſervus ſervorum ſanctae trinitatis Rothomagi & ſibi commiſſi fratres ſalutem & debitae ſubjectionis obſequium. Gratias, Domine veſtrae dignitatis excellentiae reverenter exhibemus, qui veſtrae dilectionis benignitatem erga nos in tantum extendiſtis ut etiam poſt munus nobis veſtra gratia impenſum ipſam comprobaretis, & licet alterius provinciae nos ſimus, tamen conceſſa nobis Ambriſnenſi Eccleſia, veſtros parrochiales eſſe voluiſtis. Quapropter piae devotionis affectum devote vobis offerimus, & nos & omnia noſtra veſtrae juſſioni ſubicimus. Tantum etiam pro vobis nos acturos libenter promittimus quantum pro domno Abbate defuncto paternae dignitatis & jus & conſuetudo exigit. Pro dominis etiam noſtris Canonicis veſtris quantum pro fratribus noſtris in omnibus agere decrevimus. Iſtum autem fratrem noſtrum R. ipſi Ambriſnenſi loco praefecimus, cui ut veſtrae dignitati debitam obedientiam exhibeat praecipimus. Sed & nos omnes tanquam patri & domino cum omni ſubjectione vobis obedire cupimus.

Epiſt. 120. Venerabili Patri & Domino in Chriſto Jeſu dilecto Lamberto Dei gratia Atrebatenſium Epiſcopo Godefridus ſanctae Ambianenſis Eccleſiae inutilis ſervus infinitae vitae gaudiis infinitis perfrui. Fratres de titulo ſanctae Mariae Atrebatenſis Eccleſiae & de titulo ſancti Vedaſti de Caſtello, quos, Pater reverende, parvitati noſtrae ad ſacros ordines promovendos tranſmiſiſtis, laeti ſuſcepimus, ipſoſque per manus noſtrae impoſitionem, gratia ſpiritus ſancti cooperante, promotos ſanctitati veſtrae remittimus, Hugonem, Fulbertum, Elbertum, Hunoldum, Arnulfum in ordinem ſacerdotii, Iohannem, Adelelmum, Iohannem, Robertum, Giſlebertum, Odonem, Wicardum in ordinem diaconatus, Nicolaum, Gualterum in ordinem ſubdiaconatus. Valete. Actum eſt hoc anno incarnationis Domini MCXI. XVII. Kal. Aprilis, indictione IIII.

Epiſt. 121. Honorabili Domino & Patri cariſſimo Yvoni Dei gratia Carnotenſium Epiſcopo Lambertus ſanctae Atrebatenſis Eccleſiae ſervus inutilis, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit. Quoniam placuit paternitati veſtrae per præſentium latorem & nos ſalutare & medicinam infirmitatis noſtrae mittere, multum laetificaſtis nos, qui in tantis bellorum tempeſtatibus & preſſuris poſitus noſtri memor fuiſtis. Quia vero tantas quantas debemus vobis gratias digne reddere non poſſumus, ab omnipotenti Domino & ſalvatore noſtro Ieſu Chriſto retribuatur vobis in reſurrectione juſtorum, quia ſaepius multa bona nobis feciſtis & facitis. Reverende mi Pater & Domine, bene valete ſemper in ſpiritu ſancto, & orate pro me peccatore, ut omnipotens Deus ſanctis precibus veſtris placatus me peccatorem a peccatis abſolvere & de tenebris hujus vitae & de lacu miſeriae dignetur miſericorditer educere & in terra viventium conſtituere. Salutant vos multum domnus Clarembaldus Archidiaconus & Rogerus Diaconus ſanctitatis veſtrae fideliſſimi amatores.

Epiſt. 122. Dilecto & ſemper diligendo Domino Godefrido Dei gratia Ambianenſi Epiſcopo Lambertus ſanctae Atrebatenſis Eccleſiae ſervus inutilis continuam in omnibus ſpiritus ſancti conſolationem. Guiſfridus de Hamelaincourt & Guido frater ejus multum conqueruntur nobis quod cum primum vobis ſervierint, pro excommunicatis habeatis, cum nec Eccleſiam intraverint, nec hominem inde captum extraxerint, nec etiam atrium intraverint, aut de ejus captione vel redemptione partem aliquam expectent; & inde inſtanter quaerunt a nobis judicium Atrebatenſis Eccleſiae, ſi a vobis debeant excommunicari. Similiter & Theodericus de Abling & Guinemarus frater ejus & alii parrochiani noſtri qui ad Guarmundum tranſierunt de Pinchegny conquerunt quod eos excommunicaveritis & nos inde eos male tractamus, & judicium quaerunt a nobis & a noſtra Eccleſia, cum parati ſint jurare quod ſcienter nihil de veſtro habuerint, neque Guarmundo pro timore Dei & veſtro deinceps ſervient. De Hugone Campdavene nihil remandamus, quia in epiſcopatu noſtro nec demoratur nec invenitur. Nos tamen accepto conſilio fratrum noſtrorum atque Abbatum in nullo audemus vobis conſulere ut tranſgrediamini antiquos terminos quos patres noſtri conſtituerunt in ligando & ſolvendo populum Dei. Nobis vero non expedit ut pro damno rerum aut perditione pecuniarum in aliquo excedamus legem Domini, quae irreprenſibilis eſt. Bene valete, & orate pro nobis.

Epiſt. 123. Lamberto Dei gratia Atrebatenſium Epiſcopo Lietardus humillimus Sueſſionenſium Epiſcopus in electorum numero perenni gaudio feliciter perfrui. Quoniam hunc Odonem inter nos educatum atque inferiorum ordinum dignitate ſublimatum accepimus, bonorum teſtimonio confiſus ad ſacerdotium promovimus. Hunc ergo praedictum ſacerdotem & quod in ſuo juris habebamus veſtrae diligentiae committimus. Valete.

Epiſt. 124. Radulphus Dei gratia Remorum Archiepiſcopus venerabili fratri & coëpiſcopo ſuo Lamberto Atrebatenſi ſalutem. Perſonae Laudunenſis Eccleſiae ad nos venientes nobis retulerunt ſe communi totius cleri voluntate & populi expetitione, cum regio etiam aſſenſu, domnum Hugonem Aurelianenſis Eccleſiae Decanum in Epiſcopum elegiſſe; per quem & Eccleſiae ſuae deſolationi & urbis & patriae calamitati ſubveniri poſſe in Dei miſericordia ſperantes, ſaepius iterata precum inſtantia a nobis exegerunt ne electi ſui conſecrationem diutius differremus. Quocirca confratres & coëpiſcopos noſtros ad ipſum pridie Nonas Auguſti conſecrandum Remis convocavimus, cum quibus veſtram praeſentiam adeſſe plurimum conſolaremur. Sed quia infirmitate praepediente affuturum eſſe deſperamus, fraternitatis veſtrae diſcretioni mandamus quatenus, prout ſanctorum patrum expetit auctoritas, ad praedicti electi conſecrationem aſſenſum veſtrum mittere procuretis. Valete.

Epiſt. 125. Reverendo Patri & Domino Radulfo Dei ordinatione Remorum Archiepiſcopo Lamberto qualiſcunque Atrebatenſis Eccleſiae miniſter ſpiritualium gratiam gaudiorum. Pro domno Hugone Aurelianenſis Eccleſiae Decano, nunc autem Laudunenſis Eccleſiae electo, de quo noſtrum aſſenſum, quia canonicum eſt, habere voluiſtis, paternitati veſtrae litteris noſtrae parvitatis remandamus ut quicquid de ejus conſecratione veſtra metropolitana auctoritas judicaverit, & juxta ſtatuta ſanctorum patrum in nomine Domini feceris, & nos gratanter aſſenſum praebere, & ut Deus omnipotens illum ſua gratia dignum perficiat plurimum exoptare. Bene valete, reverende Pater & Domine, cum omnibus Remis in ſpiritu ſancto congregatis, & orate pro nobis.

Epiſt. 126. Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus honorabili & magnifico Flandrenſium Comiti Balduino auxilium & conſilium a Domino Deo ſemper. Clementia Comitiſſa mater veſtra conqueritur quod ei dotalicia ſua & alias poſſeſſiones quas pater veſter ei contradidit & quiete poſſidere permiſit, vos quoque ut eaſdem ei . . . . . poſſeſſiones quiete & ſine ſcandalo poſſidere permittatis. Unde rogamus excellentiam veſtram ut matrem veſtram ad iracundiam non provocetis, ſed juxta praeceptum Domini, qui dixit *Honora patrem tuum & matrem tuam ut ſis longaevus ſuper terram quam Dominus Deus daturus eſt tibi*, in manſuetudine ſupportetis, ut a Domino longaevus & Princeps pacificus vivatis ſuper terram. Quod ſi hoc facere nolueritis, rogat nos & nos rogantes pro ea expoſcimus quatenus ei diem conſtituatis, & Comites terrae veſtrae & Caſtellanos quos ipſa in hac cauſa adeſſe voluerit convocetis, & quod ab illis ei judicatum fuerit in curia veſtra ſive in curia Regis Francorum parata eſt ſequi. Valete.

Epiſt. 127. Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſium Epiſcopus dilecto & honorabili Bononienſium Comiti Euſtachio parrochiano ſuo aeternam in Domino Deo ſalutem. Militem captum de Nigella, cui Dominus dedit refugium in Eccleſia beatae Mariae ſemper virginis Dominae noſtrae, ut liberum faciatis & ſecurum, & Eccleſiam Dei honoretis & caſtellum veſtrum in libertate ſpiritus exoramus. Et quoniam audivimus Comitem Flandriae apud Lens eſſe, mandamus ei per vos & litteris praeſentibus ſupplicamus ut eundem Militem per terram ſuam ſecurum abire permittat. Nemo enim veſtrum eſt dives vel pauper qui in periculo mortis aut captionis ad Eccleſiam confugeret quin vellet per Eccleſiam liberari. Bene valete, & facite quae Dei ſunt, & Deus faciet quae veſtra erunt.

Epiſt. 128. Reverendo Patri & Domino Radulfo Dei miſeratione Remorum Archiepiſcopo, omnibuſque honorandis Epiſcopis & Abbatibus Remis in nomine Jeſu congregatis, Lambertus ſanctae Atrebatenſis Eccleſiae qualiſcunque miniſter diſciplinam & ſapientiam in ſpiritu ſancto. Quoniam complacuit vobis, Reverende Pater, pro querela Canonicorum noſtrorum & domni Henrici ſancti Vedaſti Abbatis & monachorum nobis mandare ut invitatio Abbatis uſque in Kalendas Novembris differretur, ſicut mandaſtis factum eſt, & ex utraque parte collaudatum. Bene valete, Reverende Pater, & honorabiles Epiſcopi Domini mei, cum omnibus in Concilio congregatis, & orate pro me peccatore, & inſtanter elaborate ut Eccleſiis noſtris non illam quam mundus dare poteſt, ſed illam quae exſuperat omnem ſenſum, videlicet angelorum & hominum, Deo miſerante & ſpiritu ſancto cooperante, pacem per vos nos gaudeamus conſecutos.

Epiſt. 129. Domino & amico ſuo Lamberto Dei gratia Atrebatenſium Epiſcopo Gualo Pariſienſis Presbyter ſalutem. Sicut in litteris veſtris praemiſiſtis, quod omnis Eccleſia in fide ac ſacramentorum celebratione & ex orthodoxorum patrum inſtitutione horas canonicas frequentando ſanctae Romanae catholicae & apoſtolicae concordare debet Eccleſiae, juxta petitionem veſtram, quantum de his Romae poſitus & vidi & audivi & ad memoriam reducere potui, praeſentibus apicibus annotare curavi. Clerici Romani nullo tempore neque in adventu Domini ſeu in vigiliis vel in quadrageſima ad primam, ſextam, & nonam horam preces dicere conſueverunt, ſed poſt capitulum, reſponſorium, verſum *Kyrie eleyſon*, *Chriſte eleyſon*, *Kyrie eleyſon*, ſtatim collectam ſine *Pater noſter* dicunt. Hoc etiam in omnibus feſtis faciunt. In matutinis vero & veſpertinis horis tantum *Pater noſter* cum capitulis *Miſerere mei Deus* proſtrati dicunt; ſed *Kyrie eleyſon* ter repetito ſequitur *Benedicamus Domino*. Denique Papam eandem quam Canonici regulares in partibus iſtis tenent conſuetudinem in cellula ſua tenere ſciatis, excepto quod in feſtis diebus & in octavis ante collectam ter dicitur *Kyrie eleyſon*, in nocte autem nativitatis Domini ſine *Domine labia mea aperies*, & ſine *Deus in adjutorium meum intende*, & ſine invitatorio ab antiphona & pſalmo incipientes, novem lectiones faciunt, quas vigiliam vocant. Finita autem nona lectione ſine reſponſorio, ſine laudibus collectam dicunt. Et ſciatis quod nunquam Romani poſt nonam lectionem in feſtis diebus reſponſorium cantant, ſed ſtatim *Te Deum laudamus* incipiunt. Et in aliis diebus ſimiliter poſt tertiam lectionem reſponſorium non dicunt; ſed dicto verſu ſequitur *Deus in adjutorium* & cetera in matutinis laudibus dicenda. Arbitror hanc talem inoleviſſe conſuetudinem quoniam ſoliti erant extremam lectionem populo ſemper exponere. Poſt vigiliam autem in nocte natalis Domini de qua ſupra diximus matutinas ſicut nos faciunt, & primam Miſſam ſicut nos interſerunt. A dominica qua cantatur *Judica me Deus* ad introitum non dicunt *Gloria patri*, ſicut nec nos dicimus. In cœna vero Domini horas diurnas ſine antiphona, ſine reſponſorio ita terminant. Ille qui praeeſt in choro dicit *Chriſtus factus pro nobis patri obediens uſque ad mortem*. In ſexta feria majore additur, *mortem autem crucis*. In ſabbato ſancto adjungitur, *propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen*. Hæc breviter prout memoriæ potuerunt occurrere reſpondimus. Cetera quæ non erunt notitiæ veſtræ recognita, ſi quando Deus colloqui conceſſerit, quod optamus, ſecundum inquiſitionem veſtram pleniter elucidabimus.

Epiſt. 130. Venerabili Lamberto Atrebatenſium Epiſcopo Rubertus Nannetenſis Epiſcopus æternæ vitæ gaudia. Audivimus quod quidam noſter compatriota Thietboldus nomine gratia ſtudii digreſſus ſit in alienas partes, & in præſentiarum apud vos moram facit; cui quidam veſtratum, ut ad nos perlatum eſt, ſtimulante invidia, falſitatis quidem crimen imponunt, alii dicentes illum monachum fuiſſe, alii in homicidium incidiſſe, alii vero tale quid propter quod adnotatur exilio perpetraſſe. Porro nos ſub vero teſtimonio veſtræ innoteſcimus excellentiae & teſtifica-

mur

Digitized by Google

mur ipſum non ſolum his ſupradictis haud irretitum criminibus, immo legitime natum, nobilibus ac laicalibus parentibus progenitum, nec ullo criminali involutum quo minus debeat ad cujuſcunque dignitatis apicem promoveri. Vt autem obtrectantium & invidorum linguæ in eum obmuteſcant, ipſum commendamus, & à quolibet catholico ordinati Epiſcopo cum formata concedimus epiſtola; in qua ad totius remotionem ambiguitatis prima Græce ſcripta elementa patris & filii & ſpiritus ſancti Π, Υ, Α, primam quoque nominis Apoſtoli Petri littera Π, primam nominis mei Ρ, ſecundam veſtri Α, tertiam vero nominis ejus quem commendamus Θ, quartam civitatis noſtræ introduximus Ν, quintam vero indictionis quæ nunc temporis habet numerum Η breve; quæ in unum collecta explent numerum DCCLIIII. Addidimus etiam XCVIII. numerum, qui ſecundum Græca elementa ΑΜΗΝ deſignat.

Epiſt. 131. Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Lamberto Atrebatenſi Epiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Abbatem ſancti Vedaſti cum veniſſet ad nos, propter litterarum veſtrarum petitionem apud nos diebus pluribus retinuimus. Sed cum in tanto temporis ſpatio nulli clericorum veſtrorum ad noſtram præſentiam perveniſſent, expedire viſum eſt ut cum litterarum noſtrarum atteſtatione dimitteretur. Cauſam igitur quae inter ipſum & clericos tuos agitur in audientia tua ſub confratrum noſtrorum Tarvanenſis & Ambianenſis Epiſcoporum praeſentia definiendam probamus, ut poſſeſſionis diuturnitas legitime ſecundum veſtrum judicium comprobata quietem accipiat. Super altari etiam de Hinnino rogamus ut eidem Abbati juſtitiam exequaris. Data Laterani VI. Kal. Aprilis.

Epiſt. 132. Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Lamberto Atrebatenſi Epiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Querimonias clericorum veſtrorum adverſus monachos ſancti Vedaſti & item monachorum ſancti Vedaſti adverſus clericos veſtros ita noveritis eſſe deciſas. Auditis utriuſque partis rationibus, communi fratrum deliberatione judicatum eſt ut utraeque capellae, videlicet ſanctae crucis & ſancti Mauritii, ita monachis maneant ſicut in ſcripto * Gerardi Cameracenſis Epiſcopi continetur, qui tunc Atrebatenſis erat viſitator. Ceterum de novo burgo matricis Eccleſiae clerici primitias, decimas, & tres per annum recipiant ſolemnes oblationes, videlicet Paſchae, Pentecoſtes, & natalis Domini. Oblationes vero gratuitas & eleemoſynarum medietatem quae de burgo eodem vel morientium judicio Eccleſiis delegantur vel fideicommiſſorum induſtria dividuntur, monaſterium ipſum, ſi quando offerri contigerit, quiete ac libere abſque ulla clericorum contradictione ſuſcipiat, ut tamen altera medietas matrici non ſubtrahatur Eccleſiae. Presbyteri vero capellani Epiſcopo conſuetam obedientiam exequantur. Data Laterani V. Idus Aprilis.

* Extat apud Locrium in Chronico Belg. pag. 226.

Epiſt. 133. Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Lamberto Atrebatenſi Epiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem. De mota burgi veteris & novi burgi quantitate inter clericos veſtros & ſancti Vedaſti monachos ambiguitas & contentio eſt. Tuae igitur fraternitati negotii hujus diſcuſſionem injungimus, ut per vetuſtiores veracioreſque perſonas, quae neutri parti ſuſpectae ſint, certitudinem diligenter exquiras; ut omni per Dei gratiam ambiguitate ſummota, pacem inter ſe deinceps dilectionemque conſervent.

Epiſt. 134. Reverendo Patri & Domino Paſchali Papae Lambertus ſanctae Atrebatenſis Eccleſiae ſervus inutilis debitam cum orationibus reverentiam. Placuit, reverende Pater, veſtrae celſitudini diviſionem veteris & novi burgi inter Canonicos & monachos Atrebatenſes noſtrae infirmitati injungere: quam veſtrae obedientiae ſatisfacere cupiens, utraque parte abſente, ne contentio inter eos oriretur, vel diviſores aliquo modo corrumperentur, per vetuſtiores & veraciores, & quos neutri parti ſuſpectos eſſe credidimus, ſicut mandaſti, diligenter exquiſivimus, exquiſitam Canonicis & monachis renuntiavimus. Abbas autem, quia huic diviſioni non interfuit, eam ſuſcipere noluit. Et quia Remis conventus coepiſcoporum in proximo habendus erat, utraque parte aſſentiente illuc direximus, ut conſilio eorum quid ſuper hoc agendum eſſet die ſtatuta exequeremur. Ad diem vero ſtatutam convenientes, & ipſam diviſionem, ſicut Abbas expetierat, conſilio Epiſcoporum in praeſentia virorum religioſorum tam Abbatum quam Praelatorum perficere volentes diviſores illos ſub nomine obedientiae ex parte omnipotentis Dei & beati Petri & veſtra & noſtra ut vetus & novum burgum in veritate dividerent commonuimus. Cumque, ne veritas reticeretur, cauſa excommunicationis collo noſtro ſtolam imponeremus, Guillelmus monachus nulla oppreſſione, nullo praejudicio gravatus ex parte Abbatis ad injuriam veſtram & noſtram, non de illa cauſa quae agebatur, ſed de novem denariis, Canonicos noſtros in Kalendis Octobris futuris ante vos invitavit, & ita perturbando Abbatem a praeſentia noſtra & a cauſa recedere fecit. Canonici vero cauſa dilationis & ſui negotii auferendi hoc eſſe factum intelligentes, hac oppreſſione & aliis compulſi, Romanam appellaverunt audientiam, ipſum Abbatem in proxima feſtivitate ſancti Andreae in praeſentia veſtra invitantes. Sic igitur, Reverende Pater, Atrebatenſes Canonici coacti ſicut pupilli ad veſtrae conſolationis pietatem quaſi ad ſinum matris refovendi confugientes humiliter rogant, & nos pro eis & cum eis rogamus, quatenus Atrebatenſem Eccleſiam defendatis de manu fortiorum ejus & in pace conſtituatis & parrochialia jura quae ei canonice conveniunt auctoritate veſtra reſtituatis. Quia vero in diebus noſtris Atrebatenſis Eccleſia quaſi de domo carceris educta & a vinculis abſoluta per veſtra & praedeceſſoris veſtri dignae memoriae domni Vrbani Papae privilegia & ſcripta in libertatem & ad antiquitatem ſuam reducta jam cœpit aliquantulum reſpirare & convaleſcere, ita eam ſuſtinete quatenus a Domino Jeſu Chriſto bonam mercedem mereamini accipere. Nunc vero quia manus Domini die ac nocte gravata eſt ſuper me, benigne Pater, & in mari laborans parum profeci & proficio, rogate Deum patrem miſericordiarum & totius conſolationis ut me peccatorem veſtris ſanctis precibus per unigenitum & dilectum filium ſuum ſalvatorem noſtrum, ne in mare demergar, ſalvare & de tenebris hujus vitae miſericorditer educere dignetur.

Reverendo Patri & Domino Paſchali Papae Lambertus ſanctae Atrebatenſis Eccleſiae qualiſcunque miniſter debitam cum orationibus reverentiam. Suſcepimus, Domine Pater, veſtrae celſitudinis litteras de inquiſitione & diviſione veteris & novi burgi inter Canonicos Atrebatenſes & Abbatem & monachos ſancti Vedaſti; quam, prout veracius potuimus, juxta praeceptum veſtrum inquiſitam & diſcuſſam per vetuſtiores & veraciores parrochianos Abbati ſcripto dare voluimus; qui nec ſuſcipere nec videre nec etiam audire eam voluit, ſed Canonicos noſtros iterum invitavit, cum eidem Abbati litteris veſtris praecepiſſetis ut diviſionem per nos diſcuſſam Abbas omnino ſuſciperet. Nos vero conſiderantes Abbatis praeſumptionem, Canonicis reclamantibus & partem diviſionis quae eis conveniebat poſtulantibus, conſilio domni Archiepiſcopi Remenſis, Sueſſionenſis, Catalaunenſis, Laudunenſis, Ambianenſis inquiſitam tradidimus. Et quoniam pro gravi & continua infirmitate noſtra Abbatem ad juſtitiam cogere non ſufficimus, quaſi provoluti ante pedes apoſtolatus veſtri exoramus ut inquiſitionem diviſionis per nos Canonicis datam confirmetis, ne nos in deriſum habeamur & veſtrae ſublimitatis praeceptum annulletur. De parrochianis vero noſtris circa capellam ſancti Mauritii commanentibus cauſa habita fuit in Trecenſi Concilio praecepto veſtro coram Cardinalibus & Epiſcopis Morinenſi, Ambianenſi, Pariſienſi, aliiſque religioſis & ſynodalibus perſonis, & ibi ab eis judicatum fuit ut Presbyter ſancti Mauritii Epiſt. 135.

ritii in die ſancto Paſchae, Pentecoſtes, & natale Domini, quia nullam curam per Epiſcopum gerit in populo, praedictis parrochianis ſacramenta corporis & ſanguinis Domini nequaquam dare praeſumat, nec oblationem eorum ſuſcipere. Per ceteros autem dies anni, ſi quis ſpontaneas oblationes ei conſerre voluerit, non contradicimus, ſi tamen excommunicatus non fuerit. Sed & judicatum eſt ut Presbyter ſanctae Mariae matricis Eccleſiae, qui curam eorum per Epiſcopum gerit, & confeſſionem ſuſcipit, & omnem parrochialem ſollicitudinem gerit, ſacramenta etiam corporis & ſanguinis Domini in diebus praedictis eiſdem parrochianis traderet. Nos vero veſtigia ſanctorum patrum ſequentes, quia canonicum eſt, ſynodali veſtraque auctoritate diffinitum, hoc judicium firmiter tenere volumus. Injuriam vero inordinatae invitationis & contemptus tam nobis quam vobis ab Abbate illatam vobis relinquimus dijudicandam. Diutius & ſemper bene valeat in unico Dei patris filio ſanctitas veſtra, Reverende Pater & Domine, & memento mei peccatoris ante Deum.

Epiſt. 136. Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Lamberto Atrebatenſi Epiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedienonem. Infirmitatis tuae diuturnitas magnam Eccleſiae veſtrae Canonicis formidinem intulit ne res Eccleſiae quibuſdam irruentibus deperirentur. Unde nos ſecundum eorum petitionem opportunum duximus ejuſdem Eccleſiae ſtatui opitulante Domino providere. Monachis ſiquidem ſancti Vedaſti, ſicut in noſtro & fratrum noſtrorum judicio deliberatum eſt, ea manere concedimus quae noſtrae ſunt auctoritatis litteris deſignata. Ceterum quae ad jus veſtrae Eccleſiae Atrebatenſis pertinent nec ipſis nec aliis quibuslibet in poſterum invadere aut praeter Epiſcopi & clericorum voluntatem uſurpare permittimus. Porro parrochiani omnes matricis Eccleſiae beatae Mariae tam infra quam extra Atrebatum eidem matrici Eccleſiae primitias, decimas, oblationes ſolemnes, & cetera parrochialia jura perſolvant, illi videlicet parrochiani qui ab ipſa matrice Eccleſia baptiſmum, doctrinam, ſepulturamque percipiunt. Dignum eſt enim ut ab eis metantur carnalia quibus ſpiritualia ſeminantur. Quod ſi reddere noluerint, a Canonicis & Canonicorum Presbyteris qui ſuper ipſos curam gerunt per Epiſcopum coërceantur. Ab illis ſacerdotibus parrochiani ipſi ad communionem admittantur qui eorum confeſſionem ſuſcipiunt & curam gerunt. Sane gratuitas oblationes tam matrici Eccleſiae quam ceteris Eccleſiis concedimus quibus ex devotione fidelium conferuntur. Si quis autem, decreti hujus tenore cognito, temere contraire tentaverit, apoſtolicae indignationis ultione plectatur. Data Laterani xv. Kal. Januarii, indictione VII.

Epiſt. 137. Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis fratribus Lamberto Epiſcopo & Canonicis Atrebatenſis Eccleſiae ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Diſſenſio quae jamdiu inter vos & ſancti Vedaſti monachos agitatur nos vehementer gravat. Et vos enim & illos diligimus, & inter vos concordiam & dilectionem haberi optamus. Nuper autem frivolam inter vos quaeſtionem ortam audivimus, de populo ſcilicet capellae ſancti Mauritii, quod in praecipuis feſtivitatibus in capella ipſa dominici corporis & ſanguinis non debent ſuſcipere ſacramenta. Quod profecto frivolum & irrationabile omnino videtur ut populus qui ad divina officia in loco ipſo per totum annum admittitur, in diebus ſolemnibus a communione dominici corporis & ſanguinis excludatur, niſi forte interdictus ſit aut aliquo crimine teneatur. Præſentibus ergo litteris dilectionem veſtram monemus ut a quaeſtione hujuſmodi deſiſtatis, nec praedictos fratres nec Presbyterum eorum qui in capella fuerit ſuper hoc ulterius infeſtetis. Si qui ad matricem Eccleſiam in praecipuis ſolemnitatibus pro celebriorum dierum gaudio accedere voluerint, nos minime prohibemus. Quod ſi ultra in hoc eos gravare volueritis, nos injuriam patientibus praeſtante Deo manum auxilii conſeremus. Data Anagniae v. Idus Novembris.

Poſtea ſequuntur in veteri codice epiſtolæ duæ Paſchalis II. quæ extant in tomo quinto Spicilegii Dacheriani pag. 563.

De querimonia inter Canonicos Tornacenſes & monachos ſancti Martini.

PAſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus & coepiſcopis Lamberto Atrebatenſi & Johanni Morinenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Querimonia Tornacenſium Canonicorum jamdiu adverſus monachos ſancti Martini exagitata adhuc vehementius exagitatur. Unde dilectioni veſtræ mandamus ut locum utrique partibus competentem conſtituatis, & prædicta querimonia diligenter examinata, eam penitus decidere ſtudeatis, & remota appellatione debitum finem imponatis, ut nullus per Dei gratiam querimoniæ locus ulterius relinquatur. Epiſt. 138.

Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus dilectis in Chriſto fratribus atque Abbatibus Henrico Vedaſtenſi, Alberto Haſnonienſi, Fulcardo Marcianenſi, per eam quæ in Chriſto eſt obedientiam ad æternam pervenire lætitiam. Scire volumus dilectionem veſtram nos & Epiſcopum Tarvanenſem litteras nuper ab apoſtolica ſede ſuſcepiſſe quæ nobis injungunt ut Canonicis ſanctæ Tornacenſis Eccleſiæ & monachis ſancti Martini Turnacenſis monaſterii diem & locum conſtitueremus ubi querimoniam quæ diu inter eos agitatur diligenter auditam remota appellatione ad debitum finem per Dei gratiam perducere ſtuderemus. Nos vero, licet inviti, pro gravis & diutinæ infirmitatis noſtræ timore, hujus negotii actionem apoſtolica auctoritate ſuſcipientes, eadem auctoritate mandamus & fraternitati veſtræ injungimus quatenus remota omni occaſione XIII. Kal. Auguſti ante horam diei tertiam apud Capi caſtellum ſtrenui Militis Domini Roberti Peronenſis nobis & cauſis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ in conſilium & auxilium adeſſe non negligatis. Bene valete in Domino ſemper, & orate pro nobis. Epiſt. 139.

Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus dilecto in Chriſto fratri Sigero Turnacenſis monaſterii Abbati omnique congregationi ſibi commiſſæ per juſtitiæ ſemitas ſemper incedere & in omnibus actis ſuis Deo placere. Scire volumus dilectionem veſtram nos literas ab apoſtolica ſede nuper ſuſcepiſſe quæ nobis injungunt ut vobis & Canonicis ſanctæ Turnacenſis Eccleſiæ diem & locum conſtituamus ubi querimoniam quæ diu inter vos & prædictos Canonicos agitatur diligenter auditam remota appellatione ad debitum finem deducere ſtudeamus. Eadem ergo ſedis apoſtolicæ auctoritate qua, licet inviti, pro timore gravis & diutinæ infirmitatis monemus, hoc facere cogimur, & præcipimus vobis quatenus XIII. Kal. Auguſti ante horam diei tertiam apud Capi caſtellum ſtrenui Militis Domini Roberti Peronenſis adeſſe non differatis. Bene valete, & orate pro nobis. Epiſt. 140.

Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus dilectis in Chriſto fratribus domno Gothero Turnacenſis Eccleſiæ Decano & G. Præpoſito æternam in Domino ſalutem. Licet nuper pro timore noſtræ gravis & diutinæ infirmitatis querimoniæ veſtræ cauſam, quæ inter vos & ſancti Martini Turnacenſis monaſterii monachos jamdiu verſatur, inviti ſuſceperimus agendam, nunc tandem apoſtolicæ ſedis auctoritate conſtricti mandamus & præcipimus vobis quatenus XIII. Kal. Auguſti ante horam diei tertiam apud Capi caſtellum ſtrenui Militis Domini Roberti Peronenſis ad cauſæ veſtræ actionem vos præſentare procuretis. Bene valete, & orate pro nobis. Epiſt. 141.

Domino ſuo domno Lamberto Dei providentia Atrebatenſis Eccleſiae Epiſcopo venerabili Gotherus Epiſt. 142.

De-

Digitized by Google

Decanus cum ceteris fratribus Turnacenſis Eccleſiae orationum ſuffragia & non indebitae fidelitatis obſequia. Eccleſia noſtra non immemor quam pio quam paterno affectu in cauſa quam adverſus monachos ſancti Martini habuimus nobis ſubveniſtis, paternitati veſtrae dignas rependit gratias. Quia vero nos & noſtra in poſterum infeſtari pertimeſcimus, ſanctitatem veſtram ſollicite exorantes petimus ut qualiter arbitrii veſtri decretum litem inter nos & monachos terminavit ſcripto & ſigilli veſtri auctoritate nobis corroboretis. Valete.

Concordia inter Canonicos Turnacenſes & monachos ſancti Martini.

Epiſt. 143. IN nomine unius veri ac ſummi Dei patris & filii & ſpiritus ſancti, Amen. Ego Lambertus ſanctae Atrebatenſis Eccleſiae Presbyter humilis rogatus a dilectis in Chriſto fratribus ſanctae Turnacenſis Eccleſiae filiis ut eis de querimonia inter eos & monachos ſancti Martini in ſuburbio conſiſtentes habita ſcriptum faceremus, quatenus eorum cauſa definita in poſterum munirentur. Nos vero conſiderantes eorum petitionem honeſtam eſſe & quod ſapienter ſibi & paci Eccleſiarum providerent & conſulerent, libenter eam ſuſcepimus finiendam. Qualiter autem negotium iſtud tractandum nobis impoſitum fuerit, non faſtidioſis auditoribus ſed benevolis lectoribus inſinuare caritatis ſtudio non refugimus. Domnus itaque Paſchalis ſecundus litteras ab apoſtolica ſede mihi & venerabili Morinorum Epiſcopo Johanni direxit, in quibus nobis injunxit ut Canonicis ſanctae Turnacenſis Eccleſiae & monachis ſancti Martini Turnacenſis monaſterii locum competentem conſtitueremus ubi querimoniam eorum diu & vehementer exagitatam, diligenter examinatam, penitus decidere ſtuderemus, & remota appellatione debitum illi finem imponeremus, ut nullus deinceps per Dei gratiam huic querimoniae locus relinqueretur. Nos ergo tanta auctoritate conſtricti & edocti, tandem largiente Domino in pago Viromandenſi & epiſcopatu Noviomenſi, apud Capi caſtellum in Eccleſia ſancti Medardi glorioſi confeſſoris Chriſti XVI. Kal. Auguſti convenimus; ibique in praeſentia Epiſcoporum, Archidiaconorum, Abbatum, & religioſorum clericorum, primo omnium praedicabiliter & multum ſtudioſe rogavimus Canonicos Turnacenſes & monachos, optionemque eis dedimus quatinus, ſicut filii dilectionis, & quorum converſatio in caelis eſſe debet, ſi contra ſacros canones & ſtatuta patrum alter alterius reprehenſibiliter res uſurpaſſent, pro Dei timore ſuaque ſalvatione omnino dimitterent. Ubi cum nihil perfeciſſemus, audita querimonia Canonicorum & reſponſo monachorum, rurſum commonefecimus eos ne tam damnoſae animabus contentioni diutius inſervirent, ſed fraternam potius & Chriſtianae perfectionis pacem inter ſe componere ſtuderent. Cum autem ad integrum nos audire noluiſſent, ſeceſſimus in partem, & accepto conſilio venerabilium fratrum, capitulum etiam beati Petri prae manibus habentes quod dedit in conſpectu totius ſanctae Romanae Eccleſiae in die ordinationis ſancti Clementis: *Si qui ex fratribus negotia habent inter ſe, apud cognitores ſeculi non judicentur, ſed apud Presbiteros Eccleſiae quicquid illud eſt dirimatur, & omnino obediant ſtatutis eorum*; & illud beati Pauli Apoſtoli: *In promptu habemus ulciſci omnem inobedientiam*; & rurſum in conventu reſidentes & praedictorum Apoſtolorum auctoritatibus praemuniti, domni quoque Paſchalis Papae praecepto inſtructi, huic tam perniciosae & amarae altercationi talem impoſuimus finem, paci & concordiae atque indulgentiae congruentem, quatenus monachi hortum ſuum & quod in horto excolerent abſque reclamatione & alicujus dominationis redhibitione poſſiderent; excepto ſi olera horti vel fructus arborum & cetera hortularia venundarentur, tunc de venalibus decimum Canonicis darent. Decimam vero fabarum, leguminum, & frugum, ovium quoque & porcorum & animalium de parrochia ſanctae Turnacenſis Eccleſiae Canonicis pacifice & abſque omni retractatione darent. Sepulturam vero monachis & eorum converſis liberam Canonici conceſſere hac conditione interpoſita ut nullum de parrochia Turnacenſi, nullum de Canonicorum parrochianis propriis, nullum etiam de paribus & caſatis Epiſcopi, nullum vero de paribus & caſatis pertinentibus ſive ad urbem ſive ad caſtellum aliquo modo monachi praeſumerent in ſuo cimiterio ſepelire niſi permiſſu & licentia Canonicorum. Hanc autem pacis modificationem auctoritate Dei omnipotentis & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli & domni Paſchalis Papae & noſtri conventus alterutrum firmiter tenendam ſtatuimus. Et ſi quis eam qualibet occaſione deinceps perturbaret, & iram Dei omnipotentis incurreret & gratiam Apoſtolorum Petri & Pauli amitteret & canonum ſeveritati ſicut reus & infamis ſubjaceret quoadusque pro tanto commiſſo dignos poenitentiae fructus faceret. Ut autem hoc noſtrum conſtitutum perenni tempore ſtabile & inconvulſum permaneat, teſtes idoneos & fideles in quorum praeſentia datum eſt annotare procuravimus. Domnus Johannes Morinorum Epiſcopus interfuit & huic inſtituto aſſenſit. Domnus Baldricus Noviomentium & Turnacentium Epiſcopus interfuit & huic inſtituto aſſenſit. Domnus Odo Cameracenſis Epiſcopus interfuit & huic inſtituto aſſenſit. Claremboldus Atrebatenſis Archidiaconus, Robertus Oſtrevandenſis Archidiaconus, Henricus ſancti Vedaſti Atrebatenſis Abbas, Albertus Haſnonienſis, Fulcardus Marcianenſis, Richardus de Monte ſancti Eligii, Cono Presbyter de Arida Gamantia de titulo ſanctae trinitatis, item Odo religioſus eremita & Presbyter de Arida Gamantia de titulo ſanctae Mariae ſemper virginis dominae noſtrae. Canonici & Presbyteri de ſede pontificali, Odo Praepoſitus & Presbyter, Anaſtaſius Cantor & Presbyter, Rotgerus Presbyter, Balduinus Presbyter, Drogo Oeconomus, Gualterus Duacenſis, Hugo filius Balduini, Gerardus Decanus de caſtello ſancti Vedaſti, Adſo Presbyter de Bethunia, Hugo Praepoſitus de Bethunia, Balduinus Decanus de ſancto Albino, Adam Presbyter de eodem titulo, Honoratus Presbyter de domno Medardo. Ego Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus interfui & huic praedicto inſtituto aſſenſi, & ut in memoriam teneatur, ſcripto & meae humilitatis ſigillo ſignari feci. Actum apud Capi in Eccleſia ſancti Medardi glorioſi confeſſoris & Epiſcopi XVI. Kal. Auguſti indictione I. incarnationis dominicae anno MCVIII. pontificatus autem domni Paſchalis II. Papae nono.

Reverentiſſimo Domino & Patri patrum Paſchali. Epiſt. 144.
Papae Lambertus ſanctae Atrebatenſis Eccleſiae ſervus inutilis, debitam cum orationibus reverentiam. Lator praeſentium G. Turnacenſis Eccleſiae Praepoſitus in praeterita aeſtate ab apoſtolatu veſtro detulit litteras mihi & venerabili Morinorum Epiſcopo Iohanni, in quibus mandaſtis nobis quatenus Canonicis Turnacenſibus & monachis ſancti Martini de ſuburbio eorum locum competentem conſtitueremus ubi utrorumque querimonia diligenter examinata, eam penitus decidere ſtuderemus & remota appellatione debitum finem imponeremus, ut nullus per Dei gratiam querimoniae locus ulterius relinqueretur. Nos vero, licet gravi infirmitate fatigari & detenti, tamen cum Dei auxilio & venerabilis Epiſcopi Morinenſis & clericorum noſtrorum conſilio providimus locum habilem ad quod mandaſtis faciendum. Ibi ergo cum multum & diu fatigarent nos Turnacenſes Canonici & monachi & eorum prolocutores, tandem divina propitiante miſericordia, veſtrae quoque auctoritatis obedientia, condonatis ſibi alterutrum & damnis rerum & rancoribus animorum, in oſculo pacis & Chriſtianae dilectionis in praeſentia Epiſcoporum Turnacenſis & Cameracenſis necnon & Abbatum & religioſorum clericorum & laicorum praedictos.

diſtos Cannnicos & monachos abire in pace permiſimus. Antequam autem conventus noſter ſolveretur, rogati ſumus a clericis Turnacenſibus ut paſtum & concordiam inter eos & monachos ſaſtam, ne in poſterum alicujus maligni malitia vitiaretur aut corrumperetur, ſcripto noſtro eam confirmaremus. quod & nos ſecimus. Monachis autem nullum ſcriptum ſecimus, quia ut faceremus rogati non fuimus. Suggerimus autem ſereniſſimae & dileſtiſſimae nobis ſanſtitatis veſtrae juſtitiae ut cauſam hanc ſic agatis quatenus ab omnipotenti Deo bonam juſtitiae mercedem ſuſcipiatis & apud Turnacenſem clerum & populum, qui valde numeroſus eſt, veſtrae dignitati & religioſae ſpeculationi damna laudis non acquiratis. Bene valete ſanſtiſſime & dulciſſime pater in Domino Ieſu Chriſto ſalvatore noſtro; & adjuvate ſanſtis orationibus veſtris ut ineffabilis omnipotentis Dei miſericordia me peccatorem a peccatis abſolutum de carcere & tenebris hujus vitae & de lacu miſeriae & de luto faecis educere dignetur.

PRIVILEGIA CONCESSA
a Lamberto Epiſcopo Atrebatenſi.

I. IN nomine ſanſtae & individuae trinitatis patris & filii & ſpiritus ſanſti. Amen. Ego Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus. Dulciſſimis petitionibus tuis & Eccleſiae cui praeeſſe dignoſceris ſatiſfaciens, dileſtiſſime frater & fili Hugo Abba venerabilis congregationis inviſtiſſimi martyris beati Dionyſii Remenſis, pro peccatorum noſtrorum redemptione tibi tuiſque ſucceſſoribus in eo quo es loco & ordine ſub regula ſanſti Auguſtini militantibus ſine aliqua turpis lucri exaſtione altare de Aix non ſolum concedimus, verum etiam qua praeſidemus auſtoritate liberaliter in perpetuum confirmamus. Salvo in omnibus Atrebatenſis Epiſcopi jure & redditibus ejus, & Archidiaconi miniſtrorumque ejus. Si quis autem poſt hanc noſtram definitionem manu ſacrilega ab Eccleſia cui Deo diſponente annuimus auferre attentaverit, vel ingenioſis machinamentis contra ea ire praeſumpſerit, cum Simone mago anathema ſit. Praediſtus vero domnus Hugo Abbas & omnis ejuſdem loci ſucceſſor ejus Abbas, ſi ad ſynodum Atrebatenſis Epiſcopi fuerit invitatus, adveniet. Et ſi talibus negotiis detentus & intentus fuerit pro quibus advenire non potuerit, per quendam Canonicorum ſuorum, niſi annuente Epiſcopo remanſerit, cauſas ſynodalis excuſationis tranſmittet. Hanc etiam affinitatem inter Atrebatenſem & Remenſem glorioſiſſimi videlicet martyris beati Dionyſii Eccleſiam inconvulſa ſtabilitate concedimus quatenus Remenſes, audito Epiſcopi obitu, exequias illius fraterne celebrare non differant, necnon anniverſarium ejus perenniter cuſtodiant, & Atrebatenſes de Abbate ſanſti Dionyſii ſimiliter faciant. Nos ſiquidem hujus paginae auſtoritatem ratam & inconvulſam permanere volentes, in praeſentia ſubſcriptorum teſtium eam conſignavimus. S. domni Iohannis Archidiaconi Atrebatenſis. S. domni Clareboldi Obſtrevandenſis Archidiaconi. S. domni Aloldi Abbatis de ſanſto Vedaſto. S. domni Iohannis de Monte ſanſti Eligii Abbatis. S. domni Odonis Praepoſiti ſanſtae Mariae. S. domni Guiberti Decani. S. Anaſtaſii Cantoris ſanſti Roberti Magiſtri. S. Gualteri Cuſtodis. SS. Canonicorum beatae Mariae Herberti, Balduini, Algiſi, Hugonis, alterius Hugonis, Roberti, alterius Roberti, alterius Balduini, Gerardi, Arnoldi, Radulfi, Bertulfi, Algiſi, Andreae, Petri. S. domni Cnuonis de ſanſta trinitate. S. Maſcelini Archipresbyteri. S. Drogonis Albiniacenſis Praepoſiti. Ego Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus hoc libertatis donativum relegi & ſubſcripſi, & in nomine patris & filii & ſpiritus ſanſti † propria manu confirmavi. Aſtum Atrebati in ſynodo anno Dei Chriſti MXCVII. indiſtione v. Nonis Februarii, anno autem pontificatus domni Lamberti Atrebatenſis Epiſcopi quarto.

II. In nomine patris & filii & ſpiritus ſanſti Amen. Ego Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus deſideranti animo cupiens eradicare omnem ſimoniacam haereſim a noſtra dioceſi, ſatiſfaciens precibus domni Hugonis venerabilis Abbatis Elnonenſis coenobii de titulo beati Stephani protomartyris & glorioſi ſanſti Amandi caeterorumque fratrum ejuſdem Eccleſiae, haec altaria, ſcilicet de Scaldino, de Lurcio, & de Ruoth, & de Balciniolo, & de Dieraco, quae haſtenus perſonaliter tenuerant, pro peccatorum noſtrorum remiſſione ſucceſſorumque noſtrorum Epiſcoporum praenominatae congregationi liberaliter poſſidenda, remota omni ſimoniaca exaſtione, in perpetuum confirmamus, ea tamen conditione ut defunctis Presbyteris locorum illorum, idonei ab Abbate ad Epiſcopum deducantur, eiſque cura animarum ab Epiſcopo gratis impendatur. Salvo in omnibus jure Atrebatenſis Epiſcopi & redditibus ejus, & conſuetudinibus Archidiaconi ſui & miniſtrorum ejus. Si qui vero poſt hanc noſtram definitionem praediſtam haereſim eradicatam replantare praeſumpſerit, vel pro tali negotio pecuniam exegerit, dator & acceptor cum Simone haeretico anathema ſit. Praediſtus autem domnus Hugo Abbas, ſed & omnis Elnonenſis coenobii ſucceſſor ejus Abbas, ſi ad ſynodum ab Atrebatenſi Epiſcopo fuerit invitatus, adveniet. Et ſi talibus negotiis detentus & intentus fuerit pro quibus advenire non potuerit, per quendam monachorum ſuorum, niſi annuente Epiſcopo remanſerit, cauſas & canonicae & ſynodalis excuſationis tranſmittet. Obedientiarius vero altarium ſupradiſtorum monachus ſynodis ſemper intererit. Hanc etiam affinitatem inter Atrebatenſem & Elnonenſem Eccleſiam inconvulſa ſtabilitate concedimus quatenus Elnonenſes, audito Epiſcopi obitu, exequias illius fraterne celebrare non differant, & Atrebatenſes ſimiliter de Abbate ſanſti Amandi faciant. Nos vero illius paginae auſtoritatem ratam & inconvulſam permanere volentes, eam in praeſentia ſubſcriptorum teſtium conſignavimus. S. domni Clarembaldi Obſtrevandenſis Archidiaconi. S. domni Iohannis Archidiaconi Atrebatenſis. S. domni Odonis ſanſtae Mariae Praepoſiti. S. domni Gasberti Decani. S. domni Anaſtaſii Cantoris. S. domni Gualteri Cuſtodis. S. domni Roberti Magiſtri. S. Maſcelini Atrebatenſis Archipresbyteri. S. Amalrici Decani de Maden. S. Iohannis de Duaco Decani. S. domni Aloldi venerabilis ſanſti Vedaſti Abbatis. S. domni Iohannis de Monte ſanſti Eligii Abbatis. S. domni Alberti Haſnonienſis Abbatis. S. domni Richardi Marcianenſis Abbatis. S. domni Hamerici Aquicinenſis Abbatis. S. domni Raineri Cameracenſis Abbatis de ſanſto ſepulchro. S. domni Goiffridi Abbatis ſanſti Andreae de novo Caſtello Cameracenſi. S. domni Geroldi Hamenſis Abbatis de territorio Tarvanenſi. Ego Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus hoc libertatis donativum relegi, ſubſcripſi † & in nomine patris & filii & ſpiritus ſanſti confirmavi. Aſtum Atrebati in ſynodo in baſilica beatae Mariae ſemper virginis Dominae noſtrae anno videlicet Dei Chriſti MXCVII. indiſtione v. XII. Kal. Novembris, anno autem pontificatus domni Lamberti Atrebatenſis Epiſcopi quarto.

III. In nomine patris & filii & ſpiritus ſanſti unius veri & ſummi Dei. Amen. Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus ſuis ſucceſſoribus præſentis vitæ lætitiam & futuræ gloriam. Legimus in geſtis Pontificum Atrebatenſis Cameracenſiſque Eccleſiae domnum Fulbertum earundem urbium Epiſcopum corpus beati Vindiciani de terra elevaſſe, eoque in loco, qui Mons videlicet ſanſti Eligii dicitur, Eccleſiam, priore deſtruſta, reaedificaſſe de titulo Apoſtolorum Petri & Pauli, ubi clericos oſto & ſtipendia unde viverent conſtituit, & eos hac libertate donavit, ut nullius poteſtati ſubjacerent

niſi

Digitized by Google

niſi ſolius Epiſcopi. Poſt mortem vero ejus coeperunt dietim a ſervitute Dei tepere, Eccleſiaque uſque ad tempus domni Lietberti Epiſcopi declinate. Quam deſtructionem ipſe vir miſericordiae aegre ferens, ut ita dicam, alter Samaritanus, ejus miſeriae condoluit, ac ſecum tractare quomodo id in melius repararetur coepit. Cui conſilium tali negotio congruum ille miniſtravit qui hoc velle cordi ejus infundit. Nam ibi clericos regulares de communi viventes ſuorum conſilio fidelium ordinavit, eiſque Abbatem ſuae profeſſionis praefecit. Vnde facto privilegio ſuos precatus eſt ſucceſſores ut eos proveherent & fierent adjutores. Libertatem quoque Eccleſiae ac poſſeſſionum ſuarum denuo confirmavit, & altare de Hucin ea conditione ibi dedit ut ſingulis annis in feſtivitate ſancti Remigii xii. denarios ſolvat, & deinceps ab omni redemptione liberum fiat. Altare quoque de Hodricourt ita dedit ut ſine perſona permaneat. Domnus quoque Gerardus praedeceſſor meus ſucceſſorque ſuus in Novilla & Mediana villa ſine perſonis dedit altaria, ſalvo jure Epiſcopi & redditibus ejus & conſuetudinibus Archidiaconi ejus. Haec omnia ego Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus tibi, reverentiſſime frater & fili Iohannes Abba, omnibuſque in eo quo es loco & ordine propter religionem tuam ſucceſſoribus tuis religioſe & communiter victuris, ſicut ſuperius determinatum eſt, firma & inconvulſa permanere concedo. Concedimus etiam ſuo in tempore, cum opus fuerit inibi Canonicis religioſe & abſque proprietate viventibus, cum conſilio & auctoritate Atrebatenſis Epiſcopi, licentiam eligendi juxta timorem Dei & ſacros canones magiſtrum & Abbatem. Quod ſi hujuſmodi officii idonea perſona ibi inventa non fuerit, aſſenſu Epiſcopi ſui & conſenſu eligent de alio monaſterio virum religioſum ordinis & profeſſionis ſuae in magiſtrum & Abbatem ſibi praeficiendum. Poſt haec vero deducatur ad Epiſcopum, & ſuſcipiat de manu ejus temporale beneficium loci & curam animarum & Abbatis benedictionem. Hiſque beneficiis altare de Rebroniis precatu domni Clareboldi Militis adjungo, ita ut duos tantum ſolidos in coena Domini ad ſervitium Epiſcopi perſolvat, de cetero totum redigatur ſub Abbatis dominio. Hujus rei teſtes domnus Iohannes Archidiaconus, domnus Clareboldus Archidiaconus, Odo Praepoſitus, Wibertus Decanus, fratreſque ceteri totius congregationis ſanctae Mariae ſemper virginis. Domnus igitur Clareboldus hujus rei hortator nullum alium penitus heredem facere volens quam Eccleſiam Rebronienſem, totam quam in vicinio habebat hereditatem ibi dedit, ita ut ipſe ſupradictus Abbas ad honorem Dei & ſanctae Mariae ſemper virginis ipſum locum per clericos ſuos detineret, & prout res exterior augeretur, ſervitium Dei intus creſceret. Dedit videlicet in Baraſlo integrum molendinum & unius carrucae terram & quinque hoſpites, & in Dahellicurt quartam partem & ſilvam ibi attinentem. Hujus rei teſtes duo iterum Archidiaconi, Iohannes videlicet & Clareboldus, & totus Eccleſiae Atrebatenſis conventus, domnus quoque Aloldus Abbas ſancti Vedaſti, Philippus frater Comitis Roberti, Clementia Comitiſſa Flandrenſis, Robertus Advocatus, Baldricus de Colhem, Frumoldus de Inſula. Hoc igitur datum & ſi quis aliud legitime dederit, qui uſurpare praeſumpſerit & in pravos uſus redigere attentaverit, canonicae excommunicationi ſubjaceat. Ego Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus hoc libertatis donativum relegi & ſubſcripſi, & in nomine patris & filii & ſpiritus ſancti propria manu confirmavi. Actum Atrebati in ſynodo in baſilica beatae Mariae ſemper virginis Dominae noſtrae, anno videlicet Dei Chriſti MXCVII. indictione v. xii. Kal. Novembris, anno autem pontificatus domni Lamberti Atrebatenſis Epiſcopi quarto.

IV. In nomine patris & filii & ſpiritus ſancti unius veri & ſummi Dei. Amen. Ego Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus gaudens de religioſa converſatione tua, reverentiſſime frater & compresbyter Cono, deſiderio deſideramus paci & quieti tuae tam praeſentibus temporibus quam & futuris providere. In adventu enim tuo & bonae memoriae domni Heldemari magiſtri & conſacerdotis tui in Anda Gamantia in parrochia noſtra quae dicitur Rochennias locum vobis ad ſerviendum Deo elegiſtis, qui, ſicut aliquando fugiendus velut ſpelunca latronum fuit, nunc per Dei viſitationem & tuam & fratrum tecum habitantium factus eſt refugium & ſolatium ibi tranſeuntium. Vnde & te in eo quo es loco & ordine & ſucceſſores tuos religioſe & canonice inibi victuros hac donamus libertate ut tantum Epiſcopo reſpondeatis & in manu ejus in libertate ſpiritus permaneatis. Contradimus etiam tibi & per te legitimis ſucceſſoribus tuis cum fratribus inibi religioſe & abſque proprietate viventibus atque victuris in augmentum pacis & quietis loci tui praedictam parrochiam de Roehennies ſub reſpectu xii. denariorum in coena Domini ad ſervitium Epiſcopi. Si autem aliquando, quod abſit, antiquo hoſte inſtigante, & praedicto loco vel parrochia tale quid acciderit pro quo reconciliatio neceſſaria fuerit, tibi legitimiſque ſucceſſoribus tuis vice noſtra, accepta aqua ſanctificationis & reconciliationis, ut ea reconcilies religioni veſtrae annuimus. Si autem praedictus locus largiente Domino ad tantam copiam rerum & ſervorum Dei ibi commorantium excreverit ut Praelatum eligere debeant, liberam habeant poteſtatem, cum conſilio & auctoritate Atrebatenſis Epiſcopi eligendi ſibi magiſtrum & dominum juxta timorem Dei & inſtituta ſanctorum canonum. Poſtmodum vero deducatur ante Epiſcopum, & accipiat temporale beneficium loci & curam animarum & praelationis benedictionem. Rogamus ergo in Domino tam praeſentes fratres noſtros quam & ſucceſſores Epiſcopos noſtros & ſanctorum canonum auctoritate interdicimus & noſtra ne quis hoc donativum libertatis violare aut corrumpere praeſumat. Si quis ſcienter hujus noſtrae inſtitutionis privilegium infregerit, excommunicationi ſubjaceat quoaduſque reſipuerit & Eccleſiae Dei ſatisfecerit. Fiat, fiat. Vt autem perenni tempore hoc decretum firmum & ſtabile maneat, teſtes fideles annotare curavimus. S. domni Iohannis Atrebatenſis Archidiaconi. S. domni Clarebaldi Obſtrevandenſis Archidiaconi. S. domni Aloldi ſancti Vedaſti Abbatis. S. domni Hamerici Aquicinenſis Abbatis. S. domni Alberti Haſnonienſis Abbatis. S. domni Richardi Marcinienſis Abbatis. S. domni Iohannis ſancti Vindiciani Abbatis. S. Odonis Praepoſiti ſanctae Mariae ſemper virginis. S. domni Wiberti Decani. S. Roberti Magiſtri. S. Anaſtaſii Cantoris. S. domni Gualteri Cuſtodis. S. Maſcelini Archipresbyteri. S. Iohannis de Duaco Decani. S. Balduini Decani. S. Aſſonis Decani de Bethunia. S. Iohannis Decani de Caſtello. S. Iohannis Decani de Dangevilla. Ego Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus hoc libertatis donativum relegi † & ſubſcripſi, & in nomine patris & filii & ſpiritus ſancti propria manu confirmavi. Actum Atrebati in ſynodo in baſilica beatae Mariae ſemper virginis dominae noſtrae anno videlicet Dei Chriſti MXCVII. indictione v. xii. Kal. Nuvembtis, anno autem pontificatus domni Lamberti Atrebatenſis Epiſcopi quarto.

V. In nomine patris & filii & ſpiritus ſancti unius veri ac ſummi Dei. Amen. Cum inter cetera praeceptorum Chriſtianae religionis ſummopere commendetur ramus uterque caritatis, Dei videlicet amor & proximi, niſi proximum erigamus, jumento ſalutis circumferamus ad exemplum illius Samaritani, non promerebimur gratiam hujus ſanctae dilectionis. Merito ſiquidem caritas debet amplecti quam divina providentia tantopere commendare ſtuduit. Haec namque per legem, per prophetas mundo prius innotuit, quam ut altius Dei filius commendaret, in tempore gratiae viſibilis apparens in ſole tabernaculum

Digitized by Google

lum ſuum poſuit. Et quoniam caritas loquitur, *Omni petenti te da*, & viſcera caritatis ſemper carent inopia, nos oportet elaborare petentibus hilariter adminiſtrare prout ratio dictabit & aequitas. Quare ego Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus ſaepe & multum imploratus, ſatisfacere volui dulciſſimis precibus domni Aloldi venerabilis Abbatis Atrebatenſis coenobii de titulo glorioſi confeſſoris Chriſti Vedaſti ceterorumque fratrum ejuſdem Eccleſiae, ut altaria quae perſonaliter tenuerant firmaremus liberaliter poſſidenda praedictae congregationi. Vnde cum fidelibus noſtris communicato conſilio, tibi, reverentiſſime frater & fili Abba Alolde, tuiſque legitimis ſucceſſoribus pro peccatorum noſtrorum redemptione, ſine aliqua turpis lucri exactione, ipſa altaria non ſolum concedimus, verum etiam qua praeſidemus auctoritate liberaliter in perpetuum ea confirmamus; ea tamen conditione ut defunctis Presbyteris illorum locorum, alii idonei ab Abbate ad Epiſcopum deducantur, eiſque cura animarum ab Epiſcopo gratis impendatur. Salvo in omnibus jure Atrebatenſis Epiſcopi & redditibus ejus & Archidiaconi miniſtrorumque ejus. Praeterea promittente nobis & profitente Abbate ſicut primogenito filio noſtro in privatis & publicis negotiis Eccleſiae noſtrae & in Capitulo & extra fideliter & obedienter ſe deſerviturum, ſi vocetur ab Eccleſia. Haec autem ſunt nominatim altaria, Salgi, Florbacs, Laventies, Felcy, Vi, Contchan, Remchendencourt, Aſceel, Hadas, Mons, Novilelle, Pabule, Baſiliere, Bomvillers, Guarluſe, Fiſcau, Bairy, Fontenellis, Ateias, Gaurerie, Fuſcariis, Bertricurt, Bigartu, Hambleng, Fraſne, Noveville, Iſer, Tenluz, Moſlancs, Ymercurt. Si quis autem poſt hanc noſtram definitionem manu ſacrilega cui Deo diſponente annuimus auferre vel pecuniam exigere praeſumpſerit, dator & acceptor cum Symone haeretico anathema ſit. Cujus rei gratia pignus hoc caritatis nobis recompenſandum reduci volumus ad memoriam, quatenus audito obitu noſtro, exequias & triceſimum noſtrum & anniverſarium tam praeſentes fratres & Abbates eorum perpetualiter celebrare procurent. Et quoniam ſancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis ſolvantur, rogamus te, dilectiſſime fili & venerabilis Abba, & omnes ſucceſſores tuos in eo quo es loco & ordine futuros Abbates quatenus in caritate ſpiritus ſancti, in quo eſt remiſſio omnium peccatorum, quod nobis ſtatuimus fieri, hoc idem fiat ſucceſſoribus noſtris in Atrebatenſi ſede futuris Epiſcopis. Sane quoniam in deterius defluunt tempora, nec actiones humanae poſſunt memorari niſi per litteras, hoc libertatis donativum conſignari licuit praeſente pagina. Quod ut inconvulſum & ſine retragatione permaneat, in augmentum firmitatis teſtium ſubſcripſimus nomina. S. domni Claremboldi Atrebatenſis Archidiaconi. S. domni Johannis Abbatis de Monte ſancti Eligii. S. domni Alberti Abbatis Haſnonienſis. S. domni Hamerici Abbatis Aquicinenſis. S. domni Raynerii Abbatis de Cameraco. S. domni Gaufridi Abbatis de Novo Caſtello. S. domni Adam Abbatis de ſancto Auberto. S. domni Odonis ſanctae Mariae Praepoſiti. S. domni Guiberti Decani. S. Anaſtaſii Cantoris. S. Roberti Magiſtri. S. Gualteri Cuſtodis. S. Maſcelini Archipresbyteri. S. Johannis Decani d'Aginville. S. Radulfi Decani. S. Aſconis Decani de Bethunia. S. Guarneri Decani. S. Balduini Decani de Bapalmis. S. Guagonis Decani. S. Johannis de Dunco. S. Gualteri Decani PP. S. Arnulfi de Lens PP. S. Bernardi. S. domni Cononis de Arida Gamantia de titulo ſanctae Trinitatis. S. domni Achardi. S. domni Drogonis. Ego Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus hoc libertatis donativum relegi, ſubſcripſi † & in nomine patris & filii & ſpiritus ſancti propria manu confirmavi. Actum Atrebati in ſynodo in baſilica beatae Mariae ſemper virginis Dominae noſtrae anno Dei Chriſti MXCVIII. indictione VI. III. Idus Octobris, anno autem pontificatus domni Lamberti Atrebatenſis Epiſcopi quinto.

VI. In nomine patris & filii & ſpiritus ſancti Amen. Ego Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus gaudens de religioſa converſatione & eremitica vita tua, reverentiſſime frater & compresbyter Odo, deſiderio deſideramus paci & quieti tuae tam praeſentibus temporibus quam & futuris providere. Vnde juſtas petitiones tuas & Balduini Decani noſtri pio affectu proſequentes, & te & ſucceſſores tuos religioſe & canonice inibi victuros hac donamus libertate ut tantummodo Epiſcopo reſpondeatis & in manu ejus in libertate ſpiritus permaneatis. Eccleſiam itaque illam quam devotio tua aedificavit in loco ſolitudinis qui dicitur Aiuleurtis tibi & ſucceſſoribus tuis in propoſito religionis perſeverantibus libere poſſidendam contradimus, & curam animarum confratrum tuorum heremitarum tibi committimus, & decimam agri eidem Eccleſiae circumjacentis, quem fratres tui heremitae excolunt, annuimus. Rogamus ergo in Domino tam praeſentes fratres noſtros quam & ſucceſſores noſtros Epiſcopos & ſanctorum canonum auctoritate interdicimus & noſtra ne quis hoc donativum libertatis violare aut corrumpere praeſumat. Si quis ſcienter hujus noſtrae inſtitutionis privilegium infregerit, excommunicationi ſubjaceat quoadusque reſipuerit & Eccleſiae Dei ſatisfecerit. Fiat, fiat. Vt autem perenni tempore hoc decretum firmum & ſtabile maneat, teſtes fideles annotare curavimus. S. domni Claremboldi Atrebatenſis Archidiaconi. S. domni Roberti Obſtrevandenſis Archidiaconi. S. domni Aloldi ſancti Vedaſti Abbatis. S. domni Alberti Haſnonienſis Abbatis. S. domni Hamerici Aquicinenſis Abbatis. S. domni Richardi Marcinienſis Abbatis. S. domni Roberti Moliſmenſis Abbatis. S. domni Sigeri ſancti Petri de Gant Abbatis. S. domni Iohannis de Monte ſancti Eligii Abbatis. S. domni Adam de ſancto Auberto Cameracenſis Abbatis. S. domni Raineri de ſancto ſepulchro Abbatis. S. domni Cononis de Arida Gamantia. S. domni Odonis Praepoſiti. S. Anaſtaſii Cantoris. SS. Canonicorum Gualteri, Algiſi Roberti, Balduini, Rogeri, Gerardi, Andreae, Guimari, Petri, Anſelli. SS. Decanorum Maſcelini, Aſconis, Iohannis, Gerardi, Guarneri, Guagonis, Balduini, Radulfi, alterius Iohannis. SS. Arnulfi Praepoſiti de Lens & Lictardi & Guagonis Canonicorum. SS. Herberti Decani, Durandi, Amandi, Gualteri, Odechini Canonicorum Duacenſium. S. Flotberi Sacerdotis & perſonae altaris de Flers. Actum Atrebati in ſynodo in Eccleſia beatae Mariae ſemper virginis anno Dei Chriſti MCI. indictione IX. XVII. Kal. Novembris, anno autem pontificatus domni Lamberti Atrebatenſis Epiſcopi octavo. Ego Lambertus Atrebatenſis Epiſcopus hoc libertatis donativum relegi, ſignavi, ſubſcripſi † & in nomine patris & filii & ſpiritus ſancti complevi.

VII. In nomine patris & filii & ſpiritus ſancti unius veri ac ſummi Dei. Amen. Ego Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus; juſtis & honeſtis petitionibus honorabilis Comitis Euſtachii & nobilis ejus uxoris Mariae Comitiſſae, necnon & matris praedicti Comitis Idae religioſae Comitiſſae acquieſcens, quod a miniſterio noſtro exigunt, ſcire volumus tam praeſentibus quam futuris filiis & fratribus noſtris quod in libertate ſpiritus Lenſenti Eccleſiae & Canonicis ejuſdem Eccleſiae ex petitione praedictarum perſonarum ratum & ſtabile perenni tempore per noſtrae auctoritatis privilegium confirmaſſe. Unde omnia illa quae in poſſeſſionem praedictae Eccleſiae ſive a Principibus, ut in eorum praeceptis & ſcriptis continetur, ſive a ceteris Dei fidelibus jam praedictae Eccleſiae, quae cognoſcitur ad titulum beatae Mariae ſemper virginis dominae noſtrae & beati Wiganii confeſſoris a principio fundata, juſte donata & canonice poſſeſſa ſunt, ſive in poſterum concedenda, pondere noſtrae auctoritatis a Canonicis & eorum Praelatis diſponenda au-

cto-

Digitized by Google

erorizamus. Praeterea Eccleſias ſanctorum Leodegarii atque Laurentii martyrum & eorum epiſcopales redditus, ſicut praedeceſſor noſter venerabilis & religioſus Epiſcopus Lietbertus ad uſus Canonicorum donavit & conceſſit, nos quoque conſequenter annuimus & concedimus; ita tamen ut Presbyteri qui eis Eccleſiis in populo praeficiendi ſunt per manum Canonicorum ſive eorum praelatorum Atrebatenſi Epiſcopo ſemper offerantur, & ſicut canonicum eſt de honeſtate vitae ſuo Epiſcopo profeſſionem faciant, & obedientiam promittant, & ſic curam populi ſuſcipiant & gerant. De Decano autem juxta timorem Dei & auctoritatem ſanctorum canonum eligendo liberam Canonicis concedimus facultatem. De Advocato quoque in cauſis ſuis, ſicut ex rogatu & permiſſu Comitis cognovimus, quem voluerint & quandiu voluerint & non ulterius, Canonici hunc talem habeant Advocatum. Ne autem aliqua dubietas aut ignorantia poſſeſſionum jam ſaepedictae Eccleſiae renaſcatur, rerum mobilium & immobilium dona ſubternotari praecipimus. Teloneum in eadem villa liberum, & ab ipſis ſolummodo Canonicis dari vel auferri debeat, & nihil amplius inde ipſi Comiti accipere liceat quam carrucam vini XVIII. modiorum tantummodo. Cambam quoque & furnum, & apud Becherel molendinum, & apud Guerchin bodium, Eccleſiam quoque de Bethay & Durgi Lenſenſes Canonici cum perſona habeant, & Epiſcopo ejuſque miniſtris quae epiſcopalia ſunt perſolvant, mortuaque perſona, aliquis Lenſenſium Canonicorum in loco ejus ab Epiſcopo ſine omni redemptione reſtituatur. In villa Guendini terram ad duas carrucas & ſex hoſpites & camba & furnum, apud Guiltregungles carrucam terrae & cetera quae in carta Comitis continentur. Si quis autem in craſtinum hujus noſtrae conſtitutionis paginam noſcens hujus privilegii dignitatem infringere, minuere, aut temerare quolibet pravo uſu praeſumpſerit, a liminibus & a ſinu ſanctae matris Eccleſiae ſequeſtramus; & ſi ſecundo tertiove rationabiliter commonitus quod male fecit emendare neglexerit, hunc talem praeſumptorem & chriſtianae diſciplinae contemptorem vinculo canonicae excommunicationis ſubicimus. Actum Atrebati anno Dei Chriſti MCVI. indictione XIIII. VII. Idus Junii, anno autem pontificatus domni Lamberti Atrebatenſis Epiſcopi XII. regnante Philippo Rege in Francia, Roberto juniore in Flandria, Euſtachio Comite Bononienſium & Lenſenſium. In feſtivitate ſancti Dionyſii perſolvant praedicti Canonici Epiſcopo quinque ſolidos de Bethay & de Durgis. Nos ſiquidem hujus paginae auctoritatem ratam & inconvulſam permanere volentes in praeſentia ſubſcriptorum teſtium eam conſignavimus. S. domni Claremboldi Archidiaconi. S. domni Roberti Archidiaconi. S. domni Odonis Praepoſiti. S. domni Anaſtaſii Cantoris, Balduini Presbyterorum, Arnoldi, Petri, Rogeri Diaconorum, Drogonis, Girardi, Anſelli ſubdiaconorum. S. domni Gualteri & Saſgualonis. Ego Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus hoc libertatis donativum relegi, ſubſcripſi † & in nomine patris & filii & ſpiritus ſancti propria manu confirmavi.

VIII. In nomine patris & filii & ſpiritus ſancti unius veri & ſummi Dei. Amen. Ego Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus venerabilium fratrum noſtrorum petitione & conſilio fretus concedimus tibi, honorabilis in Chriſto mihi ſoror Abbatiſſa Guiſendis de Melbodio, & per te ſuccedentibus in eo quo nunc es loco & ordine Abbatiſſis regulariter electis & canonice promovendis altare de Herem, hac interpoſita conditione, quatenus ad ſynodum Atrebatenſem advenias, ita ſuccedentes tibi Abbatiſſae, niſi cum licentia Epiſcopi remanſeritis, aut canonica & ſynodali excuſatione. Adicimus etiam paci & libertati veſtrae quatenus Abbatiſſa Melbodienſis idoneum Presbyterum ante praeſentiam Atrebatenſis Epiſcopi deducat, qui de honeſtate vitae ſuae profeſſionem faciat, & canonicam obedientiam promittat, & ſic de manu Epiſcopi curam in populo Dei gerendam gratis ſuſcipiat. Ut autem noſtrae paginae ſcriptum perenni tempore inconvulſum & ſtabile permaneat, teſtes fideles in quorum praeſentia altare praedictum Herem abſque perſonatu a nobis conceſſum eſt, ſalvo in omnibus jure Atrebatenſis Epiſcopi, & redditibus & conſuetudinibus ejus, necnon Archidiaconi, & miniſtrorum ejus, ſubnotari praecipimus. S. Claremboldi Atrebatenſis Archidiaconi. S. Roberti Obſtrevandenſis Archidiaconi. S. Johannis de Monte ſancti Eligii Abbatis. S. domni Gerardi. S. Cononis de Arida Gamantia. S. Richardi de Rebroniis. S. Gualteri Atrebatenſis Canonici quondam Duacenſis Caſtellani. SS. Joannis, Maſcelini, Roberti Decanorum. SS. Everardi & Rogeri & Guarimundi de Duaco. S. Henrici Abbatis de ſancto Vedaſto, S. Raineri de ſancto ſepulchro Cameracenſis civitatis. Si quis autem hujus noſtrae paginae & conſtitutionis ſcriptum ſciens contra illud venire, temerare, minuere, aut quolibet ingenii modo infringere praeſumpſerit, ſi ſecundo tertiove commonitus non reſipuerit & Eccleſiae Dei ſatisfecerit, hunc talem praeſumptorem & ſacrorum canonum contemptorem canonicae excommunicationis ſeveritati ligatum ſubicimus. Ego Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus hujus libertatis donativum relegi, ſubſcripſi † & in nomine patris & filii & ſpiritus ſancti propria manu confirmavi. Actum anno Dei Chriſti MCVI. indictione XIIII. VIII. Idus Novembris, anno autem pontificatus domni Lamberti XII.

IX. In nomine unius veri ac ſummi Dei patris & filii & ſpiritus ſancti. Amen. Ego Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus pro benignitatis tuae dilectione & venerabilium Corbeienſis monaſterii fratrum, honorabilis in Chriſto Abba Nicolae, ſalvo in omnibus jure Atrebatenſis Epiſcopi & miniſtrorum ejus, contradimus tibi & pro te & per te omnibus in quo nunc loco & ordine praeeſſe dignoſceris futuris per Dei ordinationem Abbatibus altare de Monciaco ſine perſonatu & ejus appendiciam capellam de Berla abſque omni venalitate ſeu cujuſlibet turpis lucri exactione in libertate ſpiritus poſſidendum. Adicimus etiam ut & veſtra veſtrorumque ſuccedentium Abbatum providentia idoneum Presbyterum Atrebatenſi Epiſcopo praeſentet, cui profeſſionem de honeſtate vitæ ſuæ & caſtimonia, ſicut canonicum eſt, faciat, atque obedientiam promittat, ac deinde curam de manu Epiſcopi in Monciacenſi Eccleſia in populo Dei gerendam gratis accipiat. Idem autem Presbyter Atrebatenſi ſemper ſynodo interſit, & redditus ſynodales & cathedraticas conſuetudines benigne & hilariter perſolvere ſtudeat. Vt autem hujus noſtræ conſtitutionis ſcriptum ſtabile & inconvulſum permaneat, fideles teſtes fratres noſtros annotare procuravimus. Claremboldus Atrebatenſis Archidiaconus, Odo Præpoſitus, Anaſtaſius Cantor, Robertus Obſtrevadenſis Archidiaconus, Rogerus Presbyter, Wido Subdiaconus, Drogo Epiſcopi œconomus, Lavulſus Decanus, Mauringus, Robertus filius Ermenfridi, Balduinus, Petrus Acolythus. Teſtes Corbeienſes Lambertus Presbyter de ſancto Petro, Robertus Presbyter de ſancto Ioanne, Lambertus Corbeienſis Diaconus, Robertus Acolythus. Ego Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus hoc donativum libertatis relegi, ſubſcripſi † & in nomine patris & filii & ſpiritus ſancti propria manu confirmavi. Datum Corbeiae XVIIII. Kal. Februar. indictione prima, anno Dei Chriſti MCVIII. Recitatum eſt autem Atrebati in ſecretario majoris Eccleſiæ beatæ Mariae ſemper virginis Dominae noſtrae VII. Kal. Mart. anno vero pontificatus domni Lamberti Atrebatenſis Epiſcopi XIIII.

X. In nomine unius veri ac ſummi Dei patris & filii & ſpiritus ſancti. Amen. Ego Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus, pro humilitatis

tuae petitione & Baldinienſis monaſterii fratrum dilectione, honorabilis in Chriſto Abba Ansbolde, ſalvo in omnibus jure Atrebatenſis Epiſcopi & redditibus ejus, contradimus tibi & per te & pro te omnibus in quo nunc loco & ordine praeeſſe dignoſceris futuris per Dei ordinationem Abbatibus altare de Harnes & ejus appenditiam capellam nomine Alnay abſque omni venalitate ſeu cujuslibet turpis lucri exactione deinceps in libertate ſpiritus poſſidendum. Adicimus etiam ut & veſtra veſtrorumque ſuccedentium Abbatum providentia idoneum Presbyterum Atrebatenſi Epiſcopo praeſentet, cui profeſſionem de honeſtate vitae ſuae & caſtimonia, ſicut canonicum eſt, faciat, atque obedientiam promittat, ac deinde curam de manu Epiſcopi in praedicta Eccleſia de Harnes in populo Dei gerendam gratis accipiat. Abbas autem de ſancto Petro Baldinienſis cœnobii, vos videlicet, reverende in Chriſto frater Ansbolde, & ſucceſſores veſtri Abbates, Atrebatenſi ſynodo intereſſe non negligant, niſi cum licentia Epiſcopi relaxati fuerint aut Archidiaconi ejus, ſi vices Pontificis exequendo ſynodum tenuerit. Vt autem hujus noſtrae conſtitutionis ſcriptum ſtabile & inconvulſum permaneat, fideles teſtes fratres noſtros annotare procuravimus. Claremboldus Atrebatenſis Archidiaconus, Herbertus Morinenſis Archidiaconus, Alboldus Abbas de Formoſella, Odo Praepoſitus, Robertus Praepoſitus de Inſula, Rogerus Diaconus, Lambertus Tornanenſis Diaconus, Guido Subdiaconus, Robertus Magiſter, Robertus filius Hermenfridi, Petrus Acolythus, Hubardus Lector, Balduinus Decanus de Batpalmis, Simon frater ejus. Ego Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus hoc libertatis donativum relegi, ſubſcripſi † & in nomine patris & filii & ſpiritus ſancti propria manu confirmavi. Actum anno dominicae incarnationis MCX. VIII. Idus Aprilis, indictione III. anno vero pontificatus domni Lamberti Epiſcopi XV.

XI. In nomine patris & filii & ſpiritus ſancti unius veri ac ſummi Dei. Amen. Ego Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus pro diſciplina & religione Cluniacenſis monaſterii, unde educatus & monachus eſſe dignoſceris, reverende mi frater Guarine Prior de Abbatiſvilla, concedimus tibi & ſucceſſoribus tuis de Abbatiſvilla Prioribus locum noſtrum in Bethunienſi territorio ſitum de titulo ſancti Praejecti martyris ſub timore Dei & regula beati Benedicti gubernandum corporaliter & ſpiritualiter educandum. Adicimus etiam prædicto loco parrochiam noſtram nomine Fuſcherias, ſalvo in omnibus jure Atrebatenſis Epiſcopi & reddituum ejus & coſuetudinibus miniſtrorum ejus. Scripto etiam noſtro confirmamus ut tu & ſucceſſores tui Priores de Abbatiſvilla mihi ſucceſſoribuſque meis, ſicut in Claromontenſi Concilio renovatum & conſtitutum eſt, dignam exhibeatis obedientiam. Presbyterum autem de parrochia Fuſcherias Atrebatenſi Epiſcopo idoneum adducetis, qui profeſſionem faciat, & obedientiam promittat, & ſic curam populi Dei de manu Epiſcopi gratis accipiat. Ut autem hujus noſtræ conſtitutionis pagina ſtabilis & inconvulſa permaneat, fratres noſtros fideles & idoneos teſtes annotare procuravimus. S. domni Claremboldi Archidiaconi Atrebatenſis. S. domni Roberti Obſtrevandenſis Archidiaconi. S. domni Odonis Præpoſiti. S. domni Anaſtaſii Cantoris. S. Balduini Presbyteri. S. Rogeri Presbyteri. S. Rogeri Diaconi. S. Petri Diaconi. S. Drogonis, Anſelli, M. Renni Subdiaconorum. S. Saſgualonis & Lamberti Acolythorum, & Hubardi Lectoris. S. Azonis & Maſcelini Decanorum. SS. parrochialium Presbyterorum de Atrebato Alberti, Rogeri, Ebrulfi, Iſembardi. Actum Atrebati anno Dei Chriſti MCX. indictione III. VIII. Kal. Auguſti, pontificatus autem domni Lamberti Atrebatenſis Epiſcopi XV. anno.

XII. In nomine patris & filii & ſpiritus ſancti unius veri ac ſummi Dei. Amen. Ego Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus pro ſemper reverenda mihi Eccleſiæ beati Petri Apoſtoli de Inſula dilectione, pro renovanda quoque & confirmanda fraterna dilectione & mutua ſocietate precum & orationum inſtantia, pro tua etiam, dilecte in Chriſto frater Lamberte de Cumines, & quorundam fratrum noſtrorum interventione, concedo Eccleſiæ beati Petri de Inſula altare de Moncels, ſalvo in omnibus jure Atrebatenſis Epiſcopi & eccleſiaſticis conſuetudinibus, miniſtrorumque ejus, liberum ab omni turpis lucri exactione; hac interpoſita conditione, quatenus pro Eccleſia beati Petri vos, dilecte frater Lamberte, qui nunc obedientiarius eſtis de Moncels, & futuri ſucceſſores veſtri perſonarum abſque omni emptione & venalitate gratis de manu Epiſcopi ſuſcipiatis, & ſynodali tempore cathedraticos & ſynodales redditus Archidiacono & Decano & miniſtro Epiſcopi hilariter præparare & ſolvere ſtudeatis, & ad ſynodum venire non negligatis. Adicimus etiam ut Eccleſia beati Petri per vos Presbyterum idoneum Epiſcopo Atrebatenſi præſentet, qui ei obedientiam promittat, & de vitæ ſuæ honeſtate, ſicut canonicum eſt, profeſſionem faciat, ac deinde curam in populo de Moncels gerendam gratis ſuſcipiat. Ut ergo hujus noſtræ paginæ ſcriptum inconvulſum & ſtabile permaneat, ad hoc corroborandum fideles & idoneos teſtes ſubnotare procuravimus. S. Claremboldi Atrebatenſis Archidiaconi. S. Roberti Obſtrevandenſis Archidiaconi. S. Odonis Præpoſiti. S. Drogonis Decani. S. Anaſtaſii Cantoris. S. Roberti Scholaſtici. SS. Canonicorum Rogeri & Alulfi. SS. Decanorum Warneri & Gerardi. SS. Hilvini & Arnulfi de Lens. SS. Petri & Roberti Acolythorum. Ego Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus hujus noſtræ paginæ ſcriptum relegi, ſubſcripſi, & in nomine patris & filii, & ſpiritus ſancti propria manu confirmavi. † Actum Atrebati anno Dei Chriſti MCXI. indictione IIII. pontificatus autem domni Lamberti Atrebatenſis Epiſcopi XVII.

XIII. In nomine patris & filii & ſpiritus ſancti unius veri ac ſummi Dei. Ego Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus, honorande in Chriſto Abba Gualtere, concedimus tibi Eccleſiam noſtræ dioceſis nomine Ambriſne, ſalvo in omnibus jure Atrebatenſis Epiſcopi & redditibus ejus, & conſuetudinibus Archidiaconi miniſtrorumque ejus. Provocamur enim pro veſtra & loci veſtri honeſta converſatione, tum etiam quorundam fratrum noſtrorum interventione, dare vobis altare & praedictam Eccleſiam noſtram & per vos omnibus qui in eo quo nunc loco & ordine praeeſſe noſcimini, ſucceſſoribuſque veſtris Abbatibus per gratiam Dei ordinandis & conſtituendis concedimus. Et quia de metropoli alienae provinciae, ſcilicet Rothomagenſi, & vos & monaſterium veſtrum eſtis, conſtituendo conſtituimus, ſicut in Chalcedonenſi Concilio legitur confirmatum, & in Claromontenſi Concilio a dignae memoriae venerabili Papa Vrbano II. eſt renovatum, quatenus monachus ille quem apud Ambriſnam Priorem eſſe volueritis, mihi futuriſque Eccleſiae Atrebatenſis Pontificibus, quantum ad noſtram dioceſim pertinet, obedientiam canonicam & promittat & exhibeat. Adicimus etiam ut providentia veſtra & Prioris Ambriſnenſis idoneum Presbyterum Atrebatenſi Epiſcopo in populo Ambriſnenſi conſtituendum praeſentet, qui & praedicto Epiſcopo de honeſtate vitae & caſtimonia ſua profeſſionem faciat, & obedientiam, ſicut canonicum eſt, promittat, & ſic curam populi Dei gerendam de manu Epiſcopi gratis accipiat. Praeterea, quia perſonam veſtram ſynodo noſtrae intereſſe gravaret, Prior Ambriſnenſis ſynodo Atrebatenſi intereſſe non negligat, & cathedraticos & ſynodales redditus Epiſcopo miniſtriſque ejus ſicut de matrice Eccleſia hilariter ſolvere procuret. Vt ergo hujus noſtrae paginae ſcriptum inconvulſum & ſtabile permaneat, ad hoc corroborandum fideles & idoneos teſtes fratres noſtros ſubnotare procuravimus. S. Claremboldi Atrebatenſis Archidiaconi.

S. Ro-

Digitized by Google

S. Roberti Obſtrevandenſis Archidiaconi. S. Drogonis Decani. S. Odonis Praepoſiti. S. Anaſtaſii Cantoris. S. Roberti Magiſtri. SS. Canonicorum Rogeri, Balduini Presbyterorum, Rogeri, Petri Diaconorum, Hilvini Subdiaconi, Saſgualonis & Lamberti Acolytorum. SS. plebalium Decanorum Maſcelini, Radulfi, Gerardi, & Presbyterorum Alberti, Ebrulfi, Guenemari, Iohannis, Terboldi. Ego Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus hujus noſtrae paginae ſcriptum relegi, ſubſcripſi, & in nomine patris & filii & ſpiritus ſancti propria manu confirmavi. Actum Atrebati anno Dei Chriſti MCXI. indictione IV. VIII. Kalend. Novembris, pontificatus autem domni Lamberti Atrebatenſis Epiſcopi anno XVII.

XIV. In nomine patris & filii & ſpiritus ſancti unius veri ac ſummi Dei. Amen. Ego Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus pro humili & diutina petitione veſtra, necnon & pro vobis commiſſae congregationis ſancti Amandi fratrum dilectione concedo vobis, reverende Abba Bovo, altaria & Eccleſias cum dotibus ſuis, videlicet de Bulceng & Malteng & de Helemiis, ſalvo in omnibus cathedraticis redditibus Epiſcopi & conſuetudinibus Archidiaconi & miniſtrorum ejus. Presbytero vero de quolibet loco praedicto defuncto ſive rationabiliter remoto, provideat Abbas ſancti Amandi & procuret alium idoneum Presbyterum Atrebatenſi Epiſcopo praeſentare, cui profeſſionem faciat, & obedientiam promittat, & ſic in populo Dei curam gerendam de manu Epiſcopi gratis accipiat. Vos autem, reverende frater & Abba Bovo, omneſque futuri per gratiam Dei Abbates in eo quo nunc es loco & ordine praeeſſe dignoſcimini, Atrebatenſi ſynodo intereſſe non negligatis, niſi forte alicui veſtrum cum benevolentia Epiſcopi relaxatum fuerit. Vt autem noſtrae paginæ ſcriptum inconvulſum & ſtabile permaneat, fideles & idoneos teſtes fratres noſtros ſubnotare procuravimus. S. domni Claremboldi Atrebatenſis Archidiaconi. S. domni Roberti Obſtrevandenſis Archidiaconi. S. domni Odonis Eccleſiae noſtrae Præpoſiti. S. Evrardi Sacerdotis, Rogeri Diaconi, Guidonis Subdiaconi Canonicorum. S. domni Richardi Abbatis de Monte S. Eligii. SS. Decanorum Amalrici, Maſcelini, Gerardi. SS. Sacerdotum Ebroini, Balduini, Helgoti. SS. Saſgualonis, Petri Canonicorum Atrebatenſium. S. Rogeri Sacerdotis, & Guiberti Diaconi. Ego Lambertus Dei miſeratione Atrebatenſis Epiſcopus hujus noſtræ paginæ ſcriptum relegi, ſubſcripſi, & in nomine patris & filii & ſpiritus ſancti propria manu confirmavi. † Actum Atrebati anno Dei Chriſti MCXII. III. Idus Aprilis, indictione V. pontificatus autem domni Lamberti Atrebatenſis Epiſcopi anno XVIII.

V A R I A

DE REBVS ATREBATENSIBVS.

Epiſt. 1. INnocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto in Chriſto filio Alviſo Aquicinenſi Abbati ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Divinis ingratum conſtat illum eſſe beneficiis qui talentum ſibi a Domino creditum in ſudario tepeſcente caritate reponit. Qui enim ſaluti proximi providere negligit, indignationem benigni ſed diſtricti judicis adverſum ſe intorquere non metuit. Accepimus autem quoniam Atrebatenſis Eccleſia proprio deſtituta paſtore te unanimi voto & pari conſenſu ſibi in Epiſcopum & paſtorem elegit. Per apoſtolica igitur ſcripta dilectioni tuae mandando praecipimus quatenus abſque refragatione aliqua opus Dei ad quod vocatus es perficiendum ſuſcipias, ut Atrebatenſis Eccleſia peccatis exigentibus tam in ſpiritualibus quam in temporalibus plurimum imminuta tuis ſalubribus exhortationibus & bonae vitae exemplo divina ſuffragante gratia percipiat incrementum. Datum Pontiſarae III. Non. Maii.

Epiſt. 2. Ludovicus Dei gratia Francorum Rex venerabili eadem gratia Alviſo Atrebatenſis Eccleſiae electo amico ſuo cariſſimo ſalutem. Audita & cognita electione veſtra, ſciat pro certo veſtra benignitas quod ſuper hoc magna redundavimus laetitia. Vnde nunc dilectionis veſtrae prudentiam rogamus ut hujus dignitatis curam & onus pro Dei amore & noſtro indubitanter ſuſcipiatis atque huic electioni, quam nos maxime volumus & approbamus, acquieſcatis. Nos ſiquidem, qui pro vita & morum veſtrorum honorificentia vos ſatis antea diligebamus, amodo cumulatius diligemus & habebimus cariorem. Valete.

Epiſt. 3. Ludovicus Dei gratia Francorum Rex univerſo clero & populo Atrebatenſi ſalutem. Gaudemus & gratias agimus benignitati veſtrae quod venerabilem Alviſum Abbatem Aquicinenſem vobis in Epiſcopum elegiſtis, cujus perſonam honeſtam & idoneam eſſe ſcimus, quem & pro vita & morum ejus honeſtate antea plurimum diligebamus & diligimus. Iſtam igitur electionem volumus & approbamus, & obnixe precamur vos ut eundem ſicut paſtorem veſtrum cum honore & debita cuſtodiatis reverentia & noſtri cauſa cariorem habeatis. Valete.

Epiſt. 4. Rainoldus Dei gratia Remorum Archiepiſcopus clero, Militibus, & univerſae plebi Atrebatenſium ſalutem. Credimus quod miſericors Deus ſecundum multitudinem miſericordiarum ſuarum Eccleſiam & urbem veſtram reſpexit & perſonam ſapientem & religioſam ſacriſque canonibus competentem in paſtorem & Epiſcopum vobis praefecit. Hortamur itaque univerſitatem veſtram ac praeſentibus litteris commonemus quatenus ipſum debita reverentia honoretis, ejus ſalubribus exhortationibus & admonitionibus acquieſcatis, & ei tanquam boni filii bono patri in omnibus obediatis. Quia vero per guerrarum infeſtationes gravia detrimenta longo jam tempore perpeſſi eſtis, in remiſſionem peccatorum veſtrorum vobis injungimus quatenus ipſius conſilio pacem ſtatuatis, unde auctori & amatori pacis placere valeatis, & unde multiplicem fructum tam in ſpiritualibus quam in temporalibus a Deo recipiatis. Valete.

Epiſt. 5. Ludovicus Dei gratia Francorum Rex Theoderico Flandrenſium Comiti amico & conſanguineo noſtro ſalutem & dilectionem. Novimus quod tu, ſicut vir honeſtus & prudens, Atrebatenſem Epiſcopum, virum profecto venerabilem, honeſtatis gratia honoras & diligis. Tibi ſiquidem ut amico & conſanguineo noſtro mandamus & monemus quod eum noſtri gratia ampliori dilectione diligas & in negotii unde inter ipſum & Euſtachium agitur praejudicio contra juſtitiam & rationem in curia ſua ſibi facto loco noſtri partem ſuam & juves & ſuſtineas & pro ipſo ſtare viriliter & decertare ſtudeas. Vale.

Epiſt. 6. In nomine ſanctae trinitatis. Ego Ludovicus Dei gratia Rex Francorum. Notum fieri volumus cunctis fidelibus tam futuris quam & inſtantibus quod fidelis noſter Alviſus Atrebatenſis Epiſcopus ad nos veniens judicium quoddam quod quidam ſuus homo ligius Johannes Bechet in curia ſua ſibi fecerat, & inde ipſe eumdem Johannem ad noſtram audientiam invitaverat, nobis expoſuit. Actio autem negotii haec fuit. Euſtachius de Lungue miles quidam feodum quoddam, ſolidos videlicet triginta de reddiru ſynodali, a praedicto Epiſcopo requirebat, quia ultimus praedeceſſor ſuus Robertus Atrebatenſis Epiſcopus patri ſuo illud dederat, & ipſe ab eodem Epiſcopo Roberto poſt patrem ſuum illud tenuerat. Reſponſio ſiquidem Epiſcopi haec fuit, quod illi de feodo illo reſpondere nolebat, quia ille excommunicatus erat, & antequam ipſe epiſcopatum ſuſceperat in excommunicatione illa jam per annum permanſerat, & ipſe excommunicato communicare vel hominium excommunicati ſuſcipere nec poterat nec debebat, tum quia feodum novum erat, tum quia contra privilegia Romanorum Pontificum, qui poſſeſſiones Atrebatenſis Eccleſiae minui & a ſtatu

& tenore illo in quibus Lambertus Epiſcopus invenerat interdicebant, datum erat, tum quia nos, qui Advocati & patroni Atrebatenſis ſumus Eccleſiae, & ejuſdem Eccleſiae Capitulum nullum ibi dederamus aſſenſum, eum illud ſine noſtro & Capituli ſui aſſenſu fieri non poſſet nec deberet. Cum itaque die ſtatuto perſonae Atrebatenſis Eccleſiae & pars hominum Epiſcopi conveniſſent ut judicialem inter Epiſcopum & Euſtachium ſententiam proferrent, quibuſdam perſonis & hominibus Epiſcopi contradicentibus & pro juſtitia & veritate propenſius inquirenda adhuc inducias poſtulantibus, Johannes Bechet cum duobus ſuis ſequentibus Hugone Pagano & Radulfo judicare praeſumpſit quod Epiſcopus praedictum Euſtachium de feodo illo debebat inveſtire, neque propter excommunicationem neque propter alia aliqua quae ipſe eidem objeciſſet debebat illud dimittere, & poſt inveſtituram, ſi vellet, adverſus Euſtachium de eodem feodo ageret. Epiſcopus ſiquidem hoc audito praedictos judices pro ipſorum judicio falſificando ad noſtram audientiam invitavit, & ad hoc eis diem proximam, ſcilicet Dominicam poſt octavas Epiphaniae nominavit. Cum igitur Epiſcopus ad diem conſtitutum veniſſet, & judices praedicti non veniſſent nec contra mandaſſent, ſequenti die quidam Epiſcopi & Abbates & Barones noſtri in noſtram propter hoc praeſentiam convocati praedictam cauſam & judicium diligenter retractantes judicavere praedictos judices falſum judicium protuliſſe. Non enim licet Epiſcopo feodum aliquod ſine noſtro & Capituli ſui aſſenſu de rebus Eccleſiae alicui praebere. Quod profecto judicium & approbamus & ubique in regno noſtro erga Eccleſias tenemus.

Epiſt. 7. Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis clero & populo Atrebatenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Venientem ad nos venerabilem fratrem noſtrum Alviſum Epiſcopum veſtrum debita caritate ſuſcepimus, ipſumque cum gratia ſedis apoſtolicae & litterarum noſtrarum proſecutione ad vos duximus remittendum. Univerſitati itaque veſtrae per praeſentia ſcripta mandando praecipimus quatenus eum benigne recipiatis & honeſte tractetis, eique tanquam proprio paſtori & animarum veſtrarum Epiſcopo obedientiam & reverentiam humiliter deferatis, ad recuperandas quoque poſſeſſiones Eccleſiae quae diſtractae ſunt & pacem reformandam ac raptores coërcendos ſicut boni ac devoti filii ei auxilium unanimiter praebeatis. Data Compendii XIIII. Kal. Julii.

Epiſt. 8. Ludovicus Dei gratia Francorum Rex Alviſo venerabili eadem gratia Atrebatenſi Epiſcopo amico & fideli noſtro cariſſimo ſalutem & gratiam noſtram. Certum vobis eſſe volumus quia perſonam & honeſtatem veſtram affectu, ut dignum eſt, magno diligimus, & de bono odore famae veſtrae omnimodis gaudentes, voluntati veſtrae in omnibus petitionibus veſtris ſatisfacere peroptamus; quia quod nos & regnum noſtrum diligitis pro certo credimus. Super hoc autem quod de tyranno & ſacrilego illo * Hugone Campo-Avenae nobis ſignificaſtis veſtrae prudentiae reſpondemus quod quicquid veſtra ordinabit diſcretio quod ullo modo ſuper hoc facere poſſimus aut debeamus pro amore veſtro aggredi & exequi omnino parati ſumus.

* Vide Chron. Anſelmi Gemblac. ann. 1131 & Locrium ann. 1142.

Epiſt. 9. Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Gualtero Abbati ſancti Vedaſti ſalutem & apoſtolicam benedictionem. In ſede juſtitiae a Domino conſtituti ita auctore Domino debemus noſtra defendere ut unicuique Eccleſiae ſua jura ſerventur. Juxta paternorum quoque canonum ſanctiones non tantum a nobis convenit quod poteſtatis eſt fieri, ſed potius quod rationis ordo exigit ſingulis exhiberi. Hujus ergo conſiderationis intuitu dilectioni tuae per praeſentia ſcripta mandamus & mandando praecipimus ut quemadmodum per praedeceſſorum noſtrorum Urbani, Paſchalis, Calixti Romanorum Pontificum privilegia ſtatutum eſt, & per nos ipſos poſtmodum innovatum, venerabili fratri noſtro Alviſo Atrebatenſi Epiſcopo canonicam ſubjectionem & obedientiam deferas.

Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis clero & populo Atrebatenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Venientem ad nos venerabilem fratrem noſtrum Alviſum Epiſcopum veſtrum & ſuper quibuſdam ſiniſtris quae de ipſo nobis nunciata fuerant ſe excuſantem tam pro antiqua familiaritate, religione quoque & honeſtate ipſius quam multorum religioſorum precibus debita benignitate ſuſcepimus, & gratiam noſtram ei reddidimus. Ipſum itaque cum gratia ſedis apoſtolicae & litterarum noſtrarum proſecutione ad ſedem propriam remittentes, univerſitatem veſtram monemus quatenus ipſum benigne recipiatis, diligatis & honoretis, eique tanquam patri & animarum veſtrarum Epiſcopo debitam obedientiam & reverentiam abſque ulla contradictione humiliter exhibeatis. Datum Laterani VI. Kal. Januarii. Epiſt. 10.

In nomine patris & filii & ſpiritus ſancti. Paſtorali cura debitoque compellimur pro univerſarum ſtatu Eccleſiarum ſatagere & earum paci & tranquillitati in quantum poſſumus, Domino auxiliante, pro injuncto nobis officio providere. Eapropter ego Rainoldus divina miſeratione Remorum Archiepiſcopus tam futurorum quam praeſentium notitiae manifeſtare dignum duxi controverſiam quae inter venerabilem fratrem noſtrum Alviſum Atrebatenſis Eccleſiae Epiſcopum & Hugonem Abbatem Blangiacenſem de altari de Chiry vertebatur in praeſentia noſtra hoc modo eſſe terminatam. Videlicet quod Eccleſia Blangiacenſis pro medietate praedicti altaris ab Epiſcopo tunc ſibi conceſſa tres marcas argenti & dimidiam in terminis conſtitutis Epiſcopo ejuſque ſucceſſoribus ſingulis annis perſolvet in perpetuum; verum alteram partem altaris praedicta Eccleſia ab antiquo libere & quiete poſſidebit. Ut autem hujus conceſſionis ſcedula in poſterum rata & inconvulſa permaneat, probabilium perſonarum intitulatione & ſigillorum noſtri & domni Atrebatenſis Epiſcopi & Eccleſiae Blangiacenſis munimine eam roborari fecimus. S. Goſleni Sueſſionenſis Epiſcopi. S. Bartholomaei Laudinenſis Epiſcopi. S. Ioffridi Catalaunenſis Epiſcopi. S. Simonis Noviomenſis Epiſcopi. S. Milonis Tarvanenſis Epiſcopi. S. Guillelmi Archidiaconi. S. Hugonis Archidiaconi. S. Frederici Praepoſiti. S. Leonis Decani. S. Gervaſii Cantoris. SS. Henrici & Gregorii Presbyterorum. Actum Remis anno incarnati verbi MCXXXVII. indictione XV. regnante Ludovico Francorum Rege anno XXX. archiepiſcopatus autem domni Rainoldi anno XII. Drogo Cancellarius recognovit, ſcripſit, & ſubſcripſit. Epiſt. 11.

Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Alviſo Atrebatenſi Epiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Fraternitatis tuae ſcripta debita benignitate ſuſcepimus atque dilectum filium noſtrum Nicolaum Cameracenſem electum, qui infra ſacros ordines eſt, tum pro Eccleſiae neceſſitate, tum pro tua & aliorum qui nos pro ipſo rogaverunt inſtantius caritate ex apoſtolica diſpenſatione remiſimus. Tua itaque intereſt ut juxta collatam tibi a Deo prudentiam pro ſervitio & utilitate ſanctae Romanae Eccleſiae, quemadmodum de te bene confidimus, tamquam devotus ejus filius efficaciter elabores. Data Piſis Kalend. Iunii. Epiſt. 12.

Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Alviſo Atrebatenſi Epiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Querelam adverſus Abbatem ſancti Vedaſti nobis expoſitam a tua fraternitate ſuſcepimus, & de tam praeſumptuoſis ejus exceſſibus valde gravamur. Et quoniam crimen ſimoniae & alia tam multa, tam gravia quae intra Eccleſiam in perſonas religioſas dicitur commiſiſſe indiſcuſſa manere non patimur, venerabilibus fratribus noſtris Hugoni Rothomagenſi Archiepiſcopo, Goſleno Sueſſionenſi, Miloni Tervanenſi, & Goffrido Catalaunenſi Epiſcopis haec ipſa examinanda & terminan- Epiſt. 13.

Digitized by Google

minanda commiſimus. Nos ſane perſonam tuam & Eccleſiam tibi commiſſam diligere & honorare intendimus, atque dilectioni tuae in juſtitia deeſſe non volumus. Devotionem tuam laetari & Deo gratias exhibere optamus; quoniam & ſchiſmatis ſpurcitia ab urbe exterminata eſt, & pax ſanctae Romanae Eccleſiae a ſuperno nomine reſtituta. Data Albani v. Non. Iulii.

Epiſt. 14. Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus Samſoni Remenſi Archiepiſcopo & Alviſo Atrebatenſi Epiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Quamvis minus reprehenſibile ſit nocentem abſolvere quam innocentem damnare, licet nulli velimus injuriam irrogare, tamen quia jam in clericis quam in laicis crevit malitia, neceſſe eſt ut diſcreta ſubveniat diſciplina. Si ergo Stephanus ille de quo nobis ſcripſit veſtra fraternitas fornicator & aleator publicus apparuerit, placet nobis ut ita diligenter corrigatur quatenus & ipſe emendetur & alii eandem enormitatem non audeant attentare; quod ſi innocens fuerit, beneficio eccleſiaſtico non privetur. Datum Laterani vi. Idus Martii.

Epiſt. 15. Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus Miloni Tervanenſi & Alviſo Atrebatenſi Epiſcopis ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Significatum nobis eſt quod inter M. Comeſtabulum Flandrenſis Comitis & uxorem ſuam titulus opponitur parentelæ. Quocirca fraternitati veſtrae per praeſentia ſcripta mandamus id ipſum cum diligentia inquiratis, & ſiquidem per ſufficientes & idoneos teſtes apud vos de eadem parentela conſtiterit, idem contuberuium juxta inſtituta paternorum canonum ſeparetis. Datum apud Ferentinum II. Idus Junii.

Epiſt. 16. Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Alviſo Atrebatenſi Epiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Super devotione tua & ſollicitudine quam circa nos ipſos & ſanctam Romanam geris Eccleſiam fraternitati tuae multimodas gratias exhibentes, dilectionem tuam apoſtolicis litteris viſitamus, atque nos & fratres noſtros Deo propitio bene valere tibi tanquam ſpeciali beati Petri filio indicamus. Ceterum pro Haſnonienſi & Monſteriolenſi Abbatibus ac No. Archidiacono, qui ad Concilium invitati non venerunt, preces tuas admiſimus; & licet propter hoc ex decretis ſanctorum patrum ultionem ſumere deberemus, tamen apoſtolicae ſedis manſuetudinem imitantes, hoc ipſum eis pro tua caritate duximus indulgendum, atque ab interdicti ſententia praedictum Archidiaconum & Abbates abſolvimus. De aliis quoque Abbatibus qui vocati ad Concilium minime veniſſe noſcuntur eandem nihilominus ſollicitudinem geras. De cetero, quoniam Sydrac a tua fraternitate ad noſtram praeſentiam invitatus non venit, quod de cauſa ipſius canonice tua diſcretio decreverit nos auctore Deo ratum habebimus. Ad haec tuae devotioni compatientes, Condiacenſes Canonicos ad venerabilem fratrem noſtrum Renoldum Remenſem Archiepiſcopum remiſimus, ut ipſius judicio controverſia quæ inter te & illos agitur Deo propitio terminetur. Datum Piſis IIII. Kal. Aprilis.

Epiſt. 17. Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei cariſſimo in Chriſto filio Ludovico illuſtri & glorioſo Francorum Regi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Gaudet agricola ſi arbor ab illo plantata altis haeret radicibus & fructum optimum praeſtat tempore opportuno. Cum ergo, cariſſime fili, tu noſtris tanquam beati Petri manibus ſis, ungente ſancto ſpiritu, in Regem à Domino conſecratus, quanto de tuis bonis actibus & ſucceſſibus jucundius gratulamur, tanto amaricoſius ſi ſecus egeris contriſtamur. Nec decet Regem ira ſtimulante ad illicita verba ſive juramenta prorumpere; imo deberet cum magna maturitate & ſubtili libramine ſermones ſuos actuſque penſare & rerum exitum praevidere. Qui vero ſacroſanctam Romanam matrem Eccleſiam molitur offendere aut ejus dignitatem imminuere, in cælum os ponit & indignationem de ſuperna acquirit. Sed quia perſonam tuam ſincera caritate & affectione paterna diligimus, preces tuas admittimus, & compatientes nobili & famoſæ Remenſi Eccleſiæ, licentiam eligendi in Archiepiſcopum idoneam & honeſtam perſonam, quae tamen non ſit regimini epiſcopatus aſtricta, Canonicis Remenſibus indulgemus. Præcipimus autem ut conſilio venerabilium fratrum noſtrorum Gaufredi Carnotenſis apoſtolicæ ſedis Legati, Hugonis Altiſiodorenſis, Goſſeni Sueſſionenſis, & Alviſi Atrebatenſis Epiſcoporum, ſpiritu ſancto cooperante, id fiat. Et quoniam te Deus in Regem eligi & ungi voluit ut ſponſam ſuam, ſanctam videlicet Eccleſiam proprio ſanguine ſuo redemptam, defendares & ejus libertatem illibatam ſervares, per apoſtolica tibi ſcripta mandamus ac in remiſſionem peccatorum injungimus quatenus pravos illos Remenſium conventus quos compagnias vocant poteſtate regia diſſipes, & tam Eccleſiam quam civitatem in eum ſtatum & libertatem in qua erat tempore egregiae recordationis patris tui & fratris noſtri Rainoldi Archiepiſcopi nuper defuncti reducas, damna vero quae Eccleſiae & eccleſiaſticis perſonis a civibus ſunt illata eis facias reſtaurari. Bonum eſt tibi ut Deus in hoc ſeculo de te gaudeat defenſore quam eum mala non corripiendo ſentias in futuro ultorem.

Reverendo Patri ac Domino Innocentio ſummo Pontifici Samſon divina propitiatione Remenſis Eccleſiae humilis miniſter ſalutem & debitam in omnibus obedientiam. Pater ſancte, mandato & praecepto auctoritatis veſtrae obedientiam exhibere cupientes venerabilem confratrem noſtrum Atrebatenſem Epiſcopum & Abbatem ſancti Nicolai de Sylva Vendogii Sueſſionis ad noſtram avocavimus praeſentiam, ut auditis hinc inde rationibus & diligenter inquiſitis, cauſam ipſorum ordine debito definiremus. Cumque illi ante nos conveniſſent, Abbas dixit quod Epiſcopus altare de Mirelli-monte monaſterio ſuo ſine judicio & juſtitia ſibi ablatum contra juſtitiam tenebat, & ideo inde reinveſtiri volebat. Epiſcopus reſpondit altare illud monaſterio illius nec juſte nec injuſte fuiſſe ablatum, immo voluntarie fuiſſe redditum a praedeceſſore illius Simone Abbate, qui illud in manu Epiſcopi Roberti ſponte reddiderat pro conſcientia ſimoniae quae in eo facta fuerat, & paratus erat cauſam iſtam ponere in electis judicibus, ſi Abbas vellet. Abbas vero dixit quod cauſam ipſam ſecundum ordinem & tenorem litterarum auctoritatis veſtrae tractari concederet, & non aliter. Conqueſtus eſt etiam idem Abbas adverſus eundem Epiſcopum, dicens quod altare de Batpalmis, quod monaſterium & ipſe tenuerat, poſtquam a curia veſtra redit, Epiſcopus ſaiſiri fecit. Epiſcopus autem reſpondit quod ideo altare illud ſaiſiri fecerat quia monachi qui altare illud tenebant procurationem ei dare noluerunt dum eſſet in parrochia illa. Abbas vero dixit quod monachi illi in propriis domibus eum recipere & procurare voluerunt, ſed nolebant in conſuetudinem ducere ut in alienis domibus eum procurarent. Epiſcopus autem reſpondit quod domus monachorum non erant aptae neque ſufficientes ad ſe recipiendum & ſuos. His itaque auditis, conſilio reverendarum perſonarum quae nobiſcum erant cauſam diſtulimus, praefigentes illis diem in qua nobis Remis praeſentarentur & cauſa ipſa definiretur. Et hoc ideo fecimus ut interim pacem inter eos componere poſſemus. Die autem illis praefixa, uterque praeſentiam ſuam nobis exhibuit. Tunc Abbas adverſus Abbatem de Hennin dixit quod altaria de Monniniaco & Billi injuſte tenebat, quia monaſterio ſuo abſque judicio & juſtitia ablata fuerant. Epiſcopus autem pro Abbate reſpondit quod altaria illa nec juſte nec injuſte monaſterio illius fuerunt ablata, ſed a praedeceſſore illius Simone Abbate ſponte fuerant reddita in manu Epiſcopi Roberti pro conſcientia ſimoniæ quæ inde facta fuerat. Addidit quoque quod idem Abbas Simon, quia monachi ſui ei non conſentiebant ut altaria illa red-

deret

Epiſt. 18.

Digitized by Google

deret, aliquanto tempore abbatiam dimiſit & in longinquam regionem abiit. Verum dum moraretur, aliquot monachi ſancti Nicolai ad prædeceſſorem noſtrum felicis memoriæ Radulfum Archiepiſcopum venientes eum exorare ſtuduerunt ut Abbatem ſuum revocaret, quia malebant altaribus illis carere quam ſuo Abbate. Hanc autem petitionem fieri audierunt venerabilis confrater noſter Catalaunenſis Epiſcopus & Urſio Abbas ſancti Dionyſii, qui cum Epiſcopo erant, & hoc teſtati ſunt. Adjecit etiam Epiſcopus quod poſtquam Abbas ille reverſus fuit, altaria illa in manu Epiſcopi Roberti reddidit præſentibus quibuſdam monachis & etiam præſente Abbate qui nunc contra eum agit. Addidit quoque quod quidam Presbyter vivit adhuc qui vidit ponderari & ſolvi decem marcas argenti de ſimonia illa. Hoc dum dicebat Epiſcopus, Abba negabat hoc eſſe. His dictis, Epiſcopus ſumpta occaſione de hoc quod in litteris veſtris continetur, *Si aliquod privilegium per quod eadem altaria monaſterio ſancti Nicolai ablata ſunt factum apparuerit, nullum eidem Abbati in ſua juſtitia præjudicium faciat*, audientiam veſtram appellavit, timens, ut aſſerebat, ne privilegia ſua in hoc infringerentur & robur ſuum perderent. Subjunxit etiam Epiſcopus quod Abbas auctoritatis veſtræ litteras per uſurpationem & falſam relationem a vobis impetraverat, & ideo appellabat. Audita autem appellatione, apoſtolicæ auctoritati debitam exhibentes reverentiam, ultra nequaquam proceſſimus, nec Abbati quicquam ultra reſpondere licuit. Pater beatiſſime, hæc eſt veritas hujus actionis. Faciat inde ſapientiæ veſtræ diſcretio quod ſibi placuerit.

Epiſt. 19. Reverentiſſimo Patri & Domino ſuo Innocentio ſanctiſſimo Pontifici Gaufridus Dei gratia Catalaunenſis Eccleſiæ miniſter humilis cum devoto fideliſſimi filii affectu debiti famulatus obſequium. Reminiſci debet ſanctitatis veſtrae ſublimitas quantum ſe & ſua vobis expoſuerit filius veſter Dominus noſter Atrebatenſis Epiſcopus, dum apud eum fuiſtis. Et hoc quidem debuit & fideliter exhibuit, immo omnes debemus. Sed eo altius memoria tenenda ſunt quo altius perſonas ipſas commendat ſapientia, honeſtas, religio, & ſincerus circa vos affectus. Non enim data, ſed a quibus proficiſcantur, conſideranda ſunt. Et ecce Abbas ſancti Vedaſti, qui me & ipſo nondum Epiſcopis, præſentibus & aliis religioſis Abbatibus & perſonis, in manu Domini noſtri Remenſis Archiepiſcopi abbatiam ſuam ea conditione ſub fidei interpoſitione refutavit quod ſi teſtimonio & conſilio noſtro & aliorum religioſorum Abbatum vitam ſuam abſque dilatione non corrigeret & abbatiam ſuam non ordinaret, abſque reclamatione ab adminiſtratione abbatiæ ſuæ ceſſaret: quia vero Epiſcopus eum ad id ad quod voto ſe adſtrinxerat teſtimonio religioſorum virorum adverſus Abbatem conclamantium cogere nititur, ad præſentiam veſtram procaciter invitavit, tanquam ibi inventurus irreligioſitati ſuae reclinatorium unde poſt Deum virtus religionis ſumit exordium. Scimus quidem quia bona & ſincera eſt voluntas ipſius Epiſcopi, ſed longe veſtra ſincerior. Unde ſecurius majeſtati veſtrae humilitas noſtra preces effundit ne religionis deſiderium inordinata diſſolutione confundi patiamini, ſed abſque dilatione dignum Deo & Eccleſiæ paſtorem ſubſtitui præcipiatis. Valete.

Epiſt. 20. Reverendo Domino & Patri ſuo Innocentio Dei gratia univerſae Eccleſiae Pontifici ſummo A. ſancti Sepulchri miniſter indignus ſpiritum conſilii & fortitudinis. Quoniam in omnibus cauſis veritas requirenda eſt & teſtimonium perhibendum veritati, quia multum confert cauſarum commoditati, ideo de his quae vidimus & audivimus in ſynodo Atrebatenſi veritatem paternitati veſtrae notificamus, & veritatis ſubſcriptae teſtes ſumus. Taliter enim ibi actum eſt. Venerabilis Epiſcopus Atrebatenſis, cum in ſynodo ſua reſideret & de eccleſiaſticis negotiis ſatis honeſte tractaret, ecce Walterus Abbas ſancti Vedaſti cum turba monachorum, Militum, laicorum, non modeſte, ſed minus honeſte, ſanctam ſynodum introiit, & ſtatim, antequam reſideret, de cauſa ſua agere incepit. In ipſo autem principio cauſae illius, cum nondum tria vel quatuor verba praedixiſſet, quidam monachus Robertus nomine ex adverſo ſtans Walterum Abbatem ſuum de ſimonia voce & ſcripto accuſare cœpit. Turba igitur quae cum Abbate venerat, audita accuſatione de ſimonia, valde turbata, violenter commovetur, commota ab impetu ſuo nullatenus revocatur. Quid plura? Itur in Robertum, tenetur, diſtrahitur, & a quodam Milite ſatis inhoneſte opprimitur, ita ſcilicet ut veſtis illius turpiter dirumperetur. Cum vero tanta eſſet perturbatio, vidi alium Militem qui abſtracto cultello ac tumido delitigans ore, prout mihi videbatur, praedicto Roberto & aliis monachis qui Abbatem ſuum Walterum accuſare volebant graviſſime minabatur. Poſtea magnus in Eccleſia Dei tumultus factus eſt, tum quia Caſtellanus armatus veniens in ipſam ſynodum cum turba plurima intrare conaretur, tum quia ferventes Epiſcopi ad defendendam ſynodum armati properarent ut perſonas quae ibi aderant ab omni periculo tuerentur. Non eſt autem praetermittendum quod Serlo ſancti Luciani venerandus Abbas, qui cum Priore ſancti Martini ad reformandum ibidem ordinem ex praecepto apoſtolico, ſicut didicimus, venerat, a quodam monacho Roberto nomine, ſcilicet Brugenſi, mali odoris & famae peſſimae, ad dedecus noſtrum & totius Eccleſiae ſit tentus & in terram turpiter projectus & a quampluribus ſuper eum gradientibus ſatis inhoneſte ſit conculcatus. Hujus rei teſtes ſumus. Videat igitur diſcretio veſtra quid ſuper his agendum ſit. Valete, Spiritus conſilii vobiſcum.

Amantiſſimo Patri & Domino Dei gratia ſummo Epiſt. 21.
Pontifici Innocentio Bernardus Clarevallenſis vocatus Abbas modicum id quod eſt. Nec novum nec mirum eſt humanum animum poſſe falli vel fallere &c. *ut in epiſtola 339. ſancti Bernardi ex poſtrema editione viri clariſſimi Johannis Mabillonii uſque* qui ſunt in circuitu ejus. Giraldum loquor monachum ejus, qui priuſquam veniret ad vos recenter erat deprehenſus in crimine. Spiritus veritatis det vobis dividere lucem a tenebris, det vobis reprobare malum & eligere bonum.

Reverentiſſimo Domino & Patri Dei gratia vene- Epiſt. 22.
rabili Papae Innocentio P. Praepoſitus, N. Decanus, cum reliquis fratribus Capituli beatae Mariae Atrebatenſis Eccleſiae ſubjectionis debitum & devotarum ſuffragia orationum. Sicut occultari decet quae mendacii ſunt & falſitatis, ſic procul dubio credimus inveſtiganda & in medium proferenda quae juſtitiae ſunt & veritatis, ne ſimplex puri judicis oculus alicujus ſuſurronis lingua pro certis dubia, pro veris falſa propinans in ſiniſtrum flectatur, ſed per ſemitam juſtitiae gradiens, veritatis medullam inoffenſo viſu rimetur. Atrebatenſis Eccleſia diu captivata, tandem Dei miſeratione & venerabilium praedeceſſorum veſtrorum perſpicaci diſcretione a faucibus leonum eruta exultavit in libertatis ſtatu ſolidata, ſed poſtea per proprii paſtoris & miniſtrorum ejus negligentiam, ne dicamus malitiam, multis redditruum ſuorum commodis quorundam violentorum manibus gemit ſurtim denudata; inter quos V. de Silva Vedogii Abbas altare de Batpalmis ſibi uſurpare contendit, & contra aſſenſum Capituli noſtri ab Eccleſia noſtra alienatum ſe poſſediſſe dicit. Cumque eum praedictae Eccleſiae inveſtituram a Domino Epiſcopo repoſcentem audiſſemus, ipſum ad audientiam veſtram appellavimus, ne furtivam poſſeſſionem in perpetuam dominationem revocaret. Sumpta inde occaſione Abbas injuriam injuriae accumulans, ne ob multitudinem beneficiorum Eccleſiae noſtrae parum moleſtus videretur, pace ſua dixerimus, antiquam Eccleſiae ſuae infamiam & quaſi ſopitos ſimoniacae pravitatis calles detegendo, litteris a veſtra majeſtate falſa delatione acquiſitis Dominum Epiſcopum noſtrum vexare cœpit,

pit. Epiſcopus autem eum ad praeſentiam veſtram invitavit, certus quod ibi & fructum juſtitiae perciperet & falſam Abbatis delationem juvante Deo evacuaret. Eapropter ſanctitatis veſtrae manſuetudinem exoramus quatenus Eccleſiam noſtram, novam adhuc plantam, piis praedeceſſorum veſtrorum manibus plantatam, nondum perfecte radicatam, ſuſtentationis & gratiae veſtrae tore perfundere dignemini, & eam in jure ſuo nullatenus ſinatis minui, quatenus ſub alarum veſtrarum protectione incrementum accipiat & ſuper tanti patrocinii petram fundata deinceps inconcuſſa permaneat. Valeat ſanctitas veſtra, cariſſime Pater.

Epiſt. 23. Caeleſtinus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Alviſo Atrebatenſi Epiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Litteras a tua fraternitate tranſmiſſas recepimus, & quod de conſanguinitate inter cariſſimi filii noſtri Stephani illuſtris Bleſenſis Comitis filium & filiam nobilis viri Theodorici Flandrenſis Comitis in eis continebatur diligenter expendimus. Verum quoniam Epiſcopos Galliae in juſtitia & obſervatione mandatorum ſedis apoſtolicae tepidos invenimus, & idem filius noſter...... Comes in cauſa matrimonii R. de Perona omnino inordinate & contra juſtitiam ab ipſis tractatus eſt, cauſam ipſam judicio ſedis apoſtolicae diſtinus reſervandam. Si vero tu ipſe vel quislibet alius in cauſa canonice procedere volueritis, proxima Dominica qua cantatur *Iſti ſunt dies* vos conſpectui noſtro praeſentetis, ut in utriuſque partis praeſentia cauſam ipſam diligenter inquirere & quod canonica aequitas dictaverit eſmde ſtatuere valeamus. Datum Laterani VIII. Idus Novembris.

Epiſt. 24. Lucius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Alviſo Atrebatenſi & Miloni Morinenſi Epiſcopis ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Nobilis vir Walterus de Verdone per nos ab Hieroſolymis rediens queſtus eſt quod parrochiani veſtri, poſtquam Hieroſolymitanum iter incepit, terram ſuam depraedati ſunt & plurima damna ſibi intulerunt. Ideoque, quoniam poſſeſſiones & bona eorum qui devotionis intuitu Hieroſolymam proficiſcuntur ſub ſanctae Dei Eccleſiae protectione conſiſtunt, per apoſtolica vobis ſcripta mandamus quatenus eoſdem parrochianos veſtros, de quibus nobis conqueſtus fuerat, ſtudioſius moneatis ut damna poſtmodum ſibi illata cum integritate reſtituant; quod ſi contemptores extiterint, canonica eos cenſura coërceatis. Datum Ceperani XV. Kal. Iulii.

Epiſt. 25. Lucius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Alviſo Atrebatenſi Epiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Litteras tuas debita benignitate ſuſcepimus, utpote quia perſonam tuam ante pontificale officium vera in Domino caritate dileximus, & nunc ampliori affectu diligere volumus & in quibus ſecundum Deum poſſumus honorare. Tua itaque intereſt tam in pace inter cariſſimos filios noſtros Ludovicum Francorum Regem & Theodoricum Comitem componenda & aliis quae ad honorem ſanctæ Romanæ Eccleſiae ſpectare cognoveris ſtudioſe intendere, ut Deus exinde honoretur, & eadem mater tua ſancta Romana Eccleſia de tuis bonis actibus gratuletur. Datum Laterani VI. Kal. Ianuarii.

Epiſt. 26. Lucius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Alviſo Atrebatenſi Epiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Lator praeſentium, ſicut accepimus, juvenis eſt & boni teſtimonii & in litterarum ſcientia eruditus, & Atrebatenſi Eccleſiae honeſte deſervire poteſt. Ideoque, quoniam cum venerabili fratre noſtro Imaro Tuſculano Epiſcopo aliquandiu bene converſatus eſt, per praeſentia ſcripta dilectioni tuae rogando mandamus quatenus pro beati Petri & noſtra reverentia in eadem Eccleſia praebendam ei tribuas. Datum Laterani IIII. Kalend. Iunii.

Epiſt. 27. Lucius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus Alviſo Atrebatenſi & Nicolao Cameracenſi Epiſcopis ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Nobilis vir Ebrardus de Britolio per nos ab Hieroſolimis rediens ſignificavit nobis quod quandam ſuam conſanguineam, filiam videlicet Thomae de Marna, contra prohibitionem Epiſcopi & Eccleſiae Belvacenſis ſibi copulare praeſumpſerit; qua praeſumptione & ipſe ab eodem Epiſcopo eſt excommunicationis vinculo innodatus, & terra ſua divinis officiis interdicta. Tandem vero & illam dimiſit, & aliam, ſicut aſſerit, ſibi legitimo matrimonio copulavit. Ad cujus rei aſſertionem in praedeceſſoris noſtri felicis memoriae & noſtra etiam praeſentia, cum Hieroſolimam tenderet, teſtes producere paratus fuit; quos idem praedeceſſor noſter in alterius partis abſentia recipere noluit, ſed cauſam ipſam veſtræ diſcretioni cognoſcendam & terminandam commiſit. Cujus nos veſtigiis inhaerentes per apoſtolica ſcripta vobis mandamus quatenus infra quadraginta dies poſtquam praeſentia ſcripta ſuſceperitis, tam ipſum quam eandem mulierem, videlicet filiam Thomae, ante veſtram praeſentiam evocetis, & cauſam ipſam hinc inde ſtudioſius inquiratis. Si vero conſanguinitas inter ipſos per idoneos teſtes probata fuerit, & ipſum contra prohibitionem Epiſcopi & Eccleſiae Belvacenſis eam duxiſſe & propter hoc terram ſuam interdictam & excommunicatam fuiſſe conſtiterit, ipſum ab ejuſdem mulieris querimonia omnino abſolvatis, & matrimonium quod cum altera contraxit propter hoc de cetero nullatenus impediatis. Verum ſi quis es vobis neceſſitate qualibet emergente intereſſe non poterit, alter adſcitis ſecum diſcretis & ſapientibus viris nihilominus cauſam audiat & ſupradicto modo diffiniat. Datum XVI. Kal. Iulii.

Epiſt. 28. Reverendo Patri & Domino Lucio ſummo Pontifici Sanſon divina propitiatione Remenſis Eccleſiae humilis miniſter & Ioſlenus Dei patientia Sueſſionenſis vocatus Epiſcopus ſalutem & debitam in omnibus obedientiam. Pater ſancte, inter venerabilem confratrem noſtrum Atrebatenſem Epiſcopum virum ſapientem & religioſum & Abbatem ſancti Nicolai controverſia longo jam tempore ventilata eſt, nec eam in partibus noſtris terminare potuimus. Idcirco beatiſſimae paternitatis veſtrae ſanctitatem cum humili ſupplicatione exoramus quatenus illam auctoritate veſtra diffiniatis & bonam pacem inter eos componere dignemini. Perſona enim Domini Atrebatenſis Epiſcopi in eccleſiaſticis negotiis plurimum neceſſaria eſt & ab omnibus bonis valde honoranda. Omnipotens Dominus ſanctitatem veſtram nobis & Eccleſiae ſanctae conſervet incolumem.

Epiſt. 29. Domino & Patri ſuo Lucio Dei gratia univerſali Papae Alviſus eadem gratia Atrebatenſis miniſter humilis ſpiritus ſancti refoveri dulcedine. Quoniam praevia veritatis ſerie facilius pervenitur ad emolumentum juſtitiæ, negotium inter Guidonem Nigellenſem & Balduinum Albiniacenſem parrochianos noſtros habitum, prout ſummatim perſtringere potuimus, diſcretioni veſtræ, pater ſanctiſſime, inſinuamus. Guido filium, Balduinus filiam habuit, quos placuit parentibus matrimonii connecti copula, ut quae ab antiquo inter patres pro fratre jam dicti Guidonis interfecto pullulaverant inimicitiæ compactis nuptiis terminarentur in ſobole. Nos vero multo ante ab eorum contribulibus intellecto cognationis gradu quo illicitum erat inter praedictos pueros matrimonium contrahi, ſponſalia fieri interdiximus. Balduinus & uxor ejus cum filio id diu poſtea in plena ſynodo confeſſi ſunt, abſolvi inde poſtulantes ſacramento penes Guidonem quo adſtricti fuerant quod cognationem non accuſarent nec proferrent, nec aliquo machinamento divortium illius confœderationis quaererent. Cum ergo de tota parentela nemo procederet qui cognationis lineam accuſaret, & nos ad id probandum non ſufficeremus, precibus fatigati, minis & contumeliis affecti, bannis tamen tunc prius factis, ſponſalia fieri permiſimus. Multo poſt tempore quidam eorum contribules cognationem probare parati, eam ſcripto & voce accuſaverunt.

Digitized by Google

xunt. Balduinus filius Guidonis in cauſam vocatus, quia accuſatores nuptias illas ſcientes in eadem provincia extiterant, & accuſationi aliquo temporis ſpatio ſuperſederant, eis ſuper hoc niſi judicio reſpondere noluit uxore etiam ſua, quam ſibi ablatam eſſe dicebat, antequam cauſam ſeparationis ingrederetur reinveſtiri petiit, & ita ſe quod ratio dictaret facturum promiſit. Ad hoc puella inquit quod ipſa Balduino reddi non debuit, eo quod eam parvulam ſub cuſtodia patris ejuſdem Balduini relictam clam needum nubilem & ſponſalia non intelligentem duxerat. quod ſe probaturam dicebat. Creſcente vero aetate dum quid eſſet intellexit, illicitum execrata thorum, ne dicamus matrimonium, nolens amplius cognato ſuo carnali communicare contubernio, ad ſinum parentum confugit. Balduinus reſpondit illam in deſponſatione nubilem fuiſſe & nuptiis in conſpectu totius Eccleſiae factis aſſenſum praebuiſſe, quin etiam poſtquam ad annos diſcretionis venit eam multoties viſitatis parentibus ultro ad ipſum rediiſſe, inde quicquid poſceret ratio aſſerens ſe facturum eſſe. Cum die ſtatutum ſuper auditis dari ſententia debuit, Balduinus Albiniacenſis, quia Guido cum multitudine armatorum militum praecedenti, ut aſſerebat, die ante caſtellum ſuum, quaſi ipſum aſſulturus, infra treugas venerat, & ipſe hoſtium ſuorum veritus inſidias, ulterius in curia noſtra, ut dixit, cauſam hanc filiae ſuae proſequi non audebat, audientiam veſtram, pater benigne, appellavit, ſperans forſitan veſtra praeſentia ab omni oppreſſionis relevari moleſtia. Tenorem negotii quod audivimus & cognovimus, ubique veritati inſiſtentes, recenſuimus. Quod reſiduum eſt veſtrae aequitatis cenſurae relinquimus. Pacis copiam & vitae incolumitatem det vobis Deus ſalutaris noſter.

Epiſt. 30. Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Bartholomaeo Laudunenſi Epiſcopo & dilecto filio V. Abbati ſancti Dionyſii Remenſis ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Fraternitati veſtrae non extat incognitum quoniam ſicut redemptor noſter pax & veritas, ita pacem & veritatem admonuit diligendam. Conſtat itaque ipſum a Deo diligi qui veritatem quae Deus eſt praeſto eſt confiteri. Ut igitur ſuper controverſia quae inter Alviſum Atrebatenſem Epiſcopum & G. ſancti Nicolai Abbatem diutius agitata eſt debitus contentionis finis imponatur, per apoſtolica ſcripta in virtute obedientiae vobis praecipiendo mandamus quatenus veritatem quam de ipſo negotio noviſtis in praeſentia venerabilium fratrum noſtrorum Ioſleni Sueſſionenſis & Milonis Morinenſis Epiſcoporum plene pronuntietis. Datum Viterbii III. Kal. Maii.

Epiſt. 31. Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Alviſo Atrebatenſi Epiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Et litteris & viva voce nobis ſignificaſti quod quidam parrochiani tui, Balduinus videlicet de Riſpens & Matildis de Albiniaco, contra prohibitionem tuam auſu temerario matrimonium contrahere attentaverunt; ſuper quo cum ad exequendam juſtitiam ante tuam forent evocati praeſentiam, pars viri armata manu tuo ſe conſpectui praeſentavit, & antequam cauſam ingrederetur, muliere quam contra prohibitionem Epiſcopi duxerat reinveſtiri poſtulavit. in quibus altera pars ſe gravari praeſentiens, ad ſedem apoſtolicam appellavit, & ſtatuto termino, videlicet *Laetare Hieruſalem*, nuntium ſuum ad noſtram praeſentiam deſtinavit. Pars viri nec venit nec excuſationem praetendit. Quia igitur de abſentia lucrari non debet, per apoſtolica tibi ſcripta mandamus ut cauſa ipſa in eodem ſtatu permanente, utramque partem ante tuam evoces praeſentiam, & abſque ulla reinveſtitione cauſam ipſam hinc inde diligenter audias & remota appellatione canonice diffinias. Quod ſi ordine judiciario ſeparatio ipſa fuerit confirmata, quod pro dote illius mulieris viro datum eſt, ſicut juſtitia exigit, integre reſtitui facias. Si vero quaelibet pars ſe contumaciter abſentaverit, canonicam de ipſis juſtitiam facias. Datum Viterbii X. Kal. Maii.

Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei G. Abbati ſancti Nicolai de Vedogio ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Cum te ipſum aſſeras paupertate gravari, miramur plurimum quod modis omnibus elaboras ut pauperior fias. A tua namque non debuit excidiſſe memoria quod controverſiam quae inter te & ſacerdotem de Batpalmis agitatur venerabili fratri noſtro Alviſo Atrebatenſi Epiſcopo viva voce commiſimus continuandam; in cujus praeſentia, cum ſecundum voluntatem tuam rem non procedere vidiſſes, ſicut ab eodem fratre noſtro accepimus, ſola ſubterfugii & fruſtratoriae dilationis cauſa praedictum ſacerdotem ad ſedem apoſtolicam iterum appellaſti. Quia igitur noſtri officii eſt injuſte gravatis paterne providere, per apoſtolica tibi ſcripta praecipiendo mandamus quatenus cum a praedicto fratre noſtro fueris evocatus, remota occaſione praeſentiam ejus adeas, & ſi memoratus ſacerdos duobus vel tribus idoneis teſtibus probaverit quod praedeceſſores ſui ſacerdotes quartam partem presbyteratus de Batpalmis tenuerint, tu omni appellatione remota ipſam quartam partem quiete ipſum de cetero habere permittas, & damna quae exinde ſibi te intuliſſe probaverit cum integritate reſtituas. Alioquin nullatenus praeterire poterimus quin de fruſtratoria dilatione tua dignam juſtitiam faciamus. Datum Viterbii XVII. Kal. Septembris. Epiſt. 32.

Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Alviſo Atrebatenſi Epiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Super mobilitate & levitate quam Abbatem ſancti Nicolai de Vedogio in tua praeſentia oſtendiſſe tuis nobis litteris ſignificaſti profecto dolemus & religioni contrarium minime eſſe dubitamus. Recordamur ſiquidem quoniam controverſiam quae inter Abbatem praefatum & ſacerdotem latorem praeſentium agitatur viva voce fraternitati tuae hoc modo commiſimus terminandam, ut videlicet ſi ſacerdos duobus vel tribus teſtibus idoneis in praeſentia veſtra probaverit quod quartam partem presbyteratus de Batpalmis praedeceſſores ſui ſacerdotes ex conſuetudine Eccleſiae tenuerint, ipſam quartam partem eundem ſacerdotem quiete habere faceres. Quod cum juxta mandatum noſtrum effectui mandare voluiſſes, praefatus Abbas, non oppreſſionis, ſed, ſicut aſſeris, ſola ſubterfugii cauſa ſacerdotem ipſum ad audientiam noſtram iterum appellavit. In qua ſiquidem appellatione licet extraordinarie proceſſeris, quia tamen ex apoſtolicae ſedis reverentia ſententiam diſtuliſti, devotionem tuam in Domino collaudamus. Verum quoniam ille de fruſtratoria dilatione & prava deliberatione ſua lucrari non debet, ipſum negotium denuo diſcretioni tuae remittimus, per apoſtolica tibi ſcripta mandantes ut aſſumptis tecum prudentibus & diſcretis viris, & maxime venerabili fratre noſtro Milone Molinorum Epiſcopo, utramque partem ante tuam evoces praeſentiam; & ſi ſacerdos, quemadmodum ſupra dictum eſt in praeſentia tua probaverit, de ipſa quarta parte, omni appellatione remota, ipſum vice noſtra inveſtias, & quae de ipſa parte quarta ablata ſibi eſſe probaverit cum integritate reſtitui facias. Datum Viterbii XVII. Kal. Septembris. Epiſt. 33.

Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei cariſſimo in Chriſto filio Ludovico illuſtri Francorum Regi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Nobilitatis tuae litteras per venerabilem fratrem noſtrum Alviſum Atrebatenſem Epiſcopum religioſum & honeſtum virum debita benignitate ſuſcepimus, & preces tuas pro ipſo libenter admiſimus. Super his autem quae de bonis juventutis tuae initiis ab ipſo & aliis religioſis viris accepimus paterno affectu gaudemus, & ut de ſurſum a patre luminum, a quo bona cuncta procedunt, in bono initio tibi perſeverantia tribuatur Dominum deprecamur. Tu itaque, dilecte in Domino fili, praefatum fratrem noſtrum pro beati Petri & noſtra reverentia de caro cariorem habeas, atque Eccleſiae & eccleſiaſtica Epiſt. 34.

per-

perſonis regni tibi a Domino commiſſi, ſicut & decet regiam excellentiam, honorem & reverentiam exhibeas. Super hoc autem quod ex noſtra parte tibi ſecretius intimabit ipſum tanquam me praeſentem audias & opere compleas. Datum Viterbii III. Kal. Maii.

Epiſt. 35. Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Alviſo Atrebatenſi Epiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Controverſia quae inter te & Hermarum presbyterum ſuper pecunia quam frater ſuus tibi furto abſtulerat, & tu ab ipſo requirebas, agebatur tam litterarum Capituli tui atteſtatione quam ejuſdem Presbyteri & nuntiorum tuorum viva relatione diligenter attendimus. Auditis igitur utriuſque partis rationibus, & ſcriptis ſtudioſe inſpectis, de fratrum noſtrorum conſilio judicavimus ut idem Presbyter ſalvo honore & ordine ſuo eandem pecuniam, ſicut juravit, tibi reſtituat, tu vero, quia eundem Presbyterum abſque gravamine ad ſedem apoſtolicam appellaſti, rationabiles expenſas viae ſibi reſtituas. Datum apud civitatem Caſtellanam Kal. Aprilis.

Epiſt. 36. Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Godeſcalco Atrebatenſi Epiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Non eſt in homine via ejus. Cor enim hominis diſponit viam ſuam, Dominus autem dirigit greſſus illius. Quid enim olim ſumma cum inſtantia expeteris reminiſcimur, & quod te divina dextera ſubvexerit cum laetitia & gratiarum actionibus intuemur. Quod enim ab eo nexu quo puſilli gregis curae tenebaris adſtrictus abſolvi ſummopere poſtulabas, eo faciente ſub quo curvantur qui portant orbem arctiori & fortiori ligamine meruiſti ad infiniti populi cuſtodiam religari. A Domino factum eſt iſtud & acceptum in oculis noſtris. Ipſe quidem dat nivem ſicut lanam, dum illi qui ad pedes Domini cum Maria reſidere deſiderant Domino impellente ad refectionem populorum Marthaeque miniſteria reflectuntur. Unde commiſſam tibi arcam inter has undas pelagi ad quietis portum tanto melius confidimus perducendam quanto certius opinamur rectorem ei proviſum qui juxta verbum Apoſtoli, in verbo, converſatione, caritate, fide, & caſtitate ſuorum exemplum eſſe valeat ſubditorum. De cetero ex parte dilectorum filiorum noſtrorum Abbatis & fratrum ſancti Vedaſti querelam accepimus quod ſuggeſtione clericorum tuorum eos contra tenorem privilegiorum quae a ſede apoſtolica meruerunt & antiquam conſuetudinem aggravare contendis. Significaverunt etiam nobis ſe capellam quandam parrochialem habere quae parrochianos ſuos prae ipſorum multitudine capere non ſufficiat. Unde poſtulant ut quibuſdam eorum, illis ſcilicet qui viridarium & hortum ipſorum fratrum non a multis temporibus inhabitare cœperunt, ad quandam alteram capellam ſuam, proprio ibi Presbytero conſtituto, liceat te connivente tranſire, jure tuo in ea, ſicut in altera, tibi pleniter conſervato. Quia igitur quanto altius aſcendiſti, tanto & commiſſorum utilitatibus imminere & religioſorum petitionibus faciliorem te convenit praeſtare conſenſum, per praeſentia ſcripta fraternitati tuae mandamus quatenus eos contra tenorem privilegiorum noſtrorum & antiquam conſuetudinem nequaquam aggraves; ſi vero dicta eorum veritate nitantur, illos qui viridarium & hortos ipſorum inhabitant ad alteram ſuam capellam tranſire permittas, in qua jus tuum, ſicut & in iſta, tibi pleniter conſervetur. Si vero aliquid eſt quod contra eos tibi credas poſſe competere, ante nobis illud intimare procures, & nos quod tuum eſt auctore Domino conſervabimus.

Epiſt. 37. Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Guerrico Abbati ſancti Vedaſti ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Ordo rationis expoſtulat & juſtitiae depoſcit integritas ut ſic noſtra jura ſtudeamus inconcuſſa ſervare quod fratribus noſtris Epiſcopis ſuam juſtitiam nullatenus videamur auferre. Eapropter, juxta quod praedeceſſor noſter bonæ memoriæ Innocentius Papa praedeceſſori tuo mandaſſe dignoſcitur, & nos devotioni tuae mandando praecipimus quatenus venerabili fratri Godeſcalco Atrebatenſi Epiſcopo obedientiam tuam promittas, & de his quae ab Atrebatenſi Eccleſia poſſidere dignoſceris debitam reverentiam & ſubjectionem exhibeas. Praeterea idem frater noſter nobis conqueſtus eſt quod decem ſolidos quos praedeceſſor tuus pro Botelgeria ſingulis annis ſupradicti fratris noſtri praedeceſſori exſolviſſe noſcitur ipſi contra juſtitiam auferas. Ideo per praeſentium tibi auctoritatem mandamus quatenus, ſi verum eſt quod nobis propoſuit ſupradictus, eidem fratri noſtro cum integritate reſtituas.

Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Sanſoni Remenſi Archiepiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Ratio perſuadet & fraternæ debitum caritatis nos compellit omnibus & maxime fratribus noſtris Epiſcopis benignum ſolatium miniſtrare. Veniens ſiquidem ad noſtram præſentiam venerabilis frater noſter Godeſcalcus Atrebatenſis Epiſcopus adverſus nobilem virum Theodoricum Flandriæ Comitem in auribus noſtris querelam depoſuit quod homines ſuos in villa quæ Mateolum dicitur ipſi contra juſtitiam auferat, & jam ſæpius requiſitus a ſua non velit præſumptione deſiſtere. Super quo eidem Comiti & litteras direximus, & tuam fraternitatem ut ipſum a prædicti fratris noſtri inquietatione ceſſare commoneas attentius duximus incitare. Per præſentia itaque ſcripta fraternitati tuæ mandamus quatenus ſi ſupradictus Comes a te commonitus memorato fratri noſtro ſuos homines reddere noluerit & ab ipſius infeſtatione deſiſtere, tam in perſonam quam in terram ejuſdem Comitis tantam præſumptionem attentius ſtudeas vindicare. Præterea, quoniam, ſicut ex ipſius fratris noſtri narratione nobis innotuit, ipſum pro tui officii debito diligas & honores, gratum nobis eſt, & ut de cetero pro beati Petri & noſtra reverentia caritatis affectu eundem fratrem noſtrum propenſius diligas quamplurimum tuam fraternitatem rogamus. Epiſt. 38.

Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei ſanctimonialibus Dinvacenſibus ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Quod vos apoſtolicæ benedictionis alloquio ſalutamus, non ex veſtris meritis fieri, ſed ex apoſtolicæ ſedis conſueta benignitate credatis. Non enim de converſatione veſtra nobis talia referuntur quæ noſtrum animum incitent ut vobis apoſtolicæ benedictionis gratiam conferamus; quoniam, ſicut relatione quorundam audivimus, ita laxis habenis poſt veſtra deſideria curritis ut veſtri voti memoria videatur a vobis penitus excidiſſe & videamini retrorſum abire, cum ad anteriora deberetis totis viribus anhelare. Sane caritatis igniculus, qui fomes & nutrimentum honeſtatis eſſe dignoſcitur, peccatis exigentibus adeo in vobis refriguit quod monaſterium veſtrum tam in ſpiritualibus quam etiam in temporalibus eſt plurimum imminutum. Nos igitur, quoniam ſtatum veſtrum in melius cupimus auxiliante Domino reformari, venerabili fratri noſtro Godeſcalco Atrebatenſi Epiſcopo, de cujus utique honeſtate atque religione confidimus, quoniam in his plenius inſtructus eſſe dignoſcitur, dedimus in mandatis ut gratam Deo religionem in vobis ſtudeat reformare & monaſterium veſtrum ad frugem melioris vitae reducere. Ideoque per præſentia vobis ſcripta mandamus atque praecipimus quatenus in his quæ ad emendationem vitæ veſtræ & correctionem monaſticæ diſciplinæ ſpectaverint ſupradicto fratri noſtro humilitate debita pareatis & ipſius monita & ſalubria mandata benigne ſuſcipiatis & irrefragabiliter obſervetis; ſcientes quia ſi de cetero ſalubribus monitis ipſius contempſeritis obedire, nos ſententiam quam propter hoc in vos ipſe dictaverit auctore Deo ratam habebimus. Datum Romæ apud ſanctum Petrum Nonis Februarii. Epiſt. 39.

Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis Epiſt. 40.

filiis

filiis hominibus majoribus & minoribus Duacenſibus ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Cum univerſalis Eccleſiae ſit nobis cura commiſſa, oportet nos omnium ſollicitudinem gerere & filios ipſius qui a ſemita rectitudinis deviare noſcuntur ad viam veritatis attentius revocare. Venientis ſiquidem ad noſtram praeſentiam venerabilis fratris noſtri Godeſcalci Atrebatenſis Epiſcopi narratione accepimus quod debitam reverentiam ſicut patri & Epiſcopo veſtro ipſi exhibere non vultis, & cum aliquam culpam committitis, ab eo vocati ad ipſum venire auſu temerario recuſatis, immo cujuſdam veſtrae inſtitutionis occaſione, cum veſtro debueratis capiti unanimiter adhaerere, ipſum caput relinquitis, & ab eo ſeparari nitimini, ſine quo nequaquam vivere poteſtis. Sine capite namque membra vegetari non poſſunt, etiamſi alicujus capitis membra eſſe forte ab aliquibus videantur. Membra itaque ſuo debent capiti adhaerere, a quo & vitam recipiunt, & ſine quo vivere nullatenus poſſunt. Vt autem vos doctrinam ſalutis a capite veſtro percipere valeatis, ut etiam veſtrum caput de impenſa vobis doctrina poſſit praemium obtinere, univerſitati veſtrae per praeſentia ſcripta mandamus & mandando injungimus quatenus ſupradicto fratri noſtro ſicut patri & animarum veſtrarum Epiſcopo debitam reverentiam & obedientiam deferatis, & ad ipſum, cum pro corrigendis exceſſibus fueritis evocati, accedere nullatenus contemnatis; ſcientes quia ſi aliquis veſtrum ipſi contumax & rebellis extiterit, & ab eo vocatus ejus praeſentiam adire contempſerit, ſententiam quam idem frater noſter propter hoc dictaverit in eum nos auctore Deo ratam & firmam habebimus. Datum Romae apud ſanctum Petrum Nonis Februarii.

Epiſt. 41. Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis clero & populo Atrebatenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Quando inter praelatos atque ſubjectos tanta eſt unio caritatis quod & praelati ſubjectis quae ſalubria ſunt ſollicita attentione proſpiciunt, & ſubjecti praelatis ſe in omni obedientia & humilitate ſubmittunt, tunc Eccleſia Dei procul dubio ſuo curſu dirigitur & tranquilla pace atque jucunditate laetatur. Venientem itaque ad apoſtolicae ſedis clementiam venerabilem fratrem noſtrum Godeſcalcum Epiſcopum veſtrum debita benignitate recepimus, & quandiu inter nos commoratus eſt inter fratres & coëpiſcopos noſtros ipſum praecipue pro ſuae honeſtatis reverentia fraterna caritate tractavimus. Et quoniam de ſtatu commiſſae ſibi Eccleſiae quaedam ad noſtram audientiam pervenerant quae nec nos nec eum in requiſitione ſui & in correctione negligentes eſſe permittunt, viva ei voce injunximus ut ad eorum emendationem & conſervandam in eadem Eccleſia honeſtatem & religionem ita promptus & diſtrictus exiſtat ut & in his ipſum ſuum officium compleviſſe appareat, & animum noſtrum ulterius nulla exinde ſiniſtra fama perturbet. Inter cetera enim idem frater nobis ſuggeſſit quod non ſine grandi gemitu noſtri cordis referimus. Nuntiavit ſiquidem nobis quod adeo quorundam pravorum in commiſſa ſibi Eccleſia malitia creverit ut haereticae ſint pravitatis laqueo irretiti, qui etiam non verentur cum quibuſdam aliis tendiculas haereticorum extendere ut ſuae perditionis plures ſocios habeant & ſecum multorum animas condemnent. Sane illis eccleſiaſticae ſeveritatis rigor eſt diſtrictius opponendus. Et ideo ſententiam quam in eos praedictus frater noſter Epiſcopus veſter religioſorum virorum conſilio promulgaverit nos auctore Deo ratam habebimus, & ut ipſam firmiter obſerveris vobis omnino injungimus. Quia igitur, ſicut idem frater noſter a nobis & de cura commiſſi ſibi gregis & de imminentia ſui officii fuit propenſius exhortandus, ita vos ad ipſius obedientiam & venerationem noſtrarum litterarum etiis admonitionibus exhortandi, eumdem fratrem noſtrum ad Eccleſiam ſuam & ad vos cum ſedis apoſtolicae ac litterarum noſtrarum proſecutione ducente Domino remeantem univerſitati veſtrae duximus attentius commendandum, per praeſentia vobis ſcripta mandantes quatenus eum reverenter & honeſte recipiatis & filialem ei reverentiam & honorem jugiter exhibentes, tam de his quae ſupra dicta ſunt quam de aliis quae in vobis fuerint corrigenda humiliter ſalubribus praeceptis ejus obediatis; quatenus & ipſe pro impenſo vobis gubernationis officio perpetuae coronam gloriae valeat Domino donante percipere, & vos obedientiae merito ad gaudia aeternae felicitatis poſſitis cum eo pariter introire. Datum Romae apud ſanctum Petrum Nonis Februarii.

Epiſt. 42. Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Canonicis Atrebatenſis Eccleſiae ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Sicut mater carnalis a propriis filiis quos ſtuduit enutrire ſuſtentari deſiderat, ſic mater ſpiritualis Eccleſia ab his quibus pro ſua facultate neceſſaria ſubminiſtrat ſervitium debitum inſtanter expoſtulat, nec illis ſuum beneficium libenter impendit qui debitum ipſi ſervitium ſubtrahunt. Non enim rationi debitum volunt exſolvere qui panem Eccleſiae in otio manducantes deſident & ſe ab ejus ſervitio non certa & rationabili occaſione abſentant. Et quoniam inter vos quoſdam eſſe audivimus qui cum de altario commiſſae vobis Eccleſiae vivant, ipſi nolunt Eccleſiae deſervire, immo non certa nec rationabili cauſa intercedente, in periculum animarum ſuarum, ab Eccleſiae veſtrae obſequio ſe ſubtrahunt, per praeſentia ſcripta vobis mandamus quatenus, niſi certa & rationabili cauſa ſe occaſio aliquando ingerat, ita ſitis in ſervitio Eccleſiae aſſidui ut praedicta Eccleſia debito ſervitio non fraudetur. Quod ſi aliquis veſtrum, niſi evidenti & honeſta cauſa interveniente, in ſervitio Eccleſiae veſtrae laborare forte noluerit, quoniam ſcriptum eſt ut qui non laborat non manducet, ſcire vos volumus quia ſententiam quam venerabilis frater noſter Godeſcalcus Epiſcopus veſter conſilio ſanioris partis veſtri Capituli in ipſum canonice promulgare voluerit nos Deo auctore firmam & ratam habebimus. Datum Romae apud ſanctum Petrum Nonis Februarii.

Epiſt. 43. Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Godeſcalco Atrebatenſi Epiſcopo ejuſque ſucceſſoribus canonicè ſubſtituendis in perpetuum. Officii noſtri nos hortatur auctoritas pro Eccleſiarum ſtatu ſatagere & earum quieti & utilitati ſalubriter auxiliante Domino providere. Dignum namque & honeſtati conveniens eſſe dignoſcitur ut qui ad Eccleſiarum regimen aſſumpti ſumus, eas & a pravorum hominum nequitia tueamur & beati Petri atque apoſtolicae ſedis patrocinio muniamus. Proinde, venerabilis frater in Chriſto Godeſcalce Epiſcope, tuis juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & praefatam Atrebatenſem Eccleſiam, cui Deo auctore praeeſſe dignoſceris, ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus & apoſtolicae ſedis privilegio communimus. Ad exemplar igitur praedeceſſorum noſtrorum felicis memoriae Vrbani, Paſchalis, Gelaſii, Calixti, & Innocentii Romanorum Pontificum ejuſdem Eccleſiae epiſcopalem dignitatem ſicut hodie eſt praeſentis ſcripti pagina roborantes ſtatuimus ut quicquid praedictae Eccleſiae beatus Remigius contulit, videlicet Orcos & Sambucetum, quaecumque etiam eadem Eccleſia juſte & legitime poſſidet aut in futurum poterit adipiſci, tibi tuiſque ſucceſſoribus confirmamus, in quibus haec propriis nominibus annotanda ſubjunximus, archidiaconias duas, Atrebatenſem ſcilicet & aliam quae Oſtrevandenſis dicitur. Illos etiam limites inter Atrebatenſem & Cameracenſem Eccleſias eſſe ſancimus quos antiquitus fuiſſe vel ſcriptorum monumentis vel territoriorum diviſione vel certis aliquibus indiciis conſtat, ut annuente Deo Eccleſiarum pax nulla occaſione turbetur, & quae pro fidelium ſalute ſtatuta ſunt perenni tempore inconvulſa ſtabilitate perſiſtant. Abbatias quoque infra Atrebatenſis epiſcopatus limites ſitas, videlicet S. Petri Haſnonienſis, ſancti Salvatoris Aquicinenſis, ſancti Vindiciani de Monte ſancti Eligii, ſanctae Ragenfredis de Domniaco, ſanctae

Digitized by Google

ctæ Rictrudis Marcianenſis, ſanctae Mariae de Strumo cum ceteris infra praeſatos limites ſitis, & monaſterium ſancti Praejecti de Bethunia tibi tuiſque ſucceſſoribus ſubjectas eſſe & earum Abbates vel Abbatiſſas canonice obedire praecipimus. Abbas vero ſancti Vedalli de Nobiliaco & ſucceſſores tibi tuiſque ſucceſſoribus obedientiam manu promittant, & de his quae ab Atrebatenſi Eccleſia poſſidere noſcuntur debitam reverentiam & ſubjectionem exhibeant. Partem decaniae de Vals, quae infra limites Atrebatenſis territorii ſita eſt, Eccleſias ſcilicet de Baioncourt, de Vallibus, de Migerol, de Chaom, de Brodovilla, de Caxenignicurth, de Sarving, de Halcurth, de Schluſa, de Hailcourt cum appendiciis earum. Porro ad victam & ad menſam Epiſcopi Atrebatenſis altaria de Avions, de Culois, de Menricourt, & altare ſancti Martini de Hennino Rainardi, necnon & Mareolum cum ſilva, terra, aqua, molendinis, furno, hoſpitibus, & cum omni diſtricto totius villae & molendinis de Schenfolt, & molendinum aliud cum duobus furnis, & cambo & hoſpitibus infra Atrebatum & terrae, vivarium de Bronnis. Quae omnia, quia praedeceſſor tuus recolendae memoriae Alviſus Epiſcopus in vita ſua noſcitur tenuiſſe, tibi nihilominus confirmamus. Altare inſuper de Monei, Gamapis, altare ſancti Martini, altare de Atluth cum appendiciis ſuis, Vulpi, Wigeval, altare de Raincourth cum appendiciis ſuis, altare de Miralmont & ſanctae Mariae de Poſtumvillet, de Bagunis, de Bulgy, Hangra, Ruyth, Berry, Gornay, Buay, Heſdinvil, Camblin, Mareſch, Hanubiis, Tuugry, Herlu, Obertio, Harmenteriis, Saly, Belona, Careney, Novavilla altare de Athis in Oſtrevando Syrici, & Eccleſiam de Berberis cum appendiciis ſuis. Praeterea cuſtodiam Atrebatenſis Eccleſiae & reditus ad ipſam & ad luminaria ejuſdem Eccleſiae pertinentes, ſcilicet altare de Catcelles, Gummicurt, Hervilert, & altare de Vimi tuis utibus & domeſticae neceſſitati confirmamus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat praefatam Eccleſiam temere perturbare aut ejus poſſeſſiones auferre, aut ablatas retinere, minuere, ſeu aliquibus vexationibus fatigare, ſed omnia integra conſerventur eorum pro quorum gubernatione atque ſuſtentatione conceſſa ſunt uſibus omnimodis profutura ſalva ſedis apoſtolicae auctoritate. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica ſecularisve perſona hanc noſtrae conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere venire tentaverit, ſecundo tertiove commonita ſi non ſatisfactione congrua emendare curaverit; poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei & Domini redemptoris noſtri Ieſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictae ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco juſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri Ieſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonae actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen. Ego Eugenius catholicae Eccleſiae Epiſcopus ſubſcripſi. Ego Conradus Sabinenſis Epiſcopus ſubſcripſi. Ego Ymarus Tuſculanus Epiſcopus ſubſcripſi. Ego Hugo Hoſtienſis Epiſcopus ſubſcripſi. Ego Gregorius Presbyter Cardinalis tituli Calixti ſubſcripſi. Ego Hubaldus Presbyter Cardinalis tituli ſanctae Praxedis ſubſcripſi. Ego Aribertus Presbyter Cardinalis tituli ſanctae Anaſtaſiae ſubſcripſi. Ego Bernardus Presbyter Cardinalis tituli ſancti Clementis ſubſcripſi. Ego Octavianus Presbyter Cardinalis tituli ſanctae Caeciliae ſubſcripſi. Ego Rolandus Presbyter Cardinalis tituli ſancti Marci ſubſcripſi. Ego Gerardus Presbyter Cardinalis tituli ſancti Stephani in Cœlio monte ſubſcripſi. Ego Iohannes Paparo Presbyter Cardinalis tituli ſancti Laurentii in Lucina ſubſcripſi. Ego Ioannes Presbyter Cardinalis tituli ſanctorum Petri & Pauli ſubſcripſi. Ego . . . . . Ego Oddo Diaconus Cardinalis tituli ſancti Georgii ſubſcripſi. Ego Gregorius Diaconus Cardinalis tituli ſancti Angeli ſubſcripſi. Ego Guido Diaconus Cardinalis tituli ſanctae Mariae in portico ſubſcripſi. Ego Johannes Diaconus Cardinalis tituli ſanctorum Sergii & Bacchi ſubſcripſi. Ego Gerardus Diaconus Cardinalis tituli ſanctae Mariae in via lata ſubſcripſi. Ego Oddo Diaconus Cardinalis tituli ſancti Nicolai in carcere Tulliano ſubſcripſi. Ego Bernardus Diaconus Cardinalis tituli ſanctorum Coſmae & Damiani ſubſcripſi. Datum Romae apud ſanctum Petrum per manum Boſonis S. R. E. ſcriptoris Nonis Februarii, indictione XV. anno incarnationis dominicae MCLII. Pontificatus vero Domini Eugenii Papae III. anno octavo.

Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto *Epiſt. 44.*
filio ſuo nobili viro Theodorico Comiti Flandrenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Sicut qui conceſſa ſibi a Domino poteſtate rationabiliter utitur praemium ſine dubio conſequetur, ſic e converſo qui acceptae poteſtatis occaſione rationi contrarium operatur, pœnam non modicam ſuſtinebit. Veniens ſiquidem ad Apoſtolorum limina & noſtram praeſentiam venerabilis fratris noſtri Godeſcalci Atrebatenſis Epiſcopi conqueſtionem accepimus quod in villa ſua quae vocatur Mareolum plurima ipſi gravamina inferas & ipſius villae homines contra juſtitiam & ejuſdem fratris noſtri voluntatem in propria terra retineas. Sane tu cum plurimas villas ac villicos habeas, res alienas, & tui Epiſcopi maxime, non deberes auferre, & ipſum tam graviter & injuſte offendere quem deberes ſicut patrem filiali devotione diligere & ab aliorum inquietationibus propenſius defenſare. Ad hoc ſiquidem eſt a Domino tibi temporalis collata poteſtas ut in terra tuae proviſioni commiſſa juſtitiam ſerves & facientes injuſtitiam freno coerceas æquitatis. Ceterum niſi tua nobilitas in ſe ipſa juſtitiae ſemitam ſervare voluerit, niſi duxerit & a rerum Eccleſiae inquietatione & injuſta occupatione deſiſtere, unde in diſtricto examine praemium comparaſſe debuerat, inde ſibi ſupplicium procul dubio inveniet praeparatum. Et quoniam ejuſdem fratris noſtri oppreſſiones atque gravamina ſalva conſcientia pati non poſſumus, & te de caetero contra ipſum (defenſare) nolumus, per apoſtolica tibi ſcripta mandamus & mandando injungimus quatenus ſaepedicto fratri noſtro ſubſides ſuos reſtituas & nullam ipſi de caetero ſuper hoc moleſtiam inferas. Quod ſi facere forte nolueris, ſcire te volumus quoniam venerabili fratri noſtro Sanſoni Remenſi Archiepiſcopo dedimus in mandatis ut tam in perſonam quam in terram tuam diſtrictius tantam praeſumptionem ſtudeat vendicare. Datum Romae apud ſanctum Petrum Nonis Februarii.

Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectae *Epiſt. 45.*
in Chriſto filiae Sibillae Flandrorum Comitiſſae ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Quoniam, dilecta in Domino filia, devotionem tuam in his quae ad Dominum pertinent credimus eſſe ſollicitam, idcirco apoſtolicis te literis duximus honorare & ad venerabilis fratris noſtri Godeſcalci Atrebatenſis Epiſcopi auxilium in animae tuae ac viri tui ſalutem propenſius incitare. Si enim idem frater noſter a viri tui oppreſſione tua fuerit induſtria liberatus, ex hoc ipſo praemium duplicatum recipies; quoniam & tuam animam, quae utique eodem peccato tenetur, cum poſſis & negligas obviare, a laqueo diaboli eripere ſtuduiſti. Scriptum namque eſt: *Mulier diligens corona eſt viri ſui*. Profecto, ſicut ex ſupradicti fratris noſtri conqueſtione accepimus, in una ſua villa ſola quam habet vir tuus ipſum multipliciter inquietat, & homines ſubſides videlicet ipſius de villa eadem ipſi contra juſtitiam & per violentiam aufert. Nos ergo, quoniam de tua devotione, prudentia, & diſcretione confidimus, praeſentibus litteris nobilitati tuae mandamus quatenus virum prudenter commoneas ut a ſupradicti fratris noſtri inquietatione deſiſtat & homines ſuos quos retinet ipſi reſtituat. Non enim hominis ſunt, ſed Dei & Eccleſiae ipſius ſunt illa quae ipſe fratri no-

ſtro abſtuliſſe dignoſcitur. Ideo niſi ea reſtituere forte voluerit, nos venerabili fratri noſtro Sanſoni Rementi Archiepiſcopo dedimus in mandatis ut tam in perſonam quam in terram ipſius tantam malitiam diſtrictius ſtudeat vendicare. Datum Romae apud ſanctum Petrum Nonis Februarii.

Epiſt. 46. In nomine patris & filii & ſpiritus ſancti. Amen. Quoniam acta quibus oblivio antiquitatis aliquando irrepſit errorem poſteris generare conſueverunt, idcirco ego Godeſcalcus Dei gratia Atrebatenſis Epiſcopus beneficia quae Robertus Canonicus & frater ejus Ermenfridus, quibus ambobus Pes argenteus cognomen eſt, Eccleſiae ſanctae Dei genitricis Mariae Atrebatenſis contulerunt litteris & memoriae mandare curavi & ſigilli mei teſtimonio rata facere. Dederunt itaque prætaxati fratres de ſuo patrimonio communiter triginta ſolidos & duos capones, aſſignantes manſuras, & tempora diſtinguentes, a quibus & quibus praedicti reditus exigendi forent & accipiendi ad hunc modum. A Bernardo Berengario ſuiſque ſucceſſoribus pro ſua manſura decem & octo ſolidi; ita quod in natali Domini media pars, id eſt, novem ſolidi, & in nativitate beati Johannis totidem cuſtodi Eccleſiae perſolvantur. Item a Gerardo fratre Aldefridi ſuiſque ſucceſſoribus pro ſua manſura undecim ſolidi & dimidius in natali Domini, & in nativitate beati Johannis totidem cuſtodi Eccleſiae perſolvantur. Item a Domino Luca Archidiacono ſuiſque ſucceſſoribus pro ſua manſura in natali Domini duodecim denarii & duo capones cuſtodi Eccleſiae perſolvantur. Uſibus quoque Eccleſiae certis praememorata beneficia deputaverunt, ſcilicet quod ex eis novem lampadibus ante vultum Chriſti pendentibus lumen ſubminiſtretur ſubſignatis temporibus accendendum. In vigilia nativitatis Chriſti ab hora nona uſque ad finem completorii ſequentis diei lumen lampadum non deficiat, todidemque horarum ſpatio in omnibus ſollemnitatibus quas ſubſcribimus praedictarum lampadum lumen continuandum eſſe ſtatuerunt. In circumciſione Domini, in apparitione, in reſurrectione, in aſcenſione, in Pentecoſte, in ſollemnitate omnium ſanctorum, & in omnibus ſollemnitatibus ſanctae Dei genitricis Mariae & in omnibus demum dominicis diebus. Robertus vero alter fratrum intelligens tantillos redditus tot lampadarum luminibus per tot tempora non poſſe ſufficere, altare de Vimi earum luminis indigentiae, me tam confirmante quam permittente, adjecit, eo videlicet tenore ut illis nunquam ſuis temporibus luminis copia deeſſet, & decimae lampadi verſus occidentalem Eccleſiae partem ante turrim pendenti ex eadem copia ignis ſubminiſtretur, qui omnibus & totis noctibus, ſi redditus ſuffecerint, Eccleſiae indeficiens luceat, finito completorio ſemper accendendus, & mane, cum aurora finem dederit, extinguendus. Quod ſi ex his beneficiis decem lampadum lumini antedictis aliquid ſuperabundare contigerit, in Epiſcopi ſemper ſit diſpoſitione quorum ſollemnitates ſanctorum in eiſdem lampadibus igne accenſo decorentur. Ne quis vero in poſterum praeſumat praedictarum lampadum honorem vel auferre vel loca ipſarum aut horas illuminationis earum commutare auctoritate divina interpoſita prohibemus. Recitatum eſt hoc ſcriptum in ſynodo Atrebatenſi coram me ſub his perſonis & teſtibus, Luca Archidiacono, Clarembaldo Praepoſito, Nicolao Decano, Anſelmo Cantore, Frumaldo Magiſtro, Dominiſque Abbatibus ſanctae exiſtimationis, primo domno Werrico Abbate ſancti Vedaſti, Gozvino Abbate Aquicinenſi, Hugone Abbate ſancti Amandi, Fulcone Abbate Haſnonienſi, Hugone Abbate Marcianenſi, Radulfo Abbate de Monte ſancti Eligii, Balduino Abbate de Mareolo, Simone Abbate de Ailcurte, pleriſque praeterea boni teſtimonii viris, & Canonicis ſanctae Atrebatenſis Eccleſiae Harmaro, Rolando, Guillelmo, Hugone, Huberto ſacerdotibus, & inferioris ordinis multis clericis honeſtae vitae. Actum Atrebati anno dominicae incarnationis MCLIII. anno V. epiſcopatus domni Godeſcalci.

Sancti Anſelmi Archiepiſcopi Cantuarienſis Epiſtolae ſeptem.

I.

Ex L. IV. Miſc. Bal. p. 471. DOmino & fratri cariſſimo Hernoſto frater Anſelmus ſalutem corporis quanta expediat, & animæ quanta ſufficiat. Infirmitatis tuæ nimis ingravatam moleſtiam, mi dilecte pariter & dilector, prius quorundam narratione, deinde litterarum tuarum lectione cognovi. Qua de re ut taceam quantam aſſumpſerim in animam meam compaſſionem, teſtis eſt mihi conſcientia quia libenter ipſam totam tranſumerem in corpus meum paſſionem. Sed cum certum ſit quia flagellat Deus omnem filium quem recipit, miro quodam modo eadem me caritas, & quia flagellis attereris, impellit ad compaſſionem, & quia ad hereditatem erudiris, invitat ad congratulationem. Penſandum enim nobis eſt, cariſſime, quantam ſecum ferant dolores illi conſolationem, qui dum exterius noſtra delicta purgant, quibus externi cruciatus intenduntur, ad filiorum Dei nos transferunt ſortem, quibus ſuperni regni gaudia promittuntur; ut dum exterior homo noſter, quem cotidie neceſſe eſt corrumpi, flagellorum pondere preſſus gemendo ſuſpirat, interior homo noſter, quem de die in diem oportet renovari, peccatorum gravamine relevatus exultando reſpiret. quod nimirum tunc perveniet, ſi interior homo in exterioris afflictione non per impatientiam reſultaverit, ſed per gratiarum actionem cædentis manui conſenſerit. Cum enim ſemper placeamus omnipotenti Deo quotiens ejus diſpoſitionibus in nullo diſſonamus, tum maxime placamus miſericordem Dominum ſi vapulantes verberanti ſponte conſonamus. Cum enim omnis ira nonniſi in adverſantem ſe exerat, ſi ſe reus offenſo per concordem de ſe ſententiam conſociet, neceſſe eſt ut iraſcentis motus deferveat, quoniam jam adverſarium non invenit quem feriat. Quapropter, cariſſime, cum ſcriptum ſit quia oportet nos per multas tribulationes introire in regnum Dei, cum flagellamur, inter nos & Deum beati Job teneamus ſententiam, qui nimiis circumſeptus doloribus dicebat: *Hæc mihi ſit conſolatio, ut affligens me doloribus non parcat.*

II.

VEnerabili dominæ regia nobilitate, ſed nobilius morum probitate pollenti Adelidi, frater Anſelmus, ſic cum temporali nobilitate virtutum ornamentis decorari ut in æterna felicitate mereatur Regi Regum copulari. De floribus pſalmorum quod dignata eſt jubere dilecta mihi in Deo veſtra ſublimitas, nec citius nec melius potuit exequi fidelis vobis noſtra humilitas. Tanto quippe obedientia noſtra imperio veſtro devotius ſucceſſit quanto ipſum imperium a ſancta devotione proceſſit. Quam devotionem opto & oro ut omnipotens Deus ſic in vobis conſervet & nutriat ut mentem veſtram in terris ſuo dulciſſimo affectu & in cælis ſuo beato aſpectu reficiat. Exiguum & vile munus quod vobis mittit noſtra pauper parvitas rogo ne deſpiciat veſtra dives nobilitas. Si enim non eſt auro gemmiſque cruſtatum, eſt certe totum caritativa fidelitate factum & fideli caritate donatum. Poſt flores pſalmorum additæ ſunt orationes ſeptem; quarum prima non tantum oratio quantum meditatio dicenda eſt, qua ſe peccatoris anima breviter diſcutiat, diſcutiendo deſpiciat, deſpiciendo humiliet, humiliando terrore ultimi judicii concutiat, concuſſa in gemitus & lacrymas erumpat. In orationibus vero ſancti Stephani & ſanctæ Mariæ Magdalenæ quædam ſunt quæ ſi inti-

intimo corde dicantur cum vacat, plus tendunt ad accendendum amorem. In omnibus vero ſeptem hortor vos ego ſervus & amicus animæ veſtræ ut attendere dignemini, etiamſi vos id melius ſaciatis, qua humilitate & quo affectu timoris & amoris offerendum ſit ſacrificium orationis. Valete & nunc & in æternum in Deo, valete, & libellum miſſum arram noſtræ fidelitatis ſecundum Deum & noſtrarum orationum, qualeſcumque ſint, habete. In fine epiſtolae profero quod per totam epiſtolam perſuadere deſidero. Omne quod amitti neceſſe eſt, etiam cum habetis ſublimi mente contemnite; ad id ſolum quod aeternum beate haberi poteſt, quamdiu non habetis humili mente contendite. Quod perſuadere volo, ut ſpiritus ſanctus perſuadeat oro, in quo tertio valete.

III.

DOmino & patri, catholicis reverenter amando & amanter reverendo Archiepiſcopo Lanfranco, frater Anſelmus ſuus quod ſuus. Quoniam ſcienti aut tacendum aut breviter eſt dicendum, cum tacere nolim ne non loquar quod & cui libenter loquor, breviter qualiter noſter animus in paternae veſtrae ſublimitatis fidelitate converſetur intimo. Sicut igitur cotidie deſidero ut affectus amoris veſtri cordi meo ſemper augeatur, ita nulla noſtra ab invicem abſentia efficere valet ut aliquo modo minuatur. De moralibus Job mandaſtis. Sed domnus Abbas Cadumenſis Vvillelmus & domnus Hernoſtus fideles veſtri invenerunt ſcriptorem, qui jam habens noſtrum librum, veſtrum, ut puto, incepit. Vt libros beatorum Ambroſii & Hieronymi habeam, ad hoc quod juſſiſtis, laboravi & laboro. Sed eos nondum habere potui. Quam vero citius potero, quod vos inde velle ſcio perficiam. Girardum veſtrum de Flandria per veſtrae pietatis largitatem Deo de mundo noſtra ſuggeſtione redemptum, unde me, ſi veſter non eſſem, confiterer ſervum vobis emptum, die a vobis conſtituta ſciat ſanctitas veſtra ſine gravi jactura eſſe non potuiſſe abſolutum a creditoribus ſuis. Venit tamen prima dominica quadrageſimae, veſtram in ſe magnifice miſericordiam praedicans, & qualiter noſtrae non tam petitioni quam levi voluntatis ſignificationi in ejus cauſa dignatio veſtra favit & ſemper ſe velle favere intimavit. Qui dixit ſe velle & quantum attinet ad hoc quod habet poſſe ſic reddere quod debet ut aliquid quod ſecum offerret haberet, ſed pro quibuſdam impedimentis non potuiſſe ſecundum condictum ut oporteret. Rediit igitur, promittens ſe in paſcha Beccum, Deo annuente, venturum & manſurum, ſi non quomodo volet, vel ſic quomodo poterit. Si quid igitur peccavit quia promiſſionem vobis factam ad plenum non eſt executus, quoniam non id admiſiſſe malitia videtur, peto ſecurus, ut ſoleo de veſtra benignitate, quatinus filio veſtro vice patris liceat eum hoc reatu abſolvere cum nobiſcum incipiet vivere. In qua re hanc certam praeſumam conceſſionem, ſi nullam legero prohibitionem.

IV.

DOmino & fratri Henrico frater Anſelmus ſalutem. Cum Romam tendentes tranſiſtis prope nos, mirantes doluimus quia non potius per nos, donec audivimus hoc vobis prohibitum eſſe in eundo, ſed conceſſum in redeundo. Expectavimus igitur domnus Abbas & ego & alii fratres & dilectores veſtri adventum veſtrum, ſpe falſa gaudentes, donec didicimus vos in Anglicam terram pertranſiſſe, deſperatione vera dolentes. Quod quamquam ego non ſine aliqua rationabili cauſa factum eſſe, ſi bene veſtram novi dilectionem, non credam: tamen ne qua, quod abſit, vel contemptus vel modici amoris erga monaſterium & fratres veſtros de vobis maneat ſuſpicio, mandate mihi quid aliis reſpondeam cur veſtra nos in eundo & redeundo non viſitatos praeterierit dilectio. Sicut enim deſidero vos nihil operari quod vobis non expediat, ita nolo quemquam de vobis aliquid opinari niſi quod vos deceat. Innoteſcat etiam amico veſtro ſi quid de re pro qua animum veſtrum & aliorum verbis & a veſtris litteris valde ſollicitum ut parentes inviſeretis agnovi effeciſtis, quatinus ſciam utrum vobis debeam compati vel congaudere.

V.

DOmino & patri reverendo Epiſcopo G. frater Anſelmus dictus Abbas Becci temporalem proſperitatem & aeternam felicitatem. Gratias agimus veſtrae ſanctitati, quae noſtras & fratrum noſtrorum orationes poſtulando, ſuas nobis eſt dignata per dilectum fratrem noſtrum domnum Riculfum concedere & ſuae benivolentiae auxilia, ubicunque opportunitas exhibebit, promittere. Ad quod quanto minus quod digne recompenſare poſſimus habemus, tanto magis quicquid poſſumus ad veſtrae celſitudinis ſervitium & opere & voluntate impendere debemus, & Deum, propter quem nobis promittitis, orare ut ipſe vobis ſecundum ſuam copioſam largitatem retribuat quod nos propter noſtram parvitatem non valemus. De filio veſtro fratre noſtro domno Ricoardo, quamvis honeſtius nobis eſſet & mallemus prius ſervire quam aliquid petere, veſtram tamen, quia ita res exigit, rogamus benignitatem quatinus illi propter noſtrum amorem concedatis ſi quid de ſe aut de praebenda ſua petierit quod veſtram non dedeceat honeſtatem.

VI.

DIlecto & patri reverendo Abbati Mainerio frater Anſelmus ſalutem. Scitote quia quo iterum me vobis mandaveram non ibo ante octavas epiphaniae Domini. Deinde neſcio quando ibo aut ſi ibo. Interim ſi vobis placeret ut domnus Serlo ad nos, cum vobis opportunum eſſet, quantum juberetis moraturus veniret, mihi quidem placeret, & puto quia illi non diſpliceret. Precor ſanctitatem veſtram ut ſi vobis moleſtum non eſt, per vos notum fiat dominis & amicis noſtris de Sagienſi monaſterio quod de noſtro mando itinere. Scio enim eos ſicut vos ſollicite orare pro me & ejuſdem itineris proſperitatem. Nec pœniteat caritatem veſtram oraſſe pro itinere noſtro, quia modo non eo. Potens eſt enim Deus ſervare mihi orationes veſtras in opportunam diem. Valete.

VII.

SVo cariſſimo Domino Henrico gratia Dei Regi Anglorum Anſelmus Archiepiſcopus Cantuariae fidele ſervitium & fideles orationes. Audivi quia vos Vvillelmum electum Epiſcopum Vventonienſem præcipitis exire de epiſcopatu & de Anglia, quia non ſuſcepit conſecrationem quam illi voluit facere Archiepiſcopus Eboracenſis & alii Epiſcopi. Vnde precor & conſulo, ſicut fidelis Archiepiſcopus Domino & Regi ſuo, ne credatis conſilio illorum qui hoc vobis conſulunt, quia meo ſenſu non intelligo hoc eſſe ad veſtrum honorem. Nam ſatis eſt notum quia ad me pertinet ejus conſecratio, nec alius eam debet facere niſi per me. Quod paratus ſum, ſi neceſſe fuerit, rationabiliter oſtendere, ſicut talis res oſtendi debet. Quapropter ſi illum expellitis de terra veſtra ut mihi non liceat eandem conſecrationem canonice facere, videtur mihi quia diſſaiſitis me de officio meo ſine judicio cur hoc facere debeatis. Precor itaque ut illum in pace in epiſcopatu manere permittatis, ſaltem uſque ad terminum noſtri reſpectus, ut interim mihi liceat illi facere conſecrationem quam debeo.

Ave-

Aveſgoti monachi Cenomanenſis epiſtola ad ſanctum Anſelmum.

AVeſgotus cœnobii ſancti Petri Culturae monachus Auſelmo ſalutem. Hactenus amici atque familiares ſolummodo fuimus locutione; ſed minime experti ſumus nos ſi neceſſe eſſet operatione. Ego jamdudum opto ut quid jubeas mihi; tanquam videres quantum de me confidere potes. Crede mihi, aut per me aut per meos parentes juſſioni tuae obedirem libenter. Verum cum iſtud facere negligis, a te hoc donum primus exigo. Habeo quendam meum nepotem jam juvenem, quem ſuper omnia curo; & ſi ferre valeres, deſidero eum manere tecum, tuo ut grammate erudiatur. Ad alios doctores ipſum mittere poſſum. Sed majorem fiduciam in te haberem quam in aliquo vivente. Valde ſecurus ex eo fierem, ſi moraretur in loco in quo es. Cur fama Lanfranci atque Guimundi volat per orbem plus tua? Cur tamdiu lucernam recondis ſub modio? Quid non recordaris poëtae dicentis. *Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat alter.* Ex te haud dubito quin annuas voluntati meae. Verum deprecor te multum ut mihi dicas quod ſervitium Abbati tuo congregationique ſubjectæ ſibi offeram, ut hoc quod retuli permittant fieri ſaltem tres menſes aut quatuor, ſi plus eis non libuerit. Igitur ſi verba mea, ut cupio, a vobis fuerint ſuſcepta, manda mihi terminum quo te poſſim invenire; atque, ſi incolumis fuero, illuc abibo. Vale cariſſime.

Reſponſoria Anſelmi extat lib. 1. epiſt. 16.

Epiſtola Iohannis ad Anſelmum.

Vide lib. 2. ep. 41. SUo domino & patri Anſelmo frater Johannes ſuus ſervus, quod domino ſervus, quod patri filius. Scimus certe, venerande pater, & vere ſcimus perſpicacitatem veſtram etiam in illis ſcripturarum nodis ſolvendo proficere in quibus plerique alii deficiunt. Quid igitur fides & ſimplex prudentia & prudens ſimplicitas veſtra de tribus deitatis perſonis ſentiat, ad communem utilitatem catholicorum diligentiam veſtram mihi & quibuſdam aliis ſcribere non pigeat. Hanc enim inde quaeſtionem Rocelinus de Compendio movet. Si tres perſonae ſunt una tantum res, & non ſunt tres res per ſe, ſicut tres anguli, aut tres animae, ita tamen ut voluntate & potentia omnino ſint idem, ergo pater & ſpiritus ſanctus cum filio incarnatus eſt. Dicit enim hanc ſententiae dominum Lanfrancum Archiepiſcopum conceſſiſſe, & vos concedere ſe diſputante. Sed de tribus angulis & de tribus animabus trinitatis & identitatis ſimilitudini illi illa ſancti Auguſtini trinitatis & unitatis ſimilitudo de ſole, qui una & eadem res eſt, & calorem & ſplendorem inſeparabiliter in ſe habet, omnino reſiſtit. A Deo, de quo agitur, trino & uno integritas veſtra incolumis conſervetur in praeſenti & in futuro. Amen.

URBANI PAPÆ II.

EPISTOLÆ XVI.

Litteræ ad Hugonem Abbatem Cluniacenſem de electione ſua.

Ex L. VI. Miſc. Baluz. pag. 371. URbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Hugoni reverendiſſimo Abbati Cluniacenſi omnique ejus ſancto conventui ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Quoniam ſanctitatem veſtram ſatis avidam exaltationis Romanae Eccleſiae novimus, ea quae circa nos acta ſunt compendio vobis notificare curavimus. Notum itaque facimus dilectioni veſtrae quod apud Terracinam Campaniae civitatem ſanctae Romanae Eccleſiae Epiſcopi & Cardinales, Portuenſis videlicet, Sabinenſis, Tuſculanus, Albanenſis, & Signenſis cum aliis Epiſcopis numero XVI. & Abbatibus quatuor aliiſque quamplurimis viris religioſis convenientes, cum Portuenſis Epiſcopus omnium Romanorum clericorum catholicae parti faventium ſe legatum diceret, Abbas vero Caſſinenſis Cardinalis Diaconus caeterorum Diaconorum, P. quoque Cardinalis tituli ſancti Clementis omnium Cardinalium, Praefectus autem urbis laicorum omnium ſe ferre aſſereret legationem, cumque poſt triduanum jejunium ſupplicationibus multis magniſque ad Deum precibus vehementer inſiſterent, quod ego quidem omnino dignus non fui, tandem me ſibi quarto Idus Martii in Pontificem elegerunt. Quibus, Deum teſtor, non ambitionis cauſa nec alicujus dignitatis deſiderio aſſenſum praebui, ſed quia tot tantiſque viris inobediens eſſe verebar; talique quali tempore ſi quantum ad me periclitanti Eccleſiae non ſubvenirem, Deum me offendere metuebam; praeſertim cum praedeceſſores meos viros omni veneratione dignos, Gregorium ſcilicet atque Victorem, hoc ſibi divine praecepiſſe aſſerunt. Rogo igitur, deſiderantiſſime, nimiumque te deprecor ut ſi qua tibi ſunt pietatis viſcera, ſi qua filii & alumni tui eſt tibi memoria, me multum id cupientem tua praeſentia conſolari ſanctamque matrem tuam Romanam Eccleſiam, ſi unquam poſſibile fuerit, tuo multum nobis optabili adventu viſitare digneris. At vero ſi id fieri nequit, ut tales de filiis tuis confratribus meis te ad nos mandare non pigeat, in quibus te videam, te ſuſcipiam, tuae conſolationis in immenſis perturbationibus poſitus verba cognoſcam, qui tuam caritatem, tuæque dilectionis affectum mihi repraeſentent, qui qualiter & tu omniumque fratrum noſtrorum ſe habeat congregatio mihi denuntient. Precor autem ut omnem ſanctorum fratrum congregationem commonere facias ut apud omnipotentis Dei clementiam preces effundant quatenus & nos & Eccleſiam ſuam ſanctam, quae tantis videtur ſubjacere periculis, in priſtinum reſtaurare ſtatum dignetur. Noveris enim. . . . . ſpecialius hoc negotium ſuper te pendere. Vale. Datum III. Idus Martii apud Terracinam.

Privilegium Domni Rainoldi Remorum Archiepiſcopi.

URbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Rainoldo cariſſimo fratri Remorum Archiepiſcopo ejuſque ſucceſſoribus legitimis in perpetuum. An 1089.
Poteſtatem ligandi atque ſolvendi in caelis & in terra beato Petro ejuſque ſucceſſoribus auctore Deo principaliter traditam illis Eccleſia verbis agnoſcit quibus Petrum eſt Dominus allocutus: *Quæcunque ligaveris ſuper terram erunt ligata & in cælis, & quæcunque ſolveris ſuper terram erunt ſoluta & in cælis.* Ipſi quoque & propriae firmitas & alienae fidei confirmatio eodem Deo auctore praeſtatur cum ad eum dicitur: *Rogavi pro te ut non deficiat fides tua, Petre. Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Oportet ergo nos, qui, licet indigni, Petri reſidemus in loco, prava corrigere, recta firmare, & in omni Eccleſia ad interni arbitrium judicis ſic diſponenda diſponere ut de vultu ejus judicium noſtrum prodeat & oculi noſtri videant aequitatem. Fraternitatis igitur tuae juſtis petitionibus annuentes ex antiquo Remenſis Eccleſiae uſu apoſtolicae ſedis auctoritate ac benevolentia conceſſum tibi pallium hujus decreti noſtri pagina confirmamus, Primatemque totius ſecundae Belgicae provinciae ſecundum anteceſſorum tuorum dignitatem eſſe cenſemus. Statuimus etiam ut nulli niſi ſolummodo Romano Pontifici ſubjectionem & obedientiam debeas, omniſque cauſae tuae judicium ſolius Romani Pontificis diffinia-

tur

Digitized by Google

tur arbitrio. Primam praeterea praecipuamque tibi tuiſque ſucceſſoribus poteſtatem concedimus Francorum Reges conſecrandi; ut ſicut beatus Remigius ad fidem Clodoveo converſo primum illi regno Regem Chriſtianum inſtituiſſe cognoſcitur, ita tu quoque tuique ſucceſſores, qui ejuſdem ſancti Remigii vice in Remenſi Eccleſia Domino diſponente fungimini, ungendi Regis & ordinandi ſive Reginae prima poteſtate fungamini. Statuimus etiam praeſentis noſtrae paginae auctoritate firmantes ut ſicut primum diadematis inſigne per veſtrae manus impoſitionem Francorum Reges ſuſcipiunt, ita quoque in ſolemnibus proceſſionibus quibus eoſdem Reges fuerit coronari, te praeſente vel tuorum catholicorum quomodolibet ſucceſſorum a nullo alio Archiepiſcopo vel Epiſcopo coronetur. Veſtram ergo dilectionem apoſtolicae ſedis gratiae vicem debita ſubjectione rependere ejuſque decreta inviolabiliter obſervare, ut a ſubjectis tibi Franciae populis ut obſerventur pro viribus exigere. Nos ſiquidem antiquam omnem veſtrae Eccleſiae dignitatem ſervare ſpeciali devotionis intuitu cupientes, totum honoris, totum dignitatis & excellentiae tibi tuiſque legitimis ſucceſſoribus manere decernimus quicquid beato Remigio praedeceſſor noſter Ormiſda legitur contuliſſe. Itaque dilectionis tuae reverentia, frater cariſſime Rainolde, ſecundum anteceſſorum tuorum conſuetudines pallio uti noverit ad Miſſarum ſolummodo celebrationes diebus tantum determinatis, videlicet dominicae nativitatis, circumciſionis & epiphaniae, ſabbato ſancto, reſurrectione, & ſecunda feria, aſcenſione, Pentecoſte, in ſolemnitatibus ſanctae Dei genitricis & virginis Mariae, natalitiis quoque Joannis Baptiſtae atque omnium Apoſtolorum, & feſtis ſanctorum Nicaſii, Remigii, Martini, in commemoratione etiam omnium ſanctorum, in conſecratione chriſmatis, Eccleſiarum, & tam Epiſcoporum quam aliorum clericorum, in benedictione Regis ac Reginae, in anniverſario tuae conſecrationis & Eccleſiarum ſanctae Mariae ſanctique Remigii dedicationis die. Cujus indumenti honor quoniam modeſta actuum vivacitate ſervandus eſt, hortamur ut ei morum tuorum ornamenta conveniant, quatenus auctore Deo recte utrobique poſſis eſſe conſpicuus. Quamobrem, cariſſime frater, quem paſtoralis curae conſtringit officium, dilige fratres, ipſi quoque adverſarii propter mandatum dominicum tuo circa te copulentur affectu, pacem ſequere cum omnibus, ſanctimoniae, ſine qua nemo videbit Deum, piis vaces operibus, virtutibus polleas, fulgeat in pectore tuo rationale judicii cum ſuperhumeralis actione conjunctum. Ita procedas in conſpectum Dei & totius Iſrael hujuſmodi gregi commiſſo praebeas exempla, ut videant opera tua bona & glorificent patrem noſtrum qui in caelis eſt. Sit in lingua ſermo, ſit zeli fervor in animo, creditum tibi agrum dominicum exerce dum licet, ſemina in timore dum tempus eſt bonum faciendo, ne deficias tempore ſuo metes indeficiendo. Vigilanter itaque terrena negotia relinquendo caeleſtibus anhela; quae retro ſunt obliviſcens, in ea quae ante ſunt temetipſum enixius extende. Mens tua in ſeculari vanitate non diffluat, in unum currat atque confluat finem, quem mira ſuavitate David reſpexerat cum dicebat: *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae.* Sancta trinitas fraternitatem tuam gratiae ſuae protectione circumdet & ad finem qui non finitur pervenire concedat. Datum Romae per manus Johannis ſanctae Romanae Eccleſiae Diaconi Cardinalis anno dominicae incarnationis MLXXXVIIII. Indictione XIII. VIII. Kal. Januarii, anno pontificatus Domni Urbani II. Papae ſecundo.

De confirmatione electionis Manaſſis Epiſcopi Cameracenſis.

An. 1095. URbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei univerſis in clero & populo Cameracenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. In Concilio apud Claromontem Arverniae celebrato, cum pro electione dilecti filii noſtri Manaſſes & item Gualcherii a vobis facta quaeſtio habita & diligenti fuiſſet inveſtigatione tractata, patuit Manaſſem quidem a vobis canonice electum, Gualcherium vero contra ſanctorum canonum auctoritatem in veſtram ſe Eccleſiam intruſiſſe. Totius igitur Concilii judicio placuit Gualcherium quidem, tanquam invaſorem, a veſtra Eccleſia propellendum, Manaſſem vero electioni ſuae & Eccleſiae veſtrae reſtituendum. Gualcherius itaque ſuae conſcientiae male fidens, & juſtitiae ſententiam audire pertimeſcens, Concilio ſe ſubtraxit. Tertio igitur evocatum, cum omnino ſubterfugiſſet, nos ejus fugam pro confeſſione habentes, ſecundum univerſalem Concilii ſententiam ex ſanctorum canonum auctoritate prolatam ab omni epiſcopali ordine depoſuimus, & Manaſſem electioni ſuae & veſtrae Eccleſiae reſtituimus, collaudantibus & corroborantibus tam Metropolitano veſtro Remenſi antiſtite quam & univerſis ejuſdem metropolis ſuffraganeis. Nunc vos litteris praeſentibus commonemus & apoſtolica auctoritate praecipimus ne Gualcherium ulterius recipere praeſumatis, Manaſſe autem tanquam veſtro vere catholico Epiſcopo obedientiam plenius impendatis. Neque vos lateat Gualcherium anathemati eſſe ſubjectum, ſi ſe ulterius de Eccleſiae veſtrae praelatione profana praeſumptione intromittere tentaverit. Si quis igitur deinceps his decretorum noſtrorum praeceptis contraire praeſumpſerit, omnipotentis Dei & Apoſtolorum ejus indignationem inveniet, & ultionis apoſtolicae gladio ferietur. Omnes autem qui Gualcherio fidelitatem juraverunt ab ejuſdem ſacramenti vinculo apoſtolica auctoritate abſolvimus. Data apud Arverniam II. Kal. Decembris.

Bulla confirmationis privilegiorum monaſterii Celſinacenſis.

URbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Celſinacenſis coenobii monachis ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Ad hoc nos disponente Domino in apoſtolicae ſedis ſervitium promotos agnoſcimus ut ejus filiis auxilium implorantibus efficaciter ſubvenire & ei obedientes tueri ac protegere prout Dominus dederit debeamus. Unde oportet & nos venerabilibus locis manum protectionis extendere & ſervorum Dei quieti attentius providere. Igitur tam pro veſtra ſpeciali religione quam pro venerabilis fratris noſtri Hugonis Cluniacenſis Abbatis dilectione, ad cujus curam ex Cluniacenſis coenobii jure locus veſter pertinet, veſtris, filii in Chriſto cariſſimi, precibus annuentes, monaſterium veſtrum praeſentis decreti auctoritate munimus. Statuimus enim ut quaecunque hodie veſtrum coenobium juſte poſſidet ſive in futurum conceſſione Pontificum, liberalitate Principum, vel oblatione fidelium juſte atque canonice poterit adipiſci, firma vobis veſtriſque ſucceſſoribus ſemper & illibata permaneant, in quibus haec propriis nominibus duximus exprimenda, in ipſo videlicet burgo qui monaſterio adjacet ſanctae Mariae & ſancti Martini, in pago Ucionenſi Eccleſiam ſancti Remigii de Carniaco, ſancti Jacobi de Varennis, ſancti Quintini, ſancti Stephani, ſancti Juliani de Valeriis, ſanctae Mariae de Masliaco, ſancti Germani Brennacum, Eccleſiam novam in Luridenſi pago, coenobium Calcidi montis, ſanctae Mariae de Beverias, Eccleſiam de Monterevello, de Viverolo, de Baſia, de Grandirivo, de Zalmantanias, de Ambert, de Marcac, de Teulerias, Eccleſiam ſanctae Mariae de Monte, ſancti Ferreoli, ſancti Eligii, in Privatenſi pago Eccleſiam ſanctae Florinae, ſancti Gervaſii, Eccleſiam de Abulnac, de Burnunculo, de Leuton, de Lendan, de Clais, de Veſcon, de Girmac, in pago Talendenſi Eccleſiam ſancti Hilarii, ſancti Martialis, Eccleſiam de Chidrac, de Monte acuto, de Plauzac, de Otac, de Soletis, An. 1095.

ca-

Digitized by Google

capellam de Monte, in pago Todornenſi Eccleſiam ſancti Lupi, ſancti Juliani & ſanctae Mariae apud Cauriacum, Eccleſiam de Mateſe cum Eccleſiis ad ipſum locum pertinentibus, in pago Taluenſi Eccleſiam ſanctorum martyrum Cyrici & Julitae, ſancti Pardulfi, ſancti Donati, ſancti Victoris, Eccleſiam de Cingulis, cum univerſis poſſeſſionibus & appendiciis eorum. Praeterea decernimus ut nulli omnino liceat eandem Eccleſiam temere perturbare aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, ſed omnia integra conſerventur eorum pro quorum ſuſtentatione & gubernatione conceſſa ſunt uſibus omnimodis profutura; ſalva tamen in omnibus debita Abbatum Cluniacenſium reverentia. Nulli etiam facultas ſit adjacentem monaſterio burgum invadere, depraedari, vel noxias aliquas conſuetudines exactionis imponere. Porro ſepulturam ejuſdem loci omnino liberam eſſe decernimus, ut eorum qui illic ſepeliri deliberaverint devotioni & extremae voluntati, niſi forte excommunicati ſint, nullus obſiſtat. Et quia largiente Domino monaſterii veſtri Eccleſia noſtris manibus eſt conſecrata, hoc quoque praeſenti capitulo ſubjungimus, ut pro beati Petri & noſtrae conſecrationis reverentia nullus deinceps audeat in idem monaſterium excommunicationis aut interdictionis proferre ſententiam, quatinus ab omni ſervitii ſingularis infeſtatione ſecuri omnique gravamine mundanae oppreſſionis remoti in ſanctae religionis obſervatione ſeduli atque quieti omnipotenti Domino placere totius mentis & animae virtutibus anheletis. Si qua ſane eccleſiaſtica ſecularisve perſona hanc noſtrae conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere venire tentaverit, ſecundo tertiove commonita ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo corpore & ſanguine Dei & Domini redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictae ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco juſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatinus & hic fructum bonae actionis percipiant & apud diſtrictum judicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen, amen, amen. Datum apud oppidum ſancti Flori per manum Johannis ſanctae Romanae Eccleſiae Diaconi Cardinalis, indictione III. VII. Idus Decembris anno dominicae incarnationis MXCV. pontificatus autem Domini Urbani ſecundi Papae VIII.

Adverſus Canonicos Biliomenſes.

An. 1095. URbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Durano cariſſimo fratri Arvernorum Epiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Adverſus fraternitatem tuam pro Biliomenſibus Canonicis, qui tuae ditionis habentur, non exigua querela pervenit. Hi nimirum beati Lupi cœnobium quod ſub Cluniacenſis cœnobii jure multis jam ultra noſtram memoriam temporibus eſt retentum, invaſione horrenda & catholicis auribus non ferenda contra omne jus & fas uſurpantes, altare ipſius cœnobii diruerunt, reliquias in eo latentes diripuerunt, quodque dictu & auditu nefas eſt, ipſum quod ſuper altare ad infirmorum uſus repoſitum fuerat corpus dominicum ipſis ſupercaeleſtibus virtutibus reverendum humo diſpergere minime timuerunt, & caetera ornamenta omnemque monaſterii ſupellectilem in uſus proprios apportaverunt. Haec quam gravia, quam horrenda, quam catholicis auribus importabilia videantur fraternitatis tuae non credimus latere prudentiam. Quod igitur multa haec pati ſollicitudo tua potuerit non minimum, ſi tamen ita ſe rei veritas habeat, admiramur. Praeſentibus ergo litteris officii tui debitum admonemus ut praedictum locum & ex eo direpta utenſilia univerſa Celſinianenſibus reſtitui facias. Quibus reinveſtitis, ſi quam in loco illo juſtitiam ſe habuiſſe Biliomenſes Canonici confitentur, tempore congruo cum Celſinianenſibus monachis noſtro ſe conſpectui repræſentent. Si autem noſtræ huic juſſioni Biliomenſes Canonici obedire contempſerint, divinum eis officium interdicito quoadusque reſipiſcentes Celſinianenſi Præpoſito & fratribus quæ diripuere reſtituant. Quod ſi epiſcopalis auctoritatis judicium exercere neglexeris, noſtra ſe a divinis officiis auctoritate ita ſe noverint interdictos, ut nec ipſi uſpiam nec alii in eorum Eccleſia id exhibere præſumant quoadusque hæc a nobis præcepta perficiant.

Confirmatio electionis Gerewini Epiſcopi Ambianenſis.

URbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei clero *An.* 1095.
& populo Ambianenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Reverentiſſimus frater noſter Gerewinus veſter Epiſcopus ad ſedem apoſtolicam veniens cauſam ſuam cum teſtimonio litterarum reverentiſſimi confratris noſtri Remorum Archiepiſcopi Rainoldi & legatorum ipſius nobis notificavit. Nos autem electionem ejus canonicam approbantes, & illum qui e tranſverſo ſe injecit reprobantes, ſimulque diu nobiſcum eum retinendo, & ſi qui contra eum venire vellent attendendo, poſtquam in duorum menſium ſpatium, quo nobiſcum degit, nemo contra eum quicquam attulit, ex condeſcenſione miſericordiæ rigorem juſtitiæ temperantes, in loco eum & officio ſuo confirmatum vobis remittimus. Propter quod fraternitatem veſtram auctoritate apoſtolica commonemus ut omnem ei obedientiam velut idoneo paſtori exhibeatis, omnem conſilio & auxilio ad retinendum & regendum epiſcopatum ſollicitudinem impendatis, ut cum ipſo tam de doctrina ſua quam de obedientia veſtra gaudere valeatis. Quod ſi poſt hanc commonitionem quiſquam ei de epiſcopatu contradicere præſumpſerit, eique ſicut Epiſcopo ſuo ſubdi recuſaverit, ſententiam qua ipſe pro inobedientia eum multaverit nos apoſtolica auctoritate confirmamus. Data XIII. Kal. Januarii.

URbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei clero *An.* 1095.
& populo Ambianenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Accuſationem ſimoniacæ pravitatis venerabili fratri noſtro Gerewino veſtro Epiſcopo coram Metropolitano & comprovincialibus Epiſcopis intentatam nos quidem vires nullas habere cenſuimus, quia ad unius, praeſertim infamis aut minus idonei, vocem condemnandum neminem arbitramur. Ideoque cum nullus ad nos adverſus eum canonice accuſationem attulerit, nos nullam ab eo expurgationem duximus exigendam. Ipſe tamen opinioni ſuae religionis in poſterum providens ultro ſe tactis ſacroſanctis evangeliis expurgavit quod pro abbatia ſancti Richarii aut pro Ambianenſi epiſcopatu pecuniam ipſe nec dedit nec promiſit nec pro ſe ipſo alius ſe ſciente. Quamobrem a præſentis accuſationis læſione liberum arbitrantes, ad vos cum noſtræ gratiæ plenitudine remandamus. Vobis itaque officii noſtri auctoritate praecipimus ut eum tamquam paſtorem proprium obedientia debita veremini & ejus monitis obſequamini, ut errata praeterita corrigentes, ad dominicorum praeceptorum obſervantiam convertamini. Clericos quos contra ſanctorum canonum diſciplinam mulieribus copulari contempto catholicae Eccleſiæ uſu accepimus apoſtolica auctoritate praecipimus ut ab hujuſmodi aliiſque quibus involvuntur flagitiis omnino deſiſtant & ſecundum antiſtitis ſui judicium divinæ ſe mancipent ſervituti. Si vero, quod abſit, noſtra praeceptione contempta veſtro antiſtiti ad ſalutis veſtrae jacturam pertinaciter reſiſtere ulterius praeſumpſeritis, quamcunque in vos ſententiam juſtitia dictante protulerit nos auctoritatis noſtræ pondere confirmamus. Data XV. Kal. Auguſti.

Digitized by Google

Bullæ pro monaſterio ſancti Ægidii, confirmatæ in Concilio Placentino.

An. 1095. URbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei univerſis per Gothicam provinciam fidelibus ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Notum omnibus vobis volumus quia dilectus filius noſter Raimundus Toloſanus Comes tam noſtris quam aliorum religioſorum virorum monitis excitatus & omnipotentis Dei timore compunctus partem immo rapinam quam ex parentum ſuorum invaſione in altari ſancti Ægidii & reliquis ipſius altaris Eccleſiae altaribus habere ſolitus erat Deo ac ſanctae Dei genitrici Mariae ſanctiſque Apoſtolorum principibus Petro ac Paulo & beato confeſſori Ægidio reddidit. Quæ redditio ſive dimiſſio in Toloſana Synodo facta eſt coram Legato noſtro Bernardo Toletano Archiepiſcopo & pluribus tam Epiſcopis quam Abbatibus. Item in feſtivitate ſancti Ægidii coram eodem Legato noſtro aliiſque quamplurimis Epiſcopis vel Abbatibus eandem redditionem cum uxore ſua Horvira & filio Bertranno ſuper altare beati Ægidii confirmavit, duobus illic nummis Ægidienſis monetae poſitis. Igitur nos ſecundum ipſius Comitis poſtulationem pro ſua & parentum ſuorum ſalute factum hoc auctoritate apoſtolica confirmamus & omnipotentis Dei miſericordiam deprecamur quatenus quod de rerum eccleſiaſticarum uſurpatione hactenus admiſerunt ſua eis propitiatione indulgeat & a ſuorum delictorum vinculis per ſanctorum Apoſtolorum & ſancti Ægidii merita & preces abſolvat. Porro tam ipſum quam ejus poſteros univerſos, ſi altarium oblationem ulterius invadere tentaverint, anathemati ſubjicimus & ab univerſo Eccleſiae conſortio ſegregamus. Quicunque etiam vel ab ipſo Comite vel ab aliquo quolibet de oblationibus illis feudum tenet, hujus decreti tenore cognito niſi omnino Eccleſiae reddiderit, eidem anathemati ſubjaceat. Ipſis etiam monachis ſub anathemate interdicimus ne ullo unquam tempore laicorum cuiquam in ipſis altarium oblationibus partem habere permittant. Alioquin & qui dederit & qui receperit anathemati quod propoſuimus ſubjacebit. Data per manum Johannis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconi Cardinalis Cremonae XII. Kalendas Martii, indictione III. anno ab incarnatione Domini MXCV. pontificatus vero Domini Urbani Papae ſeptimo.

Sequentia addita poſtea fuit. Relecta vero & confirmata in Concilio quod idem Papa Placentiae celebravit.

Ego Johannes Portuenſis Epiſcopus Cardinalis ſubſcripſi.

Ego Albertus Cardinalis ſubſcripſi.

Ego Richardus Presbyter Cardinalis ſanctae Romanae Eccleſiae & Maſſilienſis Abbas ſubſcripſi.

Ego Bonus Senior Presbyter Cardinalis ſubſcripſi.

Ego Teuzo Presbyter Cardinalis ſubſcripſi.

Ego Gregorius Diaconus Cardinalis ſubſcripſi.

Ego Daibertus Piſanus Archiepiſcopus ſubſcripſi.

Ego Rodulphus Turonenſis Archiepiſcopus ſubſcripſi.

Hugo Cardinalis Diaconus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſubſcripſi.

Herimannus Cardinalis.

Ego Philippus Lunenſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Auraſicenſis Epiſcopus Gilelmus ſubſcripſi.

Ego Rogerius ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconus ſubſcripſi.

Ego Johannes Portuenſis Cardinalis Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Willelmus Auſcienſis Archiepiſcopus cum meis ſuffraganeis, ſcilicet Dodo Bigorritano Epiſcopo, Sancio Laſcurrenſi Epiſcopo, Ottone Olorenſe Epiſcopo, Willelmo Conſorano Epiſcopo, ſubſcripſi.

Ego Imolenſis Epiſcopus Otto ſubſcripſi.

Ego Rodulfus Reginus Archiepiſcopus ſubſcripſi.

Petrus Venetus Patriarcha, Petrus Archiepiſcopus Medionalenſis, Gotafridus Epiſcopus Magalonenſis, Berengarius Epiſcopus Forojulienſis, Amatus Archiepiſcopus Burdegalenſis, Aldebertus Archiepiſcopus Bituricenſis, Petrus Archiepiſcopus Aquenſis, Fulco Belvacenſis Epiſcopus interfuerunt.

Tetbaldus Bercellenſis Abbas laudavit. Poncius Abbas Caſae Dei, Frotardus Abbas ſancti Ponoi.

Illi & omnes Archiepiſcopi, Epiſcopi & Abbates in Placentina Synodo reſidentes hanc dimiſſionis chartam praecepto Domini Papae laudaverunt & confirmaverunt, ac hujus dimiſſionis deinceps invaſorem vel ſubreptorem perpetuo anathemati ſubdiderunt, & monaſterium omne, ſi aliquando invaſio accideret, ab omni divino officio interdicendo ceſſare juſſerunt.

Litteræ Haymonis Epiſcopi Matiſconenſis in quibus continentur quædam epiſtolæ Urbani Papæ II. & aliorum ſummorum Pontificum de monaſterio ſancti Germani Autiſſiodorenſis.

HAymo permiſſione divina Matiſcenſis Eccleſiæ miniſter humilis univerſis praeſentes literas inſpecturis ſalutem in vero ſalutari. Noverit univerſitas veſtra nos diligenter inſpexiſſe ac perlegiſſe privilegia inferius annotata, in bulla, filo, pargameno, & litteras, & in qualibet ſui parte omni vitio penitus carentia, quorum tenorem verbo ad verbum præſenti paginae duximus inſerendum. Urbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Hugoni Cluniacenſi Abbati ſalutem & apoſtolicam benedictionem. In Nemanſenſi Concilio monaſterii ſancti Germani quod Altiſſiodori ſitum eſt. Abbas eandem abbatiam in manu noſtra refutavit, & ſaepe ab eo rogati locum ipſum ei reſtituere noluimus. Filius praeterea noſter Stephanus Comes cum uxore ſua nos deprecatus eſt ut idem monaſterium tibi committeremus. Hoc ipſum in Romana nuper ſynodo coram ejuſdem civitatis Epiſcopo & praedicti loci fratribus a nobis ſtatutum eſt. Fraternitati igitur tuæ litteris praeſentibus mandamus ut praefatam abbatiam in tua deinceps proviſione perpetuo diſponendam ſuſcipias & monaſticam ibi religionem ſecundum fratrum tuorum converſationem inſtituas, ita tamen ut locus idem proprio Abbate non careat. *An. 1096.*

Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. & caetera. Et infra. Caeterum omnipotentis Dei miſericordia beati Germani meritis locum illum reſpiciente venerabilis fratris noſtri Umbaldi Altiſſiodorenſis Epiſcopi poſtulatione praeſenti & nobilium virorum videlicet Stephani Bleſenſis Comitis & Adelae uxoris ejus, & Guillelmi Comitis Nivernenſis allegatione ſupplici praedeceſſori noſtro ſanctae memoriae Urbano ſecundo ſubjectum eſt ut idem monaſterium reverentiſſimi fratris noſtri Hugonis Cluniacenſis Abbatis ſollicitudini committeretur in diſciplina regularis ordinis reducendum. Sic nimirum & principalium precum votis & praecepti pontificalis auctoritate compulſus loci curam ſuſcepit, teque, fili cariſſime Hugo, in Cluniacenſi clauſtro probabiliter eruditum illic Abbatem conſtituit, & diſciplinae regularis ordinem Domino largiente reſtituit. Et nos ergo noſtri praedeceſſoris inſtitutionem legitimam præſentis decreti pagina per Dei gratiam confirmamus, ut videlicet praedictum beati Germani monaſterium in præfati Hugonis Abbatis Cluniacenſis & ſucceſſorum ejus ordinatione perpetuo permaneat. & caetera.

Clemens Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Hugoni Abbati & conventui Cluniacenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Quanto ſpecialius coenobium veſtrum beati Petri juris exiſtit & ad noſtram proviſionem nullo mediante pertinet & tutelam, & vos & praedeceſſores veſtri in eo caeleſtis magiſterio ſubditi diſciplinae per infuſionem ſancti ſpiritus odorem honeſtatis & religionis in veſtro hactenus ordine obſervatæ latius expandiſtis, tanto ad conſervandum jura veſtra illæſa & juſtas devotionis ve-

ſtræ petitiones benignius admittendas tenemur exiſtere promptiores. Quia igitur, ſicut ex ſcriptis S. quondam Comitis Bleſenſis & A. uxoris ejus & felicis recordationis Urbani ſecundi & Paſchalis Romanorum Pontificum ſub ſigillis dilectorum filiorum noſtrorum B. ſancti Angeli & S. ſanctæ Mariæ in via lata Diaconorum Cardinalium ſedis apoſtolicae Legatorum ad præſentiam bonæ memoriæ Urbani tertii prædeceſſoris noſtri tranſmiſſis innotuit, monaſterium ſancti Germani Altiſſiodorenſis, in quo adeo per negligentiam proviſorum regularis obſerventia perierat diſciplinae & terrenae defecerant facultates quod ejus cuſtodia abjectis traderetur perſonis, ad preces praedicti Comitis monaſterii ejuſdem patroni & bonæ memoriæ Humbaldi tunc Altiſſiodorenſis Epiſcopi & aliorum plurium prædictus Urbanus ſecundus anteceſſor noſter beato Hugoni tunc monaſterii veſtri Abbati & ſucceſſoribus ipſius provida deliberatione conceſſit ſecundum beati Benedicti regulam reformandum & ſub ordine monaſterii Cluniacenſis futuris temporibus perpetuo poſſidendum, ſic tamen quod monaſterium ipſum Abbatis non debeat proviſione carere, quam conceſſionem & praedicti Comitis donationem praedictus Paſchalis & Urbanus tertius praedeceſſores noſtri poſtmodum confirmarunt, & nos eorum veſtigiis inhaerentes ad exemplar ipſorum eandem conceſſionem ratam eſſe decernimus & praeſentis ſcripti pagina confirmamus, ſtatuentes ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam noſtrae confirmationis infringere vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare praeſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Laterani IIII. Kal. Martii, pontificatus noſtri anno primo. Nos vero ad faciendum fidem ſuper privilegiis praemiſſis a nobis ſeriatim perlectis & abſque omni vituperatione cognitis & inſpectis ſigillum noſtrum ad petitionem venerabilis & religioſi viri Hugonis Abbatis Cluniacenſis huic praeſenti paginae duximus imprimendum. Anno Domini MCCXXX.

Bulla pro monaſterio ſancti Martialis Lemovicenſis.

An. 1097. URbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio Ademaro Abbati Lemovicenſis cœnobii quod in honore beati Martialis aedificatum eſt ejuſque ſucceſſoribus regulariter ſubſtituendis in perpetuum. Ad ſollicitudinem ac benignitatem apoſtolicae ſedis pertinet & religionem augere & religioſis locis ſive perſonis auxilium ſuae protectionis impendere. Quamobrem devotioni tuae, fili in Chriſto cariſſime Ademare Abbas, non minimum gratulamur quod in beati Martialis apud Lemovicas monaſterio per te potiſſimum, praecepto ſcilicet atque induſtria reverentiſſimi Hugonis Cluniacenſis Abbatis, religionis ſtatus largiente Domino inſtauratus eſt. Quam inſtaurationem per beati & apoſtolici confeſſoris Martialis merita augeri & provehi cupientes, per praeſentis decreti paginam ſtabilimus locum ipſum ſicut hodie eſt, & ſicut ab Epiſcopo atque Canonicis Lemovicenſis Eccleſiae noſcitur inſtitutum, ſemper ſub diſciplina, diſpoſitione, & cuſtodia Cluniacenſis Abbatis perſiſtere, & ut obeunte Abbate nullus ibi qualibet ſurreptionis aſtutia vel violentia praeponatur niſi quem praefatus Cluniacenſis Abbas illic vel ſucceſſores ejus ſecundum Dei timorem elegerint. Quia vero diſponente Domino & ſancti ejus confeſſoris dignatione factum eſt ut per nos ipſos ejus tumulum viſitare & loci ipſius Eccleſiam in honore ſancti ſalvatoris conſecrare meruerimus, nos pro ejuſdem confeſſoris apoſtolici devotione & reverentiſſimi confratris noſtri Hugonis Abbatis dilectione, pro tuae etiam religionis petitione, & monaſterium ipſum & quaecunque ipſius ſunt ſub tutela apoſtolicae ſedis perpetuo confovenda ſuſcipimus; in quibus haec propriis nominibus duximus exprimenda. In Lemovicenſi pago monaſterium ſanctae Valeriae, ſancti Valerici, ſanctae Mariae, quae vocatur Subterranea, capellam de Buxo, Eccleſias de Valera, videlicet ſancti Sulpitii, ſanctae Mariae, ſancti Martini, Eccleſiam ſancti Martialis de Rociaco, ſanctæ Mariæ de Claravalle, apud Palrac Eccleſias ſancti Martini & ſancti Dionyſii, item ſancti Dionyſii de Murs, ſanctæ Mariæ de Roera, ſancti Petri de Parazol, ſancti Silvani de Caſtel, ſancti Martialis de Ror, ſancti Martialis de Roſer, ſancti Petri de Vernol, ſancti Alpiniani de Tarne, ſancti Martialis de Manave, abbatiam ſancti Petri Voſienſis, monaſterium ſancti Pardulfi de Arnaco, capellas de Colret & de Monzac, Eccleſiam de Sinac, ſanctæ Mariæ Magdalenæ de Quadris, ſancti Martialis de Coſei, capellam ſancti Michaelis quae dicitur Anteana, & caſtellum veſtro monaſterio circumſitum cum univerſis pertinentiis ſuis, ſicut illud religioſus Imperator Hlodouvicus beato Martiali tradidiſſe cognoſcitur. In Santonenſi monaſterium ſancti Martialis apud caſtrum Coleſium, ſancti Petri de Monte Audro, ſancti Martini de Saliono, ſancti Salvatoris, quae dicitur Vita aeterna, ſancti Petri de Aneſio, Eccleſiam de Donz. In Arvernenſi Eccleſiam ſancti Martini de Vernojol. In Bituricenſi monaſterium ſancti Martialis apud Roſiacum, Eccleſiam ſancti Leodegarii de Malvera, ſancti Martialis de Duno. In Pictavenſi apud caſtrum Monmorde Eccleſiam ſancti Martini de Monzac, & juxta caſtellum novum beati Martialis Eccleſiam. In Rutenenſi Eccleſiam de Teuciac, ſanctae Marinae de Paneta, ſancti Martialis de Rivo petroſo. In Biterrenſi Eccleſias de Laurenc & de Paimolo. In Narbonenſi Eccleſiam ſancti Caſſiani. In Petrogoricenſi monaſterium ſancti Martialis apud Palnatum. In Engoliſmenſi Eccleſiam ſancti Martialis de Multene & de Cantrazac, & capellam in ſilva Biarga, & aliam in boſco Nigreto, & ſancti Hilarii in caſtello de Roca. In Burdegalenſi Eccleſias ſancti Petri de Torticrac & de Fornel & de Perraficta. In Dienſi Eccleſias ſanctae Mariae de Sernea & de Soant cum pertinentiis & appendiciis ſuis. Quaecunque praeterea in praeſenti veſtrum cœnobium juſte poſſidet, ſive in futurum juſtè atque canonice poterit adipiſci, firma vobis veſtriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat idem monaſterium temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, ſed omnia integra conſerventur eorum pro quorum ſuſtentatione & gubernatione conceſſa ſunt uſibus omnimodis profutura. Salva Lemovicenſis Epiſcopi canonica reverentia, ſiquidem catholicus fuerit & gratiam & communionem apoſtolicae ſedis habuerit. Alioquin quamdiu forte, quod abſit, Lemovicenſis Eccleſia paſtore caruerit, vobis veſtriſque ſucceſſoribus liceat ordinationum ſive conſecrationum quarumlibet gratis catholicum quem malueritis Epiſcopum adire & ab eo quae ſunt oportuna ſuſcipere. Item conſtituimus ut ſecundum antiquae conſuetudinis modum, abſente Epiſcopo, beati Martialis Abbas praecipue cum majoribus Canonicis Lemovicenſis Eccleſiae curam gerat, & epiſcopalis electio ex ejus potiſſimum arbitrio diſponatur. Praeſente quoque Epiſcopo, non ſine ejuſdem Abbatis conſilio graviora ipſius Eccleſiae negotia peragantur. Hoc quoque praeſenti capitulo ſubjungimus, ne pro communi parrochiae interdicto vel excommunicatione monaſterium veſtrum interdicto excommunicationive ſubdatur, ut tamen excommunicati illic vel interdicti nequaquam ad divina officia admittantur. Si qua ſane eccleſiaſtica ſaeculariſve perſona hanc noſtrae conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere venire temptaverit, ſecundo tertiove commonita ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei & Domini noſtri redemptoris Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictae ultioni

rioni ſubjaceat. Conctis autem eidem loco juſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonae actionis percipiant & apud diſtrictum judicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Datum Sanctonis per manum Johannis ſanctae Romanae Eccleſiae Diaconi Cardinalis II. Idus Aprilis, indictione IIII. anno dominicae incarnationis MXCVII. pontificatus autem Domni Urbani ſecundi Papae IX.

Bulla confirmationis privilegiorum monaſterii Moyſſiacenſis.

An. 1097. Urbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis fratribus & coëpiſcopis Iſarno Toloſano, Simoni Agennenſi, Geraldo Caturcenſi, Raymundo Lectorenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Fraternitatem veſtram non ignorare credimus quod Moyſſiacenſe monaſterium magnae quondam religionis & magnae famae magnaeque fuerit excellentiae. Poſtmodum vero cum illic habitantium negligentia religionis gloria decreviſſet, ſubſtantiarumque copia diminuta & pene ad nihilum redacta eſt. Gratias autem Deo, qui noſtris temporibus per Cluniacenſium Abbatum induſtriam religionem in eo loco abolitam reparare dignatus eſt. Oportet ergo & veſtram fraternitatem pro beatorum Petri & Pauli devotione, quorum nomini locus ipſe dicatus eſt, operam dare quatenus antiquarum poſſeſſionum ſubſtantias recipere & quas in praeſenti tenent retinere firmiter ad uſus ſervorum ibidem manentium mereantur. Proinde monaſteria vel abbatias quas nunc uſque tenuerunt vel tenent confirmamus Eccleſiae Moyſſiacenſi apoſtolica auctoritate, ut poſſideant & teneant ſub dominio Cluniacenſis Abbatis, ſcilicet in epiſcopatu Toloſano abbatiam Lezatenſem, in Agennenſi abbatiam ſancti Gervaſii Exienſis, in Elenenſi ſanctae Mariae Arulenſis, in Gerundenſi ſancti Petri Campirotundi. Sed in hac conſtituimus & mandamus ut non ibi amplius Abbas ordinetur, ſed a Moyſſiacenſi Abbate ibi Prior praeponatur. Prioratum etiam ſanctæ Mariae Toloſæ, ſancti Petri de Coquinis, & ſancti Genii Lectorenſis, & Durivollis & Villaenovae in Ruthenenſi pago, & conquetas cum appendiciis ſuis, & omnia quae nunc in praeſenti tenent, ut in aeternum poſſideant in pace volumus & mandamus; & hoc ex beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli auctoritate & noſtra adjicientes, ut in abbatiis ſupra enumeratis ſine Moyſſiacenſis Abbatis conſilio & voluntate Abbas nullatenus eligatur vel ab aliquo ordinetur. Quod ſi contigerit auſu temerario ab aliquo fieri, & electus & eligentes, ordinatus & ordinator excommunicentur & a ſuis ordinibus ex beati Petri auctoritate ſub anathematis interminatione deponantur. Conqueruntur etiam ipſi fratres Moyſſiacenſes plurimas ſui juris Eccleſias a laicis hominibus occupari, in Toloſano quidem epiſcopatu Eccleſiam ſancti Martini de * Melzago, ſancti Juliani, ſancti Ruſtici, Eccleſiam de Affinano, de Corduba, de Bilingis, de Monte Berterio, in Agennenſi Eccleſias ſancti Amancii de * Trangon, de Verbegaria, de Angairiago, in Caturcenſi Eccleſias ſancti Martini & ſancti Vincentii de Antejago, ſancti Petri de Biolo, ſancti Stephani de Liciaco, ſanctae Liberatae, ſancti Amancii, ſancti Martini, ſanctae Mariae, & ſancti Petri de Caſecs, ſancti Saturnini de Bos, ſancti Joannis de Pertica, Eccleſiam ſancti Saturnini quae conjuncta eſt Eccleſiae ſancti Petri, & Eccleſiam d'Antiago, ſancti Petri de Brugariis, ſanctae Mariae de Troilo & Eccleſiam de Cogornago, de Gratacumba, ſancti Lupi de Malauſa, Eccleſiam cum cura quae dicitur de Sals, Eccleſiam de Arouno, Eccleſiam ſancti Sulpicii, ſancti Mauricii, item in Lectorenſi epiſcopatu, in parrochia Lomaniac, Eccleſiam de Sarraciago, de Flamalingis, de Aliciano, de Oriols, Eccleſiam ſancti Martini, ſancti Quiriaci, ſancti Hilarii, ſancti Saturnini Mancionis villa. Veſtram igitur prudentiam litteris exhortamur atque praecipimus ut ſupradictarum Eccleſiarum occupatores pro veſtri officii debito commoneatis ut quae Dei ſervis vel ipſi vel ipſorum parentes perperam abſtulerunt reſtituere compellatis. Quod ſi veſtris noluerint commonitionibus obedire, noverint ſe beatorum Apoſtolorum indignationem ſicut eccleſiaſticarum rerum pervaſores in pervaſione ipſa contumaciter permanentes habere & excommunicatos eſſe. Data Toloſae Nonis Maii, indictione IV. anno dominicae incarnationis MXCVII. per manum Johannis ſanctae Romanae Eccleſiae Diaconi Cardinalis.

* al. Manſacho.

* al. Tairago.

Bullæ duæ pro Eccleſia ſancti Saturnini Toloſæ.

Urbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis in Chriſto filiis Canonicis in Eccleſia beati Saturnini regularem vitam profeſſis, & eorum ſucceſſoribus in eadem religione victuris in perpetuum. An. 1097. Sicut injuſta poſcentibus nullus eſt tribuendus effectus, ita legitima deſiderantium non eſt differenda petitio. Querela ſiquidem illa quae inter vos & fratrem noſtrum Iſarnum Toloſanum Epiſcopum de oblationum altaris & Eccleſiae parte quarta prolixis temporibus agebatur per omnipotentis Dei gratiam praeſentibus nobis * Synodique eſt judicio pertractata & legitimorum teſtium qui audierant & viderant jurejurando finita eſt. Patuit enim clericos quondam, qui apud beati Saturnini Eccleſiam ante veſtra tempora citra canonicam diſciplinam vixerant, oblationum altaris ſeu Eccleſiae & quartam & caeteras portiones integras tenuiſſe. Quod videlicet tunc temporis ita actum etiam ante teſtium probationem ipſemet Epiſcopus fatebatur. Quoniam ante Petrum Rogeri Toloſanum Epiſcopum, qui oblationes omnes cauſa aedificandae novae baſilicae recollegit in ſuis domibus viventes clerici libere beati Saturnini oblationibus fruebantur. Iniquum itaque viſum eſt ut quod ſaecularibus clericis anteriores Epiſcopi permiſerant vobis jam per Dei gratiam communiter & ſub regulari diſciplina viventibus auferretur. Unde etiam idem frater noſter Iſarnus in Praepoſiti & quorundam de veſtro collegio quartam partem illam quam tenebat in conſpectu noſtro & fratrum qui nobiſcum aderant refutavit, atque ut id noſtro privilegio firmaretur ſuppliciter exoravit. Secundum ipſius ergo & veſtram petitionem, & quartam illam & caeteras oblationum altaris vel Eccleſiae portiones in integrum veſtro veſtrorumque ſucceſſorum uſui per praeſentis decreti paginam apoſtolica auctoritate perpetuo confirmamus, & ne quis Epiſcopus eas deinceps exigere debeat interdicimus. Praeterea quoniam largiente Domino beati Saturnini Eccleſiam noſtris manibus conſecravimus, & ſtatuimus & ſancimus ne quis Epiſcopus aut Archiepiſcopus ſine noſtra vel Legati noſtri audientia interdictionis vel excommunicationis in locum audeat proferre ſententiam, nec alicui liceat eum qui illic hodie habetur ſtatum ordinis commutare; nec poſt poſſeſſionem Canonicorum cuiquam facultas ſit aut proprium habere aut ſine Praepoſiti vel congregationis licentia de clauſtro diſcedere. Quod ſi diſceſſerit, & commonitus redire contempſerit, Praepoſiti interſit, ſi opportunum viderit, eum ubilibet a ſuis officiis interdicere. Interdictum vero Epiſcoporum vel Abbatum ſine ipſius permiſſione nullus abſolvat. Obeunte ejuſdem loci Praepoſito, nullus ibi qualibet ſubreptionis aſtutia vel violentia praeponatur, niſi quem fratres regulares communi conſenſu vel fratrum pars conſilii ſanioris ſecundum Dei timorem providerint regulariter eligendum. Si qui ſane clerici cum Epiſcoporum ſuorum licentia converſionis gratia locum ipſum adierint, Praepoſito liberum ſit praeter omnem Epiſcopi Toloſani contradictionem ſuſcipere, ut nulla eis erga Praepoſitum ſuum inobedientiae cauſa & ſuperbiae relinquatur. Porro Praepoſiturae, Decaniae, Sacriſtiae, Capitiſcolae, & caetera Eccleſiae ve-

* Nimirum in Concilio Nemauſenſi.

veſtrae bona omnia vobis veſtriſque ſucceſſoribus confirmamus. Archidiaconatus etiam dignitatem & cemeterium, ſicut in Epiſcopi & Canonicorum ſancti Stephani chirographo continetur. Candelas quoque cereas, quas filius noſter Raimundus Toloſanus Comes in Eccleſiae dedicatione nobis praeſentibus abdicavit, ne quis ulterius exigere audeat interdicimus. Prohibemus etiam ne quis ejuſdem Eccleſiae clauſtrum violenter inſilire, aut infra id rapinam aut injuriam audeat irrogare. Ad haec Eccleſias beati Petri de Valeriis & de Artaxena, Abbatias quoque ſancti Avin, ſancti Cypriani, Eccleſias ſancti Petri de Slaniaco & de Maſcarano, quicquid praeterea eadem Eccleſia juſte poſſidet ſive in futurum juſte atque canonice poterit adipiſci, vobis veſtriſque ſucceſſoribus regulariter viventibus confirmamus. Si quis igitur in craſtinum Archiepiſcopus aut Epiſcopus, Imperator aut Rex, Princeps aut Dux, Comes, Vicecomes, Judex, aut eccleſiaſtica quaelibet ſaeculariſve perſona hujus decreti paginam ſciens, citra eam temere venire tentaverit, ſecundo tertiove commonitus, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reumque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei ac Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti alienus fiat, atque in extremo examine diſtinctae ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco juxta ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatinus & hic fructum bonae actionis percipiant, & apud diſtrictum Judicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen. Datum apud Montem Andaonis in Monaſterio ſancti Andreae per manum Johannis S. R. E. Diaconi Cardinalis XI. Kal. Auguſti, indictione IV. incarnationis dominicae anno MXCVII. pontificatus autem Domni Urbani II. Papae IX.

URbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Abbati ſancti Joannis de Pinna ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Clamor Canonicorum ſancti Saturnini de injuria quam a te patiuntur jam ad nos rediit, non longitudine itineris, non aſperitate remanſit laboris. Pampilonenſis Epiſcopus, vitae venerabilis vir ac religioſus, dedit eis in epiſcopatu ſuo quandam Eccleſiam, cui tu aufers maximam partem decimarum contra jus & contra voluntatem praedicti Epiſcopi & contra voluntatem & diffinitionem, ut ajunt, Abbatis Favel Poncii. Aſſerit enim Hugo de Conchis noſter clericus in Romana Eccleſia ſatis dilectus quod Abbas praenominatus, cauſa utriuſque audita, pacem inter te & Hugonem compoſuit, & quod partem illam decimarum unde lis erat inter vos Canonici beati Saturnini haberent judicavit ac laudavit. Hanc pacem retinendo decimas eorum rapiſti. Litteris Abbatis tui monentibus ut emendares non obediſti. Quapropter monemus te & per obedientiam praecipimus ut praedictas decimas Canonicis beati Saturnini deinceps non auferas, & eis judicio Pampilonenſis Epiſcopi de illis quas retinuiſti ſatisfacias. Quod ſi infra triginta dies poſtquam litteras has videris, non emendaveris, confratrem noſtrum Pampilonenſem Epiſcopum monemus ut vice noſtra ita te & monachos tuos conſtringat ne vinculum anathematis quod in privilegiis beati Saturnini firmatum eſt vos incurrere permittat, atque ne amplius querimonia ad aures noſtras redeat. Regem Sancium cariſſimum amicum noſtrum ex noſtra parte ſaluta, & Comitiſſam ſororem ejus.

Epiſtola ad Hugonem Archiepiſcopum Lugdunenſem.

An. 1099. URbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri & coëpiſcopo Hugoni apoſtolicae ſedis Legato ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Quod de Guapicenſi ſeu Dienſi coëpiſcopis prudentiam tuam egiſſe ſignificaſti nobis admodum gratum eſt, & ſi jam amplius actum eſſet, gratius haberemus, ut & Guapenſis ab incubantis porci faucibus erueretur, & Dienſis paſtore quem appetit frueretur. In Eccleſia Lemovicenſi nil poteſtatis confratri noſtro A. nos dediſſe cognoſcas, niſi quod cum ab ipſo pro eadem Eccleſia rogaremur, ut apud Comitem Lemovicem conſuleret pro ampliori familiaritate praecepimus. Electionem igitur ſive conſecrationem illic non jure factam nos quidem irritam habemus, ſed adhuc ſententiam pro non ſpernenda domni patris noſtri Cluniacenſis Abbatis poſtulatione diſtulimus. Suppliciter enim exoravit ne in fratrem illum impatienter ageremus. Nos autem in nullo legationis tuae jus operante Domino minuemus, & quae dictante juſtitia oris nequaquam per nos ſuo robore ceſſabunt. De Aurelianenſi quod ſtatuiſti & nos ſtatuimus, ſiquidem quae de eo tam apud nos quam apud te allegata ſunt vera eſſe conſtiterit. Quod autem de Senonenſibus clericis poſtulaſti libentius exequemur, ſi clerici ipſi pro electi ſui cauſa ad nos forte pervenerint. De Belvacenſi etiam quod egiſti nobis omnino non diſplicet, quia pro perſonis nullis ſanctos canones volumus aut impune praeſtante Domino patimur conculcari. Pro cauſa Cluniacenſis monaſterii ſtrenuitatem tuam ſollicitam volumus, ut cum a Domino Abbate requiſitus fueris, de Duce Burgundiae, de Aimone Borbonenſi, qui eos acriter moleſtant, congruentem juſtitiam exequaris. De ſtatu noſtro nobiſcum Deo gratias age, quia uſque ad urbem cum Com. M. pacifice venimus, urbem honeſtiſſime cum procedentium ſtipatione frequentiſſima introivimus. Urbem ipſam majori jam ex parte habemus. Synodum Laterani ſollemniter celebravimus. Cives nobis & regiones omnes ſacramentis aſtringimus. Gratias Deo, honeſte, tute, alacriter ſumus. Vos nobiſcum Deo gratias agite, & pro nobis ejus miſericordiam exorate, neque inter haec matri veſtrae Romanae Eccleſiae ſubvenire attentius neglegatis. 1099.

Bulla pro Fulcone Epiſcopo Belvacenſi.

URbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei cariſſimis fratribus R. Remenſi Archiepiſcopo ejuſque ſuffraganeis ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Fraternitati veſtrae notiſſimum credimus quemadmodum anno praeterito ad Apoſtolorum limina Fulco Belvacenſis Epiſcopus veniens ultro in manibus noſtris epiſcopatum ex integro refutavit. Nos autem neceſſitati eccleſiaſticae diſpenſatione apoſtolica providentes eidem fratri nolenti & renitenti epiſcopatus curam injunximus, retenta tamen pontificalis officii plenitudine, quoniam quidem patrem ejus pro ipſius electione pecuniam obtuliſſe rumor extiterat. Caeterum poſt aliquantum temporis & pater ejus & Odo venerabilis Belvacenſis Eccleſiae Canonicus ad noſtram praeſentiam pervenientes, tactis ſacroſanctis evangeliis ab omni eum ſimoniacae pravitatis ſuſpicione liberum reddiderunt. Ita nos, Eccleſiae noſtrae fratribus ſatisfactum juſtitiae judicantibus, plenitudinem illi pontificalis officii reſtituimus. Cum igitur nemini unquam apoſtolicae ſedis liceat retractare judicium, cum nemini de ſe confeſſo credi debeat; cum ad unius accuſationem nemo valeat legitime condemnari, miramur qua praeſumptione poſt datam a Petri vicario ſententiam praejudicium intuliſtis, quo ſpiritu praedictum confratrem & coëpiſcopum noſtrum ob unius accuſationem hominis addixiſtis, qua temeritate eidem uni ſemetipſum ſimoniacum accuſanti adverſus alium adeo crediderítis ut quem de cauſa eadem canonico ordine diſcuſſum Eccleſia Romana abſolverat, vos in ejus injuriam iterato illum judicio purgationi canonicae ſubiceretis. Quia ergo adverſus matrem veſtram Romanam Eccleſiam brachium extendiſtis, magna eſtis animadverſione digniſſimi, quippe ut auctoritatem ſanctorum canonum conculcantes. Te praecipue, cariſſime ac reverentiſſime frater R. Remenſis Archiepiſco-

Vide S. Anſelm lib. 4. ep. 32. 33.

Digitized by Google

piſcope, ſalva dilectionis inclitae reverentia, te ſuper hoc ducimus arguendum, quod in conſpectu tuo tantum pati potueris Apoſtolorum principi injuriam irrogari. Nos itaque accuſationem illam & ſententiam illam contra ſanctorum canonum inſtituta prolatam omnino irritam eſſe cenſemus, & Belvacenſem Epiſcopum religioſae & ſimplicis vitae virum loco ſuo & officio reſtitutum firmamus. Sane quicunque ex vobis adverſus eum non judicium ſed praejudicium protulerunt, noverint ſe auctore Petro & judicium uſque ad ſatisfactionem congruam ſubituros & jacturam quam frater ille perpeſſus eſt aeſtimatione legitima ſoluturos. Illum autem ita eſſe abſolutum eſſe cenſemus ut ſi qua in eum deinceps quaeſtio emerſerit, ſolo Romanae ſedis judicio terminetur. De caetero rogamus te, reverentiſſime frater Remenſis Archiepiſcope, ut Belvacenſem Epiſcopum noſtrae gratiae plenitudinem obtinentem in ſuis tam ſpiritualibus quam corporalibus opportunitatibus adjuvatis. Data Laterani III. Idus Maii.

Bulla pro Abbate Majoris monaſterii Turonenſis.

URbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili filio B. Majoris monaſterii Abbati ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Sic apud bonos viros eſt ſervanda humilitas ut veritatis ac juſtitiae non deferatur auctoritas. Ita ergo humilitatem tuam ſuſcipimus ut veritatem ac juſtitiam teneamus. Te ſiquidem per omnipotentis Dei gratiam catholicum ac vere religioſum habemus. Si quid vero in ordinationis tuae primordiis vel per ordinantis culpam vel per tuam negligentiam deliquiſti, nos tibi, beati Martini meritis confidentes, beati Petri vice & auctoritate dimittimus. Hanc autem tibi poenitentiam indicimus ut de caetero commiſſorum fratrum ſaluti vigilantius ac ferventius initare non deſinas. In hac ſiquidem parte omnibus adverſus te oblocutionis vocem auferimus & perpetuum ſilentium imperamus. Univerſis autem veſtri coenobii fratribus praeſentium litterarum auctoritate praecipimus ut devotione pleniſſima debitam tibi reverentiam obedientiamque perſolvant; quatinus annuente Deo & ipſi de tuae ſollicitudinis gratia & tu de ipſorum obedientia pariter gaudere poſſitis.

Epiſtola ad Guillelmum Comitem Toloſanum.

URbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Guillermo Comiti Toloſano ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Super religione & eleemoſynis quas erga Deum & ejus famulos diceris exhibere maximo gaudio exultamus, maximas agimus laetitias. Eſt autem quod noſtram benivolentiam te..... afficiat quod adeo juſtitiam exequi te audivimus. Hoc autem ex eo accipit augmentum quia Moyſſiacenſis & Lezatenſis coenobii Abbates injuſte expelli & in eorum locis inique alios ſubrogari pati nullo modo potuiſti. Notum autem tibi facimus quod venerabilem fratrem noſtrum Anſquilinum in Moyſſiacenſem Abbatem conſecravimus, Hunaldum autem invaſorem ex eodem coenobio recedere decrevimus; idque totum Epiſcopo Caturcenſi noſtris litteris intimavimus. Studeat ergo religio tua ſedis apoſtolicae decretis vigilanter inſudare & ut noſtris affectibus praeceptorum detur inſiſtere. Sane quia te ſanctae Mariae deauratae apud Toloſam omnino Eccleſiam diligere & honorare accepimus, tuis aſſentientes precibus, tuae dilectionis religioni concedimus quatinus tibi tuaeque progeniei illic cimiterium conſtruas & benedici facias. Ut autem beatae Mariae beatique Petri Apoſtoli ſtudeas devotis ſervitiis incubare, te & omnes qui in eodem loco religionis gratia optaverint ſepeliri per beati Petri gratiam ab omnibus abſolvimus vinculis delictorum. Epiſcopo autem civitatis ut illud conſecret ex noſtra parte mandabis.

Hiſt. des Comtes de Toulouſe pag. 125.

Epiſtola ad Guillelmum Epiſcopum Caturcenſem.

URbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Guillelmo Caturcenſi Epiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Quamvis ſupra matrem ſuam & Eccleſiarum omnium Romanam Eccleſiam calcaneum elevaverit Hunaldus ex monaſterio Moyſſiacenſi, qui in ipſo coenobio Abbas factus contra Romanae Eccleſiae voluntatem Anſquilinum ejecit, tamen ex ſedis apoſtolicae benignitate ac patientia ſententiam ſuſpendimus & tantae parcimus praeſumptioni. Jubemus autem ut Hunaldum ab eodem monaſterio repellas & fratrem noſtrum venerabilem virum Aſquilinum in eodem loco reſtituas in Abbatem, & hoc intra quadraginta dies poſtquam litteras noſtras acceperis a nobis. Quod niſi infra praeſcriptum perfeceris terminum, etiam invitum ab omni te ſuſpendemus officio. Ut autem omnino ſatagas, noveris te Domini noſtri oris benedictionem noſtrae manus diſpoſitione aſſecuturum. Si ergo noſtris obedieris praeceptis, apud nos bene judicaberis. Sin autem, te jaculis noſtris feriemus. Qualem ergo te exhibueris, talem non habebis.

Epiſtola monialium Blaſilia in Arvernis ad Urbanum Papam II.

SUmmo Domino Papae Romanae Eccleſiae Urbano humilis grex monialium ſeu clericorum monaſterii Blaſiliae in Domino optimam gratiam & ſalutem atque in omnibus obedientiae ſibi ſervitutem. Apoſtolica & venerabilis tua dignitas, Domine Pater, manifeſte ſciat & credat nos quotidie flexis genibus Deum orare ut te tuoſque ſalvos & incolumes cuſtodiat necnon digne & laudabiliter regimen veſtrum omni Eccleſiae vigere & praeſidere concedat. Veſtra enim erga nobis arma & ſcutum inexpugnabile debet eſſe. Veſtri autem privilegii auctoritas nos tutos ac liberos ab omni aliorum ſervitute ſibi in perpetuum debet habere. Temporibus igitur priſcis matrona quaedam nomine Ermengarda Comitiſſa uxor Bernardi Comitis Pictavorum pro ſalute ſua utriuſque ſui & pro animabus filiorum ſuorum defunctorum, Warini ſcilicet & VVillelmi, monaſterium Blaſiliae in praediis ſuis conſtituit atque circa adjacentibus campis & villis & Eccleſiis ſanctimoniales Deo ſervientes ibi unde viverent hereditavit. Deinde diligenter Romam petivit, ipſumque coenobium beato Petro Apoſtolo atque Epiſcopo qui tunc temporis apoſtolicae ſedi praeſidebat in proprio jure conceſſit. Ipſe autem Papa huic dono benigne favens quinque ſolidos monetae Pictavienſis ſancto Petro ſemel in anno (dari) decrevit, inſuper etiam apoſtolici privilegii auctoritate idem coenobium abbatiam monacharum in perpetuum conſtituit, altare etiam quod adhuc habemus ſua propria manu conſecratum per ipſam matronam nobis tranſmiſit. Apoſtolicam quidem abſolutionem & benedictionem noſtris benefactoribus; excommunicationem atque anathematizationem, calumniam atque inquietudinem nobis inferentibus propriis litteris ſemper nobis notavit. His igitur firmiſſimis decretis & conſtitutionibus noſtrum monaſterium aedificatum cum omnibus nobis appendiciis diu in pace & magna in proſperitate permanſit. Statim ut Roma caput noſtrum & defenſio noſtra inquietari & perturbari coepit inſurrexerunt monachi Caſae Dei & Eccleſiam ſancti Stephani protomartyris & ſancti Leonis Papae urbis Romae, quem Romani, quia Carolus Imperator elegit eum, excaecaverunt, corpus cujus, ut credimus, ibi requieſcit, manu ac violentia cujuſdam potentis Stephani Mercorienſis nobis contradicentibus abſtulerunt, & auxilio Domini Durandi Claromontenſis Epiſcopi ipſum tenuerunt quandiu vixit ſupradictus Stephanus. Poſt mortem vero ejus judicio Praepoſiti & Abbatis Claromontenſis ſeptem Presbyteri noſtri juraverunt alodium

Vide lib. 2. hiſt. geneal. gentis Arvern. cap. 1.

eſſe

eſſe ſancti Petri ut altaris Blaſiliae, recipiente Epiſcopo hoc ſacramentum. Ipſi tamen monachi adhuc rebelles rectum quod firmaverunt per ſeptem Milites tenent, & excommunicatione Epiſcopi illam Eccleſiam deſtinutam & abſque miniſterio faciunt eſſe, miniſtrum etiam ejus in modum ſacrilegi extra Eccleſiam. Ideoque ſuppliciter & benigne rogamus & obſecramus ut conſuetudinem quam tui anteceſſores fecerunt facias & Eccleſiam quam clamaverunt atque monaſterium noſtrum cum omnibus rebus ſuis ab invaſione & ereptione ſupradictorum monachorum eripias & nos a ſervitute omnium aliorum in perpetuum protegas & defendas. Vale.

Epiſtola Abbatum Lemovicenſium ad Richardum Archiepiſcopum Bituricenſem de electione Humbaldi Epiſcopi Lemovicenſis.

REverendo Patri domno R. ſacerdotali gloria coronato A. Abbas ſancti Martialis, & G. Abbas Uſercenſis, & G. Abbas Tutelenſis, & W. Abbas Solemniacenſis, & G. Abbas Voſiacenſis, ſimulque A. Vicecomes Lemovicenſis, ita curam habere gregis ut placere valeat vero paſtori. In diebus tranſactæ quadrageſimae miſiſtis ad nos litteras veſtras, in quibus ſub anathematis interdictione prohibuiſtis ne Humbaldi Eliae, qui contra canonum ſtatuta & Eccleſiae decreta videbatur eſſe electus, ſocietatem amplecteremur vel ei quolibet modo obedientiam exhiberemus. At ubi litteras veſtras vidimus, veſtramque ſuper hoc negotio voluntatem cognovimus, per omnia vobis obedivimus, & non ſolum nos ab ejus communione, verum etiam ab univerſorum qui ejus parti ſavebant ſocietate abſcidimus. Pro qua cauſa inſurrexerunt adverſum nos illi qui nobis antea erant amici, & aſſerentes nos incentores eſſe malorum, intolerabilia mala nobis inferunt. Incendiis namque & rapinis ea quae noſtra ſunt deſtruentes, homines quoque neci tradentes, ingerunt nobis maximam perturbationem. Et inſuper ille veſter Humbaldus, qui quamvis injuſte fuiſſet electus, debuerat ſaltim uſque ad ſuam elationem cujuſcunque religionis praetendere decus, quoſdam ſagittarios diabolica arte imbutos confeſtim ad civitatem miſit, qui novo ſacrificandi genere corporibus occiſorum plateas de die in diem replent. Et licet haec omnia ſuſtineamus, tamen cum omni ſollicitudine juſſa veſtra obſervamus. Verum pervenit ad nos fama vos tandem Humbaldum abſolviſſe a conſpectu Eccleſiae & in iſto menſe ſacerdotalem gradum vos ei velle contradere. Sed quia multa dicuntur quae a veritate aliena eſſe probantur, petimus veſtram excellentiam quatinus pro reſpectu Dei omnipotentis & veſtrae auctoritatis, quae nullo fuco debet obnubilari, vos ab ejus ordinatione ſuſpendatis donec ejus mores & actus modumque electionis ſubtilius cognoſcatis; ſi tamen electio dici poteſt quae ſine noſtro conſilio, ſine communi arbitrio, ſine populi voto facta eſt. Nonne canones contradicunt ut nullus invitis detur Epiſcopus? Nonne auctoritas Romana & canonum inſtituta prohibent ut ſi in Eccleſia cui Epiſcopus debet praefici idonea perſona poteſt inveniri, nullatenus de alia Eccleſia quiſpiam, cujuslibet ſit dignitatis, alteri Eccleſiae debeat ſubrogari? Certe ſi ipſe omnium virtutum flore eſſet ornatus, durum nobis videretur ut homo nobis vita & moribus incognitus noſter repente efficeretur Epiſcopus. Quanto magis nunc, quando ille qui electus eſt nulla vitae honeſtate, nulla morum probitate, nulla litterarum eruditione ſit ſuffultus, ſed contra variis ſceleribus & criminibus irretitus eſſe apertiſſime convincatur. Quae omnia nobis contradicunt ne in hac re debeamus praebere conſenſum. Et vita incompoſita & inhoneſta, & electio injuſta, & fama terribilis & perverſa. Quale vero periculum ſit tales provehere ad honorem ſacerdotii qui nondum didicerunt perfecti eſſe Chriſtiani, & illos qui nondum fuerunt tyrones ſpirituales . . . . . . fieri duces, beatus Papa Gregorius expreſſim demonſtrat ſcribens Virgilio Arelatenſi Epiſcopo inter cetera. Lib. 4 Epiſt. 30.
Alia quoque, inquit, *nobis res nuntiata valde deteſtabilis, quod quidam ex laico habitu per appetitum gloriæ temporalis defunctis Epiſcopis tonſorantur & fiunt ſubito ſacerdotes. Qua in re tam notum eſt qualis ad ſacerdotium venit qui repente de laico habitu ad ſacrum tranſit ducatum, & qui miles nunquam extitit, dux religioſorum fieri non pertimeſcit. Quam iſte ſuam prædicationem habiturus eſt qui fortaſſe nunquam audivit alienam? aut quando aliena mala corrigat qui necdum flexit ſua.* Januario quoque Epiſcopo Caralitano ſcribens idem Papa Gregorius inter alia ſic dicit: Lib. 3. ep. 26.
Ne unquam hi qui ordinati ſunt pereant, providere debet quales ordinentur ut prius aſpiciatur ſi vita eorum continens in annis plurimis fuit, ſi ſtudium lectionis, ſi eleemoſynæ amorem habuerunt. Quærendum . . . .

Caetera deſunt. Sed paulo poſt ſequuntur iſta, quae videntur eſſe ex fine ejuſdem epiſtulae. Parti favere, ſed etiam omnes optimates & proceres regionis noſtrae ut hoc idem faciant admonete. De his quae ſcripſimus ſi quis vobis aliter voluerit ſuggerere non credat, quia teſte veritate, quae Deus eſt, ea quae ſcripſimus vera eſſe ſcimus, & ſi neceſſe fuerit ſub jurejurando haec probare parati ſumus. Quapropter petimus obnixe ne ullam diffinitionem faciatis ſuper hoc negotio abſentibus nobis.

Duae bullae ſuppoſitae Urbano Papae II. ab Humbaldo Epiſcopo Lemovicenſi.

URbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei clero & populo univerſo Lemovicenſium ſalutem An. 1094.
& apoſtolicam benedictionem. Univerſos vos ſcire credimus quemadmodum anno praeterito veſter Epiſcopus, cum ſe noſtro conſpectui praeſentaſſet ſuper quibuſdam capitulis accuſatus quae ſecundum ſanctorum canonum regulam tam electionem ejus quam conſecrationem ejus, praeſente etiam Bituricenſi Archiepiſcopo, qui eum conſecraverat, infirmabant, ſuper quibus omnibus cum ſe canonice expurgare nequiverit, imparatus quippe ſine defenſoribus venerat, ille epiſcopatu, ſub ſpe licet miſericordiae, abdicato, Jeroſolimam petiit, rediens miſericordiam imploravit, nos multis multorum filiorum noſtrorum precibus inclinati eandem cauſam reverentiſſimo confratri noſtro H. Lugdunenſi Archiepiſcopo permiſimus intra provinciam diligentiori examine quaerendam, ubi & accuſatorum perſonae notae ſunt, & Epiſcopus de teſtium abſentia conqueri nullo modo valeret. Cauſa igitur diligentius requiſita, cum ſimoniacum eum accuſatores probare nequiverint, miſericordiae & eccleſiaſticae pacis intuitu facultas ei conceſſa eſt ut ſe ab hoc una cum idoneis teſtibus expurgaret. Igitur ceteris, licet depoſitionem ſolam aſſerent, apoſtolicae manſuetudinis pietate propter pacem & tranquillitatem veſtrae Eccleſiae indultis, ſimoniaco ſcelere juſjurandum praeſtitit quod pro adipiſcendo epiſcopatu pecuniam nec ipſe dederit aut promiſerit aut pro ipſo alius ſe ſciente. Quod videlicet ſacramentum, quia per tantas hujus temporis anguſtias comprovinciales Epiſcopi coram noſtra neutiquam poſſent praeſentia convocari, Stirpenſis F. & J. Floriacenſis Abbates pariter, viri nimirum religioſae vitae & famae integrae, cum aliis tribus clericis ſuis, ſacramentis aſſeruerunt. Eum itaque ad vos cum noſtrae gratiae & epiſcopalis officii plenitudine remandantes, ut ipſi tanquam paſtori proprio obediatis praeſentibus apicibus admonemus. Obedientes vos miſericordia divina cuſtodiat.

URbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei clero & populo univerſo Lemovicenſium ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Veniens ad nos confrater noſter Humbaldus veſtrae civitatis Epiſcopus mul-

Digitized by Google

multas matri Eccleſiae a filiis ſuis queſtus eſt injurias irrogari. Quidam enim militum & Eccleſiarum bonis violenter abutuntur & honores tanquam poſſeſſionem hereditariam exigunt, & non conſentienti Epiſcopo tanquam hoſti moleſtias ingerunt. Unde nos dilectionem veſtram cum litteris praeſentibus exhortamur atque praecipimus ut a praeſumptione hac abſtinere deinceps omnino ſatagatis. Quod ſi poſt haec contempſeritis, quamcunque ſententiam in vos Epiſcopus veſter canonica auctoritate dictaverit, aſſenſus noſtri authoritate confirmamus. Nos enim univerſas diocelis Eccleſias Epiſcopo ſubjectas eſſe & canonicam volumus reverentiam exhibere. Salvis, ſi qua ſunt, Romanae Eccleſiae privilegiis. Univerſis ſane tam clericis quam laicis eum commendatum volumus, tanquam ad vos cum benignitatis noſtrae gratia revertentem. Obedientes vos monitis noſtris miſericordia divina cuſtodiat. Data Piſis VI. Idus Octobris.

Ex veteri codice MS. Eccleſiae Lemovicenſis.

GUidoni Epiſcopo Lemovicenſi mortuo ſucceſſit Humbaldus. Et quia Abbas ſancti Martialis non fuerat vocatus ad electionem, ſicut antiquitus fieri ſolebat, ut dicebat, ad Romanum Pontificem appellavit. Et tunc Romanae praeerat Urbanus, qui fuerat monachus Cluniacenſis. Et quia in electione Pontificis Abbas diſceptavit cum Canonicis, idcirco burgenſes caſtri inſurrexerunt contra cives & inter illos . . . . . . guerra fuit orta, unde multi gladio perierunt. Cumque Abbas adiſſet Papam, Epiſcopus ſecutus eſt eum. Et obtinuit Abbas contra partem. Rediit Epiſcopus. Nunquam potuit impetrare aliquas litteras niſi deprecatorias ad Abbatem quod ei conſentiret. Sed rediens litteras apoſtolicas falſavit de conſilio Heliae de Gimel Archidiaconi, machinante Matthaeo Vitalis, qui erat aurifex Lemovicis, & illas oſtendit Abbati, quibus recipiebatur tanquam Epiſcopus. Abbas vero recepit illum, admirans, ſicut ſic credebat, Dominum Papam ſuam mutaſſe ſententiam. Anno MXCV. Papa Urbanus venit apud ſanctum Martialem. Admiratus fuit Papa de Abbate quare ſine ſcientia ſua conſenſerat in Epiſcopum. Sed idem Abbas ſtatim oſtendit litteras apoſtolicas ſibi traditas. Unde Papa deprehendens & cognoſcens falſitatem, ſceleris miniſtros excommunicavit, & ne aliquis qui nomine Helias de Gimel vocaretur, aliquando dignitatem in Eccleſia Lemovicenſi haberet in perpetuum interdixit, & Epiſcopum Humbaldum publice depoſuit.

Vide Gaufredum Voſienſem cap. 26.

Excerptum de Geraldo Abbate Uſercenſi ex antiqua hiſtoria ejuſdem monaſterii MS. ſcripta tempore Eugenii Papae III.

PErfecit monaſterium ab altari ſanctae crucis uſque ad portale. Cumque ipſum conſecrari diſpoſuiſſet, audiens Dominum Papam Urbanum, qui & Concilium Placentiae celebravit, ubi praefationem beatae virginis inſtituit, nihilominus apud Clarummontem Arverniae venire in partibus Galliarum, ipſum Papam in locum iſtum fecit venire, obſecrans ut monaſterium conſecraret. Quod libenter ipſe Dominus Papa facere voluit, ſed ab Humbaldo Lemovicenſi Epiſcopo ne hoc perficeret impeditus eſt. Proinde commotus Abbas Geraldus adverſus dictum Pontificem, adjunctis ſibi Ademaro ſancti Martialis & quibuſdam aliis, eundem coram Domino Urbano quaedam ſiniſtra objiciens accuſavit. Qui cum titulum innocentiae ſuae ab objectis purgare non poſſet, ſententiam depoſitionis quam meruerat ſuſtinuit.

Statuta Pontii Abbatis Cluniacenſis.

Ex L. VI. Miſc Baluz. pag. 497.

IN nomine ſanctae & individuae trinitatis. Noverint omnes fratres & filii ſancti Cluniacenſis coenobii praeſentes & futuri quia ego frater Pontius peccator Abbas indigne vocatus perpendens qualiter beatus Odilo ſancto dictante ſpiritu omnium fidelium defunctorum generalem ſtatuerit memoriam, qualiterque pius anteceſſor noſter domnus Hugo Abbas fratrum ſuo tempore defunctorum per aliquot annos celebraverit anniverſarium, primo anno noſtrae ordinationis communi decrevi conſilio & in Capitulo Cluniacenſi coram omnibus per praeſentem paginam confirmavi ut cunctorum fratrum atque ſororum congregationis noſtrae ab ipſius loci fundatione defunctorum deinceps in vigilia ſanctorum omnium univerſalis memoria ſollempniter recolatur. Quod idcirco maxime in vigilia ſanctorum omnium conſtituimus, quia illa generalis cunctorum fidelium defunctorum commemoratio ſtatim ſecutura eſt, rectumque nobis videtur ut prius noſtrorum ſpecialis recordatio pio inter nos agatur affectu, ſicque poſtmodum & pro noſtris & pro omnibus fidelibus defunctis univerſalis interceſſio ſubſequatur. Hac etiam de cauſa ut idem omnes ſancti & electi Dei, quorum feſtivitas praevenitur & honoratur, iſto fraternae pietatis officio divinae majeſtati eorundem fratrum animas ſua ſancta interventione commendare dignentur. Hanc igitur memoriam tali tenore praecepimus obſervari ut non ſolum Cluniaci, verum etiam in cunctis abbatiis noſtris, prioratibus, atque cellis, nunc & quandiu Cluniacenſe coenobium in ſancta religione perſtiterit, annuatim in eodem die ſollempne officium cum Miſſa ſecundum locorum fratrumque convenientiam devote peragatur, fratreſque omnes juxta ordinem ſuum, prout Deus unicuique gratiam dederit, Miſſas pſalmoſque fratribus ſuis defunctis hilariter perſolvant, quatinus per ignorantiam vel negligentiam defunctis per annum fratribus redditum non fuerit, totum ad laudem Dei recompenſetur. Quod ut devotius complere ſatagant, adjunximus huic miſericordiae parentes & conſanguineos defunctos omnium fratrum noſtrorum, orantes ut Deus omnipotens horum & ceterorum bonorum congregationis noſtrae participes eos faciat; Prima vero pro fratribus oratio dicatur, *Deus veniae largitor*, ſecunda pro ſororibus, *Quaeſumus Domine*, tertia pro parentibus, *Inclina Domine*. Quando autem vigilia acciderit die dominica, fiat haec defunctorum fratrum celebritas praecedenti ſabbato ſive feria ſexta. Ad cujus etiam inſtitutionis beneficium dignum fore duximus ut ſicut divinae majeſtati pro defunctorum requie pia repraeſentabitur interceſſio, ita etiam vivis tam ad corporum quam animarum ſalutem fraterna impendatur miſericordia. Statuimus igitur ut ego per me quoad vixero noſtrique per ſecula ſucceſſores die illo, vigilia ſcilicet omnium ſanctorum, generalem conventui Cluniacenſi in omnibus refectionem de noſtro amminiſtremus, dieque ſubſequenti, feſtivitate videlicet ſanctorum omnium, pro unoquoque fratrum qui Cluniaci tunc praeſentes fuerint, tres pauperes pane & carne reficiamus. Quod ſi feſtivitas ſexta acciderit feria, fiat ipſa pauperum refectio de pane & carne ſabbato ſequenti vel dominica. Quam itidem pauperum refectionem per omnia loca noſtra fieri mandamus, ut ſcilicet Abbates vel Priores ſeu Decani diligenter provideant qualiter pro ſingulis fratribus quos ſecum in locis ſuis habuerint tribus pauperibus refectio ſecundum temporis & loci opportunitatem exhibeatur. Cujus miſericordiae conſtitutio non illis gravis videatur, quam Chriſtus Jeſus, qui ſe ipſum pro noſtra dedit ſalute, hoc a nobis quaſi proprium exigit, ut ſi eum placabilem habere volumus, in pauperibus & egenis illum reficiamus. Locus etiam noſter ſemper Deo miſerante bonis ſanctorum patrum inſtitutionibus crevit in melius. Ipſi

deni-

Digitized by Google

denique fratres & ad ſpirituale & ad temporale officium promptiores erunt atque devotiores, cum recogitaverint tantam ſibi miſericordiam annuatim quaſi ex debito perſolvendam. Unde & magna erit caritas, ſi Abbates vel Priores atque Decani ſub hac generali memoria aliquam die illo fratribus ſuis ſpecialem exhibuerint refectionem, quatinus diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Agatur igitur diei hujus memoria, ſicut diximus, in pſalmis, Miſſis, orationibus, & eleemoſinis; ut Deo annuente, cunctiſque intercedentibus ſanctis, & vivi ad beatum finem pervenire & defuncti aeternis gaudiis perfrui mereantur, mihique peccatori in hac injuncta obedientia virtus detur & gratia, nobiſque omnibus in magni judicii die inter ſanctos defunctos miſericordia concedatur. Amen.

HVGONIS FLORIACENSIS
TRACTATUS
DE REGIA POTESTATE
ET
SACERDOTALI DIGNITATE.

INCIPIT PROLOGVS HVGONIS de ſancta Maria monachi ſancti Benedicti Floriacenſis monaſterii in libro de regia poteſtate & ſacerdotali dignitate.

Ex L. IV. Miſc. Baluz. pag. 9.

HEnrico Anglorum Regi glorioſiſſimo frater Hugo monachorum omnium extremus, ſanctiſſimi Benedicti Floriacenſis monachus, pacis perpetuae munus. Conſiderans, Domine Rex, diſcrimen diſcordiae in quo ſancta verſatur Eccleſia de poteſtate regia & ſacerdotali dignitate, quas quidam ab invicem ſecernunt & dividunt, libellulum iſtum pia cura & fraterno compunctus amore condere ſtatui, quo contentio haec aliquatenus ſopiatur, & error qui longe lateque diffunditur, pariter mitigetur, error inquam illorum qui ſacerdotalem dignitatem a regia dignitate temere ſecernentes, ordinem a Deo diſpoſitum evertunt, dum opinantur ſe ſcire quod neſciunt. Putant enim quod terreni regni diſpoſitio non a Deo ſed ab hominibus ſit ordinata ſive diſpoſita. Et ideo ſacerdotalem dignitatem majeſtati regiae praeferunt, cum ei ſubeſſe ordine, non dignitate, debeat, ſicut praeſens libellulus declarabit. Erroris igitur hujus depulſa tenebroſa caligine, forſitan divinis dogmatibus & verbis rationabilibus adquieſcent. Error quippe non tantum in majoribus, ſed etiam in rebus minoribus eſt vitandus. Error autem nihil aliud eſt quam putare falſum quod verum eſt, & verum quod falſum eſt, vel pro incerto verum habere, ſeu a rationis tramite deviare. Illi vero qui ſuo furori tantummodo ſatisfacere cupientes, rerum ordinem, quem Deus diſpoſuit, ſtudent pervertere, ſacrilegii crimen incurrunt, & Phariſaei merito nuncupantur. Nam ideo noſter conditor & ſalvator Dominus Ieſus Chriſtus Rex ſimul & Sacerdos ſacro-ſancto miniſterio vocari dignatus eſt ut nobis oſtenderet quanto foedere vel affinitate Rex & Sacerdos ſibi invicem debeant convenire. Indiſſociabile enim eſt quod in unitate conjungitur. His nempe poteſtatibus invicem diffidentibus & confligentibus, pax diſſolvitur, & Eccleſia, quam ipſe Chriſtus ſuo ſanguine redimere dignatus eſt, infeliciter perturbatur. Proinde, Domine Rex, iccirco vobis opus hoc aſſignare vel dedicare decrevi, ut auctoritatis veſtrae privilegio confirmetur & corroboretur, & per loca plurima diſpergatur, vel ſi fuerit inutile, diſrumpatur. In hac etiam re ſequor antiquorum virorum veſtigia, qui ſua ſtudia olim Regibus imbutis litterarum ſtudiis praeſentabant. Precor denique excellentiam celſitudinis veſtrae ut illud & ſeorſum & cum viris ſapientibus, qui vobiſcum ſunt, retractetis & diligenter examinetis, & ut quaecunque in eo confutanda videritis, detegere ſatagatis. Scio enim quia ab his qui rerum ordinem ſua temeritate conantur evertere, non ſolum damnabitur, ſed etiam conſpuetur, vel eo quod ab eorum ſententia deviare videtur, vel ideo quod rem propoſitam explanare ruſticano ſermone videtur. Nam caecis corde plerunque ſua, proh dolor, caecitas atque temeritas placet. Verumtamen precor eos per eorum magnificentiam ne eis ſordeſcat meum ruſticanum eloquium, ſed malint veros quam diſertos audire ſermones. Ceterum ſcio quia tutius veritas auditur quam praedicatur. Vnde nunc deprecor omnes venerabiles Praeſules & reliquos ſanctae Eccleſiae Praelatos & Clericos ſimul ſenſatos, qui haec lecturi ſunt, ne me praeſumptorem judicent aut temerarium, quaſi ego eos in cathedris ſedentes & divinae philoſophiae arcana ſcientes ſuperbe coner inſtruere. Non quaeſo ita exiſtiment, ſed haec pie & aequanimiter legant atque ſuſcipiant. Opto enim ut & ipſi omnes venerabiles patres & domini mei cotidie proficiant in Chriſto Ieſu Domino noſtro, & ut Eccleſiae ſanctae corpus eorum temporibus ordine congruo diſpoſitum corroboretur, & firmo pacis fœdere jugiter perfruatur. Vos autem, Domine Rex, Deus omnipotens ſua gratia per longa temporum curricula nobis ſanum & incolumen conſervare dignetur. Amen. *Explicit prologus.*

INCIPIT LIBER.

CAPUT PRIMUM.

Quod non ſit poteſtas niſi a Deo.

SCio quoſdam noſtris temporibus qui Reges autumant non a Deo ſed ab his habuiſſe principium qui Deum ignorantes, ſuperbia, rapinis, perfidia, homicidiis, & poſtremo univerſis pene ſceleribus in mundi principio diabolo agitante ſupra pares homines dominari caeca cupiditate & inenarrabili affectaverunt praeſumptione vel temeritate. Quorum ſententia quam ſit frivola liquet apoſtolico documento, qui ait: *Non eſt poteſtas niſi a Deo. Quae enim ſunt, a Deo ordinatae ſunt.* Conſtat igitur hac ſententia quia non ab hominibus, ſed a Deo, poteſtas regia in terris eſt ordinata ſive diſpoſita. Ipſe quippe primum hominem in mundi ſtatim primordio dote ſapientiae praemunitum omnibus mundi praepoſuit creaturis. In qua re ei ſubtiliter intimavit unum eſſe totius creaturae caeli & terrae Regem ac Dominum, cui illa jure caeleſtis curia, quae ſupra nos eſt, certis diſtincta gradibus & poteſtatibus militat & obaudit. Et ut hoc etiam pariter in noſtri forma corporis agnoſcamus, videmus omnia noſtri corporis membra capiti ſubjacere. Omnia inquam humani corporis membra capiti eſſe ſubjecta atque ſubpoſita poſitione ſimul & ordine patet. Vnde nobis liquido claret Deum omnipotentem non ſolum humanum corpus variis membrorum diſtinxiſſe liniamentis, ſed & totum mundum certis gradibus ac poteſtatibus, ſicut illa caeleſtis curia cognoſcitur eſſe diſtincta, in qua ipſe ſolus Deus pater omnipotens regiam obtinet dignitatem, & in qua poſt ipſum angeli, archangeli, throni, & dominationes, & quaequae ceterae poteſtates ſibi invicem praeeſſe mirabili & modeſta poteſtatum varietate noſcuntur. Alia tamen eſt perſona patris, & alia filii, & alia ſpiritus ſancti. Sed pater & filius & ſpiritus ſanctus unus eſt Deus. Veruntamen pater ſolus de alio non eſt, filius vero de patre natus eſt. Patris tamen & filii, ſicut jam dictum eſt, eſt una divini-

tas & una majeſtas. Vnus inquam eſt Deus pater, a quo omuia, & a quo filius, per quem omnia; ut ejus principii auctoritas in omnibus conſervetur, & in tribus perſonis una deitas adoretur.

Capvt II.

Quod ſicut caput in corpore, ita Rex in regno ſuo principatum debeat obtinere.

IN mundo quoque Deus unum formavit hominem, a quo poſtmodum omnem genus humanum traxit originem. Proinde ſicut de Deo patre natus eſt Deus Dei filius, ut per ipſum omnis fieret creatura, ita & de viro formata eſt mulier, per quam fieret omnis humani generis genitura. Non eſt inquam mulier de viro nata, ſed facta; quia non poterat de ſimplici corpore naſci. De patra vero Deo natus eſt Deus Dei filius ineffabiliter & incomprehenſibiliter, utpote ſpiritus de ſpiritu, Deus de Deo, ut per ipſum omnis fieret creatura. Mulier vero facta eſt de viro, ut per eam nativitas oriretur. Vnius tamen ſubſtantiae vir & mulier eſt; ſed gradu major eſt vir, quia ex viro mulier, ſicut teſtatur Apoſtolus dicens: *Caput mulieris eſt vir*. Vnius etiam ſubſtantiae pater & filius eſt; ſed ordine, non natura, pater major eſſe cognoſcitur, Paulo teſte, qui ait: *Caput Chriſti Deus*. Nam, ſicut jam praemiſſum eſt, pater a nullo eſt, filius vero de patre eſt, ut ſummae trinitatis eſſentia in unitate deitatis adoretur & veneretur. Principales etiam poteſtates, quibus hic mundus regitur, duae ſunt, regia & ſacerdotalis. Quas duas poteſtates in ſua ſola perſona ipſe Dominus Ieſus Chriſtus ſacroſancto myſterio geſtare decrevit, qui Rex, ſimul eſt & Sacerdos. Rex, quia nos regit. Sacerdos vero, quia nos ſui corporis immolatione a peccatorum noſtrorum ſordibus emundavit & patri ſuo reconciliavit.

Capvt III.

Quod Rex Dei patris imaginem obtineat, & Epiſcopus Chriſti.

VEruntamen Rex in regni ſui corpore patris omnipotentis obtinere videtur imaginem, & Epiſcopus Chriſti. Vnde rite Regi ſubjacere videntur omnes regni ipſius Epiſcopi, ſicut patri filius deprehenditur eſſe ſubjectus, non natura, ſed ordine, ut univerſitas regni ad unum redigatur principium. Cujus myſterij ſacramentum in Exodo Dominus evidenter aperit, ubi ad Moyſen dicit: *Ecce conſtitui te deum Pharaonis, & Aaron erit Propheta tuus*. Porro Moyſes in Hebraico populo Regis imaginem, & Aaron Sacerdotis obtinuiſſe viſus eſt. ſalva alia ſancta ſacramenti ſignificatione. Vnde ipſe Moyſes ſacroſancto myſterio tabernaculum aedificat atque ſanctificat, & Aaron conſecrat, & populo legis divinae decreta proponit, & Aaron in virga quam ei tradiderat Moyſes operatur ſigna & prodigia coram Pharaone & optimatibus ejus.

Capvt IV.

De officio legitimi Regis.

REgis igitur miniſterium eſt populum ſibi ſubjectum ab errore corrigere & ad aequitatis atque juſtitiae ſemitam revocare. Vnde etiam in libro Iudicum reperies quia antequam Regem haberent, filij Iſraël, Ionathas filius filij Moyſi, cum inter Levitas deputatus eſſet, praeſumpſit ſibi ſacerdotium: *Quia unuſquiſque*, inquit, *ſibi placita faciebat, eo quod non eſſet Rex in Iſraël*. Ex quibus verbis liquido patet quia ubi Rex non eſt qui populum regat & a temeritate revocet & abducat, totum regni corpus vacillat. Vnde ille Rex merito vocitatur qui mores ſuos competenter regere & ſibi ſubjectos bene novit modificare. Ideo inquam Deus omnipotens ceteris hominibus Regem, cui cum eis una naſcendi moriendique conditio eſt, praetuliſſe cognoſcitur ut & ſuo terrore ſibi ſubjectum populum a malo coërceat, & ut ad recte vivendum legibus ſubdat. Vnde per terrenum regnum ſaepe caeleſte proficit, dum quod ſacerdos non praevalet efficere per doctrinae ſermonem, regia poteſtas hoc agit vel imperat per diſciplinae terrorem. Populus enim Regis metu facile corrigitur. Rex vero niſi ſolo Dei timore & metu gehennæ ab injuſto tramite minime deterretur. Debet tamen ſemper animo recolere illud viri ſapientiſſimi dictum: *In majori fortuna minor licentia eſt*. Ipſe etiam ſibi ſubjecto populo debet ſemper magis proficere quam nocere. Veruntamen ſecundum meritum ſubditorum tribuuntur plerunque perſonæ regentium; & ita nonnunquam ſibi invicem connectuntur merita ſubjectorum atque rectorum ut ex culpa rectoris fiat deterior vita ſubditorum, & ex meritis ſubditorum mutetur vita rectorum. Sed ſic Deus omnipotens & Dominus univerſæ creaturæ ſuam ordinavit creaturam ut & de bonis & de malis bene faceret. De bonis inquam & de malis bene facit Deus, qui omnia juſte facit atque diſponit. Et ſic fit ut & malus angelus & malus homo divinæ militent providentiæ, licet neſciant quid boni de illis operetur divina providentia vel voluntas. Porro ipſius voluntas, etiam cum mala irrogat juſta eſſe dinoſcitur. Et quia juſta eſt, mala non eſt. Et quod bene fit, juſte fit. Ita inquam non tantum omnes homines, ſed etiam omnis creatura in genere ſuo & in ordine ſuo divinæ providentiæ legibus ſubditæ ſunt, ne aliquid injuſtum poſſit accidere creaturis. Quod oſtendit evangeliſta, ubi ait: *Nonne duo paſſeres aſſe veneunt & unus eorum non cadit in terra ſine voluntate patris veſtri*. Igitur liquet hoc documento illud etiam quod homines in terra viliſſimum putant, Dei omnipotentia gubernari. Sed quia mundas & rationabiles animas ipſe per ſe Deus ſpecialiter curat atque gubernat, ſive per optimos angelos, qui adminiſtratorii ſpiritus ſunt, propter eos qui hereditatem ſunt percepturi, ſive per homines tota ſibi voluntate ſervientes, cetera vero per pravos diſponit atque gubernat, veriſſime illud ab Apoſtolo dici potuit quod ſcriptum eſt; *Numquid de bobus cura eſt Deo?* Itaque Rex bonus hominibus datur Deo propitio, & pravus Deo irato, ſicut ipſe per Prophetam teſtatur Iſraëlitico populo dicens: *Dabo*, inquit, *tibi Regem in furore meo*. Et in alio loco. *Regnare permittit*, inquit, *Deus hypocritam propter peccata populi*. Quapropter tolerandi ſunt a ſubditis quique Reges ac Principes, nec eſt eis a quoquam temere reſiſtendum; ne dum eorum injuſtitia reprehenditur, ipſa magiſtra rectitudinis humilitas amittatur. Ita inquam a ſubditis circa Reges & Principes eſt tenenda via rectitudinis & humilitatis ut ita reprehenſibilia ſuorum rectorum facta deſpiciant quatinus eorum mens a prælatorum reverentia non recedat. Quod bene boni filii Noë tunc feciſſe leguntur cum verenda ipſius averſis vultibus velare ſtuduerunt. Quos imitantur ſubditi quique quibus ſic præpoſitorum ſuorum mala diſplicent ut tamen hæc ab aliis occultent. Qui etiam tunc averſi operimentum deferunt quando judicantes factum, & venerantes magiſtrum, nolunt videri quod tegunt. Hanc etiam formam humilitatis & manſuetudinis Dominus noſter Jeſus Chriſtus in terris poſitus nobis evidenter oſtendit, cum Herodem Regem truculentiſſimum humiliter evitavit. Nam illum valebat ſua illa nimirum poteſtate perimere qua ad ſe adorandum magus a longinquis regionibus dignatus eſt evocare. Ipſe etiam poſtmodum ſævientes in ſe principes ſacerdotum ſæpe ſua man-

manſuetudine declinavit, & leproſis juſſit ut juxta legis decreta ſe eis oſtenderent, quamquam ſciret eos indignos dignitate ſacerdotali, ne eis præjudicium facere videretur. Honorandi etiam ſunt omnes qui in poteſtate poſiti ſunt ab his quibus praeſunt, etſi non propter ſe, vel propter ordinem & gradum quem a Deo acceperunt: Sic enim jubet Apoſtolus dicens: *Omnibus*, inquit, *poteſtatibus ſublimioribus ſubditi eſtote. Non eſt enim poteſtas niſi a Deo. Quæ enim ſunt, a Deo ordinata ſunt.* Ipſe nempe, ſicut jam ſuperius oſtenſum eſt, per pravas malorum hominum voluntates explere nonnunquam conſuevit ſuam aequam ac juſtiſſimam voluntatem, ſicut per Iudæos malivolos, bona voluntate patris, Chriſtus pro nobis occiſus eſt. Quod ſcientes atque credentes, & praeceptum Apoſtoli pariter obſervantes, etiam gentiles in poteſtate poſitos honoramus, & mala quae nobis ingerunt aequanimiter toleramus, ne Deo injuriam facere videamur, qui illos ordinis titulo ſuper homines extulit atque ſublimavit, licet illi indigni ſint ordine quo fruuntur. Nam & Reges reprobos divinis revelationibus cernimus honoratos. Pharaoni nempe futurae famis ſomnium divinitus eſt revelatum. Et Nabuchodonoſor, multis aſtantibus, filium Dei in camino ignis ſolus inter tres pueros legitur agnoviſſe. Caiphas quoque ſceleratiſſimus Pontifex prophetaſſe cognoſcitur evangelico documento, non utique merito ſuo, ſed ordinis ſacerdotalis gratia, qua Dei juſto certoque fruebatur judicio. David etiam Saulem Regem, quem a Deo ſciebat eſſe reprobatum atque depoſitum, honorificavit, ita ut in illum extendere manum nequaquam praeſumeret, cum eum Deus ſuis manibus tradidiſſet. Multis enim annorum curriculis ipſe Rex Saul, patientia Dei ſupportante, qua peccatoribus examinis ſui dignam cenſuram inferre plerumque detrectat, regalis officii obtinuit dignitatem, poſtquam a Deo propter ſuam ſuperbiam & inobedientiam meruit reprobari. Et cum jam illum Deus, ſicut legitur, reprobaſſet, Samuel Propheta ſanctiſſimus oraculo divino profectus eſt in Bethleem ad domum Ieſſe, non manifeſte, ſed occulte, ut videretur Regem metuere, quando David in Regem innuxit. Quid de Helia Propheta ſanctiſſimo dixerim, qui Acab Regem & uxorem ejus Iezabel contra ſe furentes fugiendo maluit declinare quam eis aliquam moleſtiam inferre? Non enim eum pœna latebat quae legis divinae tranſgreſſoribus imminebat. Sed malum, quod eis eventurum quandoque ſciebat, patienter expectare quam eos aliquo pœnarum detrimento lædere geſtiebat. Declinavit igitur ſapienter vir ſanctiſſimus Regis ſaevi tyrannidem & uxoris ejus ſtultam & ineptam proterviam. In manu quippe Dei eſt & ſuperbos de ſublimi ſede deponere & humiles quoſque ad culmen dignitatis erigere. Oportet denique, ſicut praecipit Apoſtolus, ut omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſubdita ſit, & ut reddantur omnibus omnia quae ſalvo Domini noſtri Dei cultu Principibus redduntur. *Obſecro*, inquit idem Apoſtolus, *primum fieri deprecationes & orationes pro Regibus & omnibus qui in ſublimitate poſiti ſunt, ut ſecuram & tranquillam vitam agamus, cum omni pietate & caritate.* Praecipit etiam ut quicunque ſunt ſub jugo ſervitutis, dominos ſuos omni honore dignos arbitrentur, & ut qui infideles habent dominos, eos non contemnant, ſed magis eis ſerviant, quia fideles ſunt, propter eum qui eos illis ſubjecit, ſcientes quia, ſicut alias idem Apoſtolus dicit, omnis praevaricatio & inobedientia accipit dignam mercedis retributionem. Cujus ſubjectionis & humilitatis exemplum ipſe per ſe Dominus Ieſus Chriſtus nobis tradere viſus eſt, cum pro capite ſuo Caeſari tributum ſolvere non dedignatus eſt. De hac etiam manſuetiſſima ſervitute quidam ſapiens perhibet dicens quia juſtus liberaliter, injuſtus vero compedibus ſervit. Pro illis denique orare, non eis contumelioſe reſiſtere, praecipimur; ſicut Samuel oraſſe legitur pro Saule, qui tamen exauditus non eſt. Iam enim Dei juſto judicio Rex ille ſuperbus & impœnitens reprobatus erat. Quapropter orare pro Regibus divinae legis tranſgreſſoribus ſancta conſuevit Eccleſia, quia patet ſanctâ lectione librorum plurimos ſanctos viros oratione pura tyrannos viciſſe, & plures hoſtes ſaepe almis precibus quam armis fudiſſe. Nam Moyſes orabat, non dimicabat, quando diviſum eſt mare & per medium ejus populus tranſmeavit; Pharao vero cum curribus & equitibus ſuis demerſus eſt in fluctibus ipſius. Nihil enim ipſe Moyſes contra Pharaonem niſi ſolam virgam levavit. Amalech denique victus eſt cum Moyſes manus ad Deum levaret. Sacrarum etiam tubarum ſonitu muri Hierico cecidere. Sed & Rex Ezechias non armis ſe ſed cilicio induit, & pro galea cinere caput texit, quando Sennacherib Rex Aſſyriorum adverſus eum multis vallatus ſatellitibus venit. Verum Ezechiae Regis mitiſſimi oratio ad Deum aſcendit, & in caſtris Sennacherib ſuperbiſſimi angelus deſcendit, qui de ejus exercitu octoginta quinque millia virorum interfecit. Quis haec & ejuſmodi prodigia conſiderans non admiretur & non intelligat pravis Regibus ſpiritualibus potius orationibus quam armis carnalibus reſiſtendum! Proinde ſanctus Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus, cum ei Juſtina Imperatrix Arrianorum fautrix multas pro defenſione fidei catholicae inferret injurias, non illi ſtuduit armis violenter reſiſtere, ſed ejus ferocitatem continuis id eſt diurnis & nocturnalibus orationibus refraenare. Nam armis Praeſulem quemlibet contra Regem vel Imperatorem contendere, & ſacra loca ac Deo dicata humano ſanguine polluere, nefarium & temerarium eſt. Quod Dominus Ieſus Chriſtus ſalvator & conditor noſter tunc manifeſtiſſime docuit cum Petrus Apoſtolus gladium ſuum extrahens, Pontificis ſervum apprehendit, & ejus auriculam amputavit. Ait enim illi: *Converte gladium tuum in vaginam. Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Ac deinde: *An putas quia non poſſum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo pluſquam duodecim legiones angelorum?* Unde illi qui non zelo Dei, ſed ſua temeritate vel arrogantia poteſtati reſiſtunt, Deo rebellare videntur, qui dixit: *Per me Reges regnant & Principes dominantur.* cujus judicia, etſi manent occulta, nunquam tamen ſunt injuſta. Illis inquam armis temere reſiſtere aut eis aliqua fraude interitum machinare nullatenus ſancta conſuevit Eccleſia, revolvens illud præceptum dominicum quo ſuis fidelibus ait: *Mihi vindictam, & ego retribuam.* Non enim qui bonus permanet polluitur ſi malo ſocietur; ſed qui malus eſt, in bonum vertitur, ſi boni exempla ſectetur. Patienter etiam nos Dominus cotidie peccantes expectat, dans nobis ſpatium pœnitendi, ut noſtram patientiam exerceat & informet ſuo exemplo, quo noverimus quantum nos oporteat tolerare malos, cum ignoremus quales futuri ſunt, quando ille parcit & ſinit eos vivere quem nihil futurorum latet. Unde ſi contigerit rebelles pro hac contumacia mori, nequaquam de martyrij nomine glorietur, qui furum more merito ſupplicio condemnantur. Verum ad malum perpetrandum nullus poteſtatibus debet adhibere conſenſum: quia ſi illis debetur a Chriſti cultoribus terrena militia, Deo debetur innocentia. Unde ſi forte coactus fuerit aliquis Chriſtianus ut aut eis obediendo juſtitiae vel innocentiae regulam infringat aut quamlibet pœnam aut mortem pro contemptu hujuſmodi ſolvat, eligat Deo fidelis anima magis fugitivam vitam amittere quam reatum peragere, recolens illud quod in evangelio ſcriptum eſt: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere; ſed potius eum timete qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam.* Adulatores vero Regum ac Principum, eos videlicet qui pro terreno commodo eorum pravitates ſuis laudibus efferunt, deteſtatur ſancta ſcriptura, quae ait: *Væ qui dicunt bonum malum & malum bonum.* Et alibi: *Nemo poteſt Deo ſervire & mammonæ.* & cetera quae ſe-

quun-

quuntur in eodem capitulo. Quomodo autem a fidelibus Regibus & poteſtatibus ſerviatur, Dominus oſtendit, ubi dicit: *Reddite quae ſunt Caeſaris Caeſari, & quae ſunt Dei Deo*. id eſt. Regi vel Principi terrenam jubet reddi militiam & honorificentiam, & Deo ſervare mentis & corporis inviolabilem puritatem.

Caput V.

De electione Epiſcopi.

IGitur Rex inſtinctu ſpiritus ſancti poteſt, ſicut exiſtimo, praeſulatus honorem religioſo Clerico tribuere. Animarum vero curam Archiepiſcopus debet ei committere. Qua diſcreta conſuetudine uſi ſunt quondam quique Chriſtianiſſimi Reges & Principes in promovendis viris eccleſiaſticis atque ſanctiſſimis uſque ad haec tempora noſtra. Clericus vero ille religioſus videtur exiſtere quem amor pecuniae minime vexat, nec reprobi mores aut converſatio reprehenſibilem reddit vel contemptibilem. Ubi vero eligitur Epiſcopus a clero vel populo ſecundum morem eccleſiaſticum, nullam vim ac perturbationem eligentibus rationabiliter Rex per tyrannidem debet inferre, ſed ordinationi legitimae ſuum adhibere conſenſum. At ſi reprehenſibilis ille qui eligitur fuerit inventus, non ſolum Rex, ſed nec plebs provinciae debet electioni ipſius ſuum aſſenſum favoremque tribuere, ſed etiam crimina, quibus ille deteſtabili maculatur infamia, voce publica denudare, ut vel hac contumelia eligentium temeritas comprimatur. Poſt electionem autem, non anulum aut baculum a manu regia, ſed inveſtituram rerum ſecularium electus antiſtes debet ſuſcipere, & in ſuis ordinibus per anulum aut baculum animarum curam ab Archiepiſcopo ſuo, ut negotium hujuſmodi ſine diſceptatione peragatur, & terrenis & ſpiritalibus poteſtatibus ſuae auctoritatis privilegium conſervetur. Quod ſi regulariter fuerit conſervatum, implebitur illud quod ſalvator noſter in evangelio praecipiens dixit: *Reddite quae ſunt Caeſaris Caeſari, & quae ſunt Dei Deo*. nec fluctuabit res firmiter & ordinabiliter ſtabilita, & procul aberit ab Eccleſia ſancta magnus tribulationum acervus. Rex enim, ſicut jamdudum praemiſſum eſt, Dei patris obtinere videtur imaginem, & Epiſcopus Chriſti. Quamvis ipſe Dominus Jeſus Chriſtus in evangelio ſuis diſcipulis eorumque ſequacibus dicere videatur: *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, & poſui vos ut eatis & fructum afferatis & fructus veſter maneat; & ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi pater meus regnum*. regnum videlicet ſanctarum animarum, non regnum ſeculi hujus, ſicut ipſe paſſionis ſuo tempore Pilato teſtatus eſt dicens: *Regnum meum non eſt de hoc mundo*. Nam, ſicut ſcribit ad Timotheum Apoſtolus Paulus, *nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus*.

Caput VI.

Item de officio legitimi Regis.

POrro legitimi Regis officium eſt populum in juſtitia & aequitate gubernare & Eccleſiam ſanctam totis viribus defendere. Oportet etiam eum eſſe pupillorum tutorem, & viduarum protectorem, & pauperum auxiliatorem, ut cum beato Job Domino dicere poſſit: *Oculus fui caeco & pes claudo, & rem quam neſciebam diligenter inveſtigabam*. Debet proinde Deum omnipotentem, qui multis hominum millibus eum praepoſuit, toto mentis affectu diligere, & populum ſibi a Deo commiſſum tamquam ſe ipſum. Egregii etiam Regis & Principis eſt Eccleſias regni ſui aedificiis venuſtiſſimis decorare, & eas ſuis laboribus ampliare, & in eis religionis cultum propenſius conſervare, ſicut Conſtantinus pius Imperator & alii quique Reges ac Principes priſcis temporibus feciſſe noſcuntur. Debet etiam quatuor principalibus maxime pollere virtutibus, ſobrietate videlicet, juſtitia, prudentia, ac temperantia. Nam ſobrietate ab omni deſidia vel torpore mentis defenditur, juſtitia vero Deo ſimul & hominibus ſenſatis acceptabilis invenitur. Per prudentiam autem juſtum ab injuſto ſeparat & diſcernit, & temperantia omnem nimietatem evitat. Praeter haec etiam virtutum inſignia decet illum eſſe litteris eruditum, ut acuatur cotidie ejus ingenium lectione divinorum librorum, & informetur & corroboretur tam antiquorum quam modernorum exemplis virorum. Vana enim eſſe deputari poteſt ſcientia quae litterarum notitia non fulcitur. Nam ſemper fluctuare cognoſcitur. Initium tamen ſapientiae, timor Domini eſt. Teſte quippe Salomone, qui ſine timore Domini eſt, non poterit juſtificari. Nam animoſitas & iracundia ejus, ipſius ſubverſio eſt. Qui autem diligit ſapientiam, dirigetur a Domino. Quod idem Salomon non ignorans, humiliter Dominum rogitabat dicens. *Deus patrum noſtrorum, qui feciſti omnia verbo tuo, & ſapientia tua condidiſti hominem, ut* Oratio Salomonis. *dominaretur creaturae tuae, quae a te facta eſt, & ut diſponat orbem terrarum in aequitate, & ut in juſtitia & in directione cordis judicium judicet, da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam, & noli me reprobare a pueris ejus; quoniam ſervus tuus ſum ego & filius ancillae tuae, homo infirmus & exigui temporis, & minor ad intellectum judicii & legum. Tu autem elegiſti me, Domine, præſidere populo tuo & judicem filiorum ac filiarum tuarum. Revela ergo mihi quod placitum eſt in oculis tuis & quod directum eſt in praeceptis tuis; quoniam ipſe ſapientiae dux es & ſapientum emendator, & nos & ſermones noſtri in manu tua ſunt, & omnis ſapientia & operum ſcientia & diſciplina. Mitte inquam, Domine, ſapientiam in praecordiis meis de caelis ſanctis tuis & a ſede magnitudinis tuae, ut mecum ſit, & mecum laboret, & ſciam quid acceptum ſit apud te. Scit enim omnia & intelligit, & deducet me in operibus meis ſobrie, & cuſtodiet me in ſua potentia; & erunt accepta opera mea, & diſponam populum meum juſte. Quis hominum, Domine, poterit ſcire conſilium tuum, aut quis poterit cognoſcere quod voles, niſi ſpiritus ſcientiae tuae de altiſſimis tuis repleverit illum? Corpus enim quod corrumpitur adgravat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem. Sed per ſapientiam ſanati ſunt quicumque tibi placuerunt. Misereris enim omnium, quia omnia potes; & diſſimulas peccata hominum propter poenitentiam. Diligis enim omnia, & nihil odiſti eorum quae feciſti. Nec enim odiens aliquid conſtituiſti. Quomodo ergo poſſet aliquid permanere niſi tu voluiſſes conſervare? Parcis vero omnibus, quia creaturae tuae ſunt. O quam bonus es, Domine, & ſuavis in omnibus; qui cui vis misereris, & quem vis induras. Et hos quidem juſtificas, alios autem vindicta juſtitiae tuae in perpetuum exerces. Alios vero per quae peccant, per haec etiam in praeſenti torques. Omnibus tamen flagellis & miſerationibus tuis multis conſulis & alloqueris ut relicta malitia ad te revertantur. Et homo quidem per malitiam perdit animam ſuam. Nam manum tuam nequaquam effugere poteſt. Væ autem omnibus qui non cognoverant te Domine. Tu vero Deus noſter in te confidentibus omnibus ſuavis & verus, patiens & miſericors es, & miſericorditer diſponis omnia. Etenim ſi peccaverimus, tui ſumus, ſcientes magnitudinem tuam. Et ſi non peccaverimus, ſcimus quoniam apud te ſumus computati. Noſſe autem te, Domine, conſummata juſtitia eſt; & ſcire juſtitiam tuam, radix eſt immortalitatis. Negantes autem te impii, fortitudine brachii tui caeterentur. Non enim*

timens aliquem, veniam dabis peccatis ipſius. Nam quis dicet tibi: Quid feciſti ſic? Aut quis ſtabit contra judicium tuum? Aut quis in conſpectum tuum veniet judex iniquorum hominum? Aut quis imputabit tibi, ſi perierint, quos tu feciſti? Non enim eſt alius Deus quam tu, cui eſt cura de omnibus, & omnia juſto diſponis judicio. Et neque Rex neque Tyrannus in conſpectu tuo inquirent de his quos perdidiſti. Tu autem, Domine Deus virtutum, cum tranquillitate judicas, & cum magna reverentia diſponis nos. Inſenſatis autem judicium in deriſum dediſti. & qui ludibriis non ſunt correpti, dignum judicium ſunt experti. Reſpicio, Domine, nationes hominum, & video quia nullus ſperavit in te, & confuſus eſt, & permanſit in mandatis tuis & derelictus eſt. Et quis invocavit & deſpexiſti eum? Quoniam pius & miſericors es, & remittis peccata in tempore tribulationis omnibus exquirentibus te in veritate. Væ duplici corde & labiis ſceleſtis & manibus maleſacientibus. Væ hypocritae in conſpectu hominum. Væ diſſolutis corde, qui non credunt tibi. Ideo non protegentur a te. Qui vero credunt in te, non erunt incredibiles; ſed patientiam habebunt uſque ad conſpectionem tuam, dicentes: Si patientiam non habuerimus, incidemus in manus tuas. Horrendum eſt, Domine, incidere in manibus tuis. Cor quoque quod eſt durum, male habebit in noviſſimo; & qui amat periculum, peribit in illo. Scio, Domine, quia non abſcondar in populo magno, nec latebo in immenſa creatura: quia tu cælorum contines thronum, & abyſſos intueris, & reſpicis interiora filiorum hominum. Parce mihi, Domine, quia loquor ad te, cum ſim pulvis & cinis & diverſorum peccatorum plenus putredine; ſed ſcio quia ſecundum magnitudinem tuam, ſic miſericordia tua apud te eſt. Domine pater & Deus vitae meae, ne derelinquas me in cogitatu maligno, & delicta mea non appareant in conſpectu tuo, nec gaudeat de me inimicus meus. Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi, & omne deſiderium pravum averte a me. Averte a me ventris & concubitus concupiſcentiam, & animae irreverenti & infrunitae ne tradas me; ſed victui meo tribue neceſſaria.

Hæc eſt Salomonis oratio; quam a libris ejus ſparſim colligendo in hunc librum ad erudiendum Regem incluſimus, & ut ſciret quæ a Deo petere deberet.

CAPUT VII.

Item de officio legitimi Regis.

SEd his interim ſepoſitis, rurſus eum monemus ut mores ſubditorum exhortando, terrendo, blandiendo, corrigendo, & boni operis exempla monſtrando, diatim emendare procuret. Studeat quoque ſapientes homines honorare & omnes pariter Eccleſiae ſervitores. Monita etiam ſanctorum virorum ac ſi Dei oracula ſuſcipiat, & Epiſcopis ſanctis rationabiliter adquieſcat. Nam ſic Chriſti ſervis & ſapientibus viris quaſi quibuſdam baſibus firmiſſimis regni ſuſtentatur & corroboratur ſublimitas. Multo enim utilius Pharaonem ſanctus juvit Ioſeph conſilii patientia quam ſi ei contuliſſet grandem pecuniam. Nam pecunia facile conſumitur, conſilia vero virorum ſapientium nequeunt exhauriri. Vnde appareat quia melior eſt ſapientia negotiatione argenti & auri, primi & puriſſimi fructus ejus. Sit proinde largus atque munificus, affabilis & tranquillus. Habeat etiam animum jocundum, linguam eruditam, ſenſum expeditum, verbum verax, fidem puram, devictionem praecipuam, riſumque modeſtum. Sit ei motus impiger, & habitus & inceſſus honeſtus, & victus abundans, non tamen talis qui ſuperfluus ſit. Invidiam autem, luxoriem, & vinolentiam tamquam ſordes peſſimas abiciat ab animo ſuo, & peſſimam cupiditatem, quia radix omnium malorum eſt cupiditas. Sint miniſtri illius modeſti, & conſiliatores ſenſati, & praepoſiti fideles atque prudentes. Fideles quoque ſuos honoret & diligat, & ſibi ſervientes ſublimet & protegat. Porro Regibus tranſgreſſoribus modi curationum tales ſunt adhibendi ut & majeſtas regia in eis honoretur, & reatus puniatur cenſura juſtitiae. Sub religionis enim diſciplina regia poteſtas poſita eſt. Nam quamvis ſit Rex poteſtatis culmine praeditus, nodo tamen chriſtianae fidei tenetur adſtrictus. Corrigendus tamen eſt, non cum tumore ſuperbiae, ſed caritatis affectu ſapienterque. De iracundo quippe vel inſipiente doctore Salomon dicit: *In ore ſtulti virga ſuperbiae*. Stulti proinde & ſuperbi doctores diſciplinae rigorem in rabiem furoris & ad immanitatem convertunt crudelitatis. Verumtamen Reges legitimi propter reprobos ſpernendi non ſunt: quia caeleſtis curiae ſacer principatus ideo non eſt a Deo reprobatus vel ſpretus quod diabolus eorum princeps contra eum ſuperbiens tyrannidem arripuit & ſibi ſubjecta agmina ſecum nefanda ſuaſione peccare pellexit; ſed ipſe Dominus Ieſus Chriſtus poſtmodum ad eundem diabolum comprimendum, qui dignitatem nominis ipſius & ſedem ſibi praeſumpſerat, de caelo deſcendit. Poſt Deum enim patrem diabolus dici voluit Deus, & ad dexteram Dei patris ſedere temere concupivit, cum hoc illi non contingeret, ſed eſſet filii Dei, qui poſt patrem Deum, ſecundum quod jam dictum eſt, ſecundus eſt, non natura, ſed ordine. Venit ergo Dominus Ieſus Chriſtus in mundum, ſicut decebat, & manifeſtavit ſe, non omnibus hominibus, ſed tantum ſuis ſequacibus, ut reprobata perſona diaboli hunc eſſe cognoſcerent cujus principatum & poteſtatem ipſe ſatanas ſibi temeritate propria praeſumpſiſſet. Diabolus autem & principes mundi hujus Chriſti divinitatem in carne latentem penitus cognoſcere nequiverunt: quia, ſicut Apoſtolus teſtatur, ſi cognoviſſent, nunquam dominum gloriae crucifixiſſent. Vnde contigit ut qui arte, non violentia, primum hominem per conſenſum peccati ſibi ſubegerat, Dei circumventus arte illum amitteret, dum illi mortem per ſuos ſatellites intulit quem immunem ab omni peccato necare præſumpſit. Itaque tali commercio Chriſtus & angelorum numerum reſtauravit, & humanum genus ſuo ſanguine a jugo diaboli liberavit. Contigit denique ut diabolus, qui per unum hominem peccantem totum genus humanum ſibi ſubpoſuerat, per unum non peccantem hominem amitteret quod habebat. Sed haec de diabolo & de ejus tyrannide dixiſſe ſufficiat. Hoc tamen exemplo lucide patet quia principatus quem aut ſeditio extorquet, aut ambitus occupat, ſolet eſſe pernicioſus. Difficile quippe bono exitu terminantur quae malo ſunt inchoata principio. Propterea hujuſmodi Principes, non Reges, ſed tyranni merito vocitantur; & Epiſcopi qui eos ordinare praeſumunt, aut perverſae ordinationi eorum praebent conſenſum, anathematis jaculo ſunt puniendi. Sed & Regem haereticum auctoritate divina pro defenſione fidei catholicae condemnare & anathematis ſententia praefocare ſancta conſuevit Eccleſia, ne illius contubernio ſanctorum catholicorum collegium maculetur. Nonne ab eo Apoſtolus Paulus nos ſeparat & dividit dicens: *Haereticum hominem poſt primam & ſecundam correptionem devita, ſciens quia ſubverſus eſt qui hujuſmodi eſt, & delinquit proprio judicio condemnatus*. Salomon etiam gentilem hominem haeretico meliorem eſſe pronuntiat, ubi ait, *Melior eſt canis vivus leone mortuo*, canem vivum appellans gentilem, & leonem mortuum haereticum. Sed plerique Principum terrenorum in ſanctis & juſtis hominibus veritatem perſequuntur, quoniam nolunt ab eis ſua facta damnari. Verumtamen qui veritatem odit, Deum profecto non amare cognoſcitur, qui veritas eſt. Quod providens Dominus, Epiſcopum qui non ſua temeritate, ſed zelo Dei, terrenis Principibus videtur eſſe contrarius, exhortans ad mundi odia perferenda, de ſe ipſo exemplum proponit

ponit

Digitized by Google

pouit & dicit: *Non eſt ſervus major domino ſuo. Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur. Si ſermonem meum ſervaverunt, & veſtrum ſervabunt.* Et item: *Si mundus vos odit, ſcitote quia me priorem vobis odio habuit.* In hoc loco mundum illos appellans a quibus hujus mundi ſcelera diliguntur. Porro ille qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Vnde Rex admonitionibus epiſcopalibus debet aurem ſuam libenter accommodare & ſacerdoti ſalubria ſuggerenti fideliter obaudire, quoniam de his videtur Dominus ſuo ore dixiſſe: *Qui vos audit, me audit. Et qui vos ſpernit, me ſpernit.* At ſi Rex aurem ſuam a ſana & ſalubri doctrina cœperit avertere proprio faſtu vel tumiditate, non Epiſcopo ſed Deo contumax & rebellis videtur exiſtere, cujus iram incurrere nimis periculoſum eſt ac formidabile. Scriptum eſt enim: *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Mortem autem aut ſcandalum illis inferre nullatenus Rex praeſumere debet. Nam pro hoc facinore comperimus multos Reges & Imperatores miſerabiliter & inopinabiliter ex hac vita migraſſe. De his nempe, id eſt, de Praeſulibus & ſanctis hominibus Dominus dicit: *Qui vos tangit, quaſi qui tangit pupillam oculi mei.* At ſi contigerit ut haec viro catholico conditio proponatur ut aut haeretico faveat aut pro defenſione fidei catholicae ſubeat mortem, eligat magis mori quam vivere violata ſanctae fidei ſinceritate, revolvens illud in corde ſuo quod ſcriptum eſt in evangelii libro: *Quid prodeſt homini ſi univerſum mundum lucretur, animae vero ſuae detrimentum patiatur. Aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua?* Et illud item quod Dominus ſuis repromittit fidelibus dicens: *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo qui in cœlis eſt.*

CAPVT VIII.

De reprobis Regibus atque Principibus.

PORro ipſi Reges & Principes atque Tyranni, dum Deo ſubeſſe & ejus praecepta cuſtodire renuunt, dominationis ſuae vim & poteſtatem plerunque ſolent amittere, ſicut primus homo dominationis ſuae vigorem & dignitatis praerogativam poſt ſuam transgreſſionem cognoſcitur amiſiſſe. Poſtquam nempe divino noluit eſſe ſubjectus imperio, ipſa etiam corporis ſui membra ſibi rebellare & ignitos aculeos carnalis concupiſcentiae ſtatim contra ſuam voluntatem in ſua carne ſaevire perſenſit. Piſces quoque maris & volucres caeli & beſtiae agri, quae illi ante commiſſum facinus quaſi privata animalia ſubjacebant, jugum dominationis ejus a ſe cœperunt abigere, & jam ei amplius ſolito ſervire nolebant. Quae tamen omnia vi rationis ſuae cœpit demum paulatim ſibi ſubigere & ad ſuos uſus exquiſitis artibus retorquere. Itaque pari modo Regi Deo contrario populus ſibi ſubjectus multoties incipit adverſus eum inſurgere & variis ac multiplicibus inſidiis illum appetere & multis adverſitatibus fatigare. Ad quam rem pertinere videtur quod Deus Regem Babylonium non beſtiis ferocibus, ſed muſcis & ſerpentibus punire decrevit. Vt intelligat humana ſuperbia quod per humiles & infimos homines ſoleat ſaepe tumidos & ſuperbos quoſque comprimere & a ſublimitate deponere. Solent etiam homines hujuſmodi ignominioſa morte vitam terminare aut in turpi paupertate deficere, ſicut Herodes & Pilatus; quorum Herodes vermibus ſcaturiens miſerabiliter expiravit, & Pilatus exilio condemnatus, pauper & inops defunctus eſt. Illi quoque qui recta pervertunt judicia amore, odio, metu, miſericordia, incuria, temeritate, aut gratia quaeſtus, circa finem vitae horribilibus infirmitatibus moleſtari ſolent, vel vilitate vel inopia rerum, aut membrorum languore ſuorum.

CAPVT IX.

De dignitate ſacerdotum.

VErum quia jam ſatis de his, ſicut reor, ſecundum ingenii mei facultatem viſus ſum peroraſſe, reſtat nunc ut de his quæ ad Epiſcopum pertinent pauca ſubiciam. Igitur Epiſcopo a Deo & Domino Jeſu Chriſto privilegium eſt conceſſum aperire & claudere cœlum hominibus. Huic etiam Reges & omnes terrenæ poteſtates pro Chriſti amore capita ſubdunt: quia licet Rex vel Imperator culmine regni ſit præditus, nodo tamen fidei tenetur aſtrictus. Hic quoque propter condimentum doctrinæ, quo mentes fidelium debet condire, ſal terræ vocatur, & Rex propter ducatum quem praebere populo debet, & angelus, quia bona nuntiat, & paſtor, quia divini verbi dapibus homines explet. Quibus etiam moribus debeat pollere, & quibus virtutibus effulgere, Apoſtolus Paulus declarat in epiſtola ſua dicens: *Oportet*, inquit, *Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, ſobrium, pudicum, hoſpitalem, prudentem, non neophytum, non vinolentum, non percuſſorem, non litigioſum, ſed modeſtum. Oportet etiam illum habere bonum teſtimonium ab his qui foris ſunt.* Nam, ſicut alio continetur in loco, ipſe debet exemplum bonorum operum, non ſolum ſibi ſubjecto populo, ſed etiam diſcolis hominibus, id eſt, gentilibus, vitae melioris oſtendere, ut fiat in eo quod in evangelio Dominus ſuis Apoſtolis praecipiens dixit: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus ut videant opera veſtra bona & glorificent patrem veſtrum qui in caelis eſt.* Hic quoque debet divitibus præcipere non ſublime ſapere nec ſperare in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo & vero, qui præſtat omnibus omnia ad fruendum, bene agere, divites fieri in operibus bonis, facile tribuere, theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum, ut poſſint apprehendere vitam æternam. Cæterum contra Regem catholicum armis dimicare nullatenus debet, licet miniſterii dignitate multum illi præmineat, tantum ſcilicet quantum officia divina ſua ſanctitate noſcuntur negotiis ſecularibus eminere. Nam & regalem dignitatem habere ſanctæ ſcripturæ teſtimonio videtur Epiſcopus. Ait enim Dominus Ieſus Chriſtus ſuis Apoſtolis eorumque ſequacibus: *Ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi pater meus regnum.* Et Apoſtolus: *Vos eſtis genus electum, regale ſacerdotium.* Vnde ſi contigerit ut Epiſcopus reprehenſibilis inveniatur, (Non eſt enim homo qui non peccet) non in curia ſeculari, ſed in ſynodo generali, res hujuſmodi terminetur. Ipſe proinde Epiſcopus inter Regem & oves ſibi creditas officium optimi paſtoris debet peragere & pro grege ſibi commiſſo diſcrimini ſe pronus obiicere. Ipſe inquam toto niſu Regis ac Principis iram a populo debet avertere & pro Regis & populi ſalute pariter piis precibus ante Deum nocte dieque perſiſtere. Vices enim Chriſti filii Dei ſummi in terra videtur obtinere, qui ſe pro nobis peccatoribus obtulit immolandum. Vnde inter nos & Deum mediator debet exiſtere. Ipſe eſt ſanctus ſanctorum, Clericorum ſcilicet ac Presbyterorum, quibus omnibus eminet ac præcellit. Hic eſt Eccleſiæ ſponſus, hic Chriſti Vicarius, ut compatiatur infirmitatibus noſtris; de quo Paulus Apoſtolus dicit: *Omnis Pontifex ex omnibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in his quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis eorum.* Honorandi igitur ſunt omnes Epiſcopi, ſicut regni caeleſtis claviculari & judices culparum humanarum. Ad eorum enim jus pertinet viros ſeculares pro illis criminibus quae in locis Deo conſecratis committunt judiciali ſeveritate diſtringere & pro aliis criminibus juxta conſiderationne pœnitentias dare. Ipſi quoque debent omnes Presbyteros & Clericos ſententia judiciali diſtringere, ut & terrenis & ſpiritalibus judicibus ſuae auctoritatis privilegium conſervetur. Ipſi denique ſunt

qui

Digitized by Google

qui bonum quod per gratiam ſancti ſpiritus intelligendo didicerunt, ſubjectorum mentibus profuturum, ſecundum Apoſtoli Pauli præceptum, arguendo, obſecrando, & increpando inſerere nituntur, corda fidelium divinis dogmatibus quaſi imbribus irrigantes caeleſtibus, ut proferre immarceſſibilem bonorum operum poſſint fructum.

CAPVT X.

De his quos Epiſcopus excommunicat.

QUapropter ſummopere caveat Rex ne his quos ipſi ab Eccleſia pro ſuis criminibus anathematis ſententia pepulerunt aliquo pacto communicet. Nam teſte ſcriptura, facientes & conſentientes par pœna conſtringit. Conſentit autem crimínoſo & reatum ejus ſuſtentat qui poſtquam ab Eccleſia crimine ſuo exigente projectus eſt, illi communicat. Verum plerique ideo divinum munus formidare judicium videntur quod eorum contemptum non ſtatim pœna proſequitur. Unde quid Regi cuidam olim ex hac re contigerit, breviter intimare curabo. Legitur enim in hiſtoria gentis Anglorum quod quidam Epiſcopus duos fratres palatinos viros pro repudio uxorum axcommunicaverit. Contigit autem ut Rex ipſius gentis juxta domum ipſorum tranſiret. Qui multis blandimentis delinitus ut apud eos ad prandendum diverteret, tandem conſenſit. Expleto autem convivio, cum jam rediret, obviavit Epiſcopum qui fratres illos excommunicaverat. Quem cum vidiſſet, intremuit, & exiliens de equo, in media, ut erat, via proſtravit ſe coram ipſo. Epiſcopus vero ferula quam manu ferebat tetigit eum dicens: O Rex, non eſt meum ignoſcere tibi, quia Deum contempſiſti, quando te excommunicatis ſcienter ſociaſti. Idcirco data eſt ſententia in te, & hoc anno in ipſa domo morieris in qua excommunicatis te ſociaſti. Quod & factum eſt; & avoluto anno Rex ibidem mortuus eſt. Ecce Rex non potuit hunc reatum niſi morte piare, nec Epiſcopus illi proſtrato valuit ignoſcere. Ex qua re colligitur quia nec Epiſcopus, cujus excommunicatio contemnitur, ſine gravi pœnitentia facinus hujuſmodi ignoſcere poteſt. Ergo, ſicut praecipit beatus Papa Gregorius, ſub magno moderamine paſtores Eccleſiae ſolvere ſtudeant aut ligare. Sed utrum juſte an injuſte obliget paſtor, paſtoris tamen ſententia gregi timenda, ne is qui ſubeſt, & cum injuſte forſitan ligatur, ipſam obligationis ſuae ſententiam ex alia culpa mereatur.

CAPVT XI.

De pravis Praeſulibus.

VErum reperiuntur quidam in numero ſacerdotum qui per pecuniam ſacerdotes appellari contendunt; & cum nou ſint ulla ſcientia praediti aut aliqua religione ſuffulti, legis divinae volunt videri magiſtri. Sed hi nimirum merito contemnuntur, & non Epiſcopi, ſed ſimoniaci a Sunone mago vocitari merentur. Non enim eis eſt pars in ſermone ſacerdotii, ſed a gratia ſpiritus ſancti extorres habentur; quae & gratis datur, & gratis accipitur. Nam, teſte evangelio, qui non intrat per oſtium in ovile ovium, ille fur eſt & latro. Qui autem intrat per oſtium, paſtor eſt ovium, & huic oſtiarius aperit, & oves vocem ejus audiunt. Et poſt pauca: *Alienum autem non ſequuntur, quia non audiunt vocem alienorum.* Quidam etiam Epiſcoporum ſe contra morem eccleſiaſticum extollere cupientes, in ſolvendis & ligandis ſubditus ſuae voluntatis motus, nou cauſarum merita, exercent. Unde populus jam legis onus, per devia currens, plus ſolito ſpernit, jaculumque anathematis ingens, dumque furit, nullas rationis ſentit habenas. Nam religioni Chriſtianae opprobrium naſcitur, & ſacerdotalis dignitas inde valde contemnitur, quod ſacerdotalis infula ambitione potius quam meritorum exiſtimatione defertur & imperitis quibuſque confertur. Nam quidam illorum illos qui juramento dominis ſuis conſtricti tenentur a ſacramento fidelitatis abſolvunt. Quod quam ſit abſurdum, Dominus indicat ubi dicit: *Non perjurabis in nomine meo, nec pollues nomen Domini Dei tui.* Et ad Sedechiam Regem Judae, qui juramentum quod Babylonio Regi praebuerat violaverat, ore prophetico dicit: *Vivo ego quoniam juramentum quod ſprevit, & fœdus quod praevaricatus eſt, ponam in capite ejus.*

CAPVT XII.

De illo qui contra Chriſtianum frangit ſacramentum.

INtelligat ergo quilibet Chriſtianus, qui contra dominum ſuum aut alterum Chriſtianum frangit ſacramentum, quid mereatur, cum propter hoc ſcelus Sedechias vir Judaeus avulſis oculis a gentili Rege in Babyloniam captivus ductus eſſe cognoſcatur. Non enim illi conſiderandum eſt cui jurat, ſed per quem jurat. Alioquin & illum deſpicit per quem jurat; & hoſtis fidelior invenitur, qui ſacramento decipitur. Multum enim deſipit qui illum decipit cui juramento divini nominis fuerat fœderatus. Ceterum ſacramentum incaute prolatum non eſt conſervandum, veluti ſi quiſpiam adulterae perpetuam cum ea permanendi fidem polliceatur. Tolerabilius enim eſt non implere ſacramentum quam permanere in ſtupri flagitium. Veruntamen de fatuis doctoribus in evangelio Dominus dicit: *Caecus ſi caeco ducatum praebeat, ambo in foveam cadunt.* Superbi etiam & iracundi doctores nonnunquam diſciplinae rigorem in rabiem furoris & ad immanitatem convertunt crudelitatis. Sed, ſicut item dicit beatus Papa Gregorius, judicare digne de ſubditis nequeunt qui in ſubjectorum cauſis ſua vel odia vel gratiam ſequuntur. De qua re Propheta etiam dicere videtur: *Mortificabant animas quae non moriuntur, & vivificabant animas quae non vivunt.* Non morientem quippe mortificat qui juſtum damnat, & non victurum vivificare nititur qui reum de ſupplicio abſolvere conatur. Cauſae ergo penſandae ſunt, & tunc ligandi atque ſolvendi poteſtas eſt exercenda. Conſiderandum eſt denique atque cavendum Epiſcopo ne ipſius vitio doctrina divina vileſcat. Nam qui ſicut decet non vivit, ipſam quam prædicat veritatem contemptibilem reddit. Cavendum etiam eſt illi qui pontificatus officium aſſecutus eſt ut ſe talem exhibeat, ne forte aliis prædicans, ipſe reprobus inveniatur. Subditis quoque conſiderandum eſt quia licet talis judicandi locum teneat, cujus vita loco minime concordat, locum tamen Apoſtolorum in ligandi & ſolvendi officio retinet. Quapropter excommunicatio & prædicatio illius non ex ejus perſona debet contemni, ſed ex auctoritate ſummi judicis obſervari. Nam paſtor animarum noſtrarum Chriſtus eſſe cognoſcitur, qui in Præſulibus auditur atque contemnitur. De quibus Dominus in evangelio dicit: *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribae & Phariſaei. Quae dicunt vobis, facite. Quae autem faciunt, facere nolite.* Et non ſolum Epiſcopi, ſed & omnes Presbyteri & Clerici ab univerſis Dei fidelibus ſunt honorandi ſicut Dei domeſtici, cui ſervire nocte dieque videntur. Porro Praeſules atque Presbyteri baſes & columnæ videntur eſſa ſanctæ Eccleſiæ, & Clerici & monachi ejus videntur eſſe miniſtri. Horum enim manibus miniſtrorum ſacro baptiſmate quiſque fidelis abluitur

Digitized by Google

luitur, & horum iterum manibus ſacratiſſimum myſterium corporis & ſanguinis Chriſti conficitur; per quæ myſteria Deo regeneramur atque conjungimur. Omnis inquam qui de Chriſti corpore eſt, ei merito ſubdi debet & eorum ſalutaribus monitis obedire & paternam eis reverentiam exhibere. Ipſi inquam ſunt qui noſtrorum munera precum offerre & Deo pro nobis inceſſanter ſupplicare noſcuntur. Ipſis inquam pro noſtris criminibus Deum exorantibus fit nobis ipſe Deus propitius, & avertit iram ſuam a nobis. Ipſi pro vivis ac defunctis ante Deum ſemper indefeſſis precibus inſtant, & ipſi nobis frugum ubertatem obtinent, & ipſi tempeſtates & quæque diſcrimina a Chriſti grege repellunt. Ipſis etiam mater noſtra, ſancta videlicet Eccleſia, quaſi nobilibus ſatellitibus decoratur, inluſtratur, atque ſervatur. Et ſi reprehenſibiles quidam illorum fore reperiuntur, ideo ceteri contempnendi non ſunt, quia & in angelis pravitas reperta eſt. Conſideranda quippe eſt hominibus illa beati Iob ſententia dicentis. *Quis poteſt mundum ſtatuere de immundo conceptum ſemine, niſi tu qui ſolus es*; ſubaudis, mundus. Vnuſquiſque proinde, ſive laïcus, ſive Clericus, Dei munere eſt quod eſt, ſi tamen aliquid eſt. Vnde dicitur in evangelio: *Nolite judicare, & non judicabimini; & nolite condemnare, & non condemnabimini*. Verum quamvis de filiis Dei ſcriptum ſit, *Quotquot ſpiritu Dei aguntur, hi filii ſunt Dei*, tamen omnes mortales, quandiu in hac corruptibili carne tenentur, peccant. Sed ne facinora ad immenſum cumulum peccatorum prorumpant, aliqua pœna in hoc ſeculo plecti debent. Vnde pro illis qui ſceleratiſſime vivere decreverunt, nec volunt vitam ſuam moreſque corrigere, id eſt, propter fornicatores & adulteros, ſive propter fures atque ſacrilegos & alios flagitioſos comprimendos & corrigendos, Regem Deus hominibus præeſſe voluit, ne aeterni pœna ſupplicii eis reſervetur in poſterum. Nam illa crimina quæ in hoc ſeculo puniuntur, profecto in futuro ſeculo non nocebunt. Fit igitur in his quod ab Apoſtolo dictum eſt: *Si nosmetipſos dijudicaremus, non utique judicaremur. Cum judicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur*. Multa enim bona invitis praeſtantur quando eorum conſulitur utilitati, non voluntati, qua ſibi inveniuntur eſſe inimici. Scriptum quippe eſt quia qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam. Igitur amici malignantium hominum ſunt illi qui eorum iniquitates corripiunt, & pro commiſſis criminibus eorum corpora aliqua pœna emendatoria puniunt. Peccata enim quae feriri gehennae ignibus poſſunt, diſciplinæ ſunt verbere corrigenda; ut qui Dei mandata contempnunt, temporali ſupplicio terreantur. Quod pſalmiſta dicere videtur cum ait: *In chamo & fræno maxillas eorum conſtringe qui non approximant ad te*. Verum ſicut ſub igne aurum rutilat & palea fumat, & quemadmodum ſub eadem tritura frumenta purgantur & paleæ conteruntur, ita communis pœna bonos purificat, malos exterminat. Nam boni quique igne tribulationum excoquuntur, & mali murmurant & puniuntur. In quibuſdam autem gravis ineſt ſtultitia; & ſic eos iniquitas obligat ut a culpa nec pœna compeſcat. Alii vero mala perpeti immerito videntur. Sed haec divinitas fieri ſinit ut cruciatibus & flagellis erudiantur. Flagellat enim Deus omnem filium quem recipit. Sed licet non ſint omnes filii qui flagellantur, tamen nullus eſt filius qui non flagelletur. Porro quidam ſine verbere relinquuntur. Vnde ad aeterna tormenta, mala agendo, liberius feſtinant. De quibus in beati Iob libro ſcriptum eſt: *Vidi ſtultum firma radice*. Stultus inquam firma radice ſtare conſpicitur quando in hac vita continua proſperitate laetatur. Veruntamen in futurum diſtrictus judex tanta adverſitate feriet quos reprobat quanta nunc ſeveritate corripit quos amat. Sed ne facinora ad immenſum cumulum peccatorum prorumpant, aliqua pœna, ſicut praemiſſum eſt, plecti debent. Nam inordinata pietas cum temporaliter parcit, & ad aeterna ſupplicia pertrahit & vitia pullulare permittit. Diſcretionis tamen modus in omnibus eſt a judicibus obſervandus; & ut ſit ordinata pietas, ad ſcientiam eſt tranſeundum, ut ſciat judex quid juſte puniat & quid ex miſericordia dimittat. Sic denique debet prudentia judicum corda in bonum ſemper acuere ne aut ipſa prudentia rectitudinis modum excedat, aut ſimplicitas in ignorantiae fallacia corruat. Porro ipſi Reges, Imperatores, ac judices, cum juſtae rationis imperio ſceleratos morte puniunt, aut aequitate dictante bella gerunt, nequaquam contra praeceptum legis facere putandi ſunt quo dictum eſt: *Non occides*. Nam ideo criminoſi lege perimuntur ne mortifero peccato pernicioſa ſecuritas detur. Et idcirco non injuſte bella geruntur ut pax adquiratur. Moyſes namque, vir mitis atque ſanctiſſimus, legis divinae mandato multos legitur homines occidiſſe & multas etiam gentes, Deo ſibi ducatum praebente, armis victricibus extinxiſſe. Hoc etiam multi alii Principes novi ac veteris teſtamenti divino fervore ſuccenſi feciſſe leguntur. Timor enim Dei & timor ſupplicii retrahit hominem a peccato. Verum illa Principum vel Prælatorum omnium cautela utilis eſt atque laudabilis in qua totum agit ratio, & furor nihil ſibi vindicat. Pro pœnitentibus vero Deus Epiſcopum in Eccleſia ſtatuit, quamvis ipſe cor contritum & humiliatum non deſpiciat. Debet enim Epiſcopus quoſdam eorum, id eſt, pœnitentum, ſecundum modum culpae in actione pœnitentiae a corpore Chriſti & ſanguine ſeparare, & quibuſdam certum poenitentiae pondus imponere; qua peracta, reconcilientur, & fidelibus fratribus rurſus adgregentur, & in gremium ſanctae recipiantur Eccleſiae, a cujus ſocietate aberraverant peccando. Extra quam Eccleſiam non remittuntur peccata; nec quiſquam, niſi per eam, vitam poteſt aſſequi ſempiternam. Ipſe denique pro ſuo officio alios corrigit, & alios erudit, & alios cenſura juſtitiae dictante excommunicat. Ipſe quoque quoſdam nonnunquam objurgare detrectat, quia vel aptius tempus expectat, vel metuit ne increpati deteriores fiant. Non eſt enim omnibus hominibus una adhibenda doctrina; ſed pro qualitate morum diverſa debet eſſe exhortatio doctorum. Nam quoſdam increpatio dura, quoſdam vero exhortatio corrigit blanda. Non omnia denique tempora congruunt doctrinae; ſed ſecundum Salomonis ſententiam tempus tacendi, & tempus loquendi. Unde etiam ſaepefatus Papa Gregorius in viceſimo moralium libro dicit: *Sancti*, inquit, *viri cum vident quoſdam ſua verba deſpicere, intelligunt eos divinitus deſeri, & ideo gementes conticeſcunt*. Veruntamen non dicimus ut conticeſcat Epiſcopus odio malorum hominum territus, ſed conſilio caritatis; cui jubet Apoſtolus dicens: *Inſta opportune importune, obſecra, increpa, in omni patientia & doctrina*. Haec nos de duabus ſufficiat dixiſſe poteſtatibus quibus in praeſenti vita ſancta regitur & gubernatur Eccleſia, quibus etiam poſt Deum ſic inluſtrari cognoſcitur ſicut duobus magnis luminaribus, ſole videlicet & luna, tota mundi fabrica, aut ſicut duobus oculis totum humanum corpus decoratur & illuminatur. Quas nimirum poteſtates ſanctas fore nemo debet ambigere. Ipſas enim Deus & Dominus in ſua perſona ſacravit, univit, & ſanctificavit. Quibus etiam liber ſapientiae praecipit dicens: *Diligite juſtitiam qui judicatis terram. Sentite de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quaerite illum; quoniam invenitur ab his qui non tentant illum, apparet autem eis qui fidem habent in illum*. His inquam poteſtatibus ac principatibus terrenum regnum eſt diſtinctum atque diſpoſitum. Unde illi qui hanc poſitionem ab omnipotente Deo congruo ordine diſtinctam atque diſpoſitam conantur pervertere, de illorum numero videntur exiſtere qui ignorantes Dei juſtitiam, & ſuam volentes conſtituere, juſtitiae ejus non ſunt ſubjecti. Nonne ipſe Deus omnia in numero & menſura & pondere fecit? Nonne elementa hujus mundi, quamvis unum ab altero valde di-

ver-

Digitized by Google

verſum ſit, ſibi invicem concorda noſcuntur? Nonne Dominus in evangelio dicit: *Omne regnum in ſe ipſum diviſum deſolabitur, & domus ſuper domum cadet?* Denique quidam ſapiens dicit: *Concordia res minimae creſcunt, & diſcordia res maximae dilabuntur.* Verum nunc operae pretium eſt illud audire vel conſiderare quod olim Gregorius Papa ſanctiſſimus Sabino Conſtantinopolitano Diacono ſcripſit. Ait enim: *Unum eſt quod breviter ſuggeras ſereniſſimo Domino noſtro Imperatori, quia ego ſervus ejus, ſi in ejus mortem vel in Languobardorum conſiliis me voluiſſem inſerere, hodie Languobardorum gens nec Regem nec Duces nec Comites haberet, ſed in ſumma confuſione eſſent omnia. Sed quia Deum timeo, in mortem cujuslibet hominis me miſcere formido.* Proinde ego non aſtruo ut liceat cuiquam Regi vel Imperatori quicquam contra Dei praecepta aut ſanctorum canonum conſtituta facere vel inſtituere. Sed dico quod ſicut bonus Chriſtianus Regum legibus contra Deum conſtitutis obedire non debet, ſic & qui rationabiliter conſtitutis non obedit, male facit. Nam ſicut beatus teſtatur Auguſtinus, pax omnium rerum eſt tranquillitas ordinis. Ordo vero eſt parium & diſparium rerum ſua cuique rei diſpoſitio. Sed quia jam noſter ſermo forſitan nimis in longum protrahitur, reſtat ut amodo terminetur, ne prolixitate ſua generet legenti faſtidium. Claudendus inquam eſt liber iſte, quem ego Dei opitulante clementia, non tumore ſuperbiae, ſed fraterno compunctus affectu compoſui, deſiderans ut non tantum hae duae, de quibus hactenus tractavimus, poteſtates, ſed etiam omnes Chriſti cultores, concordes & ſibimet invicem ſint cohaerentes. Quod etiam praecipit ſanctus & ſapiens Apoſtolus dicens: *Pacem*, inquit, *ſectamini cum omnibus & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum*. Hoc quoque mandatum pium ac ſaluberrimum Chriſtus Dominus ſuis tradidit diſcipulis dicens: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem*. Et paſſioni jam proximus iterum dixit eis: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*. Porro ego praeſentem libellum exemplis ſanctae ſcripturae diligenter corroborare curavi, ne forte inveniatur vacuus & inutilis labor meus. Opto proinde ut omnes qui eum pio & benigno animo ſuſcepturi ſunt, valeant ſemper in Chriſto Jeſu Domino noſtro. Amen.

Explicit liber primus.

INCIPIT LIBER SECVNDVS.

Finito praecedenti libello, tacere deliberaveram, id eſt, a praeſenti negotio quieſcere, & alias animum applicare, cum ecce venit mihi in mentem illud quod ſcriptum eſt, quia in ore duorum vel trium teſtium ſtabit omne verbum. Et mox recaluit animus meus, & opportunum eſſe judicavi ut de hac eademque re, de qua jam unum librum ediderам, facerem & ſecundum, quatinus duobus libris res una validius firmetur & corroboretur. Porro libro ſuperiori omnem poteſtatem a Deo eſſe diſpoſitam ſatis, ſicut reor, oſtendimus. Nunc autem legentibus evidenter notificare decrevimus quod ipſe Deus duas ſpecialiter poteſtates in Eccleſia ſua ſancta collocavit atque conſtituit, regiam videlicet & ſacerdotalem, non abſque magno ac ſaluberrimo ſacramento. Quas duas poteſtates ipſa Dei ſapientia, carnem, in qua videri poſſet, aſſumens, in unitate ſuae perſonae ſuſcepit, & eas in ea ideo quadam germanitate ſibi mutuo ſociavit atque conjunxit ut & unum ſit in eis vinculum caritatis ſemper, quod nunquam disjungatur, & ut ambae ſibi invicem fideliter adhaerentes mutuo ſocientur & compaginentur. Vicaria enim ſui ope vel opitulatione ſemper indigent; & niſi ſibi invicem conveniant, fluctuat omne corpus Eccleſiae, & per incerta populus evagatur. Proinde quia in duobus praeceptis totam legem & Prophetas pendere ipſe Dominus dixit in evangelio, & quia caritas gemina eſſe dinoſcitur, (duo quippe ſunt ipſius caritatis praecepta, ſicut jam diximus) duas convenienter poteſtates Deus & Dominus omnium in Eccleſia ſtatuit, quibus diſpenſationem omnium quae intra ipſam geruntur committere procuravit. His inquam duabus poteſtatibus quaſi alis duabus fulcitur & ſuſtentatur; & his praedita, libero volatu penetrat caelum. Harum etiam induſtria poteſtatum olim tam in Iudaea quam inter gentiles meruit exaltari & nobiliter ſublimari, & harum poteſtatum pia cura ac vigilanti ſollertia extendit palmites ſuos a mari uſque ad mare. Quod quomodo contigerit, id eſt, qualiter per has duas poteſtates Dei gratia comitante creverit & adoleverit, pro modulo noſtrae ſcientiae noſtris nunc auditoribus referemus. Summatim tamen quaedam perſtringam, quia cuncta ad haec pertinentia generatim complecti non valeo. A Regibus tamen & Prophetis Iudaicae gentis exordium ſumam. Moyſes igitur dux pariter & Propheta Iſraheliticae gentis, ut modo melius Davidico utamur eloquio, percuſſit Ægyptum cum primogenitis eorum, & eduxit Iſrael de medio ejus in manu potenti & brachio excelſo, & diviſit mare rubrum in diviſiones, & eduxit Iſrahel per medium ejus, & excuſſit Pharaonem & virtutem ejus in mari rubro, & transduxit populum ſuum per deſertum, & percuſſit gentes multas, & occidit Reges fortes, Seon Regem Amorreorum, & Og Regem Baſan, & dedit terram eorum hereditatem populo ſuo, illum ſignificans Regem ac paſtorem mitiſſimum qui transfert in ſe credentes per ſpem & fidem de mortalitate ad immortalitatem. Vnde, ſicut in libro ſuperiori jam diximus, ſacroſancto myſterio in eremo Dei tabernaculum ae tificavit, & Aaron conſecravit, ac populo divinae legis praecepta propoſuit. Aaron vero in virga, quam ei ipſe tradiderat, operabatur ſigna & prodigia coram Pharaone & optimatibus ejus. Poſt Moyſen vero ſurrexit Ieſus filius Nave; cujus imperio impeditus eſt ſol ab itinere ſuo, donec expugnaret hoſtes populi Dei. Hic quoque fuit vir magnus & fortis, ſecundum nomen ſuum inter Reges atque Prophetas gerens figuram ſalvatoris noſtri, qui eſt Rex pariter & ſacerdos; qui & in figura & myſterio Iordanis alveum tranſiens, diviſit populo terram repromiſſionis in funiculo diſtributionis. Poſt hunc autem Samuel Propheta renovavit regnum, ungens Saulem in Regem; qui & hoſtes populi Dei ſuperavit, & fines regni ſui fideliter ampliavit. Veruntamen poſtea fortunae ſuae proſperitatibus evectus, ſuperbiens, Deo diſplicuit. Vnde pro eo modo dictus Propheta frequenter Dominum oravit; ſed tamen exauditus non eſt. Iam enim juſto judicio Dei condemnatus erat. Poſt Saulem autem regnavit David, qui interpretatur Rex fortis, qui vicit Goliam hoſtem immaniſſimum, ſignificans Regem illum fortiſſimum qui devicit diabolum totius humani generis inimicum. Porro David in toto corde ſuo dilexit eum qui exaltavit illum, & primus intulit arcam Dei in Ieruſalem cum laudibus & gloria magna; ediditque volumen egregium quod appellatur pſalterium. Quapropter tranſtulit Deus peccatum illius, & confirmavit regnum ejus in multas generationes. Cum enim in occulto, non in aperto, Vriae militis ſui uxorem adulterii contagio maculaſſet, & poſtmodum ipſum Vriam, ut facinus admiſſum tegi poſſet, hoſtium manibus mala fraude necari feciſſet, Nathan illum Propheta de ſuo facinore invectione publica redarguens increpavit, & confeſſione correptum conſequenter abſolvit. Poſt David autem regnavit Salomon filius ejus. Hic condidit templum Domino Deo ſuo ex lignis imputribilibus & pretioſis lapidibus, in quo ſancta figurabatur Eccleſia; & conſtituit in eo ſacerdotum officia in miniſteriis ſuis, & Levitas in ordine ſuo, ut miniſtrarent Domino juxta ritum uniuſcujuſque diei, ſicut praeceperat ei

Da-

David pater ejus. Sed & hic repletus ſapientia compoſuit ſyraſirim, in quo per epithalamium carmen canit myſtice conjunctionem Chriſti & Eccleſiae. In proverbiis quoque & in interpretationibus factus eſt admirabilis, & divulgatum eſt nomen ejus longe lateque. Sed cum polleret magnis opibus & gloria magna nimis, intumeſcens corde, effraenatus eſt in libidinem, & exarſit in concupiſcentia feminarum alienigenarum, & inſuper adoravit deos earum. Quam ob rem indignatus eſt Dominus, & concitavit adverſus eum Ieroboam filium Nabat ſervum ipſius. Scidit quoque regnum de manu filii ejus. Nam in Ieruſalem regnavit Roboam filius Nabat. Sed ne in ſingulis immorer, dum regnaret poſtmodum in Ieruſalem Rex Ezechias, & feciſſet quod erat placitum coram Domino Deo, juxta omnia quae fecerat David pater ejus, ſurrexit contra eum Sennacherib Rex Aſſyriorum multo vallatus exercitu. Tunc ſurgens Rex Ezechias & Iſaias Propheta oraverunt ad Dominum; quos Dominus exaudivit. Et in caſtris Sennacherib angelus deſcendit, qui de ejus exercitu centum octoginta quinque millia interfecit. Igitur Reges glorioſi a Deo inſpirati pro viribus ſuis ſanctam extulerunt Eccleſiam; & eorum pia cura ac vigilanti ſollertia adolevit primum in Iudaea, & demum in gentibus ſuos palmites dilatavit. Nihilominus etiam ſancti Prophetae illam ſuarum virtutum decore pariter ornaverunt, & auro ſuae ſapientiae nobilitaverunt. Conſtat ergo Reges atque Prophetas ſanctiſſimos vicaria ſui ope ſemper indiguiſſe. Eccleſiam autem ſynagogam appello; quoniam illa quae in ea fiebant, praeſentis Eccleſiae figuram gerebant; & in illo ſacrificio Chriſti figurabatur occiſio, cujus ſumus ſanguine redempti atque reparati. Sed & per ſabbati otium figurabatur requies beatorum. Ipſa etiam lex novum teſtamentum in figura praeceſſit. Vnde ſuperveniente evangelica luce, umbra conſequenter abſceſſit. Nunc autem ſanctorum Prophetarum vicem in Eccleſia Chriſti retinent ſacerdotes. Sic enim Dominus ad ipſam loquitur per Iſaiam Prophetam: *Ecce*, inquit, *conſtituam principes tuos ſicut antea, & conſiliarios tuos ſicut ab initio*. Et pſalmiſta: *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii; conſtitues eos principes ſuper omnem terram*. Igitur regiam & ſacerdotalem dignitatem Deus in terris ordinavit ſive diſpoſuit non abſque magno ac ſaluberrimo ſacramento. Vnde congruit & valde conveniens eſt ut hae duae poteſtates ſibi invicem fraterna caritate ſemper adhaereant, & ut ſe mutua ſollicitudine tueantur. Nam niſi invicem conveniant, fluctuat omne corpus Eccleſiae, & per devia populus agitatur. His enim duabus poteſtatibus quaſi duabus columnis fortibus atque firmiſſimis fulcitur atque ſuſtentatur. His etiam duabus poteſtatibus quaſi alis duabus ab adverſitatibus mundi hujus foetus ejus ambiuntur ac proteguntur. Illi vero qui his alis ambiri refugiunt, rebellare Deo noſcuntur. Haec & de Regibus & Prophetis Iudaicae gentis dixiſſe ſufficiat, ut paulatim & ſeriatim quod propoſuimus explanemus. Igitur poſtquam Deus ac Dominus noſter Ieſus Chriſtus hominem quem fecerat morte ſua a morte redemit aeterna, & captivitatem noſtrae carnis reſuſcitavit a mortuis & invexit in coelum, vetus evacuatum eſt teſtamentum, ſicut evacuari ſolet puerilis aetas fortiori aetate ſuperveniente. Vnus enim Deus per ſanctos Prophetas & famulos ſuos ſecundum ordinatiſſimam diſtributionem temporum dedit minora praecepta populo, quem timore adhuc alligari oportebat, & per filium ſuum majora populo, quem caritate jam liberari convenerat. Quorum praeceptorum geruli Chriſti fuere diſcipuli, qui cognominantur Apoſtoli. Ipſi quippe & eorum ſequaces probati in fide, longanimes in ſpe, potentes in opere & ſermone, patientes in tribulatione, & eruditi in omnibus quae fecit ipſe Dominus Jeſus Chriſtus, abierunt per orbem univerſum vomere verbi Dei mentes hominum proſcindentes, & in eis novorum praeceptorum ſemina jacientes, & Eccleſiae fundamenta locantes ſuper lapidem angularem Chriſtum Jeſum, in quo ambo parietes e diverſo venientes, de Judaeis videlicet & gentibus, gemina caritate copularentur. Beatus vero Petrus deſcendit Antiochiam, & ibi fundavit Eccleſiam, in qua primum a nomine Chriſti cognominati ſunt Chriſtiani. Inde quoque Romam venit; & ibi verbum Domini praedicans, per annos viginti & quinque tenuit ipſius urbis papatum. Ad cujus paſtoris ſolatium divinitus eſt miſſus Paulus Apoſtolus gentium, ut alter alteri ſolatio eſſet. Sed hos ambos Apoſtolos Nero ſaeviſſimus Imperator mortis damnavit ſententia. Porro poſt Petrum Apoſtolum Clemens, vir ſapientiſſimus, ab ipſo Petro conſecratus, Romanam regendam ſuſcepit Eccleſiam; qui & ipſe non multo poſt maris gurgitibus immerſus pro nomine Chriſti complevit martyrium. Et cum adhuc fere per orbem univerſum tyrannorum imperio ſimulacra colerentur, Marcellus urbis modo dictae Papa ſanctiſſimus in domo Lucinae matronae, quam Deo dicaverat, ad animalia publica cuſtodienda deputatus, vitam finivit. Et quae major nominis Chriſtiani injuria quam ſummum Pontificem, id eſt, ſanctae Romanæ Praeſulem Eccleſiæ, jumentorum ſtabularium eſſe? Omitto inquam multa alia crudelia & exquiſita tormenta quibus plures Domini ſacerdotes tam Romae quam alias, ut de aliis Chriſticolis taceamus, per annos ferme trecentos & decem ab incarnatione Domini per martyrii coronam ad aeternam pervenere felicitatem. Quo in tempore quiſque qui Chriſtiano gregi praeerat jure ſacerdotii, ad martyrii tormenta primus rapiebatur, & ſupplicia graviora patiebatur. Sed poſtquam populo ſedenti in umbra mortis, id eſt, in tenebris infidelitatis, lumen oſtenſum eſt veritatis, Conſtantinus Romanorum clementiſſimus Imperator edicto proprio conſtituit per totum Romanum imperium templa gentilium claudi, & aedificavit in eadem urbe plures Eccleſias; inter quas conſtruxit Eccleſiam beati Johannis Baptiſtae, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, quas etiam magnis poſſeſſionibus ditavit, auroque & argento locupletavit, atque eorundem Apoſtolorum ſacras reliquias auro puriſſimo ac gemmis pretioſiſſimis incluſit. Dedit etiam beato Papae Silveſtro & ſucceſſoribus ejus vigorem & honorificentiam imperialem, privilegio ſuo decernens ut principatum obtineant tam ſuper quatuor principales ſedes, Antiochenam videlicet, Alexandrinam, Conſtantinopolitanam, & Jeroſolymitanam, quam etiam ſuper univerſas per totum orbem Eccleſias, & ut Pontifex ſanctae Romanae Eccleſiae celſior exiſtat cunctis ſacerdotibus mundi hujus. Congruum quoque duxit imperii & regni Romani poteſtatem in orientali regione transferre, ut ibi lex ſancta caput teneat principatus ubi Apoſtolorum princeps Petrus crucis patibulum ſuſtinens occubuit, & ibi gentes colla flectant ubi earum doctor Paulus extenſo collo pro Chriſto martyrio eſt coronatus, & ibi Domini noſtri famulentur officio ubi quondam terreni Regis ſerviebant imperio. Ad ſummum proinde tradidit Romano Pontifici palatium ſuum Lateranenſe & coronam capitis ſui & chlamydem purpuream & cetera omnia ornamenta imperialia & omnem gloriam ſuae poteſtatis & proceſſionem imperialem & dignitatem imperialium equitum palatio praeſidentium. Decrevit etiam Clericos ſanctae Romanae Eccleſiae ſervientes habere potentiam & praecellentiam, id eſt, Conſules atque Patricios effici, necnon & ceteris dignitatibus imperialibus decorari, ut ſicut ornabatur imperialis militia, ita & ipſe clerus ornetur, & ſancta Romana decoretur Eccleſia, ut ampliſſimo honore apex pontificalis effulgeat. Quod privilegium obtulit ſuper corpora ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, eligens ſibi ipſum principem Apoſtolorum ejuſque vicarios firmos apud Deum interceſſores atque patronos. Et hoc quidem honore digniſſimo Conſtantinus Romanorum clementiſſimus Imperator ſanctam Eccleſiam extulit ac honoravit. Verum epiſcopalis dignitas longe glorioſius a Deo meruit exaltari. De-

dit enim eis, id eſt, Epiſcopis, Deus ac Dominus noſter Ieſus Chriſtus poteſtatem aperire & claudere caelum hominibus. Quo eos pollere privilegio intelligens memoratus Imperator Conſtantinus, in Nicaena ſynodo poſt omnes Epiſcopos ultimus reſidens, nullam judicii ſententiam ſuper eos dare voluit; ſed illos omnes deos vocans, non ſuo eos ſubeſſe debere judicio, ſed ſe ad eorum pendere judicavit arbitrium. Nam eorundem Praeſulum officium eſt ab injuſto tramite revocare regiam poteſtatem, & ſi ei non adquieverit, etiam excommunicare. Quod in veteri lege ſancti Prophetae feciſſe comperiuntur. Nathan quippe Propheta, ſicut jam praemiſſum eſt, peccatum quod Rex David fraudulenter & occulte commiſerat, ei publice denudavit, & confeſſione correptum conſequenter abſolvit. Et in novo teſtamento beatus Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus majorem Theodoſium Imperatorem pro ſuo facinore ab eccleſiaſtica communione publice palamque ſuſpendit, & ad pœnitentiam redegit regiam poteſtatem. Sanctus etiam Germanus Pariſiorum Epiſcopus Aribertum Regem Francorum, quia uxore ſua legitima derelicta, duas ſibi ſubintroduxerat uxores, excommunicavit. Et quia correptus non eſt, Dei judicio percuſſus, in eadem excommunicatione mortuus eſt. Neceſſe eſt enim ut temeritas malorum Principum ſanctorum auctoritate Praeſulum refraenetur & dignis coërtionibus comprimatur: quae ſi non fuerit digna caſtigatione reſtricta praebebit populo facilem peccandi facultatem. Fornicatores autem & adulteros Apoſtolus Paulus a contubernio ceterorum ſeparat Chriſtianorum, ubi cum ejuſmodi nec cibum dicit eſſe ſumendum. Vnde merito ab Eccleſia ſegregantur, & a ſacramentis altaris arcentur. Eccleſiaſticae vero diſciplinae jugum nemo catholicus a cervice ſua debet abigere, ſed ſacerdoti ſalubria ſibi ſuggerenti parere: quia, ſicut Samuel Propheta teſtatur, melior eſt obedientia quam victimae, & auſcultare magis quam offerre adipem arietum. Obedientia ergo victimis jure praeponitur: quia per victimas aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactatur. Tanto inquam quiſque Deum citius placat quanto ante ejus oculos arbitrij ſui repreſſa ſuperbia gladio timoris Dei voluptates ſuas a ſe praecidendo debilitat. Obedientia nempe eſt virtus quae principaliter fidei meritum poſſidet: qua quiſquis caruerit, infidelis eſſe convincitur, etiamſi fidelis eſſe probetur: quam qui ſacerdotibus non exhibet, Deo repugnare videtur. Ab eis enim, id eſt, a ſanctis Praeſulibus, ſicut ſupra retulimus, per univerſum orbem quondam fides catholica diffuſa eſt. Apoſtoli quippe, quorum ipſi ſunt heredes, ſive diſcipuli, adhaerentes Chriſto ſummo Pontifici, inventi ſunt praecipue perſecutionis tempore fide firmi ac religione praecipui & metu mortis interriti. Vnde nunc omnis Chriſtianus recte eorum expetit ſuffragio a peccatorum ſuorum nexibus enodari, & eos honorat & excolit velut patres atque magiſtros. Verum quia de his pro tempore ſatis jam diximus, decet ut iterum de Regum antiquorum magnificentia vel liberalitate, qua ſanctam extulerunt Eccleſiam, pauca neſcientibus retegamus. Pipinus Rex Francorum Adriani Papae precibus invitatus Romam venit, & eundem Romanum antiſtitem ab infeſtatione Haiſtulfi Regis Italiae magnifice liberavit, & prædia ei erepta reſtituit. Adriano vero Papae Leo ſucceſſit; quem Romani multis injuriis affecerunt, & a ſua ſede pariter expulerunt. Sed & hunc Karolus Rex Francorum magnificus Romam veniens loco ſuo reſtituit, & inimicos ejus morte multavit, multaque in auro & argento Eccleſiae beati Petri largitus eſt munera. Imperatoris quoque Henrici ſecundi temporibus iterum Romani Clementem Papam multis contumeliis affectum a ſua cathedra repulerunt. Quod praefatus audiens Imperator, Romam venit, & eum in propria ſede repoſuit. Poſt deceſſum vero Papae Clementis, rurſus Romani quondam inutilem puerum Papam ordinaverunt. Sed & hunc Henricus tertius, Henrici ſupradicti ſucceſſor & filius, a ſede depoſuit, & Gregorium ſextum illi ſubſtituit. Quidam denique Regum & Imperatorum pro Dei amore & delictorum ſuorum expiatione, alios benignitatis fructus indigentibus exhibuere. Alii vero pro ſibi ſubdita gente multas pertulerunt anxietates, & quidam pacem regni ſuis prætulere periculis. Sed & quidam illorum fures, adulteros, & omnes aeque ſacrilegos exquiſitis interimentes ſuppliciis, magna populo ſuo beneficia contulerunt. Alii quoque leges diſcretione praecipuas & honeſtas populis tradiderunt. Alii vero fuerunt benignitate praecipui, & alii ſenſati, & facundia praediti, & alii pacifici, & alii univerſa morum probitate conſpicui. Alii ipſorum etiam diverſis aedificiis Eccleſias ornaverunt, & alii victricibus armis gentem perfidam a regni ſui finibus expulerunt: quibus omnibus indiget Eccleſia. Quidam etiam in ſuis fundis aedificaverunt Eccleſias, in quibus viros poſuere religioſos, & eis ſua praedia contulerunt, ut ex eorum redditibus viverent, & ibi dein ſine ſollicitudine nocte dieque Domino miniſtrarent, homines ſanctos & honeſtos eis praeponentes, quos appellamus Abbates, qui eos diligenter divinis mandatis imbuerent, & eis pariter neceſſaria providerent. Ex eo quoque tempore cœperunt etiam praeſulatus honorem quibuſque viris religioſis & divinis dogmatibus diligenter excultis regali munificentia tribuere & Eccleſiae Dei paſtores digniſſimos providere. Qua diſcreta conſuetudine uſi ſunt multi Reges & Principes uſque ad tempora noſtra in promovendis viris doctiſſimis atque ſanctiſſimis, ſicut in ſuperiori jam diximus libro. Vnde etiam ille magnus Papa Gregorius, cujus hodie ſacri flores eloquii redolent in ſancta Eccleſia, Mauricio Imperatore jubente conſecrari non renuit. Quod & ante eum beatus feciſſe legitur Ambroſius Mediolanenſis Archiepiſcopus, vir ſanctiſſimus; qui Valentiniano Imperatore jubente, præſulatum prædictæ ſuſcepit Eccleſiae. Hoc etiam fecere multi viri catholici, quos & decorabat morum elegantia atque ſanctiſſima vita. De quorum numero fuiſſe noſcuntur ſanctus Andoënus Rothomagenſis Archiepiſcopus & ſanctus Eligius Noviomenſis antiſtes, viri Deo gratiſſimi, ſicut eorum indicant actus, qui Regis Dagoberti munere pontificari meruere. Veruntamen propter eos qui violenter in Eccleſia ſe ingerunt, & præſulatus honorem ab irreligioſis Principibus pecunia comparant, amantes ſuperbiam & temporalem dominationem cum vana pompa & arrogantia mundi hujus, ſtatuit ſancta Nicæna ſynodus ne quis præter voluntatem & conſenſum Metropolitani ſui ullatenus fiat Epiſcopus. Quod & poſtmodum venerabiles Romani corroboravere Pontifices, videlicet Gelaſius, Cæleſtinus, & Leo ſanctiſſimus, decernentes ut nulla ratione fiat Epiſcopus qui nec a Clericis eſt electus, nec a plebibus expetitus, nec a provincialibus Epiſcopis Metropolitani judicio conſecratus. Vnde ſalutiferum & opportunum eſſe ſperamus ut ſi Rex aut quislibet pius Princeps præſulatus honorem viro ſancto ordinabiliter tribuere vult, ne hoc ſuo ſolo faciat arbitrio, ſed conſilio & conſenſu Metropolitani Epiſcopi. Nam pro eis qui ſe contra cenſuram religioſam provehunt, & culmen regiminis potius ſibi rapiunt quam aſſequuntur, ſolet ſæpe diſſenſio pullulare, & oritur nonnumquam in populo gravis pernicies. Vnde nobis cautum forte videtur ut ſi res hujuſmodi, pravorum ſtudiis obſtantibus, competenter minime perfici potuerit, ut tamdiu differatur donec in generali ſynodo rationabiliter atque legitime terminetur. Proinde Regis officium eſt etiam diſſidentes Epiſcopos reconciliare, ſicut multis documentis poſſumus adprobare. Imperatoris quippe Valentiniani junioris temporibus Sixtus Romanus Pontifex incriminatus eſt a quodam Baſſo. Quod audiens modo dictus Auguſtus, pia cura juſſit Concilium celebrari; in quo purgatus eſt Papa Sixtus a crimine, & Baſſus condemnatus eſt. Theodorici etiam Regis Italiæ temporibus Symma-

chus

chus ſedem obtinuit apoſtolicam, & eodem die Laurentius provectus eſt ad eundem gradum per ſeditionem. Quod ſenatus Romanus Regi Theodorico intimavit, & ut eis mitteret qui ordinaretur Apoſtolicus ſuggeſſit. At ille miſit eis Petrum Altinæ civitatis Epiſcopum. Sed Symmachus convocavit Concilium centum & viginti quinque Epiſcoporum, in quo purgavit ſe ab his quae ei obiciebantur; & ita demum uſque ad diem ſuae dormitionis permanſit Apoſtolicus, & Laurentius privatus eſt ſede ſua. Anno quoque incarnationis dominicae nongenteſimo ſexageſimo ſecundo Octavianus Papa, cum de inreligioſitate culparetur, Othone Romano Imperatore jubente a ſua ſede expulſus eſt, & Iohannes ſeptimus ei eſt ſubſtitutus. Verum cum modo dictus Imperator a Roma diſceſſiſſet, Romani Octavianum receperunt, & Iohannem ab urbe expulerunt, & Benedictum Papam ordinaverunt. Quod Imperator Otho comperiens Romam rediit, & praefatum Papam Benedictum judicio ſynodali depoſuit, & Iohannem loco ſuo reſtituit. Itaque, ſicut evidenter ſermo noſter aperuit, Regi rite ſubjacere videntur omnes regni ipſius Epiſcopi, ſicut patri filius deprehenditur eſſe ſubjectus, non natura, ſed ordine, ut univerſitas regni ad unum religatur principium. Ad eum denique pertinet illas quæ ad querelas veniunt cauſas in toto regno ſuo prudenter audire & auctoritatis ſuæ privilegio corrigere vel pacificare. Vnde reprehendi a quibuſdam ſolet quod Gregorius ſeptimus conſecrari vitavit conſenſu & licentia Imperatoris. Pro qua re diſſenſio iſta proceſſit, & fiunt cotidie cædes Chriſtianorum, & loca Deo ſacrata Romano ſanguine polluuntur & contaminantur, Eccleſiæ ſolo tenus evertuntur, & Chriſticolae a ſuis domibus excluduntur, & caſtella & vici & villae flammis ardentibus conſumuntur; & nullus, proh dolor, invenitur qui cauſam iſtam caute diſcutiat, prudenter examinet, ac juſte determinet. Clerus & populus in ambiguo poſitus eſt, & magniloqui ſive magnates nolunt brachia ſua, id eſt, vires ſuas, extendere contra impetum tribulationis; ſed facti ſunt quique potentes velut arietes invicem ſe debellantes. Reprehenditur etiam illud decretum ipſius in quo continetur ut nullus Epiſcoporum inveſtituram epiſcopatus vel abbatiae de manu Regis vel Imperatoris ſuſcipiat, propter viros ſanctos qui dudum Regum vel Imperatorum munere, ſicut ſupra retulimus, pontificatus honorem recipere non recuſaverunt, quod nunquam feciſſent, ſi in hac re culpam latere noviſſent. Nec, ut ſperamus, Deus illos tantis miraculis coruſcare faceret, niſi eorum vita coram ipſo laudabilis extitiſſet. Supervacua igitur eſſe videtur. Porro pompa mundi hujus quibuſque Principibus ſuperbiae & elationis tumorem ingerere ſolet; & dum illicita committunt, reprehenſoribus ſuis dicere ſolent. Nos a nemine debemus judicari, & ſub nullius ſumus poſiti poteſtate, indomabiles ſe praebentes medicis ſpiritalibus, id eſt, ſanctis doctoribus, qui eorum delicta paterna ſcirent poſſentque pietate curare. Itaque in languore ſuo permanent donec deficiant, non attendentes illud ſapientiſſimum dictum: *Omnia*, inquit, *mihi licent, ſed non omnia expediunt*. Qui ſi Deum timerent, & ignem illum qui paratus eſt diabolo & ſatellitibus ejus, nimirum illud animo ſaepe revolverent quod in beati Iob libro ſcriptum eſt: *Nunquid juſtificari poteſt homo comparatus Deo, aut apparere mundus natus de muliere? Ecce & luna non ſplendet, & ſtellæ non ſunt mundæ in conſpectu ejus. Quanto magis homo putredo, & filius hominis vermis? Corpus enim quod corrumpitur adgravat animam, & terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem*. Verum nunc vereor ne quis me redarguens dicat. Non eſt tuum, frater, honorabiles ac ſublimes increpare perſonas, quorum peccata Deus judicanda ſuo reſervat judicio. Sed meminerit quiſquis ille eſt quia beatiſſimus Petrus Apoſtolus, qui ceteris omnibus Apoſtolis praeminebat, & cui Deus ac Dominus noſter Ieſus Chriſtus ore proprio locutus fuerat dicens, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portae inferi non praevalebunt adverſus eam, & tibi dabo claves regni caelorum, & quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in caelis, & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in caelis*, quod hunc Paulus nuper ad fidem converſus auſus eſt reprehendere, ac divino zelo ſuccenſus coram omnibus increpare. Sic etenim idem Apoſtolus Paulus ſcribens ad Galatas dicit: *Cum veniſſet Cephas Antiochiam, in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat. Prius enim quam venirent quidam ab Iacob, cum gentibus edebat. Cum autem veniſſent, ſubtrahebat & ſegregabat ſe timens eos qui ex circumciſione erant. Et ſimulationi ejus conſenſerunt ceteri Iudaei, ita ut & Barnabas duceretur ab eis in illam ſimulationem. Sed cum vidiſſem quod non recte ambularent ad veritatem evangelii, dixi Cephae coram omnibus: Si tu, Iudaeus cum ſis, gentiliter vivis, & non Iudaice, quomodo gentes cogis Iudaizare. Nos natura Iudaei, & non ex gentibus peccatores. Scientes autem quod non juſtificatur homo ex operibus niſi per fidem Ieſu Chriſti, & nos in Chriſto Ieſu credimus, ut juſtificemur ex fide Chriſti, & non ex operibus legis*. Ergo ſi tantus Apoſtolus, carnis infirmitate praepeditus, reprehenſibilis inventus eſt, quanto magis ille reprehenſibilis eſt cujus cor tumet, & quaſi magna cogitans, attonitos habet oculos? Veruntamen ille qui ceteris Apoſtolis eminebat, & quem Dominus Ieſus Chriſtus magiſter optimus ore ſuo docuerat & ſpiritus ſanctus illuminaverat, Paulum nuper ad fidem converſum ſalubria ſibi ſuggerentem humiliter audire non renuit, ſed illi penitus adquievit. Homo vero faſtu potentiae ſeculi hujus praeditus, ſicut in libro Iob legitur, in ſuperbiam erigitur, & tamquam pullum onagri ſe liberum natum putat, ideoque reatum ſuum cognoſcere & ſanctis hominibus aſſenſum praebere detrectat. Veruntamen Deus ſapientes homines ſaepe per ſimplices quoſque ſolet inſtruere. Vnde & Balaam Propheta, qui mercedem amavit iniquitatis, correctorem habuit ſuae veſaniae animal mutum cui inſidere ſolebat. Excelſus quippe Dominus & humilia reſpicit & excelſa a longe cognoſcit. Humilia inquam reſpicit ut attollat, & excelſa, id eſt, ſuperba, ut deiciat. Quapropter oportet ut quicunque culmen honoris obtinet, ſe diligenter attendat, & nulla ſe ipſum adulatione ſeducat, ſed intelligat cum quanto periculo mortis aeternae & cum quanta penuria perfectae juſtitiae peregrinemur a Domino. Nam licet ſint ſpecioſi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona, tamen de terra ſicca pulverem contrahere ſolent. Et ſi hoc diſpenſatores verbi Dei & miniſtri ſacramentorum ejus, quanto magis quaedam provincia magni Regis? Vnde pſalmiſta Domino dicit: *Beatus quem tu erudieris, Domine, & de lege tua docueris eum*. Sed his modo ſepoſitis, operae pretium eſt beati Papae * Leonis decretum noſtris auditoribus propalare, & quid de ordinando Papa ſanxerit, neſcientibus intimare. Qui cum anno incarnationis dominicae MLVIII. Papae Leoni ſucceſſiſſet, anno ordinationis ſuae ſecundo Concilium habuit in baſilica Lateranenſi menſe Aprili, Indictione duodecima; in qua reſidens, omnibus ſibi circumſidentibus dixit.

* Nicolai.

„ Novit modeſtia veſtra, fratres cariſſimi & coe-
„ piſcopi, inferiora quoque membra non latuit, de-
„ functo piae memoriae domno Stephano deceſſore
„ noſtro, haec apoſtolica ſedes, cui Deo actore deſer-
„ vio, quot adverſa pertulerit, quot denique per ſi-
„ moniacae haereſis trapezetas malleis & crebris tun-
„ ſionibus ſubjacuerit, adeo ut columna Dei viventis
„ jamjam pene videretur nutare, & ſagena ſummi
„ piſcatoris, procellis intumeſcentibus, in naufra-
„ gii profunda ſubmergi. Vnde, ſi placet fraternitati
„ veſtrae, debemus auxiliante Deo futuris caſibus pru-
„ denter occurrere & eccleſiaſtico ſtatui, ne redivi-
„ va, quod abſit, mala praevaleant in poſterum prae-
„ videre. Quapropter inſtructi praedeceſſorum noſtro-

„ rum aliorumque ſanctorum patrum auctoritate de-
„ cernimus atque conſtituimus ut obeunte hujus Ro-
„ manæ univerſalis Eccleſiæ Pontifice, in primis Car-
„ dinales Epiſcopi diligentiſſima ſimul conſideratio-
„ ne tractantes, mox ſibi Clericos Cardinales adhi-
„ beant, ſicque reliquus clerus & populus ad conſen-
„ ſum novae electionis accedant. Et ne venalitatis
„ morbus qualibet occaſione ſubripiat, religioſi viri
„ praeduces ſint in promovendi Pontificis electione,
„ reliqui autem ſequaces. Et certe rectus atque legiti-
„ mus hic electionis ordo perpenditur, ſi perſpectis
„ diverſorum patrum regulis ſeu geſtis, etiam illa bea-
„ ti Leonis ſententia recolatur: *Nulla*, inquit, *ratio
„ ſinit ut inter Epiſcopos habeantur qui nec a Clericis
„ ſunt electi, nec a plebibus expetiti, nec a comprovin-
„ cialibus Epiſcopis Metropolitani judicio conſecra-
„ ti*. Quia vero ſedes apoſtolica cunctis in orbe ter-
„ rarum praefertur Eccleſijs, atque ideo ſuper ſe Me-
„ tropolitanum habere non poteſt, Cardinales Epi-
„ ſcopi procul dubio Metropolitani vice funguntur,
„ qui electum antiſtitem ad apoſtolici culminis api-
„ cem provehant. Eligant autem de ipſius Eccleſiæ
„ gremio, ſi repertus fuerit idoneus; vel ſi de ipſa
„ non invenitur, ex alia aſſumatur. Salvo debito
„ honore & reverentia dilecti filii noſtri Henrici,
„ qui in praeſentiarum Rex habetur, & futurus Im-
„ perator Deo concedente ſperatur, ſicut jam ſibi
„ conceſſimus & ſucceſſoribus illius qui ab hac apo-
„ ſtolica ſede perſonaliter hoc jus impetraverint.
„ Quod ſi pravorum atque iniquorum hominum ita
„ perverſitas invaluerit ut pura, ſincera, atque gra-
„ tuita electio fieri in urbe non poſſit, Cardinales
„ Epiſcopi cum religioſis Clericis catholiciſque lai-
„ cis, licet paucis, jus poteſtatis obtineant eligere
„ apoſtolicae ſedis antiſtitem ubi congruentius judi-
„ caverint. Plane poſtquam electio fuerit facta, ſi
„ bellica tempeſtas vel qualiſcunque hominum co-
„ natus malignitatis ſtudio reſtiterit ut is qui ele-
„ ctus eſt in apoſtolica ſede juxta conſuetudinem in-
„ thronizari non valeat, electus tamen ſicut Papa
„ auctoritatem obtineat regendi ſanctam Romanam
„ Eccleſiam & diſponendi omnes facultates illius:
„ quod beatum Gregorium ante electionem ſuam
„ feciſſe cognoſcimus, quod ſi quis contra hoc de-
„ cretum noſtrum ſynodali ſententia promulgatum
„ per ſeditionem vel praeſumptionem aut quodlibet
„ ingenium electus aut etiam ordinatus ſeu inthroni-
„ zatus fuerit, auctoritate divina & ſanctorum Apo-
„ ſtolorum Petri & Pauli perpetuo anathemate cum
„ ſuis auctoribus, factoribus, ſequacibus, a liminibus
„ ſanctae Dei Eccleſiae ſeparatus, ſubiiciatur ſicut
„ Antichriſtus & invaſor atque deſtructor totius Chri-
„ ſtianitatis, nec aliqua ſuper hoc audientia aliquando
„ ei reſervetur, ſed ab omni eccleſiaſtico gradu, in
„ quocunque prius fuerat, ſine retractatione depo-
„ natur: cui quiſquis adhaeſerit, vel qualemcumque
„ tanquam Pontifici reverentiam exhibuerit, aut in
„ aliquo eum defendere praeſumpſerit, pari ſenten-
„ tia ſit mancipatus. Quiſquis autem hujus noſtri
„ decreti vel ſententiae violator extiterit, & Roma-
„ nam Eccleſiam ſua praeſumptione confundere &
„ perturbare contra hoc ſtatutum tentaverit, perpe-
„ tuo anathemate atque excommunicatione damne-
„ tur, & cum impiis, quando reſurgent in judicio,
„ reputetur. Omnipotentis ſcilicet Dei patris & filii
„ & ſpiritus ſancti contra ſe iram ſentiat, & ſan-
„ ctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, quorum prae-
„ ſumit confundere Eccleſiam, in hac vita & in fu-
„ tura furorem reperiat. Fiat habitatio ejus deſerta,
„ & in tabernaculis ejus non ſit qui inhabitet. Fiant
„ filii ejus orphani, & uxor ejus vidua. Commotus
„ commoveatur ipſe & filii ejus, & mendicent, &
„ eijciantur de habitationibus ſuis. Scrutetur fœne-
„ rator omnem ſubſtantiam ejus, & diripiant alieni
„ labores ejus. Orbis terrarum pugnet contra illum,
„ & cetera elementa ſint ei contraria; & omnium
„ ſanctorum quieſcentium merita illum confundant,
„ & in hac vita ſuper eum apertam vindictam oſten-
„ dant. Obſervatores autem hujus noſtri decreti Dei
„ omnipotentis gratia protegat, & auctoritate beato-
„ rum Petri & Pauli ab omnibus vinculis abſolvat
„ peccatorum.

„ Ecce iſte Papa ſanctiſſimus ſano ac ſaluberrimo conſilio & diſcretione praecipua in ordinatione Domini Papae debitum honorem & reverentiam Imperatori reſervans, illud Apoſtoli Petri mandatum obſervat quod ſcripſit idem Apoſtolus in epiſtola ſua dicens: *Subiecti eſtote omni humanae creaturae propter Deum, ſive Regi quaſi praecellenti, ſive Ducibus quaſi ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum; quia ſic eſt voluntas Dei ut bene facientes obmuteſcere faciatis imprudentium hominum ignorantiam, quaſi liberi, non quaſi velamen habentes malitiæ libertatem, ſed ſicut ſervi Dei*. Per terrenum quippe regnum cœleſte tunc proficit dum quod ſacerdos non praevalet efficere per doctrinae ſermonem, regia poteſtas hoc agit vel imperat per diſciplinae terrorem. Decet igitur ut unicuique poteſtati ſuae auctoritatis privilegium ſibi ſemper ſalvum & incolume perſeveret. Denique, ſicut Paulus Apoſtolus docet, nemo ſacerdotium ſibi praeripere debet, ſed qui vocatur a Deo tamquam Aaron. Nam & Chriſtus non ſemetipſum clarificavit ut Pontifex fieret, ſed qui locutus eſt ad eum, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Et in alio loco: *Tu es ſacerdos in aeternum ſecundum ordinem Melchiſedech: qui in diebus carnis ſuae preces ſupplicationeſque ad eum qui poſſit eum a morte ſalvum facere cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reverentia. Et quidem cum eſſet filius, didicit ex his quae paſſus eſt obedientiam, & conſummatus factus eſt in omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis aeternae, appellatus a Deo Pontifex juxta ordinem Melchiſedech*. Ergo decet ut Epiſcopi quique ſequantur formam quae praeceſſit in capite, ut & ipſi inveniantur digni offerre ſpiritales hoſtias acceptabiles Deo per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, cujus umbra noſcuntur exiſtere. Denique regia poteſtas ſpernenda non eſt; quia Regis officium eſt totum ſibi ſubjectum populum ab errore corrigere & ad aequitatis atque juſtitiae ſemitam revocare. Vnde in libro Iudicum reperies quia antequam Regem haberent filii Iſraël, Ionathas filius filii Moyſi, cum inter Levitas deputatus eſſet, praeſumpſit ſibi ſacerdotium; quia unuſquiſque, inquit, ſibi placita faciebat, eo quod non eſſet Rex in Iſraël. Ipſius etiam officium eſt molas iniqui conterere & de faucibus ejus praedam eripere, ut recte pater pauperum & oculus cœcorum & pes claudorum nominari poſſit & eſſe. Ipſe quoque debet eſſe ſanctae defenſor Eccleſiae. Vnde honorandus eſt tam ab omnibus ſui regni Praeſulibus quam a ceteris omnibus quibus praeeſt, etſi non propter ſe, vel propter honorem & gradum quem a Deo accepit. Nec nos movere debet quia multi pravi & pauci boni Reges inveniuntur. Frumentum enim in comparatione palearum valde exiguum eſſe videtur. Sed novit agricola quid faciat de ingenti acervo palearum, & novit Deus qui ſunt ejus. Suſtinet tamen pravos, ut ſuorum electorum fidem atque prudentiam per illorum perverſitatem exercendo confirmet, & quia de numero eorum multi convertuntur & corriguntur. Suſtineamus ergo & nos eos quos eſſe videmus injuſtos, & amemus eos quos juſtos eſſe videmus. Non tamen dico ut toleremus malos carnali timore, ſed Dei amore. Nec dico ut amemus eos expectantes ab eis pro noſtro amore carnalem retributionem, aut ut ſerviamus eis propter commoda temporalia aut propter gloriam temporalem, nec ut ponamus in eis ſpem noſtram: quoniam maledictus eſt homo qui ſpem ſuam ponit in homine. Nec dico ut exhibeamus eis noſmetipſos miniſtros ad male faciendum, ut eis placere poſſimus: quoniam diſſipabit Deus oſſa eorum qui hominibus placent, ſicut pſalmiſta teſtatur. Sed ut amemus juſtos quia juſti ſunt, & toleremus malos caritate illius qui eos nobis aequo ju-

dicio

dicio praetulit atque praepoſuit. Legem quippe non implet niſi caritas. Et ſi nos diabolus per eos occultus impugnat, clamemus illud pſalmiſtae. *Deus meus, eripe me de manu legem praetereuntis & iniqui, quoniam tu es patientia mea a juventute mea.* Et precemur illum ut miſericordiæ ſuæ dulcedinem inſtillet in nobis. Etenim, ſicut teſtatur pſalmiſta, cuſtodit Dominus omnes diligentes ſe, & omnes peccatores diſperdet. Et liber ſapientiæ dicit: *Multi potentes oppreſſi ſunt valide, & glorioſi traditi ſunt in manus exterorum.* Et Job: *Adprehendet impium quaſi aqua inopia, nocte opprimet eum tempeſtas, & tollet illum ventus urens.* Denique ſi per eos, id eſt, ſi per pravos Praelatos diabolus non inſtigat verbo aut urget tormento ut malum peragamus, mox illis reſpondeamus, quia obedire Deo oportet magis quam hominibus. Nec quibuslibet tormentis exuperemur, quia non ſunt condignae paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis. Proinde movet pleroſque quod juſti in hac vita multa patiantur adverſa, mali vero magnis proſperitatibus gaudent. Sed de ſuis tribulationibus exultat Paulus Apoſtolus dicens: *Gloriamur in tribulationibus, ſcientes quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia vero probationem, & probatio ſpem. Spes autem non confundit, quia caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum qui datus eſt nobis.* Quo ſpiritu referti vel inebriati quique viri perfecti omnes adverſitates mundi hujus propter eum tolerant qui pro eis mori non dedignatus eſt. Pro eo inquam quod ardenti amore diligitur omnia tolerantur. At impatiens, dum mala quae ei juſte a Deo inferuntur pati renuit, non efficit ut a malis eruatur, ſed ut mala graviora patiatur. Nemo enim leges omnipotentis evadit; ſed omnis creatura, velit nolit, militat Deo & illius ſubjacet poteſtati. Sed boni libera voluntate, ſicut boni filii, Deo ſervire noſcuntur, & faciunt quod bonum eſt. Mali quoque Deo ſerviunt, ſed neceſſitate; & fit de illis quod juſtum eſt. Itaque & de bonis & de malis Deus bene facere conſuevit. Veruntamen quicquid ab eo fit, juſte fit. Igitur aequius eſt ut nos ejus ſequamur quam ille noſtram ſequatur voluntatem; ut eo ipſo quo nos ejus ſequimur voluntatem, ordinati eſſe incipiamus. Unde congruum eſt ut ſi quis uſpiam eſt qui duas has de quibus loquimur poteſtates ab invicem per diſcordiam ſejunxit ac ſeparavit, ne negligat agere poenitentiam, & nequaquam letali & mortiferae plagae per pudorem addat tumorem. Nihil enim eſt infelicius, nihil ſceleſtius, quam de vulnere quod latere non poteſt non erubeſcere & de ligatura ejus erubeſcere. Satagat inquam qui hoc ſcelus admiſit Deo ſatisfacere per poenitentiae dolorem & per humilitatis gemitum & per contriti cordis ſacrificium, cooperantibus eleemoſynis. Non enim praecipitur nobis ut tantummodo ceſſemus a peccatis; ſed & de praeteritis, inquit, deprecare Dominum. Omnibus denique peccatoribus poenitentia neceſſaria eſt: quam qui contemnit agere, aut Dei flagello plerumque percutitur, aut morte conteritur. Unde peccatorum admonet liber ſapientiae dicens: *Fili, ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Subito nempe veniet ira illius, & in tempore vindictae diſperdet te.* Et de poenitente in libro Job hoc invenies ſcriptum: *Si reverſus fueris ad omnipotentem, aedificaberis & longe facies iniquitatem a tabernaculo tuo. Dabit tibi pro terra ſilicem, & pro ſilice torrentes aureos; & argentum coacervabitur tibi, & afflues deliciis; & rogabis eum, & exaudiet te. Erit omnipotens contra hoſtes tuos, & decernens rem & veniet tibi.* Et paulo poſt: *Qui inclinaverit oculos, ipſe ſalvabitur.* Plura parabam adhuc dicere. Sed ne legentibus taedium ingeram, non placet amplius producere librum ac protelare ſermonem; maxime cum ſuper haec omnia multa in altero libro dixiſſe me recolo, quae ſemel audiſſe ſapienti ſufficere debent.

Explicit liber ſecundus.

GEROHI

Praepoſiti Reicherſpergenſis expoſitio in pſalmum LXIV. ſive liber de corrupto Eccleſiae ſtatu. Ad Eugenium III. Papam.

Epiſtola ad Henricum Presbyterum Cardinalem.

PSalmo ſexageſimo quarto de duabus civitatibus inter ſe contrariis, Jeruſalem videlicet ac Babylonia, earumque civibus item inter ſe contrariis agitur. De quorum permixtione ac diſtinctione in tempore Papae Eugenii largo tractatu agentes, hunc ipſum pſalmum pro materia tunc habuimus, cumque ipſi beatae memoriae Pontifici legendum praeſentavimus, hac intentione ſcilicet ut curia Romana, quae conteſtante Petro Eccleſia eſt in Babylone collecta, per nomen Babylonis tropice notata urbe Roma, ut inquam curia illa ſemetipſam adtenderet, ſeſeque ac pariter Eccleſiam totam, quam regere debet, a confuſione Babylonica diſtinctam exhibere ſatageret ſine macula & ruga. Neque enim vel hoc ipſum carere macula videtur quod nunc dicitur curia Romana quae antehac dicebatur Eccleſia Romana. Nam ſi revolvantur antiqua Romanorum Pontificum ſcripta, nuſquam in eis reperitur hoc nomen, quod eſt curia, in deſignatione ſacroſanctae Romanae Eccleſiae, quae rectius Eccleſia quam curia nominatur, quia nomen curiae, ut ante nos dictum eſt, a cruore derivatur, ſive a curis, ut ait quidam: Ex L. V. Miſc Baluz. pag. 63.

Curia curarum genitrix, nutrixque malorum,
Injuſtos juſtis, inhoneſtos aequat honeſtis.

Abſit autem a ſacroſancta Romana Eccleſia talis macula & ruga qualis nomine curiae notatur. Quod nomen his qui mollibus veſtiuntur & in domibus Regum ſunt atque judicibus cunctis in judicio ſanguinis cooperantur ad vindictam malefactorum non improbabiliter attribuitur, ſicut olim ſenatui Romano congruebat, quando ſub judicibus cinctis, Imperatoribus, Dictatoribus, Conſulibus, non urbis tantum, ſed & orbis dominium ſibi vendicavit. Verum quia ſedes tunc imperialis, nunc facta eſt apoſtolica, dum Antiochus & Remus concedunt Petro regni ſolium, cedente quoque Imperatore Conſtantino a Roma ſeniore ad novam, quam Conſtantinopolim a ſuo nomine vocavit, non immerito in urbe Roma praeferendum eſt nomen Eccleſiae nomini curiae: quoniam & hi qui nunc in ea ſe faciunt ſenatores, etſi habeant poteſtatem ſine ſanguinis vindicta tractandi & judicandi cauſas civiles & lites forenſes, quemadmodum docet beatus Petrus in ordinatione Clementis, attamen grandiora urbis & orbis negotia longe ſuperexcedunt eorum judicia, ſpectantque ad Romanum Pontificem ſive illius vicarios Lino & Cleto conſimiles ei tanquam beato Petro fideliter cooperantes, itemque ad Romanorum Imperatorem ſive illius vicarium urbis Praefectum, qui de ſua dignitate reſpicit utrumque, videlicet Dominum Papam, cui facit hominium, & Dominum Imperatorem, a quo accipit ſuæ poteſtatis inſigne, ſcilicet exertum gladium. Sicut enim hi quorum intereſt exercitum campo ductare, congrue inveſtiuntur per vexillum, ſic non indecenter ex longo uſu Præfectus urbis ab Imperatoribus cognoſcitur inveſtitus per gladium contra malefactores urbis exertum; ut videlicet gladio legitimo pereant qui gladium non legitimum accipientes, vindictam ſanguinis temere uſurpant. Præfectus vero

Digitized by Google

ro urbis deſuper ſibi dato gladio tunc legitime utitur ad vindictam malorum, laudem vero bonorum, quando exinde tam Domno Papæ quam Domno Imperatori ad honorificandum ſacerdotium & imperium famulatur, promiſſa vel jurata utrique fidelitate, ac ſervata inter eos tali diſtinctione qualis eſt inter duo luminaria magna, quæ Deus ita creavit & ordinavit ut alterum præeſſet diei, alterum nocti: quia ſpiritualia, quibus præeſt Domnus Papa, diei, & temporalia, quibus præeſt Domnus Imperator, nocti comparantur. Ecce duo luminaria, & ecce duo gladii hic; luminaria propter judicia Domini vera juſtificata in ſemetipſis; gladii propter vindictas in illos exercendas qui nolunt obedire judiciis Domini veris juſtificatis in ſemetipſis; veris, ne judex fallatur in diſcernendo bonum & malum, juſtum & injuſtum; juſtificatis, ut ſolo intuitu juſtitiæ, abſque munerum captatione, abſque perſonarum acceptione, reprobetur malum & eligatur bonum, ſive per illum judicem qui habet gladium ſpiritualem, ſive per illum qui non ſine cauſa gladium portat materialem. Munera enim excæcant oculos etiam ſapientum, & acceptio perſonarum aliquando pervertit judicium. Perverſum vero judicium, ſive muneribus coemptum, coram Deo robur non habet, etiamſi nullus hominum dicere audeat judici: Cur ita facis? Hinc eſt illud in Iſaia: *Vae qui convertitis judicium in abſynthium*. Et in Apocalypſi nomen ſtellæ quae de caelo cecidit dicitur abſynthium. Quia enim ſuccus abſynthii ſumptus extorquet vomitum, recte abſynthio judicium illud aſſimilatur quod a piis & juſtis juſte ac pie reſpuitur. Et tunc etiam nomen ſtellae dicitur abſynthium cum ſub nitore juſtitiae injuſtum fit judicium, tanquam ſi vinum ſit felle mixtum, quod cum guſtaſſet Chriſtus in paſſione ſua, noluit bibere. Unde non mirum quod ſervi ejus nolunt bibere judicium felle iniquitatis mixtum, quod quaſi abſynthium facit vomitum. Quamquam non audeat illud manifeſte improbare qui opprimitur talis judicii perverſitate, tunc maxime cum judices perverſi omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones, audet tamen is qui veritatem intelligit & diligit ipſam veritatem approbare ſaltem in corde ſuo, aſſimilatus illi beato Ioſeph qui non conſenſit judicibus Chriſtum judicantibus injuſte. Audet quoque cum eodem Ioſeph Chriſtum ſepelire, dum veritatem velut ſepultam in corde ſuo tacitus veneratur certus quod eadem veritas quandoque reſurgat & dicat: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra*, in ſacerdotio & regno, in ſpiritualibus & temporalibus. De quorum diſtinctione pro poſſe noſtro diſſeruimus in tractatu ſubſequenti ſuper pſalmum prætaxatum; quem & prius beatæ memoriæ Papae Eugenio porreximus, & nunc denuo tibi, Henrice Cardinalis Presbyter ſanctae Romanae Eccleſiae, pro munere offerimus. Quia enim zelo domus Dei te ſenſimus inflammatum, gratia Dei aſpirante amplius te accendi optamus eo igne quem Dominus Ieſus miſit in terram & voluit vehementer accendi. *Ignem*, inquit, *veni mittere in terram; & quid volo niſi ut ardeat?* Iſte eſt ignis de quo in lege dicitur: *Ignis iſte erit ſemper in altari, quem nutriet ſacerdos ſubiciens ligna mane per ſingulos dies*. Cum igitur in miniſterium tabernaculi offerant Principes donaria magna, ſcilicet aurum, argentum, lapides pretioſos ad ornandum ſive altare ſive rationale ſive humerale, nos pauperculi ſaltem ligna offeramus ad ignem ſanctum nutriendum & pilos caprarum ad operiendum tabernaculum. Talia denique cupimus eſſe qualiacunque opuſcula noſtra quibus & ignis caritatis tanquam lignis cedrinis nutriatur, & pœnitentiæ operimentum, quaſi de pilis caprarum, exinde contextum proficiat ad illius beatitudinis augmentum de qua dicitur: *Beati quorum remiſſae ſunt iniquitates & quorum tecta ſunt peccata*. Suſcipe igitur munuſculum hoc de manu paupertatis noſtræ, qui auro & argento minime abundamus; ne omnino illius præcepti tranſgreſſores inveniamur de quo in lege Domini dicitur: *Non apparebis in conſpectu Domini Dei tui vacuus*.

Expoſitio in pſalmum LXIV.

TE decet hymnus Deus in Sion, & tibi reddetur votum in Hieruſalem. Pſalmo iſto tertia jam recapitulatione reditur ad ſummum ſpei, id eſt, ad finem ſeculi, quando ſumus in patriam caeleſtem reſumptis corporibus profecturi. Inſcribitur autem ſic. *In finem. Pſalmus David. Canticum Jeremiae & Aggaei de verbo peregrinationis, quando incipiebant proficiſci*. Et eſt ſenſus. Hic pſalmus eſt David Prophetae conſiderantis in finem, id eſt, in ultimam aetatem. Pſalmus dico, ens canticum, id eſt, jocunditas & laetitia Ieremiae & Aggaei & omnium fidelium. Ieremias interpretatur excelſus Domini, Aggaeus ſolemnis vel ſublimis. Hi utrique praedixerant futuram peregrinationem Iudaici populi & reverſionem in patriam, in qua etiam reverſione Aggaeus interfuit. Utrique vero intellexerunt peregrinationem fidelium quae fit in hac vita & reditum qui tandem erit per illam deſignari. Per hos autem duos deſignantur omnes fideles: quoniam illi ſicut ſub illius peregrinationis figura hoc exilium ſpiritale magis plangebant, ſic & in illius reverſionis laetitia de ſpiritali potius liberatione gaudebant. Et Ieremias quidem plus ceteris lamentatus & afflictus, non dubitatur plus ceteris quoque laetificatus, & vere juxta nomen ſuum in regno caelorum inſigniter excelſus, pro eo quod ſuper gentes & ſuper regna conſtitutus ut evelleret, deſtrueret, diſperderet, & diſſiparet, aedificaretque ac plantaret, multa in hoc officio contraria paſſus, & valde humiliatus, ac paſſioni Chriſti expreſſe complantatus eſt. Sed tamen per ipſum Ieremiam, licet praecipuum, ſignificantur minus perfecti & mediocres; per Aggaeum, qui in reditu affuit, perfecti, qui non ſolum ſe peregrinari agnoſcunt, ſed juxta Apoſtolum converſatio eorum jam in caelis eſt, ubi ſecundum nomen Aggaei ſolemnizant & gaudia caeleſtis patriae in terra peregrinationis jam praeguſtant. Sic & in evangelio, dicente Domino ad Petrum, *Tu me ſequere*, de Ioanne vero, *ſic eum volo manere*, per Apoſtolorum principem, ſignificatur vita mediocrium in actione bona bene laborantium, & per Iohannem vita perfectorum tanquam ſuper pectus Ieſu in contemplationis requie pauſantium dulcedinemque vitae perennis in hac peregrinatione praeguſtantium, cum utrumque iſtorum, Petrum videlicet & Iohannem, conſtet in utraque vita fuiſſe conſummatum. Et quidem valde honorandus eſt beatus Iohannes, qui ſuper pectus Domini in caena recubuit. Sed tamen prae ceteris Apoſtolis Apoſtolorum principi, tanquam principaliter cum Ieremia ſuper gentes & ſuper regna conſtituto, data eſt auctoritas confirmandi fratres & deſtruendi portas inferi, ut eleventur portae aeternales, portae Sion, quas diligit Dominus ſuper omnia tabernacula Iacob, quarum ad introitum cum Ieremia & Aggaeo anhelantes ejuſdem Sion peregrini cives dicunt aſſidue oris & cordis clamore: *Te decet hymnus Deus in Sion, & tibi reddetur votum in Jeruſalem*. Subauditur, caeleſti. Et ne quis illorum illic deſit, orant in metu & ſpe: *Exaudi nos Deus ſalutaris noſter, ſpes omnium finium terrae & in mari longe*. & cetera. Nota eſt hiſtoria quod Ieremias captivitatem Iudaeorum in Babyloniam & praedixit & vidit. Prophetavit etiam eos poſt ſeptuaginta annos redituros. In illa vero captivitate fuerunt in Babilonia Prophetae, inter quos erant Ezechiel & Aggaeus. Completis autem ſeptuaginta annis, permittente Cyro Rege Perſarum, regreſſi ſunt Ieroſolymam, & Aggaeus cum illis; & reſtitutum eſt templum. Quoniam autem haec in figura contingebant illis, intelligendum eſt duas eſſe civitates ſpiritualiter, unam malorum, quae coepit a Cain, alteram quae coepit ab Abel. Illius cupiditas, hujus caritas cives facit. Ambae permixtae ſunt corpore, non deſiderio: quia quandiu in corpore ſumus, haec ut illa peregrinatur a Domino. Hujus autem peregrinationis cauſa fuit verbum quod pri-

mis

mis parentibus factum eſt: *Eritis ſicut dii*. Quod non incongrue dicitur verbum peregrinationis, quia cauſa eſt univerſalis peregrinationis in qua captivi detinemur. Incipit tamen ad patriam exire qui incipit amare, ut tandem penitus conſtitutus in dexteram ſeparetur. Nec vacat quod poſt ſeptuaginta annos de peregrinatione redeunt. Hic enim numerus tempus vitae deſignat praeſentis, quo maxime ante adventum tenebatur populus in confuſione; unde regredi coepit per Chriſtum, qui natus eſt in ſeptuageſima ſeptima generatione. Hoc ergo canticum de reverſione conſolatio eſt in exilio, ne quis deſperet certum audiens reditum, & per quem & quae divitiae ſint reverſis. Primo autem Propheta affirmat reditum & precatur; ſecundo laudes Dei deſcribit ibi: *Spes omnium finium terrae & in mari longe*. De hac ergo reverſione voce revertentium Propheta cantat & ait: *Te decet hymnus Deus in Sion*, O Deus juſte, cujus juſto judicio ſumus in peregrinatione ſub Rege Babylonico, ſed tandem reverſuros nos confidimus ad patriam, caeleſtem videlicet Ieroſolymam, ad quam proficiſci nunc incipimus, qui manentes in Eccleſia per fidem ambulamus, *te decet hymnus*; *te*, non deos gentium daemonia, *decet hymnus*, id eſt, laus cum cantico. Vbi? In Sion, id eſt, in Eccleſia, quae ſecundum ſtatum ſive motum peregrinationis, in qua per fidem nunc ambulat, Sion id eſt ſpeculatio dicitur; ſecundum ſtatum vero aeternitatis, ad quam tendit, Ieruſalem id eſt viſio pacis nominatur; quia tunc videbit facie ad faciem quod nunc per ſpeculum videndo Sion dicitur, id eſt, ſpeculatio. In hac Sion te Deum verum decet hymnus ab illius civitatis civibus. Nam etſi aliquis illorum fuerit etiam in fornace Babylonica ſecundum corporalis anguſtiae detentionem & hominum deſpectionem, tamen quia ſpiritu ſpiritualia & caeleſtia ſpeculatur, bene trium puerorum cantat hymnum qui neque ad adorandam ſtatuam auream, id eſt, ad ſectandam avaritiam, declinatur, neque igne Babylonico, quae turpiſſima eſt immunditiae libido, pernicioſe utitur. E contra, ſi civis aliquis Babylonicus amori ſecularis vel gloriae vel concupiſcentiae, vel utriuſque deditus, maxime avaritiae, ſervus, quae eſt idolorum ſervitus, fuerit in Sion, id eſt, in praeſenti & peregrinante nunc Eccleſia vel dignitatibus eccleſiaſticis honoratus, vel ſpecie ſanctitatis tanquam civis Ieruſalem palliatus, non te Deum verum decet hymnus in talis confuſionis vel una perſona vel plurium ſynagoga, quia non eſt ſpecioſa vel precioſa laus in ore peccatoris, maxime in obſequio divino quae ſua ſunt non quae Ieſu Chriſti quaerentis, quod eſt adorare auream ſtatuam. Propterea namque in quatuor temporum jejuniis, quibus hymnorum cantores ad ſacros ordines promoventur, trium puerorum poſt aureae ſtatuae contemptum, poſt incendium fornacis devictum, ſubnectitur hymnus, ut inſtruantur ordinandi quod etſi cives dicantur & habeantur Ieruſalem, non tamen decet eos hymnum Deo vero cantare vel altari ſacro miniſtrare niſi contempto prius aureo ſimulacro exitialis avaritae, victoque vel extincto in ſe libidinis igne piceo ac ſulphureo, quem Rex Babylonis nutrit, Rex Ieroſolymitanus deteſtatur & odit, quique non pueros Domini ſpiritu ſancto vento roris protectos incendit, ſed miniſtros Regis Chaldaeos incendit, qui eum nutriunt, non extingunt. Porro tres pueri, omnes videlicet pure colentes trinum in unitate Deum, non hunc ignem in ſe nutriunt, ſed jejuniis, vigiliis, orationibus, ceteriſque ſpiritualibus exercitiis reſtingunt. Et cum reſtinctus fuerit, vel ut non ſit, quod ſenibus contingit aliquoties, vel certe ut non obſit, quamquam legi membrorum naturaliter inſit, quod juvenibus evenit, qui etſi ſentiunt in ſe carnis concupiſcentias, non tamen eunt poſt eas, neque arma iniquitatis faciunt membra ſua legi Dei mente ſerviendo legique membrorum carnalium in ſpiritu ſancto tanquam vento roris flante reſiſtendo, tunc demum, certificante illos Apoſtolo quod nihil damnationis eſt eis qui non ſecundum carnem ambulant, quodque illis qui in carne ambulantes, non ſecundum carnem militant, corona debetur tanquam legitime certantibus, accedant vocante illos Domino ad ſacros ordines accipiendos & hymnos Deo canendos; quia te decet hymnus Deus in tali Sion tales cives etiam in medio Babylonis, in medio nationis pravae habente; ſed peramplius & perfectius tibi reddetur votum in Ieruſalem illa quae ſurſum eſt, libera penitus ab omni confuſione Babylonica, quae eſt mater noſtra. Non omnium eſt illa trium puerorum perfectio ut hymnum cantare poſſint in terra aliena. Vnde & dicunt: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena*? Sed in Ieruſalem tibi reddetur votum ab omnibus Ieroſolymitanis civibus, quando caro humana, quae nunc terra eſt aliena corruptibilis, ſcilicet ſua corruptione aggravans animam quantumlibet ſpiritalibus ac caeleſtibus intentam, fuerit in electis omnino incorruptibilis & impaſſibilis. Nunc vero, etſi vento roris flante viri ſpiritales afflati & refrigerati cantant hymnum Domini in terra aliena, tamen & illi crebro ſuſpendunt organa in ſalicibus in medio Babylonis, & qui ſunt fragiles, adhuc in lucta carnis inferiores omnino conticeſcunt ab hymnorum cantico exultativo, ac ſuper flumina Babylonis reſidentes, dulce habent flere, ſuiſque paſcuntur lacrymis, manducando ſimul panem doloris. Mente igitur in Ieruſalem ſupernam proficiſcentes, illiuſque memoriam in principio laetitiae ſuae ponentes, vota laudis & gratiarum actiones vovent, quae tandem in Ieruſalem perſolvent & reddent. Sed quoniam antequam perveniatur in illam Ieruſalem, dum proficiſci nunc incipimus, & in convertendo captivitatem Sion, quaſi laxata captivitate reſtincto per martyrum ſanguinem Babylonico igne, alteram Babyloniam id eſt Romam videmus & gaudemus in civitatem Sion commutatam, *te decet hymnus Deus in Sion*, id eſt, in Eccleſia catholica Petri Apoſtoli fide firmata & per Apoſtolos viroſque apoſtolicos erudita quaſi per Ieremiam & Aggaeum. Petrus quippe Apoſtolus, qui reſpiciente ſe Domino flevit amare tamquam in lamentationibus Ieremiae, peregrinos cives Ieruſalem docet ſeminare in lacrymis quod poſt metatur in exultatione. Cui ſociatur Paulus Apoſtolus, velut alter Aggaeus, quod interpretatur ſolemnis vel ſublimis; quoniam raptus uſque ad tertium caelum ſolemniter & ſublimiter eſt magnitudine revelationum glorificatus, & tanquam vas electionis vere dignę eſt glorificandus. Vel quia Ieremias multimoda paſſione attritus & tandem martyrio coronatus eſt, per illum ſignificari poteſt martyrum candidatus exercitus. Per Aggaeum vero in convertendo captivitatem Sion factum ſicut conſolatum notare poſſumus coetum confeſſorum in pace quieſcentium & auxilia Regum ad ædificandas Eccleſias habentium. Sicut enim Cyro laxante captivitatem per Aggæum ceteroſque illius temporis Prophetas reaedificata eſt Ieruſalem, ſic Imperatore Conſtantino dante pacem ſanctæ Dei Eccleſiæ, quaſi deſtructo jam regno Babylonico, portæ Sion ſunt reaedificatae, atque tam imperialibus quam & pontificalibus edictis tamquam ſeris & vectibus firmatae. Spurciſſimus Nero, qui velut alter Nabuchodonoſor primus in ſecunda Babylonia erexerat idololatriam quaſi auream ſtatuam, cum ſuis poſteris martyrum Chriſti tortoribus incendia fornacis augentibus jam judicatos erat, ita ut quidam ex talibus humiliati ad pœnitentiam fœnum quaſi bos comederent & altiſſimum in regno hominum dominantem recognoſcerent, quidam vero cum Balthaſar nimium ſecure luxuriantes & tyrannizantes omnino amiſſo regno cum vita perirent, ſicut geſta martyrum conteſtantur quoſdam ex tortoribus & ſenatoribus in urbe Roma tanquam in Babylonia ſub jugum Chriſtianae legis humiliatos, quoſdam vero tam viſibiliter quam inviſibiliter in manus daemonii traditos & regno ſimul ac vita privatos. His igitur partim condemnatis, partim converſis, nomen quoque commutatum

eſt

eſt illius Babylonis, ut rectius urbs illa dicatur jam Sion quam Babylon. Et ideo pridem ſuſpenſa illic organa jam coaptantur ad cantica. Quando enim fides Chriſtiana in procinctu adhuc poſita, &, ut ait quidam, *agreſtis turbida cultu, nuda humeros, intonſa comas, exerta lacertos pugnans, nec telis meminit nec tegmine cingi, pectore ſed fides valido, membriſque retectis, provocat inſani frangenda pericula belli*, non erat otium ſedis apoſtolicae Pontificibus ita perornare cultum fidei ſicut nunc eſt perornatus & in altaris miniſterio tanquam in capite gloria & honore coronatus, jam concrepantibus organis & cantoribus ad canendum expeditis, maxime in cœnobiis per Pontificum Romanorum decreta & privilegia communitis. His ergo nunc cytharas percutientibus in domo Domini, *te decet hymnus Deus in Sion*, id eſt, in Eccleſia Romana, quae nomine Babylonis per apoſtolicam fidem commutato in nomen Sion, fundamenta nunc habet in montibus ſanctis. Te decent ſancta ſacerdotalis officii miniſteria ſpiritalibus canticis & hymnis in illa Sion perornata, cum verbi gratia quidam Romanorum Pontificum ſtatuit pſalmos ante ſacrificium canendos antyphonatim, quidam *Gloria in excelſis*, quidam *Sanctus, ſanctus, ſanctus*, quidam *Agnus Dei* ſacro adjunxit officio. Et quaedam precum ſolemnia inſeruerunt ejuſdem Eccleſiae Romanae Pontifices cum canticis & hymnis feſtivis, maxime in ſolemnitatibus praecipuis, quarum in vigiliis praecedit quaſi lamentator Jeremias jejunando, vigilando, plorando coram Domino qui fecit nos. Et in diebus feſtivis conſequenter adeſt Aggæus ille ſolemnis, qui reverſioni de Babylonia in Jeruſalem praeſentialiter interfuit; ſicut excellens quaelibet ſolemnitas, verbi gratia paſchalis, in canticis & hymnis quaſi praeſentialiter nobis poſt derelictam Babylonem ſupernae pacis & laetitiae ingerit viſionem. Nam in tanto feſto lamentationibus quadrageſimalibus & vigiliis ac jejuniis praevento incipientibus proficiſci ſurſum, quibus conreſurgentibus Chriſto ſapiunt ea quae ſurſum ſunt, exultat jam angelica turba caelorum, exultant divina myſteria, in quibus decenter ordinatis, & Babylonis civibus inde ſequeſtratis, *te decet hymnus Deus in Sion*. Et hic hymnus praeparatio eſt voti perfecte reddendi quandoque in Jeruſalem. Sed numquid, ô Deus, te decet hymnus in Sion interdictus a principibus ejuſdem Sion, qui ſuis decretalibus edictis interdicunt officia & beneficia eccleſiaſtica clericis cum Nicolao fornicatore manifeſte inceſtuoſis & cum Juda mercatore peſſimo vel Simone mago turpiter negociantibus & in domo Dei latrocinantibus, quia materialibus quoque armis tutati atrociores inveniuntur Juda, qui redarguente propria conſcientia dixit, *Peccavi tradens ſanguinem juſtum*, & Simone mago, qui ab Apoſtolo Petro imprecatus dixit eidem Petro ac ceteris Apoſtolis: *Precamini vos pro me Dominum, ut nihil veniat ſuper me horum quae dixiſtis*. At iſti malitioſi neque propria conſcientia redarguente humiliantur, neque ab aliquo veritatis aemulatore ſe argui patienter ſufferunt; quin potius tales perſequuntur & odiunt, ſuiſque militibus trucidandos vel occidendos exponunt. Quid igitur intendunt iſti, vel princeps mundi hujus Babylonicus quid per eos intendit niſi civitatem Sion deſtruere atque Babyloniam reaedificare? Quando enim Romanum imperium quaſi caminus igne Babylonico ardebat contra cultores trinitatis, crucians eos diverſis tormentis qui ſpreverunt auream ſtatuam idololatriam, praecipueque avaritiam, tunc non immerito a Petro Apoſtolo urbs Roma tropice dicta eſt Babylonia. *Salutat*, inquit, *vos Eccleſia in Babylone collecta*. Sed refrigerato vel extincto igne perſecutionis in imperio Romano jam ad fidem Chriſti curvato, ipſa urbs urbium Roma recte Sion dicitur, ut jam dictum eſt; neque Babylonicae tyrannidi vel confuſioni de cetero locus eſt permittendus in ea, cum ſit aula pudicitiae, ſedes juſtitiae, aſylum religionis canonicae ac monaſticae rationabilibus privilegiis velut quibuſdam propugnaculis defenſando undique clauſtra ordinata regulariter, ut liberum ſit in eis cantoribus de canticis Sion hymnos frequentare ſecundum quod *te decet hymnus Deus in Sion*. Subſiſtere hic libet aliquantulum, & intermiſſo pauliſper expoſitionis curſu, ad eos intendere conſultandos qui muros Jeruſalem deſtruere muroſque Babylonis, quantum in ipſis eſt, conantur aedificare. Nonne qui ea quae Deus conjunxit ſeparant, vel quae ipſe disjunxit ac diſtinxit in unum confundunt, muros Babylonis id eſt confuſionis in altum attollunt? Imperium quoque Romanum nituntur facere Babylonicum, & quod pejus eſt, regnum Chriſtianum volunt eſſe paganum; vel certe de duobus repugnantibus inſtitutis confuſis reſtaurant regnum Babylonis, & reſuſcitant Regem ejus, de quo Dominus in Propheta Jeremia conqueritur dicens: *Grex diſperſus Iſrael. Leones comederunt eum*. Primus comedit eum Rex Aſſur. Ille noviſſimus exoſſavit eum Nabuchodonoſor Rex Babylonis. Vere leones beſtialis ferocitatis principes comederunt gregem Domini, & primus Rex Aſſur, quia primus princeps Aſſyriorum, Judaeorum ſcilicet ſeipſos dirigentium, comedit eum, vel quando Pilatus eorum tetrarcha occidit Chriſtum diſperſo grege diſcipulorum ejus, vel quando ipſis Judaeis concitantibus miſit Herodes Rex manus ut affligeret quoſdam de Eccleſia. Deinde reliqui leones a Nerone uſque ad Diocletianum per decem univerſales perſecutiones ita comederunt ac diſperſerunt gregem Domini ut illa beſtia decem cornibus terribilis Danieli praeoſtenſa jam ſingulis cornibus in ſingulis perſecutionibus debacchata & ſanguine ſanctorum ſatiata ſit ultra quam dici poſſit. Et quia ultima perſecutione, Diocletiano & Maximiano tyrannizantibus, decem annis vexata eſt Eccleſia, ſive in decem univerſalibus perſecutionibus, ſive in decem annis ultimae perſecutionis intelligas decem cornua crudelis beſtiae, Romani videlicet imperii, gratanter accipe humiliationem ex tunc illius beſtiae, ita ut foenum quaſi bos comedens, & praeſepe Domini ſui agnoſcens, rore caeli tincta ſit, baptizato videlicet Conſtantino Imperatore, non, ut haeretici contendunt, ab haeretico Euſebio Arriano, ſed, ut catholici ſentiunt, a catholico urbis Romae Pontifice Silveſtro. Memini enim, cum in urbe Roma fuiſſem, fuiſſe mihi objectum a quodam cauſidico Eccleſiae Dei adverſario non eſſe rata privilegia Imperatoris Conſtantini eccleſiaſticae libertati faventia, eo quod ipſe vel baptizatus vel rebaptizatus fuiſſet in haereſi Arriana, ut inſinuare videtur hiſtoria tripertita. Quo contra tunc ex parte diſputavimus, & adhuc diſputare ac probare parati ſumus quod ſicut in antiqua Babylonia tota fuerunt edicta Deum Danielis condemnantia, licet a pagano Imperatore promulgata, ſive cum Nabuchodonoſor filium Dei ſibi in fornace manifeſtatum glorificavit, ſive cum expoſito ſibi per Danielem ſomnio, ipſum Danielem in ſublime ſuper omnes principes Babylonis extulit, atque Deum ipſius & trium puerorum laudibus magnificavit, quem & poſtea de regno ejectus, & denuo reſtitutus in regno, hominum dominari confeſſus eſt, multo magis in ſecunda Babylonia privilegia vel edicta imperialia Imperatorum Deum glorificantium & ſervos ejus in ſublime ſuper omnes regni terreni principes extollentium rata ſunt habenda, in quantum propheticis, evangelicis, apoſtolicisque documentis inveniuntur contonua, etſi vita Imperatorum non ſit omnimodis approbanda. Si enim Cyrus Rex Perſarum teſtimonio divino laudatur & Chriſtus Domini a Propheta nominatur, non quia ſanae fidei extiterit vel juſte vixerit, qui paganus fuit, ſed quia imperiali edicto captivitatem populi Dei primus laxavit, permittens cives Sion reverti ad canendos hymnos in Sion, quomodo non eſt laudandus Imperator Conſtantinus, qui primus Imperatorum Romanorum publicis edictis libertatem tutatus eſt Eccleſiae, ut vacaret ſervis Dei libere

Deo

Digitized by Google

Deo ſervire in pſalmis & hymnis & canticis Sion? Quod cum uſque ad ipſius tempora fieret in urbe Roma, in altera videlicet Babylonia, per cryptas & alias latebras, tanquam in ſilentio ſuſpenſis organis in medio Babylonis, ex tunc aedificatis ope ipſius muris Jeruſalem, in templis magnificis Deo vero ſacrificatur conjubilantibus electis cantoribus exercitatis in canticis Sion. Quis ſapiens & intelligens haec non hoc opus divinae pietatis veneretur, cujuſcunque ſit fidei vel converſationis aeſtimatus homo per quem Deus talia eſt operatus? Legimus Regum paganorum Cyri, Darii, Artaxerxis optima ſcripta & edicta pro reaedificandis muris Jeruſalem promulgata, nec pro eorum perfidia illa cenſemus repudianda, ſed pro divina pietate, qua inſpirante proceſſerunt, amanda, & veneranda, in eo praecipue quod ex rei publicae ſumptibus quaedam remittendo, quaedam largiendo, adjutorium praebuerunt famulis Dei reaedificantibus domum Dei & muros Jeruſalem poſt laxatam populi Dei captivitatem. Legimus & veneramur epiſtolas bonas Regis Aſſueri prioribus epiſtolis malis ex conſilio Aman Agagitae hoſtis Judaeorum datis contrarias, & laudamus eas. Quomodo igitur non laudemus edicta Conſtantini aliorumque Imperatorum paci eccleſiaſticae faventium, qualitercunque ſe habuerit fides & converſatio eorum? Certe in hiſtoria eccleſiaſtica laudatur, Euſebio narrante, fides & pietas Conſtantini principis; a qua ſi poſtea, ut in tripertita hiſtoria legitur, deviando baptizatus vel rebaptizatus eſt ab Euſebio Arriano, culpa ejus ad ipſum ſpectat, neque tamen bona ſcripta ejus evacuat; ſicut & culpa Regis David, licet illi multum nocuerit, ſcripta tamen ejus bona evacuare non potuit. Sic ſcripta Salomonis bona & ſancta tenemus, quamquam noviſſima ſenectutis ejus per luxuriam & idololatriam graviter foedata non ignoremus. Prophetiam quoque Balaam arioli mercedem iniquitatis amantis, quia ſacris literis conſona invenitur, in ſumma recipimus auctoritate, non penſando quis dixerit, ſed quid. Fuerit ergo Imperator Conſtantinus in ſuis extremis cujuſcunque ſectae ſectator, derelicta, ut fertur, fide catholica, pro qua laboraverat in ſynodo Nicaena, quod ego minime credo, cum ejus etiam filios Conſtantinum & Conſtantem paternae fidei ſucceſſores duos teſtes, duae olivae, ac duo candelabra, Johannes videlicet & Paulus, in opprobrium Juliani apoſtatae commendent & catholicos atque in fide catholica & converſatione bona ſtabiles de regno terreno ad regnum caeleſte translatos praedicent. Fuerit ergo pater eorum Conſtantinus circa finem peſte Arriana, contra quam antea laudabiliter dimicaverat, maculatus, ut aſſerit Caſſianus, cujus non ſolum in laude nimia tripertitae hiſtoriae ſed & in ceteris opuſculis notatur & repudiatur ſenſus haereticus, quamquam de vita patrum ſcripta ejus teneamus, ea dumtaxat quae approbavit vir illuſtris Hieronymus. Nam cetera ſunt apocryphata &, ut Proſper doctor eruditiſſimus notat, pro ſenſu haeretico repudiata. Quaedam tamen ab ipſo Proſpero inveniuntur emendata. Quomodolibet ergo tripertita hiſtoria de baptiſmo Conſtantini ſit recipienda vel reſpuenda, nihil hoc attinet ad infirmanda ejus edicta pro catholica fide in defenſionem ſanctae Dei Eccleſiæ promulgata, & per apoſtolicos doctores roborata, inter cetera imperialia ſcripta. Unde in geſtis eccleſiaſticis legitur inter cetera. *Denique Reges & praeſides ac magiſtratus non ſolum adjacentia tribuere, ſed & ipſi propria largiti ſunt per univerſa regna terrarum, unde alerentur egentes qui in mundo nihil poſſidebant, Eccleſiaeque fabricarentur atque reſtaurarentur, Deoque & Eccleſiae ejus rite famulantium ſervorumque illius ſupplementa abſque neceſſitate tribuerunt. E quibus vir religioſiſſimus Conſtantinus, primus fidem veritatis patenter adeptus, licentiam dedit per univerſum mundum in ſuo degentes imperio non ſolum fieri Chriſtianos, ſed & fabricandas Eccleſias & praedia tribuenda conſtituit. Denique idem praefatus princeps donaria immenſa & fabricam templi primae ſedis beati Petri principis Apoſtolorum inſtituit, adeo ut ſedem imperialem, cui quique Romani principes praeſidebant, relinqueret & beato Petro ſuiſque ſucceſſoribus profuturam concederet.* Audiat adverſarius quia Imperator Conſtantinus in geſtis Eccleſiaſticis vir religioſiſſimus nominatur, & ejus inſtitutio, non quia ejus fuit, ſed quia juſta & rationabilis extitit, laudatur. Neque enim tam laudabili conſtitutioni hoc adverſatur quod juriſperiti dicunt rem publicam non poſſe uſucapi, cum hoc dicto ſane intellecto aſtruatur id quod juris publici eſt in privatum jus non poſſe redigi. Denique res publica Eccleſiae donata manet adhuc publica, in publicum ſummi Regis obſequium, non in jus privatum, vendicata. Cujus transpoſitionis multa inveniuntur laudabilia exempla, non ſolum in ſancta Eccleſia, ſed & in gente non ſancta & pagana. Legamus geſta Regum paganorum in libris Machabaeorum, & inveniemus Jeruſalem peccatis exigentibus aliquotiens miſerabiliter humiliatam & a gentibus conculcatam, quam Deo propitiato Reges gentium valde honoraverunt & rei publicae ſumptibus ditaverunt. Nam cum ſancta civitas habitaretur in omni pace, leges etiam adhuc in ea optime cuſtodirentur, fiebat ut ipſi Reges gentium in ſumma veneratione haberent locum ſanctum, quem poſtea legibus Dei contemptis prophanatum ac dehoneſtatum per bella triumphalia Machabaeorum denuo legimus reparatum & coronis aureis ornatum, Regibuſque gentium valde humiliatis, eorum largitione magnifice honeſtatum. Cui rei ſimile eſt quod poſt praelia martyrum victorioſa inclinata ſunt regna, & per Conſtantinum pium principem in obſequium Chriſti moenia & praedia imperialia translata, & libertas aedificandi & ditandi Eccleſias publicis edictis confirmata. Poſt Conſtantinum quoque ipſius in imperio & pietate ſucceſſores catholici Reges & Imperatores eandem libertatem ſanctae Dei Eccleſiae firmaverunt, videlicet junior Conſtantinus, & Conſtans, Valentinianus, Arcadius, & Honorius, Karolus & Ludewicus; quorum ſtatuta imperialia ſuper eccleſiaſtica libertate prae manibus habentur, quibus eccleſiaſticae immunitatis & libertatis privilegia tam ab ipſis quam a ſuis anteceſſoribus promulgata cenſentur omnino rationabilia & inviolabilia. Unde Arcadius & Honorius dicunt inter cetera. *Quaecunque a parentibus noſtris diverſis ſunt ſtatuta temporibus, manere inviolata atque incorrupta circa ſacroſanctas Eccleſias praecipimus. Nihil igitur a privilegiis immutetur, omnibus qui Eccleſiis deſerviunt tuitio deferatur: quia temporibus noſtris addi potius reverentiae cupimus quam ex his quae olim praeſtita ſunt immutari.* Valentinianus quoque decrevit dicens. *Univerſos quos conſtiterit cuſtodes Eccleſiarum eſſe ac ſanctorum locorum religioſis obſequiis deſervire, nullius attentationis moleſtiam ſuſtinere decernimus.* Multa his conſimilia ex legibus vel edictis Imperatorum ſeu Regum poſſemus colligere. Sed habemus firmiora munimenta in decretis Pontificum Romanorum libertatem & immunitatem praediorum eccleſiaſticorum & omnium quae poſſident Eccleſiae munientium ſui apoſtolatus incontradicibili auctoritate, quibus rerum eccleſiaſticarum fraudatores, vaſtatores, alienatores anathematis jaculo feriuntur & ſacrilegi pronuntiantur. Si vero de geſtis eccleſiaſticis inde tibi ſuboritur ambiguitas quod eccleſiaſtica hiſtoria in aliquibus videtur diſſonare a tripertita hiſtoria circa ea quae de Imperatore Conſtantino ſcripta ſunt utrobique, praetermiſſa diverſitate codicum de baptiſmo Conſtantini varie agentium, unam tamen & eandem pietatem jamdicti principis conteſtantium, reſpice, quaeſo, Pontifices Romanos ejuſdem veritatis atteſtationi unanimiter conſonantes. Quod ſi adhuc firmiora petis argumenta, recurre ad immobile fundamentum evangelicorum, apoſtolicorum, propheticorumque teſtimoniorum; quibus aperte invenis approbatum Regibus & Principibus ceteriſque divi-

divitibus mundi hujus eſſe licitum ac ſalubre ſanctam Dei Eccleſiam larga munificentia honorare, Chriſtoque in ea regnanti aurum de theſauris ſuis offerendo, cunabula ejus, quae ſunt famulantium ſibi habitacula caenobialia, ornare. quemadmodum ſancti martyres offerendo myrrham, & ſancti confeſſores offerendo thus, eadem cunabula pro ſui ordinis congruentia ornant, dum in eis reliquiae martyrum collocatae virtutibus & miraculis coruſcant, ſuiſque meritis inibi militantes adjuvant, & doctrinae confeſſorum ſanctos mores informant, orationibuſque ſuffragantur bovi & aſino hujuſmodi praeſepe domini ſui recognoſcentibus. Et quia non ſolo cibo angelorum, ſed & fœno animalium decet eſſe refertum hoc praeſepe Domini, comportent hoc fœnum divites mundi hujus, faciendo ſibi amicos de mammona iniquitatis; ut, cum defecerint, recipiantur ab eis in æterna tabernacula; pro quibus conſequendis ipſi Reges offerant aedificia regalia, ut impleatur quod ſcriptum eſt: *In cubilibus in quibus prius dracones habitabant orietur viror calami & junci*. Quod ad litteram quoque impletum perpendimus, qui non ſolum templa idolorum, ſed etiam palatia Imperatorum & Regum in Eccleſias & habitacula Deo militantium converſa videmus. Pro exemplo ſit nobis in urbe Roma domus rotunda ſanctae Mariae; quae daemonibus fabricata, nunc eſt in honore beatiſſimae virginis Mariae omniumque ſanctorum dedicata. Similiter & palatium Lateranenſe, prius imperiale, nunc factum ſacerdotale, manifeſte repraeſentat hujus prophetiae veritatem, qua dicitur: *In cubilibus in quibus prius dracones habitabant orietur viror calami & junci*. Nihilominus & in cœnobiis auxilio divitum fabricatis quaſi cubilia draconum calami & junci replent, cum lingua docentium quaſi calamus ſcribae velociter ſcribentis verbum Dei firmat, & fides audientium ad modum virentis junci, non in ſuperbiae rupe, ſed in humilitatis valle radicata verbum ſibi dictum conſervat, ne pereat, quo modo & cophini de juncis contexti fragmenta quinque panum ſervant ne pereant. Et Maria humilium Regina & humilitatis exemplar praecipuum conſervabat omnia verba ſuae fidei credita conferens in corde ſuo, donec ea committeret calamis Apoſtolorum & Evangeliſtarum de talibus digne loquentium & ſcribentium. quod non decebat ſexum femineum. Propemodum ſimile eſt huic in coenobiis regularibus; quia infirmis ac femineis perſonis orantibus, & fortibus atque virilibus viriliter ac fortiter verbum Dei ſcripto vel dicto conteſtantibus, invicem ſibi cooperantur calami & junci, fortes & infirmi, eloquentes & taciturni. Quod ſpectatorem & dilectorem Dei mirabilium praecipue delectat, cum fit in cubilibus in quibus prius dracones habitabant, ſicut in palatiis Regum vel antiquis templis daemonum, prout ſupra exemplificatum eſt in rotunda domo ſanctae Mariae & in palatio Lateranenſi. Torqueantur ſuper hoc ſpectaculo invidorum lippi oculi: Ego vero delectabor in Domino talia operante; atque ſerenis oculis aſpicio Deum jacentem in quolibet tali praeſepio in medio duorum animalium bovis & aſini tanquam in medio calami & junci. Nam bos animal mundum, & ſacrificiis aptum, ruminans atque triturans, apte ſignificat chorum litteratorum verbi miniſterio deditorum, quorum linguae aſſimilantur calamis velociter ſcribentium. Et aſinus animal ſimplex atque oneriferum non incongrue ſignificat gregem ſimplicium, verbi gratia fratrum converſorum vel ſororum devotarum ſeu aliarum fidelium perſonarum, quae omnino paratum cor habent ad onus obedientiae pro ſuo poſſe ferendum, & in caritate, quae omnia ſuffert, omnia ſuſtinet, & ipſi tanquam Yſachar aſinus fortis humerum ſupponunt ad omnia ſufferendum & ſuſtinendum. Quis non iſta conſiderans videat Ieſum veniſſe in partes Caeſareae Philippi; quia cum Caeſar eſſet Imperator & Philippus Tetrarcha, non incongrue his nominibus praenotatur poteſtas Chriſti eo uſque in mundo proceſſura ut Imperatorum ceterorumque Principum, majorum ſcilicet ac minorum, ſibi colla inclinaret. Quo modo antiquus ille Ieſus, qui & Ioſue dictus eſt, quinque Regum colla ſuis principibus calcanda ſubſtravit, ſole diem prolongante uſque ad conſummationem talis victoriae. Putaſne ſine myſterio non alibi ſed in loco tali dictum eſt Petro: *Quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram aedificabo Eccleſiam meam, & portae inferi non praevalebunt adverſus eam. Et tibi dabo claves regni caelorum; & quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in caelis; & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in caelis*? Poterat hoc alio in loco Dominus dixiſſe Petro. Sed voluit oſtendere Caeſares ac Tetrarchas ceteroſque Principes mundi hujus per principatum dignitatis apoſtolicae aut frangendos aut flectendos. Et beati qui flexibiles inveniuntur; ut Princeps Conſtantinus, & poſt ipſum Arcadius & Honorius, Valentinianus, Gratianus, Karolus, & pius Ludewicus, ceterique horum ſimiles a malo ad bonum inclinabiles. Miſeri vero qui flecti nolentes, frangi meruerunt; ut Nero, Decius, & ceteri tales in paganiſmo tyrannizantes, & quidam poſtea in Chriſtianiſmo illis nequiores, ut Conſtantius Arrianus, & apoſtata Iulianus, ceterique Reges haereticorum veſaniae contra Eccleſiam Dei faventes, aut moderno tempore ſpiritalia dona, quae minime habebant, vendentes ac potius vendere ſimulantes in conſtitutionibus Epiſcoporum, Abbatum, Praepoſitorum, Capellanorum, non ad Dei ſed ad ſui beneplacitum, captando in omnibus quaeſtum ſimoniacum. Volebant enim Reges mali & ſimoniaci ceterique Principes illis conſentanei vel abſque omni electione canonica epiſcopatus ceteraſque dignitates eccleſiaſticas pro velle ſuo dare, vel tales fieri electiones in quibus ipſi poteſtative dominarentur, eo quod ſecundum canones conſenſus honoratorum requirendus & admittendus eſt in electionibus Epiſcoporum. De iſto aſſenſu honoratorum cujuſque civitatis admittendo & requirendo in electione Pontificis copioſe memini tractatum in epiſtola beatae memoriae Chuonradi Salzburgenſis Archiepiſcopi ad Archiepiſcopum Magdeburgenſem Norbertum virum litteratum. Volnerat enim ille inter honoratos cujuſque civitatis etiam poteſtativos Principes vel Reges rei publicae adminiſtratores eſſe comprehenſos. quod ſacrorum canonum cenſura omnino contradicit. Unde in ſeptima ſynodo univerſali habita a quinque Patriarchis cum CCCL. patribus ſub Adriano Papa capitulum tertium ſic ſe habet. *Omnis electio Epiſcopi vel Presbyteri aut Diaconi a Principibus facta irrita manet ſecundum regulam quae dicit: Si quis Epiſcopus ſecularibus poteſtatibus uſus Eccleſiam per ipſos obtineat, deponatur & ſegregetur, omneſque qui illi communicant*. Item Concilio Antiocheno: *Si quis Presbyter vel Diaconus per ſecularem dignitatem Eccleſiam Domini obtinuerit, deiciatur & ordinator eius: & a communione modis omnibus abſcindatur, & ſub anathemate ſint ſicut Simon magus a Petro*. Ex ſynodo Symmachi Papæ cum CCXVIII. Epiſcopis: *Non placuit laicos ad ſtatuendum aliquid in Eccleſia aliquam habere poteſtatem, quibus obſequendi manet neceſſitas, non auctoritas imperandi*. Octava ſynodus cap. XI. *Promotiones & conſecrationes Epiſcoporum, concordans prioribus Conciliis, clericorum electione ac decreto & Epiſcoporum collegio fieri haec ſancta & univerſalis ſynodus definivit & ſtatuit, atque iure promulgavit neminem laicorum Principum vel potentum ſemet inſerere electioni vel promotioni Patriarchae vel Metropolitani aut cuiuslibet Epiſcopi; ne videlicet inordinata & incongrua hinc fiat contentio vel confuſio; praeſertim cum nullam in talibus poteſtatem quemquam poteſtativorum vel ceterorum laicorum habere conveniat, ſed ſilere & attendere ſibi uſquequo regulariter a collegio Eccleſiae ſuſcipiat finem electio futuri Pontificis. Si quis vero laicorum ad concertandum & cooperandum invitatur ab Eccleſia, licet* hu-

Digitized by Google

hujuſmodi cum reverentia, ſi forte voluerit obtemperare ſe aſciſcentibus. Taliter enim dignum ſibi regulariter ad ſuam Eccleſia promovet ſalutem. Quiſquis autem ſecularium Principum vel potentum vel alterius dignitatis laicus adverſus communem ac conſonantem atque canonicam electionem eccleſiaſtici ordinis agere tentaverit, anathema ſit donec obediat & conſentiat quod Eccleſia de electione & ordinatione proprii praeſulis ſe velle monſtraverit. Canones Pariſiaci: *Si per ordinationem regiam honoris iſtius culmen pervadere aliquis nimia temeritate praeſumpſerit, a provincialibus loci ipſius Epiſcopis recipi penitus nullatenus mereatur, quem indebite ordinatum agnoſcunt. Si quis enim de comprovincialibus recipere contra interdicta praeſumpſerit, ſit a fratribus omnibus ſegregatus & ab ipſorum omnium caritate ſemotus.* Hujuſmodi regulis de Pontificum promotione promulgatis excluditur violentia Regum ſeu Principum ceterorumque laicorum poteſtativorum ab electionibus & promotionibus Epiſcoporum, quamquam recte requiratur aſſenſus cujuſque civitatis honoratorum. Huc accedit novum Papae Innocentii decretum, quo praecipitur electio a Canonicis fieri ſecundum conſilium religioſorum. Quibus omnibus diligenter penſatis, quatuor inveniuntur diſtinctiones in electione canonica. Nam ſpiritales & religioſi viri habent conſulere, Canonici eligere, populus petere, honorati aſſentire. Qui tamen ſi conſilio religioſorum patrum & electione clericorum ac petitione populi concurrente in unum noluerint praebere aſſenſum, non propter hoc irrita erit electio, ſi alias eſt canonica: quia neque Regibus neque honoratis eam caſſandi eſt ulla poteſtas, ſed, ut Symmachus Papa dicit, ſubſequendi neceſſitas. Jure denique, ſicut fabricans mundum in principio fecit Deus cælum & terram, ſic in fabricanda nova creatura prius formantur caeleſtia & ſpiritalia, dehinc terreſtria & corporalia, ut videlicet ſpiritaliter electo & conſtituto Epiſcopo, deinde accedat laicorum aſſenſio & illa regalium donatio de qua conſtitutum jam Epiſcopum Rex vel Imperator inveſtire habet, quando jam in electione vel promotione prorſus non eſt contradictio. Nam ſi electionis patet diſſonantia, jure in talibus expectatur judicum ſpiritalium ſententia, ut electo jam confirmato fiat regalium donatio; quamquam eadem jam Eccleſiis olim donata, in poſſeſſione ſint eccleſiaſtica cenſenda, ſed obſequio decenti apud Regem deſervienda, non ad nutum ejus Eccleſiis quaſi ex novo conferenda vel auferenda. Reges enim ac Principes in tali malitia pertinaces ut vellent ad nutum ſuum diſpenſari eccleſiaſtica vel ipſa regalia, ex parte fracti ſunt, humiliatis ceteris ad obedientiam apoſtolicae ſedis, ita ut jam laetari poſſemus in his quae dicta ſunt & acta in domum Domini euntibus his qui veniunt de Babylone in Jeruſalem, ſi non videremus a quibuſdam reædificari Babylonem, id eſt, illam confuſionem quam Rex Babylonis diabolus in diebus iſtis noviſſimis exoſſat gregem Domini, ſicut Jeremias deplorat dicens: *Grex diſperſus Iſraël, leones comederunt eum. Primus devoravit eum Rex Aſſur, iſte noviſſimus exoſſavit eum Nabuchodonoſor Rex Babylonis.* Quid enim eſt gregem Domini exoſſari niſi eum ita faſcinari ut in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, & electi omnibus carnem portantibus aſſimilati ſed peccatis exigentibus eorum numero ſociati qui cives potius Babylonis quam Jeruſalem cenſentur, verbi gratia in clero hi qui cum ſint valenter litterati, dicuntur tamen & ſunt acephali, &, ut ait Iſidorus, Hypocentauris aſſimilati, qui nec equi nec homines, mixtum genus & confuſum in ſe repraeſentantes, neque clericali neque laicali diſciplina utentes, ex eo quod vocantur Clerici vel Canonici, cum ſint ſynagoga ſatanae, volunt pro ſuo libitu eccleſiaſticos honores partim ſibi uſurpare, partim ſui ſimilibus vel etiam nequioribus conferre. Horum quidam praecipuas in Eccleſia dignitates & ſedes occupant, atque cives Jeruſalem tanto gravius gravant quanto licentius in ipſa Jeruſalem Regi Babylonis militant, ſecularia ſpiritalibus miſcendo, & omnia ita confundendo ut ſi videas hujuſmodi hominem, neque in habitu neque in converſatione valeas perpendere illius profeſſionem. Similiter & inter laicos vix invenias in ordine militari aliquem ſuis contentum ſtipendiis, ad ſecularem videlicet militiam pertinentibus, ita ut non habeant decimas militiæ ſpiritali potius quam ſeculari divina ordinatione deſtinatas. Et hi ergo, veluti ex diverſo genere confuſi, cives Babyloniae ſunt, ſeparantes quae Deus conjunxit, & jungentes quae ſeparavit. Hujus autem confuſionis præcipui ſunt machinatores Epiſcopi talem clerum foventes & laicis talia beneficia praeſtantes, & Principes eadem ſua potentia manu tenentes, atque in hoc non Deo ſed Regi Babylonis militantes. Diligit enim tales confuſiones Rex Babylonis, ut ſpiritalia & ſecularia infimul confuſa repraeſentent quodam modo chaos antiquum, quando adhuc terra erat inanis & vacua, & tenebræ erant ſuper abyſſum. Sed ne ſemper talis eſſet confuſio rerum, ſpiritus Dei ferebatur ſuper aquas, ut ex tanta rerum confuſione produceret formas diſcretas & ab invicem ſua proprietate diſtinctas. Multo nunc benignius fertur ſuper aquas baptiſmi, ut ex his ad lucem producat quicquid illud pulchritudinis & jocunditatis fuit. Unde ſibimetipſi applaudebat antequam quicquam faceret æterna Dei ſapientia, ludens in orbe terrarum, pro delitiis habens eſſe cum filiis hominum. Hæc eadem noviſſime diebus iſtis loquens in carne propria hominibus, & manens cum hominibus, ipſos cum quibus manebat homines inter ſe diſcrevit, aliter loquens diſcipulis ſuis in monte, aliter turbis in loco campeſtri, oſtendens videlicet quod ſui diſcipulatus electi ſectatores a turbis hominum ſecernendi ſibique in monte celſioris converſationis jungendi eſſent. Hujus divinæ inſtitutionis memor beatus Petrus in ordinatione Clementis dicit. *Te quidem oportet irreprehenſibiliter vivere & ſummo ſtudio niti ut omnes vitae hujus occupationes abjicias, ne fidejuſſor exiſtas, ne advocatus litium fias, neve in ulla aliqua occupatione prorſus inveniaris mundialis negotii occaſione perplexus. Neque enim judicem aut cognitorem ſecularium negotiorum hodie te ordinare vult Chriſtus, ne praefocatus praeſentibus hominum curis non poſſis verbo Dei vacare & ſecundum veritatis regulam ſecernere bonos a malis.* Item. *Sicut impietatis eſt crimen neglectis verbi ſtudiis ſacerdotes ſollicitudines ſuſcipere ſeculares, ita unicuique laicorum peccatum eſt niſi invicem ſibi & in his quæ ad communis vitae uſum pertinent operam fideliter dederint.* Et Paulus Doctor gentium. *Nemo*, inquit, *militans Deo implicet ſe negotiis ſecularibus, ut ei placeat cui ſe probavit.* Item. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in his quae ſunt ad Deum.* In his, inquit, quæ ſunt ad Deum, non in his quæ ſunt ad ſeculum. Quæ nimirum doctrinæ apoſtolicæ ſalubria monita non ita ſunt accipienda ut illis Apoſtoli dictis inveniantur contraria quibus aſſerit ſe ſuique conſimiles habere poteſtatem etiam angelos judicandi, quanto magis ſecularia. Item. *Spiritalis*, inquit, *judicat omnia, & ipſe a nemine judicatur.* Judicet ergo ſpiritalis omnia, præſertim ſuæ ſollicitudini commiſſa, etiam ſecularia, ſic tamen ut ſe ſecularibus negotiis non implicet. Aliud eſt enim de ſecularibus juſte judicare, aliud eiſdem ſe implicare. Nam de ſecularibus judiciis & judicibus habet poteſtatem judicandi Epiſcopus, ſciens reprobare malum & eligere bonum, ſciens juxta legem diſcernere inter lepram & non lepram, inter ſanctum & non ſanctum. Sed alia ſunt judicia & negotia quæ ſpiritalis homo ſedens in cathedra Moyſi per ſemetipſum poteſt adminiſtrare, alia quæ debet ſenſatis laicis committere, præcipue quæ ſpectant ad vindictam malefactorum, contra quos miniſter armatus & judex cinctus non ſine cauſa gladium portat; quem nemo debet ſua præſumptione accipere, ne gladium accipiens gladio pereat; ſed eccleſiaſtica poteſtate ordinante ſecularem, atque interdum frænante, interdum

dum ſtimulante, ſic per ſanctos judicentur nationes ut ipſis juſte dominantibus munda ſit manus & lingua ſacerdotis a negotio ſanguinis. Neque enim ſanguis per judicem cinctum, licet ab Epiſcopo conſtitutum, fuſus imputandus eſt Epiſcopo, ſi tamen eidem judici non ſinit eſſe poteſtatem liberam ſeu violentiam contra juſtitiam. Sic enim legimus a Pontificibus Romanis quoſdam Regum ſeu Principum pro inutilitate vel nequitia ſua excommunicatos & deſtitutos, alioſque pro illis conſtitutos; ut ii quos provexerunt, non ſolum ex inſtituto, ſed etiam ex præcepto eorum gladio vindice perſequerentur hoſtes Eccleſiae vel regni. Sane in talibus bellis movendis pro defenſione patriae ſeu Eccleſiae ſacerdotali quoque tuba cum Principis edicto conſonante ſic ſe lingua ſacerdotalis debet cohibere ne ſe videatur mortibus etiam hoſtium commiſcere; ſicut de beato Gregorio legimus, qui cum Romanos milites in defenſione urbis contra Longobardos pecunia eccleſiaſtica velut ſacellarius juvaret, atque doctrina ſacerdotali tanquam juſtitiae ſignifer animaret, a mortibus tamen ipſorum Longobardorum ſtuduit ſibi cavere, ipſis quoque hoſtibus parcendo, nec bella inferendo vel inferri praecipiendo, niſi quantum exegit neceſſitas injuriae propulſandae vel urbis ac patriae defenſandae. Hinc eſt quod hoſtibus verſus urbem properantibus monet a tergo inſtandum vel ex adverſo reſiſtendum; quibus in pace quieſcentibus & Eccleſiam non laedentibus minime docet bella inferenda, quamquam nota fuerit hoſtilis eorum nequitis. Inde eſt quod penes Imperatorem Mauricium ſibi prorſus infenſum dudum accuſatus quod Malchum Epiſcopum ſui patrimonii proviſorem pro reddendis penſionibus tamdiu in cuſtodiis afflixiſſet quouſque ſpiritum exhalaret, Sabiniano ſuo Conſtantinopolitano Diacono ſcribens ait. *Vnum eſt quod breviter ſuggeras sereniſſimis Dominis noſtris, quia ſi ego ſervus eorum in mortem vel Longobardorum me miſcere voluiſſem, hodie Longobardorum gens nec Regem nec Duces nec Comites haberet, atque in ſumma confuſione diviſa eſſet. Sed quia Deum timeo, in morte cujuslibet hominis me miſcere formido. Malchus autem iſdem Epiſcopus neque in cuſtodia fuit neque in aliqua afflictione; ſed die qua cauſam dixit & addictus eſt, neſciente me a Bonifacio Notario in domum ductus eſt, ibique prandidit & honoratus eſt ab eo, & nocte ſubito mortuus eſt inventus.* Quam vero crudele viſum fuerit huic ſactatiſſimo doctori ut Epiſcopo jubente aliquis ita caſtigaretur ut ex ipſa caſtigatione mortis cauſa inferretur, inde colligitur quod Iohanni Epiſcopo Calliopolitano inter alia ſcribens ait: *Matricula quam frater & coepiſcopus noſter Andreas Tarentinus Epiſcopus fecit fuſtibus caſtigari, quamvis exinde poſt octo menſes hanc obiſſe non credamus, tamen quia eam contra propoſiti ſui ordinem hujuſmodi fecit affligi, duobus hunc menſibus a Miſſarum ſolemnitate ſuſpendere, ut vel haec eum verecundia qualem ſe de cetero exhibere poſſit inſtituat.* Audiant haec Epiſcopi qui ultro & contra juſtitiam plerunque bella movent, guerras excitant, & plerunque innocentes etiam perſonas truncari & morte tenus male tractari praecipiunt, officiumque militis & ſacerdotis in una perſona confundunt, Comitis & Pontificis dignitatem ſimul adminiſtrant, hoſtibus non tyrannizantibus, verum ea quae pacis ſunt & gratiæ humiliter quærentibus, gladios intentant, & eos occidi vel truncari præcipiunt, quos utinam vivos capi praeciperent, & a mortibus eorum ſibi caverent; qui ſi, capi ſe non permittentes, a militibus Epiſcoporum occiderentur, qualicunque pallio excuſationis verecunda patrum tegerentur, ne homicidae viderentur. Nunc autem quia Epiſcopi quidam ſic tyrannizant ut etiam innocentes perſonas & ſpiritales militum ſuorum gladiis interdum exponant, eſurimus & ſitimus hanc juſtitiam, ut judicia & negocia ſpiritalia per ſpiritales & ſecularia per ſeculares ita peragantur ne termini a patribus conſtituti negligantur. Talibus judiciis in Eccleſia Chriſti diſtincte ordinatis, confunderetur & excluderetur omnino Rex Babylonis, princeps tenebrarum & confuſionis, qui nunc rebus male mixtis & confuſis gloriatur ſe abundare filiis & filiabus multiplicatis ſuper numerum filiorum & filiarum Ieruſalem. Miſereor ſuper filias Babylonis, miſeras illas falſo ſanctimoniales dictas, quae ſi aut Chriſto per votum continentiae ſpiritaliter nuptae, vel ante votum ſeculariter conjugatae fuiſſent, poterant eſſe filiae Ieruſalem, vel inter ſexaginta Reginas, vel inter octuaginta concubinas contemplantes Regem Salomonem in diademate ſuo, quo coronavit eum mater ſua in die deſponſationis ſuae. Nunc autem ſanctimoniam profeſſae, mundo autem nimis amicae, filiae Babylonis & confuſionis recte dicuntur, & a filiabus Ieruſalem, non tanquam fatuae virgines, in ultimo tantum ſponſi adventu ſecernendae ſunt, ſed & nunc in interitum carnis tradendae ſatanae, ut ſpiritus earum ſalvus fiat; ſicut nuper in Concilio Remenſe tu, Papa Eugeni, de talibus mandaſti ut Chriſtiana etiam ſepultura careant, niſi vitam ſuam in congregationibus ſecundum regulam beati Benedicti vel ſancti Auguſtini emendent, & relictis propriis, communiter vivant. In quo ſtatuto exequendo Epiſcopi quidam non bene vigilant. Sed & ipſae filiae Babylonis remurmurant inter ſe dicentes: Quid eſt rationis quod nobis feminis in clauſtro quolibet ſtabilitis & nutritis, neque tamen regulae alicujus voto adhuc obligatis, quia votum regulae ſolemus differre uſque ad laſſitudinem ſenectutis, nunc imponitur invitis obſervantia regularis. Quibus cum reſpondeo, Quia eſtis in monaſterio & utimini ſtipendio regulariter viventibus conſtituto, reſpondent: Nonne ſimiliter & Canonici epiſcopalium eccleſiarum vivunt de ſtipendio regulariter viventibus conſtituto, & ipſi nullam penitus obſervant regulam, neque ſaltem illam diſſolutam quam ſibi a Ludewico dicunt propoſitam ſive impoſitam: quae cum eos jubeat in clauſtris ſuis inſimul habitare, nec permittat illis extra dormitoria ſua dormire abſque inevitabili cauſa, non ita fit, ſed unuſquiſque diſcurrit & dormit ubi vult. Quare itaque nobis feminis illud prohibetur quod in viris Deo ſacratis toleratur, cum nec ſaltem in ſua illa jam dicta regula illis hoc permittatur? Sic murmurant filiae Babylonis miſerae contra ejuſdem Babylonis filios utinam tam parvulos ut poſſent teneri & alliſi ad petram. Nam petrae inhaerentes Petri ſucceſſores multa ſollicitudine tales conſtringere laboraverunt, verbi gratia praecipiendo ut tam Epiſcopi quam Clerici neque in ſuperfluitate ſeu inhoneſtate vel varietate colorum aut fiſſura veſtium neque in tonſura intuentium, quorum exemplum & forma eſſe debent, offendant aſpectum, ſed potius ita in ſuis actibus errata condemnent & amorem innocentiae converſatione demoſtrent ſicut dignitas exigit ordinis clericalis. Magnifice dictum, *ſicut dignitas exigit ordinis clericalis*, ne intelligatur exiliter, penſanda eſt ordinis clericalis dignitas, non ſecundum vulgaris opinionis aeſtimationem frivolam, ſed ſecundum legem divinam. Locutus eſt enim Dominus ad Moyſen dicens: *Tolle Levitas de medio filiorum Iſraël, & purificabis eos juxta hunc ritum. Aſpergantur aqua luſtrationis, & radant omnes pilos carnis ſuæ. Cumque laverint veſtimenta ſua & mundati fuerint, tollent boves de armentis.* & cetera. *Radant*, inquit, *omnes pilos carnis ſuae*. Pili carnis ſunt vitae veteris cogitationes, ut ait beatus Papa Gregorius; quas ſic a mente incidimus ut de amiſſione earum nullo dolore fatigemur. Pili carnis ſunt quaelibet ſuperflua humanae corruptionis. Levita namque aſſumptus vocatur. Oportet ergo Levitas omnes pilos carnis radere; quia is qui in obſequiis divinis aſſumitur, debet ante Dei oculos a cunctis carnis cogitationibus mundus apparere. Non illicitas cogitationes mens proferat, & pulchram animae ſpeciem quaſi pilis fuſcantibus deformem reddat. Sed quantumlibet, ut diximus

mus

Digitized by Google

mus, quempiam virtus ſanctae converſationis evexerit, adhuc tamen ei de vetuſtate naſcitur vitae qui toleratur. Vnde & ipſi Levitarum pili radi praecepti ſunt, non evelli. Raſis etenim pilis, in carne radices remanent, & creſcunt iterum ut recidantur: quia magno quidem ſtudio ſuperfluae cogitationes amputandae ſunt, ſed tamen amputari funditus nequaquam poſſunt. Semper enim caro ſuperflua generat quae ſemper ſpiritus ferro ſollicitudinis recidat. Sed haec in nobis tunc ſubtilius conſpicimus cum ſpeculationis alta penetramus. Verum hanc munditiae vel pulchritudinis perfectionem conſequi non poterit niſi qui cunctas prius ab animo ſuo facultates ſeculi divini amoris novacula raſerit. Proinde Dominus noſter, qui legem non ſolvere ſed adimplere venit, ut iſta quoque Levitarum lex a ſuis aſſumptis poſſit impleri, dicit adoleſcenti diviti: *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende quae habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in caelo, & veni, ſequere me.* ac deinceps: *Et omnis qui reliquerit domum vel fratres.* & cetera. Hanc plane Levitarum eſſe raſuram Moyſes quoque in Deuteronomio probat, cum dicit in benedictione Levi: *Qui dixit patri ſuo & matri ſuae, Neſcio vos, & fratribus ſuis, Ignoro illos, & neſcierunt filios ſuos, hi cuſtodierunt eloquium tuum & pactum tuum, ſervaverunt judicia tua, ô Jacob, & legem tuam, ô Iſrael.* Sic inquam ſpiritualiter debere radi filios Levi probat hic ipſe Moyſes, cum & illic protinus ſubjungit: *Ponent thymiama in furore tuo, & holocauſtum ſuper altare tuum.* Et hic cum dixiſſet, *Aſpergantur aqua luſtrationis, & radant omnes pilos carnis ſuae*, continuo ſubdidit: *Cumque laverint veſtimenta ſua, & mundati fuerint, tollent bovem de armentis, & libamentum ejus ſimilam oleo conſperſam. Bovem autem alterum de armento accipies pro peccato, & applicabis Levitas coram tabernaculo fœderis, evocata omni multitudine filiorum Iſraël. Cumque Levitae fuerint coram Domino, ponent filii Iſrael manus ſuas ſuper eos, & offeret Aaron Levitas munus in conſpectu Domini a filiis Iſraël, ut ſerviant in miniſterio ejus. Levitae quoque ponent manus ſuas ſuper boum capita.* & cetera. Quidnam eſt aqua aſperſos Levitas & raſos, lotiſque veſtimentis mundatos, bovem alterum in holocauſtum, alterum pro peccato manibus ſuis ſuper capita poſitis coram Domino tangere, poſitis antea vel inſimul manibus filiorum Iſrael ſuper ſe? Quid inquam hoc eſt niſi ſpiritalis propoſiti viros a propriis vitiis mundatos, a cunctis facultatibus curiſque ſeculi raſos, ad hoc ſolum vacare ad quod aſſumpti ſunt, videlicet ut ponant thymiama in furore Domini & holocauſtum ſuper altare eius, id eſt, interveniant pro peccatis populorum? Filii namque Iſrael manus ſuas ſuper Levitas, qui ab ipſis decimas accipiunt, & Levitae manus ſuas ponunt ſuper capita boum, e quibus unum, inquit, facies pro peccato, & alterum in holocauſtum, quando ſpiritalis ordinis viri ſecularium peccata ſuſcipiunt, quorum ex eleemoſynis vivunt, & ea coram Domino ſacrificiis orationum oblatis deprimere & uſque ad remiſſionem vel indulgentiam eorum ſuperare contendunt. Quod quia magna eſt inſtantia faciendum, in fine capituli trina repetitione commemoratur factum. *Feceruntque Moyſes & Aaron & omnis multitudo filiorum Iſraël ſuper Levitas quae praeceperat Dominus Moyſi.* & deinde: *Purificatique ſunt, & laverunt veſtimenta ſua.* & cetera. ac deinde tertio: *Sicut praeceperat Dominus Moyſi de Levitis, ita factum eſt.* Et quidem de Levitis ita factum eſt ut Dominus praeceperat, purificatis & raſis primo litteraliter miniſtris veterum & carnalium ſacrificiorum, deinde ſub novo legislatore benedictionem dante ſpiritaliter purificatis & raſis filiis Aaron ſacerdotis veri, Chriſti videlicet Apoſtolis novi ſacrificii primis & praecipuis miniſtris. Verum ſicut in captivitate Babylonica Presbyteris iniquis inique judicantibus egreſſa eſt iniquitas a ſenioribus qui videbantur regere populum, neglecto praecepto per Moyſen dato de purificatione Levitarum, ſic & modo, quaſi tyrannizante Rege Babylonico, & populo Dei captivo, egreditur iniquitas a ſenioribus qui videbantur regere populum, neglecta purificatione ac raſura Levitarum, quae inſtituta eſt per Chriſtum, pauciſſimis Levitarum exceptis, exemplo trium puerorum & Danielis Prophetae ſe caſtrantes propter regnum caelorum, digni & idonei exiſtunt hymnum Deo canere, viſiones regni caeleſtis videre, ac ſenes impudicos judicare. Judicium vero talium Presbyterorum cum filiabus Iſraël temporibus turpiter agentium & filiabus quoque Iuda Suſannae conſimilibus inſidiantium ex eo tempore cœpit acrius agitari ex quo talibus interdicta ſunt officia divina & beneficia eccleſiaſtica, tanquam Daniele praeſidente in quolibet caſto & juſto apoſtolicae ſedis antiſtite. Sed quia necdum tota captivitas Babylonica ſoluta vel reverſio in Ieruſalem peracta eſt, adhuc ſuper flumina Babylonis flendo ſedemus, & hujuſce confuſionis remedia majora expectantes, cum Ieremia & Aggaeo canimus: *Te decet hymnus Deus in Sion, & tibi reddetur votum in Ieruſalem.* Quaenam remedia majora expectamus & expetimus? Illa videlicet, ut ſicut in reverſione populi Dei de captivitate cantores & ſacerdotes ac Nathinaei deſcripti ſunt cautiſſime per tribus & familias ſuas, ac de ſacerdotio ejecti ſunt qui ſuam de ſcripturis genealogiam indicare non potuerunt, ita & nunc fiat exaudita oratione Ieremiae dicentis: *Converte nos Domine ad te, & convertemur: innova dies noſtros ſicut a principio.* Denique ſi ad principium naſcentis Eccleſiae reſpiciamus, dies claros & ſerenos in ordinibus eccleſiaſticis inveniemus, ita ut alii vice Apoſtolorum Pontifices, alii vice ſeptuaginta diſcipulorum ſacerdotes, alii cum Stephano Diacones rite ſequerentur ſuae profeſſionis duces ac principes, tanquam ſuae genealogiae ſeriem cautiſſime obſervantes. A qua ſerie ſi quis deviavit, ut Iudas traditor & mercator peſſimus, Nicolaus fornicator, Simon perverſus negotiator, continuo detectus de ordine ſacerdotali ac levitico proiiciebatur, & ordo leviticus in ſua puritate ſervabatur ſub aliqua certa regula vel ſimul in unum cohabitandi lege cœnobitali, vel populo foris miniſtrandi lege ſynodali, exemplo Chriſti diſcipulorum, qui primitus in unum cohabitando formam cœnobitalis vitae praeoſtenderunt, uno corde unaque anima Deum colendo; & poſtea diſperſi per diverſas regiones Ponti, Galatiae, Cappadociae, Aſiæ, & Bithyniae, ſancte converſabantur in medio nationis pravae ac perverſae verbum vitae continentes & ſicut luminaria in hoc mundo lucentes. Qua nimirum converſatione diſperſorum fratrum ſanctorum vita informatur Dei miniſtrorum verbum vitae continentium & in medio nationis pravae ad hoc ordinatione divina diſperſorum ut luceant inter eos tanquam luminaria in hoc mundo. Lege in Apoſtolorum actibus, Luca ſcribente, primitivam regulam cœnobitalis vitae. *Multitudinis*, inquit, *credentium erat cor unum & anima una in Deo.* & cetera. Lege Apoſtolorum principis epiſtolas fratribus in diſperſione poſitis miſſas, quaſi primas decretales regulas in omni concilio ſanctorum decreta fabricantium prae oculis habendas, ut hujuſmodi fratres ad omnem ſanctimoniam ſint informati tanquam verbis Petri Apoſtoli dicentis: *Obſecro vos tanquam advenas & peregrinos abſtinere vos a carnalibus deſideriis quae militant adverſus animam, converſationem veſtram inter gentes habentes bonam* & cetera. Item: *Seniores obſecro conſenior & teſtis Chriſti paſſionum, qui & ejus quae in futuro revelanda eſt gloriae communicator, paſcite qui in vobis eſt gregem Dei providentes non coacti, ſed ſpontanee ſecundum Deum, neque turpis lucri gratia, ſed voluntarie, neque ut dominantes in clero, ſed forma facti gregi & ex animo: & cum apparuerit princeps paſtorum, percipietis immarceſcibilem gratiae coronam.* Item: *Vos autem curam omnem ſubinferentes miniſtrate in fide veſtra virtutem, in*

vir-

Digitized by Google

virtute autem ſcientiam, in ſcientia autem abſtinentiam, in abſtinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis caritatem. Haec enim ſi vobiſcum adſint & ſuperent, non vacuos nec ſine fructu vos conſtituent in Domini noſtri Jeſu Chriſti cognitione. Cui enim non praeſto ſunt haec, caecus eſt & manu tentans, oblivionem accipiens purgationis veterum ſuorum delictorum. Quapropter, fratres, magis ſatagite ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis. Haec enim facientes, non peccabitis aliquando. Sic enim abundanter miniſtrabitur vobis introitus in aeternum regnum Domini noſtri & ſalvatoris Jeſu Chriſti. Item: *Unuſquiſque ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiae Dei. Si quis loquitur, quaſi ſermones Dei. Si quis miniſtrat, tanquam ex virtute qua adminiſtrat Deus; ut in omnibus honorificetur Deus per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Quamquam dicta & hortamenta haec apoſtolica univerſae conveniant Eccleſiae, tamen quia fratribus in diſperſione poſitis, tanquam advenis & peregrinis inter gentes converſantibus, miſſa ſunt, ſpecialiter eos inſtruunt qui pie inter impios vivendi & eos inſtruendi habent propoſitum & officium: a quo qui exorbitant, ſecuti viam Balaam ex Boſor, qui mercedem iniquitatis amavit, correptionem vero habuit ſuae veſaniae ſubjugale mutum, hi, ut beatus Petrus ait, ſunt fontes ſine aqua & nebulae turbinibus exagitatae, quibus caligo tenebrarum reſervatur. Superba enim vanitatis loquentes pelliciunt in deſideriis carnis luxuriae eos qui paululum effugiunt, qui in errore converſantur, libertatem illis promittentes, cum ipſi ſervi ſint corruptionis. A quo enim quis ſuperatus eſt, hujus & ſervus eſt, & cetera. Nimirum per haec apoſtolica dogmata, non ſolum qui ſequendi, ſed & qui cavendi ſint, monemur ne inſipientium errore traducti excidamus a propria firmitate, ſive in congregatione ſive in diſperſione ſimus: quoniam ad utrumque modum converſandi firmas regulas habemus, primo & principaliter in actibus & dictis Apoſtolorum, deinde in exemplis & regulis patrum ipſos imitantium. Denique omnes qui vitae coenobitalis regulas recte ordinaverunt, illud quod in actibus Apoſtolorum de multitudine credentium cor & animam unam in Deo habentium nihilque ſuum dicentium ſcribitur, quaſi cardinem doctrinae ſuae habuerunt, ut verbi gratia Baſilius, Auguſtinus, Benedictus, quorum in regulis recte ordinatur vita congregationis. Verum Pontifices Romani ceterique patres orthodoxi, qui decretalibus aut ſynodalibus inſtitutis clericos in diſperſione poſitos informaverunt, apoſtolicas epiſtolas quaſi primitivas & principales regulas & leges civitatis Ieruſalem in principio laetitiae ſuae propoſuerunt, nec aliquid ab eis diſſonum docuerunt. Etenim quod Clericorum congregationes ab initio naſcentis Eccleſiae communem vitam ſecundum actus Apoſtolorum ſervaverint Urbanus Papa & martyr decimus ſextus a beato Petro in ſuis decretis manifeſtat. Quod & beatae memoriae Papa Innocentius II. in quadam epiſtola ſua commemorat, cujus hoc eſt reſcriptum.

Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Conrado Salzburgenſi Archiepiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem. De dignitate & excellentia vitae Canonicorum multa nos docet divina ſcriptura, & multa poſſemus dicere, quod vita Canonicorum vita eſt apoſtolica, quoniam Apoſtoli contemptis omnibus hac vita cum Domino vixerunt, & poſt aſcenſionem cum multitudine credentium, cujus erat anima una & cor unum, hac vita viventes, eam poſteris ſua exemplo tenendam reliquerunt. Quod martyr & Pontifex Urbanus ad informationem fidelium in ſuis decretis memorare curavit dicens: Scimus vos non ignorare quia vita communis hactenus inter bonos Chriſtianos viguit & adhuc gratia Dei viget, & maxime inter eos qui in ſorte Domini electi ſunt, id eſt, Clericos, ſicut in actibus Apoſtolorum legitur: Multitudinis credentium erat cor unum & anima una. Hanc beati Auguſtini regulis ordinatam ſanctus Hieronymus ſuis epiſtolis informavit. Horum itaque & aliorum munitis auctoritatibus, non minoris meriti aeſtimamus vitam canonicam aſpirante ac proſequente Domini ſpiritu obſervare quam religionem monaſticam eiuſdem ſpiritus perſeverantia cuſtodire. Unde anteceſſorum noſtrorum decretis ſtatutum eſſe meminimus ne profeſſionis canonicae quiſpiam, poſtquam Dei vice ſuper caput ſibi hominem impoſuerit, alicujus levitatis inſtinctu vel diſtrictioris religionis obtentu de clauſtro audeat ſine Praelati & congregationis permiſſione diſcedere. Quorum veſtigiis inhaerentes, quod quidam fratres in clauſtro Berthersgadmenſi de mutatione ordinis ſui vana praeſumptione attentare voluerunt, apoſtolica auctoritate ne fiat interdicimus, praecipientes ut quod Deo voverunt reddere & regulam beati Auguſtini, quam profeſſi ſunt, Domino juvante fideliter obſervare ſtudeant, in cujus obſervantia ſi eos fortaſſe remiſſos & minus ferventes repereris, monemus fraternitatem tuam ut ſecundum datam tibi a Deo ſapientiam profeſſionem & ordinem ſuum ſervare & mandatis regulae obedire, ſicut ſua intereſt, diſtricte commoneas. Data Laterani XVII. Kalendas Aprilis.

Cum ergo ſcriptis apoſtolicis moniti & divina inſtitutione informati agnoſcamus bipertitam converſationem clericorum, vel in congregatione communiter, vel in diſperſione diſciplinate converſantium & regulas vel cœnobitales vel ſynodales, quas appellamus canones, obſervantium, quis niſi Rex Babylonis & confuſionis adinvenit genus tertium clericorum nimis confuſum, nimis Babylonicum, laicali pariter & clericali converſatione commixtum in quoddam neutrum, neque in congregatione vacantium canendis hymnis ita decenter ſicut *te decet hymnus Deus in Sion*, neque in diſperſione ordinabiliter militantium contra carnalia deſideria quæ militant adverſus animam. Hi ante nos a ſanctis patribus inveniuntur hypocentauris aſſimilati, qui nec equi nec homines, *mixtumque*, ut ait poeta, *genus prolesque biformis*, quia nullius agnoſcuntur certæ ſectatores religionis. Horum quoſdam ſolutos atque oberrantes, ut Iſidorus ait, ſola turpis vita complectitur & vaga, quia nullius cautæ inſtitutionis religamine jugo Domini ſunt aſtricti, quaſi liberi & velamen habentes malitiæ libertatem, non ſicut ſervi Dei, ſed ſicut ſervi mammonae, pro ſuo quæſtu ſeu luxu variantes loca, vel, quod pejus eſt, occupantes loca plura contra interdicta ſynodalia, quibus mandatur ne vagus clericus ante canonicam ſtabilitatem litteris commendatitiis ac propria confeſſione roboratam ſerviat altari ſeu vivat de altari, prohibeturque unus in duabus vel pluribus Eccleſiis intitulari, ut verbi gratia in ſede cathedrali ſit Canonicus & in rure plebanus, vel inter plebanum & Epiſcopum talis medius qualis in Concilio Remenſi ſermone apoſtolico per te, Papa Eugeni, nuper eſt præſcriptus pariter & proſcriptus, eo quod quidam ſuis conductitiis nomen plebani fraudulenter concedunt, & ipſi ſub Epiſcopis & ſuper hujuſmodi plebanos ita ſe medios conſtituunt ut gregem devorent, non curent, vaſtent, non paſcant. Hos impugnari vel expugnari ob hoc nimis eſt laborioſum quod cum ſua quærant & non quæ Ieſu Chriſti, tenent arcem in Ieruſalem, &, ſicut in libris Machabæorum legitur, facti ſunt in diabolum malum in Iſraël, ſuntque magna plaga caſtitatis & duces reliquis alienigenis in vexationem ſanctæ civitatis, uſque adeo ut per talium gravamina deſerta ſit Ieruſalem a ſuis civibus & inhabitetur a gentibus, juxta illud: *Deus, venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum, poſuerunt Jeruſalem in pomorum cuſtodiam, poſuerunt morticina ſervorum tuorum eſcas volatilibus cæli, carnes ſanctorum tuorum beſtiis terræ*. & cetera. Sed innoteſcet quandoque in nationibus

bus

Digitized by Google

bus ultio ſanguinis ſervorum Dei, & introibit in conſpectu Dei gemitus compeditorum. Sicut enim Simone ſacerdote magno exaltato, hi qui erant in arce, primo concluſi, deinde ſunt ejecti, ſic annuente Deo eveniet iſtis. Ita enim legitur. *Qui autem erant in arce Jeruſalem, probibebantur egredi & ingredi in regionem & emere ac vendere, & eſurierunt valde, & multi ex eis fame perierunt. Et clamaverunt ad Simonem ut dextras acciperent, & dedit illis, & ejecit eos inde, & mundavit arcem a contaminationibus. Et intraverunt in eam tertia & viceſima ſecundi menſis, anno centeſimo ſeptuageſimo primo, cum laude & ramis palmarum & cinaris & cymbalis & nablis & hymnis & canticis, quia contritus eſt inimicus magnus ex Iraël. Et conſtituit ut omnibus annis agerentur dies hi cum laetitia. Et munivit montem templi qui erat ſecus arcem, & habitavit ibi ipſe & qui cum eo erant.* Nonne huic facto ſimile eſt illud quod irregulares Canonici, licet in arce poſiti, per decreta Pontificum Romanorum prohibentur Eccleſias emere ac vendere in regione, propter quod eſuriunt valde, non ſicut illi beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, ſed ſicut hi qui ardent per avaritiam. Veniet veniet tempus acceptabile quo eiciantur de arce primo particulariter emundata, videlicet qualibet cathedrali Eccleſia, deinde univerſaliter ventilatione ultima; nec proderunt eis propugnacula vel jacula quibus jamdiu tutati ſunt in arce. Habent enim in regula ſua, non ſecundum Apoſtolos ordinata, quaedam capitula rationabilia vel fortiſſima propugnacula, quibus defenditur converſatio eorum tanquam ſit canonica. Et revera ſi viverent ſecundum illa quae de ſanctorum patrum tractatibus excerpta illic ſunt aggregata, vita dici poſſet & eſſet canonica. Sed admixtum illic modicum fermentum totam maſſam corrumpit, illud videlicet quod non de ſcriptis patrum, ſed aliunde aſcitum deſtruit illic poſitas ſanctiones ſanctorum. Quaſi enim Regis legitimi legitimis edictis primo poſitis, aliis immo & contrariis edictis legationem mittunt poſt illum dicentes: *Nolumus hunc regnare ſuper nos.* Nam cum priora edicta eis interdicant proprietatem & habitacula privata, poſteriora illa penitus apocrypha concedunt hujuſmodi, non ea diſcretione qua beatus Gregorius clericis extra ſacros ordines manentibus & legitima conjugia ſortitis extra congregationes dari permittit ſtipendia competentia pſalmodiae invigilantibus & viventibus ſub Chriſtiana regula prohibente illicita, ſed ea confuſione qua ſcripſit Rex Antiochus regno ſuo ut eſſet omnis populus unus. Vnde apud illos inter ſanctum & profanum nulla diſtantia eſt, inter ſacerdotes & laïcos modica diſcretio; niſi forte in eo diſcernantur quod clerici plus laïcis deviant, exceptis pauciſſimis inter eos ita ſenſatis ut intelligant & doleant ſe non eſſe obſervatores vel illius confuſae regulae niſi in viliſſima ejus portione, cum ea illic negligant quae ſancti ſancta docent, & ea ſolum teneant quae in permiſſione proprietatum & privatorum habitaculorum neſcio quis indulget. Nonne itaque regula iſta vel colanda eſt ut ſit pura & ſanctis conſona, vel ſi colari non poteſt, omnino auferenda? Provenit enim ex illa talis confuſio qualis olim de jam commemorato Regis Antiochi evenit edicto, quo ſcripſit omni regno ſuo ut eſſet omnis populus unus. Nam ſi ſola ſua, ut eis illic permiſſum eſt, retinerent quae relinquere nullus cogitur niſi qui voto vel propoſito vitae arctioris tenetur, eſſet hoc utcunque tolerabile, dummodo res Eccleſiae, ut in ſacris canonibus praecipitur, haberent, non in proprietate, ſed in communitate, neque ad inſtar filiorum Heli de Silo carnes in communi caldario coquendas & intra ſancta edendas dividerent crudas in habitacula ſua mulierculis frequentata deportandas. Sane a talibus congregationibus proprietates omnino diſamputare ac privatas eis manſiones penitus non permittere, hoc utique eſſet ſecurim ad radicem arboris malae ponere, non etiam ramos ſolum praecidere. In qua nimirum praeciſione ramorum hi fruſtra laborant qui permiſſis eis proprietatibus ac privatis manſionibus, a veſtibus ſuperfluitates & ſecularis pompae naevum atque a moribus vitia conantur reſecare. Quandiu enim radix proprietatis & manſionum privatarum uſus radicitus non evellitur, quantumlibet operae ad praecidendos ramos inutiles vineae Domini quiſque ſtudioſus cultor impenderit, de vitioſa radice alii aeque inutiles pullulabunt. Nam ſi in clauſtris canonice abſque proprietate ordinatis vix vitia vel etiam crimina bene vigilante ſtudio magiſtrorum reſecari poterunt, quanto minus ubi fraterni teſtimonii abſentia, & privati domicilii ſecretum, inſuper & aetatis lubricum, otiumque cum abundantia, coquorumque diligentia, & familiae obſequela concurrerint. Sed obicitur nobis a talibus, nec inter nos vitioſos nec inter illos virtuoſos omnino deeſſe. Atque utinam ſicut apud nos unus forſitan vitioſus ſtudioſorum multitudine premitur quatenus aut mutetur intus aut foras egrediatur, ita apud eos quiſpiam ſtudioſus vitioſorum multitudine non opprimeretur, immo & perſecutionis rabie non pelleretur? Quis enim ex eis vitia aliorum ſciens, & aemulatione fraterna impetens, declinans, & arguens, cum talibus, ne dicam pacem habere, ſed vivere ſecure potuit? Ingreſſus es, inquiunt, ut advena; numquid ut judices? Vimque facient ei vehementiſſime, ita ut non aliud reſtet cuilibet animam ſalvare cupienti niſi de medio talium fugere nec in omni circumjacenti regione ſubſiſtere, ſed in monte altioris profeſſionis ſalvum ſe facere. Vnam tamen conſidero viam hanc litterarum civitatem expugnandi, qua cuilibet vero Caleph cuilibet ſecundum cor Dei ordinato caſtrorum dominicorum duci video acceſſibilem, qua paulatim tales Cariatharbei expugnari & exterminari poſſint, ita ut non redigatur terra in ſolitudinem; ſi videlicet a throno cuncta innovare cupientis Dei, & ab his quorum eſt in terris vicem Chriſti gerere ac de regno ejus omnia ſcandala corrigere, tale edictum procedat, aut etiam ſi quilibet Epiſcoporum divinitus inſpiratus hoc firmiter in corde ſuo ponat ut uno quolibet eorum qui ejuſmodi ſunt decedente, non alterum ei ſimilem in locum ejus ſubſtituat, ſed praebendas & beneficia eccleſiaſtica in manu ſua retinens, pauperibus interim diſtribui in eleemoſynam faciat donec tanta fiat praebendarum liberatio unde vel ſex vel decem aut quot Canonicos regulariter viventes in vicina aliqua capella foveat, quos illis malis vinitoribus viritim decedentibus ſubintroducere in hereditatem Domini tanquam heredes legitimos poſſit. Quod in una jam Eccleſia ſancti Mauricii in Burgundia factum nobis pro exemplo ſatis ſit; in qua introductis Canonicis, aliquanti adhuc de prioribus clericis ſuperſtites videntur ſtipendia ſua foris accipientes. Non autem hi Burgundiones prae ceteris omnibus ſeculariter degentibus clericis peccatores fuerunt; ſed in illis divina cenſura exemplum ſtatuit, imitari cupientibus poſſibilitatem monſtravit qualiter in toto de ſimilibus faciendum ſit ac ſine difficultate fieri poſſit. Quam multa moveor dicere contra hujuſmodi exordinationes & Babylonicas confuſiones; quibus tandem ablatis, *te decet hymnus Deus in Sion*, quem nunc blaſphemat meretrix Babylon de ſanguine ſanctorum, ſicut in Apocalypſi legitur, ebria, quia gratiam Domini transferens in luxuriam delitiatur in conviviis de ſubſtantia ſanctorum copioſe ferculatis & poculatis, mixtis in medio convivantium feminis impudicis. Vix continent manus ab eo ſacrilegio quo Rex Babylonis Balthaſar bibendo & potando concubinas ſuas de ſacris vaſis iram Dei promeruit, quae illi per articulos manus in pariete ſcribentis innotuit, ſancto Daniele interpretante. Atque utinam contra iſtos convivatores tale aliquid ſcribi valeat quo ira Dei eis innoteſcat, qui fortaſſe inde plus iraſcitur quod hujuſmodi manducant & bibunt indigne ſacramentum carnis & ſanguinis ſui quam ſi exemplo Regis Balthaſar vinum de ſacris vaſis biberent & a ſacramento altaris abſtinerent, ne in populo Dei ſcandalum

dalum facerent. Quando enim laici omnino illiterati vident hujuſmodi clericos altari audenter miniſtrare, quibus interdum ſic miniſtrantibus aut hymnos de canticis Sion canora voce jubilantibus aſſiſtunt eorum feminae tanquam filiae Babylonis miſerae, ita egreſſa in iniquitate a clericis & ſenioribus qui videntur regere populum, cernere habemus miſerabile ſpectaculum, ſcilicet in medio tui, Jeruſalem, populum pene totum Babylonicum. Quomodo ergo *te decet hymnus Deus in Sion*, cujus populus populus Gomorrhae ſeu Babyloniae abſque doctoribus & ductoribus juſtitiae? Nam hi qui videbantur regere populum, pene omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt. Non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum. Etiam illi quibus, quaſi Cherubin flammeus, datus eſt gladius ad cuſtodiendam viam ligni vitae, cum deberent manifeſte criminoſis interdicere ac prohibere acceſſum ad menſam Domini uſque ad condignam ſatisfactionem, paſſim confuſe omnibus accedentibus, licet manifeſte criminoſis, porrigunt fructum ligni vitae, quem talibus deberent negare. Ideo inter nos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. Et quia Babylonica illa confuſio nullos magis reſpicit quam deſides negligenteſque rectores, ideo juſto judicio Dei effuſa eſt contentio ſuper principes tam ſeculares quam ſpiritales, & errare fecit eos in invio & non in via, dum & ſpiritales implicari ſe gaudent ſecularibus negotiis, & ſeculares intermiſcere ſe audent ſpiritalibus cauſis. Quae nimirum confuſio corpus totius Eccleſiae facit languere ac membra ejus contra ſe invicem diffidere, tanquam ſi dicant oculi pedibus & manibus, Opera veſtra non indigemus, & manus vel pedes oculis, Non eſtis nobis neceſſarii. Spiritales enim qui, quaſi oculi, dirigere deberent manus ad operandum vel pugnandum, pedes ad ambulandum, ſic tenentur captivi ſub Regibus & Principibus Babylonicis ut eis dicatur: *Hymnum cantate nobis de canticis Sion. Hymnum*, inquiunt, *cantate nobis*, non contra nos, voluntates noſtras malas cohibendo, ſed nobis beneplacita loquendo, *hymnum*, tamen *de canticis Sion*, quia nolumus videri principes Babyloniae, ſed Sion. Volumus audire caeleſtem doctrinam, ſed ad perficiendam non impediendam voluntatem noſtram. Tale fuit quod Rex Herodes mittens & congregans omnes principes ſacerdotum & ſcribas populi, ſciſcitabatur ab eis ubi Chriſtus naſceretur: tanquam diceret: *Hymnum cantate nobis de canticis Sion*. Atque utinam tales illi fuiſſent ut ei ſic maligne ſciſcitanti reſpondiſſent: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena*? Quomodo prodemus caeleſtia myſteria tibi alienigenae volenti Regem verum occidere? Filius quoque ipſius, alter Herodes, paternae impietatis heres, & ipſe volebat audiſſe hymnum de canticis Sion per os Johannis Baptiſtae, quem metuebat & libenter audiebat quoaduſque illi moleſta canere incipiebat dicens: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui*. Cantabat quidem ille hymnum de canticis Sion, non ut Herodes vel Herodias voluit ſibi optatum vel acceptum. Similiter ab ipſo Rege ac ſummo ſacerdote Sion voluerat audiſſe hymnum de canticis Sion, cupiens ex multo tempore videre Jeſum, & gaudens quod ei Pilatus miſiſſet illum. Sed ipſe indignum judicans margaritas mittere ante porcos, coram eo tacuit, nec ſignum aliquod fecit, magiſque ſperni quam honorari voluit ab illo & exercitu ejus. Tunc enim illi fuit tempus tacendi. Sed poſtquam reſurrexit a mortuis, ubicunque tempus loquendi fuit, loquens ipſe in diſcipulis veritatem non tacuit ante Reges & Praeſides, dando ſuis os & ſapientiam cui non poterant reſiſtere omnes adverſarii eorum. Iſtis legitime canentibus & quaſi tubis ſacris circa Jericho clangentibus, corruerunt muri civitatis anathematizatae, principante Ioſue vero introductore in terram lacte ac melle manantem, cujus publico edicto maledictus enuntiatur qui reaedificaverit Iericho. Et ecce tamen quidam reaedificare audent maledictam civitatem nuntios Ioſue, immo Apoſtolos Ieſu Chriſti, perſequentem, cum ſola domus Raab, ſancta videlicet Eccleſia, de perditione hujus civitatis excepta ſit; quae videlicet ruentibus mundanis aedificiis, ipſa in aedificatione morum ſimul & murorum creſcit in templum ſanctum in Domino; in quo, ut Apoſtolus ait, omnis aedificatio conſtructa creſcit, non decreſcit. Spectaculo hujus rei, cum in toto mundo, tum certe clarius in urbe Roma fidelium paſcuntur oculi, cum palatia imperialia ceteraque mira aedificia illic dirutam ruinam repraeſentent Iericho, & eccleſiaſtica aedificia de die in diem creſcentia, & auratis imaginibus fulgentia, morum ſimul & murorum cottidiano incremento & ornamento evidenter oſtendant quaſi domum Raab ſalvatam, ſanctam videlicet Eccleſiam fide & nomine Petri firmatam. Sic in diebus noſtris Eccleſia Lateranenſis, & Eccleſia ſanctae Crucis & Eccleſia S. Mariae novae creſcentes profecerunt in religione ſimul & in forinſeca murorum ampliatione. Domus quoque beati Pauli Apoſtoli per Gregorium VII. reparata claret nunc in religione monaſtica, qua & monaſterium ſanctorum Quatuor Coronatorum & ſancti Anaſtaſii florere videmus cum ceteris Eccleſiis ac monaſteriis in urbe Roma religioſe ordinatis. Unde non immerito dolemus quod adhuc in domo beati Petri principis Apoſtolorum deſolationis abominationem ſtare videmus, poſitis etiam propugnaculis & aliis bellorum inſtrumentis in altitudine ſanctuarii ſupra corpus beati Petri. Quod licet non audeamus judicare malum eſſe, tamen ſine dubio judicamus eſſe a malo, eorum videlicet qui ſuae rebellionis malitia cogunt fieri talia. Cogor hic reminiſci cujuſdam ſententiae beati Auguſtini, qui in libro quaeſtionum veteris & novi teſtamenti dicit inter cetera: *Quare ergo ſententia data eſt ut qui acceperit gladium, gladio pereat, niſi quia nulli licet, excepto vindice, gladio quemquam occidere? Apoſtolo autem Petro uſque ad hoc permiſſum eſt quod terrorem faceret, non quod occideret. Hoc enim audiens, ne iterum percuteret didicit.* Idem ad Publiolam: *Qui repelluntur aliquo terrore ne male faciant, & ipſis aliquid fortaſſe praeſtatur.* Haec dicente ſancto Auguſtino de ſenſu evangelico & exemplo apoſtolico, credimus licita comprobari quae in vicinia Sarracenorum, ſicut audivimus, fieri ſolent, armis comportatis in altas turres Eccleſiarum vel monaſteriorum, quorum oſtentatione per ſpiritales quoque viros terreantur barbari ne invadant loca ſancta; quae audenter invaderent, ſi ea nullis defenſionum inſtrumentis praemunita cognoſcerent. Quod non puto ideo reprehendendum temere, quia id fieri conſtat nimia extorquente neceſſitate, ut interdum clerici quoque vel monachi ſuper muros illic appareant loricati vel ſcutati, non intentione aliquem laedendi, ſed hoſtes terrendi & quomodolibet repellendi ab incurſu locorum ſanctorum; quibus interdum jacula vel ſaxa deſuper jacientibus, ut hoſtem repellant longius, fit quidem res inordinata, ſed ob majus periculum devitandum & terrorem barbaris incutiendum jure toleranda, ſemota penitus intentione aliquem occidendi. quod a ſpiritalis propoſiti viris non licet fieri, qui malle debent occidi quam occidere, quantacunque armorum vel armatorum oſtentatione hoſtes arceant a ſemet laeſione. Si autem ab ordinata poteſtate hujuſmodi armatura providetur, nihil inordinate in hoc agitur: quoniam & Paulus Apoſtolus, cum ſuas inſidias praenoviſſet, per Tribunum poteſtatis Romanae ſibi tutelam providit armorum; in quae ſi hoſtes illius mortem & ſanguinem ſitientes incidiſſent, non ipſe reus homicidii fuiſſet; ſed illis debita ultio proveniſſet, ſanguiſque ipſorum ſuper capita eſſet eorum, dum non aliis ſed ſibimet ipſis reatus imputaretur ſuae interfectionis. Tutela vero armorum quae tunc a poteſtate legitima data fuit uni eccleſiaſticae perſonae, recognoſcitur nunc data univerſali Eccleſiae, ut videlicet hac a regno ſibi collata contra hoſtes habeat armatos miniſtros,

qui-

Digitized by Google

quibus Eccleſiam defendentibus, vel Epiſcopum pro ſui tutela comitantibus & ea quae recta ſunt juvantibus, etiamſi contingant ab eis homicidia, non eſt Epiſcopus homicida magis quam Paulus Apoſtolus homicida fuiſſet ſi in ipſius deductione aliquis hoſtium ſuorum interemptus cecidiſſet. Porro ſi ad mala negotia Epiſcopus abutitur ſuis miniſtris, ipſe utique homicida efficitur, ſi quis ab eis in tali miniſterio interficitur; quo modo Reges, Duces, & Comites homicidae fiunt, ſi abſque judicio & juſtitia homines occidunt vel occidi faciunt. Eadem videlicet conſideratione inter Chriſtianos muniuntur quaedam turres eccleſiaſticae armis & propugnaculis, per quae ſi hoſtes Eccleſiae laeduntur, ſanguis eorum ſuper eos erit, dum propria ſolummodo iniquitas & nocendi aviditas ad talia eos impellit. Alia ſane ratio eſt cum poteſtas ordinata, ſuae ordinationis inſcia vel oblita, Eccleſiam perſequitur, alia quando a paganis exterius vel ab inimicis domeſticis interius gravatur. Poteſtas enim legitima vel ad ordinationis ſuae obedientiam verbo doctrinae dirigenda eſt, vel ſi dirigi non poteſt, verbo excommunicationis frangenda; ſalva ſcilicet unitate Eccleſiae dum regnum Deo inobediens ſcinditur; quemadmodum in Saule contigit, cui David fidelis in regno ſucceſſit. Porro exterorum forinſeca gravamina, quia verbo doctrinae ſubmoveri non poſſunt, quoniam de his qui foris ſunt judicandi poteſtatem non habet Eccleſia, viribus humanis per arma ſimulque divinis per orationes arcenda ſunt jure tam civili quam imperiali. Quae duo jura quando ſibi concordant in Eccleſiae defenſione Principibus recte ordinatis & civibus bene pacatis, facile reſiſtit Eccleſia impugnationibus forinſecis vel paganorum vel excommunicatorum. Denique altero jure violato eſt Eccleſia in grandi periculo, niſi aut imperiale jus eam defendens cives tumultuantes reprimat, vel civium unanimitas Principes tyrannizantes cohibeat, ſicut ſaepe contigiſſe narrant eccleſiaſticae hiſtoriae. Verum tunc imminent Eccleſiae majora pericula quando eam vexant inteſtina bella, ſimul Principibus & civibus convenientibus in unum adverſus Dominum & adverſus Chriſtum ejus. In tali periculo neceſſe eſt mare percuti quaſi virga Moyſi, virga ſcilicet paſtorali, ut dividatur in diviſiones verbo doctrinae percuſſum & diſciſſum. Sic Paulus Apoſtolus unanimitate ſe perſequentium praegravatus verbo doctrinae fecit Phariſaeos & Saducaeos ab invicem diſſidere, ut quaſi mare diviſum tranſiret abſque periculo, Phariſaeis ſcilicet pro eo agentibus contra Saducaeos, ut in actibus Apoſtolorum legitur. Similiter accidiſſe meminimus non ſemel in urbe Roma, diſſidente inter ſe populo Romano, & parte fidelium infideles reprimente, ſacerdotali ſimul auxilio cooperante. Verum ſi rebelles iſtos Eccleſia velut caſtrorum acies ordinata magis ordinate perſequeretur, non per eos Hiericho ſeu Babylonia reaedificaretur, ut Romae apparet in aede Capitolina olim diruta & nunc reaedificata contra domum Dei, contra domum Raab; ſed clareſceret in certamine ſapientia ſimul & fortitudo Eccleſiae, ſapientia videlicet in clericis recte docentibus, & fortitudo in militibus eorum doctrinae obedientibus atque ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum ſuas vires impendentibus, & omnem altitudinem adverſus ſcientiam Dei erigentem ſe deſtruentibus; ea videlicet cautione ſervata in caſtris Domini ut clericus vel etiam Epiſcopus non recte docens deponeretur & epiſcopatum ejus acciperet alius, atque Miles vel etiam Princeps rectae doctrinae inobediens & acquieſcere nolens ut Saul, anathematis jaculo percuteretur, aliuſque illi ſubrogaretur ut David. Denique in omni militum vel civium guerra & diſcordia vel pars altera juſta, & altera injuſta, vel utraque invenitur injuſta. Cujus rei veritatem patefacere debet ſacerdotalis doctrina, ſine cujus cenſura nulla bella ſunt movenda. Sic ergo manifeſtata juſtitia, pars juſta ſacerdotalibus tubis animanda & etiam communione dominici corporis ante bellum & ad bellum roboranda eſt: quia panis iſte cor hominis confirmat, quando pro defenſione juſtitiae vel Eccleſiae aliquid ad pugnam ſe praeparat; cui pars iniqua reſiſtens, & pacto juſtae pacis acquieſcere nolens, anathematizanda & etiam negata ſibi ſepultura Chriſtiana humilianda eſt. Nunc autem civitate contra civitatem, regno adverſus regnum, Principe adverſus Principem non juſta bella moventibus, ambabus partibus abſque cunctatione ſeu cauſarum ventilatione datur corpus Domini, tanquam diviſus ſit Chriſtus & poſſit eſſe in tam diviſis & contrariis partibus; qui certe vel alteri vel ambabus eſt negandus, nec alicui aperte contra juſtitiam pugnanti aliquatenus dandus; ne forte per incuriam ſacerdotum ſic traditus in manus evidenter peccatorum, juſta ira moveatur contra ſacerdotes denuo ipſum cum Juda tradentes. In talis tam magnae juſtitiae magna ſiti & eſurie micas, licet modicas, lambere fames ipſa compellit. Unde refero factum juſtum & honeſtum quod in terra Hungarica & barbarica vix nomine tenus Chriſtianorum Principum dominio ſubdita laudabiliter accidit. Nam cum Rex illius terrae anno pluſquam praeterito ſe ad bellum praepararet contra Regem Graecorum, ante procinctum cum Epiſcopis illius terrae habuit conſilium: qui tanquam viri litterati cautiſſime diſcutientes cauſam pugnae, atque invenientes pactum pacis ex parte Hungarorum primo violatum, recordati ſunt prophetiae dicentis: *Qui diſſolvit pactum, numquid effugiet?* Qua prophetia inſtructi prophetaverunt Regem, ſi pugnaret contra jus pacti & fœdus pacis, minime triumphaturum & auxilio Dei cariturum. Quo audito Rex, licet immitis ac barbarus, tamen procinctum relaxavit, & ſua ex parte ruptum foedus reparavit. Quanto magis ergo in Eccleſia ſanctorum refraenaretur animoſitas Principum vel Capitaneorum contra ſe in Romano imperio tumultuantium & Eccleſias multas deſolantium ſi Epiſcoporum ſcientium reprobare malum & eligere bonum ſententia concordaret in unum? Enimvero ut non ſit vel eſſe poſſit ſciſma inter eos, unus omnibus eſt praepoſitus, cui dictum eſt: *Confirma fratres tuos*. Quo nimirum confirmante quamlibet Epiſcoporum ſententiam juſtitiae regni Dei conſentaneam, licet Regibus mundi hujus contrariam, non eſſet in Eccleſia Rex qui auderet, vel ſi auderet, poſſet refellere illam. Porro ſi is qui ceteros confirmandi habet poteſtatem & auctoritatem praecentor fieret in qualibet juſta ſententia Epiſcopis per epiſtolas directa, quis eam refellere poſſet, cum ſit velut alter Ieremias conſtitutus non ſolum ſuper Eccleſias, ſed etiam ſuper regna, ut evellat & deſtruat & diſperdat & diſſipet, aedificet & plantet? Sic Reges profanos & ſimoniacos invenimus evulſos auctoritate apoſtolica, cooperante gratia Dei, quae per mundi hujus infirma ſaepe confundit fortia, eligens ignobilia & contemptibilia ut magna vel inſtruat vel deſtruat. Puto quod Paulus Apoſtolus idipſum intendebat ſcribens diſcipulis: *Si quis non obedit verbo noſtro, per epiſtolam hunc notate; & non ut inimicum exiſtimetis illum, ſed corripite ut fratrem. Si quis*, inquit, *non obedit*, non Epiſcopum, non Principem, ſeu divitem excipiens quin eſſet corripiendus etiam a minimis fratribus atque inſtruendus, primo in ſpiritu lenitatis ad obedientiam praetermiſſam vel intermiſſam humiliter recipiendam; quam ſi recipere nollet, in promptu ſe habere teſtatus eſt ulciſci omnem inobedientiam. *Omnem* inquit, etiam Epiſcoporum & Principum. *Cum impleta*, inquit, *primum fuerit veſtra obedientia*. ſubaudis, in admonitione fraterna. Primo enim ſunt admonendi qui manifeſte peccant, etiam Reges, quanto magis Epiſcopi, ut exemplo David Regis male acta corrigant, non exemplo Herodis monitores jugulent. Quaſi enim decollator eſt praeconis qui acquieſcere nolens monitis, obſtruit viam vocis in deſerto clamantis. Atque utinam ſoli hoc facerent Reges Herodi conſimiles, non etiam Pontifices Cayphae imitatores. Oportet autem

ſcripturas impleri quibus hoc praenuntiatum eſt & praefiguratum, quia non ſolum beſtia ſed & pſeudopropheta veritati adverſatur. Hinc eſt quod omnis Pharao ſuos habet magos, omnis Nabuchodonoſor ſuos habet ariolos, omnis Herodes habet ſibi conſentaneos ſcribas, a quibus ſciſcitatur quomodo vel ubi Chriſtum perſequatur, vel quomodo ejus praecones decollandi opportunitatem inveniat, ut eis vocem praecipiat, etiamſi eos corporaliter non occidat. quod eſt quaedam quaſi decollatio & teſtium Chriſti occiſio. Beſtiae humani ſanguinis avidae quatuor conſpiciuntur in Daniele pugnantes inter ſe; quibus quatuor ſignificata ſunt regna ſanguinaria, Babylonicum, Perſicum ſive Medicum, Macedonum ſive Graecorum, atque Romanorum. Quibus beſtiis omnino ablatis, conſpicitur in nube filius hominis, cui datum eſt regnum & honor; quia Chriſto datus eſt principatus & honor regni permaxime in humana facie, ut qua datum eſt ei & judicium facere, quia filius hominis eſt. Unde regni ejus miniſtros delectat manſuetudo humana potius quam crudelitas ferina ſecundum exhortationes, non pſeudoprophetarum, ſed ſanctorum Prophetarum, quibus datum eſt in regno Chriſti ſacerdotium ſanctum uſque adeo a ſanguinis effuſione immaculatum & alienum ut ſacris canonibus exterminetur a ſacerdotali miniſterio qui aliquando militans quantumlibet juſte occidit hominem, vel in judicio ſanguinis pulſando vel miniſtrando cooperatus eſt judici quantumlibet juſte occidenti. Unde Felici Epiſcopo Nuceriano Innocentius Papa ſcribens ait: *Deſignata ſunt genera de quibus ad clericatum pervenire non poſſunt, id eſt, ſi quis fidelis militaverit, ſi quis fidelis cauſas egerit, hoc eſt, poſtulaverit, ſi quis fidelis adminiſtraverit*. Promotos quoque in ſacerdotio ſacri canones inſtruunt in hujuſmodi ad cautelam. Legitur enim in decretali epiſtola Nicolai Papæ ad Karolum Regem: *Reprehenſibile valde eſſe conſtat quod ſubintuliſti dicendo majorem partem hominum Epiſcoporum die noctuque cum aliis fidelibus suis contra piratus maritimos detineri, ob idque Epiſcopi impediantur venire, cum militum Chriſti ſit Deo ſervire, militum vero ſeculi ſeculo, ſicut ſcriptum eſt: Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus. Quod ſi ſeculi milites militiæ ſtudent, quid ad Epiſcopos & milites Chriſti niſi ut vacent orationibus?* Ex Concilio Hiłerdenſi capitulo primo. *De clericis qui in obſidionis neceſſitate poſiti fuerint id ſtatutum eſt ut qui altario miniſtrant, & Chriſti corpus & ſanguinem tradunt, vel vaſa ſacro officio deputata contrectant, ab omni humano ſanguine, etiam hoſtili, abſtineant. Quod ſi occiderint, officio & communione priventur; quibus poſt biennium poenitentiam receptis promotio denegetur*. Ex Concilio Toletano cap. XLIIII. *Clerici qui in quacunque ſeditione arma volentes ſumpſerint aut ſumpſerunt, reperti, amiſſo ordinis ſui gradu in monaſterium poenitentiæ contradantur*. Ex Concilio Toletano cap. VII. *His a quibus Domini ſacramenta tractanda ſunt judicium ſanguinis agitare non licet. Et ideo magnopere talium exceſſibus prohibendum eſt ne indiſcretæ præſumptionis motibus agitati, aut quod morte plectendum eſt ſententia propria judicare præſumant, aut truncationes quaslibet membrorum in quibuslibet perſonis aut per ſe inferant aut per ſe inferendas præcipiant. Quod ſi quiſquam horum immemor praeceptorum aut in Eccleſiæ ſuæ famulis aut in quibuslibet perſonis tale aliquid fecerit, & conceſſi ordinis honore privatus & loco, ſub perpetuo damnationis teneatur religatus ergaſtulo. Cui tamen communio exeunti ex hac vita non neganda eſt propter Domini miſericordiam, qui non vult peccatoris mortem, ſed ut convertatur & vivat*. Ex Concilio Toletano cap. XXX. *Sæpe Principes contra quoslibet majeſtatis obnoxios ſacerdotibus negotia ſua committunt. Et quia ſacerdotes a Chriſto ad miniſterium ſalutis electi ſunt, ibi conſentiant Regibus fieri judices ubi jurejurando ſupplicii indulgentia promittitur, non ubi diſcriminis ſententia praeparatur. Si quis ergo ſacerdotum contra hoc commune conſultum diſcuſſor in alienis periculis extiterit, ſit reus effuſi ſanguinis apud Chriſtum, & apud Eccleſiam perdat proprium gradum*. Præceptis ſalutaribus hujuſmodi moniti, & apoſtolica inſtitutione informati, optamus Epiſcopos & reliquos altaris miniſtros a judicio & negotio ſanguinis eſſe alienos, niſi quantum officium docendi & præcipiendi requirit quomodo inſtruendi & conſtringendi ſunt ſeculares judices a ſpiritalibus omnia judicantibus ut recte judicent ſuamque poteſtatem exerceant ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum. Quod autem per labia ſacerdotis, quæ cuſtodiunt ſcientiam, & per os de quo requiritur lex Domini irreprehenſibilis exeat judicium ſanguinis, reprehenſibile nimis eſt. Proinde ipſæ quoque poteſtates & dignitates imperiales Eccleſiis datæ, verbi gratia ducatus, comitatus, & his ſimilia, per laicas perſonas eiſdem Eccleſiis fidelitate obligatas ita oportet adminiſtrari ut neque in judicio neque in negotio ſanguinis quamlibet juſte fundendi polluantur labia & manus quibus conficiendum eſt Chriſti corpus. Ad hoc enim, ſicut in regno Antichriſti cooperantur ſibi in malum beſtia & pſeudopropheta ut myſterium iniquitatis pallietur ſpecie quadam juſtæ ordinationis, dum non alium beſtia Pilatus ad mortem damnavit niſi quem Cayphas juſte interficiendum prophetat, ſic in regno Chriſti cooperantur ſibi in bonum regalis poteſtas & ſacerdotalis dignitas, ita ut omnis David ſuum habeat Nathan, quem audiat, & omnis Ezechias per ſibi contemporaneum regatur Iſaiam, & omnis Ioſias per ſuum deploretur Ieremiam, & omnis Zorobabel ſubminiſter ſit Ieſu ſacerdotis magni, habita nimirum diſtinctione congrua poteſtatis utriuſque, ſicut docent regulae patrum dignitates ambas recte diſtinguentium. De quibus cum plura poſſemus ponere, ſufficiat ad praeſens unum decretum Nicolai Papae dicentis inter cetera: *Cum ad verum ventum eſt, ultra ſibi nec Imperator iura pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen imperatorium uſurpavit: quoniam idem mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus ſic actibus propriis & dignitatibus diſtinctis officia poteſtatis utriuſque diſcrevit, propria volens medicinali humilitate ſurſum efferri, non humana ſuperbia rurſum in inferno demergi, ut & Chriſtiani Imperatores pro aeterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro curſu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus uterentur; quatenus ſpiritalis actio carnalibus diſtaret incurſibus; & ideo militans Deo minime ſe negotiis ſecularibus implicaret, ac viciſſim non ille rebus divinis praeſidere videretur*. Item: *Denique hi quibus tantum humanis rebus & non divinis praeſidere permiſſum eſt, quomodo de his per quos divina miniſtrantur judicare praeſumant penitus ignoramus*. Hæc dicente Papa Nicolao, nos eidem conſona dicendo affirmamus eum qui praeſidere debet rebus terrenis in adminiſtratione tantummodo negotiorum ſecularium non ſe debere implicare negotiis ſpiritalibus; & e converſo judicem ſpiritalem vacare oportere divinis, & tamen ſine ſui ſpiritus implicamento etiam per doctrinam regere ipſos quoque Reges & Imperatores, quanto magis minores poteſtates. At illi perſaepe dominari volunt, & doceri nolunt, immo teſtes veritatis occidunt. Etiam quidam nomine tenus & facie tenus paſtores, intrinſecus autem lupi rapaces, & contra doctrinam praecipui paſtoris Petri Apoſtoli dominantes in clero, teſtes veritatis occidunt, & imitando Herodem, ſe arguentes primo incarcerant inter clauſtra ſilentii, ne ab ipſis publice arguantur; deinde, quantum in ipſis eſt, omnino decollantes, interficiunt, cavendo quidem ſibi, ut aeſtimant, a reatu homicidii, ſed non effugientes crimen teſticidii. Aliud eſt enim hominem occidere, atque aliud teſtem. Nam hominem occidit qui ei vitam tollit. Teſtem vero interficit qui ei teſtificandi & loquendi facultatem praecidit, ea videlicet intentione ut quaſi licenter illicita committendi habeat libertatem, nemine arguente vel contradicente. Veruntamen ſi-

cut

Digitized by Google

cui metuebat Herodes Iohannem ſciens eum virum juſtum & ſanctum, & audito eo multa faciebat, & eum cuſtodiebat & libenter audiebat, ſic & iſti libenter ſe audire ſimulant eoſdem quos metuunt, incarcerant, & occidunt, quia eorum voces in deſerto clamantium penitus audire nolunt nec in ſolitudinibus & montibus & ſpeluncis vel cavernis terræ, quanto minus in domibus Regum luxuriose convivantium & in ipſis conviviis de morte Iohannis tractantium, quem dolent adhuc vivere in ſpiritu & virtute Heliæ, atque ideo moliuntur eum in viris juſtis & ſanctis extinguere. Sed numquid ideo verbum de ore Domini ſemel egreſſum revertetur ad ipſum vacuum? Non; ſed faciet quæcunque voluerit, & proſperabitur in his ad quæ miſit illud. Sicut enim in creatione mundi ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandavit & creata ſunt, ſic uſque ad conſummationem ſeculi manens cum electis ipſe dicit & fiunt. Quod quia pauci credunt, ideo dicitur: *Cum venerit filius hominis, putas inveniet fidem ſuper terram?* Vident enim pene omnes ollam ſuccenſam flante aquilone. Sed ſoli & pauci fideles vident ſimul cum Ieremia virgam vigilantem, qua demonſtratur quod Dominus vigilat ſuper verbo ſuo, ut faciat illud, qui ad perficiendum omne quod intendit proſpere procedit & regnat, nec eſt qui ejus giganteo curſui obſiſtere valeat. Duas hic perpendo intentiones inter ſe repugnantes. Nam & olla ſuccenſa diaboli vel antichriſti ſignificat malitioſam intentionem, qua intendit omnia confundere, ita ut in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi hujus ollæ fumo cæcati, quo contra Dominus intendit ut fiat ſalva omnis caro diebus malis breviatis; qui niſi breviarentur, ſicut ipſe ait, non fieret ſalva omnis caro; ſed propter electos, inquit, breviabuntur. Ergo non ſolum ipſi electi robuſti & perfecti, ſed etiam fragiles infirmi nomine carnis deſignati ſalvabuntur; ut & de perfectis dicat ipſe, *Hoc nunc os ex oſſibus meis*, & de imperfectis hominibus, tamen bonæ voluntatis, adiciendo ſubinferat, *& caro de carne mea*. *Sic te decet hymnus Deus in Sion*, ut fiat quod in eodem canitur hymno, ubi dicitur: *Ad te omnis caro veniet*. Non enim deficient in Eccleſia ſancta Ieremiæ & Aggæo ſimiles, licet infirmi ac pauperes, per quos confundantur hujus mundi fortia illud prohibentia quantum in ſe eſt ne ad te omnis caro veniat, neve omnis caro ſalva fiat, ſecundum quod Ieremias & Aggæus in hoc hymno prophetant, quibus in antiſtite ſedis apoſtolicæ Ieſus magnus ſacerdos orando, cohortando, epiſtolas mittendo, ſynodalia decreta condendo, favere dinoſcitur, dum quivis catholicus & religioſus, licet pauper & modicus, contra iniquos quantumlibet magnos armatur auctoritate Petri, cui prævalere non poſſunt illæ portæ Inferi. Similiter in quolibet catholico Principe a Deo miſſo & apoſtolicæ ſedis auctoritate firmato ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, conſpicuus eſt ille Zorobabel dux populi a peregrinatione revertentis juxta verbum Domini, ſicut ſcriptum eſt: *Et factum eſt verbum Domini ſecundo ad Aggæum in viceſima & quarta menſis dicens: Loquere ad Zorobabel ducem Juda dicens: Ego movebo cælum pariter & terram, & ſubvertam ſolium regnorum & cunctam fortitudinem regni gentium, & ſubvertam quadrigam & aſcenſorem ejus, & deſcendent equi & aſcenſores eorum vir in gladio fratris ſui. In die illa, dicit dominus exercituum, aſſumam te Zorobabel fili Salathiel ſerve meus, dicit Dominus, & ponam te quaſi ſignaculum quia te elegi, dicit dominus exercituum*. Notandum quod ſubvertendum prophetat ſolium regnorum priuſquam ſubſtituat ducem ſibi dilectum & electum. Eodem modo ſi quis Rex aut Princeps imperio ſacerdotali quaſi per Samuelem commonitus ferire impios, vaſtare Amalechitas, percutere Agag Regem populo Iſrael inimicum, talibus contra mandatum ſacerdotale pepercerit, aut, quod pejus eſt, inimicos Dei fovere atque amicos perſequi auſus fuerit, jure hic talis poteſtate qua male utitur privatur, ita ut regnum ab eo ſcindatur; maxime ſi & ipſe ſcindere audet pallium ſacerdotale vel prophetale, minuendo jus & decus Eccleſiae, quod eſt in ornatu ſacerdotalis excellentiae, quae clare ſplendeſcit in illa reverſione de captivitate Babylonica in Jeruſalem, ſecundum hunc hymnum qui *te decet Deus in Sion*. Jam quippe ſolio regnorum ſubverſo in Judaico populo, primo Regibus Iſrael cultoribus vitulorum aureorum propter ſciſſuram ſui a domo David vel potius ob idololatriam deletis & a regno Dei exterminatis, deinde Regibus quoque Juda in tranſmigratione Babylonis terminatis, & quibuſdam eorum laudabiliter in regno caelorum coronatis, quorum David, Ezechias, & Joſias erant praecipui, ex tunc, ut jam dictum eſt, regnorum ſolio ſubverſo, & regio nomine penitus ablato, Zorobabel, quamquam genitus de tribu regia, non tamen in Regem ſed in ducem promotus, habuit ſibi ſuccedentes non Reges ſed duces uſque ad illud tempus quo poſt ablatum ſceptrum de Juda oportuit etiam ducem de femoribus ejus auferri ſubintrante Rege alienigena Herode, qui ex patre Idumeo & matre Arabica natus fuit; ac proinde illo regnante vel potius tyrannizante illum naſci Regem decuit de quo Patriarcha Jacob longe ante praedixerat: *Non auferetur ſceptrum Juda & dux de femore eius donec veniat cui repoſitum, & ipſe erit expectatio gentium*. Diminutam igitur aliquantulum jam tunc ſeculari dignitate Regum Judaicorum in duces, quando incipiebant proficiſci de peregrinatione ſua cives Jeruſalem, ſacerdotium prius quidem religioſum ſub Regibus tamen aliquatenus depreſſum, ſicut indicat liber Regum, verbi gratia ubi legitur Helias Regis & Reginae perſecutionem paſſus in Iſrael, & in Juda Zacharias inter templum & altare juſſu Regis lapidatus, jam ſuper duces eorumque principatum legitur magis ac magis exaltatum & glorificatum coroniſque regalibus honorificatum, juxta illud in Propheta: *Sumes, ait Dominus, argentum & aurum, & pones in capite Jeſu filii Joſedech ſacerdoti magno*. Super hoc vir illuſtris Hieronymus ait: *Imponuntur autem coronæ Jeſu filio Joſedech ſacerdoti magno, quia per ſingulas virtutes noſtras Dominus coronatur, immo nobis per virtutem pœnitentiae coronatis, ſalvator in ſingulis coronam accipit*. Cum ergo rex & ſacerdos idem ſit Jeſus Chriſtus Dominus noſter gloria & honore coronatus, tamen ſacerdotalis dignitas tunc magis in eo coronatur cum quis de Babylonica malitia per pœnitentiam revertitur in Jeruſalem, in qua tunc defeciſſe conſtat regale quodam modo faſtigium quando Rex Babylonis vel in Eccleſia vel in qualibet prius fideli anima ſibi uſurpat principatum. Jugo itaque illius per pœnitentiam, quae ad ſacerdotale officium pertinet, a facie olei computrefacto, recte Jeſu ſacerdoti magno imponuntur coronae. Cujus rei typus in Jeſu ſacerdote magno agnoſcitur praeceſſiſſe, ſimulque illud praefiguratum eſſe quod regnis idololatris, ſciſmaticis, atque indiſciplinatis uſque ad ſui faſtus defectum curvatis, amplius glorificanda & coronanda erat ſacerdotalis dignitas, ita ut ſtratoris quoque officium Pontifici Romano a Regibus & Imperatoribus exhibendum ſit, renovatis videlicet miraculis antiquis, quibus agnoſcitur Ioſeph in curru Pharaonis exaltatum, Danielem Regis purpura ornatum, Mardochaeum regali equo ſubvectum. Haec nimirum ſpectacula nunc Regibus partim ablatis, partim diminuto eorum regno humiliatis, & exaltato ſacerdotio, delectant ſpectatorem benivolum, torquent invidum: qui ut amplius crucietur & pius oculus magis jocundetur, forſitan ſicut ante primum Chriſti adventum Regibus ablatis duces principati ſunt uſque ad ipſum, ſic ante ſecundum ejus adventum per lapidem ſine manibus abſciſſum de monte aurea ſtatua regnorum tota contrita in quantum regno divino invenitur contraria, ſuccedet in ſeculari dignitate minoris nominis poteſtas, diminutis regnis magnis in

tetrarchias aut minores etiam particulas, ne premere valeant Eccleſias vel eccleſiaſticas perſonas patrocinio magni ſacerdotis praeſidis ſedis apoſtolicae coronati & ſuper omnia regna exaltari defenſas & privilegiis apoſtolici principatus communitas. Quis jam, cujus oculus nequam non eſt aut lippus, ad invidendum potius quam ad videndum patulus, non iſta cernat partim completa, ut jure omnis benivolus expectator & ſpectator de implendis minime ambigat, cum tanta videat impleta ſecundum quod in ſcripturis veritatis inveniuntur expreſſa. Quis non cum veneratione aſpiciat Petrum Apoſtolum ſacerdotem magnum, immo in ipſo ſacerdotem ſummum Ieſum Chriſtum, tot coronis aureis coronatum ſuper quot regna conſtituit illum? *Ecce*, inquit, *conſtitui te ſuper gentes & ſuper regna, ut evellas & deſtruas & diſperdas & diſſipes, aedifices & plantes.* Clarus ergo ſanctorum ſenatus Apoſtolorum princeps eſt orbis terrarum rectorque regnorum, Eccleſiarum mores & vitam moderando, quae per doctrinam apoſtolicam fideles ſunt ubique. Antiochus & Remus concedunt tibi, Petre, regni ſolium. Cum talia per Eccleſias canoris vocibus declamantur & hymnos de canticis Sion in laudibus regalibus ad Apoſtolorum, praecipue autem principis Apoſtolorum gloriam ſacra canunt ſolemnia, *te decet hymnus Deus in Sion*, ſi dictis facta compenſantur & magnalia divina, quae in verbis reſonant, rebus clarentia, etiam oculis demonſtrantur, ut poſſimus item canere hymnum dicendo: *Sicut audivimus, ita & vidimus in civitate Dei noſtri in monte ſancto ejus.* Ad hoc enim Dei mirabilia, quae in hymnis & pſalmis ceteriſque canticis ſpiritalibus enuntiamus, condigno rerum effectu etiam oculis demonſtrabilia fieri optamus, ne quando dicant gentes: *Vbi eſt Deus eorum? Fuerunt mihi lacrymae meae panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Vbi eſt Deus tuus?* Neſciunt miſeri qui haec dicunt beatos eſſe quibus haec dicunt; quoniam iſtis invidentibus & non videntibus, videbitur ab illis Deus deorum in Sion. Et ideo *te decet hymnus Deus in Sion*, cujus in plateis ponendi ſunt infirmi, ut veniente in ſui principatus gloria Petro Apoſtolo, ſaltem umbra illius obumbret quemquam illorum, & liberentur ab infirmitatibus ſuis, ne quando dicant gentes, *Vbi eſt Deus eorum*, cum viderint ſanatas infirmitates ipſorum. Reſpice, ô princeps Apoſtolorum, hujus civitatis plateas lectulis & grabatis infirmorum plenas. Reſpice, vel potius illum reſpectum nobis obtine quo te reſpexit Dominus ut fleres amare ſauciatus & languens adhuc magna infirmitate, a qua ita ſanatus es & roboratus ut jam non timeres mundi dominam Romam, qui adhuc in infirmitate tua ſacerdotis expaveras ancillam. Trahe nunc poſt te ſucceſſores tuos apoſtolicae ſedis praeſules, immo & nos oves tibi creditas, ut omnes curramus in odore unguentorum tuorum ſub te in Chriſto rectore omnium regnorum & moderatore omnium Eccleſiarum. Sed dicet aliquis. Quomodo per principem Apoſtolorum regna regi vel Eccleſiae gubernari poſſunt quae ſedis apoſtolicae praeſuli minime obediunt? Ad hoc pro captu meo ſine majorum praejudicio ego minimus reſpondeo. Cautela eccleſiaſtici regiminis in ea diſcretione inſigniter eniteſcit qua rector Eccleſiae butyrum & mel comedit, ut ſciat reprobare malum & eligere bonum. Per butyrum, quod eſt corrupti lactis congeſta pinguedo, intelligi poteſt morum corruptela, qua incraſſatus, impinguatus, dilatatus quis dereliquit Deum factorem ſuum, & recedit a Deo ſalutari ſuo. Per mel vero, quod de cerea favi ſpiſſitudine ſeparatum dulce ſimul eſt & purum, puritas intelligitur morum dulcium. Licet enim bene tibi conveniant mel & lac ſub lingua ſponſae, aut in terra fluente lac & mel, vel etiam in die illa in qua ſtillabunt montes dulcedinem & colles fluent lac & mel, dilectione proximi per lac, Dei vero per mel intellecta, tamen per butyrum, quod eſt corrupti lactis excrementum, non incongrue intelligitur, ut dictum eſt, corruptio morum, ſicut per mel dulce ac purum puritas morum. Quod cum ita ſit, rector Eccleſiae, & in illo habitans Emmanuel, butyrum & mel comedit quando mala & bona in Eccleſia ſibi commiſſa diligenter inveſtigans exquirit, ut ſciat reprobare malum & eligere bonum. De occultis malis ad praeſens non loquimur; quae nullius Praelati eſt judicare, niſi aut legitimus accuſator inveniatur, aut prava opinio pertinaci animoſitate defendatur. Porro de manifeſtis malis, etiam nullo accuſante vel teſtificante, aut etiam, quod pejus eſt, populo ſtulto & inſipiente approbante illa, judicis eadem reprobantis etiam invitis auditoribus eſt ingerenda ſententia, ſive per ſermonem, ſive per epiſtolas, cum tanta comminatione ut ſciant & ſcire cogantur, non ſolum qui talia faciunt, ſed & qui facientibus conſentiunt, aut eis poſt interdictum cibo vel ſalutatione temere communicant, pari damnatione teneri. Angelis vero talium Eccleſiarum talis butyri fermento corruptarum litteris apoſtolicis denuntiandum eſt quod niſi tam certa & aperta mala corrigant, vel ſi corrigere non poſſunt, excludant, vel ſi ea pro ſtrage vitanda excludere non valent, aequitate improbent, & cum diſcreta reclamatione quaſi plauſtrum onuſtum fœno ſtridendo portent, ipſi ſe ipſos excludendos vel deponendos agnoſcant, movente candelabrum eorum Chriſto, qui ambulant in medio ſeptem candelabrorum aureorum. Septem candelabra aurea ſeptem Eccleſiae ſunt, in quibus per numerum ſeptenarium intelligitur univerſitas omnium Eccleſiarum, quae ſic per litteras apoſtolicas viſitandae ſunt ut alicubi quaſi per vocem tonitrui arguatur doctrina & ſecta Nicolaitarum in inceſtu clericorum, alicubi doctrina Balaam conductitii Prophetae in ſecta conductitiorum, alicubi nequitia Iezabelis tyrannizantis & Prophetas Dei occidentis in tyrannis Heliae ſimiles juſtos perſequentibus, alicubi ſpecialis deſidia ipſorum angelorum vel caritatem primam relinquentium, vel nomen vivum in officiis, mortuum in operibus malis habentium, vel tepidorum de ore Dei, niſi pœniteant, evomendorum. Item, ſi reſpicimus epiſtolas Pauli Apoſtoli, videmus exemplo illius per epiſtolas apoſtolicas arguendas Eccleſias, ut cum hujuſmodi cibum non ſumant qui fratres nominantur, & ſunt fornicatores, avari, ut ſe ſubtrahant ab omni fratre ambulante inordinate, ut ſi quis non obedit verbo apoſtolico per epiſtolam miſſo, hunc notent & ut fratrem corripiant, atque ſi correptus emendari noluerit, ut hoſtem caveant. Nam propter cautelam inter tales habendam, *Videte*, inquit, *quomodo caute ambuletis, non quaſi inſipientes, ſed ut ſapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt.* Et ne in diebus malis ita quis putet redimendum ſibi tempus ut malis aliquo modo conſentiat, dicit: *Auferte malum ex vobiſmetipſis.* Oſtendens itaque etiam propter unum fornicatorem, quaſi per modicum fermentum, totam maſſam corruptam, *Expurgate*, inquit, *vetus fermentum, ut ſitis nova conſperſio.* Non expectavit ſuper hoc manifeſto malo accuſationem vel teſtificationem cujuſquam, niſi manifeſtae infamiae clamorem, de quo ait: *Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio qualis nec inter gentes.* Neque vero illi ſoli, ſed toti Eccleſiae illum toleranti virgam minatur, niſi is qui hoc malum operatus eſt de medio eorum tollatur & ſatanae tradatur in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini. Longum eſt in epiſtolis apoſtolicis oſtendere per ſingula quomodo rector Eccleſiae Apoſtolorum exemplo debeat butyrum & mel comedere ut ſciat reprobare malum & eligere bonum. Sufficiat in hujus rei exemplum ſedis apoſtolicae praeſulibus imitandum beatus Papa Gregorius, qui tanto ſtudio butyrum & mel comedit ut coartante illum ſollicitudine omnium Eccleſiarum ſcriberet ultroneas epiſtolas pro cauſis multis nonniſi per famam ſibi delatis; in quibus quanto ſtudio reprobaverit malum & elegerit bonum teſtantur ejus epiſtolae Pontificibus, Regibus, ceteriſque perſonis eccleſiaſticis ultro ingeſtae, nullo eas

inter-

interdum petente, ſed publica fama exigente, vel etiam quolibet veraci relatore ad aures ejus rem perferente. Vnde ſolemne ipſi erat in exordiis epiſtolarum quarundam ſic dicere: *Perlatum eſt ad nos*, vel *Pervenit ad nos*. Vnde Romano defenſori ſcribit dicens: *Perlatum eſt ad nos reverentiſſimum fratrem noſtrum Baſilium Epiſcopum velut unum de laicis in cauſis occupari & praetoriis inutiliter deſervire. Quae res quoniam & ipſum vilem reddit, & reverentiam ſacerdotalem adnihilat, ſtatim ut experientia tua hoc praeceptum ſuſceperit, eum ita ad revertendum diſtricta executione compellat quatenus et illic te inſiſtente quinque diebus ſub qualibet excuſatione immorari non liceat; ne ſi quolibet modo eum ibidem amplius moram habere permiſeris, cum ipſo apud nos incipias eſſe culpabilis*. Item Anthemio ſubdiacono. *Pervenit ad nos Primenium Amalfitanae civitatis Epiſcopum in Eccleſia ſua reſidere non eſſe contentum, ſed foris per diverſa loca vagari. Quod videntes alii, nec ipſi in caſtro ſe retinent; ſed ejus exemplum ſequentes, foris magis eligunt habitare. Et quia haec agentes ipſi potius ad ſuam hoſtes depraedationem invitant, idcirco hac tibi auctoritate praecipimus & ſupraſcripto Epiſcopo interminare non deſinas quatenus hoc de cetero facere non praeſumat, ſed in Eccleſia ſua ſacerdotali more reſideat. Quem ſi forte non emendare poſt tuam interminationem cognoveris, in monaſterio eum deputare & nobis curabis modis omnibus indicare, ut quid facere debeat noſtra iterum praeceptione cognoſcat*. Item Secundo ſervo Dei inter cetera ſic: *Fratrem Marianum Epiſcopum verbis quibus vales excita, quia eum obdormiſſe ſuſpicor. Nam venerunt quidam ad me, in quibus quidam ſenes mendicantes, qui a me diſcuſſi ſunt a quibus quid acceperint, & per ſingula retulerunt quanta eis & in itinere data ſint. Quod dum ſollicite de praedicto fratre requirerem, quid eis dediſſet, reſponderunt ſe eum rogaſſe, ſed ab eo nihil accepiſſe, ita ut neque panem in via acciperent, quem dare omnibus illi Eccleſia ſemper familiare fuit. Dixerunt enim. Reſpondit nobis dicens: Non habeo quod vobis dare poſſim. Et miror ſi is qui veſtes habet, argentum habet, cellaria habet, quod pauperibus dare non habeat. Dic ergo illi ut cum loco mutet mentem, non ſibi ſolam lectionem & orationem credat ſufficere, non ut remotus ſtudeat ſedere, & non de manu fructificare; ſed largam manum habeat, neceſſitatem patientibus concurrat, alienam inopiam ſuam credat: quia ſi ſic non habet, vacuum Epiſcopi nomen tenet*. In hunc modum plures inveniuntur ejus epiſtolæ, quibus ultro & nullo petente miſſis reprobantur mala & eliguntur bona. Videtis ergo, ô benivoli ſpectatores, quomodo iſte ſanctus pro lege Dei ſui certavit, quomodo butyrum & mel comedens, inveſtigatis undique malis & bonis, ſcivit & ſtuduit reprobare malum & eligere bonum, non expectatis accuſationibus vel teſtificationibus in rebus manifeſtis & quomodolibet ſibi notificatis. Certe ſi nunc in diebus illis noviſſimis & temporibus periculoſis iſte ſanctus viveret, multa mala increpare haberet, quæ ita fiunt in aperto ut nullo accuſationis vel teſtificationis egeant ordine judiciario. Si ergo ſuper his reprobandis apoſtolicæ mittentur epiſtolæ, ſimulque ſcribetur viris religioſis ut ſi quis non obedit verbo per epiſtolam miſſo, hunc notent juxta doctrinam Pauli Apoſtoli, multa favente gratia Dei emendabuntur quæ nunc libere, cum ſint mala & turpia, fiunt non ſolum in occulto, ſed etiam in aperto, & habentur etiam pro bonis, cum ſint mala, quia non eſt qui reprobet illa. Poſſemus digito monſtrare ac manifeſto nomine ſignificare mala quædam reprobanda, evellenda, deſtruenda, diſperdenda, & ex oppoſito bona quædam eligenda, plantanda, & ædificanda. Sed apoſtolicæ vigilantiæ, quam ſollicitudo angit omnium Eccleſiarum, & ad quam ſpectant omnium regimina regnorum, reliquimus in his omnibus butyrum & mel comedendum, ut ſciat reprobare malum & eligere bonum. Sciat videlicet in ſacerdotio reprobare Levitas minime juxta legem Dei purificatos & raſos, eligendo bonos bene purificatos & hereditate qua Deus eſt contentus. Sciat nihilominus in regno reprobare dominatores iniquos & eligere bonos ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum divinitus miſſos. Sciat inquam reprobare quoſdam ſalva eccleſiaſtica pace penitus excludendo, quoſdam propter apertas iniquitates a miniſterio altaris vel communione dominici corporis & ſanguinis prohibendo, & tamen intra Eccleſiæ ſocietatem pacis intuitu ſufferendo, in hujus peregrinationis via, qua de captivitate Babylonica tendimus in Sion ſive in Jeruſalem, cujus præcipui ſenatores cum Rege ſuo in ultima ventilatione, reprobatis omnibus malis, eligent bona omnia. Quanto ergo nunc diligentius per Eccleſiarum gubernatores reprobantur mala indecentia, & eliguntur bona bonos decentia, tanto congruentius *te decet hymnus in Sion*, & tanto decentius *tibi reddetur votum in Jeruſalem*. Quod quia magis orando quam diſſerendo ut fiat acceleramr, poſt aſſertionis longam digreſſionem redeamus ad intermiſſam pſalmi expoſitionem & orationem. Non enim aliud hac expoſitione magis intendimus quam ut patrum ſenſus congerendo in hoc opuſculo ruſticano velut in cophino vaſe, ut dicitur, ſtercorario noſmetipſos & ea quae ſcribimus lecturos excitemus in quantum Deo favente poſſumus in eundem laudandi & orandi affectum quem continent verba pſalmorum & ſuper ipſos paternarum expoſitionum. Quapropter ſive David, ſive Idithun, ſive Aſaph, ſive aliorum in pſalmis loquentium perſonas frequenter aſſumimus, ut eorum affectus vehementius exprimamus, & in hoc igitur pſalmo aſſumpta perſona Jeremiae ſive Aggaei ſive amborum, cum orantibus oremus, cum laudantibus laudemus, & vota in Jeruſalem reddenda voveamus in via peregrinationis hujus. Tu autem Domine, cui reddenda ſunt laudis vota in patria, exaudi orationem meam nunc in via: quia ſi exaudieris, immo quia exaudies, *ad te omnis caro veniet*. Si enim dies mali non abbreviarentur, ut tu dicis, non fieret ſalva omnis caro. Sed propter electos, ut tu promittis, & ego Jeremias vel Aggaeus ex promiſſo tuo certificatus rogo, abbreviabuntur dies mali: quibus breviatis, *ad te omnis caro veniet*, id eſt, ex omni genere hominum, pauperes, divites, docti, indocti, pueri, ſenes, Judaei & gentes, viri & feminae, quae ſaepe ſignificantur nomine carnis, ut illic: *Dedit illis poteſtatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine ejus, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, ſed ex Deo nati ſunt*. Item: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea*. Ut ergo impleatur quod ſcriptum eſt, *Erunt duo in carne una*, ſponſus & ſponſa, caput & membra, indubitanter *ad te omnis caro veniet*, non ſolum illa de qua certum eſt quod breviatis diebus malis fiet ſalva, videlicet ad ſalutem praedeſtinata, quantumlibet ſit fragilis & infirma; ſed & illa quae non erit ſalva, tunc ad te judicem veniet quando, ut ſcriptum eſt, omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & videbit omnis caro ſalutare Dei. Quod ergo dico ego Aggaeus, *ad te omnis caro veniet*, partim prophetia, partim oratio eſt. Nam prophetia eſt quantum ad illud quod omnis caro ventura eſt ad te judicem; ſed oratio eſt quantum ad illud quod breviatis diebus captivitatis non in errorem ducentur electi, & his recta via de captivitate in Sion redeuntibus, eorum ducatu tanquam per Jeremiam & Aggaeum ſalva erit omnis caro, id eſt, etiam fragiles, electis tamen & fortibus per obedientiam & caritatem cohaerentes, pariterque cum illis incipientes proficiſci. In Hebraeo legitur: *Omnis caro ad te veniat*. Recte itaque hanc orationem in conſpectu Dei recitaturus ego Jeremias vel Aggaeus, efficaciter exaudiri deſiderans, aliam orationem praemitto dicens: *Exaudi orationem meam*. Qua oratione

Digitized by Google

tione ſubſequentis orationis praeparatoria ſic praemittia, tanquam ſi diem feſtum praecedat vigilia cum lamentante Jeremia, conſequenter quaſi cum Aggaeo feſtivo depromitur oratio qua in finem pſallens ego pſalmiſta oro ut omnis caro ad te veniat. Quia enim tu vis omnes homines ſalvos fieri & ad agnitionem veritatis venire, voluntati tuae concordans recte oro ut omnis caro, id eſt, omnis homo, ad te veniat, & benedicantur in te ſemine Abrahae omnes tribus terrae; non quod ſalventur aut benedicantur omnes homines, quod non habent quae Abrahae dictae ſunt promiſſiones, ſed omnes tribus, id eſt, aliqui de omnibus tribubus terrae, ita ut non ſit perſonarum acceptio, quando in omni gente omnis qui timet Deum & operatur juſtitiam acceptus eſt illi. Sic nos oramus, qui proficiſci nunc incipientes in finem tendimus, ubi videatur Deus deorum in Sion, ubi *te decet hymnus Deus in Sion*: ſed non exaudimur quam cito vellemus. Quare? Quia verba iniquorum praevaluerunt ſuper nos. Iniqui primi fuerunt, ſerpens, Adam, & Eva, inter quos conflata ſunt verba peregrinationis noſtrae cauſa effectiva, dicente per ſerpentem diabolo angelo iniquo iniquis humani generis parentibus: *Comedite; & eritis ſicut dii, ſcientes bonum & malum*. Quibus nimium creduli parentes noſtri, facti ſunt cupidi, elati, & curioſi. Nam per appetitum comedendi cibum vetitum concupiſcentia carnis, per appetitum ſimilitudinis Dei elatio mentis, per appetitum ſciendi bonum & malum ſubintravit curioſitatis vitium. Et quidem verba haec iniquorum verbum ſcilicet peregrinationis praeceſſerat ex ore Dei egrediens verbum benedictionis, quo dictum eſt parentibus noſtris: *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram*. Quo verbo fœcundati habebant virtutem pariendi ſolos filios benedictos in patria benedicta manſuros. Verum poſtea ſubſecuta ſunt propter peccatum verba peregrinationis, dicente Deo ad Evam: *Multiplicabo aerumnas & conceptus tuos*, ac ſi diceret. Super numerum benedictorum filiorum conceptus tuos multiplicabo, ut parias multo plures filios maledictionis quam benedictionis, ita ut ipſi filii benedicti ſint inter maledictos peregrini & quaſi captivi uſque ad illam utrorumque disjunctionem qua maledictis in terra maledicta dominantibus & benedictos filios inique gravantibus dicetur: *Ite maledicti in ignem aeternum*; benedictis quoque filiis in terra maledicta peregrinantibus & inter verba iniquorum ſibi praevalentia laborantibus tunc dicetur: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi*. Quorum numero, fide, ac ſpe ſociati, eo quod inter verba iniquorum nobis praevalentia gemendo potius cum Jeremia lamentamur quam in illis conſenſu pravo delectemur, hoc ipſum conquerimur quod verba iniquorum praevaluerunt ſuper nos, ita ut nos filii benedicti, licet primitias ſpiritus ſancti habentes, & ad ſupernam patriam redire cupientes, tamen intra noſmetipſos gemamus videntes legem iniquam in membris noſtris repugnantem juſtae, ſanctae, ac bonae legi mentis: qua videlicet lege iniqua nos captivante in lege peccati & mortis, recte conquerimur quod verba iniquorum praevaluerunt ſuper nos. Verba iniquorum plurimorum ſuper numerum noſtrum valde multiplicatorum praevaluerunt ſuper nos paucos. Divitum, potentum, ſuperborum, perverſorum verba praevaluerunt ſuper nos pauperes, infirmos, humiles, ad te Deus converſos, & de medio Babylonis in Jeruſalem redire paratos. Cum ergo ſint facies noſtrae ad te converſae quaſi euntium in Jeruſalem, relicta quaſi poſt dorſum Babylone, tu exurgens miſereberis noſtri civium Sion, & impietatibus noſtris in Babylone commiſſis tu propitiaberis. Revertentibus quippe nobis de captivitate ad patriam, Jeſus magnus ſacerdos a dextris tuis interpellat pro nobis, & ipſe hoſtia perfecta factus eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Fiet ergo per verbum tuum incarnatum ut verba iniquorum, quae in Babylone praevaluerunt ſuper nos, dum incipimus inde proficiſci, non poſſint ultra praevalere, dum non prae oculis in faciem ſonant, ſed quaſi poſt dorſum noſtrum ſuſurrant, & quaſi de humo eloquium ſubobſcurum muſſitant. Si ergo beatificamus eos qui Babyloniorum verba poſtponendo incipiunt proficiſci ad cantum propheticæ tubæ ſonantis per os Ieremiæ vel Aggæi, multo magis *beatus quem elegiſti & aſſumpſiſti*. quique aſſumptus inhabitabit in atriis tuis. Beatus præ omnibus conſortibus ſuis homo quem tu verbum Dei ſic aſſumpſiſti, tibique in una perſona mirabiliter univiſti, ut verba iniquorum nunquam potuerint prævalere illi: quoniam ille eſt beatus vir qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit. Beatus plane homo electus ex millibus, quem tu pater Deus elegiſti & Deum feciſti, non utique Deum adoptivum, ſed Deum verum naturalem filium tuum, non per Dei in hominem aſſumptionem, ſed per hominis in Deum aſſumptionem. Neque enim ſolummodo illum elegiſti de maſſa perditionis in ſui conceptione vel prius in tua prædeſtinatione, ſed etiam aſſumpſiſti eum gloria in conſeſſum dexteræ tuæ, ſicut ipſe dicit: *Tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me, & cum gloria ſuſcepiſti me*. Beatus homo quem ſic elegiſti & aſſumpſiſti in ſacerdotem magnum populo tuo peregrinanti valde neceſſarium, ſicut Ieſus magnus ſacerdos ille figuralis olim fuit neceſſarius, qui in typum hujus veri ſacerdotis & Regis legitur coronis aureis coronatus, ut ſupra in brevi perſtrinximus. Beatus etiam poſt ipſum & in ipſo & per ipſum quem de mundo elegiſti & in aliquod miniſterium ſalutis tam ſuæ quam & aliorum aſſumpſiſti. Quod opus egregium quia ipſe tecum operatur ſine quo tu, pater, nihil operaris, cum ſit ipſe manus tua tecum & in te operans omnia quæ tu operaris, quæcunque enim tu operaris, hæc & ille ſimiliter facit, recte ac vere tuis & ſuis electis ipſe dicit: *Non vos me elegiſtis, ſed ego vos elegi & poſui vos ut eatis & fructum afferatis & fructus veſter maneat*. Item: *Si de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum erat diligeret. Quia vero de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus*. Vnde & illud in actibus Apoſtolorum ſpiritu ſancto dicente legimus: *Segregate mihi Paulum & Barnabam in opus ad quod aſſumpſi eos*. Beatus quem ſic elegiſti de mundo ut ob hoc ipſum ſuſtineret odium mundi, quia tu eum elegiſti & aſſumpſiſti, non ad opus malum vel ad horam in atriis tuis manſurum, ſed ad opus bonum & permanſurum in æternum, quoniam *inhabitabit in atriis tuis*. Servus non manet in domo in æternum, filius manet in æternum. Propterea ſervus malus ad tempus aſſumptus propter aliquod opus neceſſarium retro aſpiciens & retro abiens non habitabit in atriis tuis, in quæ illum aſſumpſiſti; ſed filius inhabitabit in atriis tuis tanquam heres legitimus. Et nos, qui de Babylonia in Sion proficiſcimur, heredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti efficimur; & ita per ipſum, qui caput noſtrum eſt, replebimur. Beatus quidem eſt ille qui electus & aſſumptus a te inhabitabit in atriis tuis. Veruntamen in ipſis atriis non eſt plenitudo beatitudinis. Etenim licet ſtantes pedes noſtri in atriis tuis Ieruſalem beati ſint, tamen plene beati ſunt ſoli qui habitant in domo tua Domine, ubi in ſecula ſeculorum laudabunt te. Hic incipimus proficiſci lætantes in his quæ dicta ſunt nobis, & in domum Domini ibimus; & multas viaticas refectiones euntibus nobis providet Ieſus ſacerdos magnus. Sed cum pervenerimus, tunc omnino replebimur in bonis domus tuæ Deus. Bona domus tuæ ſunt ineffabilia, ſive domus ipſa intelligatur humana natura in Deum aſſumpta, ſive angelorum portio electa, ſive etiam tota ſancta univerſalis Eccleſia. Quae domus eſt etiam templum, non qualecunque, ſed mirabile, non in ſtructuris artificioſis & manu fa-

Digitized by Google

factis, ornatis auro vel argento ſeu lapide pretioſo, ſed in aequitate. Non miveris quia dixi templum illud mirabile in aequitate, quod omni caret iniquitate ac ſumma claret aequitate. Si enim templum non manu factum, dominicum videlicet corpus, reſpicias, nulla eſt in eo iniquitas, immo ad abolendas iniquitates omnium noſtrum ſufficit & ſuperabundat illius aequitas. Quid enim juſtius vel aequius quam ut ad perditam libertatem redeat ſervus, pro cujus iniquitate ſervilibus pœnis voluntarie ſubjacuit filius? Quid juſtius vel aequius quam ut praedo iniquus amittat jus & dominium quod habuerat in hominem peccatorem, qui manus violentas miſit in hominem peccato prorſus carentem & in ſumma aequitate Deo patri ſuo gratias agentem? Nempe in hoc maxima erat hominis iniquitas quod a Deo bene creatus, ipſi creatori ſuo penitus ingratus, non ſolum gratias non agebat, ſed nec unde ageret habebat, vitio ſuo nudatus & plagis impoſitis ſemivivus relictus. Gratias namque condignas agere de aliquo beneficio eſt ipſi benefactori ſuo de toto quod accepit eſſe devotum, ita ut nihil minus rependere ſtudeat in ſervitio quam accepit in beneficio. Nam ſi minus rependeat, in libra aequitatis apud Deum non eſt acceptabile munus oblatum cum tali fraude vel iniquitate. Conſtat autem quod primi parentes bene creati & paradyſiacis bonis ditati nullas Deo gratias egerunt, ſed ingrati benefactori ſuo, ejus hoſti gratis venundati ſuccubuerunt. Sic diſtorti a regula aequitatis genuerunt filios iniquitatis, filios maledictionis, filios irae, quorum nullus fuit idoneus ad agendum gratias Deo, praepediente omnes paternae ingratitudinis originali peccato. Vnde inter omnia Patriarcharum vel Prophetarum praeconia cum ſonet ſaepe vox laudis, vox confeſſionis, vox exultationis & ſalutis in tabernaculis juſtorum, nuſquam ſonat vox gratiarum actionis niſi in hoc templo mirabilis aequitatis. Ante Chriſtum namque nullus ſanctorum legitur Deo gratias egiſſe, quia noverant ſe ad hoc non ſufficere. Ipſe autem primus, unus pro ſuis omnibus, Deo patri gratias egit, ſicut in evangelio legitur, primo ubi de paucis panibus multam turbam hominum ſatiavit, deinde ubi Lazarum ſuſcitavit, noviſſime ubi accipiens panem gratias egit, benedixit, & fregit, & dedit diſcipulis ſuis dicens: *Hoc eſt corpus meum &c.* Sed & tota ejus in mundo converſatio quid fuit niſi condigna gratiarum actio? An non etiam nunc ſummae trinitati gratias agit a ſummo uſitata & uſque ad ſummam provecta in ipſo Dei filio natura humana? Diſcipulis quoque per ipſum & in ipſo gratias agendi Deo patri poteſtatem dedit ibidem, ſic dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*. id eſt. Meo exemplo meoque adjutorio quod feci facite, me in vobis & per vos operante. Ecce ſacerdos magnus carens omnino iniquitate, ipſe hoſtia ſufficiens pro abolenda omnium iniquitate, ipſa templum mirabile in aequitate, in quo ſolo rependitur Deo aequa gratiarum actio abſque iniquitatis fraude, quia totum quod a Deo fuit homini aſſumpto donatum, divinis obſequiis integre fuit impenſum in holocauſtum ſuaviſſimi odoris & in ſacrificium pleniſſimae gratiarum actionis, quod ante ipſum nullus potuit facere. *Quid retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi*, ait unus electorum praecipuus. Et cum in ſe nihil digne donis Dei retribuendum inveniſſet, *Calicem*, inquit, *ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo*. id eſt, illum expectabo & fideliter invocabo qui calicem paſſionis innocens bibiturus perfecta gratiarum actione ſatisfaciet patri per ſuæ carnis & ſanguinis hoſtiam ſalutarem. Quod etiam in ipſo & per ipſum nunc donatum eſt Eccleſiae, cui ſacrificanti hanc ipſam hoſtiam in hoc ipſo templo gratias agere ſolemne eſt, ita ut dignum & juſtum eſt, aequum & ſalutare, in ſumma aequitate, in ſtatera aequitatis & juſtitiae, in qua utinam appendantur peccata mea & calamitas quam patior, ait ſanctus Iob deſiderio deſiderans hoc templum mirabile in aequitate atque in eo ſtateram juſtitiae, in qua per duas lances brachiorum crucis, ſeu juſtitiae & miſericordiae, pondus humanae calamitatis quaſi arena maris gravior apparet omnibus omnium hominum in hoc templo ſacrificantium peccatis. Etenim calamitas proroſus mortis in perſona Dei incarnati abſque iniquitate propria propter iniquitates noſtras paſſi longe in infinitum praeponderat in lance miſericordiae peccatis noſtris poſitis in lance juſtitiae, ita ut lanx miſericordiae tantae calamitatis pondere quaſi arena maris gravior apparens & uſque ad infernum deſpoliandum ſubſidens in judicio ſuperexaltet lancem juſtitiae tam vehementi exaltatione ut excuſſis inde peccatis credentium in profundum maris mirabile fiat ſpectaculum divinae pietatis & aequitatis, merſo Pharaone per judicium aequitatis, eo quod aviditate nocendi auſus eſt perſequi a ſe recedentes & ad illum protectorem confugientes qui & in columna nubis pius & in columna ignis juſtus, nullius fuit reus iniquitatis, qui etiam templum eſt mirabile in aequitate, ita ut ad ipſum tutiſſimum ſit refugium ab omni iniquitate. Sanctum eſt ergo templum tuum, mirabile in aequitate, cui & ſanctitas abundat in ſe ipſo, ita ut recte dicatur ſanctum ſanctorum, & aequitas ad patrem ſive totius trinitatis divinitatem, cui perfecte gratias agendo ſervavit mirabilem aequitatem, ita ut neque hoſti iniquo iniquam inferret violentiam, ſed aequitate illum ſuperaret, eum inconceſſa pervadenti conceſſa judicialiter auferret. Eſt etiam in hoc hujus templi non manu facti aequitas mirabilis & nulli rationi penetrabilis quod quanto tempore hic caeleſtis regni legitimus heres parvulus fuit nihil differens a ſervo in ſimilitudine carnis peccati, ſic ſemetipſum exinaniendo minimis ſuis ſervulis coaequavit ut pedes eorum lavaret, & cum iniquis reputatus, non de iniquitate hac indignaretur, ſed patri totius aequitatis auctori gratias ageret, ejuſque juſtitiam collaudaret, ſimul excuſans per ignorantiam quoſdam iniquorum dicens: *Pater juſte, mundus te non cognovit*. Item: *Pater ignoſce illis. Non enim ſciunt quid faciunt*. Quis non miretur ſimulque veneretur in abundantia tantae iniquitatis collaudationem paternae juſtitiae judicantis omnia in ſumma aequitate? Quis denique hominum judicante ſe homine tam inique judicatus, tam inique cum iniquis reputatus, laudaret aequitatem judicis talia diſponentis, vel eum non prohiberet fieri ſinentis? Prorſus nemo. Sed hic Deus homo ſe ſic humiliat ſub judicio divino tanquam ſi nihil differat a ſervo; nec rapinam arbitratus eſt eſſe ſe aequalem Deo, quandiu in forma ſervi humiliatus & ſervis coaequatus, atque cum iniquis reputatus, diſciplinam ſervis iniquis debitam pro ipſis humiliter ſuſtinuit. Propter quod & Deus illum exaltavit, & donans illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, ſibimetipſi cum ſumma gloria coæquavit, ut omnis lingua confiteatur quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris tam ſecundum eam naturam quam credimus in eo exaltatam & ſummo nomine donatam quam ſecundum illam quæ ab æterno erat altiſſima. Humana quippe natura in Deum Dei filium aſſumpta, etſi tempore aſſumptæ mortalitatis paulo minus ab angelis minorata, longe ſub Deo in Deo fuerit, tamen ſub Deo minorem gloriam, ſed in Deo & cum Deo prorſus habet eandem gloriam, data ſibi omni poteſtate in cælo & in terra, quam ipſe Deus Dei filius in divinitate ſua una cum patre ſuo Deo æternaliter habuit, ſed in humanitate ſua ex tempore accepit, minor quidem patre permanendo ſecundum humanitatis naturam, ſed non minor ſecundum divinam ſuæ humanitati potentiam & gloriam donatam. Nonne in hac humanitatis ad ſummam provectionem, ſicut mirabilis, ita eſt etiam rationabilis æquitas? Quia enim ſponte ſua humiliatus, & cum iniquis reputatus, eiſque in pœna pro Dei patris gloria coæquatus eſt, juſto æquitatis judicio naturæ humanæ ſic humiliatæ datum eſt eo uſque aſcendere ubi erat prius ipſe Dei filius cum patre altiſſimo altiſſimus, adim-

pleta

Digitized by Google

pleta ironia ſive prophetia qua olim dictum eſt: *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt*. Quod enim contra veterem Adam graviſſima fuit ironia, de novo Adam ſuaviſſima erat prophetia, de quo in veritate habet Deus pater dicere: *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt*, id eſt, nobis in gloria coæquatus eſt, ſciens bonum & malum æque ut unus noſtrum, potens, ad faciendum judicium æque ut unus noſtrum. Vnde ſicut ad veterem Adam adducta ſunt animantia cuncta, ut videret quid vocaret ea, omne enim quod vocavit Adam animæ viventis, ipſum eſt nomen ejus, ſic ad iſtum judicaturum adducenda ſunt omnia, ut videat quid vocet ea ſecundum ſententiam boni & mali qua ipſe optime ſcit reprobare malum & eligere bonum, ſervata in omnibus æquitate; quia ipſe templum eſt mirabile in æquitate, non diſcrepans in donata ſibi claritate ab inhabitante ſe altiſſima divinitate. Sic lapis quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli. A Domino factum eſt illud, & eſt mirabile in oculis noſtris, mirabile videlicet in illa potiſſimum æquitate qua lapidis vel templi hujus naturalis eſſentia minor divinitate in ſe permanens indeſtructibilis ultra ſe provecta eſt uſque ad æqualitatem gloriæ divinæ ſe inhabitantis, juxta illud Apoſtoli: *In quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Et eſtis*, inquit, *in illo repleti*, ſecundum quod hic pſallentes dicimus: *Replebimur in bonis domus tuæ, ſanctum eſt templum tuum, mirabile in æquitate*. Revera mirabilis erat æquitas qua dictum eſt homini filio Dei a Deo patre: *Sede a dextris meis*. Quod idem eſt ac ſi dixiſſet: In mei æqualitate conregna mecum. Quod ſecundum humanam naturam illi dictum eſt, quia ſecundum illam datum eſt ei regnum & honor, non particulariter, ſed univerſaliter; ſicut ipſe de ſe conteſtans, *Data eſt*, inquit, *mihi omnis poteſtas in caelo & in terra*. Sic in ſimilitudinem lapidis aquæ durantur, ſic ima ſummis coæquantur. Etenim ſicut aqua, non pereunte ſubſtantia vel ſubſtantiæ quantitate, ſed ſola qualitate, quae fluxa fuerat, in ſoliditatem transeunte, in ſimilitudinem lapidis duratur, & res prius liquida rei naturaliter durae in duritia coæquatur, ſic aſſumptus in Deum fragilis homo, non pereunte ſubſtantia, primo aſcendit illocaliter ſuper cælos cælorum ad orientem, id eſt, ultra choros omnium cæleſtium virtutum uſque ad verbum ſibi perſonaliter unitum. Vbi notandum quia non dicitur ad ortum vel orituram, ſed ad orientem. Illa enim ineffabilis genitura non ſecundum præteritum & futurum conſideratur, ſed ſempiterno præſenti filius a patre generatur. Veruntamen hoc localiter quoque accipiendum eſt, quia aſcendit ſuper firmamentum caeli, & hoc verſus orientalem plagam. Nam quod dictum eſt uſque ad orientem, id eſt, uſque ad verbum ſibi perſonaliter unitum, non utique ſecundum locum, ſed ſecundum humanae naturae immutationem dictum eſt; qua immutatione & nos juxta Apoſtolum pro modo noſtro immutabimur. Nec vero ſic immutata eſt ut in illam orientis ſubſtantiam verſibilitate naturae ſubſtantia carnis tranſiret, ſed aequitate judicii divini homini uſque ad mortem crucis pro glorificatione patris humiliato acceſſit paternae gloriae magnificentia, non deceſſit humanae conditionis eſſentia; abſorpta eſt paſſibilitas, acceſſit impaſſibilitas; tranſivit infirmitas in virtutem, mortalitas in aeternitatem; ut homo prius minor angelis, eſſet in gloria Deo patri coaequalis. Et hoc eſt *mirabile in aequitate*. Admirantibus ergo ſimulque venerantibus nobis hoc templum mirabile in aequitate, cui & nomen eſt admirabilis, conſiliarius, Deus, fortis, pater futuri ſeculi, princeps pacis, aliquantula ſublucet ratio hujus aequitatis quam fraudare non debeo conſervis. Cum enim per Chriſti divinitatem ſine labore cuncta creata, per ipſius humanitatem cum multo labore ſint reſtaurata, & utique conſtet opus reſtaurationis melius opere creationis, aequitas judicii divini poſcebat ut humanitas in Chriſto, licet naturaliter minor divinitate, tamen coaequaretur eidem in gloria & in claritate omnimoda, propter excellentiora opera per ipſius laborem & humiliationem conſummata. Vnde cum dixiſſet, *Ego te clarificavi ſuper terram, opus conſummavi quod dediſti mihi ut faciam*, quaſi & judicio aequitatis donativum repoſcens adjunxit: *Et nunc clarifica me tu, pater, apud temetipſum claritate quam habui prius quam mundus eſſet apud te*. Quibus verbis, Hilario interpretante, claritas verbi aeterni poſtulatur carni, ut qui minor fuit & eſt patre ſecundum humanitatis conditionem, jam non ſit minor ſecundum ejuſdem humanitatis glorificationem. Vnde in libro de trinitate ait jam dictus Hilarius: *Glorificaturus filium pater major eſt, glorificatus autem filius minor non eſt*. Proinde quod Athanaſius ait, *minor patre ſecundum humanitatem*, referendum eſt ad naturam, non ad gloriam, vel certe ad illud tempus quo minor fuit etiam angelis, non ad illud quo gloria & honore coronatus & ſuper opera manuum patris conſtitutus, jam nulli eſt in gloria poſthabendus, ut in prima hujus operis parte firmiſſimis patrum teſtimoniis copioſe demonſtratum eſt. Adhuc eſt alia mirabilis aequitas, quam in templo iſto ſpectantium oculis ipſa ejuſdem templi repraeſentat claritas & caritas. Quia enim in redemptione humani generis templum datum eſt pro templo, non manu factum pro manu facto, impollutum & ſanctum pro polluto & profanato, non eſſet aliud pro alio datum niſi quod emebatur eſſet aeque gratum quomodo pretium pro illo datum. Eſt igitur etiam ſic *templum* illud *ſanctum mirabile in aequitate*, ſervata venundati & redempti aequa caritate. Super hujus admirabilis aequitatis admiratione altiſona voce canunt ipſius redempti templi vivi lapides, quaſi cum Aggaeo feſtivo feſtive dicentes: O ineſtimabilis dilectio caritatis! Vt ſervum redimeres, filium tradidiſti. Contenti nunc ſimus in hac peregrinationis via de templo iſto mirabili mirando potius quam exponendo haec pauca dixiſſe; cujus aditus philoſophiae mundanae ſeratus, fidei vero catholicae nunc ex parte reſeratus, in futuro plene pandendus, non eſt quaeſtionibus indiſciplinatis irrumpendus, ſed orationibus humiliter & reverenter pulſandus. Hoc igitur *templum ſanctum mirabile in aequitate* ut remiſſis iniquitatibus mereamur ingredi a Rege Babylonico liberati, tu Chriſte, qui es templum ſimulque ipſius templi oſtiarius & oſtium, *exaudi nos Deus ſalutaris noſter ſpes omnium finium terrae & in mari longe*. Exaudi nos pulſantes & ut omnis caro ad te veniat fideliter orantes. Exaudi hunc hymnum qui *te decet Deus in Sion*, non in illa parvula & anguſta Sion, quae modicam Iudææ particulam occupavit, ſed in illa magna civitate quae fundatur exultatione univerſae terrae, ſecundum quod tu Rex ejus regnas ubique ſpes omnium finium terrae, non tantum Judææ, ſicut vult carnalis judex, vel tantum Africae, ſicut voluit Donatus, vel cujuſquam privatae ſectae, ut hi volunt qui dicunt, *Ecce hic*, aut *Ecce illic*, ſed *omnium finium terrae*, ut omnis caro, non ſolummodo continentium, ſed etiam conjugatorum, poſſit venire ad te, licet ſint in finibus terrae vel in mari longe. Sicut enim Regina Æthiopiae de finibus terrae venit audire ſapientiam Salomonis, ita univerſalis ex Judaeis & gentibus electa & collecta Eccleſia veniet ad te verum Salomonem a finibus terrae, imponens videlicet finem vitiis cupiditatibuſque terrenis. Vel etiam ad litteram *ſpes es omnium finium terrae*, in omnem terram ſono Apoſtolorum exeunte, & in fines orbis terrae verbis eorum pervenientibus, ita ut non ſint loquelae neque ſermones quorum non audiantur voces eorum, etiam in extremis finium terrae & in mari longe, ſive ad litteram in inſulis marinis longe poſitis a cohabitatione aliorum hominum; ſive quia mare hujus ſeculi amarum curis & turbidum tentationibus, ac procelloſum, ſpiritibus malignis quaſi ventis contrariis agitatum, in quo piſces devorantur a piſcibus, re-

PARS ALTERA.

ĉte

ète dicuntur eſſe in mari longe a civitate Sion & Jeruſalem viſione pacis mundi hujus amatores inter ſe tumultuantes; quibus tamen, ſi digne pœniteant, & mediante te Ieſu magno ſacerdote gratiam quaerant invenire in Sion, ſpes eſt miſericordiae conſequendae in te per id quod tu es praeparans montes in virtute tua. Praedicatores etenim Ieremiae vel Aggaeo ſimiles in ſe parvos & humiles tu facis altos & immobiles in virtute tua, non ſua. Hoc & ipſi confitentur dicentes: *Fiduciam talem habemus per Chriſtum ad Deum; non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid a nobis quaſi ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, qui & idoneos nos fecit miniſtros novi teſtamenti, non littera, ſed ſpiritu. Littera enim occidit, ſpiritus autem vivificat. Quod ſi miniſtratio mortis litteris deformata in lapidibus fuit in gloria ita ut non poſſent intendere filii Iſraël in faciem Moyſi prae gloria vultus ejus quae evacuatur, quomodo non magis miniſtratio ſpiritus erit in gloria? Si miniſtratio damnationis gloria eſt, multo magis abundat miniſterium juſtitiae in gloria.* Similiter & nos dicere poſſumus in hymno praeſenti: Quod ſi miniſtratio reverſionis in terreſtrem Jeruſalem fuit in gloria, ita ut ejus adminiſtrator praecipuus Ieſus ſacerdos magnus fuerit coronis aureis jubente Domino coronatus, & ablatis ab eo ſordidis veſtimentis legatur pretioſis mutatoriis ornatus, quomodo non miniſtratio reverſionis in caeleſtem Jeruſalem quae ſurſum eſt libera mater noſtra erit in gloria? Immo ſi miniſtratio illius reverſionis meruit coronis & mutatoriis honeſtari, multo magis gloria & honore coronandi ſunt qui in ſacerdotio novo ſtant coram Domino ſacrificantes hoſtiam vivam & increpant ſibi adverſantem Satanan. Quomodo enim tunc Satan ſtabat contra Jeſum ut adverſaretur ei, ſic & modo in his qui reſiſtunt veritati Satan ſtare cognoſcitur, qui & increpante illum verbo Domini abit & cadit retrorſum, quomodo illi abierunt retrorſum quibus verus Jeſus jam ſe ipſum ſacrificaturus in cruce jam jamque ſacrificatus in caena ſua dixit: *Quem quaeritis? At illi dixerunt: Jeſum Nazarenum.* Quibus cum reſpondiſſet, *Ego ſum*, verbi hujus fulmine repercuſſi abierunt retrorſum & ceciderunt in terram. Qui ergo fulgorem ſolis aeterni adhuc ſub nube mortalitatis ferre non potuerunt, ſed eo repercuſſi ceciderunt in terram, quomodo nunc ferent ejus faciem ſicut ſol lucet in virtute ſua clare ſplendentem? Cum ſe talem demonſtravit in monte coram paucis diſcipulis transfiguratus, nec ipſi eum ferre potuiſſent, niſi eadem virtute qua territi erant fuiſſent etiam confortati. Et Johannes in Apocalypſi cum vidiſſet eandem Jeſu faciem ſicut ſol lucet in virtute ſua, cecidit ad pedes ejus tanquam mortuus: *Et poſuit*, inquit, *dexteram ſuam ſuper me dicens: Noli timere. Ego ſum primus & noviſſimus, & fui mortuus, & ecce ſum vivens in ſecula, & habeo claves mortis & inferni.* Sic Domine Jeſu praeparas montes in virtute tua dicens cuique illorum: *Noli timere*. in quo dicto eſt largitio virtuoſae conſtantiae. Dicendo autem: *Ego ſum primus & noviſſimus, & fui mortuus, & ecce ſum vivens in ſecula, & habeo claves mortis & inferni*, oſtendis te accinctum potentia qua praevales ad omnia quaecunque volueris facienda, utpote vivens in ſecula ea vita qua vivificare potens es omnia membra tua, & habens claves mortis & inferni, quibus concludere potenter vales mortem & infernum, diabolum ſcilicet mortis inventorem, populumque tenebroſum, in quo, velut in inferno, diabolus & mors habet locum nimis amplum & profundum, ſed minime quietum, quia tu *conturbas profundum maris*, id eſt, populum nimis amarum tu conturbas, non in ſuperficie, quaſi vento leni, ſed in profundo, & quaſi ab imo fundo undas ejus concutiendo. Alia littera ſic habet. *Circumcinctus potentatu tuo*. Quod ad ſimilitudinem Regis undique ſuis militibus conſtipati dictum poteſt intelligi: quia tu Rex gloriae, dominus exercituum te circumſtantium, per eoſdem exercitus propugnando potens es in praelio non ſolum campeſtri, quo commoviſti terram & conturbaſti eam, ſed etiam navali, quo conturbas profundum maris. Quaſi enim campeſtre certamen tunc fuit in campo dura provincia Babylonis erecta velut aurea ſtatua quando caput imperii Romani, quaſi altera Babylonia, Roma defenſabat idololatriam dura edicta proponendo & fornacem perſecutionis incendendo. Sed jam fabricatis Eccleſiis atque coenobiis tanquam navibus ultra mare ad terram promiſſionis tendentibus, ſurgunt venti contrarii, & non deſunt naves piraticae latronibus plenae, conventicula videlicet perverſa, quibus contra invicem decertantibus mare turbatur & ſonitus fluctuum ejus augmentatur quoadusque tu ventis imperes & mari, precibus Eccleſiae ſuſcitatus, qui nunc peccatis exigentibus dormiendo in navi *conturbas profundum & ſonum fluctuum ejus* ad hoc eſſe permittis ut a diſcipulis attentius orantibus cito exciteris, & te increpante ventos & mare, fiat tranquillitas magna. Aliter. Conturbas profundum maris commovendo profunda hominum corda, vel ut ſequantur, vel ut perſequantur electos tuos, & ſonum fluctuum ejus excitas & ſedas prout vis, areſcentibus hominibus prae confuſione ſonitus maris & fluctuum, diſcipulis autem tuis, cum viderint haec fieri, ad te reſpicientibus ac levantibus capita, quoniam appropinquat redemptio illis a te promiſſa. Levabunt capita, id eſt, exhilarabunt corda, ſcientes poſt brevem tempeſtatem ſecuturam quietis aeternae tranquillitatem. Alia translatio habet: *Sonum ejus quis ſufferet?* id eſt. Quis ſuſtinebit illam commotionem? Vere nullus virtute humana, ſed plures virtute tua, qui praeparas montes in virtute tua, montes altos quos tranſcendere non valent mirabiles elationes maris, montes immobiles de quibus dicas mari: Huc uſque venies, & hic confringes tumentes fluctus tuos. Dum enim cernent idololatrae gentes, vel etiam falſi Chriſtiani, creaturae potius quam creatori, mammonae potius quam tibi Deo vero ſervientes, immobilitatem ſimul atque celſitudinem turrium ſanctae civitatis fundatae in montibus ſanctis, ad quam revertentes de Babylone cives beati nunc incipiunt proficiſci, quandoque feliciter perventuri, ea tali conſideratione turbabuntur ipſae gentes aliquantae per timorem ſervilem, ſicut Rege civitatis hujus nato & Regibus orientalibus manifeſtato, Rex Herodes turbatus eſt & omnis Ieroſolyma cum illo, aliquanto per timorem filialem, quomodo Apoſtoli conturbati ſunt & conterriti, exiſtimantes poſt reſurrectionem Regis hujus non corpus reſuſcitatum, ſed ſolum ſe ſpiritum videre. Neque enim parva eſt conturbationis cauſa cum ſola Regis hujus exiſtimatur ſpiritalis adeſſe praeſentia ſuis diſcipulis, non etiam corporalis. Quorum conturbationi apte ſubvenitur cum ſe non ſolum videndum, ſed etiam palpandum praebet Ieſus ſacerdos magnus in ſacerdotibus catholicis viſibiliter & corporaliter gloria & honore coronatis, ceteriſque dilectis & electis, quibus per veram pœnitentiam veſtimenta ſordida ſunt ablata, & mutatoria munda ſunt collata. Similiter cernitur idem conſpicuus in bonis ducibus Zorobabeli conſimilibus. Et haec non modica eſt bene turbatis conſolatio, & male turbatis augmentatio conturbationis. Nam diverſis modis *turbabuntur gentes & timebunt*, primo ſerviliter, deinde qui ex eis credent, filialiter & caſte timebunt nomen tuum *qui habitant terminos* terrae, id eſt, non ſolum vicini, ſed etiam in extremis finibus terrae poſiti, quando in omnem terram exibit ſonus Apoſtolorum & in fines orbis terrae verba eorum, vel etiam quando per ſucceſſores eorum praedicabitur evangelium in toto mundo uſque ad ultimum terrae. Turbabuntur inquam a ſignis tuis, primo per miracula, deinde per virtutum praeclara & inſignia facta, quae conſiderabunt in electis tuis, quibus exitus matutini & veſperae delecta-

Digitized by Google

lectabis, id eſt, quos ita perfectos eſſe facies ut exitus matutini & veſperae ſint eiſdem delectabiles. Cum enim per mane proſperitas & per veſperam notetur adverſitas, ita erunt imperturbabiles ut alternante ſe rerum viciſſitudine ſint eis delectabiles exitus matutinae proſperitatis in veſpertinas adverſitates, quando in altero peregrinationis hujus conſolationem, in altero ſui provectus invenient exercitationem. Itaque dum crebro fiunt exitus matutini in veſperam, & e converſo veſperæ in matutinum, neutra res illis diſplicebit, ſed in omnibus gratias agent, præcipue quando ſentient ex tua, Deus, ordinatione ſibi veſperam ſabbati non tenebreſcere in noctem obſcuram, ſed luceſcere in prima ſabbati, procul excluſa nocte illa de qua beatus Iob rogat *ne computetur in diebus anni, nec numeretur in menſibus*, ſed *ſit ſolitaria nec laude digna. Noctem*, inquit, *illam tenebroſus turbo poſſideat: expectet lucem, & non videat, nec ortum ſurgentis aurorae*. Itaque de nocte illa exitus non erit in matutinum quæ non eſt viſura ortum ſurgentis auroræ. Talis nox fuit Iudæ traditori; de quo legitur quia cum accepiſſet de manu Chriſti buccellam, introivit in illum Satanas, & exivit continuo. Erat autem nox. De hac nocte nimium tenebroſa nullus ei fuit exitus in lucem matutinam, quia non egit fructuoſam pœnitentiam, licet pœnitentia ductus retulerit argenteos male acceptos dicens: *Peccavi tradens ſanguinem juſtum*. Sera nimis fuit hæc pœnitentia nec laude digna, quia non tam fuit de admiſſo peccato quam de infatuato ejus conſilio. Quomodo enim præambulus ipſius Achitofel ſe ipſum laqueo ſuſpendit gravi conſcientia tortus eo quod infatuato ipſius conſilio prænovit regnaturum David, cujus regno & gloriae invidit, ſic & Iudas mercator peſſimus, Chriſti regno & gloriae invidus, atque odiens fidelium diſcipulorum pium ſenſum, per quem ſuum conſilium patuit eſſe fatuum, dum nullus eorum ſentiret ſecum, quamvis exemplo Chuſai Arachitæ Petrus Apoſtolus Chriſtum verum David non corde ſed ore negaverit, quomodo ille Chuſai David coram Abſalone denegavit. Nempe ſicut illa Chuſai denegatio ex prudenti conſilio David proceſſerat, qui per illum prophetaverat infatuandum eſſe conſilium Achitofel, ſic Petri negatio ipſius Chriſti admiſſa eſt prudenti conſilio, non ſolum ad demonſtrandum principi Apoſtolorum ſe ipſum, qui nimis improvide jactaverat ſe nunquam negaturum, ſed etiam ut per ipſum Petrum infatuaretur Iudæ conſilium, dum propter negationem putatus non eſſe amicus veri David, mortis immaturæ periculum evaſit, qui tamen poſtmodum glorioſa morte ipſum clarificavit, fatuumque Iudæ Chriſtum regnare nolentis conſilium, non ſolum vivendo, ſed etiam moriendo, annihilavit. Hic notandum quod peccatum Iudæ profunda malitia excogitatum totum nocturnum ac tenebroſum non invenit exitum in lucis matutinæ ſerenum. Petri autem culpa tanquam caligo veſpertina luce ſimul ac tenebris permixta, dum Chriſtum lingua negavit quem corde amavit, fragilitate potius quam malignitate peccando, exitum procul dubio invenit a veſpera in matutinum, quando poſt galli cantum luce jam propinquante flevit amare. Similiter matutinum Petri ſemetipſum erigentis ac nimis de ſe præſumentis non ita fuit lucidum ſicut matutinum luciferi, qui nimis mane oriebatur, quia in ſua luce non in Domino vel pro Domino ſed contra Dominum gloriabatur. Denique talis gloriatio & præſumptio de odio fuit creatoris. Petri autem præſumptio de radice proceſſit amoris, non quidem adhuc plene conſummati uſque ad claritatem diei, ſed quaſi matutini adhuc tenebris permixti. Exitus autem fuit hujus matutini Petro & delectabilis conſummatio illius amoris uſque ad tantum diurnæ lucis meridianam claritatem, cujus ipſe ſibi conſcius magiſtro ſciſcitanti ſub trina interrogatione an ſe amaret, confidenter ei reſpondit: *Domine, tu ſcis quia amo te*. Puto anima quae ſic amat, ipſo amore ſuo ad amatum clamat: *Indica mihi ubi paſcas, ubi cubes in meridie*. Propter quod etiam Petro ſic amanti dicitur *Paſce agnos meos*, item *Paſce agnos meos*, tertio *Paſce oves meas*. In quibus paſcendis exitus matutini & veſpere delectabilis fuit Petro in meridie cubanti & pauſanti, nunc imminente veſpera contra lupos vigilanti & laboranti. Qui nimirum veſpertinus labor, ſeu etiam ut meridianus fervor, etſi aliquotiens gravabat, tamen exitus ejus delectabat. Hinc alios paſtor ovium crebra viciſſitudine matutini & veſperae probatus & exercitatus, hujuſmodi varietatum delectatus exitu dicit: *Cupio diſſolvi & eſſe cum Chriſto*. Revera laudabilis eſt iſta delectatio. Quem de talibus non delectat exire, facile capitur lucris terrenis, utpote quem non delectat promiſſio vel expectatio lucri caeleſtis: qua ſi animus quantum debet delectatur, nec per matutinum proſperitatis extollitur, nec per veſperam adverſitatis frangitur, nec inter hujuſmodi varietates ipſe variatur, ibi habens fixum cor ubi verum eſt gaudium; juxta quod oramus ut inter mundanas varietates ibi noſtra fixa ſint corda ubi vera ſunt gaudia. Ubi enim eſt theſaurus hominis, ibi delectatur & cor ejus. Eſt autem delectatio vilis & inſtabilis in tranſitoriis bonis & temporalibus delitiis, pretioſa vero & minime faſtidioſa ſemperque manſura in ſpiritalibus delitiis & aeternis bonis, ut eſt juſtitia, ſapientia, caritas, benignitas, ceteraque hujuſmodi chariſmata beatas animas delectantia nunc ex parte, ſed ibi plenarie ubi delectationes in dextera tua, Deus, in finem fine carentem permanebunt, quia non de puteo illo haurientur cujus aquam libenter bibentes iterum ſitient, ibi maxime ubi dives ille ſitivit qui guttam aquae petens obtinere non potuit, quia delectatio ejus in ſiniſtra tranſierat, nec ad illam pertinuit delectatio quæ eſt in dextera tua. Tota haec delectatio exinde provenit quia tu, Domine, quem *decet hymnus in Sion*, natus in ea, *viſitaſti terram, & inebriaſti eam*. Viſitaſti terram benedictam, de qua dicitur alibi: *Benedixiſti Domine terram tuam*. Terram hanc benedictam a terra maledicta ſpinas & tribulos germinante ſegregatam viſitaſti proprio adventu tuo, factus caro in utero virgineo, flos benedictus de terra benedicta germinans fructus benedicti ventris. Quod recognoſcens angelus, *Benedicta*, inquit, *tu in mulieribus*. Et item ſancta Elizabeth, *Benedicta*, inquit, *tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui*. Viſitaveras quondam ſteriles, verbi gratia Saram, Rebeccam, Rachelem, & eam quae genuit Samſonem vel Samuelem ſive Salomonem, ac noviſſime illam quae genuit Iohannem Baptiſtam, quo inter natos mulierum non ſurrexit major. Septem iſtae matres, cum fuiſſent pridem ſteriles, te viſitante viros magnos genuerunt, videlicet Iſaac, Iacob, Ioſeph, & reliquos jam nominatos viros inclitos. Et ecce pluſquam Salomon vel Samſon vel ullus illorum eſt hic filius virginis, in quo viſitavit & fecit redemptionem plebi ſuae benedictus Dominus Deus Iſraël. Nam praedictarum matrum ſterilium fœcundatio licet ex munere divinae viſitationis provenerit, nulli tamen illarum congruit quod hic dicitur: *Viſitaſti terram & inebriaſti eam*. Sola virgineae carnis terra ſingularis viſitationis praerogativa eſt inſignis, quae non virilis operationis aratro exculta, ſed per angelum Gabrielem viſitata, & ſpiritu ſancto conſorta, ac virtute altiſſimi obumbrata, concepit filium Dei. Singulari ergo viſitatione tu, Domine, quem *decet hymnus Deus in Sion*, viſitaſti hanc terram civitatis Sion, & inebriaſti eam, rore videlicet ſive imbre ſancti ſpiritus; quemadmodum praeoptaverat egregius ille ſponſae hujus paranymphus, qui longe ante praedixerat: *Rorate caeli deſuper & nubes pluant juſtum, aperiatur terra & germinet ſalvatorem & juſtitia oriatur ſimul*. Magnifice igitur, Domine, viſitaſti terram, & mirifice inebriaſti eam, de torrente voluptatis tuae potando illam, quae de terra maledicta ſpinas & tribulos germinante ad hoc fuit ſegregata ut germinaret ſalvatorem. Poſtquam haec terra dedit fructum ſuum, fructum benedictum, juxta illud evangelicae ſalutationis oraculum, *Benedicta*

Digitized by Google

dicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui, eodem fructu per paſſionem tritintato, & per mortem denuo in terra ſemitato, atque in terra mortuo, multus inde fructus provenit, juxta illud: *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Quo fructu multo multiplicaſti locupletare eam, quoniam honor filii magna ex parte aſcribetur matri, dum ipſa tanquam Regina dominabitur in regno filii. Quod hoc ordine impletum eſt quo & praedictum. Tu enim Domine, qui moriens in terram cecidiſti, reſurgens a mortuis multum fructum attuliſti, quoniam aſcendens in altum captivam duxiſti captivitatem; dediſti dona hominibus, per quae dona iterum viſitaſti terram & inebriaſti eam, ita ut muſto putarentur eſſe pleni diſcipuli tui, quos tuo ſpiritu ſic inebriaſti & a ſemetipſis alienaſti ut terrena eorum ſubſtantia caelitus inebriata fieret omnino caeleſtis. Poſtquam ergo ſic viſitaſti terram & inebriaſti eam, prius terreſtres effecti caeleſtes caeli enarraverunt gloriam Dei, quos etiam quaſi nubes imbriferas miſiſti ſuper omnem terram, quam eorum doctrinis viſitaſti & inebriaſti, Eccleſia ſancta per orbem terrarum dilatata; quae praeclaro calice paſſionis tuae inebriata obliviſcitur ea quae retro ſunt, extendendo ſe in anteriora, in quibus *multiplicaſti locupletare eam*; quia multiformis gratiae donis ditaſti eam, quae hoc ordine pervenerunt ad eam. Primo *flumen Dei repletum eſt aquis*, id eſt, prior populus ripis mandatorum legalium limitatus, cujus propter exiguam benedictionis venam pene deſiccatus fuit alveus, quia tamen in pinguedine terrae & in rore caeli deſuper erat benedictio ejus, eo quod cum Eſaü detentus & occupatus venatione carnium, pene ſolis carnalium & terrenorum bonorum laetabatur promiſſionibus & expectationibus, uſque adeo ut ipſi quoque Apoſtoli de populo illo electi circa primordia ſua ſentirent carnaliter de regno Dei, populus inquam ille in paucis eainde vocatis flumen Dei nominatur & eſt. Nam ceteris, velut aquis lacunoſis, Iſaias improperat dicens: *Qui de aquis Juda exiſtis*, id eſt, qui tantummodo ſecundum carnis fluxum, & non ſecundum fidei fructum, ſemen Iuda eſtis. Etenim ſecundum converſationis veſtrae ignobilitatem ſemen Chanaan & non Iuda eſtis, quia pater veſter Amorrhaeus & mater veſtra Cethaea. Illis ergo velut aquis cœnoſis jure areſcentibus & deficientibus, flumen Dei repletum eſt aquis in veris Iſraelitis; qualium unus fuit ille de quo ipſe fons fluminis hujus ait: *Ecce vere Iſraëlita, in quo dolus non eſt*. Tales fuerunt omnes Apoſtoli, excepto Iuda, qui exierat de aquis Iuda, penitus alienus a fidei ejus nobilitate. Hujuſmodi ergo aquis reprobatis tanquam putidis & amaris, flumen Dei purum & dulce repletum eſt aquis quando ſedentibus Apoſtolis in uno cœnaculo *factus eſt repente de caelo ſonus advenientis ſpiritus vehementis & replevit totam domum ubi erant ſedentes, & repleti ſunt omnes ſpiritu ſancto*. Quibus ita potatis, ne cibi deeſſet copia, paraſti cibum illorum, ut aqua ſapientiae ſalutaris potati, cujus veritatis adimplendae habuerunt intellectum, ejus quoque adimpletae, viderent evidentem effectum quaſi panem ſolidum. Neque vero id caſu accidit, quoniam ita eſt praeparatio ejus cibi quo cibantur electi ut primo intelligant quid petere vel deſiderare debeant, purificante ac reficiente illos aqua ſapientiae, deinde rerum intellectarum petant & accipiant manifeſtos effectus quaſi panem vitae & intellectus, ita ut pro aqua & potu ſalutari ſit eis intellectus bonus, pro cibo vero ejuſdem ſit effectus manifeſtus. Huic praeparationi quidam increduli contradicunt, & dicunt: *Quoniam percuſſit petram & fluxerunt aquae & torrentes inundaverunt, numquid & panem poterit dare aut parare menſam populo ſuo?* Quod eſt dicere. Quoniam percuſſo latere Chriſti aquae ſapientiae de ipſo latere templi effluxerunt & intellectu adimpleverunt corda credentium, ut ſciant quid ſit petendum vel agendum, numquid adiciet huic dono intelligentiae donum efficientiae? Num quia velociter currit ſermo Dei per ora docentium vel calamos ſcribarum velociter ſcribentium, ſimili velocitate ſequetur obedientia quo praecucurrit intelligentiam. Revera ſic ille praedixit futurum qui alias dicit: *Populus quem non eognovi ſervivit mihi, in auditu auris obedivit mihi.* Mira velocitas obedientiae quae comes eſt audientiae, ubi non poſt auditum auris conſequitur obedientia injuncti operis, ſed *in auditu*, inquit, *auris obedivit mihi*. Porro de his qui tardi & claudi viatores pedem intelligentiae ſanum habent & fortem, pedemque inobedientiae debilem portant & ſuſpenſum, conſequenter adjungitur: *Filii alieni mentiti ſunt mihi, filii alieni inveterati ſunt & claudicaverunt a ſemitis ſuis*. Illorum procuidubio iſta eſt murmuratio qua dicunt: *Quoniam percuſſit petram & fluxerunt aquae & torrentes inundaverunt, numquid & panem poterit dare aut parare menſam populo ſuo?* Audiunt iſti verbum, ſed obedire differunt. Audiunt ſignum quo ad Eccleſiam vocantur, ſed venire differunt. Quod eſt dicere. Num quia facile magiſtris eſt imperare, ſimiliter facile diſcipulis eſſe poterit eorum praecepta ſervare? Audiunt intrinſecum ſancti ſpiritus conſilium, quo ille ſuggerit aliquid faciendum, ſed acquieſcere differunt. Ideo audivit Dominus & diſtulit, audivit eorum petitionem, ſed diſtulit exauditionem; audivit eorum gemitus in tribulationibus, ſed diſtulit eos liberare de ipſis; audivit ſuper eos inimicorum inſultationem, ſed diſtulit ultionem ac defenſionem. Non eſt alienum a ſenſu evangelico doctrinam pro potu & opus pro cibo accipi. Nam de doctrina ſane intelligitur quod dicitur: *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat, & de ventre ejus fluent aquae vivae*. Item: *Qui biberit aquam quam ego dedero ei, non ſitiet iterum; ſed aqua quam ego ei do, fiet in eo fons aquae ſalientis in vitam aeternam*. Hujuſmodi aquis venae viventis repletum eſt flumen Dei quando ſpiritus ſanctus in linguis veniens Apoſtolos docuit & intellectu adimplevit corda eorum; quibus cito & ultro intellectae veritati acquieſcentibus & quaſi muſto plenis cito & ultro paraſti cibum illorum, videlicet opus perfectum & bonae intelligentiae bonum effectum, de quo dicas: *Meus cibus eſt ut faciam voluntatem patris mei*. Erat quippe in diſcipulis obedientia ſine mora, in qua panem dare ac menſam parare populo ſuo Deo fuit in promptu; ſicut e contra idem loquens in Apoſtolo ſuo, in promptu habet ulciſci omnem inobedientiam. Ideo Petro jam potato per intellectum & eſurienti effectum de caelo dictum eſt: *Macta, macta, & manduca*. Parata in conſpectu ejus menſa multis cibariis plena, in qua erant animalia terreſtria & volatilia caeli, quia de gentibus convertendi erant activi & contemplativi in Eccleſia Dei futuri & in corpus Petri tranſituri per obedientiam ſine mora exhibendam, qualem primo in domo Cornelii centurionis ex gentibus invenit Petrus & qualem in regula ſua commendat venerabilis pater ſanctus Benedictus. *Primus*, inquit, *humilitatis gradus eſt obedientia ſine mora. Haec convenit his qui nihil ſibi Chriſto carius aliquid exiſtimant, ſeu propter metum gehennae vel gloriam vitae aeternae, mox ut aliquid imperatum fuerit a majore, ac ſi divinitus imperatur, moram pati neſciunt in faciendo. De quibus Dominus dicit: Obauditu auris obedivit mihi. Et iterum dicit doctoribus: Qui vos audit, me audit. Ergo hi tales relinquentes ſtatim quae ſua ſunt, & voluntatem propriam deſerentes, mox exoccupatis manibus & quod agebant imperfectum relinquentes, vicino obedientiae pede jubentis vocem factis ſequuntur & veluti uno momento praedicta magiſtri juſſio & perfecta diſcipuli opera in velocitate timoris Dei ambae res communiter citius explicantur, quibus ad vitam aeternam gradiendi amor incumbit. Ideo anguſtam viam arripiunt, (Unde Dominus dicit: Anguſta via eſt quae ducit*

ad vitam.) ut non ſuo arbitrio viventes, vel deſideriis ſuis & voluptatibus obedientes, ſed ambulantes alieno judicio & imperio, in cœnobiis degentes, Abbatem ſibi praeeſſe deſiderant. Sine dubio hi tales illam Domini imitantur ſententiam qua dicit: Non veni facere voluntatem meam, ſed ejus qui miſit me patris. Sed haec ipſa obedientia tunc acceptabilis erit Deo & dulcis hominibus, ſi quod jubetur, non tepide, non tarde, non trepide, aut cum murmurio vel reſponſo nolentis efficiatur: quia obedientia quae majoribus praebetur, Deo exhibetur. Ipſe enim dixit: Qui vos audit, me audit. Et cum bono animo a diſcipulis praeberi oportet; quia hilarem datorem diligit Deus. Nam cum malo animo ſi obedit diſcipulus, & non ſolum in ore, ſed etiam in corde, ſi murmuraverit, etiamſi impleat juſſionem, tamen acceptum jam non erit Deo, qui cor ejus reſpicit murmurantis, & pro tali facto nullam conſequitur gratiam; immo poenam murmurantium incurrit, ſi non cum ſatisfactione emendaverit. Porro in regula beati Auguſtini, ubi dicitur, *Praepoſito tanquam patri obediatur*, licet verbis pauciſſimis eadem commendatur obedientia, non ſervili pigritia vel indevotione, tamquam ex triſtitia vel neceſſitate, ſed ex filialis caritatis hilaritate perſolvenda. *Praepoſito*, inquit, *tanquam patri obediatur*; ut videlicet is qui obedit potius amore filiali quam timore ſervili ad obediendum pertrahatur, & is cui obeditur, licet utrumque ſit neceſſarium, tamen plus optet amari quam timeri, amari ut pater, non timeri ut dominus. Non enim poteſtate dominante ſed caritate ſerviente ſe felicem reputabit, qui licet honore coram hominibus nominetur & ſit prælatus, timore tamen coram Deo etiam ſubjectorum pedibus erit ſubſtratus. In hujuſmodi praelatis apoſtolicae vitae ſectatoribus & Apoſtolorum ſucceſſoribus poſt ipſos *flumen Dei repletum eſt aquis*, ut ſupra eſt expoſitum de ipſis Apoſtolis. Et tu, Deus, paraſti cibum illorum ſicut & Apoſtolorum, dando eis primo ſanum intellectum quaſi potum, deinde realem effectum quaſi cibum ſolidum. Vel etiam *flumen Dei repletum eſt aquis* dum creditum eſt verbum veritatis in ſcripturis. Et tu, Deus, paraſti cibum credentium, dando illis tui corporis & ſanguinis refectionem vivificam cunctis incredulis denegatam; quoniam ita eſt praeparatio ejus cibi ut primo credatur, deinde accipiatur. Solis quippe credentibus dici congruit: *Accipite & manducate. Hoc eſt corpus meum. Rivos ejus inebria.* Quando multitudinis credentium erat cor unum & anima una in Deo, neque adhuc facta eſt eorum inter gentes diſperſio, ſed erant omnes diſcipuli pariter in eodem loco, ac pene omnes in eodem ſanctae converſationis propoſito, nulla fuit adhuc fluminis Dei per multos rivos diviſio, ſed inſimul fuit omnis aquarum ejus plenitudo. Flumen quippe Dei proprie dicitur cujus fons & origo ipſe Deus invenitur, qui hujuſmodi converſationis qualem Apoſtoli tenuerunt ſolus eſt auctor & inſtitutor; cui & dicitur: *Domine, apud te eſt fons vitae, & in lumine tuo videbimus lumen.* Fons apud Deum fontem Deus Chriſtus apud patrem. Non tamen duo fontes, ſed unus fons; quomodo non duo dii, ſed unus Deus. Inde procedens amborum ſpiritus, quaſi vena utrique conſubſtantialis, Apoſtolorum pectora inviſibiliter penetravit; & ſic in eis *flumen Dei repletum eſt aquis* adhuc in anguſto Judaeae loco adunatis, quando, ut dictum eſt, erant omnes diſcipuli pariter in eodem loco ſub indifferenti unius communis vitae ſancto propoſito. Deinde facta diſcipulorum diſperſione, tanquam fluminis unius in multos rivos deductione, alios diſcipulos delectabat eſſe omnino ſolitarios, quorum diſciplina peperit monachos; alios Eccleſiae docendae ac regendae occupatio retinuit, quorum inſtitutio viguit in clero ad communem vitam religioſe ordinato. De gentibus quoque ad fidem converſae multitudinis tanquam unius fluminis in multos rivos diſtinctio eſt facta, aliis ad continentiae propoſitum reſtrictis tanquam in anguſtia riparum ſuae derivationis aquam in omnimoda puritate conſervantium, aliis ad conjugium legitimum relaxatis velut aquis in plano decurrentibus, ac proinde lutum quidem trahentibus, veruntamen ſe ad ſui fontis originem tenentibus; & ideo computandae ſunt in rivis ejus; quemadmodum quondam Jordane ad tranſitum Jeſu diviſo, pars quae ad fontem ſe tenuit, rivi nomen retinuit; quae autem diſciſſae a fontali origine in mare mortuum defluxerunt, alveo earum penitus deſiccato, rivi nomen perdiderunt, & ipſae tanquam non eſſent perierunt ac defecerunt, ſuoque defectu viam populo Dei patefecerunt. Nam, ſicut in libro Jeſu Nave legitur, ipſo cum arca foederis per medium Jordanis alveum tranſeunte, aquae ſuperiores ad inſtar montis exaltatae procul videbantur, inferiores autem defluentes & deficientes omnino diſparuerunt, quarum in locum ſic vacuefactum poſtea ſuperiores aquae deſcenderunt. Sic pereant, ſic ad nihilum deveniant, tanquam aqua decurrens, omnes impiorum ſectae, quae propter nomen Chriſtianitatis & baptiſmi ſacramentum videntur eſſe aquae Jordanis, cum tamen defectae ſint a vena fontis hujus nominis. Pereant ac deficiant, ſuoque defectu populo Dei viam patefaciant, veris quoque aquis Jordanicis de fonte ſuo pendentibus alveum ſuum ſuo defectu & diſceſſu vacuum relinquant. Inter ceteras autem ſectas perituras, ut jam Deo gratias multae perierunt, etiam illa ſecta pereat clericorum & ad nihilum deveniat quae ſanctis patribus deſcribentibus nomen habet acephalorum, quod interpretatur ſine capite; ut ex hoc intelligantur etiam vita quae ſine capite membris non eſt omnino carere, quorum converſatio vaga & diſſoluta nuſquam invenitur in omnibus regulis ab evangelicae vel apoſtolicae doctrinae fonte ſeu flumine derivatis, cum neque ſecundum canones vivant, neque cœnobitalis vitae ſervent regulas a fonte ſeu flumine Dei, quod repletum eſt aquis, derivatas. Ut autem fluminis hujus impetus laetificet civitatem Dei uſque in finem ſeculi, tu fons luminis hujus puriſſimi *rivos ejus inebria*, ut nec ex defectu perſonarum nec ex defectu virtutum ſit ulla inopia in omni converſatione ſecundum regulas evangelicas & apoſtolicas ordinata, etiam in conjugatorum vita ſecundum legem divinae juſtitiae diſpoſita. *Rivos ejus inebria*, ut primitus vita continentium ſe a vino, in quo eſt luxuria, id eſt, ab omni hujus mundi vanitate illecebroſa, vino meliore inebrietur, impleta illam ſpiritu ſancto, juxta illud Apoſtoli: *Nolite*, inquit, *inebriari vino, in quo eſt luxuria; ſed implemini ſpiritu ſancto, loquentes vobiſmetipſis in pſalmis & hymnis & canticis ſpiritalibus, cantantes & pſallentes Deo in cordibus veſtris.* Quia ergo *te decet hymnus Deus in Sion*, pſallentes & hymnizantes tibi devotas perſonas ita inebria ut nihil eis deſit in ulla gratia expectantibus revelationem Domini noſtri Jeſu Chriſti ſacerdotis magni reducentis de captivitate populum ſuum & reaedificantis templum ſanctum ſuum Chaldaico igne avaritiae & luxuriae conflagratum. Quia vero continentium vita non in omnibus eandem profitentibus eſſe poteſt uniformis, multiplica genimina ejus, ut qui poteſt capere capiat ſanctitatem virginalem cum beata virgine Maria & ejus procuratore Johanne evangeliſta. Qui hanc non poteſt capere, capiat continentiam vidualem cum ſene Symeone juſto & timorato & Anna Propheti ſſa. Qui vero hanc non poteſt capere, poſt publica peccata perpetrata capiat continentiam pœnitentialem cum Matthaeo evangeliſta & Maria Magdalena. Multiplica etiam in hoc genimina ejuſdem vitae, ut ſint multa cœnobia regularia, unius quidem puritatis & ſanctitatis; veruntamen pro diſtributione multiformis gratiae ſit eis conſuetudo multifariam multiſque modis diſtincta, ſecundum quod legitur Joſeph veſtitus una quidem talari tunica ſibi a patre ſuo parata; quae tamen unius coloris non fuit, ſed polymita, variis ſcilicet coloribus diſtincta. Sic aſſiſtat Regi prae filiis hominum forma ſpecioſa ſtrenoſa & ſpe-

ciosa

rioſa Regina, uno quidem veſtitu deaurato perornata, ſed tamen in fimbriis aureis circumamicta, videlicet pro diverſarum Eccleſiarum ſeu etiam perſonarum diverſa qualitate vel conſuetudine, ut qui poteſt capere capiat & teneat rigorem paucis & ſolis fortibus imitabilem; qui hoc non poteſt capere, capiat condeſcenſionis diſcretionem pueris etiam ſeu feminis tolerabilem, qualis erat in Eccleſia primitiva ſub ea diſcretione ordinata ut non ſolum fortibus viris, verum etiam fragilibus feminis eſſet religio ipſa portabilis. Et erat in ea Stephanus plenus gratia & fortitudine. Sed is miniſtrabat fragilitati femineæ. Vacabant illic majores orationi & miniſterio verbi, ſatagebant minores circa frequens miniſterium vitæ praeſenti neceſſarium. Erat omnibus pariter majoribus & minoribus cor unum & anima una in Deo, nec quiſquam eorum aliquid ſuum vel habebat vel dicebat. Sed tamen diſtribuebatur non omnibus aequaliter, quia non aequaliter omnes valebant, ſed potius unicuique ſicut cuique opus erat, videlicet alii plus, alii minus; prout cuique fuit neceſſarium: quia neque fragiles angariabantur a fortibus ad artiora ſuiſque viribus majora, neque fortes ab infirmis trahebantur ad laxiora ſolis debilibus congruentia. Sic flumen Domini repletum fuit aquis ut etiam in temporalibus adjumentis non eſſet quiſquam egens inter illos. Eadem nunc plenitudo rivis ejus optatur, cum dicitur: *Rivos ejus inebria, multiplica genimina ejus*, ut nihil deſit in ulla gratia vitae artioris & caſte ſecantibus diſciplinam a ſanctis Apoſtolis ordinatam & a ſummo puritatis fonte derivatam. Sed quia non omnes capiunt hoc verbum, ut egredientes de Sodoma ſtatim feſtinent conſcendere ad montis altiora, ſit conceſſum fragilibus remanere in Segor parvula & modica, quia modicam habent virtutem, neque idonei ſunt aſcendere in montem Domini aut ſtare in loco ſancto ejus quo innocens manibus & mundo corde aſcendit ſociatus in ſexto gradu octo beatitudinum beatis illis qui mundo corde Deum videbunt. Sint illi majoribus & inferioribus beatitudinum gradibus contenti, videlicet beati pauperes ſpiritu, beati mites, beati lugentes, beati eſurientes & ſitientes juſtitiam, beati miſericordes, quia per opera miſericordiae mundanda & purificanda eſt vita conjugatorum; ut qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur, & qui habent uxores, tanquam non habentes ſint. *Volo*, ait apoſtolus, *juniores nubere, filios procreare*. Item: *Unuſquiſque habeat uxorem ſuam, & unaquaeque habeat virum ſuum*, propter fornicationem ſcilicet vitandam, & propter ſubolem procreandam. Talibus documentis, velut quibuſdam ſtillicidiis, irrigata laetabitur germinans terra, flumini Dei repleto aquis ita contigua ut etſi non poſſit inebriari inter rivos ejus, tamen in ſtillicidiis ejus laetetur germinans, dum ex bene ordinata vita conjugatorum provenit germen beatorum beneque diſciplinatorum filiorum ſeu filiarum & fructus bonorum operum. Deſcendant haec ſtillicidia ſuper terram, & germinare eam faciant. *Rorate vos caeli deſuper, & nubes pluant juſtum. Aperiatur terra & germinet ſalvatorem*. Aperiatur ſanae doctrinae acquieſcendo, & germinet ſalvatorem Chriſtum, Dei virtutem & Dei ſapientiam in ſuis fructibus oſtendendo. Deſcendat haec ipſa Dei virtus & Dei ſapientia ſicut pluvia in vellus & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram; ut & ex pluvia hujuſmodi vellus virginalis propoſiti repleatur, & in ſtillicidiis ejus laetetur germinans terra conjugatorum, ex hoc utique laudabilis quod etſi non penitus abſtinet a vino, in quo eſt luxuria, quomodo virginitas a tali vino eſt omnino aliena, tamen frumentum electum & vinum germinans virgines in fructu ejus invenitur, dum plebs benedicta ex legitimo conjugio naſcitur, qualis fuit homo miſſus a Deo natus de legitimo conjugio beatus Iohannes vinum & ſiceram non bibens & omne immundum non manducans; in cujus nativitate quia multi gaudebant, laetabatur & ipſe germinans terra frumentum hoc electum tantae laetitiae fore cauſam. Vultis audire quae vox exultationis & laetitiae in terra illa ſonuerit? *Benedictus Dominus Iſraël quia viſitavit & fecit redemptionem plebis ſuae*, ait pater pueri. Et ad ipſum puerum faciens apoſtrofam, *Tu*, inquit, *puer*, *Propheta altiſſimi vocaberis. Praeibis enim ante faciem Domini parare vias ejus*. Memor ſane fuit promiſſionis angelicæ qua dictum fuit. *Ipſe praeibit ante illum in ſpiritu & virtute Heliae parare Domino plebem perfectam*. Gratulabatur & mater, atque vicini ejus congratulabantur ei, ut verus comprobaretur ſermo angeli dicentis: *Et multi in nativitate ejus gaudebunt*. Iocundum ſpectaculum videre in una domo fluvium Dei repletum aquis, dum filius adhuc ex utero matris repletus eſt ſpiritu ſancto, & rivos ejus inebriatos, dum parens nati meritis uterque abdita pandit, & terram in ſtillicidiis ejus lætantem, dum vicini lætantium parentum congratulabantur eis. Et primo quidem adventu in mundum filii Dei ſibi ædificantis domum praecurſoris unius in anguſto Iudaeae loco ſuffecerit praeconium. Sed nunc ante ſecundum adventum, cujus illuſtratione Antichriſtus praecipuus princeps Babyloniae deſtruendus, & templum ab illo deſtructum reconſtruendum eſt, non unus puto ſufficiet praeco; ſed ut in ore duorum teſtium ſtet omne verbum, duo teſtes, duae olivae, duo candelabra, duae lucernae ardentes & lucentes exiguntur ad fugandas tenebras per Antichriſtum ſeminatas & in toto mundo ſparſas. De his duobus teſtibus & ſecundi adventus praeconibus magni & ſancti patres varia dicunt. Nam plures, quorum beatus Gregorius eſt præcipuus, Heliam & Enoch aſſerunt corporaliter venturos & cum Antichriſto pugnaturos atque ab illo corporaliter interficiendos. Alii, quorum vir illuſtris Hieronymus eſt praecipuus, Moyſen & Heliam duos jam deſignatos teſtes interpretantur, qui cum Domino in monte apparuerunt, quos & Malachias nominatim exprimit dicens: *Mementote legis Moyſi ſervi mei quæ mandavi ei in Horeb ad omnem Iſraël præcepta & judicia. Ecce ego mittam vobis Heliam Prophetam antequam veniat dies Domini magnus & horribilis; & convertet cor patrum ad filios & cor filiorum ad patres eorum; ne forte veniam & percutiam terram anathemate*. Locum hunc pertractans beatus Hieronymus ait inter cetera: *Poſt Moyſen, cujus mandata ſpecialiter docuimus eſſe ſervanda, Heliam dicit eſſe mittendum, in Moyſe legem, in Helia prophetiam ſignificans, dicente Abraham ad quendam divitem purpuratum: Habent Moyſen & Prophetas. Audiant illos. Et Dominus atque ſalvator transfiguratus in monte loquentes ſecum habet Moyſen & Heliam in candidis veſtibus, qui & dicebant ei quæ paſſurus eſſet in Jeruſalem. Lex enim & omnis Prophetarum chorus Chriſti prædicat paſſionem. Igitur antequam veniat dies Domini & percutiat Dominus terram anathemate ſive omnino vel ſubito, ut ſeptuaginta tranſtulerunt, (Hoc enim ſignificat ἄρδην,) mittet Dominus in Helia, qui interpretatur Deus meus, & eſt de oppido Thesbi, quod converſionem & pœnitentiam ſonat, omnem Prophetarum chorum, qui convertat cor patrum ad filios, Abraham videlicet, Iſaac, & Jacob, & omnium Prophetarum, ut credant poſteri eorum in Dominum ſalvatorem, in quem & illi crediderunt. Abraham enim vidit diem Domini, & lætatus eſt. ſive cor patris ad filium, id eſt, cor Dei ad omnem qui ſpiritum adoptionis accepit, & cor filiorum ad patres eorum, ut & Judaei & Chriſtiani, qui nunc inter ſe diſcrepant, pari in Chriſto religione conſentiant. Unde dicitur ad Apoſtolos, qui ſeminarium in toto orbe evangelii prodiderunt: Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii. Si enim Helias non cor patrum ad filios ante converterit & cor filiorum ad patres eorum, cum venerit dies magnus & horribilis, magnus ſanctis, horribilis peccatoribus, percutiet verus & juſtus judex, non caelos, nec eos qui verſantur in caelo, ſed terram anathemate qui faciunt opera terrena. Judaei & Judaizantes haeretici ſunm Heliam putant eſſe venturum & reſtituturum omnia. Unde & Chriſto in evangelio proponitur quaeſtio:*

Quid

Digitized by Google

Quid quod Phariſaei dicunt quod Helias venturus eſt? Quibus ille reſpondit: Helias quidem veniet, ſed ſi creditis, jam venit, in Helia Johannem intelligens. Haec dicente ſancto Hieronymo, non eſt incredibile ſenſu Judaico reprobato Moyſen & Heliam legem eſſe ac prophetam; quibus jam diligenter expoſitis & in omni auditorio totius Eccleſiae propoſitis, quicunque non obedierint, neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent ei, neque ſi Helias corporaliter, ut Judaei & Judaizantes haeretici putant, venerit, credent ei, neque ſi Enoch & Helias, qui, ut beatus Gregorius ait, mortem diſtulerunt, non evaſerunt, viſibiliter appareant, ut cum Antichriſto pugnantes & ejus tyrannidem tolerantes mortis debitum ſolvant, ut plures expectant, credent eis, qui Moyſen & Prophetas non audiunt, qui catholicos doctores in ſpiritu & virtute Moyſi & Heliae loquentes contemnunt, qui de oppido Theſbi, quod interpretatur converſio vel pœnitentia, ſurgentes & ſuo exemplo alios ad converſionem & pœnitentiam provocantes deſpiciunt & ſequi nolunt. Hi denique non ſuper flumina Babylonis reſidentes flendo in captivitate ſuſpirant, ſed eiſdem fluminibus immerſi velut piſces, de reaedificando nido ſanctae civitatis & templi non curant. Attamen hi qui ſuper flumina Babylonis more avicularum ſedent, nidum ſuum requirent canendo aſſidue. *Te decet hymnus Deus in Sion, & tibi reddetur votum in Hieruſalem. Exaudi orationem meam.* Illis ergo incipientibus proficiſci ne deſint praecones aut praecurſores Moyſi & Heliae vel Aggaeo & Jeremiae, vel ſecundum aliorum ſenſum Enoch & Heliae conſimiles, in ſpiritu videlicet & virtute iſtorum loquentes & agentes, flumen Dei repletur aquis in viris omnino ſpiritalibus, & ut illi multiplicati abundent, in ſtillicidiis ejuſdem fluminis rigata laetabitur germinans terra, ſecundum illius benedictionis gratiam qua dictum eſt in principio: *Germinet terra herbam virentem & afferentem ſemen lignumque pomiferum ſecundum genus ſuum.* Nulla in hac enuntiatione mentio eſt vel ſpinarum vel tribulorum quibus terra maledicta eſt poſt peccatum, Deo dicente: *Cum operatus fueris terram, non dabit fructus ſuos, ſed ſpinas & tribulos germinabit tibi.* Talibus in germinibus non laetabitur germinans terra peccato primi parentis Adae polluta propter verbum peregrinationis a diabolo per ſerpentem ſuſurratum. Nam ex quo dictum eſt mulieri *Multiplicabo aerumnas & conceptus tuos* ita ſunt multiplicata genimina viperarum, filii nequam, filii irae, filii gehennae, ut in eorum multitudine peregrina eſſet paucitas electorum; in quibus germinandis terra muliebris conditionis erat pene ſterilis, multiplicatis aerumnis & conceptibus malorum filiorum, quos tanquam ſpinas & tribulos ultro germinavit maledicta terra illa feminea pene ſterilis bonorum & fertilis malorum germinum uſque ad illum *benignitatis tuae & campi tui replebuntur ubertate.* Annus benignitatis eſt quo apparuit benignitas & humanitas ſalvatoris noſtri Dei, non ex operibus juſtitiae quae fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſalvos nos faciens per lavacrum regenerationis & renovationis, qui perditi eramus per fœditatem generationis & culpas antiquae praevaricationis. Unde etiam ſanctus vir in benedictione dulcedinis præventus, qua benedixerat Deus ante peccatum primis parentibus dicens *Creſcite & multiplicamini & replete terram*, tamen conqueritur dicens: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* Sed quia incerta & occulta ſapientiae Dei Deo manifeſtante cognoſcens non ignoravit ſe de benedictione potius quam de maledictione ad mulierem facta in mundum veniſſe ad abolendas maculas carnalis conceptionis & generationis, prophetat ſibimetipſi lavacrum regenerationis dicens: *Aſperges me, Domine, hyſſopo, & mundabor; lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.* Igitur iſte, licet natus ante annum benignitatis, pertinere ſe tamen demonſtrat ad hunc annum fertilem cujus tota corona per circulum ſuae revolutionis eſt benedicta & copioſae ubertatis fructibus referta, ſecundum quod ſcriptum eſt: *Apprehendet meſſium tritura vindemiam & calcator uvæ mittentem ſemen.* Quod eſt dicere. Tanta erit meſſium copia in horrea Domini congreganda ut multitudine ſegetum conſiderata ſit rogandus Dominus mittere vel eicere operarios multos in meſſem multam; quibus metentibus ac triturantibus, prae nimia copia frugum prolongabitur opus metentium ac triturantium uſque ad vindemiam, in qua calcator uvae plurimae diu occupatus apprehendet mittentem ſemen ad alterius meſſis praeparationem; qua tandem finito & in ſe reducto anno benignitatis, colligentur omnia zizania uſque ad illam meſſem toleranda. Ecce ſic benedicetur anni hujus corona, ut per totum ejus circulum redundet copia nunc metentium ſeu triturantium, nunc vindemiantium vel uvas calcantium, denuoque ſeminantium, ſine interceptione tam jocundæ agriculturae. Tempus primae meſſis illud intelligitur quo dominus meſſis ait primis meſſoribus: *Levate oculos veſtros, & videte regiones quia albæ ſunt jam ad meſſem.* Item: *Meſſis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo dominum meſſis ut mittat operarios in meſſem ſuam.* Tunc enim convertendae, non ſolum multitudinis credentium ex Judaeis, quibus cor unum & anima una erat futura, ſed etiam multitudinis gentium vivas aquas petentium tempus inſtabat, quando ex occaſione Samaritanae unius converſae ac civium de illa civitate ad ſe venientium dominus meſſis iſta loquebatur, qui tunc in hujuſmodi primitiis totam gentium ſegetem quaſi maturam ad meſſem contemplabatur, ad eandem contemplationem vocans diſcipulos, quibus dixit: *Nonne vos dicitis, Adhuc quatuor menſes ſunt, & meſſis venit?* Quo dicto quaſi reprobato, *Levate*, inquit, *oculos veſtros, & videte regiones quia albae ſunt jam ad meſſem. Ego miſi vos metere quod vos non laboraſtis. Alii laboraverunt, & vos in labores eorum introiſtis.* Multi enim Reges & Prophetae voluerunt videre quae datum eſt videre Apoſtolis, & non viderunt; ſed aratrum longanimis expectationis tenendo, meſſorem quidem comprehenderunt, quia uſque in ipſius adventum fidei ac ſpei ſuae oculos intenderunt, quibus & diem ejus videntes exultaverunt a longe illum ſalutando, & completa eſt per eos prophetia dicens: *Comprehendet arator meſſorem:* Veruntamen ipſi non introierunt in meſſem, quia dies eorum velociores erant curſore, ut ſanctus Job conqueritur. Ipſe quoque ultimus arator Johannes Baptiſta, qui manibus etiam corporalibus comprehendit baptizando ipſe miles Regem, ſervus dominum, tamen oſtendit ſibi eſſe denegatum cum ſanctis Apoſtolis aliiſque idoneis meſſoribus poſt Chriſtum ambulare atque calciamenta ejus portare in agro frugibus pleno, cujus odorem Patriarcha Iacob a longe praeſenſerat. Sed nec ipſe nec aliquis mortem Chriſti praecedentium granum illud vidit multiplicatum, quod necdum in terram cadens erat mortuum, quodque primi Apoſtolorum oculi beati viderunt multum fructum attuliſſe, multiplicato & dilatato credentium numero uſque ad ultimum terrae, ut in ſemine Abrahae benedicerentur omnes tribus terrae. Quod licet ipſi Abrahae fuerit promiſſum, tamen oculis ejus non fuit praeſentialiter exhibitum: quia nondum venerat annus benignitatis, cujus tota corona, totus circulus abundantia fructuum plenus eſt. Sic ergo meſſores Apoſtoli alienos labores introgreſſi multitudines gentium congregaverunt in horrea dominica. Et adhuc illis in tali meſſe manipulos colligentibus, comprehendit eos vindemia, & calcator uvae primus Nero botros electos Petrum & Paulum, deinde ceteros ad paſſionum torcularia paratos & maturos calcavit. Sic poſt illum frequentata perſecutione calcator uvae non defuit quoadusque mittentem ſemen comprehendit: quia videlicet poſt martyrum dira certamina, in ſanctis confeſſoribus atque docto-

ribus

Digitized by Google

ribus toto terrarum orbe multiplicatis, per manifeſtatas utriuſque teſtamenti expoſitiones exiit qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum. Et bonum quidem ſemen ſeminavit in agro ſuo. Sed cum dormirent homines ejuſdem agri cuſtodes, inimicus homo ſuperſeminavit zizania in medio tritici, & abiit. Vbi ergo utraque ſimul creſcunt, ſimul quoque jubente Domino toleranda ſunt. Aut ubi zizania nimis praevalentia triticum ſuffocant, & ſola ipſa occupare nituntur agrum Domini, non eſt cauſa cur eis parcatur, ſicut illic ubi utriſque ſimul creſcentibus cavendum eſt ne dum eradicantur zizania, eradicetur ſimul & triticum illis intermixtum. Sic plurimae ſectæ pravæque doctrinae ob hoc ſunt eradicatae ac judicio ſynodali damnatae, quia ſimul cum illis triticum non potuit creſcere. Secta vero clericorum ſub nulla regula vel ſynodali vel cœnobitali viventium falce apoſtolica multotiens invenitur putata ex quo tempus putationis advenit, quia enormitas veſtium & ceterarum exordinationum decretis apoſtolicis a talibus reſecatur. Sed niſi penitus eradicetur, & regula illa minime authentica, in qua gloriantur, omnino condemnetur, bonum ſemen regularum ſanctarum & paternarum traditionum ſuffocatur. Quae denique neceſſitas eſt in praecipuis & matricibus Eccleſiis profiteri clerum ſe ſervaturum regulam in curia Regis conflatam; quae dum ſanis patrum doctrinis eſt intermixta & modico regalis conceſſionis fermento corrupta, quaſi vinum felle mixtum, quod cum guſtaſſet Dominus, noluit bibere, ſine dubio eſt repudianda ſuoque nomine privanda, ne videlicet nominetur canonica regula quae ſacris canonibus invenitur contraria & eſt in decretis Vrbani Papae exinde omnino praedamnata. Cum enim ille inſignis martyr auctoritate apoſtolica ſuis decretis rebus Eccleſiae legem deſcribat ſecundum quam eas diſpenſandas eſſe conſtat, videlicet clericis communi vita viventibus & ceteris pauperibus, nullius momenti eſt regalis & laicalis poteſtas ad ſtatuendum contraria: quia, ut Symmachus Papa ſuis decretis affirmat, *laicis, quamvis religioſis, nulla unquam legitur attributa facultas in diſponendis eccleſiaſticis*. Fuerit ergo, ſicut fertur, pius agnomento & re ille Imperator Ludewicus, qui res cujuſque matricis Eccleſiae communi vita viventibus & pauperibus deſtinatas diſtribui conceſſit divitibus & de ſuo abundantibus. Pluris mihi eſt auctoritas apoſtolica in decretis Vrbani Papae ac martyris de rebus Eccleſiarum ſatis evidenter expreſſa & ſub interpoſitione damnationis ita firmata ut nulli, ne dicam laicorum, ſed nec Epiſcoporum, ſit liberum ſtatutis ejus aliquid contrarium ſtatuere. Ipſe denique de praeſignatis rebus Eccleſiae aliter quam ipſe deſcribit agentibus judicium Ananiae & Saphirae intentat cum tanto damnationis pondere ut quod illi pro defraudatione rerum talium paſſi ſunt in corpore ſequaces eorum patiantur in anima, cujus mors morte corporis magis eſt pavenda. Praemiſſa enim confirmatione communis vitae in clero per matrices Eccleſias a tempore Apoſtolorum uſque ad ſua tempora conſervatae, quam & futuris ſemper temporibus affirmat in eis conſervandam, de rebus Eccleſiae dat ſententiam in omni Eccleſia ſervandam & in nulla Regum curia mutandam. *Ipſae*, inquit, *res ſingularum parrochiarum in actione Epiſcoporum, qui locum tenent Apoſtolorum, erant & ſunt uſque adhuc & futuris ſemper debent eſſe temporibus; e quibus Epiſcopi & fideles diſpenſatores eorum omnibus communem vitam degere volentibus miniſtrare cuncta neceſſaria debent, prout melius potuerint, ut nemo in eis egens inveniatur. Ipſae enim res fidelium oblationes appellantur, quia Domino offeruntur. Non ergo debent in alios uſus quam Eccleſiaſticos & praedictorum Chriſtianorum fratrum vel indigentium converti; quia vota ſunt fidelium & pretia peccatorum, atque ad praedictum opus explendum Domino traditae. Si quis autem, quod abſit, ſecus egerit, videat ne damnationem Ananiae & Saphirae percipiat & reus ſacrilegii efficiatur*. Hæc dicente ſancto Vrbano, lex poſita eſt eccleſiaſtico ſtipendio ex apoſtolicorum actuum principali exemplo; ſecundum quam legem qui voluerint & potuerint militare, accipere debent ſtipendium ſuae militiae. Quia vero non omnes capiunt hoc verbum ut communis vitae ſimulque continentiae propoſitum nemini per violentas & iniquas angarias imponendum ſponte arripiant qui computantur in clero, hujuſmodi quoque fragilibus apoſtolica diſcretio condeſcendit, cum beatus Papa Gregorius Auguſtino Anglorum Epiſcopo ſcribens, poſtquam regulam vitae communis a ſanctis Apoſtolis Chriſto auctore conſtitutam clero in congregatione viventi aſſignavit, & praedicto Epiſcopo una cum ſibi commanentibus clericis obſervandam commendavit, etiam de inferioris ordinis clericis idem beatus adjunxit. *Si qui vero ſunt clerici extra ſacros ordines conſtituti qui ſe continere non poſſunt, ſortiri uxores debent & ſtipendia ſua exterius accipere. Et quia de eiſdem patribus de quibus praefati ſumus novimus ſcriptum quod dividebatur ſingulis prout cuique opus erat, de eorum quoque ſtipendio cogitandum atque providendum eſt, & ſub eccleſiaſtica regula ſunt tenendi, ut bonis moribus vivant, & canendis pſalmis invigilent, & ab omnibus illicitis cor & linguam & corpus Deo auctore conſervent*. Notandum quia non ſub canonica vel apoſtolica vel ſub eccleſiaſtica regula clericos conjugatos tenendos affirmat ſanctus Gregorius, quam ſuccincta comprehendens, *bonis*, inquit, *moribus vivant, & canendis pſalmis invigilent, & ab omnibus illicitis & cor & linguam & corpus Deo auctore conſervent*. Hujuſmodi clericis Chriſtiana regula informatis & extra congregationes foris accipientibus congrua ſtipendia, non confunditur congregatio in unum collecta ea confuſione quam invenimus in regula Regis Ludewici; quae cum ſanctiſſima communis vitae contineat multa inſtituta, tamen in hoc invenitur confuſa quod eiſdem clericis quibus illic ordinantur cœnobia vel clauſtra permittuntur quoque habitacula privata & propria. Quod quid eſt aliud quam oppoſitio in adjecto, ut alterum deſtruatur ex altero; ſicut cum dicitur animal mortuum, per id quod animali adicitur mortuum, conſequitur tali adjecto animal deſtructum. Nam ſi eſt mortuum, non eſt animal, quia rei vivæ nomen eſt animal. Similiter cum diſpoſito jam clauſtro clauſtrique portis & cuſtodiis, ejuſdem clauſtri habitatoribus domus privata & propria relinquitur & quadam quaſi pia condeſcenſione pii Regis indulgetur, tota clauſtralis diſpoſitio confunditur & corrumpitur, tanquam ſi multo vino parum veneni addatur, ut illud vae damnationis aeternae ſuavius bibatur quod ſcriptura indicat dicens: *Vae peccatori terram ingredienti duabus viis*. Annon duabus viis incedunt qui ſecundum conceſſionem talis regulae congregationis inſtituta ſimul cum privatae domus indulgentia ſuſcipiunt? Eſt quoque illud reprehenſibile in praefata regula quod in primo ejus capitulo evangelica ſummae perfectionis hortamenta, ut eſt, *Vade, vende quae habes, & da pauperibus, & veni ſequere me*, ceteraque his ſimilia ſolis monachis aſſignantur, & per quaedam inferiora baptizatis in Chriſto cunctis communiter ſervanda ſimul indiſtincte informantur clerici aeque ut ceteri Chriſtiani. Decet ſane potius in aula regia quam in ſede apoſtolica fabricata eſſe talia documenta: quoniam ſicut ſcripſit Rex Antiochus omni regno ſuo ut eſſet omnis populus unus, ita Rex Ludewicus, exceptis tantummodo monachis clerum ſocians populo ſcripſit, vel cuiquam ex capellanis ſuis clerico ſcribenti conſenſit & ipſe omni regno ſuo ut eſſet omnis populus unus, fieretque ſicut populus, ſic ſacerdos. Meliora ergo ſunt legis quam regis mandata, quoniam in lege tribus Levi legitur a reliquis tribubus omnino ſegregata ac terrena hereditate privata; & benedictionem dans novae legis lator verbi ſui miniſtros & diſpenſatores myſteriorum Dei voluit & docuit, non ſolum a populo communis Chriſtianiſmi, ſed etiam a coetu ſpiritalis & monaſtici propoſiti ſegre-

gan-

Digitized by Google

gandos, ita ſcilicet ut non omnes monachi fiant clerici, ſed ex his tantummodo electi & ſegregati quadam praerogativa ſanctius inter ceteros converſandi. Ideo Paulus Apoſtolus ſegregatus in evangelium Dei gloriatur in Domino ſe una cum Barnaba, ſicut in actibus Apoſtolorum legitur, in opus evangelizandi ſegregatum, non ſolum a ſeculariter viventium & conjugio utentium laxo propoſito, ſed etiam a communi vita viventium ſtricto & quaſi monaſtico inſtituto. Miniſtrantibus enim diſcipulis & jejunantibus dixit ſpiritus ſanctus: *Segregate mihi Paulum & Barnabam in opus ad quod aſſumpſi eos.* Proinde omnis doctrina conjungens quod Deus ſeparavit, aut ſeparans quod ipſe conjunxit, ut praefati Regis inſtitutio ſeparans a monachis clericos in ſanctitatis propoſito, quos Deus eiſdem adjunxit, & quantum ad ſacerdotale pertinet officium, ſuperextulit, conjungens clericos populo, quos ab eo diſtinguit ſermo divinus, ut paſtores bipedes erecto vultu ſupinos a grege quadrupede in humum prono, ut nubes in alto volantes in terra deorſum jacente ac de altis nubibus imbrem ſitienti, omnis inquam talis doctrina ſimilis eſt, non flumini cujus impetus laetificat civitatem David, ſed aquae turbidae quam, ſicut legitur in Apocalypſi, miſit draco de ore ſuo tanquam flumen poſt mulierem quae peperit maſculum gentes omnes recturum, ut eam faceret trahi a flumine. Sed aperuit terra os ſuum, & abſorbuit flumen adjuvando mulierem. Sic non ſolum in abſorbenda haeretica doctrina os apertum eſt veram fidem adſtruentium doctorum, ſed etiam in abſorbenda praefata regula turbidae aquae aſſimilata os terrae non ſemel apertum eſt. Sed adhuc flumen ejus non penitus eſt abſorptum vel manifeſta damnatione cauteriatum, nec repudiatum prout oportet repudiari ſacrificium, etſi recte oblatum, non tamen recte diviſum, ſed nimis confuſum, dum in ſanctitatis obſervantia clerici a monachis diſtinguuntur, & populo ab eis regendo nimis confuſe junguntur. Multo rectius obtulit rectiuſque diviſit Urbanus Papa ſecundus de ordine canonico ſcribens regularibus Clericis in hunc modum. *Oportet nos, qui licet indigni, Petri reſidemus in loco, prava corrigere, recta firmare, & in omni Eccleſia ad interni arbitrium judicis ſic diſponenda diſponere ut de vultu ejus judicium noſtrum prodeat & oculi noſtri videant aequitatem. Omnipotenti ergo Domino, cujus melior eſt miſericordia ſuper vitas, gratias agimus quod vos eſtis qui ſanctorum patrum vitam probabilem renovatis & apoſtolicae inſtituta diſciplinae in primordiis Eccleſiae ſanctae exorta, ſed creſcente Eccleſia jam pene deleta, inſtinctu ſancti ſpiritus ſuſcitatis. Duae enim ab Eccleſiae ſanctae primordiis vitae ejus filiis ſunt inſtitutae, una qua infirmorum debilitas retinetur, altera qua fortiorum virtus beata perficitur; una remanens in Segor parvula, altera ad montis altiora conſcendens; una lacrymis & eleemoſynis cotidiana peccata redimens, altera cotidiana inſtantia merita aeterna conquirens. Alteram tenentes inferiorem terrenis bonis utuntur, alteram ſequentes ſuperiorem terrena bona deſpiciunt & relinquunt. Haec autem quae a terrenis divertitur, in duas divertitur, in duas pene unius ejuſdem propoſiti dividitur portiones, Canonicorum ſcilicet atque monachorum. Harum ſecundam per divinam miſericordiam frequentata ſatis jam ſeculo univerſo elucet. Prima vero decaleſcente fervore fidelium, jam pene omnino defluxit. Hanc martyr & Pontifex Urbanus inſtituit, hanc Auguſtinus ſuis regulis ordinavit, hanc Hieronymus ſuis epiſtolis informavit, hanc Gregorius Auguſtino Anglorum Archiepiſcopo inſtituendam praecepit. Itaque non minoris aeſtimandum eſt meriti hanc vitam Eccleſiae primitivam aſpirante ac proſequente Domini ſpiritu ſuſcitare quam florentem monachorum religionem ejuſdem ſpiritus perſeverantia cuſtodire.* Cum in his dictis Romani Pontificis Eccleſia tota ſuis ordinibus diſtincta cautiſſime deſcribatur, nuſquam in ea comprehenditur vita clericorum ſecundum regulam Regis Ludewici converſantium, vel potius eandem regulam in potioribus inſtitutis praevaricantium. Sic abſorpti ſunt juncti petrae judices iniqui, deformantes ordinem cleri antiquitus bene informatum & ſupra petram firmiter fundatum. Bibamus ergo de ſpiritali, conſequente nos petra in Petri Apoſtoli ejuſque ſucceſſorum puriſſima doctrina; & caveamus bibere de flumine turbido quod miſit draco de ore ſuo in omni ſeductione peſtiferae doctrinae, qualis invenitur non ſolum in erroribus haereticorum fidei ſinceritatem commaculantium, ſed etiam in doctrinis hominum ſecularium Chriſtianae converſationis puritatem prava confuſione perturbantium, quae Deus conjunxit ſeparantium, vel quae ſeparavit conjungentium. Cum enim ſcriptum ſit, *Moyſes & Aaron in ſacerdotibus ejus*, non incongrue transfigurato Domino in monte per Moyſen accipitur ordo clericorum, & per Heliam primum ſolitarium ſacer ordo monachorum, quos duos in unius montis celſitudine ſibi Chriſtus utriuſque ordinis auctor conjunxit, quos & in ſemetipſo evidenter expreſſit, cum jejunans in deſerto quaſi monachus fuit in ſilentio, & poſtmodum quaſi Pontifex erat cotidie docens in templo. De his duobus ordinibus inſignis doctor Ambroſius loquens in epiſtola Vercellenſibus miſſa dicit inter cetera: *Duo haec in attentiore Chriſtianorum devotione praeſtantiora eſſe quis ambigat, clericorum officia, & monachorum inſtituta? Iſta ad comitatem & moralitatem & diſciplinam, illa ad abſtinentiam aſſuefacta atque patientiam. Haec velut in theatro, illa in ſecreto. Spectatur iſta, illa abſconditur. Ideo bonus athleta ait: Spectaculum facti ſumus huic mundo & angelis & hominibus. Dignus ſane qui ſpectaretur ab angelis cum luctaretur ut ad braviam perveniret, cum certaret ut in terris vitam angelorum inſtitueret, in caelo nequitiam angelorum refelleret. Colluctabatur enim nequitiis ſpiritalibus. Merito mundus eum ſpectabat ut mundus eum imitaretur. Haec vero vita in ſtadio, illa in ſpelunca. Haec adverſum confuſionem ſeculi, illa adverſus carnis appetentiam. Haec ſubiciens voluptates corporis, illa refugiens. Haec gratior, illa tutior. Haec ſeipſam regens, illa ſemetipſam coërcens: utraque tamen ſe abnegans ut fiat Chriſti, quia perfectis dictum eſt: Qui vult venire poſt me.* & cetera. Vides quomodo beatus Ambroſius ad perfectionis apicem ſua doctrina informat tam clericorum quam & monachorum ordinem. Quod non facit illa regalis regula in domibus Regum fabricata & apoſtolicis doctrinis contraria, ut oſtendunt praemiſſa Vrbani Papae ſanctique Ambroſii teſtimonia. Beatae quoque memoriae Papa Paſchalis contra praefatam regulam bene os ſuum aperuit in tractatu quem Canonicis ſanctae Mariae in portu firmavit; cujus hoc eſt primum capitulum.

„ Clericorum ordinem in Eccleſia tribus Leviticae
„ locum tenere & apoſtolicae dignitatis jura ſervare
„ & officia gerere nemo ſanum ſapiens dubitat.
„ Vnde certum eſt eos Levitarum & Apoſtolorum
„ regulas & vitas imitari debere quorum noſcuntur
„ locum tenere, dignitatem habere, & officia gere-
„ re. Quae enim lex Levitis, & quae a Domino
„ regula datur Apoſtolis, haec eadem catholicis pa-
„ riter clericis uſque in finem mundi vices eorum
„ ſupplentibus indicta nequaquam ambigitur. Equi-
„ dem quod Levitis interdicitur adhuc in umbra gra-
„ dientibus, quomodo nobis conceditur jam in ve-
„ ritate perſiſtentibus, cum multa legamus illis fu-
„ iſſe conceſſa quae nobis proculdubio ſunt prohi-
„ bita? Aaron itaque & filiis ejus ceteriſque Levitis
„ a Domino dicitur: *In terra filiorum Iſraël nihil*
„ *poſſidebitis, nec habebitis partem inter eos. Ego e-*
„ *nim pars & hereditas veſtra in medio filiorum*
„ *Iſraël.* Et paulo poſt ſubſequitur: *Filiis Levi dedi*
„ *omnes decimas Iſraëlis in poſſeſſionem pro miniſterio*
„ *quo ſerviunt mihi in tabernaculo fœderis.* Et de
„ eiſdem poſt pauca: *Nihil aliud poſſidebunt, deci-*

„ ma-

marum oblatione contenti, quas in uſus eorum & neceſſaria ſeparavi. Et haec quidem in veteri. In novo autem teſtamento quid cuique ſui diſcipulatus perfectioni adhaerere volenti dixerit audiamus. *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quae habes, & da pauperibus, & veni, ſequere me*. Et alibi: *Qui non renunciat omnibus quae poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus*. Et in alio loco eum ad praedicandum mitteret, prohibuit eis dicens: *Nolite poſſidere aurum vel argentum*. Quod ſe Petrus impleſſe evidenter oſtendit dicens: *Argentum & aurum non eſt mihi*. Hoc etiam ceteros Apoſtolos feciſſe teſtatur idem Petrus eum pro ſe & aliis condiſcipulis ſuis interrogat Dominum dicens: *Domine, ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te. Quid ergo erit nobis?* Cui & in quo omnibus idem facientibus reſpondens Dominus dicit: *Amen dico vobis, quia vos, qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me, in regeneratione, cum ſederit filius hominis in ſede majeſtatis ſuae, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim judicantes duodecim tribus Iſraël. Et omnis qui reliquerit domum aut patrem aut matrem aut fratres aut ſorores aut agros pro nomine meo, centuplum accipiet, & vitam aeternam poſſidebit*. Haec Levitis & haec Apoſtolis mandata ſunt. Utriſque una regula & eadem lex praecipitur. Utriſque poſſeſſio tollitur, terrena facultas interdicitur. Qui ergo alii regula & lege iſta tenentur niſi clerici, qui Levitarum Domini & diſcipulorum Chriſti locum tenent, miniſterium implent, vices ſervant, ordines habent? Ad hoc etiam mandatum tenendum & perpetuo implendum Eccleſiis ſuis pretia peccatorum, vota & oblationes fidelium, primitias ac decimas rerum dari Deus inſtituit; quatenus hi qui divino cultui mancipati propriis facultatibus expolientur, ſibi ſtatuta perpetuo ſtipendia habeant unde vivant, Eccleſiae ſerviant, & pauperum neceſſitatibus ſubminiſtrent, atque ſtudioſius quaeque ſui ordinis miniſteria impleant, nulliuſque rei vel neceſſitatis occaſione ab his unquam ſe ſeparent, aut ſecularibus negotiis intendant. Ex his igitur patenter oſtenditur Chriſto militantibus clericis fore illicitum & terrenas facultates tenere & res Eccleſiae ſumere, in ſeculo patrimonium habere & Eccleſiarum portionem ſuſcipere. Cui ſententiae confirmandae aptatur illud Apoſtoli: *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus, ut ei placeat cui ſe probavit*. Et illud Salomonis: *Vae peccatori terram ingredienti duabus viis*. Quapropter qui Chriſti diſcipulatum ſequi voluerit, ſecularibus negotiis renuntiare debebit; & qui ſemel ſacer effectus de ſacro vivere coeperit, jam ad vivendum ſacris uti praecipitur. Sed ne ſoli hoc ſuper vita & regula catholicorum clericorum videamur ſentire, accedant & alii teſtes in idem conſentientes viri religioſiſſimi & ſcientia pleniſſimi, Hieronymus videlicet, Auguſtinus, & Proſper, & quid ſuper hôc dixerint vel intellexerint audiamus. Hieronymus ad Nepotianum de vita & moribus clericorum inter cetera ſcribit dicens: *Clericus qui Chriſti ſervit Eccleſiæ, interpretetur primo vocabulum ſuum, & nominis definitione prolata, nitatur eſſe quod dicitur. Si enim cleros Graece, Latine ſors appellatur, propterea vocantur clerici quia de ſorte ſunt Domini, vel quia Dominus ipſe ſors id eſt pars eorum eſt. Et quia vel ipſe clericus pars Domini eſt vel Dominum partem habet, talem ſe exhibere debet ut ipſe poſſideat Dominum & ipſe poſſideatur a Domino. Qui poſſidet Dominum, & cum Propheta dicit Pars mea Dominus, nihil extra Dominum habere poteſt. Quod ſi quippiam aliud habuerit praeter Dominum, pars ejus non erit Dominus. Verbi gratia, ſi aurum, ſi argentum, ſi poſſeſſiones, ſi variam ſupellectilem, cum iſtis partibus Dominus pars ejus fieri non dignatur. Si autem ego pars Domini ſum & funiculus hereditatis ejus, nec accipio partem inter ceteras tribus, ſed quaſi Levita & ſacerdos vivo de decimis, & altari ſerviens altaris oblatione ſuſtentor, habens victum & veſtitum, his contentus ero, & nudam crucem nudus ſequar*. Et poſt pauca in eadem epiſtola ſcribit eidem dicens: *Procuratores atque diſpenſatores domorum alienarum atque villarum quomodo poſſunt eſſe clerici, qui proprias jubentur contemnere facultates?* Huc uſque Hieronymus. Auguſtinus autem in nono decimo capitulo libri de verbis Domini ſic ſcribit dicens: *Venerunt & publicani ad Johannem ut baptizarentur ab eo, & dixerunt ad eum: Magiſter, quid faciemus? At ille dixit eis: Nihil amplius exigatis quam quod conſtitutum eſt vobis. Et poſt pauca. Interrogaverunt eum & milites. Quid faciemus & nos? Ait illis Johannes: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, ſed contenti eſtote ſtipendiis veſtris. Hic jam cognoſcere ſe debet omnis homo qui militat. Non enim tantum de his militantibus ſcriptura loquitur qui armata militia detinentur; ſed quiſquis militiae ſuus cingulo utitur, dignitatis ſuae miles aſcribitur. Atque ideo haec ſententia poteſt dici, verbi gratia militibus & protectoribus cunctiſque rectoribus & quicunque ſtipendia ſibi publice data conſequitur, ſi amplius quaerit, tanquam calumniator & concuſſor Johannis ſententia condemnatur*. Et paulo poſt addit dicens: *Nam & clericus catholicus hac ſententia retinetur. Si enim non contentus ſtipendiis fuerit quae de altario Domino jubente conſequitur, ſed exercet mercimonia, intercesſiones vendit, viduarum munera libenter amplectitur, hic magis negotiator videtur quam clericus*. & cetera. Quae ut facta ejus loquerentur magis quam lingua, in domo ipſa Epiſcopi ſtatuit monaſterium clericorum, ubi nemini licebat habere aliquid proprium, ſicut ipſe teſtatur dicens: *Volui habere in domo iſta Epiſcopi monaſterium clericorum. Ecce quomodo vivimus. Nulli licet in ſocietate noſtra habere aliquid proprium. Sed forte aliqui habent? Nulli licet. Si qui faciunt, faciunt quod non licet*. Hæc Auguſtinus. Sed nunc quid inde beatus ſenſerit Proſper audiamus. *Proinde quem poſſidendi*, inquit, *delectat ambitio, Deum qui poſſidet omnia quae creavit expedita mente poſſideat, & in eo habebit quaecunque ſancte habere deſiderat. Sed quoniam nemo poſſidet Deum niſi qui poſſidetur ab eo, ſit ipſe primitus Dei poſſeſſio, & efficietur ei Deus poſſeſſor & portio*. Et paulo poſt ſubjungit dicens: *Quid ultra quaerit cui omnia ſuus conditor fit? Aut quid ei ſufficit cui ipſe non ſufficit?* Et poſt pauca in eodem capitulo: *Quis*, inquit, *cui Deus dignatur eſſe poſſeſſio, aliquid aliud quaerit? At quis non pro amore illius omnia quae putantur magna contempsit? Ergo qui Deum vult poſſidere, renuntiet mundo, ut ſit illi Deus beata poſſeſſio: quia quandiu ſua non relinquit, mundo, cujus bona retinet, ſervit; & utique non poteſt mundo ſervire ſimul & Deo. Ac ſic propterea voluit Deus cultores ſuos omnibus renuntiare propter quae diligitur mundus, ut excluſa cupiditate mundi, divina in eis caritas poſſit augeri vel perfici. Et ideo decimas atque primitias frugum primogenita & ſacrificia pro peccato vel vota quae ſibi Deus juſſit offerri, ſacerdotibus ac miniſtris diſtribui debere conſtituit, ut devotiſſimo populo miniſtrante, ipſi creatori ac paſtori ſuo liberius miniſtrarent*. Huc uſque Proſper. Nunc jam igitur iſta de propriis facultatibus renuntiandis ſufficiant. Quod autem, fratres cariſſimi, propriis etiam voluntatibus renuntiare debeatis evidenter Dominus in evangelio oſtendit dicens: *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & ſequatur me. Et qui voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet eam. Et qui perdiderit eam propter me, inveniet eam*. Et in alio loco: *Non veni facere voluntatem meam,*

„ *ſed voluntatem ejus qui miſit me*. Et alibi ſacra
„ perdocemur ſcriptura: *Fili avertere a voluntati-*
„ *bus tuis*. Nam, ſicut alibi dicitur, *voluptas ha-*
„ *bet pœnam, neceſſitas parit coronam*. Et in alio
„ loco praecipitur: *Poſt concupiſcentias tuas non*
„ *eas*. Quas qui ſequuntur, quid de eis per Prophe-
„ tam dicitur audiant: *Corrupti & abominabiles fa-*
„ *cti ſunt in voluptatibus ſuis*. Vnde idem Propheta
„ voce praelatorum ſuſcepta ſcribit dicens: *Subjecit*
„ *populos nobis & gentes ſub pedibus noſtris*. His
„ ergo exemplis, fratres, commoniti, aliis pro Deo
„ ſubeſſe non recuſemus; ſed prorſus noſtris volun-
„ tatibus renuntiatis, Chriſti voluntatem alieno, ſed
„ ſpirituali ac diſcreto arbitrio, exequamur. Quod
„ autem in unaquaque congregatione canonica unus
„ eligendus ſit qui ceteris praeeſſe debeat & uſus
„ eccleſiaſticus divinitus inſpiratus exigit & in ve-
„ teri & in novo teſtamento evidenter oſtenditur,
„ cum Moyſen & poſt Moyſen Joſue omnibus fi-
„ liis Iſraël, & Aaron ceteris Levitis, Petrum quo-
„ que ceteris diſcipulis Dominus praepoſuerit. Qua-
„ lis autem eſſe debeat qui praeſit, trina Domini
„ interrogatio & trina Petri manifeſte monſtrat re-
„ ſponſio. Cum enim paſcendarum ovium cura illi
„ committitur, ter Dominus interrogat Petrum ſi
„ diligat, & ter Petrus reſpondit quia amat, ter
„ Dominus jubet ut paſcat. Trinam igitur Domini
„ interrogationem trina Petri de dilectione reſponſio,
„ & trinam ejus reſponſionem trina paſcendi gregis
„ injunctio ſequitur. Sed nunc quomodo trina di-
„ lectio in eligendis haberi debeat videamus. Tri-
„ nam itaque dilectionem ille habet qui Deum &
„ quae Dei ſunt mente credit & amat, voce con-
„ fitetur & praedicat, opere imitatur & ſervat. Trina
„ autem tunc fit interrogatio cum ſicut debemus ex-
„ quirimus, praevidemus & diſcutimus utrum eli-
„ gendus hanc trinam dilectionem habeat. Quod ſi
„ cordis fidem & dilectionem competens ſermo &
„ actus foris oſtendat, trinae interrogationi jam ſa-
„ tisfecit trina reſponſio. Cui etiam bene ter pa-
„ ſcendi gregis cura injungitur; quia quiſquis oves
„ paſcendas ſuſcipit, cordis jugi vigilantia proſpi-
„ cere, vocis officio monere ac defendere, & a-
„ ctuum exemplis ſemper eas ad Chriſtum debet
„ pertrahere. Illi ergo recte paſcendi gregis cura
„ injungitur qui in mente plenam habet fidem & di-
„ lectionem interius, & in voce perfecte monendi,
„ libere arguendi, prudenter exhortandi ſcientiam &
„ poſſibilitatem exterius, & qui opere quaecunque
„ loquitur ſervat & ſequitur. Nec quiſquam pro
„ qualibet culpa, ſi jam ſatisfecerit, in hoc officio
„ recuſandus eſt, cum & Petro poſt trinae negatio-
„ nis lacrymabilem ſatisfactionem, quia trina in eum
„ dilectio patuit, gregis a Domino injuncta ſit pa-
„ ſtio. Haec igitur trinae dilectionis forma, fratres
„ cariſſimi, in primo paſtore non ab alio quam a
„ Chriſto praeſignata in eligendis eſt praevidenda,
„ non ſolum prioribus, ſed & omnibus perſonis in
„ Eccleſia praeferendis.

Hac uſque verba Paſchalis Papae.

Huic ſcripto in ſede apoſtolica firmato & approbato ſubſcripſerunt primo Paſchalis Papa, deinde Cardinales ſanctae Romanae Eccleſiae, quorum nomina ſunt annotata, Creſcentius Sabinenſis Epiſcopus, Petrus Portuenſis Epiſcopus, Cono Praeneſtinus Epiſcopus, Vitalis Albanus Epiſcopus, Bonifacius Cardinalis ſancti Marci, Deuſdedit Cardinalis ſancti Laurentii, Deſiderius Cardinalis ſanctae Praxedis, Guido Cardinalis ſanctae Balbinae, Petrus Cardinalis ſanctorum Coſmae & Damiani, Petrus Cardinalis ſancti Adriani, Roſſemannus Diaconus ſancti Georgii, Comes Cardinalis Diaconus ſanctae Mariae in Aquiro, Gregorius Cardinalis Diaconus ſancti Angeli, qui poſtmodum effectus eſt Papa dictus Innocentius, Johannes Cardinalis Diaconus ſanctae Luciae.

Quae cum ita ſe habeant, ſi doctrina haec apoſtolica uni tantum congregationi deſtinata, univerſaliter eſſet enuntiata, poterat inde abſorberi aqua multa & turbida ex ore draconis emiſſa, cujus non modica lacuna eſt in illa regula ſaepe notata & adhuc Deo volente amplius notanda & cauterianda. Eſt etenim regula iſta, ni fallor, quaedam de illo flumine magno Euphrate collecta vel egreſſa exudatio, in qua puræ ac turbidæ aquæ Babylonica quædam eſt confuſio. Quid enim purius quam quod in collectario ſententiarum paternarum regulæ huic antepoſitarum vita communis apertiſſime declaratur, in qua ſolis illis quos neceſſitas aut voluntas pauperes fecit ſtipendium competens, prout cuique opus eſt, ordinatur, in qua etiam talis diſpenſator eorundem ſtipendiorum commendatur qui, ut Proſper ait, vel omnia ſua pauperibus diſtribuit, vel Eccleſiae rebus adjunxit? Quid inquam purius hoc documento ſaluberrimo apoſtolicae doctrinae per omnia conſono? Quid vero turbidius eo Sadducaeorum fermento, quo plenum eſt ejuſdem regulae illud capitulum quo praecipitur ut in una eademque congregatione his qui multa ſua poſſidendo divitiis affluunt, & his qui nihil vel parum habendo pauperes ſunt, aequalia dentur ſtipendia? Sed, ut jam dictus Proſper ait, *habenti dare nihil eſt aliud quam perdere; quoniam quod habet Eccleſia, cum nihil habentibus commune debet habere*. Magna utique perditio & filio perditionis, licet necdum revelato, placita inſtitutio agnoſcitur cum res pauperibus debita datur divitibus; & apoſtolicae doctrinae forma non tenetur, cum divitibus & pauperibus æqua portio dari praecipitur. Quae diſtributionis coaequalitas nec inter ipſos veros Chriſti pauperes in congregatione viventes admittenda eſt, quia non aequaliter omnibus victus & veſtitus donandus eſt, cum non omnes aequaliter valeant. Et ideo penſata ſingulorum diligentia, prout cuique opus eſt in hujuſmodi habenda eſt cautiſſima differentia. Quae cum ita ſe habeant, ſuper hujus doctrinam regulae ira Dei de caelo recte creditur quandoque revelanda, & illa phiala iracundiae Dei plena plenius effundenda de qua legitur in Apocalypſi: *Et ſextus angelus effudit phialam ſuam in flumen illud magnum Euphraten, & ſiccavit aquam ejus ut pararetur via Regibus ab ortu ſolis. Et vidi de ore draconis & de ore beſtiae & de ore pſeudopropheta ſpiritus tres immundos in modum ranarum procedere*. Septem angelorum ſeptem phialas iracundia Dei plenas poſt cantum ſeptem angelorum ſeptem tubas habentium legimus effuſas, & tubis quidem ſonantibus plagas magnas, phialis vero effuſis plagas majores invenimus & noviſſimas de quibus dici conveniat: *Ignis accenſus eſt in furore meo & ardens uſque ad inferni noviſſima*. Vbi ergo ſextus angelus tuba cecinit, ſoluti ſunt quatuor angeli qui alligati erant in flumine magno Euphrate, & plaga fuit corripiens populum Dei per quatuor principalia regna mundi ſuo quibus afflicti ſunt Iſrael ſive Iuda per judicium Dei. Non fuit illa plaga de noviſſimis in quibus conſummatur iracundia Dei, quia non animas ſed corpora tradebat talibus angelis, id eſt, regnis terrenis. At vero phiala hic effunditur iracundiae Dei in illud flumen, non ut ſolvantur tales angeli, ſed ut ſiccaretur aqua ejus & pararetur via Regibus ab ortu ſolis. Ergo in aqua fluminis effunditur phiala irae Dei. Et idcirco aquam talem oportet intelligi cui rationabiliter dicatur deberi iracundia Dei. Alias autem, cum & mare & flumina & fontes aquarum in ſanguinem anteriores phialae damnaverint, quid eſt quod flumen Euphrates propriam meretur phialam, niſi quia inter cetera mala quae fiunt ſub ſole, malum quoddam aquae fluminis hujus ſignificatur? Eſt enim malum cujus damnatio in anterioribus phialis per quinque angelos effuſis non invenitur, ſed angelo ſexto reſervatur. quod hic & prius per aquas fluminis illius & deinde per tres immundos ſpiritus in modum ranarum prorepentes ſignificari recte intelligitur. Nimirum malum hoc trifidum eſt; & ejus partes ſunt praeſtigia magorum, commenta philoſophorum, figmenta poëtarum. Eorumque profunda malitia & turbida loquacitas congrue per aquas

Eu-

Digitized by Google

Euphratis ſignificatur, quia videlicet Euphrates Babyloniae flumen eſt, & per eam fluens in multa capita dividitur, quae ipſo quoque nomine ſuo in ſcripturis ſignificare ſolet univerſam generationem impiorum contrariam generationi rectorum, civitatem diaboli contrariam civitati Dei. Babylon quippe interpretatur confuſio. Igitur poſtquam & ſuper flumina fonteſque aquarum phialae effuſae ſunt, effunditur & iſta in Euphratem; quia cum damnationem ſibi acquiſierint tyranni vel Reges impii cum nationibus ſibi ſubditis, qui nomine maris, fluminum, & aquarum notati ſunt, illis quoque ira debetur qui illos dementaverunt erroremque illis auxerunt vaniloquiis immo & ſcripturis ſuis malitiutis, mendacibus, fabuloſis, & omnino falſis, vel, quod pejus eſt, veritate ſimul & falſitate permixtis, quomodo praenotata regula flumini Euphrati paradiſiaco ſimul & Babylonico magna ex parte aſſimilata. Sicut enim fluvius Euphrates de fonte paradiſi venam trahens originis & pluribus adulteratus aquis extraneis fluit per medium Babylonis, illius videlicet aquis connumeratus de quibus captivi cives Jeruſalem dicunt, *Super flumina Babylonis, illic ſedimus & flevimus*, ita multotiens haereticorum doctrina de fonte veritatis aliqua trahens teſtimonia, callide eiſdem permiſcet falſa, ut non tam civibus Jeruſalem captivis quam civibus Babylonis ad bibendum ſapiat hujuſmodi aqua. Similiter & illa de qua loquimur aulica regula, de aula Regis egreſſa, multa in ſuo contextu habet ſana patrum documenta ex dictis orthodoxorum patrum decerpta, vitam communem ſecundum Apoſtolorum doctrinas apte informantia; ſed illis praemiſſis adulterina quaedam ſunt admixta, quibus priorum puritas ita eſt infecta & turbata per neſcio quos aulicos dictatores veris falſa, bonis mala permiſcentes, & prioribus contraria docentes, ut veris civibus Jeruſalem non ſit magis aqua illa potabilis, eo quod arguitur admixtae vanitatis, quam philoſophorum vel poëtarum vel etiam haereticorum ſcripta, quae multa continent vera falſis permixta. Si enim juſto judicio Dei effunditur phiala iracundia Dei plena, non ſolum in terra, quo nomine terreni, & ſuper mare, quo nomine amari, & ſuper flumina, quo nomine voluptuoſi vel furioſi, & ſuper ſedem beſtiae, quo nomine mendaces notantur, ſed etiam in ſolem, quo nomine homines clari & pro ſpecie pietatis oſtentata caelo digni videntur notari, ſi inquam etiam in tales tam claros, tam altos, effunditur phiala irae Dei, ſecundum quod alibi legitur, *effuſa eſt contentio ſuper principes & errare fecit eos in invio & non in via*, atque iden etiam ſuper talium impietatem recte revelatur ira Dei de caelo, non mirum debet videri quod flumini Euphrate non parcitur, quod quamvis de paradiſo egreſſum, de platea Babylonis lutum collegit non modicum, in his potiſſimum doctrinis quae conſcriptae ſunt ad placitum Babylonis civium ſeu principum. Et ideo ſuper tales doctrinas merito ira Dei de caelo eſt revelanda, ut judicentur vel haereticae vel apocryphae ſeu peſtiferae ac mortiferae, ne putentur ſcriptis authenticis & ſanis connumerandae. Scriptura enim ſana, praecipue quae nomen habet regulae, nihil in ſe debet habere fœdum vel tortuoſum, ne ſe ſequentes non tam in viam rectam dirigat quam in invium pravum deducat, ut praenotata regula non recte regens aliquem, atque ideo nomine regulae indigna, contra quam nunc tantopere diſputare illud cogit quod etiam quidam Canonici vitam communem ſecundum regulam beati Auguſtini profeſſi, ex interpoſitione ſermonis beati Auguſtini allecti, eandem ſic acceptant ut in conventibus ſuis eam recitari faciant quaſi authenticam & nullius erroris permixtione infectam, non attendentes eam doctrinae apoſtolicae in multis contrariam. Proinde ſi placet apoſtolicae diſcretioni ut aulica illa ſcriptura in Eccleſiis matricibus teneatur pro clericorum canonica regula, primo ipſius prava in directa fiant, ut aulica edicta edictis apoſtolicis de clericorum vita efficiantur conſona, deciſis inde pravis, & reliquis auctoritate apoſtolica canonizatis. Quae namque ratio eſt ut majores & plures clericorum congregationes regulam profiteantur aulicam nulla ſedis apoſtolicae auctoritate canonizatam, cum plura inveniantur patrum orthodoxorum ſcripta directiſſima quae pro ſui rectitudine haberi poſſunt pro regula tam ad informandam vitam clericorum in congregatione ſub praelatis viventium quam & eorum qui foris poſiti ſecundum canones recte vivendi habent propoſitum ſub regimine antiſtitum? Quod his duobus clericorum generibus amplius eſt, a malo eſt; & affirmante Iſidoro nec inter clericos religioſos nec inter laicos catholicos cenſendum eſt. Et ut ad flumen Babylonis Euphraten reſpiciamus, hujuſmodi clerici, exceptis pauciſſimis, non ſicut aves nidi ſui, quod eſt Jeruſalem, in principio laetitiae ſuae memores flendo ſuper flumina Babylonis reſident, ſed eiſdem aquis velut piſces immerſi, taliter in eis ludunt ut nunquam cogitent revolare ad illum Jeroſolymitanae cohabitationis nidum in quo primis Eccleſiae filiis tanquam bonis pullis erat cor unum & anima una in Deo, nec quiſquam eorum aliquid ſuum eſſe dicebat. Paucis igitur, ut dictum eſt, exceptis, quibus animus eſt converſionis & reverſionis in Jeruſalem, plures eorum contemptis aquis Siloë, quae fluunt cum ſilentio, plus diligunt flumina Babylonis, & aquas turbidas Deo volente per phialam ſexti angeli omnino deſiccandas. Cum enim ſeptima & ultima phiala iracundia Dei plena effuſura ſit iram judicii in aerem, id eſt, in aërias poteſtates, daemones ſcilicet omneſque ipſorum complices, non ab re creditur haec ſexta ſexti angeli phiala deſiccans aquas fluminis Euphrates ultimum judicium praeventura & aquas Babylonicas magis deſiccatura & viam Domino dominorum Regique Regum venturo cum Regibus & Senatoribus ad judicium praeparatura, ſecundum quod dictum eſt ut pararetur via Regibus ab ortu ſolis; quibus utique ad judicium tanto erit via planior, etiam nunc in praeſenti vita, quanto viderint aquas Babylonicas magis deſiccatas, quas nimirum, praeter paucas lacunas, videmus maxima ex parte jam annihilatas. Etenim antequam ſuper aquas hujuſmodi revelaretur de caelo ira Dei per evangelium Chriſti, non poterant eas tranſire Reges ſancti, ſcilicet hi qui principes ſive auctores fuerunt ſcripturarum veritatis, quales dicuntur recte veniſſe ab ortu ſolis, quia non venerunt aut locuti ſunt a ſemetipſis, ſed ut loquerentur quod loquerentur acceperunt ab illuminatione divinitatis. Non poterant aquas illas tranſire Reges iſti, non poterant cum una lingua Hebraica occurrere Graecis facundis diſertiſque Latinis grammaticis, rhetoribus, dialecticis, tot poëtis tragicis, comicis, ſatyricis. Necdum enim flumen Dei repletum erat aquis, necdum rivos ejus inebriavit ſpiritus veritatis, & adhuc pleniſſime redundabant ſuoſque alveos implebant flumina Babylonis, quorum eſt famoſiſſimum illud flumen magnum Euphrates de paradiſo egreſſum & aliis multis aquis adauctum; quia veritatis quibuſdam ſententiis intermixta plura mendacia fabuloſa ita ſonuerunt ut a vocibus aquarum multarum Babylonicarum in hujus mundi mare deſcendentium fierent mirabiles elationes maris, cum necdum appareret mirabilis in altis Dominus, nec teſtimonia ejus credibilia eſſent mundo tot mendaciis dementato & faſcinato, tot aquis Babylonici fluminis inebriato. At ubi venit ille ſpiritus veritatis ut argueret mundum de peccato & de juſtitia & de judicio, nimirum arguendo id quoque effecit ut ſiccarentur tantae aquae tanti tam magni fluminis. Stultam enim fecit hujus mundi ſapientiam. Procedente namque ſapientia Dei & rationem reddente de eo quod videbatur ſtultum Dei, quemadmodum Apoſtolus dicit, *Nos autem praedicamus Jeſum Chriſtum crucifixum, Judaeis quidem ſcandalum gentibus*

ſtultitiam, ex comparatione ejus ſtultum eſſe apparuit & aridum quod eatenus grande videbatur & profundum. Quam vilis quamque execrabilis & abjecta fuerit vel apparuerit illa talis ſapientia ſeculi in oculis eorum quos veritas illuminavit pulchre in ſua perſona inſinuat Johannes cum dicit: *Et vidi de ore draconis & de ore beſtiae & de ore pſeudoprophetae ſpiritus immundos tres in modum ranarum procedere.* Spiritus immundos ait, id eſt, ſectas quaſi ſapientiae & ſcientiae magicae, poëticae, philoſophicae, quas contrarius ſpiritui ſancto immundus hujus mundi ſpiritus aſpiravit. Spiritus namque immundos magi praecipue patronos quo neſcio infelici quodam pacto aſciverunt ſibi. Poetae vero ſub nominibus honeſtis eoſdem rogitant ſpiritus immundos aſpirare ſibi, ſacrilega praeſumptione deos appellantes, cum daemones ſint. Porro qui philoſophis ſpiritus aſpiravit, is quoque ſine dubio immundus extitit. Annon de illis Apoſtolus dicit: *Quia dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, & evanuerunt in cogitationibus ſuis.* Et vide quantam uſque ad immunditiam evanuerunt, qui ſervientes creaturae potius quam creatori, propterea in paſſiones ignominiae ſuae, in deſideria cordis ſui immunditiam traditi ſunt. Recte ergo dicuntur ſpiritus immundi. Porro draconis nomine diabolus, beſtiae vero appellatione beſtiale regnum diaboli hoc loco recte deſignari intelligitur. Nam apud Danielem per quatuor beſtias quatuor mundi regna principalia ſignificantur, ſcilicet Babylonicum, Perſicum, ſive Medicum, Macedonicum, atque Romanum. De ore ergo draconis ſpiritus primus proceſſit, quia magicam artem humana curioſitas de confabulatione diaboli addidicit. De ore beſtiae ſequens ſpiritus exivit, quia beſtiali regno mundi hujus adulando humanae mentis ignobilitas Reges terrenos homines figmentis poëticis in deos & in caelum ſtellarumque orbes tranſlatos fabuloſis naeniis decantavit. Pſeudopropheta philoſophica quoque profeſſio extitit, quae fanaticorum ſpurcitias deorum, verbi gratia, adulteria Jovis, zelumque Junonis ſororis & conjugis, & meretricia Veneris, & cetera talia retulit ad elementa mundi, cupiens ea quae jam erubeſcere poterant homines de diis ſuis quaſi interpretationibus ſubornare allegoricis. Vere pſeudopropheta talis quiſque interpres extitit, quia de corde ſuo prophetavit, & vane pudorem humanum conſolatus eſt adulteria deorum fictis & inutilibus adornando myſteriis, & in eo remanendo nihilominus ut ſerviret creaturae potius quam creatori, qui eſt benedictus in ſecula. Amen. *Vidi*, inquit, *de ore draconis & de ore beſtiae & de ore pſeudoprophetae exire ſpiritus tres immundos.* Et addit adhuc, *in modum ranarum*. Nimirum ranae & immundae ſunt & turpes & exiguae & quaſi loquaces. In luto namque commorantes importune & quaſi cum garrulitate coaxando quietem auferunt. Congrua ergo aſſimilatio dum ranis adaequantur vel ſimiles perhibentur hi qui ſibi magni & eloquentes videntur, verbi gratia poëtae, qui ſibi magna ſonare videntur; ſed omnis eorum materia fabuloſa lutum eſt, & magnitudo eorum inflatio eſt. Quapropter quoniam ſcientia illorum, cum nulla ſit, inflatur adverſus ſcientiam Dei, pulchre ſatis eorum ſpiritui congruit illud de fabella Æſopi, ubi rana ſufflando tentans ſe extendere ad magnitudinem bovis, dum conatur & pellem fruſtra diſtendit, tandem ultra vires ſufflando crepuit. Denique ubi nunc illi ſunt grandiloqui qui ſe extulerunt adverſus veram magnitudinem ſcientiae Dei? *Periit memoria eorum cum ſonitu & Dominus in aeternum permanet.* Quis enim loquacitati illorum hominum credit? Immo quis eorum theologias turpes legens vel audiens non irridet? Porro magi, quorum principes in Ægypto Jamnes & Mambres per incantationes ſuas coram Pharaone adverſus Moyſen & Aaron ranas eduxerunt & ultra non valuerunt, modum recte dicuntur habere ranarum, ut eis ſimiles ſint quas contra Deum fecerunt, ultra quas eorum praeſtigia non valuerunt. Apoſtolo autem conteſtante quemadmodum Jamnes & Mambres reſtiterunt Moyſi, ita & nunc homines reprobi mente corrupti reſiſtunt veritati. *Sed ultra*, inquit, *non proficient. Inſipientia enim eorum manifeſtata eſt, ſicut & illorum fuit.* Ultra inquam non proficient quam & illi profecerunt, qui exhibitis ranis ultra non potuerunt facere ſigna ſignis Moyſi conſimilia. Sic & hujus temporis quidam cauſidici & legiſtae vel ſophiſtae ſeu dialectici, vel potius haeretici ſophiſtice loquentes, ideoque odibiles, contra legem divinam quaſi contra Moyſen & contra ſacerdotium legitimum & vere leviticum quaſi adverſum Aaron dimicantes & regno Pharaonis contra regnum Dei faventes, cum in ſua garrulitate ranis loquacibus & in luto coaxantibus aequabuntur, ultra non proficient. Inſipientia enim illorum manifeſtata & per ſanctam ſcripturam confutata evidens erit, quod non de ſpiritu ſancto inſpirata, ſed per ſpiritus malignos & immundos conſpirata ſit loquacitas hujuſmodi hominum veritati reſiſtentium & ipſam veritatem Dei in injuſtitia detinentium. Quaſi enim captivam detinent veritatem ſanae doctrinae circumventam ſuo mendacio per ſpiritus malignos ita conflato ut magna in eo inveniatur veri ſimilitudo & bonitatis imago. Unde confutari non poſſunt hujuſmodi mendacia ſine magno conflictantium praelio, quale habuerunt martyres contra tyrannos idololatras ac templorum pontifices, quale nihilominus habuerunt ſancti confeſſores contra haereticos & Reges in malo illis faventes, ac noviſſime diebus illis viri religioſi contra ſimoniacos, conductitios, inceſtuoſos, gyrovagos, vagos, diſſolutos, oberrantes, aut quod pejus eſt, irregulariter congregatos clericos praelium grande in tempore ſeptimi Gregorii Papae habuerunt & adhuc habent, ſeptem ſpiritibus nequam in aperte malis & ſeptem aliis nequioribus in ficte bonis contra vere bonos dimicantibus & importuna loquacitate illos infeſtantibus. Unde cum dixiſſet Johannes vidiſſe de ore draconis & de ore pſeudoprophetae ſpiritus immundos exiſſe, addidit *in modum ranarum*, & adjecit: *Sunt enim ſpiritus daemoniorum facientes ſigna, & procedunt ad Reges totius terrae congregare illos in praelium ad diem magnum omnipotentis Dei.* Vere inquam illos immundos dixerim. Sunt enim ſpiritus daemoniorum. Nam revera cum veritati ſint contraria dogmata eorum, nulli dubium quin omnes magnitudines immo inflationes ejuſmodi ſint aſpirationes dæmoniorum. *Et procedunt* inquit, *ad Reges totius terrae congregare illos in praelium.* Primi hoc, ut ſancta narrat ſcriptura, jam dicti malefici illi Jamnes & Mambres fecerunt. Proceſſit enim qui in illis erat ſpiritus ſeductionis ad Regem Ægypti, & fiducia ſignorum quae faciebant quaſi ſimilia ſignis virtutis Dei, auxerunt ſtultitiam ejus ut contra Deum pugnantem pro Iſraël auderet praeliari. Tali vel ſimili modo ceteri malefici, poëtae, philoſophi congregaverunt Reges totius terrae, non quidem in unum locum, ſed in unum eumdemque peſſimae voluntatis ſtatum, ut praeliarentur contra Dominum, ut praeventi magna aeſtimatione illorum Reges terrae dedignarentur aut negligerent magna aeſtimare miracula quae ſervi Domini facerent vel mirari ſapientiam quam praedicarent, quoniam & illi e contra mira facere & magnifice ut ſapientes loqui conſueviſſent. Omnium illorum qui ſic veritatem Dei, ut Apoſtolus conqueritur, in injuſtitia detinent, ſimilitudo proceſſit in regno ſciſſo quondam in domo David, ubi Rex Jeroboam vitulos aureos excogitato conſilio fabricavit, quibus & feſtivitates feſtivitatibus Dei ſimiles conſtituit, ut hujuſmodi quaſi divina reverentia vitulis aureis exhibita detineret populum tali cultu faſcinatum, ne in Jeruſalem requireret Deum verum, vel reverteretur ad domus David regnum legitimum. Deceptor iſte ſic peccans in ſpiritum ſanctum contra propriam conſcientiam, proprioque judicio condemnatus, nulla venia dignus eſt habitus. Verum deceptus ab eo populus magna ex parte ad pœnitentiam per ſanctos

Pro-

Digitized by Google

Prophetas eſt revocatus; quorum ille fuit praecipuus quo prophetante atque clamante contra praedictum Ieroboam ſuper altare ſtantem & ſacrificantem, ſciſſum eſt altare per medium, & effuſus eſt cinis ejus. Propemodum ſimile eſt huic quod haereſiarchae vel ſciſmatici proprio nunc judicio condemnati, peccantes non per ignorantiam ſed per malitiam in ſpiritum ſanctum, non habent ullum poenitentiae remedium, ſed ab eis decepti aliquotiens emendantur, maxime cum ſacrificia hujuſmodi haereticorum vel ſchiſmaticorum quaſi cineri aſſimilata exſufflantur ac Deo moleſta eſſe manifeſtantur. Cujus veritatis teſtes quam caute ſe ab interdictis abſtinere debeant, ne videlicet cum hujuſmodi poſt interdictum vel cibum ſumant, illias Prophetae docemur exemplo qui ab alio Propheta deceptus, & comedens interdicta, leoni occidendus legitur traditus. Cavendi ergo ſunt veris Prophetis falſi Prophetae, ne per illorum ſeductionem decepti communicent interdictis & incidant in os leonis qui circuit quaerens quem devoret, cum tamen devorandi poteſtatem non habeat veros & bonos Prophetas, etiam quando eos mordendi vel occidendi occulto ſed non injuſto judicio Dei permittitur illi poteſtas. Etenim Propheta praenotatus, qui deceptionem Prophetae mendacis non repulit, leoni datus eſt occidendus, non tamen devorandus, &, ut creditur, hac ipſa morte fuit expiatus. Unde leo qui eum Deo iraſcente occiderat, jam Deo placato cadaver occiſi & aſinum quoque illius non tangens cuſtodiebat. Nonnunquam in ſede apoſtolica ſive alia Moyſi cathedra exaltato per violentiam laicam quolibet ſimoniaco ſubintruſo vel ſuperpoſito alicui catholico regulariter electo & provecto, hujuſmodi emerſerunt controverſiae in quibus plurimum dementati ſunt Ægyptii potentes & tyranni, per id quod in ſua ſecta clericos habebant valenter litteratos & in identitate ſacramentorum tanquam in ſimilitudine ſignorum gloriantes contra Eccleſiam, cum ipſi eſſent extra Eccleſiam, non attendentes vel attendere volentes quod etſi extra Eccleſiam ſit locus veri ſacramenti, non tamen niſi in ſancta catholica Eccleſia eſt locus veri ſacrificii, ut beatus Auguſtinus aſſerit. Tempore Petri Leonis ſciſmatici, fautoribus ejus una cum ipſo excommunicatis valde gloriantibus in identitate ſacramentorum, tam apud ipſos quam apud excommunicatorem ipſorum beatae memoriae Papam Innocentium, cum eſſem tunc temporis in curia Romana, coactus ſum plures de ſcripturis veritatis auctoritates colligere, quibus evidenter enituit ſacramenta quidem ritu eccleſiaſtico celebrata tam foris quam intus eſſe inviolabilia, ſed in ſacramentis extra celebratis non magis operari ſpiritum Chriſti quam in ſignis magorum Ægyptiorum digitus Dei operabatur, qui tandem ipſis confitentibus in ſignis Moyſi & Aaron claruit. Sic & in illa mea concertatione, aſtipulante mihi tunc venerabili viro beatae memoriae Gwalterio Archiepiſcopo Ravennate, palmam obtinuit inter ſententias multas id quod dicit Papa Pelagius. *Sciſma*, inquit, *ipſum, quod Graecum nomen eſt, ſciſſuram ſonat, ſed in unitate ſciſſura eſſe non poteſt. Non ergo unitati communicant. Partes ſibi ipſi fecerunt, & ab eo quod unum eſt, ut Apoſtoli Judae verbis jam loquar, ſemetipſos ſegregantes, ſpiritum non habent. Quibus omnibus illud efficitur, ut quia in unitate unum non ſunt, ut quia in parte eſſe voluerunt, ut quia ſpiritum non habent, corporis Chriſti ſacrificium habere non poſſint.* Multa in hunc modum congeſſimus tunc in unum veridica patrum teſtimonia, quibus comprobatum & Eimerico tunc temporis Cancellario ſatagente approbatum extra Eccleſiam celebrata Miſſarum officia, etſi habeant ſacramentalia ſigna ſignis catholicorum ſimilia, eſſe tamen irrita & vacua, utpote neque ſpiritum ſanctum neque corpus Chriſti habentia. Praeliati ſunt tamen & adhuc praeliari non deſinunt contra iſtam veritatem veritatis inimici; quorum plures, cum ſint uxorati vel concubinarii vel conductitii, ſacrificant, licet interdicti. Et quia magnarum congregationum cathedrales clerici ſunt hujuſmodi conductitiorum conductores & protectores, non eſt leve praelium quod movent. Praeliati ſunt ergo & praeliari non deſinunt, perſequendo omnes qui in Chriſto pie vivere volunt, ſed malo ſuo, quia taliter congregati in praelium, congregabuntur in judicium. Unde cum dixiſſet hic congregare illos in praelium, addidit dicens, *ad diem magnum omnipotentis*. Nam dies magnus omnipotentis dies erit judicii, ſine dubio magnus, ſicut Propheta dicit: *Juxta eſt dies Domini magnus, juxta & velox nimis. Vox diei Domini amara. Turbabitur ibi fortis.* & cetera. *Juxta eſt*, ait ille; & verum eſt. Nam etſi aliqua mora videtur ex quo ille prophetavit uſque ad illum diem magnum omnipotentis, at certe prope eſt unicuique mors & praeſentis vitae finis, & neſcitur quando venturus ſit. Ait ergo confeſtim: *Ecce venio ſicut fur*. Malus ſervus dicit in corde ſuo: Moram facit Deus venire. Dominus autem dicit: Ecce aſſum, cito venio. Additque: *ſicut fur*. videlicet negligentibus & dormientibus formidandus. Furis namque ſimilitudinem ipſe ſibi adhibere dignatus eſt, dum praemiſſo ſervis ſuis praecepit ut vigiletis, *quia neſcitis*, inquiens, *qua hora filius hominis venturus eſt*, ait. *Illud autem ſcitote, quoniam ſi ſciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret utique, & non ſineret perfodi domum ſuam.* Eadem intentione vel cauſa qua illic dicit, *Sint lumbi veſtri praecincti, beati ſervi illi quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes*, continuo & hic ſubjungit: *Beatus qui vigilat & cuſtodit veſtimenta ſua ne nudus ambulet & videant turpitudinem ejus.* Hoc propter magnum ſuum diem omnipotens intulit, quia promiſſum erat congregari Reges terrae in praelium in loco qui vocatur Hebraice Hermagedon. Quos illos congregavit? Utique Reges, quia de Regibus congregatio iſta ſcribi coepta eſt. Sunt autem hic diverſi immo oppoſiti & contrarii Reges. Nam de bonis Regibus praemiſſum fuerat ut pararetur via Regibus ab ortu ſolis; de malis vero ſubjunctum: *Et procedunt ad Reges totius terrae congregare illos in praelium.* Quos ergo Regum illorum congregavit in loco qui vocatur Hebraice Hermagedon, vel quis congregavit illos in tali loco? Non enim ſingularem aliquam perſonam praemiſerat; neque aperte diſtinguit quos, malos, an bonos, congregaverit. Ergo dicere licet quia bonorum & malorum congregatio hic illa praeſignata eſt de qua non ignoramus quia cum ſederit filius hominis in ſede majeſtatis ſuae, tunc congregabuntur ante eum, non ſolum Reges, ſed etiam omnes gentes illic in praelium mirabile congregabuntur, quia illic videlicet praelii bonorum & malorum mirabilis & horrendus finis ſtatutus eſt. Ille ſtatus recte deſignatur hoc nomine quod hic ponitur Hermagedon. Interpetratur enim conſurrectio in priora, ſive mons globoſus. Congregationem vero illam recte ſignificat ubi & ſancti Reges qui venerunt ab ortu ſolis in priora conſurgent & ad judicandum ſedebunt, & mali Reges tamquam mons globoſus, tollentur cum diabolo ſuo principe: quia tunc revera dicetur monti huic, *Tolle te & mitte te*, non jam in mare, ſed in profundum gehennae. Nunc prius quam veniat illa dies magna in qua ſancti Reges univerſi univerſaliter conſurgent in priora, iidem Reges quique ſuo tempore in anteriora extenti, & obliviſcentes quae retro ſunt, in anteriora conſurgunt. Cujus rei ſpectaculum jocundum cum late per Dei gratiam pateat, maxime in ſucceſſoribus beati Petri oculos bonos delectat & oculos malos cruciat. Pontifices enim Romani cum privilegia Eccleſiis ſupra petram fundatis vel fundandis donant, Petri Apoſtolorum principis auctoritate illa praecipue ſuſtituta roborant quae fundamento Eccleſiae primitivae concordantia judicant. Unde ſi aulica illa inſtituta in ſaepe notata regula inſtitutis apoſtolicis poſteriora proferantur in medium cum prioribus & melioribus illis trutinanda in ſede apoſtolica, non dubium priora illa illic approbanda, & poſteriora

Digitized by Google

ra iſta prioribus contraria omnino eſſe reprobanda. Nam etiamſi poſteriora iſta de anterioribus habeant quaedam ſibi immixta in praenotata regula, neceſſitate tamen cogente ſic eſt aliqua damnationis uſtione cauterianda & velut aqua fluminis Babylonici deſiccanda ut in matricibus Eccleſiis hujus aquae inundatione occupatis praeparetur via Regibus ab ortu ſolis, aut ſi hoc ſemel & ſimul non poteſt fieri, attamen tam tortuoſa regula demonſtretur eſſe aqua Babylonica flumini Euphrate aſſimilata cum paradiſiacis aquis lacuna Babylonis intermixta & ideo cavenda, ne in ea propter bonas patrum ſententias in unum congeſtas etiam illud recipiatur quod eiſdem penitus adverſatur. Vt enim de ceteris taceamus, eſt illic ſermo beati Auguſtini dicentis: *Nulli licet in ſocietate noſtra habere aliquid proprium. Si qui habent, faciunt quod non licet*. Deinde quaſi licitum quadam regali, ut dicunt, pietate ibidem conceditur ut res propria & domus privata contra doctrinam beati Auguſtini praemiſſam poſſideatur. Quod conceſſum ſancta ſedes apoſtolica non recipit, ſicut in praemiſſis Vrbani Papae ac martyris, item Vrbani Papae ſecundi, & Papae Paſchalis evidenter claret. Item Nicolaus & Alexander Pontifices Romani quaſi ex uno ore praecipiendo ſtatuerunt ut ſacrorum ordinum clerici ſtatutis patrum de continentia obedientes juxta Eccleſias quibus ordinati ſunt, ſicut oportet religioſos, ſimul maneant, manducent, & dormiant; neque privata illis concedunt habitacula ſolis conjugatis clericis a beato Papa Gregorio indulta, & caſte in congregatione viventibus omnino interdicta, utpote in quibus eſt occaſio multa pravitatum & turpitudinum. Quod non ad plenum perpendiſſe vel in ſua regula praecaviſſe pium Regem Ludewicum non eſt mirum: quia non Regi, vel Imperatori, ſed Petro piſcatori data eſt auctoritas confirmandi fratres, Domino dicente: *Tu es Petrus; & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Et portae inferi non prævalebunt adverſus eam, & tibi dabo claves regni caelorum*. Inter portas inferi, quas patribus exponentibus accepimus eſſe pravas doctrinas vel tyrannicas violentias non abſurde poſſumus computare ſaepedictae aulicae regulae pravam doctrinam tanto periculoſiorem quanto ibi ſecretius latent peſtifera venena multo ſaluurium doctrinarum circumlita melle, dum ſanctorum patrum ſanis inſtitutis oppoſita & intermixta eſt illa conceſſio regalis qua conjungitur domus ad domum & ager agro copulatur. Si enim, docente Propheta, Vae his qui conjungunt domum vel agrum ſecularem domui vel agro ſeculari cupiditate avaritiae, quanto magis qui contra interdicta legis divinae domui vel agro proprietatis ſuae, unde ſibi ſufficienter abundant, jungere audent domum vel agrum unde pauperes nihil habentes & Deo expedite ſervientes debent vivere. Dubitari poterat aliquando hanc regulam inter portas inferi deputandam, quando ſub ea in multis Eccleſiis erat honeſta converſatio & religionis canonicae ſaltim umbra qualiſcunque, propter habitas & uſitatas vitae clauſtralis quaſdam formulas, quae quaſi vectes erant ejuſdem portae, quandiu tenebantur in conſuetudine. At nunc eiſdem vectibus abjectis, & valvis omnino patulis nullo repagulo tardante, neglectis clauſtralibus habitaculis, luxurioſe nimiſque irreligioſe vivitur in domibus privatis, & gratia Dei transfertur in luxuriam, & de ſacrae militiae ſtipendio militatur diabolo. Nam etiam illi qui communi dormitorio & refectorio aliquotiens utuntur, & interdum quando & quantum eis libet in cubilibus ſuis propriis morantur, in alternatione tali patentes inveniunt ſibi portas infernales; quibus utinam ſublatis eleventur portae caeleſtes & aeternales, diſciplinae videlicet regulares & vere cœnobitales, abſque omni fictione ac fermenti totius intermixtione. Cum enim tria fermenta cavenda ſacrum doceat evangelium, Phariſaeorum, Saducaeorum, & Herodis, in bene diſpoſitis clauſtris neque Phariſaeorum placent phylacteria immoderatum rigorem praeferentia, neque Saducaeorum laxa diſſolutio, in qua nulla eſt ad reſurrectionem digna praeparatio, neque dominatio Herodiana, in qua regnat ſuperbia cum ſaevitia. Etenim theologo Iohanne aſſerente omne quod in hoc mundo eſt aut concupiſcentia carnis aut concupiſcentia oculorum aut ſuperbia eſt vitae, in qua eſt concupiſcentia in hoc ſeculo dominandi. Et tribus iſtis concupiſcentiis illa quae eſt oculorum ſubeſt in phylacteriis ac fimbriis magnificis ceteriſque oſtentationibus Phariſaeorum. Illa vero quae eſt carnis, principatur in conviviis ceteriſque luxurioſis diſſolutionibus Saducaeorum ſpem reſurrectionis minime habentium & ideo praeſentis vitae delitiis abutentium. Porro illa quae eſt in hoc ſeculo dominandi tyrannizat in hominibus ambitioſis vel dominantibus in hoc mundo vel, quod pejus eſt, etiam dominantibus in clero. Quo contra boni & religioſi homines contra Saducaeorum fermentum ſobrie, contra Phariſaeorum juſte, contra Herodis pie vivunt in hoc ſeculo, expectantes beatam ſpem & adventum gloriae magni (Dei) & ſalvatoris Ieſu Chriſti; cujus ex quo apparuit benignitas & humanitas, benedictio parata eſt coronae anni benignitatis, & campi ejus replentur ubertate, bono ſemine in filiis regni multiplicato, eo copioſius quo ſemen filiorum gehennae ab homine inimico ſuperſeminatum & uſque ad vicinam meſſis ultimae imminentiam toleratum, quandiu erat adhuc teneritudo utriuſque germinis, nunc ubi hoc ſalvo tritico fieri poteſt, ab angelis meſſoribus a tritico ſeparatur cautius & diligentius. Primae, ut praemiſſum eſt, meſſis in hoc anno benignitatis meſſores erant Apoſtoli a Domino in labores aliorum introducti. Vltimae hujus meſſis, de qua nunc agitur, meſſores erunt angeli, ut ſe habet aſſertio evangelica, Domino docente quod ager eſt mundus, bonum ſemen filii regni, zizania filii gehennae, meſſores angeli, per quos primo zizania ſunt colligenda in faſciculos ad comburendum, & deinde triticum congregandum in horreum Domini. Quae omnia ultima quidem ventilatione in magna virtute per angelos creduntur ita ut praedicta ſunt effectu manifeſto complenda. Veruntamen quia *labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia angelus domini exercituum eſt*, non abſurde creditur & ſperatur per ſacerdotum quaedam angelica miniſteria etiam nunc ante finem ſeculi talia fieri ex parte, cum ſcriptis luculentis pravi mores tanquam zizania faſciculis alligata igne infernali demonſtrantur punienda, & boni mores tanquam grana triticeae meſſis oſtenduntur caeleſti praemio remunerari debere. Quod in libris moralibus beati Papae Gregorii clare invenitur; qui ſciens reprobare malum & eligere bonum, vitiis & virtutibus morum caute ab invicem diſcernendis bene invigilavit loquendo & ſcribendo, quia angelus Domini exercituum erat, contra phalangas vitiorum caute ordinans exercitus morum & virtutum. Similiter & reliqui paſtores & doctores catholici probantur eſſe angeli meſſores, vel, ſicut jam diximus, vitia & virtutes tanquam zizania & triticum ſeparantes, vel filios gehennae a filiis regni ſic diſtinguentes ut eorum vel ſermones audiens vel ſcripta legens evidenter agnoſcere valeat utrum malum in aliquo ſit ordine catholicorum ſive monachorum ſive clericorum Deo ita militantium ut merito habitare debeant in aeternis tabernaculis, ſive laicorum qui talibus taliter militantibus ita obediunt & de mammona iniquitatis benefaciunt ut cum defecerint, ab ipſis quos obediendo & bene agendo ſibi amicos fecerunt recipiantur in aeterna tabernacula, dum qui recipit Prophetam in nomine Prophetae, mercedem Prophetae accipiet, & qui recipit juſtum in nomine juſti, mercedem juſti accipiet. Sed in recipiendo Prophetam cavendus eſt pſeudopropheta, in recipiendo juſtum cavenda eſt falſa juſtitia; & ideo neceſſaria eſt meſſorum diligentia ſeparans a granis zizania, ne pro bonis recipiantur mala, pro veris falſa. Quia enim de duobus nunc ordinibus loquimur, clericorum videlicet & monachorum, quos amicos facere de mam-

Digitized by Google

mammona iniquitatis expedit hujus mundi divitibus recipiendo in clerico Prophetam & in monacho juſtum, ne in nomine Prophetae falſo vel in nomine juſti falſo quis decipiatur, clericorum & monachorum quidam ſic inveniuntur cauteriati & nomine Prophetarum ſive juſtorum ſic privati ut nemo niſi fatuus eos recipiat in nomine Prophetae vel juſti. Beatus Benedictus in regula ſua quatuor genera monachorum deſignat; quorum duo ſub nomine juſtorum approbat, cœnobitarum videlicet ſub regula & Abbate militantium, & anachoritarum ſeu eremitarum ſolitudine gaudentium & jugitate orationis fruentium. Duo vero monachorum genera deterrima omnino reprobat, Sarabaitarum ſcilicet ſine regula & Abbate inordinabiliter viventium, & gyrovagorum per varia loca diſcurrentium. Quis ergo illos a tanto meſſore abjectos patet ſub nomine juſtorum cenſendos vel recipiendos? Perditur eleemoſyna talibus data ex quo eorum converſatio cognoſcitur nomine juſtitiae privata. Similiter in clero ſunt deſignata genera in nomine Prophetarum ſuſcipienda, videlicet communiter viventium ſecundum laudabile diſcipulorum Chriſti exemplum, quibus erat cor unum & anima una in Deo, nec quiſquam eorum aliquid ſuum eſſe dicebat, vel ſecundum canones in Eccleſia ſe populumque regentium, neque terminos a patribus conſtitutos tranſgredientium vel tranſgredi ſinentium, & more ſpeculatorum ſuperventuros boſtium incurſus praecaventium: quorum cuique dicitur: *Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo ſcelera eorum & domui Jacob peccata eorum.* Item: *Super montem excelſum aſcende tu qui evangelizas Sion. Exalta in fortitudine vocem tuam qui evangelizas Jeruſalem, Exalta, noli timere.* Iſti ſunt cuſtodes ſuper muros Jeruſalem conſtituti, ut die ac nocte non taceant. Iſti ſunt ſeptem angeli cum ſeptem tubis aut ſeptem phialis in Apocalypſi demonſtrati. Iſti ſunt ſeptem ſtellae ſeptem Eccleſiarum, & ſeptem candelabra aurea cum ſeptem lucernis ardentibus & lucentibus in conſpectu Domini. Sed linum fumigans in ſacerdotio falſo multas habet manerias, pſeudoclericorum videlicet acephalorum, ſimoniacorum, conductitiorum, Nicolaitarum, & irregularium conventiculorum; quos, ubi manifeſta eſt inſipientia eorum, ſuſcipere in nomine Prophetarum deſipere eſt, maxime nominatim proſcriptos, ut manifeſte inceſtuoſos & conductitios a ſede apoſtolica non ſemel interdictos. Porro conductores eorum, quia & ipſi domum Dei domum negotiationis faciunt, nec ipſi in nomine Prophetarum ſunt recipiendi, ſed arguendi & monendi; atque, ſi redarguti non reſipuerint, neque ſe alienaverint ab hoc negotiationis fermento, ipſi conductores cum ſuis conductitiis pari ſorte cenſendi, & quaſi tranſgreſſores canonum publici publice arguendi & cavendi. Velim hic eſſe commonitos quoſdam Epiſcopos & Abbates, qui ſub nomine plebanorum pallìant fœditatem conductitiorum ſuorum. Conductitius enim eſt procurator plebis vel miniſter altaris qui canonica portione minus accipiendo, ſubjectione indebita munus ab obſequio ſuo conductori perſolvit. Quam ſpeciem ſimoniae beatus Papa Gregorius damnat aperte ſimul cum ea quae fit per munus a manu vel per munus a lingua. Quod ſi Abbas Epiſcopo concedente curam agit alicujus Eccleſiae, poteſt illic unum de ſuis fratribus ponere, cui tanquam cœnobitali religione aſtricto nulla in decimis & oblationibus aſſignetur portio canonica, ſed illa circa eum ſervetur diſpenſatio apoſtolica qua diſtribuebatur unicuique ſicut cuique opus erat. Qui vero ſine lege clauſtrali ſub lege ſunt canonum, ſive ab Epiſcopo, ſive ab Abbate, vel Praepoſito in Eccleſiis plebalibus ponantur, ſecundum canones ibidem ſtipendiandi ſunt, quia dignus eſt operarius cibo & mercede ſua, quam ſi ordinatori ſuo ad hoc remittit ut ipſe qualitercunque oves non tam paſcat quam furetur & mactet & perdat, quia de turpi lucro ſuo magis quam de ovibus curat, non eſt mirum ſi oves illum non ſequuntur, ſed ab eo fugiunt, quia non noverunt vocem alienorum. Neque vero hujus perfectionis in ſe aliquo modo ſuſpicandae materiam praebent, qua ſine ſumptu evangelium praedicans Apoſtolus multis eſt mirandus & paucis imitandus, maxime jam ordinatis Eccleſiis & eccleſiaſticae militiae ſtipendiis, quibus Apoſtolus abſque ſumptu praedicans intendebat ordinandis. Proinde inordinata conductio potius quam ordinata inſtitutio nominanda eſt hujuſmodi clericorum ſubjectio indebita quaeſtui alieno laborantium & de hoc ipſo aliquotiens murmurantium quod ſtipe ſuo labori debita fraudantur, de qua ipſis videntibus & invidentibus alii parum vel nihil laborantes convivantur & ditantur. Et quidem nimis deteſtanda eſt jam notata ſimoniae ſpecies in inferioribus perſonis, utpote ſua propria damnatione contentis. Verum in Epiſcopis clericorum ordinatoribus grande imminet periculum ſanctae Dei Eccleſiae, judicante Papa Nicolao ut quicunque ſe ordinari permiſerit ab eo quem ſimoniacum eſſe non dubitat, una cum ordinatore ſuo non diſparem damnationis ſententiam ſubeat, & uterque depoſitus pœnitentiam agat, & privatus a propria dignitate perſiſtat. Et quidem non aeſtimo de hac re ſententiam praecipitandam, ſed apoſtolicam ſedem conſulendam utrum praeſcripta conductionis pactio vel actio ſimoniacae peſtis vocabulo ſit notanda vel mitius nominanda, cum tamen ſcripta beati Gregorii Papae diligenter inſpecta ſatis oſtendant quo nomine tales negotiationes cenſeri debeant. Verum ne videamur praejudicia facere judicibus Eccleſiae, non indecens eſt a ſucceſſore Petri ſuper talibus conſilium quaerere primo ſine perſonarum proditione, ut parcatur eorum famae, ſed conſulatur cautelae, ſi forte audientes talia in ſede apoſtolica improbari & cauterio ſimoniacae pravitatis notari ſtudeant ab his ante proditionem ſuae perſonae cito emendari, hoc ſcientes quod haeretica nota ſimoniae forſitan carebunt ſi perperam geſta malunt pœnitendo in poſterum cavere quam defendendo ſuoſque monitores perſequendo augere. Sicut enim beatus Petrus non recte incedens ad veritatem evangelii ſimulatione ſua quoſdam cogens Iudaizare, cum argueretur ſuper hoc a minimo Apoſtolorum, quia benigne recepit admonitionem & emendationem, dignus laude judicatur, neque ob talem exceſſum reprobatur ejus auctoritas, ita nimirum ſi Epiſcoporum quis excedit in his quae ſimoniace fieri non attendit, & redarguens arguentem diligit, ſeſeque in quibus debet corrigit, puto hunc non inimico homini zizania ſuperſeminanti comparandum vel cum illo damnandum, ſed inter agricolas computandum, neque cum malis male perdendum, ſi filium Dei non perſequitur in ſuis membris, & acquieſcit ſanis monitis, diligitque grana vera & ſuſtinet zizania, quo contra mali agricolae diligunt ac fovent zizania & graviter ſuſtinent grana. Sane hic non omittendum puto eam conſuetudinem ſatis eſſe tolerabilem qua quidam religioſi Abbates & Praepoſiti Eccleſiarum plebalium ad ſua cœnobia pertinentium curas agunt per ſemetipſos, neque aſſumunt ſibi ad hoc miniſterium coadjutores alios niſi aut fratres ſuos regulariter inſtitutos aut clericos literatos ſecundum canonum ſaltem diſciplinam ſibi per obedientiam alligatos, ut non ſit eis liberum vel ab eis recedere vel ſub eis diſſolute contra ſynodales regulas vivere. Qui nimirum taliter aſtricti non dicendi ſunt conductitii, ſed adjutores altario ſervientes & de altario viventes, jugumque, etſi non cœnobitalis, tamen ſynodalis obedientiae ſub magiſtro probabili probabiliter ferentes. Hi nimirum, ſi habentes de ſuo miniſterio victum & veſtitum, his contenti erunt, non quaerentes quae ſua ſunt, ſed quae Ieſu Chriſti, dum non ad aliud niſi ad ejus obſequium rebus Eccleſiae utuntur, inter bonos agricolas computari poterunt, etſi non in ordine Apoſtolorum ſua omnia relinquentium, tamen in ordine

Digitized by Google

te imperfectorum perfectis adhaerentium ipſiſque utcunque obedientium & eos adjuvantium ad agrum Domini excolendum. Vera ſiquidem grana ex diſtinctione fructuum ſuorum cognoſcuntur, dum aliud triceſimum, aliud ſexageſimum, aliud affert fructum centeſimum. Quod multi doctorum in dominica meſſe laborantium ſic exponunt ut in conjugum converſatione tecta, & in viduarum ſeu continentium ſed non virginum caſtimonia, & virginum perfecta ſanctimonia hos fructus intelligendos inſinuent, eo quod nemo penitus extra haec tria genera ſobrie, juſte, ac pie viventium ſalvari poterit. Nutriuntur ſane horum trium generum electa grana inter ipſa zizania, ſuo tempore ſufferenda, & ſuo tempore auferenda. Quod qualiter fieri oporteat, evangelica nos doctrina patenter informat. Etenim ipſe paterfamilias ſeminis boni ſeminator, qui dicit, *Ne forte colligentes zizania eradicetis ſimul cum eis & triticum, ſinite utraque creſcere uſque ad meſſem*, ipſe eſt Rex regni caelorum, id eſt, praeſentis Eccleſiae vel congregationis ſanctorum, in qua bono ſemini zizania, id eſt, filiis regni filii nequam, quos diabolus ſuperſeminavit, uſque ad meſſem, id eſt, uſque ad conſummationem ſeculi, permixti ſunt. Illos tolerari jubet cum dicit, *Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem*, cum ſæpiſſime citius efflorescant & ſublimius creſcant, ita ut ſummos honores in eccleſiaſticis gradibus apprehendant, eo quod nihil noceat bonis permixtio malorum, quos ante meſſem pro tempore inviti ſuſtinent, quia corrigere non poſſunt. Igitur quod praeceptorus erat recte & ut praeceptorem decebat prior ipſe fecit admittens Judam in illo ſanctorum numero quibus poteſtatem dabat eiciendi ſpiritus immundos & curandi omnem langorem omnemque infirmitatem, ut ſcias dona Dei pervenire ad illos qui cum fide accipiunt, etiamſi talis ſit is per quem accipiunt qualis fuit & Judas. Sciendum tamen quia poſtquam, ut Lucas ſcribit, intravit in eum Satanas & abiit & locutus eſt cum principibus ſacerdotum & magiſtratibus quemadmodum eum traderet illis, & gaviſi ſunt, & pacti ſunt pecuniam illi dare, & ſpopondit, jam nec in eiciendis ſpiritibus immundis, nec in languoribus aut infirmitatibus curandis illa poteſtate apoſtolica uſus eſt; quippe qui ſequenti die inter caenandum per buccellam intinctam proditor deſignatus continuo exivit, & antequam eum quem tradiderat in crucem ſuſpenderent Judæi, laqueo ſe ipſe ſuſpendit. Nec vero tam ſegnis patientiae veros Chriſti Apoſtolos fuiſſe arbitremur ut poſtquam ille deſignatus eſt, ſi non exiſſet, communicare illi potuiſſent ut prius. Haec idcirco dicimus ut zizania quae inimicus homo ſemini bono ſuperſeminavit non abſque diſcretione rerum vel temporum toleranda eſſe, vel communionem illorum nihil obeſſe putemus. Cum adhuc eſſet Judas occultus fur, idque ſolus ſciret Deus Chriſtus, nihil Apoſtolis oberat quod eis communione vel poteſtate apoſtolica commiſcebatur. At ubi deterrima ejus iniquitas actu prodiit, ut cum inimicis domini & magiſtri ſui pactum iniret proditionis & homicidii, ubi hoc hominibus notum fecit homo Chriſtus, numquid rationi placet ſine culpa potuiſſe fieri ut deinceps illi diabolo aliqua communione homines fideles commiſcerentur? Sic nimirum quandiu quilibet filii nequam, quantalibet regno Chriſti faciant, ita agunt ut tamen ſub ſpecie boni ac nomine Chriſtiano tegantur, ſoluſque quales ſint noverit Deus, tolerandi ſunt. At ubi manifeſto convictos actu notaverit eo nomine quo digni ſunt Chriſtus qui in Eccleſia loquitur, jam nec ratio nec veritatis regula patitur ut cum ejuſmodi vel cibum ſumamus. Sic toleratus eſt filius ancillæ in domo Abrahæ una cum filio liberæ donec prodita eſt ejus malignitas evidenti perſecutione; qua perſpecta, dictum eſt Abrahae a matre libera: *Eiice ancillam & filium ejus. Non enim heres erit filius ancillæ cum filio meo Iſaac*. Et quomodo tunc is qui ſecundum carnem perſequebatur eum qui ſecundum ſpiritum, ita & nunc. Apoſtolica enim communis vitae regula per evangeliſtam Lucam deſcripta jam Deo gratias poſt longam ſterilitatem peperit electam & nobilem prolem, clerum videlicet regularem heredem univerſorum quae habet Eccleſia in ſpiritalis militiae ſtipendium Deo & ſanctis ejus oblata. Hunc videntes mali coloni dicunt apud ſe non recte cogitantes: *Hic eſt heres. Venite, occidamus eum, & habebimus hereditatem ejus*. Item: *Ecce ſomniator*, qui accuſat fratres apud patrem crimine peſſimo. *Venite, occidamus eum, & videamus quid proſint illi ſomnia ſua*, quibus noſtros manipulos manipulo ſuo poſthabendos praedicat, cum divina officia ob crimina peſſima ſimoniae vel apertae mœchiæ, ut aſſerit, nobis interdicta vilipendit, ſuumque ac ſibi ſimilium, ſicut dicit, rationabile obſequium in divinis officiis plus juſto magni pendit. *Venite*, inquiunt, *occidamus eum, & videamus quid proſint illi ſomnia ſua*. Quaſi vero pro ſomniis inanibus & vacuis habenda ſint ſedis apoſtolicae interdicta vel mandata, quae utique in tantum firma ſunt & rata ut illis caelum claudentibus non deſcendat ros aut pluvia niſi juxta oris eorum verba quibus in beato Petro data eſt poteſtas judiciaria. Plura illorum interdicta quaſi caeli clauſuras poſſemus demonſtrare; ſed unum hic ſufficiat commemorare.

Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto in Chriſto fratri Ottoni Conſtantienſi Epiſcopo ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Inſtantia nuntiorum tuorum feſtinanter redire volentium non permiſit nos fraternitati tuae quae in Romana ſynodo conſtituta ſunt ſeriatim intimare. Haec tamen neceſſario tibi ſcribenda fore arbitrati ſumus, nos juxta auctoritatem ſanctorum patrum in eadem ſynodo ſententiam dediſſe ut hi qui per ſimoniacam heresim, hoc eſt, interventu pretii, ad aliquem ſacrorum ordinum gradum vel officium promoti ſunt, nullum in ſancta Eccleſia ulterius miniſtrandi locum habeant. Illi quoque qui Eccleſias datione pecuniae obtinent, omnino eas perdant; nec deinceps vendere vel emere alicui liceat. Sed nec illi qui in crimine fornicationis jacent Miſſas celebrare aut ſecundum inferiores ordines miniſtrare altari debeant. Statuimus etiam ut ſi ipſi contemptores fuerint noſtrarum immo ſanctorum patrum conſtitutionum, populus nullo modo eorum officia recipiat; ut qui pro amore Dei & officii dignitate non corriguntur, verecundia ſeculi & objurgatione populi reſipiſcant. Studeat igitur fraternitas tua ſic ſe in his nobis cooperatricem exhibere, ſeu crimina iſta de Eccleſiis tuis radicitus evellere, quatenus boni paſtoris meritum apud Deum valeas obtinere & Romana Eccleſia de te ſicut de bono fratre & ſtudioſo cooperatore debeat gaudere. Greg. VII.

Interdicta haec illiſque ſimilia ſervantibus magna imminet infeſtatio ab eorum tranſgreſſoribus, maxime alta loca & officia in Eccleſia tenentibus. Cum ergo tali perſecutione claruerit quae pars moveat & quae ſuſtineat injuſtam violentiam, dignum eſt ut quaſi filius ancillae atque ut vere ſciſmaticus proiciatur qui non jam cum Juda fure adhuc occulto inſidias machinatur, ſed cum eodem jam detecto per manifeſta furoris ac tyrannidis molimina contra bonos debacchatur, & odio maligno non ſolum quos ſcit, ſed etiam quos putat bonos perſequitur, neque, cum ipſe ſit lolium, ſecum in eodem agro ſinit creſcere ſemen bonum; quod ſi una ſecum in eodem agro aequanimiter ferret, ferendus & ipſe eſſet. Verbi gratia, ſi quolibet clerico irregularis congregationis mortuo, vel juſte depoſito, paterentur hoc reſidui ut in locum decedentis alter ſuccederet qui relictis propriis in clauſtro viveret, quoadusque filiis Annae multiplicatis, filii Fenennae omnino deficerent, dum ſterilis pareret plurimos, & quae multos habebat filios infirmaretur, poſſent portari talia portantes, & ſtipendia ſua externus accipientes, atque etiam, ſi ſacris ordinibus carerent, legitima conjugia ſortientes, & ſub Chriſtiana regula vivendo, ut beatus Gregorius dicit, cor & linguam & corpus auctore Deo ab illicitis cuſtodientes. Neque vero

inter

Digitized by Google

inter ſic viventes aliqui cenſentur eſſe zizania, niſi qui non diligunt meliorum & communiter viventium ſanctius propoſitum; quod qui in ſe non habentes, in aliis diligunt, alienum bona diligendo ſua faciunt. Qui autem bonos vel quos bonos putant non ferunt, nec ipſi utique ferendi ſunt. Qualiter autem zizania cognoſcenda, ſufferenda, vel auferenda ſint, beatus Auguſtinus unus ex electis meſſoribus in libro quaeſtionum evangelicarum clare deſcribit dicens: *Bene intelliguntur haeretici zizania in medio tritici, quia non ſocietate unius Eccleſiae vel unius fidei, ſed ſocietate ſolius nominis Chriſtiani permiſcentur bonis, ut illi qui in eadem fide mali ſunt, palea potius quam zizania deputentur. Inter haereticos & malos catholicos hoc intereſt quod haretici falſa credunt, illi autem vera credentes non ita vivunt ut credunt. Solet autem quaeri etiam ſchiſmatici quid ab haereticis diſtent, & hoc inveniri quod ſciſmaticos non fides diverſa facit, ſed communis dirupta ſocietas. Qui falſa de Deo credit vel de aliqua parte doctrinae quae ad fidei pertinet aedificationem, ita ut non quaerentis cunctatione temperatus ſit, ſed inconcuſſe credentis nec omnino ſcientis opinione atque errore diſcordans, haereticus eſt, & foris eſt animo, quamvis corporaliter intus videatur. Multos enim tales portat Eccleſia, quia non ita defendunt falſitatem ſuae ſententiae ut intentam multitudinem faciant. Quod ſi fecerint, tunc pelluntur.* Item: *Quicunque invident bonis, ita ut quaerant occaſiones excludendi eos aut degradandi eos, vel crimina ſua ſic defendere parati ſunt, ſi objecta vel prodita fuerint, ut etiam conventiculorum ſegregationes vel perturbationes cogitent excitare, jam ſciſmatici ſunt & ab unitate corde diſciſſi, etiamſi non inventis occaſionibus aut occultatis factis ſuis ſacramento Eccleſiae corporali converſatione ſocientur. Quapropter illi ſoli catholici mali recte deputantur qui quamvis praedicant vera quae ad fidei doctrinam pertinent, & ſi quid forte neſciunt, ſed quaerendum exiſtimant, ſalva pietate diſſentiant ſine aliquo praeiudicio veritatis, & bonos aut quos bonos putant amant atque honorant quantum poſſunt, tamen flagitioſe facinoroſeque vivunt contra quam vivendum eſſe credunt, tales etiamſi prodantur aut accuſentur pro diſciplina Eccleſiae ſalutiſque ſuae cauſa correpti, vel a communione ſuſpenſi, nullo modo a communione catholica ſibi recedendum eſſe putant, quocunque permiſſi fuerint ſatisfactionis locum quaerentes, & aliquando per poenitentiam mutantur in frumentum, aliquando ſub nomine poenitentium ita vivunt ut ſolent, aut multo minus, quidam etiam amplius, nullo modo tamen a catholica unitate diſcedunt, quibus ſi mors obrepſerit, paleae deputantur uſque in finem. Hoc etiam ipſi credunt. Nam ſi aliter credunt & inconcuſſe tenent, jam inter haereticos numerandi ſunt. Boni catholici ſunt qui & fidem integram ſequuntur & bonos mores. Quod autem ad fidei doctrinam pertinet, ita quaerunt ſi quid quaerendum habent ut abſit concertatio periculoſa vel quaerentibus vel ei cum quo quaerunt vel eis qui diſſerentes audiunt. Ita autem docent ſi quid docendum habent ut uſitatant confirmata ſecuriſſime & fidentiſſime & leniſſime ut poſſunt inſinuent, inuſitata vero, etiamſi veritatis manifeſtatione liquidiſſima percepenunt, quaerendo potius quam praecipiendi aut affirmandi modo, propter audientis infirmitatem. Si enim tantum pondus habet aliquod verum ut vires diſcentis excedat, ſuſpendendum eſt ut extendat creſcentem, non imponendum ut opprimat parvulum. Unde eſt illud: Filius hominis, cum venerit, putas inveniet fidem in terra? Aliquando etiam occultandum eſt, ſed cum ſpe hortatoria, ut non faciat deſperatio frigidiores, ſed deſiderium capaciores. Inde eſt illud: Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo. Quod vero ad mores pertinet, hoc bene & breviter dicitur. Aut configendum eſt cum amore temporalium bonorum, ut non vincat, aut edomitus ſubditusque eſſe debet, ut cum ſurgere coeperit, facile repellatur, aut ita extinctus ut ſe omnino nulla parte commoveat. Ex quo ſit ut ipſam mortem propter veritatem alii fortiter obeant, alii aequanimiter, alii libenter. Quae tria genera fructus ſunt fertilis terrae, triceni, & ſexageni, & centeni. In horum aliquo genere inveniendus eſt tempore mortis ſuae, ſi quis de hac vita recte cogitat emigrare.* Haec dicente ſancto Auguſtino, facile agnoſcitur terra bona, melior, optima fructu triceſimo, ſexageſimo, centeſimo diſtincta. Quod ſi quis numeroſius hominum genera ſalvanda voluerit diſtinguere praemiſſa tripertita diſtinctione, vel illa nihilominus tripertita qua duo in lecto, duo in agro, duo in piſtrino monſtrantur, quorum unus aſſumitur & alter relinquetur, mittimus eum ad praedicti patris volumina, in quibus de omni hominum maneria ſalvanda invenimus egregia & ſpecialia opuſcula. Nam ad inſtruendam vitam conjugum librum de bono conjugali, ad erudiendam caſtimoniam viduarum librum de bono viduitatis, ad conſummandam perfectionem virginum librum de virginitate ſcripſit lucidiſſime, atque ad informandos milites & principes librum ſcripſit ad Comitem. Porro ad informationes monachorum librum ſcripſit de opere monachorum. De vita vero clericorum ſcripſit regulam ſermone ſuccinctam, ſenſu copioſam, doctrinae ac vitae Apoſtolorum per omnia conſonam. Dum ergo doctoris hujus conſidero libros de ordinibus Eccleſiae diſtinctis diſtincte compoſitos, quaſi quoſdam ejus perpendo manipulos cum exultatione meſſoris ante dominum meſſis portandos. Item beati Papae Gregorii ſcripta lucidiſſima quaedam ſunt regulae praeclarae de omnibus ordinibus totius Eccleſiae, dum & in libro paſtoralis curae clerum, & in dialogo ſuo vita patris Benedicti deſcripta inſtruit ordinem monaſticum, & in homeliis & epiſtolis atque ſcriptis moralibus cunctum docet populum Chriſtianum, ſecundum quod ei fuit injuncta ſollicitudo omnium Eccleſiarum. Praedictorum ergo & aliorum patrum orthodoxorum doctrinae quaedam ſunt rectiſſimae regulae ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis. Unde ab his exorbitantes neceſſarium eſt curari poenitendi medicina; in qua tamen cavendae ſunt falſae poenitentiae, quae a noſtri temporis meſſoribus Romanis Pontificibus Gregorin VII. & Innocentio Papa II. ita ſunt ab agro dominico exterminatae atque faſciculis comburendis alligatae ut eorum ſcripta & interdicta penſantes liquido cognoſcere valeant non magis valere falſam poenitentiam contra peccatum actuale quam falſum baptiſmum contra peccatum originale. Quod cum ita ſit, recte movemur & dolore afficimur videntes in Eccleſia Dei quoſdam excommunicatos vel interdictos per falſam poenitentiam vel, quod pejus eſt, per nullam admitti ad dominici corporis communionem laicam vel, quod pejus eſt, leviticam, quaſi flammeus gladius ad cuſtodiendam viam ligni vitae poſitus omnino ita ſit in diebus noſtris extinctus ut ad illud pateat acceſſus ligno ſcientiae boni & mali abutentibus ac pudenda ſua tegentibus vel, quod pejus eſt, peccata ſua, etiam manifeſta, defendentibus. Multos hac tempeſtate videmus cum Herode vel Herodiade illicita praeſumentes, & paucos cum Iohanne talia redarguentes. Et ut a bonis exempla ſumamus, multi Reges & Principes exemplo David Regis peccant, ſed pauci exemplo ejus emendant. Multi Pontifices & ſacerdotes exemplo Petri cadunt, ſed pauci exemplo ejus reſurgunt. Multi animales ſpiritum non habentes, & omnino inordinate viventes, nulla regula vel coenobitalis vel ſaltem Chriſtianae religionis utentes, manifeſte ſemetipſos a corpore Chriſti ſegregant, ita ut nec ſpeciem in ſe alicujus boni membri oſtendant, & tamen eidem corpori ſacramento tenus nemine prohibente communicant, aut, quod pejus eſt, idem corpus immolant atque diſpenſant. Unde non immerito etiam a quibuſdam illiteratis jam quaeritur inter diſpenſatores ut fidelis quis inveniatur, & pauci ſunt qui dicere valeant vel dicant cum Apoſtolo: *Sic nos exiſtimet homo ut miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei.* Item: *In omnibus exhibea-*

habeamus nosmetipſos ſicut Dei miniſtros, ut non vituperetur miniſterium noſtrum. Solummodo gladiis & fuſtibus, minis & terroribus exigunt plures talium ut non vituperetur miniſterium eorum, cum ſit vituperabile in oculis Dei & hominum. Itaque deficiente nunc humano conſilio & auxilio, Domine, refugium tu factus es nobis a generatione in generationem, quia in te ſolo nobis eſt fiducia quod mittas & eicias operarios in meſſem tuam, mittas voluntarios, eicias etiam invitos, quos tu noſti eſſe idoneos operarios, quales optamus eſſe omnes omnium Eccleſiarum praelatos, & maxime apoſtolicae ſedis antiſtites, Cardinales, atque Legatos, ut videlicet per ipſos corrigatur ſi alicubi a ceteris erratur. Mitte, Domine Ieſu, angelos tuos in meſſem tuam, qui colligant de regno tuo omnia ſcandala & de campis tuis omnia zizania, inter quae non minimum eſt illa ſaepe notata regula; cujus malae frutices in campis tuis uberiora occupant loca, ita ut, ſicut Amos Propheta deplorat, deſiccatus ſit vertex Carmeli & lugeant ſpecioſa paſtorum. Ait enim: *Dominus de Sion rugiet, & de Jeruſalem dabit vocem ſuam. Et luxerunt ſpecioſa paſtorum, & exſiccatus eſt vertex Carmeli.* Non ergo ſolum *te decet hymnus Deus in Sion*, ſed etiam rugitus de Sion: quia ſicut hymnus eſt vox exultationis in tabernaculis juſtorum ſanctae civitatis Sion ſive Ieruſalem civium, ſic rugitus eſt vox terroris tanquam de ore leonis in terribilibus judiciis ſuper ſpecioſis paſtorum & de vertice Carmeli. Olim ſuper ſpecioſa paſtorum & ſuper verticem Carmeli Deus majeſtatis intonuit quando Iudaeorum ſacerdotibus in pretioſo & ſpecioſo templo gloriantibus & dicentibus, *Templum Domini, templum Domini, templum Domini eſt*, e contra vox Domini confringentis cedros, id eſt, humiliantis falſo glorioſos, redarguit eos in verbis mendacibus, eo quod ipſis in templo Dei latrocinantibus jam non eſſet illud templum nominandum, ſed ſpelunca latronum, atque ideo juſto judicio divino ſuperveniente Rege Babylonis omnia templi ſpecioſa eſſent vaſtanda, & vertex Carmeli, ſuperbia videlicet Iudaeorum in ſcientia circumciſionis, quod ſonat Carmelus, vane gloriantium, foret humiliandus, & ſubtracta ſibi pluvia deſiccandus. Quod & factum eſt, primo per primam Babyloniam, ſecundo per ſecundam Babyloniam Romam, captivatis Iudaeis atque vaſtatis omnibus eorum ſpecioſis, ita ut etiam nubibus non pluentibus imbrem gratiae ſuper Carmelum, cujus nomen, quia ſcientia circumciſionis interpretatur, omnem Iudaicae religionis demonſtrat cultum, recte ipſe Carmelus comparetur montibus Gelboe pro eo quod nec ros nec pluvia caeleſtis gratiae veniat ſuper Judaicas obſervantias, quantumlibet ſpecioſas & ex ſcientia legis & circumciſionis glorioſas. Recte itaque luxerunt ſpecioſa paſtorum in quibus Deo non fuit beneplacitum. Et recte ſiccatus eſt vertex Carmeli, ſubtracto ſibi rore & imbre caeleſti. Quod autem de falſis Iudaeis carne tantum & non fide vel imitatione filiis olim dictum eſt contra gloriam eorum vane gloriantium in ſpecioſis paſtorum & vertice Carmeli, hoc idem procul dubio nunc ſpiritus dicit Eccleſiis; in quibus cum ſit cultus parietum ſpecioſus & multo auro fulgidus, mentium ſitus neglectus invenitur & ſordidus. Vertex etiam Carmeli deſiccatus comprobatur, quando cujuslibet Eccleſiæ angelo in vertice pontificalis apicis exaltato vere dici poteſt: *Caritatem primam reliquiſti.* vel: *Quia tepidus es, incipiam te evomere.* vel: *Nomen habes quod vivas, ſed mortuus es.* vel: *Neſcis quia tu es miſer & miſerabilis & caecus & nudus.* Quidnam iſta contra Eccleſiarum angelos dicta ſignificant niſi verticem Carmeli deſiccatum? Sed cum dicitur unicuique talium, *Poenitentiam age*, ſpes datur veniæ ſimul & gratiæ, cujus rore ac pluvia vertex Carmeli denuo rigatus irriguo ſuperiori & inferiori madeat ac germinet, fructuſque dignos pœnitentiæ faciens, pro urtica libidinis myrthum caſtitatis & pro ſaliunca deſidiæ abietem ferat vitæ contemplativæ ſimul & activæ, quæ ambæ notantur in abiete, quæ in terra ſtans, in altum creſcendo erigitur; ut ejus radicatio inferius & celſitudo ſuperius doceat nos terrena deſpiciendo in uſu tenere, cæleſtia ſuſpiciendo in deſiderio ſancto ardere. Ablatis igitur hujuſmodi urticis & ſaliuncis, quales gignit humus inculta & nullo vel cœnobialis vel ſaltem Chriſtianae regulæ aratro verſata, ſecundum patrum ſana documenta, tu qui maledicis ficulneæ foliis tantum ſine fructu venuſtæ, malignæ videlicet ſynagogae habitu pompoſae, a virtutibus vacuae, benedices coronae anni benignitatis tuae, fertilitatem donando poſt multam ſterilitatem; & ſic effuſa benedictione tua, campi tui eatenus inculti, nunc bene culti replebuntur ubertate omnino ſufficiente ad implenda horrea dominica ultimae illius meſſis copia in qua tollenda ſunt omnia zizania. Campi tui homines ſcilicet aequitate juſtitiae plani, replebuntur ubertate bonorum operum, & cum lugeant ſpecioſa paſtorum de quibus jam ſupra dictum eſt, e contra pingueſcent ſpecioſa deſerti; quia repudiatis Judaeis eorumque ſimilibus, pietatis quidem ſpeciem habentibus, ac proinde ſpecioſis, virtutem vero ejus abnegantibus, ac proinde contemptibilibus, pauperes evangelizantur, non ſolum ex Judaeis, verum etiam ex gentibus, mundo contemptibiles, Deo autem, qui corda videt, ſpecioſi. Hi tales deſerti & derelicti à ſeculo pingueſcent intus coram Deo; cui & dicit quiſque talium: *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea.* Quo contra illi quibus dicitur, *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta*, etſi foris opulentia temporalium bonorum ſint incraſſati, impinguati, dilatati, pinguedine carent vituli ſaginati; quem dum interdicti & a ſpiritu ſancto deſerti ſacramento tenus immolant & manducant, rei ſunt corporis & ſanguinis ejus, non participes pinguedinis ipſius. De hac ipſa pinguedine pingueſcent ſpecioſa deſerti, dum pauperes hoc ſeculum deſerentes & ab ipſo deſerti digne ſacrificant vel manducant corpus Domini, per quod fiunt participes ſpiritus ſancti, qui eſt pinguedo vituli ſaginati. Animales autem ſe ipſos ſegregantes, ſpiritum non habentes, etſi aſſidue ſacrificent vel communicent, jejuni ſunt ab hac pinguedine qua, ut dictum eſt, pingueſcent ſpecioſa deſerti. *Et exultatione colles accingentur.* Colles in hoc deſerto ſpecioſo vel in his campis ubertate repletis illi poſſunt intelligi qui quoniam ſe humiliant exaltabuntur, & in hac ipſa exaltatione tunc exultabunt in gloria coram ſimul diſcumbentibus, cum dicetur cuique illorum: *Amice, aſcende ſuperius.* Vertex Carmeli deſiccatus, ut ſupra ex parte oſtendimus, multum diſſimilis eſt iſtis collibus prae multitudine dulcedinis ipſos inebriantis gaudentibus & exultantibus. Illi namque, ſecundum quod ſpiritus eorum adhaerens Deo unum efficitur cum eo, intus exultatione replentur; ſed ſecundum quod corpus humilitatis ipſorum configurabitur corpori claritatis ejus, etiam forinſecus exultatione accingentur. Et quia de numero talium fiunt quidam magiſtri gregum rationabilium, ſicut ob gratiae praerogativam colles, ita propter commiſſos greges dicuntur arietes, qui praenotata exultatione cum ceteris quidem collibus accingentur, ſed prae ceteris induentur, ita ut quiſque illorum cum Propheta dicere valeat: *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me veſtimentis ſalutis & indumento juſtitiae circumdedit me quaſi ſponſum decoratum corona & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis.* In ſponſi nomine paternum, ſed in ſponſae maternum penſa pietatis affectum, cui merito geminum debetur ornamentum tam ſponſo quam ſponſae decentiſſimum. *Et valles abundabunt frumento.* Montes quidem exultabunt ut arietes, & colles ſicut agni ovium, dum exultatione colles accingentur, & arietes eadem exultatione tanquam nuptiali veſte induentur. Sed valles hujuſmodi collibus inferiores, videlicet ſancti & humiles corde, nulla praediti eccleſiaſtica dignitate, abundabunt frumento virtutum ſpiritalium, quales Apoſtolus

lus

ius enumerat dicens: *Fructus autem ſpiritus eſt caritas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, fides, manſuetudo, continentia, caſtitas.* Hujuſmodi fructibus abundantes non tacebunt a laude vel gratiarum actione, qua clamabunt, non contra Dominum, ſicut blaſphemi arrogantes & murmurantes, aut etiam ſua merita jactantes, aliaque tacenda loquentes. quod non eſt abundare frumento, ſed ſpinas & tribulos germinare. Clamabunt ergo tam colles quam valles, tam praelati quam ſubjecti, aſſidue orando & laudando Deum, ſeu gratias illi agendo. Contra verbum peregrinationis, quod eis fuit cauſa diuturnae captivitatis, clamabunt praedicando verbum ſalutis, quod eis erit cauſa efficiens reverſionis. Illo verbo venundati ſuper flumina Babylonis non canendo ſed flendo ſederunt, quia hymnum de canticis Sion in terra aliena cantare non potuerunt. Iſto verbo redempti & in Jeruſalem caeleſti nunc ſpiritu poſiti, poſthac etiam carne tranſponendi, reſumunt organa pridem ſuſpenſa, hymnumque de canticis Sion tanto ſolemnius frequentant quanto elongantes a Babylone, ſupernae Jeruſalem portas expeditius intrant. Cum enim ſcriptum ſit, *Introite portas in confeſſione, atria ejus in hymnis*, iſti a Babylone reverſi ſtant in atriis Jeruſalem. *Etenim hymnum dicent*, quem non dicerent ſi extra haec atria eſſent. *Hymnum dicent*, non qualem decuit in camino ignis dici a paucis tali martyrio aptis in medio Babylonis, verbi gratia ſub perſecutione ſpurciſſimi & nequiſſimi Neronis, ſed hymnum de quo in principio cantici hujus praecipui de canticis Sion dictum eſt: *Te decet hymnus Deus in Sion.* Quis eſt iſte hymnus niſi poſt omnium Regum Babylonicorum, quorum Antichriſtus erit ultimus, deſtructionem & civitatis Jeruſalem reaedificationem cantus exultativus, qualis in ultimis ſeptem pſalmis invenitur expreſſus, ubi univerſalis Eccleſia vel quaelibet eccleſiaſtica perſona de gladio maligno liberata vel in ſpe vel, quod melius eſt, in re ſic exultat in Rege ſuo Chriſto, ut non ſolum tres pueri ſeu viri fortiſſimi, ſed etiam filiae Sion exultent in Rege ſuo Regi Babylonis valde oppoſito. De Rege Babylonis dicit Daniel: *Quos volebat interficiebat, quos volebat percutiebat; quos volebat exaltabat, quos volebat humiliabat.* Quos, inquit, volebat, non quos debebat. Propterea igitur filiae Sion exultant in Rege ſuo, qui dicit: *Non veni facere voluntatem meam, ſed ejus qui miſit me patris*, quia ille neminem quantumlibet carnaliter propinquum exaltat niſi prout cauſa aequitatis poſtulat, qui etiam fratres ſuos Judaeos exiſtente culpa reprobat, & neminem percutit vel humiliat quem fides & humilitas commendat. Unde nec gentiles a gloria ſanctis praeparata repellit quos alias dignos eſſe conſtiterit. Ac proinde ipſe eſt Rex juſtitiae, dignus gloria & honore, dignus hymno civium Sion, prout *te decet hymnus Deus in Sion.* Etenim hymnum dicent juvenes & virgines cum junioribus, puſilli cum majoribus unanimiter canentes. Gloria patri, cujus templum eſt mirabile in aequitate. Gloria filio, ipſi templo. Gloria ſpiritui ſancto, qui eſt illa pinguendo qua pingueſcent ſpecioſa deſerti. Gloria patri & filio & ſpiritui ſancto, uni ac trino Deo, tam in templo admirabili aequitate quam in campis ubertate repletis. In templo illum glorificent Sacerdotes & Levitae mirabili aequitatis obſervantia, dum inter populum mediatores non declinent ad iniqua judicia, vel Deum fraudantes minus annuntiando quam debent ejus juſtitiam, vel populum fraudantes minus quam decet increpando ejus peccata. Item in campis repletis ubertate glorificet illum totus populus Chriſtianus afferens illi gloriam & honorem in fructibus juſtitiae vel dignae pœnitentiae. Amen. Amen. Amen.

Epiſtola Eugenii III. Papae ad Gerohum, qua approbat opuſculum ſupra deſcriptum.

EUgenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio G. Richerſpergenſi Praepoſito ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Scripta devotionis tuae benigne recepimus, & fervorem tuae religionis ex eorum inſpectione manifeſte cognovimus. Concaluit enim cor tuum intra te, & in meditatione tua exardeſcit ignis. Ignitum quoque eloquium tuum vehementer. Super hoc itaque quod contra peſſimas novitates, commotiones quoque quae contra Eccleſiam Dei & perſonas eccleſiaſticas oriuntur, te zelo caritatis exardeſcere cognoſcimus, paterno affectu gaudemus, & devotionem tuam in Domino collaudamus. Verum quoniam bonum eſt incipere, ſed multo melius conſummare, dilectionem tuam in Domino commonemus ut in bono propoſito firmiter perſeveres; quia nos perſonam tuam, tanquam litteratum & religioſum virum, paterna caritate diligimus, & in quibus ſecundum Deum poſſumus honorare & manu tenere volumus.

GAUFREDI CLAREVALLENSIS

Epiſtola de morte ſancti Bernardi Abbatis Clarevallenſis ad Eſkilum Archiepiſcopum Lundenſem.

ILluſtri Domino & Reverendo Patri Eſchilo Dei Ex L. V. Miſc. Bal. p. 453.
gratia Lundenſi Archiepiſcopo Metropolitano Daciæ frater Gaufridus de Claravalle tam miſerabilis jam pupillus quam felix olim magni patris alumnus, feliciter conſummari. Timor quem timebamus evenit nobis, & accidit quod vel ſolum vel maxime verebamur. Scio, ſcio, jam pervenit ad aures veſtras, jam pervenit ad cor, & veſtram ipſius animam gladius iſte pertranſiit, eo ſiquidem atrocius quo firmius adhæſerat ſanctæ illi animae quae migravit. Siquidem Bernardus amicus noſter dormit, ſed non totus dormit. Vigilat cor ipſius. Caro illius dormit & requieſcit in ſpe donec veniat qui a ſomno excitet illam. Nam ſpiritus quidem nunc maxime vigilans, non dormit aliquando, nec dormitat. Nimirum ad illos tranſiit vigiles qui ſupernam cuſtodiunt civitatem; ſed ipſos quoque pertranſiit; & inveniens ſancta anima illa quem diligit, tenuit illum, nec dimittet in finem. Quæſierat enim tot annis in lectulo ſuo per noctes. Iam reliquit lectulum, jam ſurrexit, non eſt hic, quippe cui jam aſpiravit dies, & inclinatæ ſunt umbræ. Iam ſupernam circumiens civitatem, immolavit in tabernaculis ejus hoſtiam jubilationis. Iam per vicos in quibus perpetuum reſonat alleluya, per plateas quae mundo ſternuntur auro, dilectum curioſe veſtigans inventa eſt & gratanter excepta a felicibus illis vigilibus, quos tamen & ipſos pertranſiens, quem quaerebat invenit. Et illa quidem non minus feliciter quam firmiter tenens dilectum amplectitur, nec dimittit. Nos ipſum amplectimur lectulum quem dimiſit, tanquam novi lectulum Salomonis; cujus & vos non modo ſapientiam auditurus, ſed ſuffragia petiturus, noviſſimo vitæ ipſius anno a finibus terræ fide plenus & devotione veniſtis. Cujus rei memoria ad expetendum illum ſequendumque alacrius merito ſatis omnes nos invitat & hortatur, præſertim quos ſpatia nulla terrarum, nulla marina pericula, nulli barbarorum metus habere valeant exculſatos. Votis deſideriiſque ſequendus eſt, cogitatione & aviditate petendus, crebris pulſandus ſuſpiriis & humili ſupplicatione. Si enim, juxta ſcripturam, oratio humiliantis ſe penetrat cælos, ibi profecto, ibi eſt quem amamus, ibi illum quem deſideramus inveniet. At efficacior modus ſequendi illum, noſtrorum profectus eſſet & immutatio ſtudiorum, & ſuorum vel ex parte ali-

qua imitatio morum; quam nobis ipſe piis precibus ac potentibus meritis obtinere a Deo & ſic nos trahere poſt ſe in ſuarum dignetur honore virtutum; quatenus mereamur ſic currere ut comprehendamus, ſic ſequi ut aliquando conſequamur. Nec enim ille defunctus eſt, ſed profectus. Non obiit ſane, ſed abiit. Tranſiit, non interiit. Mortem non incidit, ſed evaſit. Quem ipſius felicem tranſitum & deceſſum, qualicunque * ſermone digeſtum, munus, ut arbitror, gratum vobis deſtinare curavi. Non mediocre ſiquidem refrigerium nobis & vobis, ni fallimur, repoſitum eſt in ipſius memoria, cujus ſubtracta præſentia cruciamur. Obſecro autem ceteros qui forte legerint iſta (nam de vobis nil tale vereor) ut prolixitatem, ſi ſibi diſplicuerit, mihi dignanter indulgeant, cui multa ſuggerebat affectus. Nam ſermonis inertia ſi quem offenderit, conſideret quia quod habui, hoc feci; meminteritque, in his præſertim, non exigendum ab homine quod non accepit.

* Intelligit hiſtoriam mortis & miraculorum S. Bernardi, quæ edita eſt in tom. 6. operum ejuſdem ſancti pag. 234.

ADÆ ABBATIS PERSENIÆ
EPISTOLÆ QUINQUE
AD
OSMUNDUM MONACHUM
MORTUIMARIS
in Normannia.

I. Epiſtola prima Adæ venerabilis Abbatis Perſeniæ ad Oſmundum Mortuimaris monachum de inſtitutione novitiorum.

Ex L. I. Miſc. Baluz. pag 413.

DIlecto ſuo in Chriſto fratri Oſmundo Mortuimaris monacho frater Adam talis qualis Abbas Perſeniae, bene vivere & valere in Domino. Sollerter prudentis animi conſideratio penſat ut quod poſtulari animum poſſit offendere aut vires excedere requirere non praeſumat. Taedii nimirum mater eſt importunitas; quae tanto oneroſius petitioni ſuae inſiſtere non deſiſtit quanto omne quod affectat opportunius eſſe credit. Vnde, obſecro, unde hoc tibi ut majorem quam ſim me exiſtimes, & ita tuo importunus factus es dilectori? Diligeris ſiquidem, ſed non forte ea menſura qua exiſtimas: quia etſi fortaſſis dignus es diligi, non eam tamen amoris menſuram impendere poſſum homini quam nec ipſi valeo impendere conditori. Diligo tamen utcunque quod eſſe diligendum hactenus poſſum cognoſcere. Sed non ſemper effectus operis ſufficienter affectum protellatur amoris. Ille facile quod petitur poteſt exſequi in quo reſpondet ex æquo affatus effectui; ſed non eo uſque mereor divinitus innovari ut hoc utrumque bonum penes me valeat inveniri. Dilectio eſt mihi modica, ſcientia tenuis, occupatio multiplex, dolor animi plurimus, labor mentis & corporis ultra vires. Quid igitur ſollicitudini Marthæ & otio Mariæ? Aut quomodo in Lya, quæ laborioſa eſt & lippis oculis, Rachelis elegantiam tu requiris? Tua te, fili, fallit opinio & nimis de me tua praeſumit dilectio; nec interim tibi conferre poterit ſuppoſitio Lyae quod optas de Rachelis obtutibus obtinere. Nondum receſſerunt vetera de ore meo, nondum mihi abraſa eſt vetuſtas ab animo; & tu me compellis de novitate vitae philoſophari, quomodo ſcilicet noviter converſi de ſaeculo in novum hominem valeant reformari. Revera neceſſe eſt ut convertentes de ſaeculo multa diligentia novae vitae ſplendoribus informentur, ut ſecundum ſui nominis rationem depoſito veteri homine, rectae novitii nominentur. Sed quomodo a me poſſet hoc doceri, qui nunquam in ordine novitius fui, nec per experientiae magiſterium hoc merui percipere vel aliis impendere documentum. Non nego certe me magiſtrum novitiorum aliquando extitiſſe. Sed ſufficienter non potui inſtituere novitios de regulis artis hujus, qui hoc uſurpavi miniſterium inexpertus. Veruntamen ad hoc opus ſex neceſſaria eſſe puto, quibus habitis & obſervatis mutare poteſt Æthiops pellem ſuam & in beatam albeſcere novitatem. Primum eſt fidei fervor, ſecundum Dei timor, tertium ſapientiae amor, quartum religioſa magiſtri converſatio, quintum pia ejuſdem circa novitium ſollicitudo, ſextum amica & frequens de ſpiritualibus aut de obſervantiis regularibus collocutio. Fides expellit ignorantiam, & intelligentiam præſtat. Vnde Iſaias: *Niſi credideritis, non intelligetis.* Qui enim non credit, divinae cognitionis lumen non percipit; ac per hoc illius timore vel amore non afficitur cujus intelligentiam non meretur. Divini timoris duplex eſt effectus; quia & terminat malitiam, & ſapientiam inchoat. De primo effectu ſcriptum eſt: *Timor Domini expellit peccatum.* Et iterum: *Timor Domini mala non operatur.* De ſancto timoris effectu pſalmiſta dicit: *Sanctum & terribile nomen eius. Initium ſapientiae timor Domini.* Recte ubi ſapientia incipit, malitia facit finem, quia ſapientia vincit malitiam. Quam felix eſt ſapientiae initium, quod totius eſt negligentiae & inſipientiae expulſivum! quia, ſicut ſcriptum eſt, qui timet Dominum, nihil negligit, ac per hoc malitiae non ſegniter ſe opponit. Amor ſapientiae, qui tertio loco ponitur, dum his quae ſcienda vel facienda ſunt ex affectu diligentiam impendit, alacriter juſtitiam conſummat & perficit. Animi nimirum innocentiam, quam timor reparat, amor conſervat: cui dum juſtitiam addit operum, etiam ad contemplationem provehit æternorum. De cætero amator ſapientiæ hujus recte poteſt & debet appellari philoſophus: quia dum ei ſplendor illuminat veritatis, etiam oblectat amor virtutis. Quarto loco ponitur religioſa magiſtri converſatio, quae quaſi in ſpeculum eſt adhibenda novitio: quia dum ei exemplum honeſtatis e vicino proponitur, ad imitationis ſtudium efficacius provocatur. In monte quippe Moyſi eſt exemplar oſtenſum cujus inſtar debuit componere tabernaculum, quia tam ſublimis debet eſſe vita præſidentium ut ad exemplum ipſius formetur converſatio ſubditorum. Quinto ponitur loco pia magiſtri circa novitium ſollicitudo, per quam probet & experiatur utrum ad opus Dei ad perferendum opprobrium, ad obedientiae bonum, potens & voluntarius habeatur. Certe ſi ad illa tria ipſum magiſter paratum invenerit, ſi in opere Dei ipſum fervere cognoverit, ſi bono & læto animo bonum obedientiæ ſuperioribus, coæqualibus, inferioribus exhibentem, ſi ad perferenda opprobria patientem, poteſt intelligere quod vere Deum quærit, ſi tamen felici perſeverantia felix initium claudere non omittit. Doceat eum magiſter ferventer inſiſtere divino operi, ut ſibi caveat ab illius ſententia maledicti quam ſpiritus ſanctus omnibus imprecatur qui fraudulenter & deſidioſe Dei opera exequuntur. Nonne eſt in Dei opere fraudulentus in quo a ſono linguae diſſonat animus, & cum videatur Deum labiis honorare, non veretur ab ipſo otioſis aut voluptuoſis ſeu etiam malitioſis cogitationibus elongare? De hujuſmodi improbis laudatoribus conqueritur ſpiritus ſanctus per prophetam, ſic dicens: *Populus hic labiis me honorat. Cor autem eorum longe eſt a me. Vnde ſine cauſa colunt me.* Laudantis Deum labia debent eſſe cymbala bene ſonantia. Sed cymbala non bene ſonant quando cordis intentio & affectio labiis laudantibus non concordant. Laudator enim eſt deſidioſus qui negligenter ſe agit in Dei laudibus. Nec mirum ſi adeſt illi torpor deſidiae qui a corde mortuus Dei lau-

Eſa. 7.
Eccli. 1.
Pſal. 11.
Matth. 15.

laudes ſolo proſequitur ſono linguae. Qui ſic ſe in Dei laudibus agit, promulgatum a ſpiritu ſancto maledictum incurrit. Vnde & novitii ſunt vehementius admonendi, ne qui ad percipiendam Dei benedictionem venerunt, recidant in hujus foveam maledicti. Debet etiam pia magiſtri ſollicitudo inſtituere novitios de obedientiae bono, quod & majoribus tanquam Deo de jure regulae, & coaequalibus ex fraterna caritate, & inferioribus ex humilitatis virtute eſt exhibendum. Iam qui fratres diligit ex caritate, & ſe ipſum abnegat ex humilitate, non multum curat ſe illatis opprobriis affici; quin potius crucifigens ſe Chriſto, gaudet ſe crucis ejus ignominiae ſociari. Itaque in fervore divini operis oſtendit ſe diligere Dei cultum. In exhibendo obedientiam oſtendit ſe diligere proximum. In patienti opprobriorum perpeſſione oſtendit ſe abnegaſſe ſe ipſum. Sexto loco ponitur amica & frequens de ſpiritualibus aut de obſervantiis regularibus collocutio. Noviter converſi de ſaeculo, quantalibet devotione polleant, acidiae tamen vitio ſaepe laborant, ac per hoc amica & frequens collocutio magiſtri faſtidio quod ex accidia naſci ſolet debet opponi. Interdum de ſpiritualibus debet eſſe colloquium, ſcilicet aut de myſteriis ſcripturarum, aut de exemplis ſanctorum, ſeu de caeleſtibus praemiis, quomodo acquiruntur operibus bonis, vel certe de tormentis gehennae, quae divinae juſtitiae nimis formidanda ſeveritas his qui immunditiae & injuſtitiae deſerviunt ſe minatur inferre. De his frequenter colloqui, iſta jugiter meditari, multum movet animum & accendit, ut & vitiis & peccatis ſuperſedeat, & virtutum operibus inhianter intendat. Naſcitur etiam ex amica frequenti & honeſta collocutione commendabilis quaedam familiaritas, per quam magiſter efficitur ad corripiendum audacior, correptus ad diſciplinam patientior, uterque ad intelligentiam ſcripturarum eruditior, novitius exercitatior in obſervantia regulari. Ex hoc jam magiſter ſecundum regulam debet ei, non inferre quidem, ſed praedicare dura & aſpera per quae itur ad Deum. Hoc ei praedicare non eſt aliud quam ex ſcripturis aut ex propriis exemplis oſtendere artam & arduam eſſe viam quae ducit ad vitam. quam viam proculdubio non incedit qui intrare per anguſtam portam juxta praeceptum Domini non contendit. *Contendite*, ait Dominus, *intrare per anguſtam portam*. Et idem alibi: *Ardua & arta eſt via quae ducit ad vitam*. Et David ſanctus: *Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodivi vias duras*. Quid, obſecro, durius eſſe poteſt in via Domini quam ſe ipſum abnegare, crucem ſuam tollere, totam voluntatem ſuam voluntati ſubicere alienae? Quid inquam aſperius eſſe poteſt in via qua itur ad Deum quam carnem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis affligere, quam ſibi mundum & mundo ſe ipſum crucifixum exhibere? quod ſine dubio cuncti faciunt qui eſſe veraciter Chriſti volunt. Qui autem ſunt Chriſti, ait Apoſtolus, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis. Igitur magiſter novitio dura & aſpera per quae itur ad Deum praedicat, cum ei viam ſalutis artam & arduam eſſe & exemplo operis & verbo praedicationis demonſtrat. Haec ſiquidem ſalutis via tam arta, tam ardua, Dominus Chriſtus eſt, arta propter aſſumptae carnis humilitatem, ardua propter peccati immunitatem. Peccatum quippe non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus. Hanc viam penitus non incedit qui ad humilitatis ejus imitationem parvulus non exterit; nec poterit ad arduum vitae illius aſcendere qui ſe peccatorum oneribus aut viſibilium rerum amoribus voluerit ſarcinare. Hinc eſt quod hominibus ſubſarcinatis hujuſcemodi Babylonis oneribus inclamat per prophetam ſpiritus ſanctus: *Filii hominum, uſquequo gravi corde? Vt quid diligitis vanitatem, & quaeritis mendacium? Scitote quia mirificavit Dominus ſanctum ſuum*. Recte ſanctus eſt, & a Domino mirificatus, qui ab oneribus mundanae miſeriae non comprimitur; ut dum ei nihil libet in vanis & tranſitoriis, cuncta mente tranſiliens accipiat ſpiritum libertatis. Vbi enim ſpiritus Domini, ibi libertas, libertas inquam a peccato, a neceſſitate, a miſeria. Spiritus iſte a Deo emittitur, recreantur mores, terrae facies renovatur; & ut de novitiis tuis gaudere poteris, cum virtus ex alto participes eos faciet hujus mirabilis novitatis. Tunc recte novitii vocabuntur cum de novitate hac veſtis eis nuptialis aptabitur; nec de caetero eicientur de nuptiis agni, cum ad honorem ſponſi & ſponſae veſte fulgeant nuptiali. Veſtis haec nuptialis internae ſplendor eſt & gloria novitatis. Conficitur autem veſtis haec ex tribus, ſcilicet ex corporis caſtitate, ex cordis dilectione, ex elegantia diſciplinae. In hac veſte caſtitas eſt quaſi pannus, qui conficitur ex lana; quae exprimit caſtitatem, eo quod corporis neſciat paſſionem. Dilectio pellibus comparatur, quae panno, ut veſtis fiat calidior, aſſuuntur. Has pelles contulit nobis paſſibilitas & immortalitas agni immaculati, qui pro dilectione quam erga nos habuit, pellem pro pelle & cuncta quae habere potuit pro anima ſua dedit, id eſt pro Eccleſia ſua liberanda, quam ut animam ſuam immo pluſquam animam ſuam dilexit. Limbus qui ad ornatum ponitur in veſte, eſt ſplendor & elegantia diſciplinae; quae dum irreprehenſibiliter obſervatur exterius, ſignificari per hoc videtur & caſtimoniae & dilectionis affectus. Hanc ſibi veſtem ſponſa aptaverat, cui in libro ſapientiae ſic ſponſus exclamat: *O quam pulchra eſt caſta generatio cum caritate!* Nam ſic in pſalmo de diſciplina ſe poſtulat edoceri, bonitati continentiae & caritatis eam deſiderans adaugeri: *Bonitatem & diſciplinam & ſcientiam doce me, quia mandatis tuis credidi*. Et aſſecuta aliquando diſciplinam quam petierat, *Praeveni*, inquit, *in maturitate, & clamavi*. Maturum quippe reddit hominem diſciplina, quae eſt membrorum omnium motus ordinatus & compoſitio decens in omni habitu & actione. Ut igitur breviter recapitulemus quae dicta ſunt, neceſſe eſt ut novitius a fide incipiat, quae vere mentem a tenebris ignorantiae eruit & Chriſto incorporat. Incorporatus Chriſto, credulus efficitur & fidelis, credulus ad fiduciam promiſſorum, fidelis ad cuſtodiam mandatorum. Timor & de praeteritis malis poenitentiam condignam inicit, & malis tentantibus cordis aditum interdicit. Amor ſapientiae reparatam per officium timoris innocentiam diligentiſſime cuſtodit, & ipſi innocentiae addere aequitatem officioſiſſimae liberalitatis ſtudio non deſiſtit. Religioſa magiſtri converſatio exemplo ſuae probitatis provocat novitium ad ſtudium aemulandae virtutis. Pia ipſius circa diſcipulum ſollicitudo diligenter quantum poteſt interioris & exterioris hominis ſtatum conſiderat, ut ſecundum quod in eo viderit, applaudere vel condeſcendere illi ſciat. Hinc enim ſcriptum eſt: *Diligenter conſidera vultum pecoris tui*. Amica & ſpiritualis collocutio conſulte, ut dictum eſt, opponitur accidiae morbo: quia quanto amplius anima ſanctis colloquiis aſſueſcit, tanto eam vehementius ignita locutio liquefacit. Unde ſponſa divinis eloquiis aſſueta ſic ait: *Anima mea liquefacta eſt ut dilectus eſt*. In hoc certe ſenario tota pene conſiſtit devotae mentis eruditio, ut in his ſex quae nominata ſunt probationis tempore ſe exerceat, & probatione completa, ad illa tria quae in forma profeſſionis expreſſa ſunt ſe reſtringat. Stabilitas enim & converſio morum & obedientia ſecundum regulam in votivae profeſſionis formula ſollemniter promittuntur, & in his tribus ex ſaepedicto ſenario provenientibus quaedam perfectio continetur. Per lorum quippe promiſſae ſtabilitatis tanquam pia jumenta ad caeleſte praeſepium religamur. Per converſionem morum pietati angelicae ſimulamur. Per exhibitionem obedientiae ipſa angelica miniſteria imitamur. Fides itaque & timor reſpiciunt ad firmandam ſtabilitatem. Virtutum dilectio & magiſtri imitatio ad morum converſionem. Intenta ſollicitudo magiſtri & amica confabulatio ſpiritualis colloquii ad exhibendae obedientiae pertinent informationem.

Dum

Luc. 13.
Matth. 7.
Pſalm. 16.
Pſalm. 4.
Sap. 1.
Pſalm. 118.
Ibid.
Prov. 27.
Cant. 5.

Dum enim per ſpirituale colloquium accidiae torpor diffugit, mens ad fervorem obedientiae reviviſcit. Caeterum quaeſtioni ultimae, quam tu ipſe tibi propoſuiſti, ſatis ſufficienter, ut arbitror, reſpondiſti. Saepe enim a Deo & ab his qui ſecundum Deum aliis praeſident diſpenſatorie agitur, ut coram peſtilente manſueti patientia flagelletur. Nonnunquam cum id bono animo factum fuerit, duplex inde fructus provenit: quia & patienti de correptione augmentum meriti generatur, & ille tali ſanatur exemplo, qui prius incorrigibilis videbatur. Sic Apoſtolus a Domino permittitur colaphizari, non ut modo in eo humilitatem colaphizatio hujuſmodi cuſtodiret, ſed ut univerſa Chriſti Eccleſia ad conquirendam ſibi humilitatem exemplo conſimili flagella Dei aequanimiter toleraret. Sed & ipſum caput Eccleſiae Chriſtus nonne in oculis ſolis flagella, opprobria, crucem, mortem; quae non meruerat, toleravit, & ita per exemplum ſuae paſſionis & pretium ſui ſanguinis a morte perpetua perditos revocavit? Attende etiam Job innocentis patientiam, quantis attritionibus Deo diſpenſante ſubicitur, non ut modo juſti patientia invincibilis valeat comprobari, ſed ut infelix mundus juſtiſſimis ejus exemplis poſſit ad patientiam in ſuis adverſitatibus informari. Caeterum ſi ad gloriam Dei quandoque flagella contingunt, ſicut Dominus Chriſtus in evangelio caeco nato aſſerit contigiſſe, nonne innocens ualiter a Deo vel homine poenis afficitur, quando de luce ejus patientiae Dei gloria declaratur? *Luceat*, inquit Dominus, *lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum qui in cælis eſt*. Saepe ita fit ut doctor illum de cujus confidit patientia diſpenſatorie arguat durius in perverſorum praeſentia: quia dum Deum in ſanctis ſuis mirabilem per patientiam quam praeferunt, & innocentiam quam gerunt, mali homines intuentur, per pietatis teneritudinem in virum alterum a perverſitate priſtina tranſmutantur. Ecce, frater, ad inſtantiam tuam compulſus aliqua dixi, ſed forte expectationi tuae minime ſatisfeci. Non enim de tenui vena fluenta poſſunt effluere largiora. Veruntamen ſi, ut habet aſſertio tua, vere in Chriſto me diligis, intercede obſecro apud Deum pro iniquitatibus meis, & illis attentius me commenda quos ſecundum conſcientiam tenet & afficit pietas Chriſtiana. Saluta novitios tuos ex meo nomine, & eos mone ex parte mea ſic ſanctae intendere novitati ut corde & animo mundanae renuntient vetuſtati.

Matth. 5.

II. *Item epiſtola ſecunda ejuſdem ad eundem de ſeptem feriis & ſeptem liquefactionibus.*

Dilecto ſuo in Chriſto fratri Oſmundo Mortuimaris monacho frater Adam ſervus ſervorum Dei qui ad Perſeniam Chriſto ſerviunt, ſalutem & verae religionis perſeverantiam. Cum aliquid quod honeſtum ſit ab amico petitur, & amicus eſt qui rogatur, non debet hujuſmodi petitio repulſam pati, ſi tamen facultas non deſuit adimplendi. De petitionis honeſtate & amica familiaritate confidens, cum multa inſtantia petis ut incitari ad virtutis ſtudium litteris aliquibus merearis. Si bene affectus es & ad ea quae juſta ſunt voluntarius, perficientis ſtudio amica commonitio non nocebit. Si forte ad ea quae recta ſunt mens tibi eſt tardior quam deberet, nihilominus exhortatio forte morbo remedium adhibebit. Modis omnibus auditori verbum ſalutis eſt utile, praeſertim cum & ille amat qui loquitur, & cui loquitur non ambigitur reamare. Et quae in amicorum colloquiis debet eſſe niſi de amore materies, de illo inquam amore quem nulla notat ſuſpicio, ſi dilectio vel caritas nominetur? Nomen quippe amoris ad diverſa commune eſt; ſed ad ea ſola quae veritatis vim habent & virtutis vocabulum reſtringitur caritatis. Cum igitur Deus amor, ſive caritas, ſive dilectio proprie & ſpecialiter nominetur, quae materies convenientior, quis ſermo inter nos dulcior quam de amore hujuſmodi haberetur? Sane cum timor Domini ſit initium ſapientiae, & amare Deum ſit ipſum ſapere, conſtat quod ab affectu divini timoris ſumit initium ſancti ſapor amoris: Dum enim Dei timor a vitiis evacuat habitaculum mentis excluſa amaritudine vitiorum, reſtituit cordi ſapientiae appetitum. Ex tunc incipit animus eſurire & ſitire juſtitiam; quam procul dubio tantopere nullatenus eſuriret, niſi praeguſtatus jam ſapor eſuriem provocaret. *Qui edunt me*, ait ſapientia, *adhuc eſurient; & qui bibunt me, adhuc ſitient*. Quid eſt enim amor juſtitiae niſi quaedam delectatio ſapientiae, cum nil ſit aliud eſſe juſtum quam divinis eſſe conditum ſaporibus & odoribus delibutum? Annon ſunt mores & opera juſtorum quaedam odoramenta virtutum, quae nimirum ex hoc contrahere cognoſcuntur quod intimis ſapientiae ferculis oblectantur? Sapientia ſiquidem a ſapore nomen trahit, quod ſapere faciat quae ſunt furſum, quod morum ſit delectabile condimentum. Quid igitur in vita felicius quam Deum timere & per ſollicitum divini timoris officium amori divino mentis domicilium praeparare? Timoris certe ſollicitudo omni cuſtodia mentem ſervat, ut jocunda amoris feſtivitas ſolemnes ferias ibi agat. Feriata mente opus eſt ut vacare & videre poſſis quanta ſit ſuavitas Dei, & quae ſit pii amoris ſolemnitas experiri. Septem igitur ſunt ſollemnes feriae, in quibus Deo vacatur, & in quibus anima, ut Deo liberius vacet, ab omni ſervili opere feriatur. Prima feria eſt ſpiritus timoris Domini; quae dum peccatis & vitiis finem ponit, quaſi ſervili operi ſpirituale otium antepoit. Timor quippe Dei nihil negligit; & dum lutum & lateres Pharaonis & Ægypti paleas execratur, jam ad feriandum & vacandum Domino praeparatur. Secunda feria eſt ſpiritus pietatis, in qua Deus tanto ſincerius & affectuoſius colitur quanto longius a mente excluditur laborioſae tumultuatio pravitatis. Pietas nimirum eſt Dei cultus & compaſſio proximi, in qua feria illa quies, illud ſilentium inchoatur quod per Prophetam cultus juſtitiae appellatur. Nota quia in hoc ſilentio quod cultus juſtitiae dicitur, quod in caelo hoc eſt in anima juſti cuſtoditur, cum dracone Michaël praeliatur. Quanto enim cor quietius fuerit ab intentione ſervilis operis, tanto acrius infeſtat eum nequitia ſpiritalis. Vnde merito quaeritur quomodo factum eſt ſilentium in caelo, cum praelium & tantum praelium exerceatur in illo. *Factum eſt*, inquit, *prælium in cælo; Michael & angeli ejus præliabantur cum dracone*. Attende quia caelum eſt anima juſti; in quo caelo, ſilentium agitur cum anima quieta a mundi ſtrepitu, & a peccati libera actu, tota in cultu & amore juſtitiae delectatur. Veruntamen propter iſtam quietem, in qua ad Dei ſe reparat ſimilitudinem, non omittitur quin contra poteſtates aërias eam oporteat habere certamen. Michaël quippe *Quis ut Deus* interpretatur. Quo nomine Dei ſimilitudo, quam ſola retinet juſtitia, deſignatur. Certe Paulus in hoc mentis ſilentio degebat, in his amoris feriis ſolemnizabat, cum de ſe ſuiſque ſimilibus ſic dicebat: *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus rectores tenebrarum harum contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus*. Tertia feria eſt ſpiritus ſcientiae, quae videlicet piam mentem cognitione veritatis illuminat & ad doctrinam proximo impendendam informat. Ille enim debet bona foris dicere & docere qui illa intus meruit didiciſſe. Cui Deum ſcire datum eſt & ſe ipſum, non debet in docendo negligere profectus proximorum. Qui ſcilicet ſpiritus ſcientiae non incongrue feria dicitur, quia qui conſecutus eam fuerit, ab univerſis erroribus & perverſis dogmatibus feriatur. Nec intelligendum eſt hoc ſcientia illa quae ſecundum Apoſtolum inflat, quia haec ſemper ex conſortio adjunctae ſibi pietatis aedificat. Quarta feria eſt ſpiritus fortitudinis, in qua jam fortis ut mors dilectio eſſe incipit; quae cum in varias inciderit tentationes, etiam hoc omne exiſtimare gau-

Eccli. 24.

Apoc. 12.

Epheſ. 6.

gaudium conſuevit. Iſtam agebant feriam quibus Apoſtolus Iacobus hoc dicebat: Iac. 1. *Omne gaudium exiſtimate, fratres cariſſimi, cum in tentationes varias incideritis*. Qui enim in ſpiritu fortitudinis agit, quicquid acciderit ei contrarium, aut non ſentit, aut facillime indefeſſa virtute revincit. Quinta feria eſt ſpiritus conſilii, cui parum eſt mandata Dei perficere, ſed magna animi alacritate ad ſectanda Dei conſilia ſatagit aſpirare. Poſtquam enim Dei mandata perfeceris, ſi juxta exhortationem Apoſtoli meliora chariſmata aemularis, ſurſum te extendis ad perficienda conſilia quae ſunt aemulatoribus perfectionis a ſalvatore propoſita. Vnde illi qui a juventute ſua aſſerebat ſe Dei mandata omnia cuſtodiſſe dicit Dominus in evangelio: Matt. 19. *Vnum*, inquit, *tibi deeſt. Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quae habes, & da pauperibus, & veni ſequere me*. Qui itaque in hac feria hoc eſt in ſpiritu conſilii agit, nihil ſine conſilio facit, omni neceſſe habenti bonum conſilium dare intendit, quippe qui & ſpiritum conſilii in ſe habet, & quem magni conſilii angelus Chriſtus docet. Sexta feria eſt ſpiritus intelligentiae, in qua jam mens ex obſervantia praecedentium feriatur ſatis docta eſt in inviſibilibus figere cogitatum. Defaecata quippe & purificata, ut dictum eſt, ex praecedentium feriarum obſervantiis, idonea eſt per meditationem caeleſtibus intereſſe ſubſtantiis, & amotis ab animo imaginibus rerum viſibilium, inferre in inviſibilibus eſſentiis intellectum. Intellectus enim eſt uniuſcujuſque rei inviſibilis nuda & manifeſta notitia. Septima feria, id eſt ſabbatum, eſt ſpiritus ſapientiae, ubi jam anima ſplendoribus illuſtrata divinis, etiam degnſtare incipit interim quoddam condimentum ſaporis. Hic jam anima quae ſurſum ſunt ſapere, quae ſurſum ſunt quaerere divinitus edocetur, dum quanta ſit, quam mirifica ſit interni ſuavitas ſaporis experitur. Nota quod feria illa quae dicitur ſpiritus intellectus tota eſt in ſplendore, ut qui ad eam pervenerit, nihil minus quam Cherubim id eſt plenitudo ſcientiae fiat. Illa vero feria quae ſpiritus ſapientiae nominatur tota eſt in ſapore, ut qui ad eam pervenire meruerit, nihil minus quam Seraphim id eſt ardens vel incendens exiſtat. Quem enim divini amoris ardor incenderit, alios utique hoc ardore liquefactus incendit. Ad hunc pervenerat ardorem feriata illa anima quae dicebat: *Anima mea liquefacta eſt, ut di-locutus eſt*. Cant. 5. Mens certe quam hujus amoris incendium liquefacit, incendit alios, dum quantum eos diligat ex ſuis liquefactionibus innoteſcit. Sunt autem plurimae liquefactiones animae caeleſti deſiderio ardentis & ad ardoris hujus deſiderium alios incendentis. Primo reſolvitur in lacrymas compunctionis, per officium & inſtantiam timoris initialis. Huic enim timori, cum ſit initium ſapientiae, mixtus eſt amor juſtitiae. Secundo reſolvitur anima in lacrymas devotionis, quae naſci ſolet ex recordatione beneficii ſpiritalis. Cum enim recordatur Dei beneficia, quae indigna accepit, movetur ad lacrymas dum gratias agit. Tertio liquefacta reſolvitur in lacrymas amoris, quae prodeunt de ſpe & ardenti deſiderio videndi aliquando faciem conditoris. Quarto liquefacta reſolvitur in lacrymas pietatis, quas erga fraternam miſeriam producit affectus compaſſionis. Quinta liquefactio eſt cum ardenti caritate totam ſe expendit & erogat in piis activae vitae exercitiis. Sexta liquefactio eſt cum anima tota liqueſcit & ſubtiliatur in delicias ſupernae contemplationis. Vnde de hujuſmodi anima ſcriptum eſt: *Quae eſt iſta quae aſcendit de deſerto, deliciis affluens?* Cant. 8. Septima liquefactio eſt cum anima hujuſmodi tota defluit & reſolvitur in fragrantiam boni nominis & ad conſolationem multorum ſpargit in aromaticam ſuavitatem odoriferae opinionis, ut de ipſa dici poſſit: *Vnguentum effuſum nomen tuum*. Vnde & talis anima in cantico canticorum appellatur virgula fumi ex aromatibus myrrhae & thuris & univerſi pulveris pigmentarii. Talis ſiquidem anima odoris ſui fragrantia alios attrahit, & ad Dei dilectionem poſt ſe currere facit exultantes & dicentes: *Poſt te in odore unguentorum tuorum curremus*. Cant. 1. Hujuſmodi liquefactiones ſunt illae emiſſiones de quibus ſponſa laudatur, cum ei voce ſponſi in cantico dicitur: Cant. 4. *Emiſſiones tuae paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus*. Verum ad bona iſta, mi dilecte, nunquam pervenient qui a timore Dei innocentiam non concipiunt. Certe nec illi poſſunt gaudere partu juſtitiae in quibus Dei timor non procreat conceptum innocentiae. Sed nec illos conceptu hujuſmodi timor impugnat quos ſplendor rectae fidei non illuſtrat. Crede mihi, ut verba Dei cum affectu audias, audi ut timeas, time ut diligas, dilige ut mandata perficias. Nam ex perfectione mandatorum ſequitur felix adeptio praemiorum. Deum igitur time, & mandata ejus obſerva. Hoc eſt omnis homo. Vale in Domino ſemper, & ſic vive ut & conſcientia tua tibi interius perhibeat teſtimonium, & exterius valeas eſſe fratribus in exemplum.

III. Item epiſtola tertia ejuſdem ad eundem.

Dilecto ſuo in Chriſto fratri Oſmundo monacho Mortuimaris, frater Adam ſervus ſervorum Dei qui apud Perſeniam militant, ſalutem in ſpiritu ſancto. Importunitas eſt taedii mater, ubi eam ardentior dilectionis ſinceritas non excuſat. Verum nihil eſt vera dilectione fidentius, nec aliquid opportunius eſſe exiſtimat quam importune illi inſiſtere de quo fidit. Haec fiducia dilectoribus Dei praeſtat orandi conſtantiam; nec ideo ab inſtantia orationis deficiunt, quia in eo quem amant confidere ſe cognoſcunt. Tu videris erga me hanc habere amoris fiduciam. Et ideo de taedio notari te non metuis, quia tribuit tibi confidentiam internae conſcientia caritatis. Sed quid eſt, obſecro, quod tantum de te ipſo mihi conquereris, & varias mentis tuae aegritudines mihi proponis quaſi ad remedium & exponis? Aut quid poteſt habere commodi morbum ſuum oſtendere eadem invaliditudine laboranti? Annon quodam modo dolorem aegrotanti exaggerat qui de ſe illi planctus & lacrymas exhibet quem potius conſolari debebat? Infirmitates tuas illi potius debueras revelare cui praeſtita eſt virtus ſanitas animae, & cui cum ſanitate animi data eſt etiam peritia medicandi. Non enim ſtatim qui mentis ſanitatem id eſt virtutem obtinet, ideo medendi peritiam habet. Sed qui utrumque a Deo conſequitur, feliciter male habentibus praeſto eſt & medetur. Nam ridiculum eſt quemquam medicinalis artis exercere officium, & quibus curam impendit exhibere ſe languidum. Et vix efficaciam poteſt habere in exhibendis remedijs quem reddunt contemptibilem evidentis ſigna languoris. Cum igitur virtus ſit animi ſanitas, cujus aegritudo eſt vitium, aegritudini tuae remedium non exhibeo, qui in infirmitorio mundanae miſeriae hoc morbo ſaucius uſquequaque decumbo. Sic ſic propter neglectam cuſtodiam cordis abundat & ſuper abundat vita vitijs, & ex languoribus abundantium vitiorum conſenſu adhibito viperea ſoboles naſcitur peccatorum. Agit ſiquidem inteſtina vitiorum inhaeſio ut pene continua ſit in nobis peccati recordatio: quae tamen ſi delectationem ſecum non habuerit vel conſenſum, nihil per hoc agitur in Deum timentibus niſi bellum. De bello autem, ſi mens in conſtantiae virtute perſiſtit, victoria provenit, & victoria ad coronam provehitur, quam niſi qui legitime certaverit non meretur. Satagit itaque animus virtutis ut quia contraire non poteſt motibus primis, ſaltem uſque ad delectationis vel conſenſionis periculum non labatur, ne etiam e vicino quandoque ad perverſitatem operis pertrahatur. Verum infelix animus meus & ex more primis motibus aſſidue quatitur, & ex cogitationibus ab eis orientibus periculoſe illicitur, & tantum ex morbo hujuſmodi invaleſcunt delectatio & conſenſus, ut me ſaepiſſime ad conſenſionis illicitae trahant opus. O ſi, quemadmodum praecipit ſapientia, cor omni cuſtodia ſervaretur, nec animus ex peccati delectatione iniquitatem conciperet, nec ex concepto hujuſmodi

par-

Digitized by Google

partus nequitiae proveniret. Certe ſi Dei timor ſollicitas exerceret excubias, ad cordis aditum omni prorſus nequitiae negaret introitum, & ſicut ab ingreſſu animae per vigilantiam peccatum marceret, ita quod per negligentiam male intrare potuit, per pœnitentiam ab interioribus propulſaret. Eſt enim Dei timor amator innocentiae, & nihilominus juſtitiae aemulator, aſſuetus damna innocentiae per juſtitiae rectitudinem reſtaurare. Dum enim anima quae ad creatoris injuriam innocentiam perdidit, per pœnitentiam de ſe ipſa juſtitiam Deo facit, nonne videtur tibi per pœnitentiam reparare innocentiam, cui ſane multo gratius erat illam non deſcendiſſe de Hieruſalem in Ierico, non in latrones incidiſſe, quam vulneratae a latronibus ſalutis remedia procuraſſe. Beatus tamen eſt qui prius amiſſam innocentiam pœnitendo reſurgit ad juſtitiam. Sed felicior eſt qui ſic divini timoris cuſtodia communitur ut contra innocentiam quicquam agere dedignetur. Nihil igitur eſt divino timore beatius; cujus pondere dum animus figitur, non per varia vanis cogitationibus agitatur. Dum enim officij ſui ſtimulo cor aſſidue tangit & pungit, aliud aliquid quam ipſam punctionem vel punctionis cauſam in memoriam venire vix ſinit. Qui dum ad oſtium cordis ſalubriter & feliciter ſollicitus cuſtos excubat, amori ad ſolemnizandum interius locum praeſtat. Timor ſiquidem ſanctus facillime cogitationes otioſas a conſpectibus cordis, dum Deo intendit, exſufflat, voluptuoſas deſiderio propoſitae honeſtatis perſequitur, malitioſas oppoſitione ſimplicitatis & pietatis exturbat. Per piam igitur ſancti timoris ſollicitudinem compreſſis incurſibus vitiorum, ſedatis cogitationum tumultibus, ſabbatizante jam conſcientia, amor ſolemnizat interius, & tanto jocundiores ferias agit quanto mentem liberam ad caeleſtia affectanda cognoſcit. Tu igitur, cariſſime, cum feſtivitas hujuſmodi ex amoris infuſi beneficio lætificaverit tibi mentem, habe me ſolemnitatis internæ conſortem; nec bonum collatum tibi facias ſingulare, ſed amici adhuc exterius mendicantis in tuis deliciis recordare. Frange inquam panem tuum mendicanti & eſurienti amico; quia in hoc te vere amicum probaveris, ſi amici eſuriem refeceris pane tuo. Panis tuus Chriſtus eſt, panis tuus caritas tua eſt, panis tuus oratio tua eſt, panis tuus eſt compunctio lacrymarum, quibus non modo tua ſed etiam peccata diluis amicorum. His utique panibus ſe die ac nocte refici aſſerit propheta ſanctus, *Fuerunt mihi*, inquiens, *lacrymæ meæ panes die ac nocte*. Psalm. 41. Certe quanto his panibus avidius reficiebatur, tanto ad portanda aliorum onera fortior reddebatur. Cæleſtis ſiquidem panis refectio ita confirmat cor hominis ut & ipſe in laboribus poſſit ſubſiſtere & ſe fortem comportandis oneribus fraternis velit & valeat exhibere. Certe qui panibus hujuſmodi veſcitur, tam fortis efficitur, tanto figitur pondere, ut non dico evertere, ſed vix eum vanæ cogitationes & inutiles valeant commovere. Dum enim vel ex ſcripturarum vel ex lacrymarum panibus dulciter & avide reficitur animus in vinea domini ſabaoth laborantis, non impellitur, non agitatur cogitationum flatibus variis: quia ipſæ cogitationes, eo ipſo quod vanæ ſunt, ſolidatam conſueti cibi fortitudine mentem a ſuæ ſtabilitatis rectitudine non inflectunt. Cum panibus hujuſmodi ſaturatus fueris, ſaltem ſerva mihi aliquid de reliquiis, ut ex eis refectus poſſim & ipſe in laboribus meis ſubſiſtere, quos ſupra modum & ultra vires noveris exercuiſſe. Cæterum de animæ tuæ ægritudinibus, de quibus mihi in litteris tuis conquereris, ad illius opem & curam feſtina confugere qui juxta verbum ſuum non ſanis ſed male habentibus venit remedium exhibere. Ipſe enim dicitur Chriſtus, qui & ſauciati vulneribus ſalutiferam unctionem apponit. Ipſe dicitur Ieſus, qui unctos a ſe plenæ ſaluti reſtituit. Medicinæ ipſius efficaciæ volo te commendatum eſſe; cui tu devote & humiliter ſupplica ut meæ quoque invalitudini aſſit ipſius gratiæ efficax medicina. De cætero, fili, noli mihi moleſtus eſſe, nec a me aliquid amplius quæras: quia licet reſpondere petitionibus tuis deinceps non proponam, te tamen in veritate diligere, quandiu in veritate ſteteris, non deſiſtam. Vale in Domino ſemper.

IV. Litteræ ejuſdem ad eundem.

FRatri Oſmundo frater Adam. Aſtutus es, & callide agis, qui quod per te obtinere poſſe diffidis, per perſonam interpoſitam a me quæris. Et revera talem perſonam interpoſuiſti cui quod per eam poſtulabas hac vice negare non potui. Sed forte alias aliud facerem, ſi tantam ab ea pro te inſtantiam ſuſtinerem. Nunc igitur habes epiſtolam quam quæſiſti. Habes & cor meum in viſceribus Jeſu Chriſti. Et licet me gaudeam a neceſſitate ſcribendi quieſcere, tamen nunquam in ſpiritu ſancto deſinam te amare. Vtinam humilitatis meae litterulas apud te reconditas deteneres, nec tenuitatis meae inopiam caeterorum auribus intimares. Si enim per ſcripturam prohiberis laudare hominem in vita ſua, quomodo niteris efferre laudibus meae ruſticitatis opuſcula; praeſertim cum ſecreti amoris noſtri ſecreta colloquia deberent ſecularibus quibuſque celari. Semper conſuevit ſancta dilectio collocutionibus ſecretis gaudere. Eo facilius haec flamma reſtinguitur cum ventis expoſita inconſultius proponitur. Quod igitur tibi ex magno amore ſecretius dico vel ſcribo, vide ne per te fiat in propatulo. Quia, ut dixi, ſæpe flatibus ventoſæ laudis tepeſcit aut extinguitur vis amoris. Vale in Domino ſemper.

V. Melliflua Domni Adæ glorioſi Abbatis Perſeniae ad fratrem Oſmundum Mortuimaris monachum.

DIlecto ſuo in Chriſto fratri Oſmundo monacho Mortuimaris frater Adam humilis ſervus fratrum Perſeniae, in Mortuomari mori vitiis & virtutibus vivere. Vtinam, fili mi, ſit tibi mare mortuum quod fuit Iſraheli mare rubrum, ut dum tibi per illud liber tranſitus duce gratia datur, in eo cum ſuo Pharaone perſequentes te Ægyptii ſubmergantur. Glorioſe enim ſub manu Moyſi triumphans de illis, per illud feſtinas ad ſolitudinem. Quippe qui didiciſti experimento quod divino amori ſit amiciſſima ſolitudo. Qui enim amori caeleſtium vacat, fugit turbam, ſtrepitus vitat, & frequens Marthae miniſterium Maria faſtidit, ut audire & videre eo ſecurius quo ſecretius Chriſtum poſſit. Nihil certe tam facit ad amoris negotium quam ſolitarium eſſe, id eſt monachum. Nam religioſa & quieta monachi converſatio ipſa eſt quam ſanctus amor deſiderat ſolitudo. Nec tamen amoris hujus pietas in tantae ſolitudinis otio conſtituitur ut piae ſollicitudinis timore privetur. Sed timorata & timida eſt ſemper amans anima, ne in amoris ſui periculum ſit a bono opere per negligentiam otioſa. Et talis quidem eſt amor divinus. Sed nihilominus pia plenus eſt ſollicitudine amor fraternus; & qui ſinceriter alterum diligit, a dilecto reſpectus ſui oculum vix reflectit. Ecce, fili, dilectionis tuae ſuſcepi litteras, & mihi lectae ſunt, & ex earum lectione cognovi apertius quod revera amor nunquam eſt otioſus. Vbi enim infigit affectum, illuc dirigit oculum, nec inſatiabili oculo patitur non videre quod affectu tenaci & avido delectat amare. Videtur hoc ſapere poëtae ſententia, licet loquatur de dilectione contraria, in quodam verſiculo ita inquiens: *Res eſt ſolliciti plena timoris amor*. Ovid. epiſt. 1. Quemadmodum enim natura ignis non quieſcit in ſui nutrimentum ſorbere materiam quae ei ſuppoſita fuerit, ſic mens, nimirum amantis deſiderio amoris ignita, totam rem quam diligit in ſui attrahit gaudii incrementa, ſollicite de illa cogitat, laetanter de illa loquitur, & ubicunque theſaurum repoſuerit ſuae dilectionis, ibi nimirum & affectum & aſpectum delectabiliter collocat ſuae mentis. Vbi enim amor,

ibi

ibi oculus; & juxta evangelicam ſententiam, ubi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum. Habet quilibet in amore ſuo gaudium ſuum, & de re circa quam magis afficitur plenius gaudet & delectabilius meditatur. Et quid mirum, fili? Certe inter potentias animae nulla eſt amore liberior, nulla liberalior, nulla dulcior; nulla eſt aeque fortis. Cum materiam ſibi accommodam flamma illa invenerit, igneſcit vehementer, aeſtuat dulciter, ardet ſuaviter; & cum fortiter accenſa fuerit, vix eam res aliqua intercidit. Verum tibi conſiderandum eſt quae igni tuo fomenta adhibeas. Non facillime potes decipi, dum fortiter amas quod amore tuo dignum eſſe minime certius comprobaſti. Virtuti impendendus eſt amor. Sola animi virtus diligenda eſt in hominibus. Sed ſola anima virtus, cum ſit appetenda, ſpecialiter & inhianter imitanda eſt; eſt etiam, in quocunque fuerit, ſingulariter diligenda. Haec idcirco dixerim amantiſſime, quia nimium cito caperis, & me videris diligere quaſi de ſanctitate mea conſcius ſis. Sed licet me quamvis indignum gaudeam diligi, nollem te tamen in amore cujuſpiam fraudem pati. Dilige Deum fontem ſapientiae, auctorem virtutis, datorem gratiae, promiſſorem gloriae, beatitudinis largitorem. Servire illi, regnare eſt; diligere, virtus; inhaerere ſanctitas; pervenire ad illum, ſalus; illum tenere, honor & gloria; cum illo eſſe, beatitudo & felicitas ſempiterna. Caeterum, ſicut aſſeris in litteris tuis quod nihil a me requiras, prohibitionem meam bene ſervare videris. Sed quid eſt, obſecro mihi ſcribere, niſi alicujus reſponſi reſcriptum requirere; ut dum quaſi compellor reſpondere litteris, indirecte litteras expetere videaris. Veruntamen propter hoc non iraſcar tibi, ſi volueris & potueris ſaepius reſcribere mihi; quia revera ex frequentibus litteris eſt amoris quaedam probatio permanentis. Ego autem nihil aliud a te quaero niſi ut pro peccatis meis ad Deum tua perſeveret oratio, & ſic per ejus gratiam vivas ut dignus ſis qui quod petis obtineas: quia nulla mihi de meis meritis eſt fiducia, niſi me oratio adjuvet & ſublevet aliena. Vale in Domino ſemper.

Incipit liber pœnitentialis magiſtri Roberti Canonici ſancti Victoris Penitencellii Pariſienſis.

Ex l. VII. Miſc Baluz. pag. 345.

RES grandis immo permaxima cujuslibet nedum meis impar viribus, & circa quemlibet ad excuſationem mihi ſatisfeciſſet ut eam declinarem, ſi non tantus moviſſet amicus, ut cui me ipſum totum dedi, nihil dandum retinui. Nemo igitur arrogantiae nota me maculet. Amicitia eſt enim quae res impoſſibiles ad poſſibilem facultatem immo ad facilem reducit poſſibilitatem. Hilaris, laetus igitur, & ſecurus aggredi tentabo quod petis, Decane Saliſburienſis. Hilaris & laetus quidem quod ad quidlibet me vocat veſtra voluntas, ſecurus de erratorum meorum, quippe qui ſciens & prudens manum mitto in flammam, venia & emendatione a benignitate veſtra veniam, a diſcretione & litteris emendationem expectans. Imperfectum enim meum viderunt oculi veſtri & noverunt. Non igitur in hac re perfectionem expectetis. Inſcrutabile eſt enim cor hominis. Et quis cognoſcet illud? Si viam viri adoleſcentis penitus ignoravit ſapientiſſimus, tot capitum tot ſententiarum vias quis inveſtigabit? Accipite igitur, dilectiſſime, quamcunque exilem pauperculae venae ſtillulam & affectum effectui noſtro commenſurate, ſed ex altero perpendite alterum. Quia ergo diſtincta melius ſervantur & compendioſius inveniuntur, opuſculum iſtud in quinque partes ſum partitus ſive libros, & unumquemque librum per capitula ſua. In primo libro oſtenditur quomodo ſuſcipiendus ſit pœnitens. Et hoc in primo capitulo. In ſecundo quae exigantur a pœnitente. In tertio quomodo confiteri debeat pœnitens, peccata ſua gradatim & ordinate de omnibus ſeptem vitiis capitalibus, primò de primo, ſecundò de ſecundo; & ſic de ſingulis propter compendium. In quarto capitulo oſtenditur quod ſeparatim & in primis agendum ſit de matrimonio & ſimonia & aliis quae contra clericos attentantur, ut de ordinibus & ordinum impedimentis. De illo in ſecundo tractabitur libro, de illis in tertio. In quarto gradatim & ordinate ſingula percurram vitia & ſingulorum ſpecies. In fine autem aliqua ponam huic negotio neceſſaria. In quinto proponere propoſuimus pœnitentias peccatis competentes. Verumtamen quia ad propoſitum, ut puto, plus facit ex meo quem quaeritis modo plus conſonat, dialogum, ſi placet, in medium producamus, videlicet ut viciſſim & ordinate uterlibet, pœnitens ſcilicet & ſacerdos confeſſor, prout res poſtulaverit, cum interrogans, tum introducatur reſpondens.

Conſtitutiones monaſterii Jotrenſis editae a Romano Diacono Cardinale ſancti Angeli anno MCCXXV.

Ex l. V. Miſc Baluz. pag. 415.

ROmanus miſeratione divina ſancti Angeli Diaconus Cardinalis ſedis apoſtolicae Legatus omnibus praeſentes litteras inſpecturis ſalutem in Domino. Cum ad Jotrenſe monaſterium viſitationis cauſa perſonaliter veniſſemus, quaedam minus ordinata in ipſo invenimus, propter quae relaxabatur obſervantia regularis, & murmurationes & ſcandala non immerito naſcebantur. Volentes igitur ex officii noſtri debito amovere offendicula & alia qua contra religionem monialium videbantur, ſic in eodem monaſterio, non excludentes regulam, ſed potius in aliquibus declarantes, duximus ordinandum.

Statuimus ſiquidem ut moniales ejuſdem monaſterii ſine proprio vivant, & in obedientia & caſtitate regulam quam promiſerunt obſervent. Silentium in Eccleſia, dormitorio, & refectorio continuo, in clauſtro, in infirmaria, & locis aliis horis ſtatutis juxta conſtitutionem regulae ſervent. Sollicitae ſint ad officium die noctuque. Simul in uno dormitorio ſingulae in ſingulis lectis dormiant indutae camiſiis, duobus luminariis de nocte ſemper ardentibus. In refectorio ſimul comedant, eiſdem cibis communiter omnes utantur. Carnium autem uſum omnino in refectorio interdicimus tam ſenibus debilibus quam juvenibus & infantibus. Habeant autem in refectorio ſemper unum potagium ſufficienter conditum & aliud generale in caſeo, piſcibus, & ovis ſecundum proviſionem illius quae fuerit officio coquinae praefecta, ſalvis pitanciis quae ſolent ſollemnibus & quibuſdam aliis certis diebus habere.

Cum vero aliqua debilis fuerit vel infirma, vel etiam imminuta, quae non poſſit communibus cibariis uti, ſit in infirmaria, & ibidem cibis ſanis & competentibus juxta proviſionem infirmariae exhibeatur honeſte.

In cameris & locis aliis nullatenus de cetero comedant moniales, niſi forte ad cameram ſuam eas vocaverit Abbatiſſa, ſicut beatus Benedictus in regula ſua docet. Nolumus etiam eſſe cameras ſpeciales, & interdicimus uſum ſpecialium camerarum, excepta ſola camera Abbatiſſae.

Non evagentur de cetero moniales, nec egrediantur extra ſepta monaſterii, niſi de licentia ſolius Abbatiſſae vel Prioriſſae. Et cum aliquam licentiaverit Abbatiſſa, aſſociet licentiatae aliam honeſtam ſociam de collegio ſuo, non quam ipſa petierit vel voluerit, ſed quam viderit aetati ſive moribus convenire.

Non habeant moniales praeter unum oſtium per quod egrediantur nec ingrediantur cum licentia, ſicut dictum eſt.

Non ingrediantur nec admittantur aliquo modo clerici vel laici aut Canonici regularis villae Jotrenſis vel aliunde, ſed nec etiam alii religioſi, niſi de

licentia Abbatiſſae vel Prioriſſae, & tum cum ſocietate honeſta, de qua non poſſit ſiniſtra ſuſpicio ſuboriri. Nec tum etiam ſolus ſoli loquatur, ſed ſub teſtimonio aliquarum vel alicujus de collegio ſuo, niſi ſola cauſa confeſſionis.

Cum autem aliqua neceſſe habuerit egredi ad loquendum cum aliquo noto vel conſanguineo ſuo, egrediatur cum honeſta ſocia de licentia Abbatiſſae vel Prioriſſae, ut dictum eſt, quae audiet omnia quae inter ipſos dicentur.

Statuimus etiam & ordinamus quod praeficiatur aliqua de ſororibus honeſta de majoribus & antiquioribus conventus quæ curam gerat de veſtibus omnium ſororum & converſarum.

Veſtimentis quoque tot & talibus ſint contentae. Quaelibet monialis habeat in anno tres camiſias, ſingulis duobus annis unam pelliciam de vulpibus, leporibus, vel etiam agnis. Si aliqua voluerit pro altiori devotione agninis pellibus uti, habeat etiam quolibet anno duo ſuperpellicia alba & duo nigra quae terram tangant & non excedant, & ſingulis duobus annis duas vittas albas, & unum velum nigrum. Habeant etiam unum par ſolarum in hyeme, & unum par ſotularium ſubtilium in aeſtate, cum caligis & calcionibus neceſſariis pro temporum qualitate. Coopertoriis autem utantur de ſupra memoratis pellibus, & non de aliis, honeſto panno coopertis; in quibus provideat eis Veſtiaria quando viderit expedire. Linteaminum etiam quaelibet habeat duo paria & . . . . . per quinquennium, vel etiam amplius, ſi ultra potuerint honeſto durare.

Semper autem de veſtimentis cujuslibet ſit ſollicita Veſtiaria, ut neceſſitati, & non voluptati, provideat, & in collatione novorum recipiat vetera, ſicut viderit expedire.

In dormitorio quoque inter duos & duos lectos arcae collocentur ſine ferris, in quibus veſtimenta monialium reponantur.

Praeficiatur etiam una honeſta coquinae de conſilio aliquarum de majoribus & antiquioribus conventus; cui deputentur redditus quadringentarum librarum. Alia Veſtiaria, cui deputentur redditus quadringentarum librarum. Alia Infirmaria, cui deputentur redditus ducentarum librarum. Alia Refectoria, quae panem & vinum recipiat ab Abbatiſſa, de quibus provideat conventui pro ſingularum neceſſitatibus ut oportet.

De cibis & potibus menſae appoſitis nihil extra refectorium deferatur praeterquam per manum Eleemoſynariae in eleemoſynam erogandum.

Hae autem omnes computent quolibet menſe cum Abbatiſſa vel ſaltem ſingulis duobus menſibus; & computatione in fine anni audita, ſi aliquid reſiduum fuerit de redditibus praedictis, illud recipiat Abbatiſſa. Si autem minus inventum fuerit, illud ſuppleat eadem Abbatiſſa. Ipſa autem Abbatiſſa in conventu computet bis in anno de receptis, proventibus, & expenſis, & computationem illam Prioriſſa & Subprioriſſa retineant & conſervent. Pediſſecae etiam ſeculares omnes amoveantur, niſi forte aliquae ſenes probatae & honeſtae, quae ſecundum proviſionem Abbatiſſae neceſſariae videbuntur.

Cum igitur non ſit intentionis noſtrae regulae & obſervantiis regularibus obviare, nolumus per haec noſtra ſtatuta moniales alias intelligere regulam & regulares obſervantias pro iſtis aliquatenus omittendas, ſed iſta cum illis taliter ſtudeant obſervare quod Domino juxta votum emiſſum devotius famulentur, & ex ipſis odor bonae famae ad proximum extendatur.

Haec autem conſtitutio cum conſtitutione Concilii generalis contra regulares ſimoniacos edita in ſexta feria cujuslibet menſis in Capitulo praelegatur, & etiam ſimplicibus exponatur.

Actum apud monaſterium Jotrenſe anno Domini MCCXXV. Kal. Novembris, pontificatus Domini Honorii Papae III. anno decimo.

PRÆFATIONES
BENEDICTI
EPISCOPI MASSILIENSIS

In commentarium ſuum de ſancta trinitate & fide catholica.

SAnctiſſimo in Chriſto Patri ac reverentiſſimo Domino Alexandro Dei providentia Pontifici ſummo frater Benedictus Dei permiſſione dictus Epiſcopus Maſſiliæ, cum ſumma devotione, obedientia, & reverentia, devota pedum oſcula beatorum. Cum citra & ultra mare varios errores invenerimus deviantes ab orthodoxae fidei puritate & Eccleſiæ catholicæ adverſantes, nos toto animo cupientes ad honorem Domini Jeſu Chriſti fideles ac fidem catholicam munire firmiter ac firmare contra fidei inimicos rationibus, auctoritatibus, & exemplis, & erroneos cum ſuis erroribus radicitus extirpare, & qualiter per doctrinam, ſollicitudinem, & diligentiam ſanctæ ſedis apoſtolicæ extirpati & extirpandi ſint evidentius declarare, ideo, prout nobis divina gratia inſpiravit, ſtuduimus exponere ſymbolum conſtitutum in univerſali Concilio Lateranenſi a bonæ memoriæ Papa Innocentio tertio celebrato. quod ſymbolum incipit: *Firmiter credimus*. in quo notavimus qui errores in verbis ſingulis dicti ſymboli eliduntur, & quibus erronei innituntur contra fidem & Eccleſiam catholicam, & qualiter eis valeat reſponderi, & qualiter fides catholica, quam tenet & docet ſedes apoſtolica, poteſt probari rationibus, auctoritatibus, exemplis, & ſimilitudinibus, quibus infideles apertius convincuntur & fideles in fide firmius roborantur Quia vero experti ſumus jam eſt diu quod ſanctæ paternitatis veſtræ devotio ad hoc totis viribus invigilat ut fides Domini noſtri Jeſu Chriſti & catholica Eccleſia ſemper proficiat & errores ac erronei contrarii extirpentur, hoc opus ſanctæ paternitati veſtræ duximus deſtinandum, ſupplicantes ut ſi quid in eo gratum & utile invenerit, Deo gratias referat, ſi quid vero reprehenſibile vel inſufficiens, infirmitati meæ ac imperitiæ ſanctæ paternitatis veſtræ pia & dulcis affectio indulgeat, corrigat, ſuppleat, & emendet, noſque ac gregem nobis commiſſum in veſtris ſanctis orationibus & meritis habere dignemini commendatos. Ex L. VI. Miſc. Baluz. pag. 349.

Benigniſſimo in Chriſto Patri & reverentiſſimo Domino T. Dei providentia Epiſcopo Bethlemitano apoſtolicæ ſedis Legato Benedictus Dei gratia Epiſcopus Maſſilienſis, cum ſpeciali devotione, obedientia, & reverentia, promptam ad beneplacita voluntatem. Quia vitæ ſanctitas & bonus odor famæ publicæ ac evidentia ſanctorum operum & ſplendor ſcientiæ perſonam veſtram irradiant & venuſtant & ſplendore ſui luminis alios illuminant per doctrinam ſalubriter & exemplum, ſanctæ paternitati veſtræ mittimus tractatum quem compoſuimus ſuper erroribus quos citra & ultra mare invenimus a fide catholica aberrantes & ab unitate ſedis apoſtolicæ deviantes. Quem tractatum miſimus Domino Papæ bonæ memoriæ Alexandro, ſicut patet in littera præcedenti, & poſtea derivavimus ad religiones fratrum Prædicatorum & Minorum & Ciſtercienſium & de pœnitentia Jeſu Chriſti, & ad alias plures, & ad Archiepiſcopos & Epiſcopos, & diverſas provincias & dioeceſes in partibus tranſmarinis, & per vos in iſtis partibus, ubi opus incepimus, volumus derivari. Vos autem corrigatis quæ videritis corrigenda, & faciatis copiam aliis tranſcribendi ſecundum quod videritis expedire, noſque ac gregem nobis commiſſum in ſanctis veſtris orationibus & meritis habere dignemini commendatos & aliis commendare. Adaugeat vobis Deus gratiam, & bene valeat ſancta veſtra paternitas

Digitized by Google

tas nunc & ſemper. Datum Accon anno Domini MCCLXI. in feſto ſancti Matthæi.

Sanctiſſimo in Chriſto Patri & reverentiſſimo Domino Guilelmo Dei providentia Patriarchæ Hieroſolymitano apoſtolicæ ſedis Legato B. Dei permiſſione dictus Epiſcopus Maſſiliæ cum ſumma devotione ac reverentia promptum ad beneplacita famulatum. Quia præcellenti ſplendore ſcientiæ ac ſalubri experientia jugis exercitii ad impugnandum errores infidelium & ad tuendam fidem catholicam & unitatem ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ vos novimus præmunire, firmiter credimus quod merito ſanctitatis veſtræ divina providentia vos vocavit ad purgandam terram ſanctam ab erroribus infidelium & a ſpurcitiis vitiorum quibus extitit, peccatis exigentibus, longis temporibus multipliciter prophanata. Et quia optamus fieri participes tanti meriti ac laboris, etſi majora non poſſumus ut vellemus, ſaltem vobis offerimus munus exiguum, ſed utile ad impugnandum infideles & ad muniendum fideles auctoritatibus, rationibus, & exemplis, contra errores quos invenimus citra & ultra mare a puritate fidei aberrantes. Hoc opus incepimus olim quando primo transfretavimus pro ſubſidio terræ ſanctæ. Quod opus miſimus Domino Papæ Alexandro, ſicut patet in littera præcedenti, & poſtea dirivavimus ad diverſas provincias & dioceſes & religiones, & ad dirivandum dedimus venerabili patri T. Dei gratia Epiſcopo Bethlemitano ſedis apoſtolicæ Legato quando ultimo reverſi fuimus a partibus tranſmarinis. Vos autem corrigite corrigenda, ſupplentes defectum, & quod minus bene fuerit indulgentes: noſque ac gregem nobis commiſſum habere dignemini in ſanctis veſtris orationibus ac meritis commendatos. Bene valeat veſtra ſancta paternitas, & ſanctum veſtrum propoſitum Deus dirigat, perficiat, & confirmet, & per vos terram ſanctam reſtituat cultui Chriſtiano, & adaugeat in vobis gratiam nunc & ſemper. Amen. Datum Maſſiliæ anno Domini MCCLXIII. in vigilia ſancti Laurentii.

Venerabili & in Chriſto cariſſimo fratri G. Priori fratrum Praedicatorum Montiſpeſſulani B. Dei permiſſione dictus Epiſcopus Maſſiliae cum ſpeciali devotione ac reverentia augmentum gratiae in praeſenti ac gloriae in futuro. Quia vir ſanctorum deſideriorum eſtis, licet ſatiatus ſitis favo ſollicitae fidei & ad impugnationem errorum & haereticae pravitatis appetitu ſalutifero eſuritis, nos . . . . . . inſalubrem eſurientes, tanto affectuoſius volumus ſatiare quanto ſanctatem hujuſmodi eſſe credimus honori Dei, aedificationi Eccleſiae, ſaluti proximorum, & utilitati ſtudentium profuturam & veſtro deſiderio laudabili profuturam. Mittimus vobis . . . . opus correctum tranſitorie . . . . funiculis ſive corrigiis nec irretitum . . . . . . capitulatum ſericis . . . . . .
Reliqua vix legi poſſunt, & continent tantum brevem diviſionem operis quod mittitur.

Amantiſſimo & religioſiſſimo patri Dei gratia re & nomine Benedicto Maſſilienſi Epiſcopo frater G. ſuus Lemovicenſis ſalutem, ſanitatem, & pacem & optat jugiter & orat frequenter. Beneficiorum veſtrorum memor publice & privatim & conſolationum quas Maſſiliae & in Montepeſſulano a vobis recepi, gratias multas ago, & hoc oro ut caritas veſtra magis ac magis abundet quouſque per Chriſtum & in Chriſto perficiatur. Notum autem vobis facio, Pater, quod in libro veſtro multum proficiunt fratres, & fides veſtra nuntiatur in univerſo mundo. Cum igitur Provincia Maſſiliae, & Gotia in Montepeſſulano, & Italia Romae per vos illum habuerint, rogo quatenus mihi veſtro, qui libentiſſime veſtra relego, Lemovicas dictum librum mittatis, ut per Aquitaniam & Galliam dirivetur, ut vobis orationes & Deo gratiae reddantur a multis. Commendo me & fratres ſanctis orationibus veſtris. Datum manu mea. Bene & ſemper valete. Conſervet vos Dominus Jeſus Chriſtus & piiſſima Domina mater ejus Maria. Amen. Amen.

SENTENTIA LATA IN SYNODO SUPER DECIMIS.

QUoniam in ſignum univerſalis dominii univerſorum dominus Deus de univerſis quae dedit uſui hominum decimas ſibi retinuit, eaſque diſtribuit clericis & Eccleſiis, per quos & in quibus ejus cultus fieret, & ſibi ut dominatori omnium ſerviretur, ideo decimae per rectores Eccleſiarum ex debito requiruntur, in tantum quod qui eas ſolvere integre noluerit, debet ut invaſor & detentator juris divini & eccleſiaſtici excommunicari tanquam pro peccato mortali, ſicut docent jura canonica & divina. Cum igitur nos B. Dei gratia Maſſilienſis Epiſcopus intellexiſſemus per plurimos, & etiam nos noſtra conſcientia remorderet quod de negligentia eramus plurimum arguendi tanquam immemores ſalutis noſtrae noſtrorumque ſubditorum, quia decimas in civitate Maſſilienſi non faciebamus ſolvere ut canonica docent jura. Et licet huc uſque poſſemus aliquatenus excuſari, quia quondam errores haereticorum invaluerant in civitate qui contemptibiliter irridebant eos qui decimas vel primitias vel oblationes clericis vel Eccleſiis materialibus perſolvebant, & impunitatem non praeſtantibus praedicabant, nunc non haberet locum illa excuſatio, quia per Dei gratiam illi haeretici & eorum errores per ſalubre praedicationis & inquiſitionis officium a civitate Maſſilienſi extirpati ſunt & cotidie extirpantur; & ideo error de non ſolvendis decimis eſt merito in civitate Maſſilienſi extirpandus. Hinc eſt quod nos B. Dei gratia Maſſilienſis Epiſcopus de taciturnitate & negligentia poenitentes, & honorem Dei & Eccleſiae ac ſalutem ſubditorum promovere volentes, ſecundum doctrinam Domini noſtri Jeſu Chriſti pluries moneri fecimus cives Maſſilienſes per capellanos parrochiales ſollemniter in Eccleſiis ad Miſſas, & nos perſonaliter viva voce pluries monuimus illos qui propter hoc ad nos veniebant de mandato & vice conſilii generalis Maſſiliae ut omnes integre ſolverent decimas ſecundum ſtatuta canonica & divina, & poſt plures monitiones ſententiam excommunicationis ferri fecimus & publicari per dictas Eccleſias contra illos qui decimas integre ſolvere denegarent. Et quia intelleximus quod quidam ſunt in tantum in ſua malitia obſtinati quod impudenter dicunt non eſſe ſolvendas decimas ex debito clericis vel Eccleſiis nec ad hoc debet per excommunicationis ſententiam quis compelli, & quod illi qui volent ſolvere, poſſunt eas dare pro eleemoſyna quibus voluerint Epiſcopi licentia non obtenta, nos attendentes quod ſecundum jura canonica haec omnia ſunt . . . . fecimus fieri ſollemniter iterum monitiones per Eccleſias quod nullus verbo vel facto excuſaret vel defenderet quin quilibet teneretur reddere decimas Eccleſiis & clericis integre ſecundum quod in ſacris canonibus & ſtatutis apoſtolicis continetur. Et quia per plures dies ſollemnes auctoritate noſtra factae fuerunt hujuſmodi monitiones, cum intelligamus quod non ceſſant illi detractores Eccleſiae, defenſores errorum, & impugnatores juſtitiae, nos eorum malitiae obviantes, cum dicant jura quod ſi quis peccantem defenderit, maledictus erit apud Deum & homines & acrius quam ille qui peccavit debet coërceri, & qui alterius errori conſentit, ſimili modo eſt culpabilis judicandus, (ut XI. qu. III. *Qui conſentit*.) & qui aliorum errorem defendit, multo eſt damnabilior illis qui errant, quia non ſolum ille errat, ſed etiam aliis offendicula erroris praeparat & confirmat, unde quia magiſter erroris eſt, non tantum haereticus ſed haereſiarcha eſt dicendus, (XXIV. q. III. *Quae aliorum*.) Nos B. Dei gratia Maſſilienſis Epiſcopus in plena ſynodo reſidentes, poſitis coram nobis evangeliis & ſanctorum reliquiis, auctoritate Dei omnipotentis patris & filii & ſpiritus ſancti in ſcriptis excommunicamus omnes illos qui in civitate Maſſilienſi contumaces fuerint in non ſolvendo decimas integre & qui talibus in hoc verbo vel opere dederint conſilium,

auxilium, vel ſavorem, ſententias etiam latas auctoritate noſtra ſuper hoc per officialem noſtrum nihilominus confirmantes, & mandantes Notariis noſtris praeſentibus ut ſuper iis faciant publica inſtrumenta. Lata fuit haec ſententia anno Domini MCCLXIII. IX. Kal. Novembris in majori Eccleſia beatae Mariae ſedis Maſſiliae.

Excerptum ex veteri collectione miraculorum patratorum in dioceſi Magalonenſi.

Dominus Benedictus quondam Epiſcopus Maſſilienſis & nunc frater Minor cum quondam fruſtum ligni veræ crucis de ultra mare aſportaſſet, ut eſſet in majori reverentia & honore ſi divideretur & diſtribueretur in plures Eccleſias, ad dividendum cum ſubtilitate magiſtro tradidiſſet, aſſiſtente nepote dicti Epiſcopi vicario ſuo, ne quid de ipſo ligno poſſet occultari vel per negligentiam perdi, & ipſis tribus in capella dicti Epiſcopi incluſis, & Epiſcopo dante ſe orationi, dum magiſter ligno in cateſtato & firmato vellet lignum ſcindere, ſubito inde exiliens cum ſtrepitu nimis, ac ſi ſagitta emitteretur de baliſta, non per feneſtram adminiſtrantem lucem, ſed per aliam ex adverſo, lignum exivit circumvolando, & ad oppoſitum parietem domus alterius ex parte feneſtræ lucem miniſtrantis ſe in quodam foramine collocavit. Ad cujus ſtrepitum ſurgens Epiſcopus quæſivit quid hoc fuit. Cumque rei geſtæ audiſſet proceſſum, admirans Dei virtutem, & cogitans quare hoc contigiſſet, magiſter ille coram ipſo proſtratus cum magno dolore dicit; Ego ſum cauſa hujus, quia vilis peccator immundus tam pretioſum theſaurum tangere auſus fui. Ad quod Epiſcopus: Vis, inquit, confiteri. Et ille: volo, inquit. Quo confeſſo, & ligno ſollicite inquiſito & invento, lignum magiſtro tractabile præbuit, ita quod ſecundum dictamen Epiſcopi illud incidit.

Obſervatio in præfationes editas ſupra pag. 242.

Ex L. VI. Miſc. Baluz. pag. 565. BEnedictum Epiſcopum Maſſilienſem, cujus ſunt hæ præfationes, Gueſiteus & auctores Galliæ Chriſtianæ diviſerunt in duos, nullis bonis teſtimoniis. Ego vero, qui compertum habeo illum non eſſe dividendum, hanc partem hiſtoriæ eccleſiaſticæ paucis verbis explicabo. Certum eſt Benedictum fuiſſe Epiſcopum Maſſilienſem anno MCCXXXIX. quo Hieroſolyma profectus eſt cum Theobaldo Rege Navarræ, & eo tempore inchoaſſe commentarium ſuum de ſumma trinitate & fide catholica, quem poſtea dicavit Alexandro Papæ IV. & deinde miſit ad Guillelmum Patriarcham Hieroſolymitanum & ad Thomam Epiſcopum Bethlemitanum. Certum præterea eſt illum fuiſſe adhuc in humanis anno MCCLXIII. IX. Kal. Novembris, qua die in plena ſynodo fecit conſtitutum de decimis ſolvendis. Quo loco admonebo habere me bullam Innocentii Papæ IV. datam Peruſii die XIII. Martii MCCLIII. qua Benedictum Epiſcopum Maſſilienſem jubet injungere fratribus Prædicatoribus & Minoribus provinciæ Arelatenſis, qui publice praedicabant illos non peccare mortaliter qui decimas non reddebant Eccleſiis, ut in praedicationibus & confeſſionibus hortarentur fideles ad ſolvendas decimas Prælatis & Eccleſiis quibus debebantur. Quod Epiſcopus adimplevit. Ex his ergo liquet illum non eſſe mortuum anno MCCLIV. ut ſcriptores ſupra nominati tradiderunt. In uno chartulario monaſterii Cluniacenſis inveni illum fuiſſe apud Lugdunum cum Raymundo Epiſcopo Nemauſenſi eo tempore quo Papa Innocentius IV. illic celebrabat Concilium generale. Vocatur autem frater in ea charta monaſterii Cluniacenſis: *Ego frater Benedictus Dei permiſſione dictus Epiſcopus Maſſilienſis*. Quo etiam modo ſcribit in epiſtola dedicatoria commentarii de ſumma trinitate. Iam tum ergo ſe addixerat inſtituto ordinis ſancti Franciſci, cui illum ſe addixiſſe reperi in veteri collectione miraculorum patratorum in dioceſi Magalonenſi. Iterum rediit in terram ſanctam, ubi eum fuiſſe anno MCCLXI. conſtat ex epiſtola ejus ex Accone ſcripta in feſto ſancti Matthaei ad Epiſcopum Bethleemitanum. Hinc vero ſecum attulit in Galliam fruſtum ſanctae crucis Domini noſtri Ieſu Chriſti, uti legitur hic columna prima in excerpto ex eodem libro miraculorum. Scripſit ad Alexandrum Papam IV. commentarium de ſumma trinitate & fide catholica. hujus vetus exemplar extat in bibliotheca Colbertina. Alterum haberi Patavii in bibliotheca ſancti Joannis in Viridario teſtatur Jacobus Philippus Thomaſinus. Scripſit praeterea ad Innocentium Papam epiſtolam de rebus geſtis in terra ſancta, quam ex codice noſtro 895. invenies, lector, editam in tomo ſeptimo ſpicilegii Dacheriani. Quo loco monendus eſt vitio veteris librarii poſitam eſſe in meo codice litteram H velut initium nominis illius Epiſcopi, qui certo vocabatur Benedictus. Multa & honorifica illius mentio reperitur in narratione de conſtructione caſtri Saphet, quam ideo illic ſubjunxi pag. 357.*

* In hac editione legitur To. I. pag. 218.

Statuta Capituli generalis Yvonis ſecundi edita in Capitulo generali Cluniacenſi celebrato anno Domini MCCLXX. ſexto.

Ex L. VI. Miſc. Baluz. pag. 502. SAcri canones ad id viſitationis officium inter cetera ſtatuerunt ut religionis ſanctitas, fraternitatis unitas, morum honeſtas, & locorum tam in ſpiritualibus quam temporalibus honor & commoditas, prout ad Dei honorem & laudem expedit, conſerventur, & quae circa hoc correctionis & reformationis bono indigent juſte corrigantur & debite reformentur, ad quae nos toto cordis & mentis deſiderio intendentes, prout commiſſo a Deo nobis incumbit officio, quaedam praedeceſſorum noſtrorum ſtatuta recitatione ſalubri recitamus, adjicientes aliqua quae correctioni & reformationi praedictorum cognovimus oportuna. Ad haec autem illius a quo bona cuncta procedunt, ſine quo nihil eſt validum, nihil ſanctum, quo rectore & duce noſtra regatur intentio & dirigatur, indeficiens patrocinium invocantes, ſtatuimus, immo ad ipſius omnipotentis gloriam & honorem a ſanctis patribus recitamus ſtatutum, quod beati Benedicti regula & Capituli generalis ſtatuta cuſtodiantur ab omnibus ſicut decet. Quae ſtatuta in ſingulis domibus conventualibus haberi praecipimus, & ſingulorum menſium Kalendis, & quando viſitatores noſtri inibi viſitabunt, diſtincte & intelligibiliter recitari, ne praetextu ignorantiae ab eorum obſervatione ſe quiſquam valeat excuſare. Praedictum vero praeceptum noſtrum Prior loci, ſi praeſens in Capitulo fuerit, aut qui Priore abſente Capitulo praeſidebit, faciat ſub poena excommunicationis executioni mandari. Eorum autem ſtatutorum aliqua, quorum quaedam, quia frequenter & alia vehementer propter eorum inobſervantiam ordinem noſtrum, perſonas ipſius & loca, vituperant, dehoneſtant, damnificant, & conturbant, duximus ſpecialiter exprimenda, ut omnes ordinis noſtri perſonae eorum tranſgreſſionem curioſiſſime fugere ſtudeant & cavere.

An. 1276. Conſpirationis damnata malignitas, quae ad rebellandum auctores ſuos animat, ad nocendum elevat, ad ſaeviendum armat, & excitat ad perdendum, tanto eſt fortius & gravius caſtiganda quanto ad malignandum ardentius eſt parata. Idcirco canones huic malitiae obviantes conſpiratores infames conſtituunt, ad honores non promovendos ſanciunt, & promotos deponendos decernunt. Nos autem contra praedictos & contra omnes qui contra matrices Eccleſias praeſtant patrocinium, aut favendo conſpiratoribus in hac parte brachium invocant ſeculate,

Digitized by Google

re, pœnas canonis antedictas, articulo depoſitionis ſubjecto, pœnae illius ſtatuti quod ipſo facto excommunicationis vinculo tales ligari adjicimus. Illos quoque qui contra Abbates, Priores, Suppriores, ſocios in ordine, ſeu circuitores, qui pro regulari obſervantia & exceſſuum correctione invigilant & laborant, conſpirare praeſumunt, pœnis praedictis ſtatuimus ſubjacere ac corporalibus caſtigationibus graviſſime caſtigari, & ad prioratus vel adminiſtrationes nullo tempore aſſumantur, nec quiſquam de eorum progenie uſque ad quartum gradum recipiatur in monachum vel converſum niſi ſuis magnis meritis exigentibus & ex cauſa evidentiſſima per Abbatem Cluniacenſem & de conſilio & expreſſo aſſenſu Diffinitorum Capituli generalis fuerit cum talibus miſericorditer diſpenſatum.

Fictionis deceptionem, per quam nonnulli monachi debita falſa fingunt & vera celare praeſumunt, & ſe probant vitio mendacii, per quod mortale committitur, irretitos, & reddunt de dilapidatione ſuſpectos, ex qua frequenter damna & gravamina ſubſecuntur, praedeceſſores noſtri ſtatuerunt merito puniendam, praecipientes ut tales tanquam fures & latrones ab omnibus habeantur. Scientes vero qui, dum commode potuerint, non manifeſtaverint ei qui prodeſſe poſſit, non obeſſe, & cujus intererit, egredientium ſepta monaſterii ſine licentia & fugitivorum pœna multentur. Quod ſtatutum praecipimus firmiter obſervari.

Nonnulli religioſi venenum gerentes ſub labiis, linguae ſuae veneno fratres inficiunt, dum eos apud ſeculares diffamare praeſumunt. Quae diffamationes non ſolum fratrum honeſtatem ſauciant, ſed & religionis munditiam maculant, & erga ſanctitatem illius fidelium refrigeſcere faciunt caritatem. Huic morbo praedeceſſores noſtri remedium adhibere curantes provide ſtatuerunt ut diffamatores hujuſmodi crimen quod objecerint non probantes, criminis pœna qua alios affici deſiderant puniantur. Nos vero ad hoc remedium ampliandum huic ſtatuto adjungimus ſtatuendo ut tales, quos canones raptoribus pejores aſſerunt & pœnis judicant corporalibus affligendos, ſemel in menſe uſque ad annum continuum gravi diſciplinae ſubdantur, plus & pluries nihilominus puniendi ſecundum quod culpae qualitas gravius ſuaſerit faciendum.

Religioſos omnes a ludo condecet cohiberi, quia ludi temeritas divinum officium, cui religioſi permaxime tenentur inſiſtere, impediens non minimum religioni ponit offendiculum, & ipſius multum detrahit honeſtati. Propterea praedeceſſores noſtri prudenter curaverunt ſtatuere contra tales ut luſores monachi cum taxillis ſententiam excommunicationis ipſo facto incurrant, & nihilominus graviſſime per quinque dies ſint in cuſtodia vel lanterna quouſque fuerint abſoluti. Si autem locus non conventualis fuerit, ſecunda feria, quarta, & ſexta proximo ſequentibus in pane & aqua jejunent. Cujus ſtatuti ſententiam tanquam ſalubrem atque juſtam praecipimus obſervari.

Quia Judaeorum doloſa malitia, quae Chriſtianorum & maxime religioſorum ſimplicitatem ſemper opprimere & gravare deſiderat, intendens obſequium praeſtare altiſſimo ſi in Chriſtianae innocentiae laevire valeat nocumenta, ab omnibus Chriſti fidem profitentibus, maxime religioſis, multa debet caveri cautela ne cum illis negotiari habeant, propter quod ſint ab eis illorum colloquia vel conſortia frequentanda. Unde nos rationabile praedeceſſorum noſtrorum ſtatutum quod nullus noſtri ordinis ſub pœna excommunicationis jam latae & adminiſtrationis amiſſione mutuum a Judaeo recipiat, innovamus, illud diſtricte praecipientes firmiter obſervari.

Avaritiae caecitas ulum rationis obnubilans ſic ſenſum quorundam Priorum obtenebrat ut non videant quid decens, quid expediens, quid honeſtum. Nam ſunt eorum nonnulli penes ſe aut penes alios dormientem pecuniam vel jacentem habentes, domus quibus praeſunt damnoſis atque oneroſis ſuſtinent obligationibus ſubjacere, ob quas vel occaſione pactionis uſurariae vel retributionis coactae domos ipſas oportet de magna vel majori bonorum ſuorum parte tributorias creditoribus ſuis eſſe. Unde accidit quod ibidem degentibus monachis vix neceſſaria etiam tenuiſſime miniſtrantur, & poſſeſſiones domorum interdum non ſine damno graviſſimo diſtrahuntur. Et quoniam expedit ut talibus indemnitatibus occurratur, ſtatuimus ut niſi tales infra annum domos quibus praeſunt a ſuis obligationibus liberaverint in toto vel in parte, prout ſibi poſſibile fuerit, excommunicationis vinculo ſint ligati.

Sunt nonnulli monachi, non in magnitudine meriti, ſed generis, confidentes, & alii ſpem ſuam in hominibus, non in Deo, ponentes, ſibi domos & adminiſtrationes per Regum, Principum, Baronum, & aliorum magnatum ſecularium preces petunt vel procurant tranſmitti. Unde & fit quod dum preces illorum repulſam, & merito, patiuntur, Reges, Principes, & Barones contra nos aut ſuperiores alios commoventur. Quod dicti monachi ſentientes facilius prorumpunt in audaciam rebellandi. Verum cum talia ſint pœnae adjectione non immerito exhibenda, ſtatutum praedeceſſorum noſtrorum, quod illas adminiſtrationes ſeu prioratus taliter petitos & alios uſque ad annum prohibet obtinere, uſque ad quinquennium extendi ſtatuimus & praecipimus obſervari.

Ad prohibendam in locis noſtri ordinis mulierum converſationem de nocte maxime non ſecuram ſtatuimus diſtricte praecipientes ut ſuſpectae mulieres in locis non conventualibus quibus degunt monachi cujuſcunque officii cauſa de nocte non jaceant nec morentur.

Monachorum tranſitus abſque Cluniacenſis Abbatis licentia ultra Alpes vel etiam ultra mare religioni noſtrae multa frequenter incommoditatum genera tam ſpiritualiter quam temporaliter paravit temporibus retroactis. Et quia praeterita cavere inſtruunt de futuris, praedictis incommoditatibus eſt cum omni curioſitate & diligentia occurrendum. Igitur ad illius ſtatuti quod monachis per excommunicationis ſententiam jam latam hujuſmodi tranſitum interdicit obſervantiam pleniorem praecipiendo adjicimus ut talibus nulla omnino ſuſtentatio ſeu proviſio nullumque ſubſidium miniſtretur, idemque tranſitus tranſeuntem ab adminiſtratione, ſi qua ſibi commiſſa eſt, amoveat, & reddat manſione privatum.

Viſitationis officium, quod in locis noſtri ordinis annis ſingulis exercetur, ideo eſt introductum ut obſervantia regularis ſervetur, exceſſuum temeritas corrigatur, & morum deformitas reformetur. Sed quoniam munera, quae veritatem ſubvertunt & juſtitiam impediunt, viſitatores interdum debitum non ſinunt exercere officium in non modicum animarum periculum & ingentem laeſionem locorum, ſtatuimus ut viſitatores a locis vel perſonis quae viſitaverint, aut in quibus ſe offert viſitatio facienda, nihil in auro vel argento ſeu pecunia ſive in aliis rebus, quae merito accipientis animum poſſint ſubvertere à ſemitis aequitatis, recipiant praeter moderatas expenſas. Alioquin dantes & recipientes ipſo facto excommunicationis vinculo ſint ligati, recipienteſque totum quod receperint Abbati Cluniacenſi reſtituere teneantur.

Receptorum in monachos multitudo ſic Eccleſiam Cluniacenſem, prioratus & domos ordinis reddit graviter oneratos quod indigent in hac parte proviſione celeri & ſuccurſu. Idcirco ſtatuimus ut Priores noſtri ordinis, de Caritate, de Lewis, & de ſancto Martino Prioribus duntaxat exceptis, quemcunque in monachum citra triennium abſque Abbatis Cluniacenſis licentia recipere non praeſumant. Alioquin contra hoc ſtatutum recepti ab ordine expellantur, & receptores ad Cluniacenſis Abbatis arbitrium puniantur.

Depoſita de bonis ordinis noſtri facta a nonnullis Prio-

Prioribus, monachis, aliiſve perſonis ipſius ordinis penes ſeculares alteriuſve religionis perſonas praedicto ordini noſtro inaeſtimabilia intuliſſe certum eſt detrimenta. Propter quod hujuſmodi depoſita de cetero fieri diſtricte & diſtrictius prohibemus, & facta infra ſex menſes a tempore hujus ſtatuti praecipimus in virtute obedientiae penitus retractari. Qui autem hujus prohibitionis & praecepti noſtri tranſgreſſores extiterint, ſententiam excommunicationis, quam ex nunc in eos & in ſcriptis ferimus, ipſo facto incurrant. Et ſi quis in fine ſuo ſuper hoc inventus fuerit culpabilis ſeu reus, ſtatuimus ut eccleſiaſtica careat ſepultura. Quod ſi poſt ſepulturam ipſius in notitiam venerit, ejus corpus vel oſſa exhumentur & projiciantur extra cimiterium vel quemcunque alium locum ſacrum. Proprietarios quoque monachos & converſos pœnis in omnibus & per omnia ſupradictis ſtatuimus ſubjacere. Et ne cui habendi proprium occaſio tribuatur, fratribus omnibus & ſingulis neceſſaria competenter, ſecundum quod locorum ſuppetunt facultates, praecipimus cum omni diligentia miniſtrari.

Juriſprudentia utiliter providere, attenta honeſtati hominum & ſaluti, ac malitiis eorum deſiderans obviare, alienationes factas cauſa mutandi judicii, quas radix omnium malorum cupiditas ineſſe produxit, omnibus interdicit, eo quod non lucri honeſti commoditas, ſed iniquae praedae voracitas, commercium hujuſmodi comitetur. Quod interdictum nonnulli religioſi magnae cupiditatis vitio irretiti accipientes ut vacuum ſeu vanum, in ſuam & ſuae religionis ignominiam actiones & lites judiciales emere non verentur, ut ſub umbra juſti tituli, quem ſibi emptiones hujuſmodi non tribuunt, per injuſtae vexationis vehementiam ſuae cupiditatis exerceant & aſſequantur rapinam. Cum igitur talis contractus, quem infamia ſequitur, ſcandalum pariat, ſalutem animarum interimat, & totaliter religionem honeſtatis abiciat & repellat, ab eo perſonas ordinis noſtri quaſcunque ſub prioratus vel adminiſtrationis alterius cujuslibet amiſſione praecipimus abſtinere.

Litterarum apoſtolicae ſedis abuſus injurioſe quamplures in expenſis damnificat ac injuſtis laboribus opprimit & fatigat. Propter quod ſanctio canonica abuſorum malitiam certa pœna cohibet & caſtigat: Unde ne aſſenſum praebere abuſoribus videamur, & ſic pœnam in nos canonis ſentiamus, in virtute obedientiae praecipimus quatenus nullus Prior, obedientiarius, monachus, aliave dicti ordinis noſtri perſona literas dictae ſedis, maxime ſi noſtro & conventus noſtri Cluniacenſis nomine fuerint impetratae, extendat ad res vel perſonas ad quas tenor literarum ipſarum eas extendi non patitur aut permittit.

Quoniam uſura, in religioſis maxime, Deo & hominibus abominabile eſt vitium & peccatum, pignorationes rerum quae his fiunt de quorum res ipſae feudo non exiſtunt, nec earum fructus computant in ſortem, perſonas ordinis noſtri quaslibet recipere, eo quod in ſe uſurariam contineant pravitatem, diſtrictius inhibemus. Si quis autem contra praeſumpſerit, prioratum ſeu adminiſtrationem amittat, & ceteras pœnas contra uſurarios editas patiatur.

Furti maculam criminis religioſos aliquos irretentis nonnulli praedeceſſorum noſtrorum conſiderantes religionis puritatem atque munditiam maculare, ſancte & provide ſtatuerunt quoſcunque ordinis noſtri confeſſos publice vel convictos de hujuſmodi crimine fore perpetuo carcerandos. Nos autem ſtatutum ipſum juſtum & ſalubre innovantes, ad ejuſdem criminis turpitudinem curioſius fugiendam adicimus tales pœnae ſtatuti illius abſque ulla remiſſione, quam ſibi dicti criminis immanitas denegat, ſubjacere.

Theologica ſcientia vitia fugere, imitari virtutes, & animarum deſiderare ſalutem exhortans, eſt ab omnibus religioſis maxime ſummis deſideriis appetenda. Ideirco nos, quibus nil carius nilque deſiderabilius animarum ſalute, deſiderantes in hac parte iis quorum curam gerimus, prout ad noſtrum ſpectat officium, providere, de conſilio Diffinitorum noſtri Capituli generalis ſtatuimus ut nulla omnino ordinis noſtri perſona de cetero degens ſcolaris Pariſius, ubi theologiae ſtudium vigere & florere dinoſcitur, in quavis ſcientia ſtudeat, niſi tantum in theologica facultate & logica, quae ad illam ſcientiam viam parat.

Statuta Yvonis ſecundi in Anglia edita apud Bermondeſeyam in Capitulo provenciali ibibi celebrato anno Domini MCCLXX. ſeptimo in feſto P. ad vincula.

BOnæ memoriæ Yvonis prædeceſſoris noſtri ſtatutum, per quod Priorum noſtri ordinis, eorum maxime de Anglia, vagationes & exteriores diſcurſus, mora ultra ſex menſes in tranſmarinis partibus, & regreſſus in Angliam, niſi primum colloquio cum Abbate Cluniacenſi habito, prohibentur, eo quod talia non neceſſitate, ſed voluntate, immo temeritate potius attemptata in Dei & hominum offenſam veniant, ordinis honeſtatem minuant, animarum ſalutem interimant, & bona ordinis temporalia inutiliter diſſipent & conſumant, præcipimus firmiter obſervari, adicientes ad ejuſdem ſtatuti declarationem & obſervantiam pleniorem ut nullus Priorum noſtri ordinis de dicto regno niſi de Abbatis Cluniacenſis aut alterius ſuperioris mandato, ſeu pro ſuo ad generale Capitulum noſtrum adventu, aliave de cauſa manifeſta, quae & legitima evidentiſſime videatur, tranſfretare præſumat; ſicque tranſfretans diligenter cavere ſtudeat ne circa moræ ſpatium aut regreſſionis modum in prædicto diffinita ſtatuto inveniatur tranſgreſſor. Si quis autem contra præmiſſum ſtatutum & noſtrum præceptum quicquam attemptaverit, ab omnibus habeatur inobediens & rebellis. An. 1277.

Statutum prædeceſſoris prædicti ſub atteſtatione divini judicii & pœna ſententiæ excommunicationis latæ prohibens ne quis Prior, adminiſtrator, obedientiarius, vel monachus, aut conventus noſtri ordinis pro quacunque ſeculari eccleſiaſticave perſona alia fide jubeat, aut ſigillum ſuum vel theſaurum Eccleſiæ obligare præſumat, diſtricte & diſtrictius in virtute obedientiæ præcipimus inviolabiliter obſervari. Et quoniam fidejuſſiones & obligationes prædictæ ad deſolationem locorum ordinis nimiam veniunt, ultra pœnas prædictas ad ejuſdem obſervantiam ſtatuti majorem adicimus ſtatuendo quod qui contra ſtatutum ipſum quicquam attemptare præſumpſerit, Prior prioratu ſibi commiſſo, adminiſtrator adminiſtratione, obedientiarius obedientia ſeu quocunque officio tanquam inobedientes & rebelles ac dilapidatores notorii ſine ſpe reſtitutionis perpetuo ſint privati, alios prioratus, adminiſtrationes, ſeu obedientias nullatenus habituri. Monachus prædictis conſentiens in provincia illa nullam de cetero habeat manſionem. Et conventus qui inſtrumentis ſeu literis ſuper talibus confectis ſigillum ſuum apponi conſenſerit, ſigillo careat, nec deinceps ſigillo proprio poſſit uti. Alienationes quoque de bonis ordinis immobilibus, redditibus, ſeu juribus quas ſine neceſſitate monaſteriorum urgente aut magna utilitate eorum evidentiſſima & ſine ſuperioris licentia aut aſſenſu factas jura ſtatuunt non valere, necnon conceſſiones de baillivis, præpoſituris, majoriis, decaniis, & conſimilibus officiis ad loca noſtra ordinis ſpectantibus perpetuo fieri prohibemus. Qui autem contra fecerint, tam alienatores quam conceſſores prædictos ac eis in hac parte aſſenſum præbentes, pœnis prædictis ſtatuimus ſubjacere.

Quoniam nonnulli obedientiarii & monachi noſtri ordinis adminiſtrationum ſibi commiſſarum amiſſionis & manſionum ſuarum mutationis timore in fidejuſſionibus, obligationibus, alienationibus, & conceſſionibus ſupradicto ſtatuto plenius declaratis Priorum ſuorum interdum conſentiunt voluntati, ne parendo eidem ſtatuto Priorum ſuorum offenſam ſuper ſe inve-

Digitized by Google

inveniant provocatam & nequiter perrumpere in vindictam, aut non parendo ſtatuti ſentiant in ſe pœnam, ſicque ſibi paretur laqueus hinc & inde, in virtute obedientiae prohibemus ne occaſione cujuſquam contradictionis aut diſſenſus in dictis obligationibus, alienationibus, & conceſſionibus quiſquam Priorum obedientiarios ſuper ſibi commiſſis adminiſtrationibus aut monachos ſuper ſuis manſionibus infeſtet aliquatenus vel moleſtet, nec in aliis durius eos tractet. Alioquin pœnas contra inobedientes & rebelles editas ſine remiſſione quacunque noverit ſe paſſurum.

Cum Priores in non ſubjectis ſibi locis nullam coercendi aut quomodolibet ordinandi habeant poteſtatem, certum eſt eos ad loca illa non poſſe quemquam ſuum commonachum mittere moraturum. Unde tales monachorum indebitas miſſiones omnino ſine Cluniacenſis Abbatis vel alterius ſuperioris auctoritate fieri prohibemus: quæ ſi forſitan fiant, eum qui mittetur præcipimus non admitti, & eum qui miſit pro injuſta commonachi ſui vexatione ſtatuimus fore graviter puniendum, quodque Priores auctoritate propria gratiam ſibi invicem facere non valeant in hac parte.

Quanto quis elegit jugum Domini indiſſolubile firmius ſibi jungi, tanto in domo Domini meretur amplius honorari. Hinc eſt quod ſtatuimus fratres ordinem noſtrum profeſſos in adminiſtrationum commiſſionibus præferri ceteris non profeſſis.

Fugitivorum & aliorum quorundam noſtri ordinis audacia non tam temeraria quam inſana perſonas & bona noſtri ordinis & alia invadere & rapere non veretur, invaſorum incurrens infamiam & raptorum. Quorum temeritati cum non ſit aliquatenus indulgendum, ſtatuimus ut tales abſque cujuſquam ſententiae excommunicationis incurſu ab omnibus capiantur & in carcere recludantur quouſque Cluniacenſi Abbati vel ejus certo mandato reddantur ſecundum quantitatem & qualitatem delicti debite puniendi.

Cum canones defectum in natalibus patientes non ſinant ad ordines vel eccleſiaſtica beneficia promoveri, & legitimæ ſanctiones talibus ſucceſſionis commodum interdicant, nos eos qui paterna de facili ſcelera imitantur & aliorum frequenter bonos mores corrumpunt prohibemus ſine Abbatis Cluniacenſis licentia de cetero in noſtri ordinis monachos recipi vel converſos, ex nuncque recipiendi tales omnibus ordinis noſtri Prioribus adimimus poteſtatem. Si qui vero contra hoc ſtatutum reperti fuerint receptores, excommunicationis incurrant ſententiam ipſo facto, & recepti pro monachis aut converſis minime habeantur, ſibique habitu noſtræ religionis amoto, a fratrum conſortio & locis ordinis expellantur.

Cum pœna actores ſuos tenere debeat, & publicæ utilitatis interſit ne crimina remaneant impunita, pœna juſte criminoſis inflicta non videtur ſine juris injuria remittenda. Cum igitur juris praecepta ſervari debeant illibata, ſtatuimus ut perſona noſtri ordinis pro crimine de loco in locum morandi cauſa translata, ad locum a quo translata eſt nullo tempore redeat moratura: quæ ſi alia fuerit pœna multata, nulla pœnæ illius remiſſio ſibi fiat, maxime in alterius juris offenſam dicentis facilitatem veniæ incentivum tribuere delinquendi. Hoc autem non ſolum de transferendis intelligi volumus vel multandis, ſed de jam translatis etiam & multatis. Quod ſtatutum in virtute obedientiæ præcipimus firmiter obſervari.

Quia venditiones, adcenſationes, vel firma in fraudem de redditibus ſeu bonis noſtri ordinis ad pluralitatem annorum ſive ad non modicum tempus factæ locis ordinis graviſſimum inferunt detrimentum, ſtatuimus ut nullus Prior, adminiſtrator, vel obedientiarius quicunque niſi de anno in annum vendere, adcenſare, ſeu ad firmam tradere audeat vel praeſumat. Quod ſi tanta loci evidens neceſſitas aut utilitas manifeſta aliter ſuaſerit faciendum, annis ſingulis non niſi pro rata anni die tota quantitate pretii contingente aliquid exigatur quomodolibet aut levatur. Et ſi ſic ad loci vel adminiſtrationis neceſſitatem tollendam vel commodum procurandum non ſufficiat, venditionis, adſcenſationis, & firmae hujuſmodi pretium majore parte conventus, ſi locus conventualis fuerit, vel omnibus fratribus, ſi non fuerit conventualis, ſcientibus, ita quod ſuper hoc poſſint perhibere teſtimonium veritati, in ipſius neceſſitatis vel utilitatis exigentiam totaliter convertatur. In eum vero qui contra fecerit ex nunc in ſcriptis excommunicationis ſententiam promulgamus.

LITTERÆ IOANNIS XXII. Papæ quibus fratri Michaëli Monachi ordinis Minorum committit cauſam quorundam fratrum Minorum non bene de fide ſentientium.

IOhannes Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio fratri Michaeli Monachi ordinis fratrum Minorum, inquiſitori haereticae pravitatis in Provinciae Ex L. I. Miſc. Baluz. pag. 195. ac Forqualquerii Comitatibus, necnon & in civitatibus, terris & locis infra Arelatenſem, Aquenſem, Ebredunenſem, & Viennenſem provincias conſiſtentibus An. 1317. auctoritate apoſtolica conſtituto ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Super omnia deſiderabilia cordis noſtri fidei catholicae continuum incrementum intenſioribus deſideriis cupientes, gravi nimirum dolore torquemur cum audimus aliquos vel ſentimus ad depreſſionem illius qualicunque malignitatis aſtutia vel colore ſatagere aut ei detractionibus vel commentis mendacibus derogare, ad quorum iniqua ſternenda molimina eo ferventius noſtra ſuſpirat intentio quo pernicioſius in animarum ſtragem perverſis conatibus machinantur. Nuper ſiquidem non abſque multa mentis turbatione percepto quod nonnulli praetenſi Minorum ordinis fratres ſolo nomine profeſſores ad eam mentis inopem cæcitatem devenerant quod haeretica labe reſperſi adverſus ſaluberrimam Chriſtianae fidei veritatem . . . . . . ſentiebant & alios verbis mendacibus ſub mentitae pallio ſanctitatis in errorum ſuorum devium trahere ipſoſque errores defendere pro viribus conabantur, nos, qui ſollicitudine vigili contra talium doloſam aſtutiam opportunum remedium libenter ubilibet adhibemus, ne virus hujuſmodi in eodem ordine ſub ſpecie ſanctitatis hujuſmodi ſubintraret, tibi mandaſſe recolimus oraculo vivae vocis ut adverſus eoſdem praetenſos fratres procederes juxta canonicas ſanctiones & de illis faceres juſtitiae complementum. Verum intendentes ut eo tutius ad hujuſmodi peſtis omnimodam exterminationem procedas quo per nos certiori fueris auctoritate munitus, diſcretioni tuae, de qua fiduciam obtinemus in Domino ſpecialem, per apoſtolica ſcripta committimus & mandamus quatenus contra fratres Iohannem Barravi, Guillelmum Santoni, Deodatum Michaëlis, Pontium Rocha, Bernardum Aſpa, Berengarium Tortelli, Petrum Fabri, Vincentium Girandi, Bernardum Antinaci, Guiraudum Martini, Bernardum Franciſci, Guillelmum Arnaudi, Iacobum Seguini, Iohannem Raſerii, Raimundum Bordini, Arnaudum Raimundi, Franciſcum Sanctii, Guillelmum de ſancto Amantio, Franciſcum de Badonis, Servianum Philippum Ferrarii, Arnaudum Maurini, Iacobum de Rivo, Arnaudum de Felguuio, Guillelmum Girandi, & Bernardum Boneti praetenſos dicti ordinis profeſſores eadem labe reſperſos, quorum aliqui a quibuſdam mandatis auctoritate noſtra factis eiſdem certas appellationes & proteſtationes interpoſuiſſe noſcuntur, & omnes & ſingulos ipſis adhaerentes ſic efficaciter & ſollerter juxta ſtatuta canonica procedere ſtudeas quod per tuae ſollicitudinis circumſpectam prudentiam dicti ordinis ſacra plantatio, exterminatis vulpeculis quae illam venenoſis morſibus demoliri praeſumunt, fructus afferat catholicae veritatis. Nos enim

nim ſuper praemiſſis contra eos juxta ſtatuta hujuſmodi procedendi & alia omnia & ſingula quae circa praemiſſa opportuna fuerint facienda & etiam exercenda, non obſtantibus quibuſcunque privilegiis, indulgentiis, & litteris apoſtolicis generalibus vel ſpecialibus eidem ordini aut ipſius ordinis fratribus vel eorum aliquibus ſub quavis verborum forma conceſſis, quae praetenſis fratribus & adhaerentibus ſupradictis contra praemiſſa vel aliqua praemiſſorum in nullo volumus ſuffragari, & tam de duabus dietis in Concilio generali quam felicis recordationis Bonifacii Papae VIII. praedeceſſoris noſtri editis, per quas judices a ſede deputati praedicta extra civitates & dioceſes in quibus deputati fuerint, aut aliquos ultra unam dietam a finibus ſuae dioecelis trahere prohibentur, & aliis contrariis conſtitutionibus quibuſcunque, ſive ſi aliquibus communiter vel diviſim a dicta ſit ſede indultum quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut ultra vel extra certa loca trahi vel ad judicium evocari non poſſint per litteras apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi & eorum perſonis ac locis ac nominibus propriis vel ordinibus mentionem, & qualibet dictae ſedis indulgentia generali vel ſpeciali, cujuſcunque tenoris exiſtat, per quam tuae juriſdictionis explicatio valeat in hac parte quomodolibet impediri, & de qua cujuſque toto tenore habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis, plenam tibi concedimus tenore praeſentium poteſtatem. Volumus inſuper & apoſtolica auctoritate decernimus quod a data praeſentium tibi ſit in praemiſſis omnibus & ſingulis praeſentibus & futuris perpetuata poteſtas & juriſdictio attributa, ut eo vigore illaque firmitate poſſis in praemiſſis omnibus coeptis & non coeptis praeſentibus & futuris procedere ac ſi juriſdictio tua in praedictis omnibus & ſingulis per citationem vel alium modum perpetuata legitimum extitiſſet. Datum Avinioni VIII. Idus Novembris, pontificatus noſtri anno ſecundo.

Inquiſitoris ſententia contra combuſtos in Maſſilia.

Vide infra pag 275 Vide Nicolaum Eymericum in Directorio Inquiſitor. part 2 q. 5. 6 9 & q. 38.

IN nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Amen. Noverint univerſi praeſentes pariter (& futuri) quod cum nobis Michaëli Monacho ordinis fratrum Minorum Inquiſitori haereticae pravitatis in Arelatenſi, Aquenſi, Ebredunenſi, & Viennenſi provinciis auctoritate apoſtolica conſtituto, ex parte & de mandato Reverendi Patris Fratris Michaëlis dicti ordinis Generalis Miniſtri per ipſius Miniſtri nuntios ad hoc ſpecialiter deſtinatos praeſentati fuiſſent Iohannes Barrani de partibus Toloſanis, Deodatus Michaëlis, Guillelmus Santonis Presbyteri, & Poncius Rocha Diaconus de partibus Narbonenſibus, & quidam alii praefati ordinis ſolo nomine profeſſores, qui in judicio conſtituti coram praefato Generali Miniſtro pertinaciter aſſeruerunt quod ſanctiſſimus Pater & Dominus Dominus Iohannes divina providentia Papa XXII. non habuit nec habet auctoritatem nec poteſtatem faciendi quaſdam declarationes, commiſſiones & præcepta contenta in quadam conſtitutione ſive decretali per ipſum Romanum Pontificem de conſilio ſacri collegii Dominorum Cardinalium diligenti & matura deliberatione præhabitis edita ad Dei laudem, beati Franciſci præconium, ejuſque præfati ordinis pacem, conſolationemque fidelium, quæ incipit *Quorundam*, & quod ipſi Domino Papæ non tenebantur obedire, maxime in eo quod ipſe in ipſa conſtitutione virtute obedientiae & ſub excommunicationis pœna mandavit quod praenominati Iohannes, Deodatus, Guillelmus, & Poncius, eorumque complices quoſdam habitus curtos & ſtrictos a communitate memorati ordinis diſcrepantes, quos aſſumpſerant, deponerent, & aliis ſecundum ipſius Generalis Miniſtri arbitrium ſive judicium induerentur, ipſique Generali Miniſtro in habitu & forma ſive figura habitus & quaeſtu bladi & vini pro vitae neceſſariis fratrum, etiamſi reponenda eſſent in granariis & cellariis conſervanda, & in omnibus aliis & per omnia ſecundum beati Franciſci regulam & declarationes editas ſuper eam & conſtitutionem ſive ordinationem ipſius Domini Papae Iohannis humiliter obedirent, & pertinaciter aſſeruerunt illam blaſphemiam in ſanctam ſedem Romanam, videlicet quod ea quae in conſtitutione ſive decretali de habitu & quaeſtu & ſimilibus mandabantur, erant contra conſilium Chriſti evangelicum & eorum votum de altiſſima & evangelica paupertate quam Chriſtus ſervavit & Apoſtolis ac profeſſoribus evangelicis impoſuit ad ſervandum, & quod nulli mortalium cum ſecura conſcientia in iis poterant obedire, prout in inſtrumento publico confeſſionis praedictorum Iohannis, Deodati, Guillelmi, & Poncii nobis per eundem Generalem Miniſtrum tranſmiſſo colligitur evidenter, & idem Generalis Miniſter praefatum Inquiſitorem cum inſtantia requiſiviſſet, nobiſque mandaſſet, ut tam ex officio nobis injuncto quam etiam ex auctoritate ejus, in quantum ad ipſum ſpectare reperiretur, ſuper iis quae in ipſo inſtrumento confeſſionis praedictae & alias de fide catholica & omnibus quomodolibet pertinentibus ad praedicta praenominatos ſtuderemus examinare eoſque punire & condemnare prout juſtitia ſuaderet, ſuper quibus & dependentibus & connexis & ea quomodolibet contingentibus commiſit nobis totaliter vices ſuas, prout in ejus patentibus litteris continetur. Nos illius inhaerentes veſtigiis qui convincit ex ore proprio ſervum, praenominatos Iohannem, Deodatum, Guillelmum, & Poncium in judicio coram nobis conſtitutos interrogavimus ſigillatim utrum perſiſterent & perſeverarent in reſponſione & confeſſione praedicta quam coram praefato Generali Miniſtro fecerunt. Qui ſigillatim ſpecialia reſponderunt quod in ea perſiſtebant & quod nihil de contentis in ea revocare volebant. Et ad ſpecialia deſcendentes interrogati ſingulariter reſponderunt quod præcepta eis facta quod habitum curtum & ſtrictum, quem aſſumpſerant, dimittant, & alium communitatis fratrum accipiant, non tenent ſeu obligant, quia ſunt contra Chriſti evangelium, & quod illud quod praefatus Dominus Papa in dicta conſtitutione declaravit & diffinivit de granariis & cellariis eſt contra conſilium evangelicum, & quod non credunt ipſum in iis habere poteſtatem vel auctoritatem, & quod ipſi Domino Papae in his nullatenus obedirent, nec poſſent eum ſana conſcientia alicui mortalium obedire. Et inſuper coram nobis conſtituti proteſtati ſunt verbo & in ſcriptis quod ſtant & ſtare intendunt uſque in diem judicii in proteſtationibus, appellationibus, & adhaeſionibus per eos interpoſitis ſive factis vel approbatis a quibuſdam mandatis ex parte praefati Domini Papae factis per fratrem Stephanum Alberti Miniſtrum fratrum Minorum provinciae Provinciae, quamvis oſtenſum fuerit eis per nos & ſaepius & frequenter in ipſis proteſtationibus & appellationibus contineri infraſcriptos errores, & fidei evangelii, auctoritati Eccleſiae & praefati Romani Pontificis repugnantes. Videlicet quod illud quod eſt contra regulae fratrum Minorum obſervantiam & intelligentiam eſt per conſequens contra evangelium & fidem, alias non eſſet penitus quod regula evangelica, & quod nullus mortalis poteſt eos cogere ad deponendum ipſos habitus curtos & ſtrictos & alios communitatis aſſumendum, & quod ipſos habitus curtos & ſtrictos impugnare eſt verbo & facto Chriſti evangelium & ejus regulam impugnare, & quod praecepta eis facta quod ipſos habitus dimittant & alios aſſumant, ut dictum eſt, non tenent nec obligant, quia ſunt contra evangelium, & ex iis ſequeretur & ſequi poſſet deſtructio vitae Chriſti, & quod illi qui procedunt contra ipſos ut diminant ipſos habitus ſunt in errore contra veritatem evangelicae regulae, & per conſequens evangelii & fidei, & quod ipſos propter hoc condemnare eſt Chriſtum de Synagoga eicere, ut ex tunc nemo ſit auſus confiteri

pu-

Digitized by Google

puram obſervantiam regulae in iſta congregatione, ne de ſynagoga eiciatur, id eſt, ne ex hoc graviter puniatur. Qui quidem errores graviter impingunt in glorioſum Eccleſiae primatum cunctis nationibus percolendum, immo in ipſum Chriſti evangelium, in quo beato Petro & per eum ſucceſſoribus dictum eſt: *Quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in caelis, & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in caelis.* & teſte canone qui quodcunque dixit nihil excepit, & in evangelicam doctrinam docentem quod Chriſtus habuit loculos, & in fidei noſtrae ſinceritatem tenentem & praedicantem quod de conſervare in futurum pro neceſſitatibus ſanctorum non obviat evangelio, ſed conſonat, & tenentem & docentem quod nulla regula religioſorum aequanda eſt evangelio, cum evangelium Chriſti ſancta univerſalis atque Romana Eccleſia propter eminentiſſimam ejus auctoritatem nec mutet nec corrigat nec confirmet, ſed veneranter ſuſcipiat, & ſuaviſſimo illius jugo promptae obedientiae colla ſubmittat, regulae vero praedictae & quorumcunque religioſorum omnis tenor & vigor ſic a Romanae ſedis poteſtate manat ut nulla ſit ejus auctoritas quae ab indulgentia ſeu confirmatione ſedis apoſtolicae non decurrat. Non faceret igitur Romanus Pontifex contra evangelium & fidem Chriſti, etiamſi ſtatueret contra, mutaret, vel tolleret ipſam regulam; nec eſt ipſa regula idem quod evangelium, ſed eſt quaedam vitae laudabilis forma a Romanis Pontificibus approbata & confirmata, ipſorum declarationi, mutationi, & omnimodae diſpoſitioni ſimpliciter & abſolute ſubjecta. Dictis vero erroribus palam & publice pluries per praefatos Johannem, Deodatum, Guillelmum, & Poncium confeſſatis & propoſitis in judicio coram nobis, ipſos multotiens & multotiens per nos & multos alios ſalubriter & pie monuimus quod hos errores peſtiferos revocarent & abjurarent & redirent ad fidei catholicae veritatem quam Romana tenet & docet Eccleſia & ad praefati ſanctiſſimi patris Domini Papae & ſedis apoſtolicae obedientiam & mandata. Quod ut melius fieret, habuimus ſolemnia concilia multorum Epiſcoporum & Praelatorum & aliorum plurium magiſtrorum & baccalariorum in ſacra pagina profeſſorum necnon fere omnium auditorum ſacri palatii aliorumque magnae auctoritatis virorum, quae praedictis omnibus aeſtimatis oſtendi & legi fecimus ſigillis ipſorum Praelatorum, magiſtrorum, & conſulentium pendentibus & eorum ſubſcriptionibus roborata: qui omnes judicaverunt articulos quos praedicti aſſerunt haereticos, & pertinaces eorum aſſertores fore ſicut haereticos judicandos.

Praeter haec, Reverendus pater Dominus Raymundus Maſſilienſis Epiſcopus per nos reverenter & humiliter requiſitus praefatis obſtinatis oſtendit quod ea quae aſſerebant erant haeretica & contra evangelium, & eos caritative monuit quod omnes errores revocarent. Sed, quod majus eſt, procuravimus quod per aliquos Dominos Cardinales fuit praedictis peſtiferis legitime facta fides quod praefatus ſanctiſſimus & Dominus Dominus Iohannes Papa in conſiſtorio Dominorum Cardinalium, lecto coram eo praedicto publico inſtrumento, in quo continebantur confeſſiones per eos factae coram praefato Generali Miniſtro, oraculo vivae vocis dixit ipſas eorum confeſſiones eſſe haereticas, & eos ſicut haereticos, & fautores eorum ſicut fautores haereticorum cenſendos fore & etiam fore judicandos. Qui etiam Domini Cardinales ipſis peſtiferos, quantum potuerunt, monere & inducere ſunt conati quod a praedictis eorum haereſibus reſilirent. Ipſi vero filii Belial, Pharaonis imitati duritiam, & obturantes ad haec omnia more aſpidis aures ſuas, nec blandis monitionibus allici potuerunt, nec teſtimoniis ſcripturarum divini & canonici juris cedere, nec Praelatorum, profeſſorum, aliorum magiſtrorum ſacrae paginae, & auditorum ſacri palatii, & aliorum juris peritorum conſiliis credere voluerunt, nec etiam frangi juſtis terroribus potuerunt, ſed elegerunt in ſuis erroribus inflexibiliter permanere. Quocirca cognita eorum damnabili pertinacia, ipſis terminum peremptorium aſſignavimus praeſentem diem ante Tertiam ad diffinitivam ſententiam audiendam. Nos igitur frater Michaël Inquiſitor auctoritate apoſtolica conſtitutus ut ſupra, cui etiam praefatus Dominus Raymundus Maſſilienſis Epiſcopus ſuper iis ad cautelam commiſit totaliter vices ſuas juxta formam conſtitutionis editae in Concilio Viennenſi, non valentes nec volentes hujuſmodi hominum peſtilentium inobedientias, contumacias, rebelliones, & apertos errores fidei catholicae & poteſtati & auctoritati Papae & Eccleſiae Romanae apertiſſime repugnantes dimittere impunitos, & attendentes quod praedicti filii tenebrarum totiens oblatam ſibi Dei & Eccleſiae miſericordiam contempſerunt, immo ſic a ſe repellere eligunt quod nec periculum timere corporum ſed affectare ſe dicant, nec futurum Dei judicium vereantur, ut in eis impleri videatur ſcriptura divina dicens, *Qui caritatem veritatis non receperunt ut ſalvi fierent, mittet illis Deus operationem erroris ut credant mendacio, & judicentur omnes qui non crediderunt veritati ſed iniquitati nequiter conſenſerunt*, cum ſciamus & videamus quod per impunitatis audaciam fiant, qui nequam fuerant, quotidie nequiores, viſis & diligenter inſpectis erroribus, culpis & demeritis praedictorum, habitoque cum multa maturitate conſilio ſuper dictis eorum erroribus plurium Praelatorum & in ſacra theologia profeſſorum & utriuſque juris peritorum, aſſiſtentibus quoque nobis ad haec praefato Reverendo in Chriſto Patre Domino Raymundo Maſſilienſi Epiſcopo & pluribus aliis Praelatis & religioſis ac perſonis litteratis inferius annotatis, ſupradictos Iohannem Barrani, Deodatum Michaelis, Guillelmum Santonis, Poncium Rocha, quia non tantum Papae & ſedi apoſtolicae obedire contemnunt, ſed etiam auctoritati & poteſtati a Chriſto ei traditae & evangelicae veritati pertinaciter & obſtinate repugnant, quia perfectionem evangelicorum conſiliorum Chriſti in quadam monſtruoſa deformitate veſtis & in nihil in futurum reſervando à viris evangelicae perfectionis vitam ducentibus eſſe confingunt, ac per hoc ſanctos & beatiſſimos patres religionum, & inter caeteros ſanctum Ludovicum, quem conſtat fuiſſe praefatae regulae profeſſorem, a vita perfectionis evangelicae faciunt alienos, quia ſcripturam evangelicam perverſe intelligendo & exponendo ad erroris ſui ſenſum trahunt, quia poſt ſalubres exhortationes & inductiones ratione plenas in profundum omnium malorum deſcendentes, in ſuorum errorum perverſitate pertinaciſſime & obſtinate perſiſtunt, pro tribunali ſedentes, Chriſti nomine invocato, & ſanctis ejus evangeliis poſitis coram nobis, per hanc noſtram diffinitivam ſententiam, quam ferimus in iis ſcriptis, pronuntiamus haereticos & peſtilentiſſimorum aſſertores dogmatum judicamus, & eos tanquam haereticos ab omnibus eccleſiaſticis ordinibus degradandos, & ipſis degradatis exnunc prout extunc, eos judicio relinquimus ſaeculari, & praedicta auctoritate apoſtolica monemus ſemel, ſecundo, tertio, & peremptorie univerſos & ſingulos utriuſque ſexus, cujuſcunque religionis vel ordinis, aut cujuſcunque ſtatus, conditionis, dignitatis, vel gradus exiſtant, & ſub poena excommunicationis inhibemus ne aliquis praefatos errores praeſumat defendere vel tenere, vel defendentibus ſeu tenentibus impartiri conſilium, auxilium, vel favorem. Quicunque autem ſecus fecerint, credentes, tenentes, & defendentes, velut haereticos, & faventes tenentibus ſeu defendentibus, velut fautores pravitatis haereticae, excommunicationis vinculo in iis ſcriptis auctoritate apoſtolica, qua fungimur, innodamus. Et quia conſtat nobis quod praefati errores immo haereſes manifeſte proceſſerunt ſive originem habuerunt à venenato fonte doctrinae immo verius ſeductrinae quam frater Petrus Johannis Olivi Biterrenſis dioceſis ſuper Apocalypſi & in quibuſdam ejus

Cap. 2. de Haeret. in Clement.

opuſculis contra honorem ſanctae Romanae Eccleſiae & auctoritatem ejuſdem temere ſcriptitavit, & doctrinam ejus & libros dicti fratris Petri tamquam continentes & dogmatiſantes errores fidei catholicae & ſacramentis eccleſiaſticis ac ſtatui, honori, & auctoritati Eccleſiae Romanae & praeſidentium eidem plurimum adverſantes, fuiſſe per praefatum ordinem de conſilio etiam plurium magiſtrorum in ſacra pagina reprobatos & condemnatos ac etiam igni adjudicatos, & attendentes nihilominus quod praefatus ſanctiſſimus Pater & Dominus Dominus Johannes Papa certis ex Dominis Cardinalibus & quibuſdam in ſacra pagina magiſtris examinationem praedictorum librorum commiſit, & quod abſonum nimis eſſe videtur quod ipſi Petro Johannis (qui de erroribus adverſantibus fidei catholicae, honori & auctoritati ſummi Pontificis Vicarij Jeſu Chriſti & ſanctiſſimæ ſedis ejus, diu eſt graviter & a perſonis maturis & peritis notatus, maxime a Praelatis, magiſtris, Miniſtro & communitate fratrum dicti ordinis, qui præfati Petri Johannis & doctrinæ ejus lubricos calles & tortuoſas ſemitas exploratius cognoverunt) ſicut ſancto ſeu viro approbato & catholico reverentia exhibeatur, & quod hujuſmodi reverentiæ exhibitio in derogationem reverentiæ fidei catholicæ & ſententiæ ſuper dicta doctrina & libris dicti Petri Iohannis per ipſum Dominum Papam ferendae verti poſſet, maxime ſi contingeret ipſos proceſſus & ſententias factos & prolatos per dictum ordinem contra ſaepedictos doctrinam & libros per ſedem apoſtolicam confirmari, vel doctrinam ipſius Petri Iohannis ſententiam excipere graviorem, ideo auctoritate praedicta, qua fungimur, praecipimus pro primo, ſecundo, tertio termino peremptorio, monentes omnes & ſingulos, cujuſcumque ſexus, conditionis, ſtatus, aut dignitatis exiſtant, quod pendente dicto negotio coram praefato Domino Papa & ejus ſacro collegio nullus praeſumat praenominato Petro Iohannis tanquam ſancto aut viro catholico & approbato reverentiam exhibere. Si quis autem ſecus praeſumpſerit attentare, in his ſcriptis eum excommunicationis vinculo auctoritate qua fungimur innodamus.

Vide infra, pag. 236.

Inſuper cum etiam nobis conſtet Bernardum Aſpa dicti ordinis ſolo nomine profeſſorem aſſeruiſſe quod praefatus ſanctiſſimus Pater & Dominus Dominus Iohannes Papa XXII. non habuit poteſtatem nec auctoritatem ſtatuendi quae in ſaepedicta conſtitutione de granariis & cellariis ſunt ſtatuta, & in hoc nulli obediendum eſſe credebat, cum ea aſſereret Chriſti conſiliis obviare, & licet per nos detentus de hujuſmodi aſſertione ſe dixerit poenitere, & quod non credebat praefato Domino Papae obediendum in iis quae in praedicta conſtitutione ſunt ſtatuta, quia tamen requiſitus pluries quod errorem hujuſmodi ſecundum morem ſolitum & debitum abjuraret, hoc facere pertinaciter & contumaciter recuſavit, quamvis eidem juriſperitorum conſilia oſtenderimus quod abjurationem facere hujuſmodi tenebatur, idcirco in iis ſcriptis diffinitive pronuntiamus & judicamus ipſum Bernardum perpetuo immurandum ac ab omnibus ordinibus degradandum, & quod in deteſtationem tanti criminis duas cruces crocei coloris, unam ante in pectore, aliam poſt inter ſcapulas in ſuperiori veſte perpetuo debeat deportare. Quod ſi de dicto muro ſive carcere fugeret, vel portare hujuſmodi cruces recuſaret, eo degradato ipſum tamquam impoenitentem & haereticum curiae relinquimus ſeculari.

Lecta, pronuntiata, & ſententiata fuerunt praedicta per praefatum fratrem Michaëlem Inquiſitorem ſecundum formam & modum ſuperius annotatos, praeſentibus & audientibus praedictis Iohanne, Deodato, Guillelmo, Poncio, & Bernardo, in cimiterio beatae Mariae de aquis curtatis Maſſiliae anno Domini MCCCXVIII. indictione prima, die VII. Maii, pontificatus ſanctiſſimi Patris & Domini Domini Iohannis divina providentia Papae XXII. anno ſecundo, in praeſentia & teſtimonio Reverendorum patrum Raymundi Epiſcopi Maſſilienſis, Scoti Epiſcopi Convenarum & religioſorum virorum fratrum Raymundi Abbatis monaſterii Silvaecanae, Andini monaſterii de Ybelnia diocesis Maſſilienſis, Bertrandi Prioris clauſtralis monaſterii ſancti Victoris, Bertrandi Prioris Montis vivi, Hugonis Prioris conventus fratrum Praedicatorum, Bertrandi Gardiani conventus fratrum Minorum, Iohannis Subprioris conventus fratrum ordinis Eremitarum, Artaudi Subprioris conventus fratrum Carmelitarum Maſſilienſium, & venerabilium Dominorum Raymundi Archidiaconi Maſſilienſis, Bertrandi Sacriſtae Cavallicenſis & Officialis Maſſilienſis, Guillelmi Praepoſiti Regenſis, Iacobi Sacriſtae Maſſilienſis, & fratrum Iohannis de Verunis, Iacobi Radulphi, & Iacobi de Campis Lectorum ordinis Minorum, & multorum aliorum teſtium ad hoc ſpecialiter vocatorum & rogatorum.

Qua ſententia prolata, & coram clero & populo civitatis Maſſiliae ſolemniter publicata, idem frater Michael Inquiſitor illico praefatum Reverendum Patrem Dominum Raymundum Epiſcopum Maſſilienſem humiliter requiſivit ut ad degradationem praedictorum haereticorum & damnatorum procederet ſecundum formam a ſacris canonibus conſtitutam. Qui dictus Dominus Epiſcopus Maſſilienſis ad hoc faciendum ſe promptum obtulit & paratum, & ibidem & eadem die in continenti induit ſe pontificalibus, ac ſi deberet ordines celebrare; & parato ibidem altari, ac aſſiſtentibus ſibi praefatis Epiſcopo, Abbatibus, Praelatis, Prioribus, Subprioribus, & religioſis perſonis, necnon nobilibus viris Dominis Raymundo de Villanova Milite Vicario civitatis Maſſiliae, Gauffrido Berengarii juris civilis profeſſore judice palatii, Alberto de Tizonis judice, Alberto Curaterii judice appellationum, Hugone Pandulphi judice turrium civitatis Maſſilienſis, Stephano Martini judice terrae Domini Epiſcopi Maſſilienſis, juriſperitis ad haec per praefatum Dominum Maſſilienſem Epiſcopum convocatis, ſupranominatos haereticos judicatos fecit coram ſe praeſentari indutos & paratos ac ſi deberent in ſuis ordinibus ſolemniter miniſtrare, & eos prius monuit & induxit quod deberent a ſuis erroribus reſilire. Et cum hoc facere pertinaciter recuſaſſent, quemlibet eorum ſingulariter ſecundum formam a canonibus traditam degradavit, ſpoliavit, ac exuit omni ordine, beneficio, & privilegio clericali, eiſque ſic degradatis & exutis, caput cujuslibet praedictorum haereticorum radi fecit, ſic quod nullum ſeu clericatus veſtigium remanſit penitus in eiſdem. Et ſaepedictos Iohannem, Deodatum, Guillelmum, & Poncium haereticos degradatos & judicio ſeculari relictos praedictus Vicarius & Rogerius de ſancto Martino Subvicarius in ſuum forum receperunt. Et ſupradicti Domini Epiſcopus Maſſilienſis & frater Michaël Inquiſitor ipſos vicarium & Subvicarium rogaverunt ut citra mortis periculum circa ipſos haereticos ſtuderent ſuam ſententiam moderare. De quibus omnibus & ſingulis ſupradictis praedictus Inquiſitor petiit cum magna inſtantia ſibi fieri unum vel plura publica inſtrumenta per Guillelmum Amelii & fratrem Rogerium de Arecio Notarios publicos ad hoc per praedictum Inquiſitorem electos.

Acta fuerunt & facta praedicta ſupradictis die & loco, & praeſentibus teſtibus & Notariis ſuperius nominatis.

Et ego frater Iacobus de Campis teſtis praedictus de mandato praedicti Inquiſitoris praedicta ſcripſi, & praedictas duas interlineatas, ſcilicet *defendentes* & *muro*, manu propria ſcripſi. In quorum omnium teſtimonium ſaepedictus Inquiſitor ſigillum ſui officii duxit praeſentibus apponendum.

Et ego praedictus Guillelmus Amelii auctoritate imperiali & comitatuum Provinciae & Forcalcherii Notarius publicus praedictis omnibus rogatus interfui, ac de ipſis publicum inſtrumentum de mandato dicti Inquiſitoris recepi, & ad confirmationem praedictorum me propria manu ſubſcripſi, meumque ſolitum ſignum appoſui.

Ego

Digitized by Google

Ego frater Rogerius de Arecio imperiali auctoritate Notarius publicus, qui etiam dum eſſem in ſaeculo, dictum notariatus officium exercui publice, praedictis omnibus una cum dicto Guillelmo Notario & teſtibus ſupradictis interfui rogatus, & de mandato praefati Inquiſitoris ad fidem & confirmationem omnium praedictorum me ſubſcripſi, & ſignum ſolitum appoſui.

ACTA INQUISITIONIS a Iohanne XXII. inſtituta adverſus Petrum de Palude ordinis Prædicatorum, cum reſponſionibus ejuſdem.

Ex L. I. Miſc. Baluz. pag. 105.

Vide Odor. Raynald ad an. 1318. §. 26.

ANno Domini milleſimo tricenteſimo decimo octavo, die prima menſis Julii, primae indictionis, ſanctiſſimus in Chriſto pater & Dominus noſter Dominus Iohannes providentia divina Papa XXII. cum feciſſet ad ſuam evocari praeſentiam fratrem Stephanum de Nereyo de ordine fratrum Minorum, quem fratrem cum nonnullis aliis ipſe Dominus noſter ad partes Flandriae miſerat, ad Comitem videlicet & ad certas communitates partium earundem pro quibuſdam exponendis inibi negotiis, quae quidem negotia ſerioſius in literis papalibus exinde fratribus ipſis traditis continentur, volens ipſe Dominus noſter ſcire plenariam veritatem quid inde fecerant, & ſi ipſe frater vel alii commiſſarii injuncta ſibi compleverant, & ſi aliqua omiſerant quae proponenda fuiſſent, aut quae tacenda forent forſitan expreſſiſſent, eidem fratri Stephano praecepit & injunxit expreſſe, recepto prius ab eodem ad ſancta Dei evangelia corporali juramento, ſub virtute ſanctae obedientiae ac juramenti praefati, necnon & ſub excommunicationis poena, quam tulit in eum ſi ſubticeret veritatem aut exprimeret falſitatem, ejus abſolutionem ſententiae praefatus Dominus noſter ſibi & ejus ſucceſſoribus praeterquam in mortis articulo reſervavit. Qui quidem frater Stephanus ſic juratus & interrogatus depoſuit in hunc modum.

Coram Comite Flandriae & conſilio ejus quinto die menſis Maii in Cortraco Magiſter Petrus de Palude Magiſter in Theologia dixit duo; primum, quod differentia eſt inter monitionem & admonitionem. Monitio verbum eſt juris, admonitio caritatis; & ideo poſt monitionem poteſt ferri ſententia, ſed non poſt admonitionem. Commiſſio autem noſtra, ut dicebat, monitionem non includebat, ſed admonitionem, & ideo non oportebat eos verba noſtra timere, quia poſt talem admonitionem non poterat dari contra eos aliqua ſententia. Idem dixit Brugis in congregatione illorum de Franco.

Secundo, coram praedicto Comite & conſilio ejus, ſuper eo quod Papa dicebat in littera noſtra quod conditio Flandrenſium per ultimam pacem melior erat facta, dixit ſic. Videtur mihi quod eſt unum propter quod deberetis multum ad pacem iſtam ſervandam moveri. Totus mundus dicit quod uſque nunc de guerra vos habuiſtis honorem. Inſuper totus mundus ſcit quod Rex inſequitur vos de pace, & quod vos fugitis eam. Ergo pro certo, ſi vos acceperitis conſilium illud, per quod poteſtis habere pacem, vos habebitis apud omnes homines gratiam & honorem.

Item decima die Maii, congregatis Scabinis, Conſiliariis, & procuratoribus villarum Flandriae Brugis in domo Comitis coram Comite & ejus conſilio, voluit & conſuluit quod ſimul & ſemel illa die redderemus omnes litteras noſtras; ſed nos ambo ſocii ſui reſtitimus ſibi.

Item eadem die coram praedictis Dominus Balduinus de mandato, ut dicebat, Comitis & omnium praedictorum de nobis conqueſtus eſt in generali quia ſervabamus in terra illa ſententiam interdicti, & in ſpeciali de Magiſtro Petro, qui ſe deveſtiverat indutus ſacerdotalibus propter praeſentiam aliquorum Flamingorum. Item quia, ut dicebat, idem magiſter Petrus alias praedicaverat Pariſius Flamingos eſſe excommunicatos, & quod aeque licitum erat & meritorium contra Flamingos arma movere ſicut contra Sarracenos.

Ad praedicta dictus magiſter Petrus reſpondit ſic. Multum gaudeo quod haec mihi publice oppoſuiſtis, quae jam mihi ad partem dicta fuerant, quia per hoc dediſtis mihi occaſionem ſive materiam excuſandi.

Primum caſum de Miſſa confiteor, quia negare non poſſum. Veruntamen factum excuſo per quatuor rationes quae ſequuntur. Prima talis eſt. Certum eſt aliquas ſententias excommunicationis & interdicti contra Flamingos latas fuiſſe, ſive bene, ſive male. Item certum eſt vos ab eiſdem ſententiis appellaſſe. Vos igitur habetis pro ſcuto appellationem veſtram, per quam tuemini & defendimini a ſententiis ſupradictis, & ideo bona conſcientia poteſtis audire & celebrare in hac terra divina. Ego vero ſcutum veſtrum non habeo quia nec appellavi, nec appellationibus veſtris adhaeſi; nec vos poteſtis ſcutum veſtrum mihi tradere; & ideo non poſſum in terra veſtra divina cum bona conſcientia celebrare.

Secunda ratio talis eſt. Iura volunt quod ſi aliquis denuncietur excommunicatus in aliqua parrochia, ſive juſte, ſive non, illi ſoli tenentur eum vitare qui ſunt de illa parrochia & audierunt illum denunciari excommunicatum. Alii vero de aliens parrochiis non tenentur, quia quod iſte ſit excommunicatus non tenentur credere niſi proprio ſacerdoti. Ego igitur, qui eram Pariſius quando ſententiae latae fuerunt, teneor eas ſervare. Illi vero qui tulerunt ſententias bene caverunt ſibi quod non venerunt in Flandria ad ſententias hujuſmodi proferendas. Et ideo illi de Flandria ſervare non tenentur, immo cum bona conſcientia audiunt & celebrant divina.

Tertia ratio talis eſt. Quod ſi aliquis ſit diffamatus percuſſiſſe Clericum, etiamſi falſo ſit diffamatus, illi qui ſciunt illum eſſe diffamatum, nec ſciunt utrum vere vel falſe, tenentur illum vitare. Illi vero qui certi ſunt quod falſo eſt diffamatus, & certi ſunt quod Clericos non percuſſit non tenentur eum vitare. Nunc ita eſt quod in Francia, in qua habito, fama eſt quod aliquae ſententiae contra Flamingos & Flandriam latae ſunt, de quibus ego dubito an juſte vel non latae ſunt; & ideo ſervare debeo, quia adhuc dubito, & ſententiam ſuper hoc Domini Papae expecto. Vos vero, qui certi eſtis dictas ſententias non valere nec vos ligare & injuſte latas eſſe, eas non tenemini ſervare.

Quarta ratio talis eſt. Iura innuunt quod ubi ſunt variae opiniones, ſi aliquis uni earum adhaereat, etiamſi erronea ſit, ſi contra faciat, peccat. Nunc ita eſt quod de hujuſmodi ſententiis inter vos Flamingos & Gallicos variae opiniones ſunt. Ego autem adhaeſeram opinioni Gallicorum; & ideo videbatur mihi ſic faciendum. Vos autem, qui alteri opinioni adhaeſiſtis, non tenemini.

Ad ſecundum quod mihi objectum eſt de ſermonibus quos feci Pariſius, adjungo tertium quod mihi etiam impoſitum eſt, ut mihi dictum eſt ad partem, quod debui etiam dicere, videlicet quod aeque licitum erat Flamingos ſic excommunicatos interficere ſicut canes. quod dictum de ſe eſt haereticum, quia anima canis non eſt redempta Chriſti ſanguine, nec pro ea Chriſtus mortuus eſt, ſicut pro animabus Flamingorum. Et ideo dico ſimpliciter nunquam hoc me dixiſſe nec etiam praedicaſſe; & ſi dixiſſem, tanquam dictum haereticum revocarem. Quod autem ſecundo dicitur, quod dixi quod aeque licitum erat contra Flamingos arma levare ſicut contra Sarracenos, eodem modo dico hoc dictum de ſe eſſe haereticum, cum Flamingi veri & fideles Chriſtiani ſint, Sarraceni vero adverſarii fidei Chriſtianae. Et ideo dico me nunquam in praedicatione vel alias hoc verbum dixiſſe; immo ſi dixiſſem, tanquam falſum & haereticum revocarem. Super hoc vero quod ter-

Digitized by Google

tertio dicitur quod in ſermonibus meis aliquando aſſerui Flamingos eſſe excommunicatos, ſimpliciter nego impoſitum, & aſſero me nunquam dixiſſe aſſertive Flamingos eſſe excommunicatos. Poſſibile tamen eſt quod ego dixi aliquando aliquas ſententias contra eos per Praelatos aliquos eſſe latas; ſed nunquam aſſerui quod illae ſententiae ligarent Flamingos, cum hujus rei veritas non ex mea ſed ex Domini Papae determinatione dependeat, cujus determinationem expecto. Et utinam vos per eas determinet non ligari. quod ego toto corde deſidero, & Deum ut ita fiat oro.

Item praedictis rationibus explicatis, dixit ſic. Domini, ſi illae rationes vobis ſufficiunt, & habeatis me excuſatum, multum mihi placet. Sin autem, ego ſum inter vos, & non habeo facere niſi unam mortem. Ideo poteſtis mihi facere quod volueritis. Quod dictum Comitem & omnes alios multum irritavit.

Item duodecima die ejuſdem menſis Brugis in refectorio fratrum Minorum loquens communitati Brugenſi praeſente Comite & ejus conſilio dixit ſic. Cariſſimi Domini, conſulatis viros prudentes concives & compatriotas veſtros juris ac theologiae peritos ſaeculares & religioſos, in his quae corpus tangunt & animam idoneos & expertos; & ſi quidem iſti vobis conſuluerint quod conſilium Domini Papae non debeatis acceptare, illud recuſetis ſecure; ſi vero illud acceptandum judicaverint, illud acceptetis devote. Videtur tamen mihi quod Dominus Papa multum indignabitur, & ſibi magnum contemptum faciatis, ſi illud non acceptetis. Exemplum de Achitofel. Tandem perſuaſionem fecit illis de Gandavo de conſulendo peritos &c. Et immediate adjunxit ſic. Ego dico & determino, excludendo laicos a mea determinatione, quod quicunque Clericus, cujuſcunque conditionis aut ſtatus ſit, diceret quod conſilium Domini Papae non eſſet Flandrenſibus ad ſecuritatem ſufficiens, talis non eſt dignus portare coronam; quia talis eſſet haereticus & ſchiſmaticus, eo quod ut haereticus & ſchiſmaticus loqueretur. Super quo Dominus Robertus dixit ei ſic. Domine, contra verba Domini Papae & commiſſionis veſtrae & veſtra, dum tamen ſint ſecundum tenorem commiſſionis vobis factae, dicere non intendo. Ex iis tamen quae nunc dixiſtis, quae non ſunt in veſtra commiſſione nec etiam de mente Domini Papae, firmiter credo, contra perſonam veſtram ſolum agere ex iis quae dicam intendo. Vos pluries Dominum meum & populum ſuum requiſiviſtis, etiam nunc, quod ſuper iis quae nobis ſanctiſſimus pater ſcribit, & ſuper iis quae tam vos quam veſtri ſocii addidiſtis, haberent collationem & conſilium, & plene omnia diſcuterent cum Religioſis & Clericis juriſque peritis. Nunc autem ex verbis veſtris viam eis praecluditis nobis conſulendi & per conſequens nobis eorum conſilium requirendi.

Item Brugis ad illos de Franco loquens dixit quod duo filii cujuſdam viri erant, & dixit pater eorum uni, vade in vineam; qui reſpondit ſe libenter iturum, & tamen non ivit. Deinde dixit alteri, vade & tu in vineam meam; qui reſpondit ſe nunquam iturum, ſed poſtmodum reverſus ad cor, mandatum patris implevit. Sic fuit in vobis & Rege Franciae. Vos obligaſtis vos ore liberaliter Domino Papae quod quicquid diceret teneretis & gratum haberetis. Rex vero ſe nunquam voluit obligare. Demum Rex dictum Papae acceptavit, vos autem recuſaſtis. & ita illi filio ſimiles eſtis qui dixit ſe voluntatem patris libenter facere, & non fecit. Super quo per Dominum Robertum reprehenſus fuit, aſſerens dictus Dominus Robertus quod nunquam ſe obligaverunt, immo in hoc regalibus pares erant, & quod per pactum expreſſum nulla pars tenebatur Papae conſilium acceptare, ſed poterat conſilium declinare. Super qua objectione ſe dictus magiſter excuſare non potuit; ſed tantum dixit quod ſic audiverat & ſic credebat, & tunc dixit quod credebat eis, & adjunxit: Intentio mea eſt dicere quod vos uſque nunc plus feciſtis honoris & reverentiae Domino Papae quam Rex nec regales. Et ideo ſi nunc acceptaveritis conſilium Domini Papae, poterit dici quod in principio & in medio & in fine plus reverentiae Domino Papae feciſtis quam Rex Franciae.

Item Iprenſibus loquens dixit ſic. Certiſſime dico & ſic teneo, & ſi neceſſe eſſet, me ſic crederе firmarem juramento, quod omnes illi & ſinguli per Dominum Comitem & communitates nuper ad Dominum Papam miſſi, illuc, & ſtando huc in redeundo, fideliter & bene & utiliter dixerunt & fecerunt quicquid ibi fecerunt & dixerunt, & huc etiam vobis veritatem retulerunt, & quando conſilium acceptare noluerunt, in hoc dico quod bene & prudenter fecerunt, quia nec aliter facere debuerunt. Item in fine verborum ſuorum dixit ſic. Cariſſimi, ego multa dixi in partibus iſtis. neſcio qualiter acceptata ſunt a pluribus. Ego mea dicta & me pono in judicio & protectione Domini Papae. quae verba diffidentiam ſonare videbantur. Item in finali reſponſione in Cortraco facta inter alia dixit praedicto magiſtro Petro Dominus Balduinus ſic, Domine, vos dixiſtis Brugis quod eratis inter nos, & non habebatis facere niſi unam mortem, & quod poteramus facere de vobis voluntatem noſtram. Item in Ipra dixiſtis quod ponebatis dicta veſtra & vos in judicio Domini Papae. Iſta verba ſonant diffidentiam. Dominus meus Comes & communitates Flandriae volunt ſcire ſi vos habuiſtis cauſam iſta dicendi. Ad quod dictus Magiſter Petrus reſpondit. Plus volo modo hic revocare verbum quam alibi, & ſimpliciter dico me male dixiſſe & cauſam dicendi non habuiſſe; quin immo tam apud Dominum Comitem quam apud communitates Flandriae inveneramus & ab eis receperamus omnem reverentiam & honorem. Item iidem excuſavit ſe ſuper iis quae dicebatur praedicaſſe Pariſius contra Flamingos, iterum dicens quod ſermonem illum, in quo illa quae dicebatur praedicaſſe dicta fuerant, non fecerat, ſed quidam frater alius de ordine ſuo, qui ſecundum judicium ſuum in verbis contra Flamingos exceſſerat in tantum quod ipſe nolebat ea dixiſſe contra Flamingos quae ipſe dixerat pro capa ſua; &, ut dicebat, ſi frater ille viveret, eum non nominaret; ſed quia mortuus eſt, nominavit eum, ſcilicet fratrem Reginaudum Confeſſorem quondam Regis Philippi patris iſtius, & demum etiam Confeſſorem iſtius Regis; & ut dixit, ibi erant duos fratres Minores teſtes quod non fecerat praedictum ſermonem. quod utique verum erat. Sed Lector fratrum Minorum Cameraci dixit mihi fratri Stephano & Amblardo ſocio meo quod ipſe fecerat unum alium ſermonem in quadam generali proceſſione Pariſius; in quo ipſo praeſente & audiente dictus Magiſter Petrus praedicaverat expreſſe contra Flamingos omnia ſupradicta.

Item in reditu noſtro Pariſius coram Rege & omnibus de ſanguine Regis & aliis conſiliariis Regis volens facere relationem de his quae inveneramus cum Comite & communitatibus Flandriae, accepit illud thema: *Neceſſe eſt ut veniant ſcandala. Veruntamen vae homini illi per quem ſcandalum venit.* Quae verba adeo inepte & inconſiderate proſecutus eſt quod nobis emiſſis de conſilio & poſtmodum revocatis, Dominus de Sulliaco de expreſſo mandato Regis & conſenſu & aſſenſu omnium aſſiſtentium, ut dicebat, dixit ſibi ſic. Domine, vos dixiſtis hic in praeſentia Domini Regis & conſilii ſui talia verba in relatione veſtra quae ſi vos vel quicunque alius etiam Regis filius, frater, patruus, aut conſanguineus diceret, aut aſſereret, & maxime in praeſentia ſanctiſſimi patris Domini noſtri Papae, Rex Franciae reputaret ipſum ſuum & regni ſui certiſſimum inimicum. Et tunc dictus frater Petrus dixit quod haec quae dixerat non intendebat dicere in praeſentia Domini Papae, & dolebat ſe dixiſſe aliqua quae poſſent Regi merito diſplicere.

Et

Et tunc Comes Sabaudiae dixit: Frater Petre, ſatis eſt. Malum fuit talia dicere, & bonum eſt ea non velle manutenere.

Eodem die ibidem frater Guillelmus de Gandavo & frater Amblardus de Rubeomonte juramento praeſtito ſub eiſdem poenis eiſdem injuncto quibus injunctum fuit fratri Stephano ſupradicto, depoſuit idem frater Guillelmus ſicut ipſe frater Stephanus. Et frater Amblardus ſocius ejuſdem fratris Stephani ſimili modo juratus & ſub eiſdem poenis depoſuit. Qui quidem omnes tres unanimiter cedulam unam dictum eorum continentem quam obtulerunt pro depoſitione eorum, cujus tenor in dicto fratris Stephani continetur. Hoc excepto, quod in conſilio quod frater Petrus dabat de reddendo litteras Domini noſtri ſimul & ſemel Scabinis & procuratoribus communitatum Flandriae Brugis congregatis, & in reſiſtentia fratrum Stephani & Guillelmi quod ſic non fieret, non fuit praeſens frater Amblardus de Rubeomonte ſocius dicti fratris Stephani. Item in iis quae fuerunt dicta coram Rege & conſilio ejus in reditu eorum non fuit praeſens dictus frater Amblardus.

Et ibidem frater Guillelmus de Gandavo de ordine Minorum, cum per eum dictum fuiſſet quod multum obfuit negotio quia ſic cito receſſerunt, & quod multum profuiſſet ſi moram majorem traxiſſent, interrogatus quare dixit, reſpondit quia quamplurimi Scabini & alii dixerunt eidem teſti, Quare ita cito receditis, dixit quia, debemus habere conſilium vobiſcum, & melius iret negotium.

Interrogatus ſi ipſe ſcripſit aliqua, dixit quod ipſi omnes deliberaverunt mittere ad Comitem quod daret eis locum & diem in quibus poſſent ſibi loqui ex parte Domini Papae & litteras ei dare ex parte dicti Domini ſummi Pontificis; & ipſe teſtis ſcripſit Confeſſori Comitis quod ipſe informaret Comitem ad recipiendum eos amicabiliter, quia nihil portabant grave, ſed totum pacificum.

Interrogatus de vulgariſatione ſeu expoſitione litterae papalis in vulgari, quare difficilem ſe reddidit pro aliis, dixit quod dicta eorum recitare noluit, propterea quia dictum fuit ſibi quod per unum fratrem ordinis ſui, quem Bituricenſis Archiepiſcopus pro interprete elegerat, non bene interpretatus fuit verba ſua, cum tamen communiter contrarium aſſeratur ab illis qui fuerunt praeſentes, & etiam quia grave immo quia impoſſibile ſibi fuiſſet interpretari utroſque, ſcilicet Magiſtrum & fratrem Stephanum, & etiam quia ſatis habebat facere de ſeipſo ad interpretandum dictam bullam & concordare cum ſacra ſcriptura. quod fecit in omni villa, Brugis videlicet bis, Gandavo, & Ipro.

Interrogatus ſi ipſe remanſit poſt alios, dixit quod cum ordinatum fuiſſet inter eos quod haberent litteras Comitis ad Dominum Papam, dixit eidem fratri Guillelmo praefatus magiſter Petrus quod remaneret in Cortraco ipſe pro littera illa, ſi poſſent habere a Comite; qui eam non potuit habere, ſed dictum fuit ſibi quod mitterentur litterae poſt ſe, & extunc ivit per Ipram verſus ſanctum Audomarum ad Cuſtodem Flandriae jacentem infirmum ad mortem, cui portavit litteram ex parte Generalis, & deinde Ambianis, ubi invenit magiſtrum Petrum, & ivit cum eo verſus Pariſius, ſeu verius uſque ad ſanctum Dionyſium.

Item ſuper articulo de duodecima die, de convocando conſilio juriſperitorum & theologorum, iſtud fuit de conſilio omnium uſque ad verbum *ſiquidem*. quod autem ſequitur, diſplicuit & ipſi loquenti & ſociis, maxime exemplum.

Interrogatus ſi poſtquam fuit Pariſius ſcripſit alicui de Francia de iis quae fecerant nec aliquid aliud, dixit quod non.

Interrogatus ſi frater Petrus conceſſit inſtrumentum per Notarium ſuum de his quae dixerat, dixit quod conceſſit, non tamen recordatur de quo plene, exceptis rationibus quatuor quare non celebravit, de quibus petierunt in ſpeciali inſtrumentum, & poſtea recordatus eſt quod in Cortraco petierunt de omnibus, & credit quod habuerunt.

Anno quo ſupra, die ſecunda ejuſdem menſis Iulij, praefatus ſanctiſſimus Pater & Dominus noſter Dominus Iohannes divina providentia Papa XXII. fecit ad ſuam praeſentiam evocari religioſum virum fratrem Petrum de Palude de ordine fratrum Praedicatorum magiſtrum in theologia, cui legi fecit depoſitiones & dicta ſupradictorum fratrum Stephani, Guillelmi, & Amblardi. Cui fratri Petro memoratus Dominus noſter poſt praeſtitum ibidem per eundem fratrem Petrum ad ſancta Dei evangelia juramentum injunxit ſub virtute obedientiae & ſub poena excommunicationis, quam tulit in eum, & cujus abſolutionem ſibi & ſucceſſoribus ſuis praeterquam in mortis articulo reſervavit, ſi non diceret veritatem, ac etiam ſub virtute praeſtiti juramenti, quod ſuper praemiſſis dictis & depoſitionibus ipſorum fratrum & ſuper aliis negotiis eidem fratri Petro & praemiſſis fratribus Minoribus commiſſis tangentibus puram & meram diceret veritatem. Qui quidem frater Petrus auditis dictis & depoſitionibus dictorum fratrum Minorum, dixit & reſpondit in modum qui ſequitur.

Ad primum articulum, quo imponitur ſibi quod coram Comite in Cortraco dixit de differentia monitionis & admonitionis, &c. reſpondet quod illam differentiam bene poſuit quantum ad ſententiam, etſi non fere quantum ad verba. Quantum autem ad applicationem ad propoſitum, dixit quod verba eorum, loquens pro ſe & pro ſociis, non erant monitio terribilis quaſi tonitruus ad fulgur, ſed admonitio amicabilis, ſuggeſtio & exhortatio rationabilis ſecundum induſtriam a Dominio ſibi datam, quia nullas ſententias volebat nec etiam poterat fulminare. Quod autem Dominus noſter ex monitione vel admonitione qualicunque aut ex ſuis monitionibus in litteris ſuis ad illos contentis non poſſit etiam juſte contra eos ad ſententias procedere, non dixit, ſed potius dixit oppoſitum in detegendo finalem intentionem Domini noſtri, ubi bulla dicit, *in auxilium efficax exurgamus per omnes vias & modos ſpiritualiter & temporaliter, &c.* ubi dicit idem magiſter Petrus quod ex quo Dominus Papa, ad quem ſumme pertinent de perjuriis judicare & ipſum per cenſuram eccleſiaſticam punire, aſſerebat & affirmabat non conſulendo, nec per modum conſilij, ſed determinando per modum declarationis dubij, ipſos non poſſe derogare conventionibus juratis, qui in religione juriſjurandi in eorum anima praeſtiti perſtiterant, ex iſta tranſgreſſione juramenti, ſi contra conventiones juratas guerram aperte facerent, juſte excommunicari poſſent, maxime ab illo qui alias in ſuis proceſſibus juris poſitivi monitionibus non arctatur. Item quia idem Dominus noſter in eadem bulla declarat & determinat ipſos impedire paſſagium terrae ſanctae, ſi ex eorum culpa reſiduum guerrae proceſſerit, ex hoc etiam impedimento cauſae Dei poſſent juſte contra eos ſententiae fulminari. Confitetur autem ſe dixiſſe quod commiſſio eorum non imponebat eis facere monitionem juris nec canonicam, ſed monitionem exhortatoriam tantum, ex quo non ſolet immediate ſententia excommunicationis proferri; & ideo verba eorum tanto erant affectuoſius recipienda quanto erant medicinalia & non mortalia. Haec autem dixit idem frater Petrus ſe dixiſſe, non ut venenum poneret in cordibus eorum, ut ſibi imponitur, ſed ut per haec verba dulcia magis eos corrigerent in ſpiritu lenitatis quam obduraret in virga terroris: quia condictum erat inter tres nuntios deliberatione communi ut quantum conſcientia pateretur, uterentur verbis moderatis, & abſtinerent a minis, quia per minas Flamingi imperterriti credebantur magis exacerbari & in malitia obdurari. Item omnes tres nuntij timebant, ut dicit, ne ſi Comes in litteris communitatum clauſis putaret ſententias contineri, eas intercepiſſet, nec eas tradi communitatibus permiſiſſet,

ſet. Et propterea credit idem frater Petrus quod in Duaco, cum conferret cum duobus ſociis ſuis de his quae dicere coram Comite & communitatibus intendebat, inter alia propoſuit iſtum articulum de quo eſt ſermo; qui & conſenſerunt, ut ſibi videtur, quod omni illo modo proponeretur quo a fratre Petro fuit propoſitus.

Ad ſecundum quod dicitur idem replicaſſe Brugis ad illos de Franco, confitetur illo modo & illa intentione quibus ſupra, addens quod ſi quis ſibi ſuper hoc prius oculos aperuiſſet, non iteraſſet ſtultitiam ſuam, nec ſecundo apertis oculis cecidiſſet. Unde cum poſtea frater Stephanus ſibi dixiſſet quod forte Dominus noſter intendebat quod iſta exhortatio noſtra eſſet talis monitio quod ex illa, ſive poſt illam, ſive alia quaecumque ad ſententias, niſi adquieſcerent, procederet, ex tunc idem magiſter Petrus videns periculum, nihil ſimile replicavit, ut credit.

Ad illud quod tertio dicitur de honore pacis & guerrae, totum ſimpliciter confitetur ſe dixiſſe, ut homines inanis gloriae cupidos magis per hoc attraheret ad pacem. Dixit tamen ſe adjunxiſſe, quod amici ſui tacuerunt, quod niſi nunc pacem firmarent juxta formam conſilii a Domino noſtro ſummo Pontifice ſibi dati, nunquam tam honorabilem nec tam utilem pacem in perpetuum obtinerent. Et dixit ſe dixiſſe eidem Comiti quod cum totum reliquum regni Franciae eſſet pacatum, ipſo fere ſolo cum ſuis excepto, cum eſſet par Franciae & vaſſallus coronae, infideliter valde ageret ſi pacem regni diutius pertubaret. Et quia per hoc terrae ſanctae paſſagium impeditur, ſicut a tota Chriſtianitate uſque hodie maledicuntur illi propter quorum diſcordiam adinvicem fuit perdita terra ſancta, quia Chriſtianis diſſidentibus non potuit unanimiter defenſari, ita ipſe Comes & ſui deberent hodie a tota Dei Eccleſia maledici, ſi guerrae occaſionem praebendo impedirent, ut dictum eſt, paſſagium terrae ſanctae.

Ad id quod quarto dicitur, quod Brugis coram Comite & conſilio & procuratoribus villarum voluit & conſuluit, &c. reſpondet quod nunquam nec ibi nec alibi voluit nec conſuluit ſimpliciter quod ſimul litterae redderentur, immo cum magiſter Baldoinus propoſuiſſet coram tota illa multitudine, dicens ad ipſos nuntios ex parte dicti Comitis, Domini, vos petiviſtis a Domino meo exhiberi vobis communitates villarum ſuarum ad mandata apoſtolica exequenda, ecce habetis coram vobis de ſingulis villis procuratores, Conſiliarios, & Scabinos, dicite & facite quicquid vultis, idem magiſter Petrus, ut dixit, ſtatim ſociis etiam inconſultis ſurrexit & dixit quod non recuſabant loqui praeſentibus, ſed tali locutione & actione in communi non erant contenti, quia nec per hoc exequerentur formam mandati ad intentionem mandantis, tum quia mandabat eis perſonaliter accedere ad communitates, non ad duos vel tres de illis, tum quia litterae deſtinabantur, non ad ſolos Scabinos, Conſiliarios, & Burgomagiſtros, ſed ad quamlibet communitatem cum hoc de Brugis pro ſe, de Franco pro ſe, de Ipra & de Gandavo ſimiliter. Unde quamlibet communitatem pro ſe volebant adire perſonaliter, & unicuique ſuas litteras praeſentare, & debitam exhortationem adjungere, & quod ipſe Comes, ſi in hoc eos impediret & mandatis apoſtolicis reſiſteret, & praeter hoc populum ſuum turbaret non immerito, ſi non permitteret eos videre & audire nuntios & monita ſanctiſſimi patris ſui. Propter quae verba credit idem frater Petrus obtinuiſſe in hoc ſe & alios nuntios quod petebant. Unde idem magiſter Petrus miratur, ut dicit, de illa reſiſtentia ſociorum in conſilio hujus facti, in quo locutus eſt, ut dictum eſt, ſociis inconſultis; nec unquam audivit, ut dixit, inter eos fieri quaeſtionem utrum litterae ſimul & ſemel deberent reddi procuratoribus villarum ſive communitatibus, ſuppoſito quod ad illas poſſet haberi acceſſus; ſed bene credit quod quia Comes in Contraco pluries requiſitus ut exhiberet ipſis nuntiis communitates illas quatuor ad quas mittebantur ſingulas in locis propriis, more quo ſolent ad talia convocati, noluerit adhuc eiſdem nuntiis concedere quod petebant, timentes ne a Comite prohiberentur a praedictis in illo caſu ubi non poſſent communitates habere modo debito & optato, adinvicem aliquando contulerunt quid magis expediret in illo caſu, an bullas communitatum Domino noſtro integre reportare, an eas ipſis communitatibus mittere per procuratores & majores eorum qui haberi poterant, cum eſſent tunc Brugis propter aliud congregati vel in proximo congregandi. Et bene credit idem frater Petrus quod ipſe fuerit illius opinionis, ſive vere ſive falſo, quod in caſu illo ubi non poſſent per ſe ipſos dictas communitates alloqui nec eis tradere litteras ſupradictas, minus malum erat eas eis mittere per nuntios earum, quia nec auſi fuiſſent pro capitibus ſuis eas ſuis communitatibus celare vel abſcondere, & quia ipſae litterae per ſe ſine verbis noſtris ſatis perſuadere & ſufficere credebantur. Poſſibile eſt tamen quod ſocii ſui fuerint opinionis contrariae, ſcilicet quod in illo caſu melius erat litteras reportare.

Ad id quod quinto dicitur *Item eadem die coram praedictis, &c.* confitetur totum uſque ibi, *Prima talis eſt, &c.* Excepto quod dicitur ſibi impoſitum quod praedicaverat de armis contra Flamingos, de quo poſtea dicetur.

Ad primam excuſationem de quatuor quam dicunt eum aſſignaſſe, reſpondet quod quantum ad ſui excuſationem, eam propoſuit ex dictis Flamingorum, arguens contra eos, non illis verbis, nec illo ſenſu, ſed aſſerendo ſententias latas & per Praelatos denuntiatas & divulgatas, & ex alia parte appellationem interpoſitam a Flamingis, non dicendo nec aſſerendo, abſit, quod appellatio illa de jure ſuſpenderet effectum ſententiae jam latae, licet publicationem vel denuntiationem praecederet, vel quod contra ſententiam papalem praecedentem vel ſequentem appellatio quicquam prolit, nec aſſerendo quod ipſi bona conſcientia poſſent audire vel celebrare divina publice, cum in ſequentibus dicat ſe non eſſe certum, ſed dubium, ſed quia ceſſante cauſa finali & totali, ceſſat effectus arguebat eis ſic ex dictis. Vos Flamingi dicitis quod vobis licitum eſt non ſervare interdictum propter hoc ſolum quod omnes appellaſtis, vel appellantibus adhaeſiſtis, & Dominus Papa, ut dicitis, appellationem recepit & auditorem dedit, & nullam cauſam aliam allegatis. Ego autem, qui nec appellavi nec appellantibus adhaeſi, non poſſum me defendere ſcuto veſtro, & per conſequens teneor ſervare interdictum, dato quod vos non teneremini, ſicut dicitis; nec unquam intellexi quod iſta ratio concluderet ad rem, ſed tantum ad hominem. Nec in iſta excuſatione nec in ſequentibus unquam dixit aſſertive & ſecundum veritatem eos eſſe ſimpliciter excuſatos, ſed ſolum ſecundum dictum & opinionem eorum. Cetera in excuſatione poſita confitetur.

Ad ſecundam rationem reſpondet confitendo ſe dixiſſe quicquid ibi dicitur, excepto illo quod ponitur ibi *ſolum*, & addendo quod in caſu dubii dixit denuntiatum per Curatum proprium a parrochianis ejus debere vitari. Item addendo quod alii de alienis parrochiis, quibus denuntiatio non eſt facta, nec aliter ſciunt ipſum excommunicatum, & maxime ſi ſciant ipſum non eſſe. Item excepta ratione quae ponitur ibi, quod non tenetur quis credere niſi proprio ſacerdoti. quam rationem nunquam poſuit, & eam dicit eſſe falſam. Item excepto quod ibi dicitur, quod abſolute illi de Flandria ſervare non tenentur interdictum, & bona conſcientia poſſunt audire & celebrare divina, quod nunquam dixit, niſi ſub illa conditione, ſi denuntiatio ad eos nullatenus pervenit, & ipſi ſint certi, ut aſſerunt, quod ſententia eos non ligat.

Ad tertiam excuſationem quae ſibi imponitur reſpondet confitendo ſe dixiſſe totum uſque ibi, *& certi ſunt quod Clericum non percuſſit*, ubi addidit,

vel

vel certi ſunt quod percutiendo in caſu licito ſententiam non incurrit, non tenentur eum vitare, &c. Item confitetur ſe dixiſſe illud quod ſequitur, *Nunc ita eſt &c.* uſque ad finem rationis, addendo poſt illud quod dicitur *latae ſunt, & quod illae ſententiae realiter illos ligant*. Item addendo poſt illud, *Domini Papae expecto, propter hoc quod vos dicitis appellationem ab eo receptam*. Item poſt illud, *injuſte latas eſſe*, addidit, *ut dicitis*. Item poſt illud *eas non tenemini ſervare*, addidit, *ſi verum eſt quod dicitis*.

Ad quartam excuſationem quae ſibi imponitur reſpondit quod nihil tam ridiculum nec tam deriſorium nec ei ſimile allegavit, ſed ſecundum veritatem ſua quarta excuſatio talis fuit. Dixit enim quod ſecundum jus, ubi ex probabili cauſa oritur dubium de aliquo actu utrum poſſit licite an non licite exerceri, ſiquidem ille actus eſt alias impedimento ceſſante liber & voluntarius exercenti, tunc debet ille actus propter dubium intermitti; ſi autem ille actus alias ceſſante impedimento ſit neceſſarius & debitus, tunc non debet propter dubium denegari; ſicut conjunx probabiliter dubitans de impedimento matrimonium dirimente, non debet petere ſed reddere debitum conjugale. Unde cum mihi dixit idem frater Petrus, dubium poſſit eſſe & probabiliter utrum de jure ſitis ligati, vos Flamingi, illis ſententiis de quibus queritur, tum propter contrarietatem opinionum peritorum de Francia ex una parte dicentium vos realiter eſſe ligatos, & peritorum de Flandria dicentium oppoſitum, tum propter appellationem veſtram a ſumma ſede receptam, ut dicitis, in qua negatis vos Regi guerram moviſſe, in quo ſolo caſu, ut dicitis, ſententiae vos ligabant, ego, qui ſic dubius eram, nec eram alias ad celebrandum Flamingis obligatus, in tali dubio potui immo debui potius abſtinere. in quo caſu Curatus Flamingus, qui alias tenetur Flamingis ſuis divina celebrare, ſi talem probabilem dubitationem & non aliam debitam certitudinem de ligamine ſubditorum haberet, & multo magis ſi certus eſſet ipſos de jure in nullo fore ligatos, non deberet in tali caſu ſubditis divina denegare.

Ad illud quod ſequitur de ſermonibus Pariſienſibus *Ad ſecundum quod mihi objectum eſt, &c.* reſpondit confitendo quantum ad ſenſum ſatis, etſi non quoad verba totum uſque ibi, *Item duodecima die ejuſdem menſis*, exceptis quae ſequuntur. Primo, quod dicitur de licentia movendi guerram contra Flamingos, non videtur ſibi quod fuerit ſibi impoſitum quod aeque licitum eſſet facere guerram Flamingis ſicut Sarracenis, nec per conſequens quod hoc ibi negaverit, cum contra fideles poſſit eſſe juſtum bellum ex aliis cauſis ſicut contra infideles, adverſus quos ſola infidelitas in illis qui ſe ad fidem non aſtrinxerunt non poteſt parere juſtum bellum; ſed imponebatur ei quod ipſe praedicaſſet quod aequalem indulgentiam haberent facientes guerram Flamingis ſicut facientes guerram Sarracenis ob defentionem vel recuperationem terrae ſanctae; & hoc ipſe negavit ſe praedicaſſe, & dixit quod ſi praedicaſſet, tamquam falſum & mendacium revocaret; quia adhuc non audivit nec credit quod aliquis ſummus Pontifex dederit indulgentias euntibus contra Flamingos, ſicut ſunt datae frequenter contra Sarracenos invadentes vel tenentes indebite terram ſanctam; non autem unquam dixit eſſe haereticum dare indulgentias contra Flamingos in caſu ubi Eccleſiae rebellarent, ſicut contra aliquos Chriſtianos ſchiſmaticos aliquando bene & ſancte noſcitur eſſe factum, & ſicut ipſemet frater Petrus eis dixit quod pro impedimento paſſagii, quod praeſtant, ſi guerram renovant, aut pacem non firmant, poſſet contra eos licite tranſmarina indulgentia concedi. Item quod ſibi imponitur quod ſimpliciter negavit ſe praedicaſſe aliquando Flamingos eſſe excommunicatos, dixit quod non negavit hoc, ut dicitur, ſed negavit praedicaſſe ſe determinando aſſertive quod eſſent ligati de jure illis ſententiis prolatis & divulgatis, cum ad ipſum non pertineret hoc determinare, &c. ſicut ibi. Optabat autem ipſorum innocentiam magis quam culpam, ſi eſſet poſſibile, reperiri, maxime amore fratrum ſui ordinis ibidem non ſervantium interdictum; quibus condolendo, timet ne propter hoc irregularitatis notam & ſuſpenſionis & excommunicationis ſententias incurrerint ipſo facto. De hoc quod ſibi imponitur quod dixit quod non habebat pati niſi unam mortem, & cetera quae ſequuntur, credit bene quod aliquid ſimile dixerit, ſed non videtur ſibi quod propter aliquid quod tunc dixerit, Flamingi fuerint irritati, immo magis contrarium, quia certus eſt quod multi ad compaſſionem fuerint moti, & fere ad lacrymas, etiam de illis qui primo videbantur frendere dentibus in ipſum, videntes & audientes ipſum in conſpectu tantae multitudinis ſic contumeliis affici & non habere conſolatorem nec defenſorem alium niſi Deum.

Ad illud quod poſtea dicitur *Item duodecima die ejuſdem menſis &c.* de peritis in theologia & jure canonico conſulendis, addidit quod ſicut Dominus noſter in tanta re non fuerat innixus prudentiae ſuae & ſcientiae, quibus floret & claret, ſicut notum eſt toti orbi, nec fuerat contentus communi & conſueto conſilio Cardinalium, inter quos ſunt de peritioribus & prudentioribus hominibus hujus mundi, ſed voluerat ſuper hoc adhibere conſilium omnium peritorum de curia & notabilium perſonarum, ita & ipſi non debebant in hoc facto, quod tangit conſcientiam & jus canonicum & divinum, eſſe contenti ſolo conſilio laicorum nec etiam legiſtarum, ſed peritos juris canonici & divini, maxime religioſos, ad hoc conſilium convocare, & omnibus bullis & rationibus ipſorum nuntiorum eis fideliter expoſitis, & etiam ſecure rationibus contrarie opinantium, facerent eos jurare quod timore & amore poſtpoſitis, ſolum Deum prae oculis habentes, conſulerent eis quid magis expediret, utrum conſilium Domini noſtri ſimpliciter acceptare & pacem firmare, an ipſum refutare & pacis foedus initum violare. Et ſi quidam, inquit, conſulant vobis id ipſum quod Dominus noſter, tunc nullum colorem habetis quin utrique & concordi conſilio acquieſcere debeatis. Si autem conſulant vobis oppoſitum, & velitis illorum conſilium magis ſequi quam conſilium ſummi patris & Eccleſiae Romanae, tunc certe magis eritis excuſati quam ſi hoc feceritis de proprio capite vel ſolo conſilio laicorum. Hoc autem dixit quia certus eſſe credebat ſaltem de Praedicatoribus & Minoribus quod nunquam eis conſulerent contra Papam. Quod autem ibidem ei imponitur quod ubi illi conſulerent conſilium Domini noſtri refutando, quod tunc illud recuſarent, ſecure dixit quod illud vel ſimile nec credit nec recolit ſe unquam dixiſſe, ſed certus eſt ſe in praedicatione Gandenſi contrarium affirmaſſe ac etiam aſtruxiſſe dicendo quod ubi ſummus Pontifex & Eccleſia Romana ſimul aliquid aſſereret, ſi omnes aliae Eccleſiae mundi contrarium aſſererent, magis eſſet Romano Pontifici & Romanae Eccleſiae credendum quam toti orbi reliquo contrarium aſſerenti, comparans Romanam Eccleſiam civitati ſynagogae quae dicebatur Abela & mater civitatum in Iſraël, de qua II. Regum xx. dicebatur in veteri proverbio: *Qui interrogant, interrogent in Abela, & ſic perficiebant*; id eſt, qui quaeſtiones & dubitationes habebant, peritos civitatis illius conſulebant, & veritatem ab eis invenientes acquieſcebant, nec ultra conſilium aliud requirebant. Ad illud de Achitofel, confitetur ſe illud exemplum etiam bis induxiſſe; ſed ſi prima vice fuiſſet ſibi dictum quod exemplum reciperetur in malo ab illis qui ſicut de malo accuſant, non replicaſſet ſecundo. Dixit tamen quod nec primo nec ſecundo induxit exemplum illud pro ſimili, quantum ad ea quae in Achitofel erant reprehenſibilia, ſed ſicut Gregorius per David interficientem Uriam & deſponſantem Berſabee intelligit Chriſtum diabolum proſternentem & ſibi Ecc-

Digitized by Google

cleſiam de gentibus copulantem, quantum ad ſimilitudinem facti, non peccati, quia quod fecit David crudeliter & immunde, hoc Chriſtus fecit pie & ſancte, ita quantum ad hoc comparavit ſolummodo conſilium Achitofel datum Abſalon conſilio Domini noſtri dato Comiti Flandriae & Flamingis; quia ſicut conſilium Achitofel, quod dabat in diebus illis, erat quaſi ſi quis conſuleret Deum, & conſilium illud dicitur fuiſſe utile illi cui dabatur; unde quia non acquievit, perdidit vitam & etiam principatum; & ſicut Achitofel fuit multum turbatus ac etiam dedignatus videns ſuum conſilium utile derelictum, ita etiam conſilium Domini noſtri, qui eſt os & vicarius Dei in terris, debet ſicut Dei conſilium reputari, & erat utile & ſalubre Comiti & Flamingis, propter quae, ſi ipſum refutaverint, debebit merito indignari, & infortunium Abſalon erit eis veriſimiliter formidandum; & quamvis tunc non fuerit dictum, nunc tamen videtur impletum, quod Domini nutu diſſipatum eſt conſilium Achitofel utile, ut induceret Dominus ſuper Abſalon malum. Flamingi enim Dei miſericordia indigni, & ejus juſtitia, ut videtur, exterminandi, nunc guerram faciendo conſilium Dei ſpreverunt in ſemetipſis, & conſilium altiſſimi irritaverunt in malum ſuum, & non utinam niſi ſuum. Quantum igitur ad has ſimilitudines comparavit Dominum noſtrum Achitofel in bono, non autem quantum ad malas ipſius conditiones, quae abſint & abſunt veraciter & totaliter a Domino & ſanctiſſimo patre noſtro.

Ad illud quod poſtea dicitur de Clericis conſulendis, & quod conſulens aliter eſſe haereticus & ſchiſmaticus, reſpondet quod non eſt verum ſub forma qua ponitur, ſed verum eſt quod dixit quod poſtquam Papa ut Papa & Eccleſia Romana ut ſic ex certa ſcientia & deliberatione declaravit aliquod dubium ſeu determinavit aliquam quaeſtionem, extunc non licet alicui contrarium opinari, immo aſſerens contrarium declarationis Eccleſiae Romanae pertinaciter in materia fidei eſt haereticus; in materia vero juris, ſchiſmaticus. Vnde cum Dominus Papa loquens non ut Iacobus, ſed ut Papa, de conſilio & aſſenſu omnium officialium, non conſulendo, nec per modum conſilii, ſed aſſerendo & affirmando, declarans & determinans dubium, quod erat quae ſecuritates de jure deberent ſufficere, dicat in bulla per ſecuritates a ſe conſultas & a regalibus oblatas ſecuritati Flamingorum abundantiſſime eſſe proviſum, & eodem modo dicat & aſſerat Flamingos ſine perjurio non poſſe venire amodo contra conventiones juratas, Rege ſuum debitum faciente, Clericus ignorans jura in quibus verſatur, praedictis apoſtolicis declarationibus contradicens, eſſet indignus eccleſiaſtico beneficio & corona.

Ad objectionem autem Domini Roberti reſpondit tunc idem frater Petrus quod propter illa verba non debebant ipſi fugere ſed magis quaerere conſilium Clericorum, nec Clerici debebant propter illa verba trepidare eis conſulere veritatem; quia cum ſoli periti juris canonici & divini ſciant perfecte conſulere de praedictis, aut ipſi in quod ſentiunt, quod ego dico verum, & volunt mecum conſulere veritatem, & tunc propter hoc conſilium eorum non eſt fugiendum, ſed maxime requirendum, quia in conſilio non debet homo dicere *Loquimini nobis placentia*, ſed quaerere veritatem; & e contrario in dando conſilium debet homo habere prae oculis veritatem, non per trimeſtre principatum, nec benivolentiam captare, ut ipſi ſentiunt quod ego dico falſum; & tunc non eſt veriſimile quod propter verba inania unius pauperis mendici ipſi contra conſcientiam devient a tramite veritatis. & ſic idem quod prius. Cetera in articulo contenta confitetur uſque ibi, *Item Brugis ad illos de Franco*.

Ad illud quod poſtea ſequitur *Item Brugis ad illos de Franco, &c.* reſpondet quod nunquam dixit Flamingos ſe obligaſſe ad ſequendum conſilium Domini noſtri pluſquam regales, licet hoc Dominus Robertus ſibi impoſuerit, qui male eum intellexerat; quia hoc expreſſe continebatur in littera conſilii quam idem frater Petrus ſpecialiter quoad articulum de non obligando ſe ad ſequendum conſilium ſaepe expoſuerat coram eis, ſed bene dixerat quod Flamingi obtulerant ſe ad obligandum ſe de conſilio ſequendo, & non ſolum requirendo, quod regales facere recuſarunt, qui tamen poſtea conſilium acceptarunt. Vnde adhuc ſtabat ſimilitudo de filiis, quod Rex qui patri ſpirituum minus obtulerat verbo, nunc plus obediebat facto, ſi tamen ipſi praefatum conſilium refutarent. Dominus autem Robertus etiam illam oblationem & non ſolum obligationem negavit, dicens quod bene obtulerant & ſemper offerebant ſe facturos illud quod Dominus Papa tamquam verus & juſtus judex Chriſtianorum decerneret ſententiando & diffiniendo, non autem conſulendo ſeu aliter ordinando; per regales autem, qui ſubire judicium recuſabant, & per Dominum Papam, qui pluries requiſitus noluit ſe intromittere tanquam judex, ſteterat quod ſuper iis non fuerat judicatum. Ad quae frater Petrus Dominum Papam excuſans, vel tunc vel in Ipra dixit quod cum pars Regis non eſſet citata ad reſpondendum judicialiter, nec vellet ſponte de gratia reſpondere, Dominus Papa non poterat pro tunc ſalva juſtitia proceſſum ordinarium inchoare. Oblationem autem quam Dominus Robertus negabat, quam idem frater Petrus neſciebat niſi ex auditu, dixit quod ſic audiverat & ſic credebat. Dixit etiam quod in quantum Flamingi voluerunt ſubire judicium Papae, & non regales, item in quantum voluerant ſe obligare ad ſequendum conſilium, ut audivit, quod noluerunt regales, ſi cum iſtis duobus ſicut regales conſilium acceptarent, tunc in hoc facto & non in aliis plus quam Rex Romanae ſedi honoris & reverentiae detuliſſent. Cetera praemiſſis non contraria in articulo contenta uſque ibi, *Item Iprenſibus loquens dixit, &c.* credit eſſe vera.

Ad illud quod ſequitur, *Item Iprenſibus loquens dixit, &c.* uſque ibi, *Item ibidem excuſavit ſe*, reſpondet omnia confitendo, excepto eo quod dicitur in penultima linea, *plus volo revocare verbum hic quam alibi, & ſimpliciter dico me male dixiſſe & cauſam dicendi non habuiſſe*. Haec enim non credit aliquo modo ſe dixiſſe; ſed confitendo quod poſuit ſe in protectione Domini Papae, quod alius vocabat verba diffidentiae, dixit quod aut habuerat juſtam cauſam timendi & illa verba diffidentiae proferendi, & tunc reprehenſibilis non erat, aut non habuerat juſtam cauſam, & ſicut male & fatue dixerat. Utrum autem habuiſſet juſtam cauſam aut non, dicere nolebat, malens ab hominibus fatuus reputari quam homines accuſare.

Ad illud quod ſequitur, *Item ibidem excuſavit ſe, &c.* uſque ad finem, confitetur omnia quantum ad ſenſum & ſententiam verborum vel prope, exceptis iis quae ſequuntur. Primo ſalva reverentia Lectoris Cameraci fratrum Minorum, idem frater Petrus nunquam in quacumque proceſſione nec alias praedicavit contra Flamingos illa quae ſaepius negavit. Item quod dicitur poſtea quod Dominus de Solhiaco dixit ei quod talia verba dixerat, &c. non eſt ita, ſalva reverentia dicentis; ſed dixit ſic. Vos ſentitis vel videmini ſentire quod Rex habeat injuſtitiam in guerra contra Flamingos, quod quicunque Domino Papae referret, reputaret eum inimicum ſuum, &c. ſicut ibi. Tamen reputabat bona fide fuiſſe dictum: Ad quod frater Petrus reſpondit quod non ſentiebat nec unquam ſenſerat, ſalva reverentia dicentis, quod Rex haberet injuſtitiam vel etiam habuiſſet, ſed ipſe recitaverat verba Flamingorum hoc dicentium, ſicut David recitat quod dicit inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus; qui recitando, non ſentiebat cum eo. ſed verum eſt quod Epiſcopi praeſentes dixerunt quod verba thematis & proſecutio hoc aliqualiter innuere videbantur; & frater Petrus dixit quod ſi ſibi videbatur, & uſo intentione ambigua licuit incontinenti maxi-

me

Digitized by Google

me declarare. De iis autem quae ſequuntur bene credit ſe dixiſſe quod non intendebat in praeſentia Domini Papae aliqua dicere quae ipſum contra Regem deberent provocare, ſed intendebat facere relationem Regi utilem, quantum conſcientia pateretur, & ſi dixiſſet aliqua hic vel alibi quae Regi deberent diſplicere, multum doleret. Quod autem ſubjungitur quod Comes Sabaudiae dixit: Frater Petre, malum fuit talia dicere & bonum eſt ea nolle manutenere, credit idem frater Petrus ſimiliter eſſe falſum; niſi forte referatur ad verba Flamingorum, quae & ipſe frater Petrus reputat eſſe mala, nec unquam ea voluit ſuſtinere.

Addidit etiam idem frater Petrus quod licet circa praedicta & plura alia peccare potuerit aut etiam peccaverit ex inadvertentia aut ignorantia aut timiditate, non tamen eſt ſibi conſcius quod in tota legatione ſibi commiſſa ea certa ſcientia vel malitia aliquid dixerit vel fecerit vel omiſerit contra intentionem mittentis, vel quod in reſponſionibus ſupra poſitis aliquod falſum ſcienter vel malitioſe interſeruerit, ſed fideliter & veraciter juxta conſcientiam ſuam & intentionem quam in dicendo ea habuit, depoſuit ſupradicta.

Poſt quae die . . . . . Julii anno . . . . . . dicti fratres Stephanus, Guillelmus, & Amblardus de ordine Minorum repetit . . . . . . praeſatum Dominum noſtrum ſub poenis & juramento quibus ſupra, lectaque eis reſponſione fratris Petri de Palude ſupradicti, dixerunt ſuper primo capitulo quod nihil mutant de dicto ſuo, & negant quod ibi dicitur. De intentione vero dicti fratris Petri neſciunt, ſed ita dixit, nec audiverunt iſta verba de tonitruo, &c. quod recordentur.

Super ſecundo ſtant ſimiliter dicto ſuo.

Super tertio & quarto articulis, ſtant in depoſitionibus ſuis, adiicientes quod ipſe frater Petrus, cum eſſent Brugis, & eſſent vocati per Comitem, dictus magiſter Petrus venit ad domum fratrum Minorum, & vocatis ad partem dictis fratribus Stephano & Guilielmo, dixit eis quod Comes petebat quod litteras Domini noſtri omnes redderemus Scabinis, Procuratoribus, & conſiliis omnium communitatum & villarum Flandriae in domo Comitis congregatis, & addidit quod hoc ſibi bonum videbatur. Cui cum uterque dixiſſet nullo modo eſſe faciendum, & per iſtum modum nullo modo impleremus Domini noſtri mandatum, cum litterae eſſent ſingularium communitatum, ſicut ex earum ſupraſcriptionibus apparebat, dictus frater Petrus arguit . . . . dicens; Immo impleremus mandatum . . . . Scabini &c. repraeſentabant omnes communitates praedictas, quibus dictæ litterae mittebantur . . . . . Tunc frater Stephanus ſupradictus reſpondit ſibi: Magiſter Petre, ego habeo iſtas litteras, & nunquam iſto modo reddam eas niſi de manibus meis propriis rapiantur, etiamſi propter hoc mori deberem. Tunc dictus magiſter acquievit; & quando fuit coram Comite & Scabinis &c. Dominus Balduinus propoſuit verba quae dixit magiſter Petrus. Et tunc frater Stephanus dixit magiſtro ad aurem: Surgatis magiſter. & magiſter ſurrexit, & dixit ſic. Super hoc quod a nobis petitis, nos inter nos habuimus collationem. & alia dixit magiſter Petrus valde bene.

De prima excuſatione de quatuor ſtant ſimiliter primo dicto ſuo, & addunt quod Flamingi multum gaviſi fuerunt, & magiſter Balduinus petiit inſtrumentum exinde ſibi fieri, & in Cortraco repetiit idem ab eodem magiſtro Petro quod poſſent habere inſtrumentum per Notarium eorundem fratrum. quod conceſſit idem magiſter Petrus. Qui quidem Notarius remanſit . . . . inſtrumentis eiſdem.

De ſecunda ratione . . . . ſubſtantia dicto ſuo de verbo non . . . . .

De tertia ſtant ſimiliter dicto ſuo, nec audiverunt quod adderet illas additiones.

Super quarta ſtant ſimiliter dicto ſuo.

Super alio articulo ſtant dicto ſuo, & addunt quod nunquam audiverunt contumeliam aliquam ſibi dictam nec irrogatam tunc in illa communitate.

Super alio vero ſtant dicto ſuo, hoc adjecto, quod cum dixiſſet verba illa *recaſetis ſecure*, adjunxit, *tunc habebitis maiorem excuſationem*, confitentur illud quod eſt in fine de auctoritate.

De quinto ſtant ſimiliter dicto ſuo, & quod poſuit exemplum de Achitofel, & fuit populus indignatus, quia ſuſpendit ſe; de reliquis vero nihil dixit.

Super aliis ſtant per omnia dictis ſuis,

Anno . . . . Septembris Sanctiſſimus in . . . . Dominus ſummus Pontifex ſuprad. . . . . ad ſuam praeſentiam fratrem Petrum de . . . . . . de ordine Praedicatorum magiſtrum in theologia; & recepto ab eodem corporaliter ad ſancta Dei evangelia juramento, ipſe Dominus noſter interrogavit eundem fratrem Petrum per ipſum juramentum de omnibus verbis & factis in legatione Flandriae ſibi impoſitis, utrum illa dixiſſet aut feciſſet intentione impediendi pacem vel indurandi Flamingos in ſua malitia aut quacunque alia mala voluntate contra intentionem ipſius Domini noſtri mittentis, ſeu in praejudicium Regis & regni Franciae. Qui reſpondit ſub virtute praeſtiti juramenti quod certus erat, & ſuper hoc de ſcientia deponebat, quod nec in illis verbis aut factis nec in quibuſcunque aliis in Flandria per eum dictis aut factis publice vel occulte nunquam habuit talem intentionem nec tam reprehenſibilem voluntatem. addens nihilominus & deponens de credulitate, quod certus erat per credulitatem quod nunquam toto tempore vitae ſuae aliquid tale fuerat machinatus, nec cum deliberatione & conſenſu nunquam ſimile cogitavit. Teſtes Dominus Guillelmus Sabinenſis Epiſcopus & frater Henricus Magiſter ordinis Praedicatorum.

EXECVTIO SENTENTIÆ

contra quoſdam hæreticos lata ab Archiepiſcopo Narbonenſi & Iohanne de Belna Inquiſitore hæreticae pravitatis.

ANno Domini milleſimo trecenteſimo nono decimo, Domino Philippo Rege Franciae & Navarrae regnante, die quartadecima Octobris. Noverint univerſi quod cum Reverendus in Chriſto Pater Dominus Bernardus divina providentia ſanctae Narbonenſis Eccleſiae Archiepiſcopus & frater Iohannes de Belna Inquiſitor haereticae pravitatis a ſede apoſtolica in regno Franciae deputatus, ſedentes pro tribunali in cimiterio Eccleſiae ſancti Felicis Narbonenſis, diffinitive pronuntiaverint Magtarellum de Brandis, Petrum ſartorem de Fraxino, & Bernardum Raymundi de Moneſco de Toloſa haereticos fore, & ipſos reliquerint curiae ſaeculari, prout in proceſſibus & ſententiis in eoſdem prolatis plenius continetur, cumque etiam ipſius Domini Archiepiſcopi curia temporalis Narbonenſis, ſeu nobilis vir Raymundus Auterij domicellus Vicarius ipſius, dictos haereticos ad manum ſuam cepiſſet, & juxta legitimas ſanctiones, ut dicebatur, deberet fieri executio de eiſdem, necnon propter debatum quod eſſe dicebatur ſuper dicta executione facienda inter dictum Dominum Archiepiſcopum & curiam quae dicitur communis Narbonae, ordinatum fuiſſe diceretur per magnificum virum Dominum Johannem Comitem Forcij ad partes linguae occitanae pro reformatione patriae auctoritate regia deſtinatum quod iſta vice de praedictis haereticis hodie judicatis Narbonae executio fieret per eundem Dominum Comitem nomine Domini Regis, tanquam per manum ſuperiorem, ſine prejudicio cujuſcunque, prout haec & alia in dicta ordinatione latius contineri dicuntur,

Ex L. L. Miſc. Bal. p. 411.

Vide Nicolaum Eymerici Director. par. 2. q. 15.

Digitized by Google

praedictus Dominus Vicarius dicti Domini Archiepiſcopi pro executione facienda de haereticis ſupradictis ſalvo ſemper jure dicti Domini Archiepiſcopi, cui per hoc non vult nec intendit in aliquo derogare, tradidit ſeu dimiſit dictos haereticos in manibus nobilis viri Domini Iohannis Berenguarij hoſtiarij armorum & Vicarij Biterrenſis Domini Regis, nomine dicti Comitis reformatoris praedicti, tanquam in manu ſuperiori, juxta formam ordinationis praedictae, abſque praejudicio Domini Archiepiſcopi praedicti & ſuae Eccleſiae Narbonenſis, requirens ſibi fieri publicum inſtrumentum. Et dictus Dominus Vicarius Biterrenſis Domini Regis, dicens ſe ad hoc deputatum per Dominum Comitem ſupradictum, praedictos haereticos pro executione facienda illa vice ad manum dicti Domini Comitis, nomine Domini Regis, tanquam in manu ſuperioris, abſque Domini Regis, ut dixit, & Domini Archiepiſcopi ſupradicti & alterius cujuſcunque praejudicio, recepit, requirens de praedictis omnibus ſibi fieri publicum inſtrumentum. Et ibidem exiſtens diſcretus vir magiſter Nicolaus Ricommini juriſperitus, procurator generalis Domini Archiepiſcopi ſupradicti, proteſtatus fuit de jure dicti Domini ſui, quod, ut dixit, voluit ubique durare & ſervari illaeſum, non conſentiens praedictis in quantum juri dicti Domini ſui praejudicare poſſent, requirens de praedictis omnibus ſibi fieri publicum inſtrumentum. Acta fuerunt haec Narbonae extra muros civitatis ejuſdem, juxta cimiterium Eccleſiae ſancti Felicis, in praeſentia & teſtimonio Domini Petri Bergundionis presbyteri de Capiteſtagno, Guillermi de pomaribus Subvicarij curiae archiepiſcopalis Narbonenſis, Bernardi Raynardi Vicarij Capiteſtagni, &c.

LITTERA MAGISTRORUM

Vide infra pag. 275. *in theologia infraſcriptorum, qui articulos infraſcriptos de poſtilla fratris Petri Iohannis Olivi quondam ordinis Minorum facta ſuper Apocalypſi extractos diligenter examinaverunt, & ipſos tam temerarios quam haereticos judicaverunt.*

Vide vitas Paparum Avenion. p. 18. SAnctiſſimo Patri ac Domino Domino Iohanni divina providentia ſacroſanctae Romanae ac univerſalis Eccleſiae ſummo Pontifici frater Guido Prior generalis fratrum ordinis beatae Mariae de Carmelo, frater Bertrandus de Turre Miniſter provinciae Aquitaniae ordinis fratrum Minorum, frater Guillelmus de Lauduno Lector ſacri palatii ordinis Praedicatorum, Nicolaus de ſancto Iuſto Decanus ſancti Quintini, frater Laurentius Anglicus ordinis ſancti Benedicti, frater Simon Anglicus ordinis ſupradicti ſanctae Mariae de Carmelo, frater Arnaldus Royardi ordinis fratrum Minorum, frater Petrus de Palude ordinis fratrum Praedicatorum, in ſacra pagina magiſtri, pedum oſcula beatorum. Sanctitati veſtrae, Pater beatiſſime, facimus manifeſtum quod Reverendus Pater & Dominus Dominus frater Nicolaus Epiſcopus Oſtienſis, cui per eandem ſanctitatem veſtram commiſſa fuit examinatio poſtillae cujuſdam quam quondam frater Petrus Iohannis de provincia Provinciae ſuper librum Apocalypſis conſcripſit, nobis tradidit quoſdam articulos extractos per eum de dicta poſtilla in duobus parvis quaternis una cum poſtilla ſuperius memorata, nobiſque ex auctoritate ſibi commiſſa injunxit ut cum diligentia examinaremus praedicta & de ipſis inſcriptis ſub noſtris ſigillis noſtram ſententiam concorditer diceremus, utrum videlicet dicti articuli, quorum tenores inferius deſcribuntur, in ipſa poſtilla continerentur, & utrum ipſos articulos haereticos aut erroneos ſeu temerarios cenſeremus. Volentes igitur ipſius mandato immo potius veſtro humiliter obedire, de ipſis articulis per ipſum Dominum Oſtienſem de dicta poſtilla extractis cum dicta poſtilla collationem fecimus diligentem & ſicut in ipſo extracto continebatur, ita in ipſa poſtilla invenimus contineri. Super quibus articulis ſententiam concorditer dedimus poſt ſingulos articulos infraſcriptam, quam noſtris ſigillis fecimus ſigillari; quorum articulorum & ſententiae tenor inferius annotatur.

I. Primus articulus talis eſt. In prologo ſuper lectura Apocalypſis in primo notabili dictus frater Petrus Iohannis dicit ſic: *Quantum ergo ad primum, qui ſcilicet ſunt ſeptem ſtatus Eccleſiae in his viſionibus deſcripti, ſciendum quod primus eſt fundationis Eccleſiae primitivae in Iudaiſmo ſub Apoſtolis factae. Secundus fuit probationis & confirmationis ejuſdem per martyria quae potiſſime inflicta ſunt a paganis in toto orbe. Tertius fuit doctrinalis expoſitionis fidei rationabiliter confutantis & convincentis inſurgentes haereſes. Quartus fuit anachoreticae vitae mundum uſque ad extrema ſolitudinis fugientis & carnem auſterrime macerantis, ſuoque exemplo totam Eccleſiam inſtar ſolis & ſtellarum illuminantis. Quintus fuit vitae communis, partim zeli ſeveri, partim condeſcenſivi ſub Monachis & Clericis temporales poſſeſſiones habentibus. Sextus eſt renovationis evangelicae vitae & expugnationis antichriſtianae & finalis converſationis Iudaeorum & gentium, ſeu iteratae reaedificationis Eccleſiae ſimul primae. Septimus vero, prout ſpectat ad vitam iſtam, eſt quaedam quieta & mira participatio futurae gloriae, ac ſi caeleſtis Ieruſalem videatur deſcendiſſe in terram: prout tamen ſpectat ad aliam vitam, eſt ſtatus generalis reſurrectionis & glorificationis ſanctorum & finalis conſummationis omnium.* Item cuilibet praedictorum ſtatuum attribuit certa principia & certos fines. Unde paulo poſt in eodem prologo & ſub eodem notabili dicit ſic: *Primus ſtatus proprie coepit a ſpiritus ſancti miſſione, licet alio modo coeperit a Chriſti praedicatione. Secundus vero proprie coepit a perſecutione Eccleſiae facta ſub Nerone Imperatore, quamvis alio modo coeperit a Stephani lapidatione vel Chriſti paſſione. Tertius vero coepit a tempore Conſtantini Imperatoris ad fidem Chriſti converſi, ſeu a tempore Silveſtri Papae, ſeu Concilii Nicaeni contra Arrianorum haereſim celebrati. Quartus vero proprie coepit a tempore magni Antonii anachoretae, ſeu a tempore Pauli primi eremitae, vel ſecundum Ioachim a tempore Iuſtiniani Auguſti, de quo infra in decimo notabili amplius tangetur. Quintus vero proprie coepit a tempore Karoli Magni. Sextus vero aliqualiter coepit a tempore beati viri patris noſtri Franciſci. Plenius tamen debet incipere a damnatione Babylonis meretricis magnae, quando praefatus angelus Chriſti ſigno ſignabit per ſuos futuram malitiam Chriſti. Septimus autem uno modo inchoat ab interfectione illius Antichriſti, qui dicet ſe Deum & Meſſiam Iudaeorum. Alio modo inchoat ab initio extremi judicii omnium reproborum & electorum.*

Hic autem nobis videtur, ſalvo in hoc & in omnibus ſequentibus judicio ſummae ſedis, quod diviſio illa ſtatuum Eccleſiae ſeptiformis intellecta ſicut in ſequentibus articulis declarabit, puta quod ſextus & ſeptimus ſtatus Eccleſiae notabiliter praeemineant quinque primis, & ſic rejiciant omnes illos, ſicut Eccleſia Synagogam, haeretica ſit cenſenda. Quod vero dicit hos ſeptem ſtatus Eccleſiae in illis ſeptem Apocalypſis viſionibus deſcribi, eo modo quo applicat & exponit, temerarium reputamus. De damnatione vero meretricis magnae in ſequentibus apparebit.

II. Secundus articulus in eodem prologo dicit tredecim eſſe conſideranda; & cum pervenit ad ſeptimum conſiderabile, dicit ſic: *Septimum eſt quare ſextus ſtatus deſcribitur ut notabiliter praeeminens quinque primis, & ſicut finis priorum, & tanquam initium novi ſaeculi, evacuans quoddam vetus ſaeculum, ſicut ſtatus Chriſti evacuavit vetus teſtamentum & vetuſtatem humani generis.* Haereticus quo-

ad

Digitized by Google

ad totum prout jacet & ſonant verba proprie intellecta, quia ad ipſa ſequitur ſtatum illum ſecundum ſcripturam Apoſtolorum ſtatui praeeminere & Eccleſiam novam Chriſti veterari, & per conſequens interire. quae duo haeretica reputamus.

III. Tertius articulus in quinto notabili praedicti prologi ponens ordinem ſeptem viſionum Apocalypſis dicit ſic: *Sexta autem viſio, quae eſt de damnatione meretricis & beſtiae habentis capita ſeptem, & de novis nuptiis agni & ſuae ſponſae poſt meretricis damnationem fiendis, directius reſpicit rejectionem vetuſtatis Babylonicae & renovationem formae Chriſti*. Haereticus quoad tria. Primo quantum ad blaſphemiam nominis, cum per illam meretricem intelligat, ſicut inferius apparebit, Eccleſiam Romanam & univerſalem ei tanquam capiti adhaerentem. Secundo quantum ad hoc quod ait de ejus damnatione, intendens, ſicut infra clarius exprimet, hanc Eccleſiam totaliter & aeternaliter condemnandam. Tertio quantum ad novas nuptias agni & ſuae ſponſae, cum Chriſtus ſemel Eccleſia deſponſata has nuptias, quae quotidie peraguntur, in caeleſti gloria completurus, non ſit aliquas alias novas nec ſecundas nuptias in hac mortali vita cum aliqua alia Eccleſia contracturus.

IV. Quartus articulus circa finem ſeptimi notabilis dicit ſic: *Et cum Babylon meretrix & beſtia portans eam erit in ſuo ſummo, tunc erit nox ejus tenebroſiſſima de qua in pſalmo dictum eſt:* Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox. in ipſa pertranſibunt omnes beſtiae ſilvae. *Ipſae ſunt & beſtiae ſexto die formatae, poſt quas formatus eſt homo ad imaginem Dei, quia poſt has convertetur Iſraël cum reliquiis gentium, & apparebit Chriſtiformis vita & imago Chriſti. Ex praedictis autem patet quare ſexta & ſeptima viſio deſcribunt principaliter ſolum finalem ſtatum Eccleſiae. Fit enim hoc ad plenius deſignandum quod in ſexto & ſeptimo ſtatu eſt ſolemnis finis priorum temporum & quoddam novum & ſolemne ſaeculum*. Haereticus quoad duo. Primo quantum ad hoc quod dicit quod cum Babylon meretrix & beſtia portans eam erit in ſuo ſummo, tunc erit nox ejus tenebroſiſſima; quia, ſicut infra ex dictis ſuis manifeſtius apparebit, in toto iſto tractatu per Babylonem ipſe intelligit Eccleſiam Romanam & univerſalem ei obedientem, quam nos Eccleſiam catholicam appellamus; quae non eſt Babylon civitas diaboli, ſed Dei, nec meretrix, ſed virgo, nec portata a diabolo, ſed a Chriſto, non tenebroſa nec nocturna, ſed fide illuſtrata, & de die gratiae conſtituta. Secundo, quantum ad hoc quod dicit quod in ſexto & ſeptimo eſt ſolemnis finis priorum temporum: quia cum finis conſummans & perficiens, de quo loquitur, ſit melior his quae ſunt ad finem, ſequeretur quod ſtatus ille Apoſtolorum ſtatui praeferretur. Caetera quae in articulo continentur de novo & ſolemni ſaeculo futuro in hac vita, in quo apparebit Chriſtiformis vita & imago Chriſti quaſi quodam modo mirabili & hactenus inexperto, temeraria & figmenta irrationabilia reputamus.

V. Quintus articulus in octavo notabili dicit ſic: *Sextum vero membrum ipſarum viſionum & ſeptima viſio hujus libri declarant quod in ſexto tempore Eccleſiae eſt revelanda ſingularis perfectio vitae & ſapientiae Chriſti, & quod vetuſtas prioris eſt ſic uberter repellenda ut videatur quoddam novum ſaeculum ſeu nova Eccleſia tunc formari, veteribus jam rejectis, ſicut in primo Chriſti adventu formata eſt nova Eccleſia, veteri ſynagoga rejecta. Et hinc eſt quod in his viſionibus praeſentatur trinus Chriſti adventus, primus ſcilicet in carnem paſſibilem mundum redimens & Eccleſiam fundans, ſecundus in ſpiritum evangelicae vitae reformans & perficiens Eccleſiam primitus jam fundatam, tertius ad judicium glorificans electos cunctaque conſummans. Licet autem ſecundus adventus ſit in toto decurſu Eccleſiae, & etiam in glorificatione ſanctorum, nihilominus recte & congrue per quandam antonomaſiam appropriatur tempori ſexto*. Haereticus quoad tria. Primo quantum ad hoc quod dicit revelandam eſſe in hac vita ſingularem perfectionem vitae & ſapientiae Chriſti, quaſi nondum aut non ita ad plenum ipſa fuerit hactenus revelata, cum primo ipſa fuerit per Chriſtum Apoſtolis pleniſſime revelata, quantum condecet ſtatum viae & pertinet ad generalem ſtatum Eccleſiae militantis. Secundo quantum ad illud quod ſequitur, quod vetuſtas prioris temporis eſt ſic univerſaliter repellenda ut videatur nova Eccleſia tunc formari, veteribus jam rejectis, ſicut in Chriſti primo adventu formata eſt nova Eccleſia, rejecta veteri ſynagoga. de quo in primo & ſecundo articulo dictum fuit. Tertio quantum ad hoc quod dicit quod adventus Chriſti in ſpiritum evangelicae vitae reformans & perficiens Eccleſiam primitus jam fundatam recte & proprie per quandam antonomaſiam appropriatur tempori ſexto; quia hoc eſt illum ſtatum, quantum ad dona ſpiritus ſancti, excellenter Apoſtolorum praeferre ſtatui ſicut prius.

VI. Sextus articulus in decimo notabili dicit ſic. *Secunda eſt quia ſicut virtus radicis & ſtipitis redivivat in ramo & fructu, ſic & infectio utriuſque; & ideo ſicut tota virtus priorum temporum intendit generationem ſexti & ſeptimi ſtatus, ſic tota malitia eis oppoſita cooperabitur malitiae Antichriſti & reliquorum exercentium electos ſexti & ſeptimi ſtatus*. Haereticus, prout verba ſonant accepta ad praecedentia. Conſequenter, quantum ad hoc quod dicit quod tota virtus priorum temporum intendit generationem ſexti & ſeptimi ſtatus, quia cum intentio ſit de fine principali, qui ut ſit melior eſt omnibus quae ſunt ad finem, ſequeretur quod ſextus ſtatus & ſeptimus eſſent meliores & perfectiores ſtatu Apoſtolorum & omnibus praecedentibus ſimul ſumptis.

VII. Septimus articulus in fine duodecimi notabilis dicit ſic. *Notandum igitur quod ſtatus Eccleſiae a damnatione Babylonis id eſt Eccleſiae carnalis uſque ad finem ſaeculi oportet habere tantum temporis ſpatium quod totus orbis & totus Iſraël convertatur ad Chriſtum, & quod illud tempus aſcendat a mane per gradus congruos uſque ad meridiem, ac deinde per gradus congruos deſcendat ad tantam veſperam & noctem iniquitatis quod vix inveniatur fides in terra, & quod per abundantiam malitiae Chriſtus quaſi compellatur ad judicium venire. Abſit enim quod tertius principalis ſtatus ſaeculi appropriate gerens imaginem ſpiritus ſancti ſit momentaneus aut tanto operi ridiculoſe & improportionaliter abbreviatus*. Haereticus quoad duo. Primo quantum ad id quod dicit de damnatione Babylonis id eſt Eccleſiae carnalis, intelligendo per Babylonem & per Eccleſiam carnalem Eccleſiam catholicam ſicut prius. Secundo quantum ad hoc quod horum tertius principalis ſtatus ſaeculi gerit appropriate imaginem ſpiritus ſancti: quia hoc eſt ſibi pluſquam ſtatui Apoſtolorum appropriare ſpiritum ſanctum. quod eſt ſaepius reprobatum. Quod vero finalem mundi ſtatum prolongat in magnum temporis ſpatium, temerarium reputamus.

VIII. Articulus octavus in tredecimo notabili dicit ſic: *In ſexto autem die ſeu tempore primo creata ſunt animalia irrationabilia, ſcilicet jumenta, reptilia, & beſtiae, & poſt haec creatus eſt homo ad imaginem Dei cum muliere ex ipſo formata. Beſtiae enim & reptilia ſunt regna paganorum & ſectae Pſeudo-Prophetarum, quae ſexto Eccleſiae tempore contra ipſam atrocius ſaevire permittentur. Jumenta vero ſunt ſimplices ad obedientiam prompti & ad onera activi. Ordo autem evangelicus eſt tanquam homo rationalis ad Dei imaginem factus, & ipſe ſubjiciet beſtias & omnem terram, & praeerit piſcibus & avibus, id eſt, omnibus ordinibus tempore quinto formatis. Diſtinguetur autem in praelatos & collegium ſubditorum quaſi in virum & uxorem*. Temerarius quantum ad hoc quod aſſerit quod in ſexto tempore ordo quidam evangelicus ſubjiciet ſibi regna paga-

paganorum & omnem terram. quod eſt incerta divinatio de rebus ſingularibus contingentibus & futuris per Dei revelationem non probata, cui ſoli cognita ſunt futura. Item quantum ad hoc quod dicit quod ille ordo evangelicus praeerit omnibus ordinibus quinto tempore formatis. quod eſt etiam comparatio praeſumptuoſa, nec ratione nec auctoritate probata.

IX. Nonus articulus in eodem tredecimo notabili dicit ſic. *Sicut etiam in ſexta aetate rejecto carnali Judaiſmo & vetuſtate prioris ſaeculi venit novus homo Chriſtus cum nova lege vita & cruce, ſic in ſexto ſtatu rejecta carnali Eccleſia & vetuſtate prioris ſaeculi renovabitur Chriſti lex & vita & crux. Propter quod in ejus primo initio Franciſcus apparuit Chriſti plagis characterizatus & Chriſto totus concrucifixus & configuratus.* Haereticus, & horrendus quantum ad hoc quod dicit de rejectione Eccleſiae. Abſit enim a cordibus fidelium quod Eccleſia catholica, quam carnalem blaſphemat, ſit quaſi vetula a Chriſto rejicienda eo modo quo vetus ſynagoga a Chriſto primitus eſt rejecta.

X. Decimus articulus in eodem tredecimo notabili dicit ſic. *Sexto vero certamini, quod percuſſa Babylone a Medis eſt duplex, unum ſcilicet ſub Judith, & alterum ſub Heſter, correſpondet conflictus duplex poſt damnationem meretricis & carnalis Eccleſiae fiendam a decem cornibus beſtiae, quorum primus erit ab ipſa beſtia aſcendente de abyſſo & ſexto capite ejus, ſecundus vero a beſtia aſcendente de terra, id eſt, a caterva Pſeudo-Prophetarum & a Pſeudo-Propheta capite ipſorum.* Haereticus ſicut prius quantum ad id quod dicit poſt damnationem meretricis & carnalis Eccleſiae fiendam a decem cornibus beſtiae: quia poſt hoc intelligit exterminium totale Eccleſiae quae nunc eſt fiendum per decem cornua beſtiae, quae inferius exprimit decem Reges.

XI. Articulus undecimus in praenotandis ad ſecundum capitulum Apocalypſis dicit ſic. *Sexta autem, ſcilicet Eccleſia, quae dicitur habere oſtium ſcripturarum ac praedicationis & cordium convertendorum apertum.* Quia intelligit, ſicut ex praecedentibus & ſequentibus apparet, quod haec triplex apertio illi ſtatui competat ſingulariter aut excellenter reſpectu quinque ſtatuum praedictorum. quod eſt ſpecialiter propter Apoſtolos ſaepius reprobatum.

XII. Articulus duodecimus ſecundo capitulo exponens illud. *Sin autem venio, tibi amovebo candelabrum tuum de loco ſuo*, poſt columnam & dimidiam dicit ſic. *Conſimiles fere rationes invenies de ultimo caſu noviſſimi curſus quinti temporis eccleſiaſtici, & tranſlationis primatus Babylonis in novam Hieruſalem.* Haereticus quoad duo. Primo quantum ad hoc quod dicit de ultimo caſu noviſſimi curſus quinti temporis eccleſiaſtici, ubi omiſſo nomine Babylonis & carnalis meretricis Eccleſiae, agit ſimpliciter de Eccleſia quinti temporis quo a Chriſto decurrit quinque temporibus quae deſcripſit, intendens eam in fine quinti temporis caſuram, cum ſit haereticum ſimpliciter Eccleſiam dictam id eſt univerſalem & catholicam aliquo tempore ruituram. Secundo quantum ad hoc quod dicit de translatione primatus Babylonis in novam Hieruſalem: quia tranſlatio alicujus ab uno in aliud non eſt niſi ab eo in quo erat in illud in quo non erat. Primatus autem Eccleſiae ab eo tempore quo Petrus, qui a Chriſto accepit primatum, reſedit Romae, finaliter non fuit in aliqua Eccleſia niſi in Eccleſia Romana. Dicere ergo quod primatus transferetur a Babylone in novam Hieruſalem includit tres haereſes. Prima, quod Eccleſia Romana ſit vel futura ſit Babylon; ſecunda, quod Eccleſia Romana primatum perdere debeat aliquando; tertia, quod nova quaedam Eccleſia alia citra pa. . . . . ſit futura.

XIII. Tertius decimus articulus ſuper tertium capitulum exponens illud: *Qui habet clavem*, dicit ſic: *Significatur etiam per hoc proprium donum & ſingularis proprietas tertii ſtatus mundi ſub ſexto ſtatu Eccleſiae inchoandi & ſpiritui ſancto per quandam antonomaſiam appropriati. Sicut enim in primo ſtatu ſaeculi ante Chriſtum ſtudium fuit patribus enarrare magna opera Domini inchoata ab origine mundi, in ſecundo vero ſtatu a Chriſto uſque ad tertium ſtatum cura fuit filiis quaerere ſapientiam myſticarum rerum & myſteria occulta a generationibus ſaeculorum, ſic in tertio nil reſtat niſi ut pſallamus & jubilemus Deo laudantes ejus opera magna & ejus multiformem ſapientiam & bonitatem in ſuis operibus & ſcripturarum ſermonibus clare manifeſtatam. Sicut enim in primo tempore exhibuit ſe Deus pater ut terribilem & metuendum, unde tunc claruit ejus timor, ſic in ſecundo exhibuit ſe Deus filius ut magiſtrum & revelatorem & ut verbum expreſſiſſimum ſapientiae ſui patris. Ergo in tertio tempore ſpiritus ſanctus exhibebit ſe ut flammam & fornacem divini amoris & ut cellarium ſpiritualis ebrietatis & ut apothecam divinorum aromatum & ſpiritualium unctionum & unguentorum, & ut tripudium ſpiritualium jubilationum & jucunditatum, per quam non ſolum ſimplici intelligentia, ſed etiam guſtativa & palpativa experientia videbitur omnis veritas ſapientiae verbi Dei incarnati & potentiae Dei patris. Chriſtus enim promiſit quod cum venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, & ille me clarificabit, &c.* Haereticus quantum ad quatuor. Primo quantum ad hoc quod ſpiritui ſancto per quandam antonomaſiam approprіat tertium ſtatum mundi praeferens in hoc ipſum Apoſtolorum ſtatui ſicut prius. Secundo quantum ad hoc quod tempus ante Chriſtum approprіat patri, tempus a Chriſto uſque ad tertium ſtatum filio, tempus tertium ſpiritui ſancto, pro quanto ſapit errorem illorum haereticorum qui ſecundum tres perſonas diſtinxerunt tres leges, legem veterem ſcilicet, quam attribuunt patri, legem evangelii quod habemus, quam attribuunt filio, & legem libertatis futuram, quam dicunt ſpiritus ſancti. Tertio quantum ad hoc quod dicit quod in tertio ſtatu ſpiritus ſanctus ſe exhibebit ut flammam & fornacem divini amoris, &c. (tanquam) ſpiritus ſancti dona excellentia, quae ſequuntur quaſi in primo Chriſti adventu, ita nullo modo aut non ita ad plenum fuerint adimpleta ſicut illo tempore ſunt implenda. Quarto quantum ad hoc quod ſequitur. *Chriſtus enim promiſit quod cum venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Per hoc enim videtur innuere quod promiſſio illa a Chriſto Apoſtolis facta non fuerit impleta in eis in die Pentecoſtes. quod eſt haereſis jam damnata.

XIV. Quartus decimus articulus ibidem poſt quindecim lineas ſubjungit. *Sicut primo tempore converſus eſt mundus ad Chriſtum per ſtupendas & innumerabiles virtutes miraculorum, ſic decet quod in finali tempore convertatur iterum orbis per praeclara, & ſuperadmiranda & ſuperabundantia lumina ſapientiae Dei & ſcripturarum ſuarum, & maxime quia oportet ſtatum illius temporis elevari & intrare ad ipſa lumina ſuſcipienda & contemplanda. Cooperabitur ad hoc tota praecedens illuminatio priorum ſtatuum & univerſalis fama Chriſti & ſuae fidei & ſuae Eccleſiae per totum orbem diffuſa a tempore primae converſionis mundi continue uſque ad tempora iſta.* Haereticus quantum ad hoc quod innuit quod in finali tempore Eccleſiae militantis erunt praeclara ſuperadmiranda & ſuperabundantia lumina ſapientiae Dei & ſcripturarum ſuarum, & caetera hujuſmodi quae ſubjungit, quod non ſolum unus aut duo aut aliqui pauci illius temporis excedant, ſed quod ſtatus ille communiter excedat ſtatum Apoſtolorum & praecedentium doctorum omnium in divina ſapientia & ſcripturis. quod ſpecialiter propter Apoſtolos reprobamus.

XV. Quintus decimus articulus ibidem poſt quindecim lineas ſubjungit. *Conſurgitque ex hoc quoddam mirabile & valde notabile, videlicet quod ſtatus ſextus generatio major erit praecedentibus in*

ſuſce-

Digitized by Google

ſuſceptione gratiarum & familiarium ſignorum amoris Chriſti ad eum, tanto habebit unde plus Chriſto & ſtatibus praecedentibus humilietur, quia potius praefertur eis in pati ſeu recipere quam in agere vel dare, & potius in felicitate habente ſpeciem praemii quam in laborioſo opere habente rationem meriti. Haereticus quantum ad hoc quod dicit quod ſextus ſtatus erit major praecedentibus in ſuſceptione gratiarum & familiarium ſignorum amoris Chriſti ad eum, & quod praefertur eis in recipere & in felicitate habente ſpeciem praemii. propter Apoſtolos ſpecialiter ſicut ſupra.

XVI. Sextus decimus ſuper idem ſecundum capitulum ſuper verbum: *Non negaſti nomen meum* dicit ſic. *Nota quomodo hoc praeclare competit ſexto ſtatui, cuius proprio eſt profiteri & ſervare evangelicam legem ſeu regulam, non ſolum praeceptorum, ſed etiam conſiliorum Chriſti.* Haereticus, quia innuit quod ſervare legem evangelicam non competierit vel minus competierit prioribus ſtatibus quam futuro alicui in hac vita. & hoc maxime propter Apoſtolos ſicut prius.

XVII. Decimus ſeptimus ibidem exponens illud: *Quoniam ſervaſti verbum patientiae*, dicit ſic: *Utroque etiam modo convenit perfectius ſexto ſtatui, & etiam alio tertio modo, quia ipſe ſervabit verbum ſeu regulam evangelicae egeſtatis & humilitatis & patientiae, cum nullo pro quacunque re temporali litiganti, immo ſuos perſecutores & inimicos cum ſumma pace & patientia perfectiſſime diligenti.* Haereticus prout jacet, quia intelligere videtur, ſicut verba innuunt, quod ſextus ſtatus perfectius ſervabit regulam evangelicam, quantum ad omnia hic expreſſa, quam quicunque alius ſtatus de quinque praecedentibus, quod ſemper propter Apoſtolos reprobamus.

XVIII. Decimus octavus &c. exponens illud, *Ecce venio cito*, paulo poſt dicit ſic. *Item ſicut ſoli primo comminatus eſt tranſlationem Eccleſiae ſuae de loco ſuo, ſic ſoli ſexto ſignificat quod ſi non perſeveraverit, eius corona ad aliud transferetur. cujus myſtica ratio eſt, quia ſicut primus ſtatus habuit primatum reſpectu totius ſecundi generalis ſtatus mundi qui ab Apoſtolo vocatur tempus ſeu ingreſſus plenitudinis gentium, ſic ſextus habebit primatum reſpectu totius tertii generalis ſtatus mundi duraturi uſque ad finem ſaeculi. Ne ergo de ſuo primatu ſuperbiant aut inſoleſcant, quaſi non poſſint ipſum perdere, aut quaſi alius non poſſet ſubſtitui eis & fieri aeque dignus, inſinuatur eis praedicta tranſlatio.* Haereticus, ſive ponat in Eccleſia duos primatus Eccleſiae, quorum primus in quinto tempore Eccleſiae deficiat, & ſecundus in ſexto tempore incipiat. quod haereticum reputamus. Confitemur tamen unum eſſe primatum in tota Eccleſia Dei penes Romanam Eccleſiam reſidentem, qui a Petro incipiens, ſine interruptione & tranſlatione uſque nunc continuatus eſt, & ſemper continuabitur in ejus legitimis ſucceſſoribus uſque ad ſaeculum conſummatum; ſive ponat in eadem duos primatus dignitatis, ſive duos ſanctitatis.

XIX. Decimus nonus articulus paulo poſt dicit ſic. *Secunda ratio eſt, quia uterque illorum ſubſtitutus eſt alteri. Nam ſicut gloria quae fuerat ſynagogae parata & Pontificibus ſuis, ſi in Chriſtum credidiſſent, tranſlata fuit ad primitivam Eccleſiam & ad paſtores ejus, ſic etiam gloria parata finali Eccleſiae quinti ſtatus transferetur, propter ejus adulteria, ad electos ſexti ſtatus. Unde & in hoc libro vocatur Babylon meretrix circa initium ſexti ſtatus damnanda.* Haereticus quoad tria. Primo quantum ad hoc quod comparando aequiparat in malo culpae & poenae Eccleſiam quinti temporis ſynagogae, ſecundo quantum ad hoc quod dicit gloriam Eccleſiae transferendam ſicut gloriam ſynagogae, tertio quantum ad hoc quod dicit Eccleſiam & Babylonem meretricem eſſe damnandum, intelligens hoc dictum de Eccleſia quae nunc eſt quinti temporis. quod eſt ſuperius reprobatum.

XX. Viceſimus in quinto capitulo exponens illud: *Et vidi in dextera*, parum poſt duas columnas dicit ſic. *In ſexta vero Babylon adultera & a ſuo viro ſcilicet Chriſto abalienata ſubvertitur per maximum terræ motum & per iram agni, prout ſexta apertio narrat.* Haereticus, quia haec omnia intelligit ſicut ſupra & infra de noſtra Eccleſia Chriſti ſponſa.

XXI. Viceſimus primus in ſexto capitulo exponens quod dictum eſt illis ut requieſcerent, dicit ſic. *Referendo vero prædicta ad finem quinti ſtatus, deſignatur quod tunc tot & tanta ſcelera in carnali Eccleſia inundabunt, & jamdiu eſt inundare cœperunt, quod tam ſancti praeteriti quam praeſentes ex tanta malorum inundantia fere uſque ad deſperationem contriſtati cum grandi clamore expetunt & adhuc amplius expetent judicium fieri pro ipſis & contra reprobos.* Et poſt pauca ſubdit, *Deſignatur etiam quod magnalia tertij ſtatus generalis totius orbis nullis aut paucis ſunt aperta uſque ad apertionem ſexti ſigilli, ſeu uſque ad finem quinti ſtatus.* Haereticus quantum ad hoc quod dicit quod ſancti praeteriti fere uſque ad deſperationem contriſtantur, ſicut verba ſonant proprie intellecta. Videtur etiam temeraria expoſitio quam fingit de clamore quorundam expetentium vindictam de malis de Eccleſia, pro quibus continue orant ſancti, cum ſancti doctores illud communiter exponant de animabus ſanctorum martyrum vindictam expetentium de tyrannis Eccleſiae perſecutoribus, in hoc ſe divinae juſtitiae conformando. Item temerarium videtur quod aſſerit magnalia tertij ſtatus Eccleſiae generalis de novo aliquibus revelanda, ſic quod non fuerunt pluribus alijs, ſaltem Apoſtolis revelata ex quo tangunt ſtatum Eccleſiae generalis.

XXII. Viceſimus ſecundus exponens illud ſexto capitulo, *Et vidi cum aperuiſſet ſextum ſigillum*, dicit ſic. *Ex quo igitur per Romanae Eccleſiae authenticam teſtificationem & confirmationem conſtat regulam Minorum per beatum Franciſcum editam eſſe vere & proprie illam evangelicam quam Chriſtus in ſeipſo ſervavit, & Apoſtolis impoſuit, & in evangeliis ſuis conſcribi fecit, & nihilominus conſtet hoc per irrefragabilia teſtimonia librorum evangelicorum & caeterarum ſcripturarum ſanctarum, & per ſanctos expoſitores earum, prout alibi eſt ſuperabunde monſtratum, conſtat etiam hoc per indubitabile teſtimonium ſanctiſſimi Franciſci ineffabili ſanctitate & innumeris Dei miraculis confirmatum, & praecipue glorioſiſſimis ſtigmatibus ſibi a Chriſto impreſſis patet ipſum vere eſſe angelum apertionis ſexti ſignaculi.* Vbi videtur de regula beati Franciſci, quam vere & proprie illam evangelicam & caetera quae de ipſa adjungit, quod ſi haec verba capit ſecundum intellectum & declarationem decretalis *Exiit qui ſeminat*, verum dicit. Si autem intelligit, ſicut ipſe alibi declarat, & ſui ſequaces aſſerunt, quod regula beati Franciſci ſit vere & proprie idem & idipſum quod Chriſti evangelium & e converſo, & quod Dominus Papa non habet poteſtatem ſuper eam ſicut nec ſuper evangelium, vel quicquid eſt in regula beati Franciſci, totum Chriſtus ad litteram ſervaverit & Apoſtolis impoſuerit obſervandum, hoc totum ſimpliciter reputamus haereticum & ridiculum & inſanum; nec iſtud probatur per aliquod teſtimonium quod inducat. Refert hunc locum Alv. Pelag lib 2. de planctu Eccleſ. cap. 59.

XXIII. Viceſimus tertius poſt praedicta immediate ſubjungit haec. *Igitur commemorato eſt adhuc notandum a quo tempore debeat ſumi initium huius ſextae apertionis. Videtur enim quibuſdam quod ab initio ordinis & regula ſancti patris praefati, alii vero quod a ſolemni revelatione tertii ſtatus generalis continentis ſextum & ſeptimum ſtatum Eccleſiae facta Abbati Joachim & forte quibuſdam aliis ſibi contemporaneis, alii vero quod ab exterminio Babylonis & Eccleſiae carnalis per decem cornua beſtiae id eſt per decem Reges fiendo, alii vero quod a ſuſcitatione ſpiritus ſeu quorundam ad ſpiritum Chriſti*

&

Digitized by Google

& Franciſci, tempore quo ejus regula eſt a pluribus nequiter & ſophiſtice impugnanda & condemnanda ab Eccleſia carnalium & ſuperborum, ſicut Chriſtus condemnatus fuit a Synagoga reproba Judaeorum. Hoc enim oportet praeire temporale exterminium Eccleſiae, ſicut illud praeivit exterminium ſynagogae. Hoc enim totum, prout jacet, haereticum reputamus: quia licet Eccleſia Romana regulam beati Franciſci & omnem aliam quam approbavit & confirmavit poſſit caſſare & infirmare, ordinem in ea fundatum caſſando illo modo quo caſſavit aliquos ordines a ſe primitus confirmatos, abſit tamen ut regulam illam ſanctam & bonam unquam condemnet tanquam malam & illicitam. quod verbum condemnationis importat. nec eſt unquam Eccleſia Romana nec univerſalis, quam blaſphemat Eccleſiam carnalium & ſuperborum, factura condemnationem ſimilem Chriſti condemnationi in malo, nec paſſura exterminium ſicut pertulit ſynagoga. Verum eſt tamen quod Eccleſia Romana illius regulae falſum intellectum, quem iſte & illi de ſua ſecta aſtruunt, merito condemnavit. Et ſi ipſe hanc condemnationem ſentiat eſſe condemnationem evangelii, ac per hoc ſimilem in poena & culpa condemnationi Chriſti factae a ſynagoga, ſicut ejus verba innuunt, iſtud ſimpliciter haereticum reputamus. Aſſignationem vero quatuor initiorum, quam facit, reputamus temerariam & confictam.

XXIV. Viceſimus quartus poſt praedicta ad unam columnam ſubjungit. *Sicut enim David inuncto & ſpiritu Domini in eum directo, ſpiritus Domini receſſit a Saul pluſquam ante, & exagitabat eum ſpiritus nequam, prout dicitur primo Regum XVI. ſic ex quo in pauperes evangelicos fuit manifeſte ſpiritus Dei directus & eos ad officium praedicationis auctoritate apoſtolica deſtinans & iniungens, coeperunt multi contra eos diabolico ſpiritu agitari & in ſimonias ac luxurias & avaritias & faſtus & pompas enormiter praecipitari. Unde ſol fidei & eccleſiaſtici regiminis factus eſt niger, & quaſi ſaccus de pilis porcorum & ferarum contextus*. Haereticus quoad illud ubi dicit *Sol fidei factus eſt niger*, intelligendo, ut verba ſonant, quod claritas fidei Romanae vel univerſalis Eccleſiae ex toto deficiat vel ullo tempore depravetur.

XXV. Viceſimus quintus poſt praedicta ad duas columnas dicit ſic. *Si quaeras quare Franciſcus cum primis ſui ordinis ſociis non fuit perſonaliter in initio tertio & quarto, ſicut Chriſtus cum ſuis Apoſtolis fuit tempore praedicationis & crucifixionis in initio novae legis aſſimilato tertio initio hujus ſextae apertionis, Petrus etiam & Paulus Apoſtoli ejus fuerunt paſſi ſub Nerone & Simone mago ſe Chriſtum fingente, in quo tempore Judaea per Veſpaſianum a Nerone miſſum coeperat jam deſtrui, & paulo poſt fuit tota ſubverſa. quod quidem tempus aſſimilatur quarto initio hujus ſextae apertionis, in quo carnalis Eccleſia percutietur*. Haereticus quoad duo. Primo quantum ad hoc quod dicit *in initio novae legis aſſimilato tertio initio ſextae apertionis*, quod dicit eſſe a ſuſcitatione ſpiritus vel quorundam ad ſpiritum Chriſti & Franciſci, intelligendo per ſuſcitatos a ſpiritu, ut infra dicet, illos qui ad purum dicunt ſe velle beati Franciſci regulam obſervare quaſi zelatores puriſſimi ſpiritus, ſequentes tamen pertinaciter intellectum ab Eccleſia condemnatum; quia per hoc praeſupponendo innuunt initium fidei aſſimilari initio ſchiſmatis & haereſis per Eccleſiam condemnatae. Secundo quantum ad hoc quod innuit quod ſicut Judaea fuit tota ſubverſa, ſic ſimiliter carnalis Eccleſia percutietur, intelligendo de Eccleſia catholica ſicut prius, quia illa ſecundum fidem nullo tempore ſubvertetur.

XXVI. Viceſimus ſextus poſt praedicta immediate ſubjungit. *Dicendum quod ad hoc poteſt octuplex ratio dari. Prima eſt generalis. Non enim oportet nec congruit quod poſteriora prioribus ſibi correſpondentibus in omnibus conformentur. Secunda eſt, quia perſonae Chriſti correſpondet in ſexta apertione unus ordo plurium perſonarum, ſic ſecundum ſuam proportionem augendus ſicut Chriſtus ſecundum ſuum corpus fuit uſque ad perfectam aetatem viriliter auctus. Tertia eſt, quia populus Chriſtianus fuit per viros evangelicos multiplici & ſaltem trina citatione citandus ad poenitentiam, & hoc cum congruis dilationibus ſeu expectationibus. Unde ſicut ſub Noë dati ſunt centum anni dilationis ſeu expectationis hominum ad poenitentiam, ſic & hic ſatis congrue tantundem vel circa. Quarta eſt, quia, prout ſuper evangelio oſtendi, Chriſtus pauco tempore debuit inter nos vivere & pauciori praedicare, nec ſuis diſcipulis debuit altum ſpiritum dare uſque poſt ejus mortem & reſurrectionem, ac per conſequens nec Eccleſiam ſuam ſolemniter inſtruere per eoſdem, nec ipſe pro ſe eguit multo tempore roborari ad ſuſtinendum condemnationem a ſummis Pontificibus Judaeorum & ab omnibus conſentientibus eis. Niſi autem ordo evangelicus per Franciſcum renovatus eſſet in multis, & ſaltem ſub duabus vel tribus generationibus propagatus & ſolemniſatus, non eſſet nec ipſe nec populus ab eo ducendus ſufficienter diſpoſitus ad authenticam condemnationem condemnationi Chriſti conſimilem ſubeundam. Quinta eſt, quia tentatio hujus condemnationis debet eſſe valde ſeductoria, ita ut fere in errorem inducantur electi. Debet etiam eſſe zeli acerrimi contra electos. Et ideo oportuit praefatum ordinem praecurriſſe tanto tempore ante ipſum quod aſcendiſſet a mane uſque ad meridiem, ac deinde declinaſſet uſque ad veſperam, & quod ex ipſo prodirent acerrimi zelatores carnalis gloriae ejus contra zelatores primi & puriſſimi ſpiritus ejus, & etiam quod merito ſuae tepiditatis tantam & talem tentationem incurrat. Sexta eſt, quia ſicut Chriſti perſona & vita fuit exemplar totius Eccleſiae futurae, ſic decuit quod prima pars ordinis uſque ad excidium Babylonis eſſet tepida imago totius partis ſequentis, ut ſcilicet principium correſponderet principio, & medium medio, & terminus termino. Septima eſt, ut prima pars conformaretur principio & medio & termino quinti ſtatus, cum quo concurrit, & etiam totius Eccleſiae, cujus initium humile & plenum egeſtate, medium vero praeclarum & expanſum in orbem, finis vero veſpertinus & tepidus. Et ſecundum quoſdam coaptantur ei tres anni & tres menſes a Chriſti baptiſmo uſque ad ejus mortem elapſi, ſumendo annum pro triginta annis quos quidem Chriſtus habuit cum baptizatus eſt. Quidam vero his addunt tres menſes praedicationis Johannis Baptiſtae, ut ſic ſint centum quinque anni. Sciendum tamen quod hujuſmodi coaptationes nihil habent certitudinis niſi aut per facti evidentiam inclareſcant aut per revelationem indubitabilem, aut niſi per aliam auctoritatem ſcripturae ſacrae neceſſario probentur. Multis enim modis & quaſi innumeris poſſunt tales coaptationes formari. Iuxta quod poſſemus dicere quod per unum annum intelligantur centum anni vel mille vel quadraginta vel decem, & ſic de aliis. Octava ratio eſt, quia ſpeciales errores contra regulam evangelicam oportuit prius callide & fortiter ſeminari & radicari antequam perfectas ſpinas emittant, & priuſquam evomant ſuum totale venenum. Inſtitutio autem ordinis & regulae evangelicae ejus dedit multis occaſionem invidiae & zeli amari contra ipſum & excogitandi contraria ſibi. Unde & ſicut primus Herodes necavit infantes ut occideret Chriſtum infantem, ſic circa primordialem infantiam hujus ordinis Regibus mundi devote adorantibus Chriſti paupertatem in ipſo novus Herodes doctorum carnalium damnavit ſtatum evangelicae mendicitatis. Ex quo multi boni & teneri conceptus in pluribus ſunt necati; iſteque error varias radices miſit & mittet uſquequo ſurgat ſecundus Herodes. Oportuit etiam e contra electos per oppoſitum zelum & exercitum erudiri contra hujuſmodi erroris fundamenta & machinamenta, ut in die tentationis minus feriantur & concutiantur a jaculis jam praeviſis*. Temerarius

quoad

quoad multa, haereticus quoad aliqua. Vnde quod dicit in ſecunda ratione quod perſonae Chriſti reſpondet unus ordo plurium perſonarum ſecundum ſuam proportionem augendus ſicut Chriſtus ſecundum ſuum corpus fuit auctus, haereticum cum praeciſione acceptum, cum corpori Chriſti vero pro uno corpore myſtico tota & univerſalis Eccleſia reſpondeat, & non ſola aliqua ejus portio ſingularis. Quantum autem ad tertiam rationem, in qua innuit populum Chriſtianum infra centum annos vel circiter eſſe delendum, ſicut ſub Noe diluvio mundus periit poſtquam fuerat per centum annos ad poenitentiam expectatus, reputamus divinationem falſam & temerariam & adaptationem fatuam, indebitam, & ineptam. Quantum vero ad quartam rationem, ubi dicit ordinem evangelicum & populum ab eo ducendum condemnationem authenticam condemnationi Chriſti ſimilem ſubituros, intelligendo illam condemnationem fiendam per Eccleſiam, ſicut innuit nomen condemnationis authenticae, quia ad ſolam Eccleſiam Romanam vel univerſalem ſpectat ordines approbare vel etiam reprobare, hoc haereticum reputamus. Quantum autem ad quintam rationem, ubi dicit quod oportet ex ipſo ordine evangelico prodire evangelicos zelatores gloriae carnalis contra zelatores primi & puriſſimi ſpiritus ejus, divinationem fatuam & judicium falſum & temerarium reputamus. Quantum ad ſextam rationem, ubi tangit excidium Babylonis, haereticum ſicut prius. Quantum ad octavam rationem de evangelica regula & de zelo oppoſito electorum, haereticum ſicut prius. De ſecundo autem Herode, quem vaticinatur futurum & impugnaturum evangelicam paupertatem, ſicut fuit a principio ordinis per novum Herodem doctorum carnalium impugnata, reputamus divinationem temerariam & fantaſticam, adaptationem frivolam, & probationem nullam.

XXVII. Viceſimus ſeptimus poſt prædicta ad unam columnam exponens illud. *Et factus eſt ſol niger*, dicit ſic. *Tunc enim totus ſtatus Eccleſiae in Praelatis & plebibus & religioſis funditus ſubvertetur, praeter id quod in paucis electis remanebit occulte. Tunc etiam tam in oculis infidelium quam in oculis fidelium tunc apoſtatantium vel deſperate morientium nigreſcet lux ſolaris fidei, ipſaque Eccleſia apparebit quaſi luna cruentata, non ſolum propter ſtragem occiſorum ejus, ſed etiam quia tunc plenius patebit qualiter fuerit luxuriis abominabiliter menſtruata & nefandis impietatibus & crudelitatibus plena.* Et poſt duodecim lineas ſubjungit. *Eſt enim tunc nova Babylon ſic judicanda ſicut fuit carnalis Hieruſalem, quia Chriſtum non recepit, immo reprobavit & crucifixit. Vnde Lucae XXIII. praedicit ei Chriſtus mala conſimilia iſtis dicens: Filiae Ieruſalem, nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete.* Et paulo poſt. *Tunc incipient dicere montibus, Cadite ſuper nos, & collibus, Cooperite nos.* Hæreticus quantum ad hoc quod dicit circa finem: *Eſt enim tunc nova Babylon ſic judicanda ſicut fuit carnalis Hieruſalem, quia Chriſtum Dominum crucifixit*; quia per novam Babylonem intelligit illam eandem Eccleſiam de qua ſupra immediate fecerat mentionem. Alias ſua probatio & applicatio eſſet nulla. Vnde cum ſupra immediate loqueretur de Eccleſia univerſali & catholica, & de nulla alia, quia illa ſola habet finaliter omnes electos, apparet quod illam dicit eſſe judicandam ſicut ſynagogam in judicio, judicio ſcilicet reprobationis. quod eſt hæreticum & blaſphemum.

XXVIII. Viceſimus octavus undecimo capitulo exponens illud, *Et vidi angelum alterum aſcendentem*, dicit ſic. *Hic ergo angelus eſt Franciſcus, evangelicae vitae & regulae ſexto & ſeptimo tempore propagandae & magnificandae renovator & ſummus poſt Chriſtum & ejus matrem obſervator.* Et poſt octo lineas de eodem ſancto ſubjungit. *Audivi etiam a viro ſpirituali valde fide digno, & fratri Leoni Confeſſori & ſocio beati Franciſci valde familiari, quoddam huic ſcripturae conſonum, quod nec aſſero, neque ſcio, nec cenſeo eſſe aſſerendum, ſcilicet quod tam per verba fratris Leonis quam per propriam revelationem ſibi factam perceperat quod beatus Franciſcus in illa preſſura tentationis Babylonicae, in qua ejus ſtatus & regula quaſi inſtar Chriſti crucifigetur, reſurget glorioſus; ut ſicut in vita & in crucis ſtigmatibus eſt Chriſto ſingulariter aſſimilatus, ſic & in reſurrectione Chriſto aſſimiletur neceſſaria tunc ſuis diſcipulis confirmandis & informandis ſicut Chriſti reſurrectio fuit Apoſtolis confirmandis neceſſaria, & ſuper fundatione & gubernatione futurae Eccleſia informandis. Vt autem reſurrectio ſervi patenti grandis dignitatis aſtaret a reſurrectione Chriſti & ſuæ matris, Chriſtus ſtatim poſt triduum reſurrexit, & mater ejus poſt quadraginta dies reſurrexiſſe dicitur a quibuſdam non omnino ſpernendis, iſte vero poſt totum tempus ſui ordinis uſque ad crucifixionem ipſius cruci Chriſti aſſimilatam & Franciſci ſtigmatibus praeſignatam.* Falſus, fatuus, & temerarius quoad duo. Primo quantum ad hoc quod dicit quod beatus Franciſcus fuit poſt Chriſtum & ejus matrem evangelicæ vitæ & regulæ ſummus obſervator: quia hoc eſt ipſum præferre omnibus ſanctis novi teſtamenti. quod ſpecialiter propter Apoſtolos temerarium eſt, & credimus eſſe falſum. Secundo quantum ad id quod narrat ab alio ſibi dictum de crucifixione ſtatus & regulæ beati Franciſci, & de ejuſdem ſancti corporali reſurrectione ante alios ſingulariter futura. Hoc enim & conſequentia ad iſtud fictionem phantaſticam reputamus, nec dignam relatione aliqua nec ſcriptura.

XXIX. Viceſimus nonus exponens illud. *Nolite nocere terrae, &c.* dicit ſic. *Ex praedictis autem patent aliquae rationes quare ante temporale exterminium novae Babylonis ſit evangelicae vitae veritas a reprobis ſolenniter impugnanda & condemnanda, e contra a ſpiritualibus ſuſcitandis ferventius defendenda & obſervanda & acutius ac clarius intelligenda & praedicanda, ut merito ibi ſit quoddam ſolemne initium ſextae apertionis. Quamvis autem a pluribus fide dignis audiverim ſanctum patrem noſtrum Franciſcum hanc tentationem pluries praedixiſſe, & etiam quod per ejus ſtatus profeſſores eſſet malignius & principalius exercenda, nihilominus quaſdam rationes ſubinſinuo.* Haereticus quantum ad hoc quod dicit de exterminio novae Babylonis, de condemnatione veritatis evangelicae, eo modo quo ſuperius eſt deductum. Per hoc autem quod dicit quod veritas vitae evangelicae eſt per profeſſores ejus ſtatus malignius & principalius exercenda & ſolemniter condemnanda, & e contra a ſpiritualibus ſuſcitandis ferventius defendenda, cum illi de ſecta ſua pertinaciter teneant & defendant intellectum regulae beati Franciſci ab Eccleſia condemnatum, communitate ordinis in contrarium regulam obſervante ſecundum intellectum ab eadem Eccleſia ſolemniter approbatum, apparet quod quicquid ſupra evomuit mali & infra evomet contra Eccleſiam carnalem de perſecutione & condemnatione vitae Chriſti & regulae evangelicae & beati Franciſci & ſpiritualium, totum intelligit de Eccleſia Romana & univerſali ſibi adhaerente, quae tales peſtiferos cum ſua peſtifera ſecta & doctrina perſequitur juſtitia mediante.

XXX. Triceſimus poſt praedicta immediate ſubjungit. *Decem enim ipſam praeire. Primo, ut juſte Dei judicio carnalis Eccleſia prout meruit excaecatur, & ejus malitia creſcat, & conſummetur uſque ad impugnationem vitae & ſpiritus Chriſti. Secundo, ut finis ſecundi ſtatus generalis concordet fini ſynagogae & primi ſtatus generalis. Finis enim illius fuit in Chriſti condemnatione & crucifixione. Tertio, ut ſpiritus in viris evangelicis tepefactus, & quaſi extinctus ſeu conſopitus ſuſcitetur. Quarto, quia expedit veritatem evangelicae vitae & regulae per concertationem validam prius clarificari & exaltari ante magni Antichriſti adventum. Quinto, ut ſubſequens judicium de carnali Eccleſia per decem*

eem Reges fiendum ſit & appareat juſtius & Chriſto honorabilius. Ex hoc enim evidenter patebit quod non ſua Eccleſia ſed potius inimica & perſecatrix eſt ab illis exterminata. Ad cujus majorem evidentiam ſpectat quod electi erunt extunc ſic ab ea ſequeſtrati a ſynagoga a tempore Chriſti uſque ad ſubverſionem ejus factam per Titum & Veſpaſianum. Propter quod infra decimo octavo, ubi de venturo caſu Babylonis agitur, dicit vox de caelo: Exite de illa populus meus: & ne participes ſitis delictorum ejus, & de plagis eorum non accipiatis, quoniam pervenerunt peccata ejus uſque ad caelum &c. *Sexto, quia ſecundum ordinem veritatem Chriſti impugnandarum & per praelia clarificandarum debet primo impugnari ejus exemplaris vita &c. Septimo, quia prius expedit tyrones intra ſuos exerceri & probari antequam mittantur longe ad univerſalia bella cum extrinſecis gentibus totius orbis committenda &c. Octavo, quia ſicut caecitas Iudaeorum & zelus fuit occaſio ſalutis gentium ſecundum Apoſtolum Rom. XI. &c. ſic in propoſito dicendum. Nona ratio ſequitur ex errorum ſeminibus jam in Eccleſia plantatis & radicatis. Nam fere omnes Clerici & regulares poſſidentes aliquid in communi videntur minus bene ſentire de evangelica abrenuntiatione hujuſcemodi communium. Multi etiam abrenuntiationem hanc ſecundum rem vel ſecundum apparentiam praeferentes ſic amant & aeſtimant laxam vitam quod uſum pauperem ſeu moderate reſtrictum a voto profeſſionis evangelicae dicunt eſſe excluſum & etiam debere excludi. Omnes autem hi & illi ſic videntur ambire praelationes Eccleſiae altas & opulentas ſicque anhelare ad habenda & procuranda privilegia diſpenſative laxantia regulares reſtrictiones primitus inſtitutas quod caecus eſt qui non videt quod de tanta radice colubri egredietur regulus abſorbens volucrem & volatum evangelicae vitae & plures volantes cum aliis ipſius. Decima eſt, quia niſi in multitudine carnalis Eccleſiae praeiret grandis excaecatio & obduratio, non eſſent congrue & condigne diſpoſiti ad apoſtatandum in ſextam Antichriſti.* Haereticus quantum ad ſex. Primo quantum ad hoc quod dicit in prima ratione quod carnalis Eccleſia prout meruit exercetur, ut ejus malitia creſcat & conſummetur uſque ad impugnationem vitae & ſpiritus Chriſti, quod per carnalem Eccleſiam, ut ex praecedentibus & ſequentibus apparet, intelligat Romanam Eccleſiam & univerſalem & tanquam capiti adhaerentem; de qua haereticum eſt hoc ſentire. Secundo quantum ad id quod dicit in ſecunda ratione quod finis hujus Eccleſiae eſt finis ſecundi ſtatus Eccleſiae generalis. Per quod manifeſte apparet quod loquitur de Eccleſia univerſali & catholica, concordabit fini ſynagogae & fini primi ſtatus Eccleſiae, qui fuit in Chriſti condemnatione & crucifixione. Hoc enim eſt dicere quod Eccleſia univerſalis Chriſtum condemnabit & crucifiget, & quod ipſa ante finem ſaeculi finietur. quorum quodlibet continet haereſim manifeſtam. Tertio quantum ad illud quod dicit in quarta ratione de veritate evangelicae vitae & regulae clarificanda & exaltanda, intelligendo per illam veritatem intellectum regulae quam ſua ſecta tenet per Eccleſiam condemnatum, qui potius vita apoſtatica non evangelica dici debet. Quarto quantum ad hoc quod dicit in quinta ratione de Eccleſia carnali, quod de ea juſtum & Chriſto honorabile judicium fiet, & quod ipſa apparebit veraciter non Eccleſia Chriſti, ſed inimica & perſecutrix ejus & exterminanda, intelligendo de Eccleſia univerſali & prius. Quinto quantum ad id quod in eadem quinta ratione ſubjungitur de eadem Eccleſia, quod electi erunt extunc ſic ab ea ſequeſtrati ſicut Apoſtoli & caeteri catholici fuerunt ſequeſtrati à ſynagoga, & quod de ipſa intelligitur illud: *Exite de ea populе mi*. Nam per hoc quod dicit: *Extunc erunt electi &c.* & per ſimilitudinem ſynagogae, in qua prius erant electi, oſtendit ſe loqui de Eccleſia catholica, in qua ſola ſunt electi; de qua blaſphemum vel ſchiſmaticum & haereticum eſt hoc ſentire. Sexto quantum ad illud quod dicit in nona ratione. *Ex errorum ſeminibus jam in Eccleſia plantatis & radicatis.* Hoc enim haereticum eſt prout jacet: quia Eccleſia ſimpliciter dicta, quae eſt Eccleſia catholica, errores aliquos non admittit. Et quia hic ponit Eccleſiam ſimpliciter, nullo addito in aliis in quibus dicit *Eccleſiam carnalem*, cum ſemper de una & eadem intelligat, apparet quod Eccleſiam carnalem intelligit Eccleſiam Romanam & univerſalem ei tanquam capiti adhaerentem, quam nos Eccleſiam catholicam appellamus. Quod vero ibidem ſubjungit, quod fere omnes Clerici & regulares poſſidentes aliquid in communi videntur minus bene ſentire de evangelica abrenuntiatione communium, falſum & temerarium reputamus. Quod autem recitat opinionem quod multi uſum pauperem ſeu moderate reſtrictum à voto evangelicae perfectionis dicunt eſſe excluſum, innuens ex hoc quod in principio ponit de errorum ſeminibus in Eccleſia plantatis quod illa opinio ſit erronea, temerarium judicamus, ſicut videtur dicere Decretalis, *Exivi de paradiſo*. Similiter quod dicit quod de tanta radice colubri egredietur regulus abſorbens volatum vitae angelicae, innuens quod privilegia & declarationes & diſpenſationes Eccleſiae Romanae circa obſervantias regulares, de quibus fecerat mentionem, ſint venena quibus perfectio evangelica abſorbetur, temerarium eſt, & credimus eſſe falſum.

XXXI. Triceſimus primus eodem capitulo exponens illud, *Et audivi numerum ſignatorum*, poſt columnam & dimidiam dicit ſic. *Sicut ſynagoga propagata eſt ex duodecim Patriarchis & Eccleſia de gentibus ex duodecim Apoſtolis eſt ſpecialiter propagata, ſic finalis Eccleſia reliquiarum Iudaeorum & gentium eſt per duodecim viros evangelicos propaganda. Unde & Franciſcus habuit duodecim filios & ſocios, per quos & in quibus fuit fundatus & initiatus ordo evangelicus.* Quod autem hic dicit finalem Eccleſiam per duodecim viros evangelicos propagandam, videtur divinatio temeraria & fictio deriſoria, cum probationibus quas inducit.

XXXII. Triceſimus ſecundus eodem capitulo exponens illud, *Et deducet eos ad vitae fontes* dicit ſic. *Ricardus dicit quod Chriſtus eſt angelus habens ſignum Dei, quia in ſe immortalis divinitatis potentiam oſtendit, qui & per carnis aſſumptionem deſcendit, & per ejus glorificationem aſcendit, & dande nobis formam tendendi ad bona ſuperna, aſcendit etiam ab ortu ſolis, quod praedicator & largitor eſt paternae claritatis.* Poſtea arguens contra hanc expoſitionem Ricardi dicit: *Sicut Chriſtus non dicitur proprie eſſe ad imaginem Dei, ſed potius eſſe imago, ſic nec proprie dicitur habere ſignum Dei, immo ipſe eſt Deus & ipſa deitas. Bene tamen dicitur Iohannis VI. quod ipſum ſignavit Deus pater, id eſt, deitatem ſuam ſingulariter ſuae humanitati impreſſit, vel per aeternam generationem ſuae perſonae dedit, vel quia Chriſtum deſignavit & monſtravit eſſe vere filium ſuum & ſalvatorem noſtrum. Praeterea ſicut angelus ſextae tubae deſignat alium ſanctum a Chriſto & ſub Chriſto, quamvis Chriſtus bona opera ſeptem angelorum tuba canentium principaliter faciat tanquam prima & ſumma omnium cauſa bonorum, ſic & intelligendum eſt de angelo ſexti ſignaculi.* Quantum ad hoc quod reprehendit Richardum, reprehenſionem ejus temerariam & rationes ejus frivolas reputamus, & expoſitionem Richardi per omnia veriorem.

XXXIII. Triceſimus tertius in fine octavo capitulo dicit ſic. *Nota quod prima horum trium eſt horrenda laxatio & excaecatio circa finem quinti temporis, ita ut potius videatur eſſe Babylon quam Hieruſalem, & potius ſynagoga reproborum perſequens Chriſtum & ſpiritum ejus quam Eccleſia Chriſti. Secunda eſt deſtructio hujus Babylonis & ſubſequens tentatio magni Antichriſti. Tertia eſt tribulatio ſynagogae, & extremae damnationis judicium ſubſequens illam.* Haereticus quoad duo. Primo quantum ad

ad hoc quod dicit de Eccleſia quinti temporis; quia ex modo loquendi apparet quod loquitur de Eccleſia catholica, quae quandoque fuit Hieruſalem & Eccleſia Chriſti vera, quam ſic depravari, & Chriſtum perſequi & deſinere eſſe Eccleſiam Chriſti, ſynagogam fieri, ſicut dicit, haereticum eſt ut ſupra. Secundo quantum ad id quod ſubjungit de deſtructione hujus Babylonis, intelligendo ut ſupra.

XXXIV. Triceſimus quartus, nono capitulo exponens illud, *De fumo putei exierunt*, poſt duo folia & plus dicit. *Tertia vero tribulatio transfiget manus per apparentiam celebris auctoritatis Eccleſiae generalis & plebis multitudinis ſibi ſubditae & per apparentiam contrarii in ſpiritualibus viris. Unde & dicturi ſunt eos eſſe inobedientes & contumaces Praelatis ſuis & Eccleſiae & ſchiſmatice diviſos a tota multitudine Eccleſiae generalis. Pedes autem, per quos in fundamento ſolide figimur, transfigunt, quia contra ſcripturas & contra priorum patrum communia exempla & documenta dicent eos figi in propria ſtultitia.* Temeraria & irrationabilis & ad obſervandum impoſſibilis, & quia a communi & antiqua ſucceſſione & conſuetudine & etiam Chriſti & Apoſtolorum exemplo diſcedunt. Nam Chriſtus habuit loculos & recepit magna convivia, juxta quod de Matthaeo ſcribitur in Luca, quod fecit ſibi magnum convivium. Paulus etiam collectas pecuniae pro ſanctis procuravit & detulit, gloriaturque ſe habere poteſtatem exigendi ſumptus, ſicut & caeteri Apoſtoli. *Praeter hoc etiam adducent philoſophorum auctoritates & argumenta & exempla, ex quo adjicient etiam a fundamento naturalis rationis diſceſſiſſe. Latus vero transfigent favor amicitiae & gloriae & multorum beneficiorum ab eorum ſequacibus habitus ſanctiſque oblatus ſi eos ſequantur, & e contra.* Haereticus quantum ad hoc quod aperte innuit quod punitio juſta, quam facit Eccleſia in pertinaciter tenentibus ſectam ejus, fuerit vel ſit quaſi altera crucifixio vitae Chriſti & quaſi manuum & pedum & lateris ejus transfixio, ut exponit. Abſit enim quod Eccleſia catholica Chriſtum vere vel myſtice crucifigat. Per hoc autem quod in principio dicit, *per apparentiam celebris auctoritatis Eccleſiae generalis & per apparentiam contrarii in ſpiritualibus viris*, apparet quod eccleſiam carnalem, de qua tot mala evomuit, intelligit Eccleſiam Romanam & univerſalem contrariam hominibus ſectae ſuae, qui dicunt ſe eſſe ſpirituales.

XXXV. Triceſimus quintus in eodem capitulo paulo poſt ſubdit. *Sed ille qui dicitur aper de ſilva & ſingularis ferus, intolerabiliter exterminavit eam, ita ut non videntur eſſe vinea Dei, ſed potius ſynagoga diaboli. Iſte autem aper ſaepe dicitur myſticus Antichriſtus, aſſimilatus Caiphae Pontifici Chriſtum condemnanti & Herodi Chriſtum illudenti. Sequens autem aper, magnus ſcilicet Antichriſtus, aſſimilatur Neroni pagano imperanti toti urbi & Simoni mago dicenti ſe Deum & filium Dei.* Sequitur: *Vae unum abiit, & ecce veniunt adhuc duo vae. Duas tribulationes, maxime praedictam tribulationem, quamquam juxta modum prædictum ſit trina, vocat unum vae, quia omnes ſimul ſunt commixtae, & quia ſpectant ad idem quintum tempus, & in hoc quinto centenario ab imperio collato Karolo Magno omnes tres praecipue inundarunt, & quia ſecunda & tertia manant ex prima & fundantur in ipſa, & etiam quia omnes tres concurrent & convenient in fine contra ſpiritum Chriſti, ſicut Saducaei & Phariſaei ac Pilatus & Herodes convenerunt in unum contra Chriſtum, quamvis eſſent inimici & diverſarum ſectarum.* Haereticus quantum ad duo. Primo quantum ad hoc quod dicit de apro de ſilva & myſtico Antichriſto aſſimilato Caiphae & Herodi, hoc intelligendo, ut ex praecedentibus apparet, propter perſecutionem ſectae ſuae. Haereticum enim eſt dicere quod punitio juſta illorum qui ſunt ſchiſmatici & haeretici facta per Eccleſiam vel ejus auctoritatem, juſtum judicem in hoc faciat exterminatorem Eccleſiae aut Herodem aut myſticum Antichriſtum. Si autem aliter intelligat, prout jacet temerarium reputamus. Secundo quantum ad hoc quod dicit quod in hoc quinto centenario a Karolo Magno tres tribulationes concurrent & convenient contra ſpiritum Chriſti, ſicut Saducaei & Phariſaei, Herodes & Pilatus convenerunt in unum contra Chriſtum, intelligendo per ſpiritum Chriſti obſervantiam ſuae ſectae, & per hoc Eccleſiam ipſam perſequentem aſſimilando crucifixoribus Jeſu Chriſti. Alias prout jacet videtur nobis divinatio temeraria & conficta.

XXXVI. Triceſimus ſextus in eodem capitulo exponens illud *dicentem ſexto angelo*, dicit ſic, *Referendo tamen hoc ad tertium nuntium ſexti ſtatus, in quo ſolventur hoſtes evangelici ſtatus, poteſt per hos quatuor deſignari quadripartita diviſio Regum Chriſtianorum deſignata per quatuor Tetrarchas contemperaneos praedicationi & interfectioni Johannis & Chriſti, & iterum quadripartita diviſio cleri & religionis in contrarias ſententias & contentiones earum. Utraque enim diviſio deſignatur per quatuor partes veſtium Chriſti; & per quatuor milites diviſores & ſortitores earum. de quibus habetur Johannis decimonono. Tunica autem inconſutilis & indiviſa deſignat ſpecialem Eccleſiam illius temporis.* Haereticus quoad duo. Primo quoad hoc quod dicit, *Solventur hoſtes evangelici ſtatus*, ſtatum evangelicum intelligendo ſectam ſuam ab Eccleſia reprobatam, quae propter hoc magis ſtatus apoſtaticus eſt dicenda. Qui ſenſus ex verbis ſuis praecedentibus & ſequentibus colligitur evidenter. Quatripartita vero diviſio Regum Chriſtianorum deſignata per quatuor Tetrarchas & quadripartita diviſio cleri & religionis deſignata per quatuor partes veſtium Chriſti & quatuor milites diviſores, quae duo ſic vaticinatur futura, nobis videtur divinatio quaedam fatua & temeraria, & applicatio incongrua, & probatio nulla. Secundo quantum ad id quod dicit quod tunica inconſutilis, & indiviſa deſignat illius temporis, ſcilicet ſexti & ſeptimi, Eccleſiam ſpiritalem: quia per hoc innuit quod in primis quinque temporibus, vel in quinto tempore praecedenti, Eccleſia ſpiritualis non fuerit, ſed carnalis, nec per eandem tunicam Domini inconſutilem.

XXXVII. Triceſimus ſeptimus eodem capitulo paulo poſt dicit. *Item prout haec poſſunt deſignata referri ad tertium initium ſexti ſtatus, deſignatur per hoc aut diſceſſio fere omnium ab obedientia ſummi Pontificis, de quo dixit Apoſtolus ſecunda ad Theſſalonic. II.* Niſi venerit diſceſſio primum &c. *aut ceſſatio favoris ejus ad ſtatum evangelicum, per quem ejus aemuli ſunt uſque nunc impediti in ipſum irruere juxta votum. Poteſtas enim Papae & multitudo plebium ſibi obediens & favor ipſius eſt quaſi magnus fluvius Euphrates impediens tranſitum & inſultum aemulorum evangelici ſtatus in ipſum.* Haereticus quantum ad hoc quod dicit quod Eccleſiae favor ceſſabit ad ſtatum evangelicum aliquando. Item cum Papa ſive ſummus Pontifex de quo hic mentionem facit, praeſit Romanae Eccleſiae & univerſali ſeu catholicae, loquendo de ipſo & poteſtate ſua & plebe ſibi obediente, continuando ad praecedentia, manifeſte oſtendit quod per Eccleſiam carnalem, de qua tot & tanta mala dicit & praedicit, intelligit illam Eccleſiam quam nos catholicam appellamus.

XXXVIII. Triceſimus octavus exponens principium decimi capituli dicit ſic. *Sciendum quod ſicut ſanctiſſimus pater noſter Franciſcus eſt poſt Chriſtum & ſub Chriſto primus & principalis fundator & initiator & exemplator ſexti ſtatus & evangelicae regulae ejus, ſic ipſe poſt Chriſtum deſignatur primo per Angelum iſtum.* Et poſt dimidiam columnam ſubdit. *Poſuit etiam pedem dextram ſuper mare, quia ad Sarracenos convertendos & ad martyrium accipiendum ab eis cum ſummo ſtudio & fervore laboravit ter ire ad eos, prout ſcribitur in nono capitulo vitae ſuae, ſcilicet ſe-*

to anno a converſione ſua, tanquam angelus ſexti ſigilli. Et in ſignum quod per ejus ordinem ſunt in ſexto ſtatu Eccleſiae convertendi ad Chriſtum, & iterum tertio in decimo tertio anno converſionis ſuae in ſignum quod in decimo tertio centenario a paſſione & reſurrectione Chriſti inchoando ſunt Sarraceni & caeteri infideles per ejus ordinem cum multis martyriis convertendi. Unde & in ſua regula ſingulariter inſtituit modum eundi ad praedicandum ad Sarracenos, & alios infideles. Sicut enim in decimo tertio die a nativitate Chriſtus apparuit Regibus orientis, & conſimili die baptizatus eſt; et aquam in vinum convertit, et in decimo tertio anno abſentatus a matre, eſt ab ea inventus in templo, ſic in decimo tertio centenario a Chriſti ortu apparuit Franciſcus et ejus evangelicus ordo, ſed in decimo tertio a Chriſti morte et aſcenſione exaltabitur in cruce, et aſcendet ejus gloria ſuper totum orbem, prout pie convincitur ex ſcripturis, et ſpecialiter ex his quae tanguntur infra in quarta viſione hujus libri. Haereticus quantum ad hoc quod dicit quod beatus Franciſcus poſt Chriſtum fuit primus & principalis fundator ſexti ſtatus quem ſupra deſcripſit, intelligendo per comparationem ad Apoſtolos; per comparationem vero ad alios ſanctos ſui temporis, comparationem temerariam reputamus. Quod autem ſubdit per ordinem beati Franciſci convertendos in iſto decimo tertio centenario Sarracenos & caeteros infideles, & de crucifixione & exaltatione ejuſdem ordinis ſuper orbem, temerarium & fictitium reputamus, nec ſubnixum alicui probabili rationi nec ſcripturae authenticae quicquid dicit.

XXXIX. Triceſimus nonus poſt praedicta immediate ſubjungit. *Quia vero haec & ſequentia in futuris ejus operibus & diſcipulis clarius eniteſcunt, idcirco ſciendum quod a tempore ſolemnis impugnationis & condemnationis evangelicae vitae & regulae ſub myſtico Antichriſto fiendae & ſub magno amplius conſummandae ſpiritualiter deſcendet Chriſtus & ejus ſervus Franciſcus & angelicus diſcipulorum ejus coetus contra omnes errores & malitias mundi & contra totum exercitum daemonum & pravorum hominum.* Haereticus quantum ad ea quae dicit de condemnatione evangelicae vitae & regulae ſub myſtico Antichriſto, eo modo quo ſupra. Divinatio vero quam ponit de deſcenſu ſpirituali Chriſti & beati Franciſci & angelici coetus ſui videtur nobis temeraria & quaedam fictio adinventa.

XL. Quadrageſimus articulus poſt praedicta ad quindecim lineas dicit ſic. *Nam in prioribus quinque Eccleſiae ſtatibus non fuit conceſſum ſanctis, quantumcunque illuminatis, aperire illa ſecreta hujus libri, quae in ſolo ſexto & ſeptimo ſtatu erant apertius reſeranda, ſicut nec in primis quinque aetatibus veteris teſtamenti fuit Prophetis conceſſum clare aperire ſecreta Chriſti & novi teſtamenti in ſexta aetate ſaeculi reſeranda & reſerata. Ponet etiam pedem ſuum dextrum ſupra mare nationum infidelium & ſiniſtrum ſuper terram fidelium; quia principalis impetus & proceſſus ejus erit ad totum orbem convertendum ad Chriſtum, ſic tamen quod ex hoc non deſeret priorem Eccleſiam fidelium. Sicut enim tempore Apoſtolorum fuit principalis & quaſi dexter eorum proceſſus ad converſionem paganorum, ſecundarius vero & quaſi ſiniſter ad plebem Iudaeorum, quia ſenſerunt non ſe ita proſperaturos ſeu proſpere piſcaturos in terra Iudaeorum ſicut in mari paganorum, ſic & iſte angelus ſentiet non ſe ita proſperari in carnali Eccleſia Latinorum ſicut in Graecis & Sarracenis & Tartaris & tandem in Iudaeis.* Temerarius quantum ad hoc quod dicit non fuiſſe conceſſum ſanctis praecedentibus ſicut futuris aperire ſecreta Apocalypſis. Si autem intelligat quod nec fuerit eis datum illa intelligere, ſicut innuit ſimilitudo de Prophetis, hoc falſum & temerarium reputamus. Quod autem dicit quod angelus iſte non deſeret priorem Eccleſiam fidelium, & poſtea quod non ſentiet ſe ita proſperari in carnali Eccleſia Latinorum ſicut in Graecis, Sarracenis, Tartaris, & Iudaeis, manifeſtat eum in omnibus appellare Eccleſiam carnalem Eccleſiam fidelium Latinorum, quam temerarie & pernicioſe blaſphemat, dicens doctrinam evangelii plus in ſchiſmaticis & infidelibus quam in catholicis & obedientibus proſperari.

XLI. Quadrageſimus in eodem capitulo exponens illud, *Et dixit mihi, oportet te iterum praedicare*, dicit ſic. *In ipſa ſapientia libri expreſſe continetur quod oportet iterum praedicari evangelium in toto orbe & Iudaeis & gentibus, & totum orbem finaliter converti ad Chriſtum, ſed quod per iſtum eſſet implendum non poterat ſciri niſi per ſpecialem revelationem. Et hoc dico prout per Iohannem deſignantur hic ſingulares perſonae: quia ut per ipſum deſignatur in communi ordo evangelicus & contemplativus, ſcitur ex ipſa intelligentia libri quod per iſtum ordinem debet hoc impleri.* Et poſt duodecim lineas ſubjungit. *Sed quare dicit* iterum? *Numquid iſte jam antea praedicaverat? Dicendum quod li* Iterum *uno modo refertur ad praedicationem totius orbis factam primo per Apoſtolos. quaſi diceret. Sicut tunc per ordinem apoſtolicum prædicatus eſt totus orbis, ſic oportet ſecundo per te fieri. Poteſt etiam alio modo referri ad tempus præcurrens tentationem myſtici Antichriſti. in quo utique a tempore Franciſci uſque nunc ordo ille prædicaverit, quamvis non ſit late per totum orbem. Poteſt etiam referri ad tempus præcurrens ad magnum Antichriſtum. Nam in tempore medio inter myſticum Antichriſtum & magnum praedicaturus eſt ordo ille multis linguis & gentibus.* Temerarius quantum ad hoc quod innuit quod ſicut primo per ordinem apoſtolicum prædicatus eſt totus orbis, ſic ſecundo per ordinem beati Franciſci prædicabitur.

XLII. Quadrageſimus ſecundus undecimo capitulo exponens illud, *Et cum finierint teſtimonium ſuum, beſtia quae aſcendit de abyſſo faciet adverſus eos bellum, & vincet illos, et occidet illos*, poſt duodecim lineas dicit ſic. *Potius hic aſcribitur occiſio ſanctorum beſtiae aſcendenti de abyſſo quam beſtiae aſcendenti de terra, de qua infra decimo tertio ſubditur. Et per illam intelligitur Pſeudo-Papa cum ſuis pſeudo-prophetis, qui non ita immediate exercebit corporales interfectiones hominum ſicut beſtia ſaecularium laicorum & regum & militum.* Temerarius & blaſphemus quantum ad hoc quod dicit quod per beſtiam aſcendentem de terra intelligitur Pſeudo-Papa cum ſuis pſeudo-prophetis.

XLIII. Duodecimo capitulo exponens ſeptem capita draconis dicit ſic. *Poteſt etiam dici quod principales daemones, per quos principaliter factae ſunt principales tentationes Eccleſiae, ſunt ſeptem capita draconis, aut ejus ſeptiformis aſtutia & malitia, per quas inchoavit vel fecit vel facturus eſt tentationes praedictas, Caiphas etiam Chriſtum condemnans non primum caput fuit quam Herodes. Decem Imperatores pagani, per quos decem generales perſecutiones martyrum factae fuerunt, poſſunt dici primum caput. Nam omnes in hoc convenerunt in unum. Sic etiam omnes Arriani ſeu haeretici Imperatores & Reges & principales Arrianorum Pontifices & omnes haereſiarchae conveniunt in unum tertium caput. Omnes etiam carnales & laxi & Abbates quinti temporis, & praecipue illi qui major fuerunt cauſa & occaſio effraenatae & generalis laxationis quinti temporis, conveniunt in quintum caput. Sextum vero eſt myſticus Antichriſtus. Septimus erit magnus Antichriſtus cum Rege Monarcha ſibi cohaerente.* Schiſmaticus & hæreticus quantum ad hoc quod dicit quod omnes Abbates quinti temporis conveniunt in quintum caput beſtiae, qui eſt diabolus aut Antichriſtus aut congregatio malorum; quia multos de illis Abbatibus Eccleſia Romana aſcripſit catalogo ſanctorum, & eos pro ſanctis tenet univerſa fidelium Eccleſia.

XLIV. Decimo tertio capitulo circa finem dicit ſic.

Digitized by Google

ſic. *Cum autem apoſtatatrix beſtia de terra religioſorum aſcendet in altum cum duobus cornibus pſeudo-religioſorum & pſeudo-prophetarum ſalſoſimilibus veris cornibus agni, tunc erit validiſſima tentatio myſtici Antichriſti. Surgent enim tunc pſeudo-Chriſti & pſeudo-prophetæ, qui facient ab omnibus adorari cupiditatem & carnalitatem ſeu carnalem gloriam beſtiae ſaecularis, dabuntque ad haec ſigna magna, primo ſcilicet ſuae eccleſiaſticae auctoritatis, cui contradicere videbitur inobedientia & contumacia & rebellio ſchiſmatica, ſecundo univerſalis ſcientiae omnium magiſtrorum & doctorum ſuorum & totius multitudinis ſeu opinionis omnium, cui contradicere videbitur ſtultum & inſanum & haereticum; Tertio dabunt ſigna rationum et ſcripturarum falſo intortarum, et etiam ſigna alicuius ſuperficialis ac vetuſtae et multiformis religionis per longam ſucceſſionem ab antiquo firmatae et ſolemniſatae, ita ut cum his ſignis ignem dominicae irae ſuper contradictores videantur facere deſcendere, et e contra quaſi ignem ſancti et apoſtolici zeli videantur ipſi de caelo in ſuos diſcipulos facere deſcendere. Statuent etiam ut qui non obedierit anathematizetur & de ſynagoga ejiciatur, et ſi oportuerit, brachio ſæculari beſtiæ prioris tradatur. Facient etiam ut imago beſtiae primae, id eſt, Pſeudo-Papa, a Rege beſtiae primae ſublimatus adoretur, id eſt, ut ſibi pluſquam Chriſto et ejus evangelio credatur, et ut adulatorie quaſi Deus hujus ſeculi honoretur. Numerus autem nominis primae famoſae beſtiae et gloriæ ejus erit ſexcenteſimus ſexageſimus ſextus, tum quia tres ſtatus gloriabitur ſe perficere, laicorum, Clericorum, et religioſorum, ſeu inferiorum ac mediorum et ſuperiorum. Et forte a tempore remiſſionis quarti ſtatus uſque ad tempus iſtius erunt anni ſexcenti ſexaginta ſex. Nam quintus a Pipino uſque nunc habet jam quingentos ſexaginta annos, et a vaſtatione anachoretarum et cæterorum fidelium commorantium in Perſide et Syria et Ægypto eſt numerus prædictus cito complendus. Nam prout ſuperius dixi, anno Domini ſexcenteſimo triceſimo quinto ceperunt Sarraceni Regnum Perſarum, et poſt biennium capto Damaſco ceperunt Phœnicem et Ægyptum, et poſt biennium ceperunt Hieruſalem.* Divinatio temeraria & fatua quantum ad omnia quæ prophetat de beſtia religioſa aſcendente & pſeudo-religioſis & myſtico Antichriſto. Nam ante verum Antichriſtum ponere quendam myſticum Antichriſtum, in quo haec & ſimilia quæ de illo dicuntur compleantur, temerarium & fatuum reputamus. Quod autem ſubdit quod illi pſeudo dabunt ad hæc ſigna, *primo* quidem *ſignum ſuae eccleſiaſticæ auctoritatis &c.* per quod videtur innuere quod eccleſiaſtica auctoritas inducat homines ad peccandum, & quod tunc temporis contradicere eccleſiaſticae auctoritati non ſit inobedientia nec rebellio ſchiſmatica ſecundum veritatem, ſed tantummodo ſecundum apparentiam falſam, iſtud ut ſic haereticum reputamus. Quod vero ſubdit de ſecundo ſigno iſtorum pſeudo dabunt ſignum *univerſalis ſcientiae omnium magiſtrorum etc.* per quod videtur innuere quod contradicere univerſali ſcientiæ omnium magiſtrorum & doctorum Eccleſiæ non ſit ſecundum veritatem ſtultum nec inſanum, ſed ſic eſſe ſecundum ſolam falſam apparentiam videatur, dicimus temerarium & falſum. Item quod dicit quod illi pſeudo facient quod pſeudo-Papa adoretur, id eſt, ſibi pluſquam Chriſto & ejus evangelio credatur, divinatio temeraria eſt & blaſphema. Item quod dicit de pſeudo-Papa & numero beſtiæ uſque ad annos quos numerat de Pipino, divinatio fatua & temeraria eſt de ſingularibus contingentibus & futuris.

XLV. Poſt praedicta immediate ſubjungit. *Quidam ex pluribus quae Ioachim de Frederico ſecundo & eius ſemine ſcribit, & ex quibuſdam quae beatus Franciſcus ſecrete fratri Leoni & quibuſdam aliis ſociis ſuis revelaſſe fertur, opinantur quod Fredericus praefatus cum ſuo ſemine ſit reſpectu hujus temporis quaſi caput occiſum, & quod tempore myſtici Antichriſti ita reviviſcat in aliquo de ſemine ejus ut non ſolum Romanum imperium, ſed etiam Francis ab ipſo devictis obtineat regnum Francorum, quinque caeteris Regibus Chriſtianorum ſibi cohaerentibus. Statuet etiam in pſeudo-Papam quendam falſum religioſum, qui contra regulam evangelicam excogitabit & faciet diſpenſationem doloſam, promoveat in Epiſcopos profeſſores regulae praefatae ſibi conſentientes, & exinde expellens Clericos & priores Epiſcopos qui ſemini Frederici & ſpecialiter illi imperatori & ſibi & ſuo ſtatui fuerant adverſati, ac per conſequens omnes qui regulam praedictam ad purum & plene voluerint obſervare & defenſare. Praefatum autem cleri & regni Francorum caſum & aliquem alium illi annexum vel primum dicunt deſignari per terrae motum in initio apertionis ſexti ſigilli tactum, quamvis & praeter hoc deſignet ſpiritalem ſubverſionem & excaecationem fere totius Eccleſiae tunc fiendam. Quid autem horum erit vel non erit, diſpoſitioni divinae cenſeo relinquendam. Addunt etiam praedicti quod tunc in parte implebitur illud Apoſtoli ſecunda ad Theſſalonic. II.* Niſi venerit diſceſſio primum. *Dicunt enim quod tunc fere omnes diſcedent ab obedientia veri Papae, & ſequentur illum pſeudo-Papam; qui quidem erit pſeudo, quia haeretico modo errabit contra veritatem evangelicae paupertatis & perfectionis, & quia forte ultra hoc non erit canonice electus, ſed ſchiſmatice introductus.* Videtur nobis quantum ad omnia quae prophetat de futuro continere divinationem fatuam & temerariam, quicunque eam dixerit vel confinxerit ſeu adinvenerit, & reputamus fatuum & inſanum eam ſcribere vel referre.

XLVI. Decimo quarto capitulo exponens illud, *Ut evangelizaret ſedentibus ſuper terram*, dicit ſic. *Secundus autem angelus ſeu doctor praedicat amotionem praedicti impedimenti ad agendum praedicta ſeu expeditionem intrinſeci & domeſtici obſtaculi. Praedicat enim caſum Babylonis, id eſt Eccleſiae carnalis, dicens:* Cecidit Babylon illa magna. *Eccleſia carnalis ideo vocatur Babylon hic & infra decimo ſeptimo & decimo octavo, & tam ibi quam capitulo decimo nono vocatur meretrix magna, tum quia ordo virtutum eſt in ipſa & per deordinationem vitiorum enormiter confuſus, (Babylon enim confuſio interpretatur) tum quia in malo non ſolum intenſive ſed etiam extenſive eſt magna, ita quod boni ſic ſunt in ea ſicut pauca grana auri inter immenſos acervos arenae, & ſicut pauca grana tritici ſub immenſo cumulo palearum ſeu quiſquiliarum vel ſcopilliarum, tum quia ſicut filii Iſraël fuerunt in Babylone captivati & vehementer oppreſſi, ita ut David prophetice dicat,* Super flumina Babylonis illic ſedimus & flevimus, & in ſalicibus ejus ſuſpendimus organa noſtra dicentes, quomodo cantabimus canticum novum in terra aliena, *ſic ſpiritus juſtorum hujus temporis ſupra modum anguſtatur & opprimitur a principatu & prædominio & innumerabili multitudine Eccleſiæ carnalis, cui oportet eos, velint nolint, ſervire, tam quia publice & impudentiſſime adulteratur a ſuo ſponſo Chriſto, prout infra plenius tangetur. Unde & hic ſubditur,* quae vino fornicationis ſuae potavit omnes gentes: *quia ſicut vinum carnaliter delectat & inebriat, & ſuo fervore & ebrietate ad iram effrenatam & furibundam provocat, ſic carnalis Eccleſia ſe & omnes gentes ſibi ſubjectas inebriavit & corrupit foedis carnalitatibus & ſimoniacis cupiditatibus & terrena gloria hujus mundi; & dum erat in paganiſmo, inebriavit omnes idololatria ſua; & tunc & nunc tanquam ebria exarſit in iram contra viros ſpirituales & contra vires & influxus ſpiritus ſancti. Dicitur autem hic bis* cecidit, *tum ad majorem expreſſionem ſui caſus, tum ad majorem exaggerationem gravitatis ſeu magnitudinis ſui caſus, tum quia dupliciter cecidit, ſcilicet interius ſpiritaliter, & exterius corporaliter, tam quia per temporale exterminium cecidit in mundo, deinde ad æternum*

ſupplicium cecidit in inferno. Nota quod ſicut ante ejus caſum malitia & poteſtas ejus ſupra modum impedivit & anguſtavit ſpiritum electorum & converſionem totius orbis, ſic ejus exterminium erit ſanctis quaſi exitus de carcere ad libertatis latitudinem & volatum, & exitus de tenebroſiſſimo fumo fornacis ad lucem ſolarem, & ſicut exoneratio a lapide molari ſeu a monte immenſo. Haereticus quoad multa. Quod enim primo dicit quod Eccleſia carnalis vocatur Babylon & meretrix magna, ita quod boni ſic ſunt in ea ſicut pauca grana auri inter immenſos acervos arenae &c. manifeſtat quod per Eccleſiam carnalem in omnibus praecedentibus & ſequentibus intelligit noſtram Eccleſiam, quæ a ſanctis Eccleſia catholica nuncupatur, quae ſola ſimul habet bonos cum malis, in qua multi vocati, pauci vero electi. Quo ſuppoſito, apparet haereticum & blaſphemum illud quod de iſta ſancta Eccleſia catholica ſubjungit, ſcilicet quod ipſa publice & impudentiſſime adulteratur a ſuo ſponſo Chriſto. Item quod ſubdit de eadem Eccleſia, quod & ſe & omnes gentes ſibi ſubjectas corrupit fœdis carnalitatibus & ſimoniacis cupiditatibus & terrena gloria hujus mundi, & quod nunc exarſit in iram contra viros ſpirituales & contra vires & influxus ſpiritus ſancti, & quod cecidit interius ſpiritualiter & exterius corporaliter, & quod per temporale exterminium cecidit in mundo, deinde ad aeternum ſupplicium cecidit in inferno, & quod ejus malitia & poteſtas impedivit & anguſtavit ſpiritum electorum & converſionem totius orbis, & quod ipſa ſit exterminanda, & quod ejus exterminium erit ſanctis quaſi exitus de carcere ad libertatis latitudinem & volatum, & exitus de tenebroſiſſimo fumo fornacis ad lucem ſolarem, & ſicut exoneratio a lapide molari ſeu a monte immenſo, omnia haec, prout jacent dicta de Eccleſia, ſimpliciter reputamus erronea, haeretica, & blaſphema, ſic ut haec omnia poſſint verificari de multis malis qui infra Eccleſiam nomine, fide, & numero continentur.

XLVII. Eodem capitulo exponens illud. *Vidi & ecce nubem candidam* dicit ſic. *Poteſt dici quod principaliter deſignat hic evangelicum ordinem ſanctorum Chriſto & ejus vitæ ſimilium & regiam ſeu pontificalem coronam ſeu auctoritatem circa finem ſaeculi habiturorum cum poteſtate & officio colligendi finalem meſſem electorum. Unde & eorum ordo deſignatus eſt ſupra capitulo decimo per angelum amictum nube in cujus capite erat Iris quaſi corona.* Item paulo poſt dicit. *Sicut enim completis quatuor decadibus generationum, id eſt, quadraginta generationibus ab Abraham, meſſio per Apoſtolos facta, ſic nunc poſt quadraginta generationes ab illa meſſione quæ & fuit ſeminatio Eccleſiæ, ſequitur meſſio populi Iudaici & totius orbis per ordinem evangelicum fienda.* Haereticus quantum ad hoc quod dicit evangelicum ordinem futurum habiturum regiam & pontificalem coronam, auctoritatem, officium, poteſtatem, per hoc intelligendo, ſicut in ſuperioribus expreſſit, poteſtatem ab Eccleſia Romana & univerſali, quae nunc eſt, transferendam in ordinem illum evangelicum, quem fingit, aut in aliam quandam novam Hieruſalem & ſpiritualem Eccleſiam, quam utroque modo ſuperius nominavit. Quod autem poſtea ſubdit, quod poſt quadraginta generationes a meſſione per Apoſtolos facta ſequetur meſſio Iudaici populi & totius orbis, intelligendo quod poſt ſtatim & immediate illud fiat, ſicut modus loquendi innuit, divinationem falſam & temerariam reputamus.

XLVIII. Decimo ſexto capitulo exponens illud, *& quintus Angelus effudit*, dicit ſic. *Nota quod ſicut poſt quatuor animalia quatuor primos ſtatus ſanctorum deſignantia ſublimata eſt generalis ſedes Romanæ Eccleſiæ cæteris patriarchalibus ſeu orientalibus Eccleſiis a Chriſto & ab ejus vera fide refectis, ſic in eodem quinto tempore poſt quatuor beſtias a Daniele viſas quatuor primis ſanctorum ordinibus contrarias ſublimata eſt ſedes beſtiae, id eſt, beſtialis catervae, ita ut numero & poteſtate praevaleat & fere abſorbeat ſedem Chriſti, cui localiter & nominaliter eſt commixta. Unde & ſic appellatur Eccleſia fidelium ſicut & illa quae vere eſt per gratiam ſedes & Eccleſia Chriſti. Super hujuſmodi vero malitiam non ceſſant zelatores ſancti hujus quinti temporis effundere phialam deteſtationis & celebris increpationis, ita quod regnum ejus, velit nolit, evidenter apparet omnibus & etiam ipſiſmet tenebroſum, id eſt, foedo & enormi luxuria & avaritia & ſimonia & ſuperbia & doloſa negotiatione & aſtutia & fere omnium malitia diſſipatum & abominandum. Unde & infra vocatur Babylon, meretrix habens in manu ſua poculum aureum plenum abominatione. Per hanc autem ſedem beſtiae principaliter deſignatur carnalis clerus in hoc quinto tempore regnans & toti Eccleſiae praeſidens, in quo quidem beſtialis vita praecellenter & ſingulariter regnat & ſedet ſicut in ſua principali ſede & longe pluſquam in laicis & plebibus ſibi ſubjectis.* Haereticus quoad quatuor. Primo quantum ad hoc quod dicit de ſede beſtiae praevalente contra ſedem Chriſti, quod dicitur Eccleſia fidelium: quia cum nulla dicatur Eccleſia fidelium numero & poteſtate praevalens alii Eccleſiae niſi Eccleſia Romana & univerſalis Romanae adhaerens tanquam capiti, ſequeretur quod Eccleſia Romana & catholica eſſet ſedes beſtiae, & non eſſet vere ſedes & vere Eccleſia Chriſti. Secundo quantum ad hoc quod dicit vel ſubdit quod hujus Eccleſiae regimen apparet omnibus & ipſiſmet tenebroſum & fere omnium malitia diſſipatum & abominandum: quia licet multi ſint in Eccleſia numero, fide, & nomine quibus haec vitia abundent, ſemper tamen regimen Eccleſiae eſt lucidum, indiſſolubile, & honorandum. Tertio quantum ad hoc quod ſubdit de iſta eadem Eccleſia, *& infra vocatur Babylon, meretrix habens in manu ſua poculum aureum plenum abominatione.* Hoc enim haereticum eſt & blaſphemum, cum illud ſit dictum de Eccleſia malignantium, id eſt, de Babylone civitate diaboli, quae eſt congregatio ſolorum malorum. Quarto quantum ad hoc quod ſubdit quod per ſedem beſtiae principaliter deſignatur carnalis clerus in hoc quinto tempore regnans & toti Eccleſiae praeſidens. & caetera quae ſequuntur. Haec enim verba, prout jacent & prout ſonant, in condemnationem univerſorum Eccleſiae quinti temporis Praelatorum, videntur nobis ſchiſmatica, haeretica & blaſphema.

XLIX. In eodem capitulo exponens illud, *et ſextus angelus*, dicit ſic. *Quidam dicunt quod per inteſtina prælia Regum et Regnorum Eccleſiæ Romanae ſiccabitur ſeu deficiet robur, et multitudo ſuorum exercituum, et hoc erit præambula praeparatio ad ſequuturam deſtructionem carnalis Eccleſiae et ſui principatus et regni fiendam per decem Reges et per Regem undecimum eis praeſidentem.* Haereticus quantum ad hoc quod dicit ſequuturam deſtructionem carnalis Eccleſiae, intelligendo ut ſupra. Quod autem dicit ſequuturam deſtructionem principatus & regni Eccleſiae, intelligendo de temporali & terreno, divinatio eſt temeraria, niſi quod tempore Antichriſti. Intelligendo autem de ſpirituali principatu & regno ſacerdotali, haereticum ut ſupra.

L. articulus. Eodem capitulo paulo poſt dicit ſic: *Poteſt etiam dici quod tempore Antichriſti myſtici zelus ſanctorum evangelicorum ſic percutiet exceſſivam opulentiam & faſtuoſam ſuperbiam & Babylonicam ſcientiam & doctrinam carnalis Eccleſiæ quod ex hoc contra ſanctorum doctrinam & vitam & zelum acrius excandeſcent quaſi omnino ſiccabitur a ſpiritali ſapientia & virtuali gratia & opulentia Chriſti. Ex quo etiam ulterius ſequetur deſiccatio ſuæ Babylonicæ ſcientiae, juxta quod in Judaeis & in Graecis ab Eccleſia catholica recedentibus non ſolum exſiccata eſt virtus & ſapientia Chriſti, ſed etiam alia, ita ut pateant omni errori & ſubjectioni. Haec igitur eſt praeparatio ad facilius perducendum in carnalem Eccleſiam errores Antichriſti magni & orienta-*

lium

Digitized by Google

lium Regum Haereticus quantum ad quatuor. Primo quantum ad hoc quod vocat Babylonicam ſcientiam & doctrinam carnalis Eccleſiae. Secundo quantum ad hoc quod dicit quod Eccleſia contra ſanctorum doctrinam & vitam & zelum acrius excandeſcet. Tertio quantum ad hoc quod innuit quod Eccleſia ſiccabitur a ſpiritali ſapientia & virtute, ſicut factum eſt in Judaeis & Graecis. Quarto quantum ad hoc quod innuit quod in eandem introducentur errores Antichriſti magni, intelligendo haec omnia de Eccleſia catholica ſicut prius.

LI. Ibidem poſt decem lineas de tribus ſpiritibus immundis ſubjungit. *Dicuntur autem tres & a trino ore exire, tamen in myſterium trinitatis peſſime ſanctae trinitati perſonarum Dei & virtutum ejus oppoſitae, tum quia a duplici gente ſeu a duobus capitibus ejus, in quibus draco ſeu diabolus erit principalis & primus motor, mitteatur ſcilicet a Rege gentis paganae vel Sarracenicae & a Pſeudo-Papa vel a pſeudopropheta principe pſeudo-prophetarum, tum quia tres ſpecies nuntiorum & ſuggeſtorum in hoc concurrent, ſcilicet milites ſeu militares, & hi exibunt ſeu mittentur a pſeudo-propheta; inter hos autem erunt quidam pſeudo-religioſi draconis fallacia & hypocryſi fraudulenta magis pleni; & hi per quandam antonomaſiam mittentur a dracone.* Divinatio temeraria.

LII. Paulo poſt dicit: *Unde & quidam putant quod tam Antichriſtus myſticus quam proprius & magnus erit Pſeudo-Papa caput pſeudo-prophetarum, & quod per ejus & ſuarum pſeudo-prophetarum conſilia & cooperationes acquiretur imperium illi Regi per quem ſtatuetur in ſuo falſo papatu. Sed illa Rex qui ſtatuet eum, faciet ipſum ultra hoc adorari ut Deum.* Totum hoc eſt divinatio fatua & temeraria. & credimus quod conficta.

LIII. Exponens illud in capitulo, *Et terrae motus factus eſt magnus*, dicit ſic. *Talis terrae motus ſic magnus prout dicit praeambulum caſus Babylonis ſexto tempore fiendi eſt ſubverſio & commotio ſub myſtico Antichriſto fienda, per quam tota carnalis Eccleſia terribiliter excaecabitur & commovebitur contra evangelicum ſpiritum Chriſti.* Et paulo poſt ſubdit. *Semper autem his ſequitur diviſio quae ſuodis & facta eſt civitas magna in tres partes infra in fine decimi ſeptimi, cum dicitur quod mulier quam vidiſti eſt civitas magna quae habet regnum ſuper Reges terrae. Haec ergo eſt Eccleſia carnalis tam Romae quam in toto regno Romanorum ſeu Chriſtianorum diffuſa &c.* Haereticus & blaſphemus quantum ad tria. Primo quantum ad hoc quod dicit de caſu hujus Babylonis. Secundo quantum ad hoc quod dicit totam carnalem Eccleſiam excaecandam. Tertio quantum ad hoc quod dicit quod ipſa commovebitur contra ſpiritum Chriſti; quia per hoc quod ſubdit de ipſa, *Haec ergo eſt Eccleſia carnalis tam Romae quam in toto regno Romanoram ſea Chriſtianorum diffuſa*, manifeſtat quod hic & ubique Babylonem carnalem Eccleſiam vocat Eccleſiam Romanam; quae una exiſtens, ſola diffunditur ſic ubique.

LIIII. Decimo ſeptimo capitulo circa principium dicit ſic. *Nota quod haec mulier ſtat hic pro Romana gente & imperio, tam prout fuit quondam in ſtatu paganiſmi quam prout poſtmodum fuit in fide Chriſti, multis tamen criminibus cum hoc mundo fornicata. Vocatur ergo meretrix magna, quia a fideli cultu & a ſincero amore & deliciis Dei Chriſti ſponſi ſui recedens adhaeret huic ſaeculo & divitiis & deliciis ejus & diabolo propter iſta, & etiam Regibus & magnatibus & Praelatis & omnibus aliis amatoribus hujus ſaeculi.* Hæreticus quoad omnia mala quae dicit de hac muliere, per Romanam gentem & imperium intelligendo Eccleſiam Romanam & univerſalem, ſicut ſua principia & verborum connexio manifeſtant.

LV. Decimo octavo capitulo circa principium dicit ſic. *Subditurque hic cauſa, quia de ira fornicationis ejus, id eſt, ſecundum Richardum, de ardore fornicationis ejus, pro qua iraſcitur ei Deus, vel de deliciis ſuæ fornicationis, pro quarum læſura vel impeditione iraſcitur contra quoſcunque impedientes vindex læſæ concupiſcentiæ, biberunt, id eſt, voluptuoſe participaverunt omnes gentes, id eſt, ſubditi, & Reges terræ, id eſt, Prælati & Principes cum illa fornicati ſunt, id eſt, per ſimonias & carnales favores & glorias cum illa corrupte & impudenter commixti ſeu juncti, & mercatores terræ, qui ſcilicet cum ea contractus ſimoniacos pro præbendis & ſpiritualibus vel quibuſcunque fecerunt, de virtute, id eſt, de forti ardore & ſapore & grandi copia deliciarum ejus divites facti ſunt, id eſt, per varias & ſtudioſas negotiationes ſe de illius gloria repleverunt, non curantes de gloria Dei*, Hæreticus quantum ad hoc quod dicit de ira fornicationis ejus, ſcilicet Eccleſiæ carnalis, pro qua iraſcitur ei Deus, & quod de ejus delitiis prælati & ſubditi univerſi ſunt corrupti per eam, quia intelligit hoc de Eccleſia catholica eſſe dictum, quaſi Deus illi perpetuum iraſcatur & per ipſam homines corrumpantur. quod hæreticum cenſemus. Nec Richardus hoc exponit de Eccleſia, ſed de Babylone, quæ eſt civitas diaboli, malorum ſcilicet congregatio ſecundum Auguſtinum.

LVI. Exponens illud, *Et audivi aliam vocem de cælo dicentem*, dicit ſic, *Et nota quod principaliter loquitur de exitu ab imitatione & participatione ſcelerum ejus, & etiam ab omni amicitia vel ſocietate ipſius praebente occaſionem. Plus autem praecipit hoc modo exire ab ea quam a paganis; quia facilius inficiuntur infideles a ſocietate pravorum fidelium vel haereticorum quam a paganis. Unde Apoſtolus prima Corinthiorum quinto dicit:* (Scripſi vobis ne commiſceamini, *id eſt, ne communicetis*, fornicariis hujus mundi &c.) Et poſt quinque lineas dicit ſic. *Secundario autem poteſt loqui de corporali & locali receſſu a terra ipſius pro illo tempore quo erit a decem regibus paganis obſidenda & deſtruenda. Sic enim dicuntur Chriſtiani per angelum moniti fuiſſe ut exirent de Iudaea & Hieruſalem tempore quo fuit a Romanis obſidenda & capienda. Unde & dicuntur tunc inde diſceſſiſſe in regnum Agrippae. Si quaeratur quomodo praecepit hic exire de Babylone, cum mox praemiſerit ipſam cecidiſſe & deſtructam eſſe, poteſt primo dici, quando ibi dicitur* cecidit cecidit Babylon. &c. *hoc dixit pro imminenti caſu ejus, ex quo reputabat illum quaſi jam factum, ſicut de aegro deſperato & ſtatim morituro dicimus* Mortuus eſt. *Secundo poſſet dici quod ibi locutus eſt de caſu excaecationis ejus ſub myſtico Antichriſto, quem ſancti tunc temporis fortiter praedicabunt, dicentes quod ex tunc non eſt Eccleſia Chriſti, ſed ſynagoga ſatanae & habitatio daemonum.* Et poſt decem lineas dicit. *Quia in corde ſuo dicit, ſcilicet ſuperbiendo.* Sedeo regina, *id eſt, in magna praeſidentia & gloria ſuper regnum meum dominor & quieſco*, & vidua non ſum, *id eſt, non ſum deſtituta glorioſis Epiſcopis & Regibus.* Haereticus, ſchiſmaticus, blaſphemus quantum ad quinque. Primo quantum ad hoc quod dicit de Eccleſia ſpiritualiter & corporaliter exeundum, ſecundo quantum ad hoc quod dicit quod magis eſt exeundum de ſocietate pravorum fidelium quam paganorum, tanquam facilius infectiva: tertio quantum ad hoc quod dicit de ejus caſu & deſtructione: quarto quantum ad hoc quod dicit quod deſinit vel deſinet eſſe Eccleſia Chriſti, facta vel fienda ſynagoga ſatanae & habitatio daemonum: quinto quantum ad hoc quod dicit quod ipſa eſt illa meretrix quae dicit *Sedeo Regina &c.* Quia per hoc quod dicit de iſta Eccleſia de qua loquitur, *ex tunc non eſt Eccleſia Chriſti, ſed ſynagoga &c.* patet quod loquitur de illa Eccleſia catholica quae nunc eſt vere Eccleſia Chriſti, de qua omnia ſupradicta ſunt haeretica, ſchiſmatica, & blaſphema.

LVII.

Digitized by Google

LVII. In principio decimi noni capituli dicit ſic. *Poſt haec audivi, deſcripta damnatione Babylonis, ſubditur hic feſtivale gaudium ſanctae Eccleſiae, quod erit poſt damnationem Babylonis. Sicut enim Vaſthi Regina a regno & conjugio Regis Aſſueri abjecta, electa eſt Heſter humilis & ſancta ad ejuſdem Regis connubium & regnum, fecitque ex hoc Rex magnificum convivium cunctis principibus & ſervis ſuis, ſic rejecta ſynagoga, electa eſt Eccleſia pulchritudinis gentium, ſicque in ſexto ſtatu Eccleſiae, rejecta Babylone adultera, oportet ſpiritalem Eccleſiam exaltari & celebre ac ſpiritale convivium poſt ejus nuptias celebrari.* Haereticus quoad totum quod dicit de Eccleſia: quia hic venenum ſuum manifeſte evomit dicens Eccleſiam quae nunc eſt, Chriſti ſponſam, a Chriſto rejiciendam & damnandam, nova quadam alia ſpirituali Eccleſia deſponſata, ſicut prima fuerat deſponſata, rejecta & damnata veteri ſynagoga.

LVIII. Viceſimo capitulo in dictione ſexta columna dicit ſic. *Nos autem ſumus in viceſimo centenario urbis Romae & in triceſimo Chriſti deſignato ſecundum eum per quinque, quod in ultimo labiorum quaſi aſpirando profertur. Unde & ſecundum eum deſignat quod in fine hujus centenarii carnalis Eccleſia ſeu Babylon expirabit, ut in ſequenti centenario deſignato per decimam litteram, quae habet formam crucis, & fuit per Caeſarem Auguſtum circa Chriſti adventum inventa, renovetur & exaltetur crux Chriſti. Et poſt haec ſequuntur litterae a Graecis ad Latinos deductae, deſignantes dilatationem Eccleſiae ad Graecos & ad omnes gentes. Haec breviter recitavi. Nihilominus hoc certum, nec etiam aliquam rationem ad hoc vel ad oppoſitum magno nomine dignum; niſi quod ſcriptura more ſuo nobis utili deſignat a tempore ſexti & ſeptimi ſtatus extremum judicium imminere & quaſi in januis eſſe. Prædictam tamen mediam horam ſilentii ſub ſeptimi ſigilli apertione fiendi adaptant ad numerum ſupradictum. Dicunt enim quod a Chriſto uſque ad crucifixionem fiendam ſub Antichriſto & in centenario deſignato per decem ſunt tredecim centenarii ad minus. ſeptingenti autem anni vel ſexcenti dandi ſeptimo ſtatui ſunt quaſi medietates tredecim centenariorum. Dicunt etiam quod ex hoc non oportet ſciri diem vel annum adventus Chriſti ad finale judicium, quia ſub iſtis numeris generalibus non explicantur dierum vel menſium vel annorum minutiae, quæ quidem propter exigentiam variorum myſteriorum diverſificantur, & etiam claudunt præciſos & punctales terminos generalium numerorum.* Hæreticus & ſchiſmaticus quoad hoc quod eſt ab eo hic recitatum, quod carnalis Eccleſia, quam, ut ſæpedictum eſt, intelligit univerſalem, in illo centenario expirabit. Nec eſt verum, ſed ridiculoſum & ſuperſtitioſum, quod quinta littera hoc deſignet. Quod dicit additionem litterarum Græcarum ad Latinas ſignificare dilatationem Eccleſiae ad Græcos & ad omnes gentes, quicunque hoc dixerit, ridiculoſum & fictitium reputamus. Quod recitat opinionem dicentem quod erunt ad minus tredecim centenarii a Chriſto uſque ad Antichriſtum, pro tempore pro quo loquebatur temeraria fuit opinio; quia determinatio temporis in plus vel in minus uſque ad Antichriſtum comprehendens aliquid de futuro temeraria reputatur. Item quod dicit quod ſeptingenti vel ſexcenti anni ſint dandi ſeptimo ſtatui quem ſupra dixit incipere a morte Antichriſti, tum ratione determinationis, tum ratione prolongationis, erroneum reputamus.

LIX. Viceſimo primo capitulo exponens illud, *& habebat numerum*, dicit ſic. *Nota etiam quod ad ædificandam urbem primo invenitur locus & foduntur foſſata, ſecundo ibi ponuntur fundamenta & ædificantur muri, tertio ſtatuuntur portæ & ædificantur domus. Primum autem horum pertinet ad primum ſtatum qui fuit ante Chriſtum humanatum, ſecundum vero ad ſecundum, tertium autem ad tertium. Primo enim electus eſt populus Iſraël, ut fieret in eo præparatio hujus nobilis civitatis. Secundo in adventu Domini electi ſunt duodecim Apoſtoli, ut eſſent in fundamentis civitatis, & poſt ipſos filii in fide de populo gentili, ut tranſirent in muros civitatis. Cum autem venerit tempus converſionis Iſraëlis, & iterum totius orbis, tunc ſtatuentur duodecim portæ duodecim Apoſtolis ſimiles, per quas univerſus populus fidelis intrabit civitatem.* Divinatio fatua & temeraria videtur, quantum ad hoc quod dicit in finali tempore ſtatuendas duodecim portas Apoſtolis ſimiles per quas mundus introeat civitatem.

LX. Eodem capitulo exponens portas duodecim dicit. *Sciendum igitur quod licet per Apoſtolos & per alios ſanctos ſecundi generalis ſtatus Eccleſiae intraverit multitudo populorum ad Chriſtum tanquam per portas civitatis Dei, nihilominus magis appropriate competit hoc principalibus doctoribus tertii generalis ſtatus, per quos omnis Iſraël & iterum totus orbis intrabit ad Chriſtum. Sicut enim Apoſtolis magis competit eſſe cum Chriſto fundamenta totius Eccleſiae & fidei Chriſtianae, ſic iſtis plus competit eſſe portas apertas & apertores ſeu explicatores ſapientiae Chriſtianae. Nam ſicut arbor, dum eſt in ſola radice, non poteſt ſic tota omnibus explicari ſeu explicite monſtrari ſicut quando eſt in ramis & foliis ac floribus & fructibus conſummata, ſic arbor ſeu fabrica Eccleſiae & divinae providentiae ac ſapientiae in ejus partibus diverſimode refulgentis & participatae non ſic potuit nec debuit ab initio explicari ſicut in ſua conſummatione poterit & debebit. Et ideo ſicut ab initio mundi uſque ad Chriſtum crevit ſucceſſive illuminatio populi Dei & explicatio ordinis & proceſſus totius veteris teſtamenti & providentiae Dei in fabricatione & gubernatione, ſic eſt & de illuminationibus & explicationibus Chriſtianae ſapientiae in ſtatu novi teſtamenti. Quod autem hic per duodecim portas magis deſignentur illi per quos duodecim tribus Iſraël intrabunt ad Chriſtum, patet ex hoc quod dicit nomina duodecim tribuum Iſraël eſſe ſcripta in his portis ſicut nomina duodecim Apoſtolorum & agminum ſunt ſcripta in fundamentis.* Temerarius, erroneus, & blaſphemus quantum ad hoc quod dicit quod magis appropriate & plus competit doctoribus tertii generalis ſtatus, qui eſt ſextus & ſeptimus ſpecialis, eſſe portas introducentes apertas & apertores ſeu explicatores ſapientiae Chriſtianae quam Apoſtolis. Nec eſt ſimile de arbore & Eccleſia, nec de Apoſtolis & Prophetis.

In cujus rei teſtimonium nos omnes magiſtri ſuperius nominati ſigilla noſtra praeſentibus duximus apponenda.

In codice veteri haec quae ſequuntur adjecta erant poſt judicium magiſtrorum ſupra deſcriptum.

QUaeritur utrum iſti articuli infra ſcripti & quilibet eorum ſint haeretici judicandi. Vide ſupra pag. 250. & infra pag. 276.

Primus eſt dicere & aſſerere pertinaciter quod non eſt obediendum alicui Praelato praecipienti quibuſdam profeſſoribus regulae ordinis beati Franciſci quod deponant quoſdam habitus curtos & ſtrictos difformes ab habitu communitatis aliorum dictae regulae profeſſorum, quos aſſumpſerunt per ſe ipſos, & quod nullus mortalium eos poteſt cogere ad ipſos habitus dimittendos, ex eo quod illud quod eſt contra obſervantiam praefatae regulae beati Franciſci & ejus intelligentiam eſt per conſequens contra evangelium & fidem, & e converſo, alias ipſa non eſſet penitus pro regula evangelica. Sed tales habitus impugnare & eos ad deponendum cogere eſt contra veritatem dictae regulae, & per conſequens contra evangelium & fidem, & eſt verbo & facto Chriſti

evan-

Digitized by Google

evangelium & ejus regulam impugnare, & quod ex hoc ſequeretur deſtructio vitae Chriſti, & eſt Chriſtum de ſynagoga eiicere, & quod illi qui procedunt contra fratres portantes dictos habitus curtos & ſtrictos ſunt in errore contra veritatem evangelicæ regulae, & per conſequens contra veritatem evangelii & fidei.

Secundus aggravans & conſentiens ad primum eſt quod Dominus Papa non habuit nec habet quandam poteſtatem nec auctoritatem faciendi conſtitutionem quam de conſilio Cardinalium fecit, quae incipit: *Quorundam*, in qua praelatorum dicti ordinis judicio commiſit determinare & arbitrari cujus longitudinis & latitudinis, formae ſive figurae, & ſimilium accidentium debeant eſſe habitus profeſſorum dictae regulae, & cujus quantaeque vilitatis veſtimentis indui ipſos fratres oportet, ac inſuper determinare, arbitrari, & praecipere quo caſu, qualiter, ubi, & quando, & quotiens granum, panem, & vinum pro vitae fratrum neceſſariis fratres ipſi quaerere debeant, conſervare, ſive reponere; & diſtricte praecipiendo mandavit quod in praedictis & his ſimilibus eorumdem praelatorum arbitrium, determinationem, ſive judicium ſequi illiſque parere per omnia teneantur; & in virtute obedientiae & ſub excommunicationis poena mandavit quod dicti fratres, qui dictos habitus curtos & ſtrictos aſſumpſerant, ad mandatum generalis Miniſtri dicti ordinis deponerent, & aliis ſecundum ipſius generalis Miniſtri arbitrium ſive judicium induerentur, ipſique generali in omnibus iſtis & aliis per omnia ſecundum beati Franciſci regulam & declarationes editas ſuper ea & ad praedictam ordinationem humiliter obedirent.

Tertius. Item quod nec Papae nec praelatis dicti ordinis obediendum eſt in his quae in praefata conſtitutione continentur, ex eo quod praedicta in dicta conſtitutione contenta ſunt contra conſilium Chriſti & dictam regulam, contra quae Papa non poteſt.

Ad quae dicendum eſt quod praedicti articuli & quilibet eorum ſunt haeretici manifeſte, cum repugnent veritati evangelicae & auctoritati & poteſtati Papae & Eccleſiae & maxime impingunt in illum articulum, *ſanctam Eccleſiam, ſanctorum communionem*, cum devient a fide quam communiter docet & tenet univerſalis Eccleſia, & falſam & novam opinionem inducunt in ipſa fide.

I. Ego frater Vitalis tituli ſancti Martini in montibus Presbyter Cardinalis & ſacrae theologiae Doctor judico & aſſero omnes ſupradictos articulos & quemlibet eorum eſſe haereticos & damnatas haereſes continere. In cujus rei teſtimonium manu propria ſubſcripſi, & ſigillum meum feci appendi.

II. Et ego frater Berengarius de Landorra electus Compoſtellanus, licet indignus, dico & credo ſupradictos articulos & quemlibet eorum eſſe haereticos & damnatas haereſes continere, & ſubſcribens ſigillum meum appoſui.

III. Ego frater Guillelmus de Lauduno ordinis fratrum Praedicatorum, ſacrae theologiae magiſter & lector ſacri palatii, licet indignus, aſſero dictos articulos & quemlibet eorum eſſe haereticos judico & affirmo. In cujus rei teſtimonium manu propria me hic ſubſcripſi, & ſigillum meum praeſentibus feci appendi.

IIII. Ego frater Deodatus Caſtrenſis Epiſcopus, ſacrae theologiae profeſſor, idem dico quod frater Guillelmus de Lauduno immediate praeſcriptus. In cujus rei teſtimonium facio ſigillum meum praeſentibus appendi.

V. Ego frater Raymundus Epiſcopus ſancti Flori & decretorum Doctor, credo & dico ſupraſcriptos articulos & eorum quemlibet eſſe haereticos & pertinaces, aſſertores eorum fore ſicut haereticos condemnandos. In cujus rei teſtimonium ſigillum meum feci praeſenti ſcripturae appendi, & eidem ſubſcripſi.

VI. Ego frater Guido Terreni ordinis fratrum beatae Mariae de Carmelo, ſacrae theologiae doctor, conſiderans declarationem & praeceptum Domini Papae quod fratres Minores debeant ſuis ſuperioribus, immo ſibi & ſuis ſtatutis ſuper hoc obedire, cum non declaraverit, nec praeceperit niſi licitum, & oppoſitum, ſcilicet non obedire, illicitum, dicere autem illicitum, ſcilicet non obedire, eſſe licitum, eſt haereticum. quod dicunt praedicti articuli, & eorum quilibet. Ideo judico praedictos articulos & eorum quemlibet eſſe haereticos. In cujus rei teſtimonium manu propria hic ſubſcripſi, & ſigillum proprium feci praeſentibus appendi.

VII. Ego frater Henricus Epiſcopus Lucanus, in ſacra pagina Bacallarius, credo & affirmo praedicta & praedictos articulos & quemlibet eorum, prout ſuperius expreſſi ſunt, eſſe haereticos, Eccleſiam Romanam limitantes & deſtruentes, & falſa & nova contra eam & ejus plenitudinem de novo inducentes. In cujus rei teſtimonium me ſubcripſi manu propria, & ſigillum meum feci praeſentibus appendi.

VIII. Ego frater Michael de Caeſena ordinis Minorum, ſacrae theologiae profeſſor, judico & aſſero praedictos articulos & quemlibet eorum eſſe haereticos. In cujus rei teſtimonium manu mea propria hic ſubſcripſi, & praeſentibus ſigillum meum proprium feci appendi.

IX. Ego frater Arnaldus Royardi ſacrae theologiae Magiſter praedictos articulos & quemlibet eorum judico & aſſero haereticos eſſe, tamquam falſos, & novos in fide catholica, & veritati evangelicae adverſantes. In cujus rei teſtimonium ſigillum meum praeſentibus feci appendi, & manu mea ſubſcripſi.

X. Ego frater Durandus Epiſcopus Anicienſis & Doctor ſacrae theologiae judico omnes ſupraſcriptos articulos & quemlibet eorum eſſe haereticos. In cujus rei teſtimonium me manu propria ſubſcripſi, & ſigillum meum feci apponi.

XI. Et ego frater Laurentius ſacrae theologiae profeſſor praedictos articulos, cum impingant in auctoritatem ſanctae Romanae Eccleſiae, quae immediate a Chriſto fundata eſt, & in poteſtatem ſummi Pontificis, & quemlibet eorum eſſe haereticos. In cujus rei teſtimonium ſigillum meum appoſui, & manu mea propria ſubſcripſi.

XII. Ego frater Jacobus Abbas Pontiniaci, ſacræ theologiae profeſſor, dico & aſſero praedictos articulos, prout proponuntur, eſſe falſos, improbabiles, & ſuperſtitioſos, & contradicentes vitae Chriſti & evangelicae veritati, ac auctoritati, unitati, ac plenitudini poteſtatis ſummi Pontificis, a quo ſtatuta quaecunque regularia ſuam trahunt roboris firmitatem, & per conſequens dictos articulos judico eſſe haereticos. In cujus rei teſtimonium manu mea hoc ſcripſi, & ſigillum noſtrum appendi feci.

XIII. Ego Raymundus Maſſilienſis Epiſcopus credo & dico ſupraſcriptos articulos & quemlibet eorum eſſe haereticos, & pertinaces aſſertores eorum fore ſicut haereticos condemnandos. In cujus rei teſtimonium praeſenti ſcripturae ſigillum meum appoſui, & ſubſcripſi.

PRopter praedictos errores fuerunt quatuor fratres ordinis fratrum Minorum in Maſſilia per fratrem Michaëlem de ordine fratrum Minorum Inquiſitorem haereticae pravitatis auctoritate apoſtolica deputatum, cui etiam Dominus Raymundus Maſſilienſis Epiſcopus commiſit vices ſuas, judicati tamquam haeretici, & relicti curiae & brachio ſeculari, & combuſti ſub anno Domini milleſimo trecenteſimo decimo octavo, tempore paſchali, quia noluerunt dictos articulos ſeu errores abjurare, & nonnulli alii ejuſdem ordinis, qui praedictos errores abjuraverunt, fuerunt ad poenam carceris condemnati, ex quibus Vide ſupra pag. 248.

aliqui

Digitized by Google

aliqui poſtmodum infra annum, ſpretis mandatis Eccleſiae ſibi factis, & poſt dictos errores in judicio abjuratos, apoſtatando a religione pariter & a fide tranſierunt ad gentes infideles, relinquentes in ſcriptis ea quae ſequuntur, videlicet quod ipſi non dimittebant ordinem, ſed parietes, non habitum, ſed pannum, non fidem, ſed corticem, non Eccleſiam, ſed ſynagogam cæcam, non paſtorem, ſed devoratorem.

Item quod ſicut poſt mortem Antichriſti perſecutoris fidelium exterminabuntur qui fuerint ex parte ejus a vere Chriſti fidelibus & miniſtris, ſic mortuo iſto Papa, videlicet, Iohanne viceſimo ſecundo, nos & ſocii noſtri fideles Chriſti, nunc perſecutionem ab adverſariis Chriſti ſuſtinentes, apparebimus, & de omnibus adverſariis reportabimus victoriam, & ipſis exterminatis per reprobationem & revocationem iniquorum proceſſuum & ſententiarum factorum & factarum contra nos, immo potius contra Chriſtum & contra vitam & perfectionem & evangelium ejuſdem Chriſti ſanctum. Praedicta verba erant ſcripta in littera Inquiſitoris haereticorum fratris Michaëlis Monachi de ordine fratrum Minorum, quam miſit de Maſſilia apud Avinionem contra eos, quam vidimus & audivimus legi & recitari anno Domini milleſimo treceuteſimo decimo octavo.

Ecce inſania talium iſta dicentium & dogmatizantium contra fidem Eccleſiae Romanæ ſanctæ.

Inter ceteros errores de dicta poſtilla extractos ſunt hi notabiles qui ſequuntur.

Supra pag. 260. In nono articulo dicit ſic. *Sicut in ſexta aetate, reſecto carnali Iudaiſmo & vetuſtate prioris ſeculi, venit novus homo Chriſtus cum nova lege, vita, & cruce, ſic in ſexto ſtatu, reſecta carnali Eccleſia & vetuſtate prioris ſeculi, renovabitur Chriſti lex & vita & crux. Propter quod in ejus primo initio Franciſcus apparuit Chriſti plagis characterizatus & Chriſto totus crucifixus & configuratus.*

Magiſtri octo judicaverunt iſtum articulum haereticum & horrendum.

Supra pag. 262. Item viceſimo tertio articulo dicit ſic. *Initium ſextæ apertionis per exterminium Babylonis, id eſt Eccleſiæ carnalis, debet fieri, & regula beati Franciſci impugnanda & condemnanda eſt nequiter ab Eccleſia carnalium & ſuperborum, ſicut Chriſtus condemnatus fuit a Synagoga reproba Iudæorum.* Item conſequenter dicit quod in tali impugnatione ſol

Ibid. fidei & eccleſiaſtici regiminis factus eſt niger & quaſi ſaccus de pilis porcorum & ferarum contextus, & ſubdit quod tunc totus ſtatus Eccleſiae in praelatis & plebibus & religioſis funditus ſubvertetur, praeter id quod in paucis & electis remanebit occulte, & nigreſcet lux ſolaris fidei, ipſaque Eccleſia apparebit

Pag. 263. quaſi luna cruentata, dicens quod tunc nova Babylon, quam vocat Eccleſiam univerſalem, judicanda erit ſicut fuit carnalis Hieruſalem, quia Chriſtum non recepit, ſed eum reprobavit & crucifixit.

Ibid. Item viceſimo octavo articulo dicit ſic, exponens illud Apocalypſis, *Vidi alterum angelum aſcendentem &c. Hic ergo angelus eſt Franciſcus, evangelicæ vitæ & regulæ ſexto & ſeptimo tempore propagandæ & magnificandæ renovator & ſummus poſt Chriſtum & ejus matrem obſervator.*

Pag. 265. Item decimo capitulo dicit ſic. *Sciendum eſt quod ſicut ſanctiſſimus pater noſter Franciſcus eſt poſt Chriſtum & ſub Chriſto primus & principalis fundator & initiator & exemplator ſexti ſtatus & evangelicæ regulæ ejus, ſic ipſe poſt Chriſtum deſignatur per angelum qui poſuit pedem dextrum ſuper mare, quia ad Sarracenos convertendos laboravit ter ire.* dicens quod in decimo tertio centenario a paſſione & reſurrectione Chriſti inchoando ſunt Sarraceni & ceteri infideles per ejus ordinem cum multis martyriis convertendi, & exaltabitur Franciſcus & ejus evangelicus ordo in cruce, & aſcendet ejus gloria ſuper totum orbem. Item in eodem capitulo dicit ſic. *Si-*

Supra pag. 264. *cut Synagoga propagata eſt ex duodecim Patriarchis & Eccleſia de gentibus ex duodecim Apoſtolis, ſic finalis Eccleſia reliquiarum Iudæorum & gentium eſt per duodecim viros evangelicos propaganda. Unde & Franciſcus habuit duodecim ſocios & filios, per quos & in quibus fuit fundatus ordo evangelicus.*

Item quadrageſimo octavo articulo dicit ſuper decimum ſextum capitulum Apocalypſis quod per ſedem beſtiae principaliter deſignatur carnalis clerus in hoc quinto tempore regnans & toti Eccleſiae praeſidens, in quo quidem beſtialis vita traſcendenter & ſingulariter regnat & ſedet ſicut in ſua principali ſede & longe pluſquam in laïcis & plebibus ſibi ſubjectis; & dicit quod infra vocatur Babylon meretrix habens in manu ſua poculum aureum plenum abominatione. Pag. 268.

Item quinquageſimo tertio articulo ſuper idem capitulum, exponens illud *Terræ motus factus eſt magnus*, dicit ſic. *Praeambulum caſus Babylonis ſexto tempore fiendi eſt ſubverſio & commotio ſub myſtico Antichriſto fienda, per quam tota carnalis Eccleſia terribiliter excæcabitur & commovebitur contra evangelicum ſpiritum Chriſti*, dicens quod mulier quam vidiſti eſt civitas magna quae habet regnum ſuper Reges terrae. Haec ergo eſt Eccleſia carnalis tam Romae quam in toto regno Romanorum ſeu Chriſtianorum diffuſa. Pag. 269.

Item quinquageſimo quarto articulo dicit ſic. *Nota quod hæc mulier ſtat hic pro Romana gente & imperio, tam prout fuit quondam in ſtatu paganiſmi quam prout poſtmodum fuit in fide Chriſti multis tamen criminibus cum hoc mundo fornicata. Vocatur ergo meretrix magna, quia a fideli cultu & a ſincero amore & delitiis Dei Chriſti ſponſi ſui recedens adhæret huic ſeculo & delitiis ejus diabolo propter iſta, & etiam Regibus & Magnatibus & Prælatis & omnibus aliis amatoribus hujus ſeculi.* Ibid.

Praedictos igitur articulos & alios in praecedenti quaterno plenius expreſſos octo Magiſtri in theologia ante ſimiliter nominati judicaverunt eſſe haereticos, & etiam omnes perſonas eoſdem articulos pertinaciter ſuſtinentes & defendentes eſſe tanquam haereticos condemnandos; pro quibus erroribus & haereſibus ſuſtinendis quamplures exiſtentes de dicto ordine fratrum Minorum, quam de tertio ordine beati Franciſci, & etiam unus apoſtata de ordine Carmelitarum, fuerunt ſub annis Domini milleſimo treceuteſimo decimo octavo & decimo nono & viceſimo tam Narbonae quam in ejus provincia tamquam haeretici condemnati & combuſti per ſententias Praelatorum & Inquiſitorum. Vide Nicol. Eymeric. par. 2. Director. Inq. q. 15.

Incidenter colligitur ſub compendio fundamentum erroris ſectae iſtius apoſtaſiae, & conſequenter deſtruitur ſeu eliditur erroneum fulcimentum ejuſdem, & veritas declaratur, ut ſic oppoſita ad invicem comparata magis pateant & lucidius pateſiant.

Contra Beguinos & fratres Minores qui-dicuntur ſpirituales.

HÆc ſecta eſt non tam ſuperſtitioſa quam pernicioſa, peſtifera, apoſtatica, & haeretica, novae inventrix haereſis, & veteris imitatrix, cujus devii ſectatores cum pertinacia negant Dominum Papam Vicarium Domini Jeſu-Chriſti poſſe tollere de medio ordinem fratrum Minorum, cum tamen nullus ordo in Eccleſia inſtitutus habeat firmitatem niſi per ſedem apoſtolicam extiterit confirmatus. Ea vero auctoritate Romanus Pontifex poteſt quemcumque ordinem de medio tollere qua potuit confirmare. Item dicunt & pertinaciter aſſerunt profeſſos beati Franciſci regulam non eſſe aſtrictos ad obediendum Romano Pontifici in ſuis declarationibus ſeu interpretationibus factis contra regulam beati Franciſci aut ejus obſervantiam: quoniam ut aiunt, ipſa regula evangelium Chriſti eſt, & qui in ejus intellectu ſeu obſervatione deficiunt, procul a fide & Chriſti evangelio ſeparantur, eandem regulam Chriſti evangelio

in

in omnibus conſequentes, praeceptaque ad diffinitionem Romani Pontificis contemnentes animo pertinaci, non attendentes inſenſati quod ſi praedicta regula beati Franciſci Chriſti evangelium eſt, aut quinque evangelia ponuntur, aut abrogatis quatuor prioribus, novum unum & ſolum evangelium praedicatur, quae omnia impia ſunt, & Chriſtianae fidei inimica. Quis enim niſi haereticus & proprio judicio condemnatus quatuor evangeliis ab univerſali Eccleſia tanta veneratione ſuſceptis aliud evangelium audeat aggregare? Profecto qui hoc faciunt, duram ſed juſtam ſententiam aeternae damnationis incurrunt. Simili etenim caecitate percuſſi fuerunt quibus Apoſtolus increpando dicebat: *Miror quod ſic tam cito transferimini ab eo qui vos vocavit in gratiam Chriſti in aliud evangelium, quod non eſt aliud, niſi ſint aliqui qui vos conturbant, & volunt ſubvertere evangelium Chriſti. Sed licet nos aut angelus de cælo evangeliſet vobis præterquam evangeliſavimus vobis, anathema ſit.* Si Paulus, vas electionis, in quo Chriſtus loquitur, nec angelo de caelo nec ſibi aliud evangelium introducentibus credendum aſſerit, immo & ſe & angelum aliud evangeliſantes anathema dicit, qua temeritate talium impiorum turba aliud evangelium introducit?

Quod ſi praedictorum temeritas ob id praedictam regulam Chriſti evangelium eſſe confingit quasi ipſa regula ſic ſanctum evangelium ſubſtantialiter contineat ut amborum par ſit auctoritas & utrique ſimilis reverentia debeatur, qui legit intelligat quanta de hoc virulento dogmate venena ſuccreſcant. Chriſti ſiquidem evangelium matrimonio junctos in ſuum ſinum benigne ſuſcipit, praedicta vero regula ſolos mares, & hos caelibes, apprehendit. Evangelium Chriſti hujus ſeculi divites a ſua miſericordia non repellit, ſed eis ne altum ſapiant, vel in incerto divitiarum ſpei ſuae anchoram figant, per Apoſtolum interdicit; regula vero ita divitias reſpuit ut nullum admittat niſi prius temporalium rerum pondus ſponte deponat. Evangelium Chriſti armatae militiae homines non abhorret, ſed eis praecipit ut neminem concutiant, aut calumniam faciant, & ſuis contenti ſtipendiis, aliena non quaerant; regula vero ſic orationi, contemplationi, & quieti placidae mentis invigilat ut armorum uſui in nulla ſui parte concurrat. Evangelium Chriſti ſancta univerſalis Eccleſia atque Romana propter eminentiſſimam auctoritatem nec mutat nec corrigit nec confirmat ſed veneranter ſuſcipit, & ſuaviſſimo illius jugo promptae obedientiae colla ſubmittit; regulae vero praedictæ omnis tenor & vigor ſic a Romanae ſedis poteſtate manat ut nulla ſit ejus auctoritas quae ab indulgentia ſummi Pontificis non decurrat. Igitur non eſt beati Franciſci regula ſanctum evangelium, ſed eſt quaedam ſpiritualis vitae laudabilis & egregia forma a Romanis Pontificibus approbata & confirmata, ipſorum declarationi, mutationi, & omnimodæ diſpoſitioni ſimpliciter & abſolute ſubjecta, quæ ſanctum evangelium obſervari præcipit, non ſicut illud ſervat cetera multitudo fidelium, ſed ſicut in ipſa regula invenitur expreſſum. Quod ſi idcirco præfata regula auctoritati Romani Pontificis non ſubjicitur, ut ipſi garriunt, quia felicis recordationis Nicolaus Papa tertius ipſam per ſanctum ſpiritum beato Franciſco & ejus ſequacibus inſpiratam narrando protulit, pari ratione omnes aliæ regulæ omneſque tractatus ſanctorum patrum ejus auctoritati ſubtrahuntur, quia non ſolum illum, ſed omne verum, a quocunque dicatur, a ſpiritu ſancto eſſe fatemur, & Dominum Jeſum niſi in ſpiritu ſancto dicere non valemus. Sed hæc impia ſunt, & a ſenſu prædicti Romani Pontificis penitus aliena. Si enim prædictis verbis ipſam regulam auctoritati ſancti evangelii coæquavit, cur ipſam approbavit & confirmavit, cur aliquid in ea ſupplevit? Sed hi vaniſſimi homines trabem ſuperbiæ in ſuis oculis præferentes, nec regulam intelligunt, nec quid ſancti evangelii nomine deſignatur aequaliter ſciunt. Abſurda ſunt hæc & eminus a Chriſtiana pietate pellenda.

Dicti quoque ſectatores omni moderatione rejecta in blaſphemias ruunt in quadam monſtruoſa ſtricti habitus tam deformitate quam difformitate & ſingularitate, qua obteguntur, & in abdicatione victualium quae pro neceſſitate locorum & temporum juxta pontificale decretum ad Prælatorum ordinis arbitrium congregantur ac etiam reſervantur, vitam Chriſti conſiſtere flenda vanitate contendunt, novo argumentandi genere concludentes quod tales habitus ſtrictos deponere, victui neceſſaria ſic congregare & in craſtinum etiam ad praeceptum Romani Pontificis reſervare, eſt Chriſti vitam extinguere, & qui eos ad hoc agendum quavis auctoritate cogunt, Chriſtum de ſynagoga propellunt, inſanientes vitam Chriſti in tam ridendo habitu, in tam deteſtabili rebellione conſtituere. Chriſtus enim pro noſtra ſalute & vitæ imitatione factus obediens uſque ad mortem, ſervile tormentum crucis ſubire non timuit; ipſi autem ſummo Pontifici ejus vicario obedientiam rei licitæ & facilis contumaciter denegant. Chriſtus mortuus eſt ut filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in unum; tales vero perverſi homines caritatem præclarum perfectionis vinculum, a ſe repellentes optimam religionem, quæ ipſos in ſinu ſuo fovit pietate materna, quantum in eis eſt ſcindunt, & in Dei Eccleſia perverſorum dogmatum diſſidia ſeminant. Chriſtus, qui univerſa condidit, cui omnia ſerviunt, ut inſidiantibus materiam ſcandali ſubmoveret, pro ſe & Petro indebitum didragma etiam gentilibus ſolvit; ipſi vero regularis profeſſionis immo Chriſtianæ religionis ſuave jugum & onus leve rumpentes puſillos ac magnos graviter ſcandaliſant. Chriſtus beato Petro ejuſque ſucceſſoribus terreni ac cæleſtis imperii jura committens, plenitudinem inconvulſae poteſtatis indulſit; ipſi autem Romanum Pontificem de ſuis indumentis, congregatione & reſervatione victualium, non poſſe diſponere inſaniendo affirmant. Chriſtus ab exterioribus humanum genus ad interiora, a temporalibus ad æterna traducens, in fide ex qua juſtus vivit, in ſpe quæ non confundit, in caritate quæ nunquam excidit, in pace quæ omnem ſenſum exſuperat, in humilitate quæ ad ſe celſitudinem divinæ majeſtatis inclinat, in juſtitia quæ piorum mentes exornat, in ſpirituali gaudio quo anima paſcitur, & omnino in his donis quibus beati efficimur, quibus nemo male utitur, quæ Deus in nobis ſine nobis operatur, ſanctum evangelium, regnum cælorum, & vitam ſuam, quam imitari debemus, conſtituit; ipſi autem in corporali & deluſorio veſtimento & quibuſdam exterioribus obſervantiis vitam Chriſti conſiſtere inſanis vocibus prædicant, & in defenſionem veſaniæ conceptæ, ſalvatoris noſtri verba & beati Franciſci regulam ſcripturamque ſacram repugnantem ad ſenſus ſui pravitatem inflectunt, dictamque regulam, quantum in eis eſt, obliqua interpretatione corrumpunt. Si enim ex eo quod Dominus Jeſus-Chriſtus a ſuperflua etiam neceſſariorum cura fidelium mentes liberare cupiens, victus atque veſtitus & craſtini ſollicitudinem prohibuit, & in exemplum divinæ providentiæ volatilia cæli, quæ neque ſerunt neque metunt neque congregant in horrea, benigne produxit, ſi propterea illi vaniloqui ea quæ humano ſtudio in horreis congregantur ac etiam reſervantur tam grandi ſupercilio faſtidienter reſpuunt, vadant, & ipſi avium imitatores effecti, humana conſortia fugiant, aliena diripiant, cruda ſemina manducant, quia volucres cæli hoc faciunt, nec laborent fideliter & devote, & de mercede laboris pro ſe & ſuis fratribus corporis neceſſaria non recipiant, nec vadant pro eleemoſyna, ſicut ſanctus Franciſcus inſtituit, nec pro neceſſitatibus infirmorum & aliis fratribus induendis ſecundum loca & tempora & frigidas regiones Miniſtri & Cuſtodes ſollicitam curam gerant, ſicut regula tradit, nec ignes accendant, quia hoc aves non faciunt, nec parent eſcas, quia tales epulas cæli volucres non requirunt.

Verum non eſt hæc vita quam Chriſtus inſtituit, ſed quam perverſorum hominum impietas & vani-

tas adimplevit. Proinde juxta doctrinam evangelicam victus atque veſtitus ſollicitudinem illi in craſtinum non extendunt qui regni cæleſtis deſiderium cunctis rebus temporalibus anteponunt, qui laborantes corpore, mente quieſcunt, qui in omne quod agunt, non in virtute propria, ſed de divinæ providentiæ miſeratione confidunt; quia incaſſum humanæ ſollicitudinis labor atteritur niſi ille qui animam corpuſque creavit omnes noſtras actiones aſpirando præveniat, adjuvando foveat, & uſque ad finem feliciter dirigendo perducat. Servant igitur vitam Chriſti & ſanctum evangelium omnes qui de corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta caritatis Dei & proximi ſtudent adimplere mandatum. Quod quidem ſupernæ dulcedinis benedictione præventi ut liberius, cautius, atque ferventius adimplere valeant, obedientiæ, caſtitatis, paupertatis voluntariæ honorabilibus vinculis ſe ſponte coarctant, præceptiſque dominicis communibus ſupererogationes conſiliorum ſpontaneas ſuperaddunt, ut præſentis gratiæ centuplum accipiant, & vitam æternam felici commercio feliciter apprehendant. Quod beatus Franciſcus prudenter attendens, regulam ſuam nequaquam evangelium dixit, ſed ut ſanctum evangelium eminentius, a ſui imitatoribus & regulæ profeſſoribus ſervaretur, præceptis evangelicis tria vota ſuperius expreſſa conjunxit, & illa præſentibus & futuris fratribus ſub certis modis fractionis, determinationis, ſeu ſpecificationis limitibus ſervanda mandavit.

Item praefati temerarii ſectatores ſanctam Romanam ac univerſalem Eccleſiam ſynagoga impudenter vocant. Non eſt autem Eccleſia Romana, ut iſti faciliter mentiuntur ſynagoga, ſed eſt ſola diſpoſitione divina mater omnium fidelium & magiſtra. Nec tamen iſtorum inſolentiam eccleſiaſtico vigore compeſcit; ſed ſuum imitata redemptorem, ad caeleſte convivium blandiendo trahit, terrendo intrare compellit, & de funiculis auctoritatis & virtutis divinae facto flagello pſeudo-Chriſtianos de templo Dei, quod eſt Eccleſia, potenter emittit: quia valde abſurdum eſt & vehementer indignum ut illis turbis fidelium miſceantur qui jam ab ipſa virtute & obedientia Eccleſiae per impietatem atque contumaciam receſſerunt, & puritatem fidelium contagione pravi dogmatis corrumpere moliuntur.

Ex eodem itaque virulento fonte potati ac etiam dementati dicunt nulli mortalium, quantumcunque ſuperiori ſuo, Generali aut Provinciali Miniſtro, Cuſtodi, ſeu cuivis alteri eſſe obediendum in diſpoſitione talis ſtricti habitus & parvi & alterius portatione majoris, aut in congregatione victualium & reſervatione ultra craſtinum facienda, interpretatione ſeu declaratione cujuſcunque Romani Pontificis ſuper hoc edita non obſtante.

Ad hoc, praefati temerarii impie aſſeverant Romanum Pontificem & Cardinales & Praelatos & quoſcumque alios errare in eo quod perſequuntur ſectae hujuſmdi ſectatores, eoſque eſſe martyres praedicant qui pro cauſa hujuſmodi patiuntur & morti ſe exponunt, eligentes mori potius quam a praedictis erroribus reſilire.

Inſuper doctrinam fratris Petri Johannis in expoſitione ſuper Apocalypſim, in qua plures inveniuntur haereſes & errores & articuli judicati haeretici ex ſententia & judicio, examinatione praevia diligenti, plurium Magiſtrorum in theologica facultate, ipſi approbant & defendunt, nec in hoc volunt acquieſcere Eccleſiae ſanctae judicio. Quin potius nonnulli ex ipſis confingunt dicentes quandam aliam eſſe ſpiritualem Eccleſiam electorum, de quorum numero ſe eſſe jactitant, Romanam vero Eccleſiam dicunt eſſe illam Babyloniam meretricem quam Johannes in Apocalypſi deteſtatur, applicantes ad hoc expoſitionem reprobam & haereticam praefati Petri Johannis ſuper Apocalypſim; & in his ſe dividunt manifeſte a ſanctae Romanae Eccleſiae unitate.

Igitur quia dignum eſt ut adverſus illos eccleſiaſtica cenſura conſurgat qui poteſtatem apoſtolicam prophanis vocum novitatibus & impiis aſſertionibus lacerando conculcant, Chriſti nomine invocato, nos tales & tales Epiſcopi & Inquiſitores haereticae pravitatis memoratos peſtilentes homines, pro eo quia novum evangelium credendum atque ſuadendum in Dei Eccleſia introducunt, quia evangelicae auctoritati ſaepe nominatam regulam coaequare praeſumunt, quia ſanctae Romanae Eccleſiae regulam interpretandi, mutandi, corrigendi, addendi, minuendi, ac etiam amovendi auctoritatem ſubtrahunt, quia evangelicae vitae perfectionem in monſtruoſa deformitate corporalis habitus eſſe confingunt, quia ſanctam ſcripturam ad impietatis ſuae ſenſum diffinitionibus eccleſiaſticis omnino contrarium & repugnantem trahunt, quia poſt ſalubres exhortationes, inductiones ratione plenas, proceſſuſque juridicos & varios, in profundum malorum deſcendentes, in ſui dogmatis pravitate perſiſtunt, animis induratis praedictos errores pertinaciter defendentes, eiſque inhaerentes, mori in ipſis & pro ipſis potius eligunt quam converti & redire ad eccleſiaſticam unitatem, quamvis ad converſionem invitati fuerint ſaepius per nos & per plures alios viros peritos & religioſos zelatores fidei & ſalutis ipſorum, necnon diutius expectati, idcirco eoſdem haereticos & perverſorum dogmatum aſſertores judicamus.

Sequens opuſculum videtur eſſe Joannis de Belna Inquiſitoris Carcaſſonenſis.

QUaeſtiones aut dubia quae circa illa quae ſunt fidei oriuntur ad ſedem apoſtolicam pertinet interpretari, declarare, & etiam amputare. Quamobrem ipſa ſedes eſt ſemper in hujuſmodi conſulenda. Verum quia ſcripſiſtis quod vobis ſcriptum fuerat per Dominum Epiſcopum Lodovenſem de voluntate & mandato Domini noſtri ſummi Pontificis quod in dubiis quae ſcripſiſtis recurreretis ad Inquiſitores Carcaſſonae vel Toloſae, ea quae mihi videntur ſuper infraſcriptis articulis ſeu dubiis per vos tranſmiſſis reſpondeo, ſalva ſemper diffinitione & judicio ſedis ejuſdem, & ſi quid ſecus aut aliter in reſponſionibus meis appareret vel inveniretur, illud totum & totaliter ejus judicio derelinquo.

In primis igitur ad illuminandum fundamentum erroris omnium ſapientium dico eſſe fidei articulum credere unam ſanctam Romanam Eccleſiam catholicam; quae ideo una eſt, quia eoſdem articulos fidei credit, confitetur, & docet, & eadem ſacramenta ſunt in quibus eſt ſanctorum communio, & in qua ſola Eccleſia eſt & extra quam nulla eſt remiſſio peccatorum. Haec autem ſancta Eccleſia una eſt ab unitate capitis, quod eſt Chriſtus, cujus vicarius in terris unus eſt ſummus Pontifex Papa Romanus ſucceſſor beati Petri Apoſtoli, cui & ejus ſucceſſoribus in eo Chriſtus dedit poteſtatem ligandi & ſolvendi; a cujus Eccleſiae unitate & capitis unione proculdubio dividuntur illi qui poteſtatem ligandi & ſolvendi & obediendi eidem ſummo Pontifici Papae Romano abſque alia diffinitione ſanctae Eccleſiae ſola ſua temeritate auferunt, ipſumque Romanum Pontificem & alios conſentientes in ſuis diffinitionibus pertinaciter aſſerunt & dicunt eſſe haereticos, nec eis eſſe obediendum, non attendentes tales temerarii aſſertores quod in eo in quo Papam & ſibi conſentientes hæreticos eſſe judicant ſe ipſos hæreticos conſtituunt & condemnant. Contra praedictum articulum fidei de unitate Eccleſiae expreſſe veniunt & faciunt illi qui pertinaciter aſſerunt quod Papa Romanus condendo & promulgando quandam conſtitutionem ſeu declarationem ſeu interpretationem regulae fratrum Minorum (quae conſtitutio incipit *Quorumdam &c.*) condemnaverat vitam Chriſti & Apoſtolorum & vitam evangelicam, & quod ideo eſt haereticus & perdidit poteſtatem eccleſiaſticam, & quod omnes illi qui conſenſerunt eidem Papae

in

in dicta conſtitutione ſeu declaratione ſunt haeretici. Item quod fideles illi qui eidem Papae non conſenſerunt, aut non conſentiunt, non tenentur obedire eidem Papae nec aliis qui ſibi in hoc non conſentiunt, aut qui hoc ignorant. Praedicta igitur aſſerentes pertinaciter credo eſſe velut haereticos condemnandos.

Item aſſerentes quod Papa non poſſit diſpenſare quod quicunque voluerit talem gradum paupertatis quod nihil habeat nec in proprio nec in communi, aut fieri aut Monachus aut Canonicus vel Epiſcopus, niſi obſervet in illis ſtatibus eundem gradum paupertatis quem prius vovit, videlicet quod nihil habeat nec in proprio nec in communi, veniunt, dicunt, & faciunt contra communem uſum quos apoſtolica ſedes tenet de facto & de jure in praedictis diſpenſando.

Item aſſerentes quod Papa non poteſt caſſare regulam beati Franciſci vel aliquam aliam, quamvis eam potuerit confirmare, expreſſe obviant poteſtati apoſtolicae, quae ſicut confirmare potuit aliquem ordinem auctoritate apoſtolica, ita poteſt eundem ordinem tollere de medio ordinum aliorum. quod de facto & de jure liquidum eſt videre.

Item dicentes procaciter quod Papa non poteſt concedere fratribus Minoribus quod habeant granaria vel cellaria ad arbitrium Miniſtrorum ſeu Cuſtodum ejuſdem ordinis pro neceſſitatibus vitae ſuae, prout dicta conſtitutio interpretatur & declarat, incurrunt abſurditatem ſupradictam contra apoſtolicam poteſtatem.

Item de doctrina inſana fratris Petri Johannis de ordine fratrum Minorum, quam praefati inſenſati dicunt eſſe a ſpiritu ſancto revelatam & nullum errorem vel haereſim continere, dico quod in his quae ſcripſit ſuper Apocalypſim beati Johannis inveniuntur quamplures articuli continentes haereſim & errorem, qui examinati ſunt de mandato ſeu auctoritate ſummi Pontificis per plures Magiſtros in theologia apud Avenionem in Romana curia, & per eoſdem Magiſtros judicati ſunt eſſe articuli haeretici & continentes haereſim aut errorem in fide; & ſub ſigillis eorundem Magiſtrorum ſuper praedictis articulis facta ſunt publica inſtrumenta, & redacti fuerunt articuli ſub eiſdem publicis inſtrumentis.

Ad praedicta facit, quantum ad primum articulum, praecipue quod notat Hoſtienſis in Apparatu extra *De Haeret. c. Firmiſſime.* ubi dicit: *Haereticus eſt qui privilegio Romanae Eccleſiae, quae praeeſt omnibus* XXII. *di.* Omnes. Et infra: *Ipſam vero Romanam Eccleſiam ipſe fundavit & ſuper petram fidei mox naſcentem erexit qui beato Petro Apoſtolo vitae aeternae clavigero terreni ſimul & caeleſtis imperii jura commiſit. Non ergo quaelibet terrena ſententia, ſed illud verbum quo conſtructum eſt caelum & terra, per quod denique omnia condita ſunt elementa, Romanam fundavit Eccleſiam, illius vere privilegio fruagitur cujus auctoritate fulcitur. Unde non dubium eſt quia qui Romanae Eccleſiae privilegium ab ipſo ſummo omnium Eccleſiarum capite traditum auferre conatur, hic procul dubio in haereſim labitur, & hic dicendus eſt haereticus. Fidem quippe violat qui adverſus illam agit quae eſt mater fidei, ille contumax invenitur qui eam cunctis Eccleſiis praetuliſſe cognoſcitur.* Item idem Hoſtienſis notat ubi ſupra: *Haereticus eſt qui decretalibus epiſtolis contradicit aut eas non recipit.* xx. *di. De libellis. ad finem, ubi dicitur: Si qui ſunt Presbyteri.* Et infra, *Peccatum igitur paganitatis incurrit quiſquis, dum Chriſtianum ſe eſſe aſſerit, ſedi apoſtolicae obedire contemnit.*

Item illi qui damnati & condemnati ſunt tamquam haeretici per judicium Eccleſiae, dioeceſani Epiſcopi, & Inquiſitoris, debent ab omnibus haeretici reputari & haberi, praecipue ubi & quando errores & haereſes eorundem in ipſo judicio ſunt expreſſati, niſi per ſententiam ſuperioris judicis extiterit declaratum primam ſententiam continere errorem. Semper enim in tali caſu maxime ſtandum eſt pro judice & judicio quod cum magna deliberatione Praelatorum & peritorum in utroque jure & religioſorum proceſſerit ad talem ſententiam. Unde niſi poteſtas ſecularis, quae praeſens extiterit, tales damnatos animadverſione debita puniat indilate, aut ſi executionem ſibi injunctam facere ſeu adimplere detractet, ſententiam excommunicationis incurrit, extra de haereticis lib. VI. *Ut inquiſitionis negotium.* Et ideo poſtquam publice judicium datum eſt contra tales, debent omnes qui judicium audiverunt, vel ad eorum pervenit notitiam per famam communem ſeu publicam, reputare tales eſſe haereticos, & debent ſuper hoc credere fide dignis perſonis aſſerentibus ſe hoc ſcire. Ridiculum enim videtur dicere quod judex ſententiam publice latam, & famoſe divulgatam teneatur eandem ſingulorum auribus inculcare.

Item illi qui laudant, approbant, ſeu commendant damnatos haereticos per Eccleſiae judicium, & dicunt eos eſſe martyres juſtos & ſanctos tali judicio non obſtante, non video quin tales cenſendi ſint credentes haereticorum erroribus implicite & defenſores eorum in crimine, maxime explicatis eis erroribus eorundem pro quibus ſunt condemnati, ex eo qui haereticorum nomen & res errores & haereſim extollentem ſe contra Eccleſiam Dei neceſſario includit. Quamobrem quicunque damnati haeretici errorem approbat & defendit, neceſſario videtur quod ipſius errorem, propter quem cenſetur eſſe haereticus, approbat & defendit. 24. q. c. 3. *Qui aliorum errorem defendit, multo amplius eſt damnabilis illis qui errant: quia non ſolum ille errat, ſed etiam aliis offendicula erroris praeparat & confirmat. Unde quia magiſter erroris eſt, non tantum haereticus, ſed haereſiarcha dicendus eſt.* Unde videtur mihi, ſalvo judicio meliori, quod contra tales tamquam contra credentes haereticorum erroribus ſit procedendum, non obſtante quod ad velamen ſuae malitiae dicant ſe tales neſciviſſe nec credere eos errores tenuiſſe neque propter errores eſſe condemnatos, cum tamen eis dicatur expreſſe a perſonis fide dignis ita eſſe, cum etiam non ſit veriſimile quod apud eos remanſerit ignotum & ignoratum illud quod eſt tam famoſe publice divulgatum. Et ſi non credunt narrantibus & aſſerentibus veritatem, forſitan tamen non crederent etiam ſi viderent, praetendentes excuſationem calvam ad excuſandas excuſationes in peccatis ſuis.

Circa illud autem quod quidam illorum dicunt circa poteſtatem Papae ſe credere & tenere quod non poſſit ſecundum Deum diſpenſare in voto paupertatis altiſſimae, an illud ſit erroneum aut haereticum judicandum, pro eo quod apud vos inveniuntur periti diverſimode ſentire, maxime propter illam conditionem adjectam, *ſecundum Deum*, credo tutius eſſe quod ipſe Papa conſulat & determinet propter contrarias rationes. Verumtamen in caſu propoſito ſingulari, videlicet de interpretatione facta per conſtitutionem quae incipit *Quorundam*, videtur expreſſe illos errare qui dicunt eumdem Papam dictam conſtitutionem facere non potuiſſe. Et illi qui dicunt quod faciendo & divulgando eandem haereticus eſt effectus, tales haeretici ſunt cenſendi, ſicut ſupra elatius eſt notatum. Uſus autem & conſuetudo Romanae Eccleſiae tam de facto quam de jure ſuper hoc edito tenet & ſervat quod ab una religione etiam ſtrictiori conceditur licentia tranſeundi ad aliam laxiorem, & ad dignitates epiſcopales de quocunque ordine paupertatis quicunque religioſi aſſumuntur, nec ad primam paupertatem aſtricti videntur. Abſurdum eſt autem & inſanum credere & tenere quod Eccleſia in hoc errat.

Circa illud autem quod quidam eorum dicunt quod ſi Domino Papae dictum fuerit ſemel, ſecundo, tertio, vel pluries quod ſententia lata contra illos qui combuſti fuerunt & damnati tamquam haeretici eſt injuſta, ſi eam non revocaverit, vel ſe non corre-

xerit aut emendaverit ſuper opinione quod ipſe poſſit diſpenſare ſuper articulis primo & ſecundo ſupradictis, & tunc ipſe Papa haereticus eſt effectus, & omnes alii praedictam ſententiam ferentes, ac etiam dantes conſilium, auxilium, vel favorem, illud autem inſanum eſt dicere, & haereticum ſic pertinaciter credere & ſentire. Illi vero qui dicunt quod neſciunt an ex hoc Papa & alii haeretici ſint cenſendi, aſſerunt tamen illum Papam & alios ſententiam ferentes & auxilium dantes omnino errare in praedictis, nec volunt aliter revocare, callide ſuam perfidiam occultantes, quia clare nolunt reſpondere de quo errore intelligant, nec volunt dictum ſuum obſcurum & ambiguum declarare nec revocare ad mandatum judicis, cum ad hoc teneantur, iſtos autem tales cenſeo eſſe adeo pejores quo in malitia occultiores & calliditate velata nequiores, cap. *Ad abolendam*. de illis qui abjurare nolunt. De illis autem qui interrogati ſuper articulis & erroribus expreſſatis eiſdem, quos illi qui combuſti fuerunt tenebant, nolunt clare & explicite reſpondere an dictos articulos ſeu errores credant, ſed reſpondendo ambigue dicunt ſe credere de illis illud quod catholicus de hoc debet credere, dico quod niſi expreſſe & clare reſpondeant in judicio ſe aut credere aut non credere eoſdem, talium reſponſio, cum ſit dubia & ambigua & ſuſpecta, pro non reſponſione eſt habenda. In quo caſu cenſendi ſunt ſe illos credere errores quos nolunt expreſſe negare ſe credere, maxime cum ſecta illorum dicat eſſe catholicos illos qui Papae in ſupradictis articulis non conſentiunt, & ita nomen catholicum aequivocant & transformant.

Ceterum modus abjurandi apud nos obſervatur, ut ille qui accuſatus eſt aut ſuſpectus de haereſi, abjuret explicite errores & haereſes ſectae ſuae, ſive, Manichaeorum, ſive Valdenſium, nec non in generali omnem haereſim extollentem ſe adverſus ſanctam Romanam Eccleſiam & fidem Domini Ieſu Chriſti. Et hoc videtur poſſe haberi *extra De haeret., libro ſexto*. Et accuſatus de relapſo in eandem ſpeciem haereſis aut in aliam haereſim. Vnde videtur mihi quod ſi aliqui ex praedictis pœnitere voluerint tenentur errores ſuos explicite recognoſcere & abjurare & etiam omnem haereſim & omnem credentiam & fautoriam haereticorum cujuſcunque ſectae damnare.

De Sacerdote qui in praedictis erroribus deprehenſus, & monitus canonice ut pœniteret & abjuraret eoſdem, penitus facere recuſavit, & ſic fuit relictus impœnitens haereticus brachio ſeculari, reputo bene proceſſum fuiſſe. Quare autem in pœnis exiſtens poſt latam ſententiam reverti voluit & pœnitere, & ſic fuit ad pœnitentiam receptus dimiſſo rigore juxta aequitatem & benignitatem officii inquiſitionis & Eccleſiae, reputo bene actum, ſicut in alio quaterno de caſu conſimili notatum plenius invenietis.

ARTICULI PROBATIONVM

Contra fratrem Vbertinum de Caſali inductarum a fratre Bonagratia.

In Chriſti nomine.

INfraſcripta addit frater Bona ad articulos quos dedit coram vobis Reverendo Patre Domino fratre Guillelmo Epiſcopo Sabinenſi, dicens quod frater Vbertinus de Caſali dixit, aſſeruit, docuit, tenuit, & defendit infraſcripta in ſuis confeſſionibus & libellis per ipſum fratrem Vbertinum factis & compoſitis & ſponte publicatis & divulgatis & etiam judicialiter productis, de quibus confeſſionibus & libellis nuſquam reperitur bonae memoriae Dominum Clementem Papam quintum cognoviſſe, nec ſuper his aliquam commiſſionem feciſſe, nec de eis ſibi alii quam relationem factam fuiſſe.

Vide Odericum Raynal. ad an. 1325. §. 20.

Primo enim dicit quod ipſe frater Vbertinus arguendo & invehendo contra praeſidentes ordini Minorum aſſerentes quod frater Petrus Iohannis in ſcriptis ſuis, & maxime in poſtilla quam compoſuit ſuper Apocalypſim, male dogmatizabat & ſentiebat de Eccleſia Romana, dicit & aſſerit in haec verba: *Malignisſime & impiisſime dicunt & imponunt quod frater Petrus Iohannis in ſcriptis & in poſtilla quam ſcripſit ſuper Apocalypſim, vocat Romanam Eccleſiam meretricem magnam, & alia multa in Eccleſiæ vituperium dogmatizet. Hoc enim eſt mendaciſſimum. Quinimmo devotiſſime & reverendiſſime, catholice, & efficaciſſime pro veritate & auctoritate ſummi Pontifices & Romanae Eccleſiae & in Apocalypſi & alibi, ubi congruenter occurrit, loquitur, & optime ſemper & rectiſſime de Romana Eccleſia eſt locutus; nec unquam unum minimum verbum poteſt reperiri de ſuo quod praedictis inſanis ſuffragetur.* Haec verba dicti fratris Vbertini per eum dicta & dogmatizata in quodam libello quem compoſuit ad defenſionem doctrinae & errorum quos docuit dictus frater Petrus, qui incipit *Sanctitati apoſtolicæ*, judicialiter producto. Ex quibus ſequitur quod aut frater Vbertinus aſſerendo dogmatizata in dicta poſtilla fore vera, optima, rectiſſima, & catholica, eſt cenſendus credens & defenſor haereſum contra Romanam Eccleſiam in ipſa poſtilla dogmatizatarum, aut duodecim magiſtri ſolemnes, quibus ſanctitas veſtra commiſit examinationem dictae poſtillae & contentorum in ea, graviter erraverunt, aſſerendo firmiter ſe inveniſſe in dicta poſtilla compoſita per dictum fratrem Petrum Iohannis dogmatizari quod Eccleſia Romana eſt Babylon, meretrix magna, & quod ejus gloria & poteſtas propter ejus adulteria transfertur ad electos ſexti ſtatus, & quod ipſa Eccleſia Romana in ſexto ſtatu ſic univerſaliter repellitur & rejicitur ſicut in primo Chriſti adventu formata eſt nova Eccleſia, veteri ſynagoga rejecta, & ſicut Vaſthi Regina a regno & conjugio Regis Aſſueri eſt abjecta, & humilis Eſther & ſancta ad ejuſdem Regis connubium & regnum eſt electa, & ſe inveniſſe plura alia contra Romanam Eccleſiam & ejus ſtatum dogmatizari in dicta poſtilla, & quae omnia de Eccleſia Romana & ejus ſtatu ibidem dogmatizata judicaverunt & judicant ipſi duodecim Magiſtri haeretica manifeſte. Quorum Magiſtrorum ſequendo judicium ſive dictum, ſanctitas veſtra de conſilio Dominorum Cardinalium damnavit dictam poſtillam tamquam multa evidenter haeretica continentem, ſecundum quod dicti duodecim magiſtri depoſuerant. Sanctitas etiam veſtra in conſtitutione quam fecit contra ſectam Serabaitarum, quae incipit *Gloriosam*, errorem Serabaitarum qui dicebant Eccleſiam Romanam carnalem & meretricem magnam & auctoritate & poteſtate privatam, damnat, non ſicut novam hæreſim, ſed ſicut hæreſim Donatiſtarum & Manichæorum ac Valdenſium, & mandat eos ſicut hæreticos capi & puniri. Et ſi ibidem dogmatiſata non eſſent hæretica manifeſte, ſequeretur etiam quod proceſſus & ſententiæ prolatæ per Inquiſitores ordinis Praedicatorum & Minorum contra Serabaytas & Bogardos, pro eo quod aſſerebant pertinaciter dogmatiſata in dicta poſtilla de Eccleſia fore rectiſſima & catholica, quos ob hoc ipſi Inquiſitores ſequendo conſilium dictorum magiſtrorum duodecim & aliorum doctorum judicaverunt haereticos, eſſent injuſtae & irritandae. Vnde clare ſequitur quod cum illi injuſte ſint condemnati & morti traditi, cum propter iſtam doctrinam, quam aſſerebant, fuerint combuſti, aut oportet dicere quod ſi juſte fuerint condemnati quod iſta doctrina ſit haeretica, quia ex hoc ſunt condemnati quia contenta in iſta doctrina non erant vera. Inſuper idem frater Vbertinus per auditores deputatos a veſtra ſanctitate ſuper quæſtione mota contra eum de hujuſmodi articulis dogmatiſatis contra Eccleſiam Romanam & ejus ſtatum in dicta poſtilla & aliis interrogatus utrum dictus frater Petrus docuerit in ſcriptis & libris ſuis praedictos articulos de quibus ..:.......contra eum, fate-

Vide ſupra pag. 271.

Vide Nicolaum Eymericum in Directorio Inquiſit. par. 2. q. 9.

fateatur quod ipſe frater Petrus in ſubſtantia ipſos articulos & omnes propoſitiones contentas in eis dogmatiſat, ſed ad detentionem eorum adjicit in ſua reſponſione quod ipſos articulos dogmatiſat cum pluribus .... mediis praecedentibus & ſubſequentibus, ex quibus, ut dicit, plenius aperitur intensio ipſius fratris Petri quam per nudos articulos ſic tractos, & quod ipſe loquitur ſicut faciunt Doctores theologi. Aſſerit etiam in reſponſionibus & confeſſionibus ſponte factis, datis, & oblatis coram ipſis auditoribus per veſtram ſanctitatem deputatis quod ea quae fuerunt per eum dicta in dicto libello qui incipit *Sanctitati apoſtolicæ*, fuerunt catholica, & quod illis eiſdem proteſtationibus quas fecit in eo inſiſtebat, & repetebat eaſdem, & quod adhuc neſciebat aliquem articulum haereticum in dicta doctrina contineri. Aſſerit etiam Inquiſitorem qui contra dictam doctrinam & ſectatores ejus proceſſit, temerarie proceſſiſſe. Ex quibus clare conſtat quod ipſe frater Vbertinus credit & tenet dogmatiſata in dicta poſtilla de Romana Eccleſia eſſe vera & catholica, ea tamquam catholica fallaciter excuſare & defendere nititur quantum poteſt. Vnde fautor & defenſor ipſorum errorum cenſetur. Qui enim exquiſitis coloribus ſive fallaciis nititur tegere ſeu occultare aut excuſare crimen ſive errorem, ipſius criminis ſive erroris defenſor eſt dicendus. *xj. q. iij. C. Ita corporis.* Vnde Dominus Guido Fulconis, qui poſtea fuit Clemens quartus, in ſuis conſultationibus, quæ habentur in libris Inquiſitorum haereticae pravitatis, dicit quod illi dicuntur defenſores haereſium ſive haereticorum qui eos ſub quibuſdam coloratis ſeu palliatis adinventionibus excuſare nituntur.

Secundo dicit quod dictus frater Vbertinus tam in dicto libello qui incipit *Sanctitati apoſtolicæ* quam in quodam alio qui incipit *Super tribus ſceleribus*, & quibuſdam aliis confeſſionibus per ipſum fratrem Vbertinum compoſitis & factis & judicialiter productis, de quibus libellis & confeſſionibus praefatus Dominus Clemens non cognovit, nec aliquam commiſſionem fecit, nec aliqua de eis ipſi Domino Clementi relatio reperitur fuiſſe facta, dixit, aſſeruit, docuit, tenuit, & defendit illum errorem, videlicet quod abdicatio proprietatis & dominii & omnis juris & juriſdictionis temporalis tam in ſpeciali quam in communi & uſus pauper omnium rerum utibilium eſt lampas noſtrae fidei & de eſſentia ſive ſubſtantia ac integritate perfectionis evangelicae & vitae apoſtolicae, & quod Epiſcopi, qui adinſtar Apoſtolorum profeſſi ſunt vitam apoſtolicam, ad haec tenentur, & quod contra dicere vel ſentire eſt haereticum, & quod dicere Chriſtum non impoſuiſſe haec ſuis Apoſtolis & ſpiritualibus ſectatoribus ſub praecepto eſt Chriſti vitam & evangelium blaſphemare. Qui quidem error in ſcriptis & libris Petri Iohannis, maxime in tractatu de altiſſima paupertate, & in dicta poſtilla ſuper Apocalypſim dogmatiſatur; & quem errorem tam magiſtri, quibus veſtra ſanctitas commiſit, quam alii pluries judicaverunt haereticalem manifeſte.

Tertio dicit quod praedicti frater Petrus in ſuis libris & frater Vbertinus tam in prædictis libellis & confeſſionibus ejus quam etiam in quibuſdam aliis confeſſionibus & libellis docent, aſſerunt, tenent, & defendunt quod regula fratrum Minorum eſt vere & proprie idem quod evangelium, & quod idem eſt evangelium & dictam regulam promittere, & quod pro eodem eſt votum & obſervantia evangelii & regulæ prædictæ, & quod paupertas evangelica per Chriſtum Apoſtolis tradita & impoſita ſub præcepto ſive voto abdicationem paupertatis & dominii in ſpeciali & in communi & uſum pauperem & arctum rerum eſſentialiter comprehendit, & ex utroque tamquam ex partibus eſſentialibus integratur, & quod conſervatio in futurum tamquam paupertati apoſtolicæ contraria in evangelio & dicta regula directe prohibetur, & quod per votum & obſervantiam evangelii intelligitur obſervantia regulæ prædictæ, & e contrario, & quod idem omnino ſignificatur nomine evangelii & nomine regulæ prædictæ. Quæ quidem dicta tam magiſtri quibus ſanctitas veſtra commiſit quam alii plures magiſtri & doctores judicaverunt hæretica manifeſte. Et Inquiſitores hæreticæ pravitatis contra Serabaytas & Beginos dictos errores tenentes tamquam contra hæreticos proceſſerunt, & eos propter illud extremo judicio tradiderunt curiæ ſeculari.

Quarto dictus frater Bonagratia dicit quod ad defenſionem manifeſtæ hæreſis de generatione eſſentiæ in divinis & diſtinctione & triplicatione ipſius eſſentiæ, quæ ſupra ſcripta eſt in primo articulo ſeptem articulorum, quam hæreſim ſæpedictus frater Petrus Iohannis docuit in libris & ſcriptis ſuis, præfatus frater Vbertinus in ſuis libellis & confeſſionibus quos fecit, & quibus utitur, & maxime in illo qui incipit *Sanctitati apoſtolicæ*, arguit judicium magiſtrorum in ſacra pagina dicentium dictam poſitionem fratris Petri Iohannis obviare determinationi Concilii generalis, & dicit, tenet, & defendit dictam poſitionem fratris Petri in hæc verba: *Falſo dicunt cum dicunt quod ſacrum Concilium dicit quod eſſentia, prout eſt in patre & idem quod perſona patris, nullo modo poteſt dici generans. quod ſacrum Concilium dicere non videtur. Et frater Petrus Iohannis non intendit impingere in ipſum Concilium, immo ipſum Concilium concordare cum Nicæno Concilio nititur, dicens quod eſſentia eſt de ſe nomen communiſſimum & præ ceteris abſtractum & abſolutum. Vnde in quantum eſt commune & abſolutum & nulli perſonæ appropriatum, non competit ſibi ſtare pro una perſona vel pro ſolis duabus, ſed pro omnibus ſimul, in quantum ſunt unum. Idcirco eſſentia in quantum eſt abſolutiſſime & abſtractive ſumpta & nulli perſonæ appropriata, non generat, nec gignitur, nec procedit; quia in quantum talis, non ſtat proprie pro ſola perſona patris vel filii vel ſpiritus ſancti, nec pro eſſentia, in quantum eſt propria hujus vel illius perſonæ. Et ex hac explicatione Concilii & ex multiplici uſu ſanctorum habetur quod eſſentia ſtat aliquando communiter & abſolute non ſupponendo pro hac vel illa perſona nec pro aliquo proprio illius vel illius, aliquando vero ſtat pro eſſentia in quantum eſt propria hujus vel illius perſonæ, ac per conſequens pro hac vel illa perſona. Ecce cum quanta ſobrietate loquitur ipſe frater Petrus de eſſentia divina, & plures alii magiſtri ſolemnes utuntur diſtinctione prædicta quam facit dictus frater Petrus.* Haec ſunt verba dicti fratris Vbertini ad excuſationem & defenſionem dicti erroris fratris Petri prolata. Et in alia reſponſione dicit idem frater Vbertinus in haec verba. *Ego nunquam dixi niſi quod nullus intelligens unquam negaret, ſcilicet quod eſſentia divina ſumta pro perſona patris, & prout eſt idem quod pater, poteſt dici generans.* Haec verba fratris Vbertini, quae ſecundum judicium magiſtrorum ſolemnium ſunt haeretica judicata, tamquam aperte obviantia generali Concilio poſito extra de ſumma Trinit. & fide cathol. cap. *Damnamus*, in quo manifeſte diffinitur quod illa eſſentia quae eſt pater, filius & ſpiritus ſanctus, tres ſimul perſonæ, & quæ eſt ſigillatim pater & in patre, qui generat, non eſt generans, & quae ſigillatim eſt filius & in filio qui gignitur, non eſt genita, & quae ſigillatim eſt ſpiritus ſanctus & in ſpiritu ſancto qui procedit, non eſt procedens, & quod diſtinctio ſolummodo eſt in perſonis & non in eſſentia, & intimatur ſecundum ipſum Concilium quod eſſentia nunquam veraciter abſtrahitur ab aliqua perſonarum, ſed ſemper eſt tres ſimul perſonae, & ſigillatim quaelibet earundem, & quaelibet illarum perſonarum eſt illa tota eſſentia divina quae ſemper omnino per identitatem & communitatem eſt in tribus perſonis & ſigillatim in qualibet trium perſonarum tota, licet ſit ſub diverſis modis habendi qui non diſtrahunt ipſam eſſentiam a ſua unitate reali. Et dicitur quod quicunque opinionem contrariam diffinitioni dicti Concilii

defen-

Digitized by Google

defendere vel approbare praeſumpſerit, tamquam hæreticus ab omnibus confutetur.

Quinto dicit dictus frater Bonagratia quod ex dictis libellis compoſitis per dictum fratrem Ubertinum ad defenſionem dictae doctrinae, & ex eo quod dictis libellis coram auditoribus deputatis a ſanctitate veſtra uſus eſt, & dicta in eis approbavit & approbat tanquam catholica & catholice dicta, & ex quodam alio libello per ipſum fratrem Ubertinum poſt diffinitionem Concilii Viennenſis compoſito ad defenſionem dictae docrinae, qui libellus incipit *Ne in poſterum*, judicialiter & ſponte per ipſum oblato coram ipſis auditoribus & regiſtrato, & ex aliis pluribus confeſſionibus factis per ipſum Ubertinum & regiſtratis in actis, & ex aliis productis & actis coram dictis auditoribus conſtat quod ipſe frater Ubertinus & ante Concilium Viennenſe & poſt ipſum Concilium, & poſt ſententiam Inquiſitorum prolatam contra articulos manifeſte haereticos, & qui in damnatam haereſim incidunt, fuit & eſt credens, defenſor, ſectator, & fautor praedictorum errorum de quibus coram ſanctitate veſtra agitur & actum eſt contra eum.

Sexto dicit dictus frater Bonagratia quod non relevat nec excuſat in aliquo dictum fratrem Ubertinum illud quod ipſe in ſuis articulis niſus eſt probare fuiſſe dictum per praefatum Dominum Clementem Papam in conſiſtorio publico praeſentibus fratre Raymundo tunc procuratore ordinis praedicti & ipſo fratre Ubertino, quorum verborum Domini Clementis talem aſſerit fuiſſe tenorem: *Hortamur ac monemus vos quod ſicut ad divinum ſervitium eſtis vocati, ſic pacem & unitatem caritativam inter vos habeatis, & omnia quae praeterierant veniant in oblivionem, & nullus alii inſultet de praeteritis, nec contriſtet*. Et tunc frater Ubertinus dixit: *Pater ſancte, ipſi vocant nos haereticos & hæreſum defenſores, & de hoc pleni ſunt quaterni in archivis veſtris & in regiſtris fratrum. Vel ipſi proponant iſta, & defendemus nos; vel ipſi revocent, quia alias nec ipſi nobiſcum nec nos cum eis poſſemus pacem habere*. Ad quæ ipſe Dominus Papa reſpondit: *Quod dicitis quod aliqui vocant vos haereſum defenſores, dicimus papaliter quod per ea quae coram nobis dixiſtis vel allegaviſtis, vel alii contra vos, nullus debet haereticos vel defenſores hæreſum vos vocare, & ea quae de hac materia in noſtris archivis continentur vel alibi, totaliter delemus, & nolumus quod contra vos habeant aliquam roboris firmitatem*. Haec verba articulorum dicti fratris Ubertini, ſuper quibus articulis dictus frater Raymundus de Franciaco teſtis productus per ipſum fratrem Ubertinum, & quo teſtimonio uſus eſt, nec improbare illud poteſt, dicit quod praefatus Dominus Clemens dixit in conſiſtorio in haec verba, videlicet. *Per ea quæ coram nobis in hoc negotio allegaviſtis, vel alii contra vos, quae nos ſciamus, nullus debet hæreticos vel defenſores hæreticorum vos vocare*. Et vere dicta verba, eſto quod eſſent probata, non relevant nec excuſant dictum fratrem Ubertinum, ſed potius aggravant & accuſant. Primo non relevant nec excuſant eum ab his quae dixit, tenuit, & aſſeruit defendendo dogmatizata per ipſum fratrem Petrum in poſtilla per eum compoſita ſuper Apocalypſim; quia articuli tracti de poſtilla praedicta, de quorum defenſione nunc agitur principaliter contra ipſum fratrem Ubertinum, ut ſuperius dictum eſt, nuſquam reperiuntur fuiſſe propoſiti coram ipſo Domino Clemente, nec reperitur quod ſciverit illos ibidem contineri, nec quod commiſſionem aliquam fecerit de ipſis articulis & de defenſione eorum, nec quod aliqua ſuper his ſibi relatio facta fuerit; ac per conſequens verba prædicta, *videlicet per ea quæ coram nobis dixiſtis*, nullo modo poſſunt ad ipſos articulos tractos de poſtilla nec ad eorum defenſionem extendi, non obſtante quod dicitur quendam libellum oblatum fuiſſe tempore Viennenſis Concilii coram praefato Domino Sabinenſi & ſociis deputatis ſuper examinatione dictorum ſeptem articulorum & librorum dicti fratris Petri, in quo libello dicuntur in ſubſtantia contineri articuli de poſtilla, quia in commiſſione facta ipſi Domino Sabinenſi & ſociis non veniebat cognitio de ipſis articulis & de defenſione eorum. Unde reſponderunt quod non admittebant ipſum libellum &c. Nec de his cognoverunt, nec relationem aliquam fecerunt de his, nec ultra formam commiſſionis facere debuerunt nec potuerunt. Praeterea non ſequitur. Datus fuit talis libellus coram Domino Sabinenſi & ſociis, ergo Dominus Clemens ſcivit & cognovit contenta in eo. Item non relevant nec excuſant ipſum fratrem Ubertinum a defenſione ſeptem articulorum qui propoſiti fuerunt coram ipſo Domino Clemente, & quorum examinationem commiſit utrum continerentur in dictis libris; quia nuſquam reperitur quod coram ipſo Domino Clemente fuerint propoſita nec allegata illa quae continentur in praedictis libellis *Sanctitati apoſtolicae*, & *Super tribus ſceleribus*, & aliis praeallegatis libellis compoſitis per ipſum fratrem Ubertinum ad defenſionem ipſorum ſeptem articulorum & aliorum errorum dogmatiſatorum in dictis libris fratris Petri, nec quod Dominus Clemens unquam commiſerit examinationem dictorum libellorum nec contentorum in eis, nec quod aliqua relatio de eis & contentis in eis ſibi facta fuerit. Praeterea non dicitur quod frater Ubertinus ſit cenſendus haereticus vel defenſor haereſum ex his quae dixit & allegavit coram Domino Clemente, ſed ex contentis in dictis libellis per eum compoſitis, quae nuſquam reperiuntur fuiſſe dicta & allegata per eum coram ipſo Domino Clemente. Nec etiam dicitur quod ſit cenſendus haereticus vel defenſor haereſum ex his quae accuſantes ipſum fratrem Ubertinum dixerint & allegaverint coram ipſo Domino Clemente; quia hoc dicere foret ridiculum & inſanum; ſed dicitur quod eſt cenſendus defenſor & fautor haereſum ex eo quod ſponte & in multarum animarum perniciem fecit, compoſuit, & publicavit dictos libellos ad defenſionem dictorum errorum & doctrinae, in quibus tenet, ſectatur, & defendit dictos errores, in quibus multa continentur quae incidunt in haereſes ..... Ex quibus manifeſte ſequitur quod verba quae dicuntur fuiſſe prolata per ipſum Dominum Clementem nullo modo poſſunt exs........ ut abſolviſſe videatur ipſum fratrem Vbertinum ab his de quibus nunc coram veſtra ſanctitate agitur contra eum. Præterea per dicta verba quæ dicuntur fuiſſe prolata per Dominum Clementem nullo modo poteſt argui quod ipſe videatur dictum fratrem Vbertinum abſolviſſe nec abſolvere voluiſſe ab his de quibus agitur contra eum; quia, ut patet ex forma & tenore ipſorum verborum, fuerunt verba enuntiantis & inducentis partes ad pacem habendam inter ſe. Et quia frater Vbertinus conquerebatur quod fratres diffamabant ipſum, vocando eum defenſorem hæreſum, ideo volens quod fratres non diffamarent eum, & referens ſe ad diffamationem & detractionem illicitam pacis impeditivam, dicitur verba prædicta protuliſſe. Nuſquam autem dici poteſt quod praedictum fratrem Vbertinum abſolviſſe videatur quod non poſſet impeti de crimine haereſis, ſive defenſione & fautoria criminis haereſis, ſi poſſet veraciter oſtendi ipſum in tale crimen incidiſſe, cum hoc non ſit diffamare. Diffamator enim dicitur qui non probanda objicit contra fratrem, XLVI. *di. Accuſatores.* Immo manifeſte patet per bullam litteræ exemptionis datæ fratri Vbertino quod ipſe Dominus Clemens voluit quod contra ipſum fratrem Vbertinum poſſit de crimine hæreſis, ſi incidiſſet vel incideret in illud, agi coram eo & auditoribus per eum datis & dandis & coram ſucceſſoribus ſuis, ſicut nunc agitur, cum in ipſa littera exemptionis dicatur in haec verba. *Inhibemus ne quis ipſorum propter culpam aliquam præteritam, præſentem, vel futuram vere vel falſo impoſitam vel imponendam, pro qua eſſent*

pœna

Digitized by Google

ſorum notabili puniendi, poſſit a quibuſcunque puniri, vel pro talibus judicialiter conveniri, niſi coram nobis vel ſucceſſoribus noſtris aut auditoribus deputatis vel deputandis. Haec verba bullae exemptionis praedictae; ex quibus patet quod pro crimine haereſis impoſito vel imponendo voluit eum poſſe judicialiter conveniri & puniri coram illis de quibus in ipſa littera dicitur. Praeterea dicti articuli & probationes receptae ſuper his nullius ſunt alias firmitatis, cum fuerint recepti & receptae Inquiſitore haereticae pravitatis, qui principalis fuit pars, & de cujus facto agebatur, & fratre Monaldo procuratore ordinis nullatenus monitis nec citatis. Frater enim Bonagratia non fuit admiſſus ut procurator alicujus, ſed per determinationem veſtrae ſanctitatis fuit admiſſus ſolum ut inſtructor. Fuerunt etiam recepti contra formam commiſſionis factae ipſis auditoribus, ut in aliis allegationibus ſuper his factis plenius oſtenditur & continetur. Accuſant autem & aggravant praedicta fratrem Vbertinum praedictum ex eo quia qui exquiſitis coloribus & fallaciis nititur tegere ſeu excuſare errorem, defenſor & ſectator ipſius erroris eſt cenſendus, ut ſuperius eſt probatum.

Vltimo dicit dictus frater Bonagratia quod ipſe frater Vbertinus fuit defenſor, ſectator, & fautor Fraticellorum dicentium & tenentium quod a tempore Domini Caeleſtini Papae non fuit in Eccleſia Papa verus, & plures alios errores, & ad hoc probandum inducta ſunt in actis plura documenta quae videantur, de quibus praefatus Dominus Clemens nunquam cognovit, nec commiſſionem aliquam fecit, nec eidem de his relatio aliqua facta fuit.

Et praedicta dat dictus frater Bonagratia, ſalvo jure addendi, ſi expediens fuerit, & declarandi.

Poſtea paulo infra ſequitur in veteri codice.

Quod autem praefatus frater Vbertinus ante Concilium Viennenſe fuerit defenſor & fautor dictorum errorum tam dogmatiſatorum in dicta poſtilla ſuper Apocalypſim quam praedictorum aliorum ſeptem errorum probatur per libellos & confeſſiones factos & factas per dictum fratrem Vbertinum & judicialiter productos, & maxime per libellos & confeſſiones quorum unus incipit *Sanctitati apoſtolicae*, alter *Super tribus ſceleribus*, & etiam per alias confeſſiones ipſius fratris redactas in actis & legitima documenta.

Quod etiam poſt dictum Concilium Viennenſe dictus frater Vbertinus fuerit fautor dictorum errorum probatur per confeſſiones ipſius fratris Vbertini factas coram auditoribus in dicta cauſa deputatis per ſanctiſſimum Patrem Dominum Iohannem divina providentia Papam XXII. & in actis publicis redactas, & per legitima documenta.

Qu.... proteſtationes quas dicit ſe feciſſe quod non intendebat errores defendere. Et articuli..... produxiſſe ad probandum abſolutionem quam dicit fuiſſe factam per praefatum Dominum Clementem ...... nec excuſent a praedictis, plene oſtenditur per allegationes ſuper hoc factas quae..... videantur.

Reſponſio fratris Vbertini de Caſali ordinis Minorum circa quaeſtionem de paupertate Chriſti & Apoſtolorum, facta coram Iohanne XXII. apud Avinionem in conſiſtorio.

An. 1330. AD quaeſtionem quae verſabatur coram ſummo Pontifice in conſiſtorio, utrum dicere Chriſtum & Apoſtolos non habuiſſe aliquid in communi nec in ſpeciali ſit haereticum, de qua quaeſtione & controverſia inter Minores & Praedicatores, dicentibus Minoribus quod nihil habuerunt nec in communi nec in ſpeciali, & contrarium affirmare haereticum eſſet, & e contradicentibus Praedicatoribus quod imo habuerunt, & hoc negare erat haereticum, neutra dictarum partium tunc temporis diſtinguente, ſed una affirmante & altera negante, requiſitus fuit frater Ymbertinus de Caſale de mandato ſummi Pontificis per Reverendum Patrem & Dominum ſuum Nicolaum Cardinalem quod praedictae quaeſtionis breviter ſcriberet illud quod ſibi videretur tenendum. Et hoc anno Domini milleſimo CCCXXII. in quadrageſima, Dominica de paſſione, antequam ſummus Pontifex circa praedictam materiam aliquid diffiniſſet. Cujus reſponſionis tenor talis eſt.

Reſpondet frater Ymbertinus ad quaeſtionem praedictam quod non eſt reſpondendum ſimpliciter affirmative vel negative, ſed per duplicem diſtinctionem elicienda eſt veritas fidei, & haereſis reſpuenda. Et primo diſtinguendum eſt de Chriſto & Apoſtolis quia fuerunt in duplici ſtatu. Fuerunt enim univerſales Praelati Eccleſiae novi teſtamenti. Et hoc modo habuerunt quantum ad auctoritatem diſpenſationis & diſtributionis pro dando pauperibus & miniſtris Eccleſiae, ſicut de Apoſtolis ſcribitur actuum quarto. Et negare quod non habuerunt iſto modo, eſſet haereticum. Et de hoc non eſt quaeſtio. Et iſta praelationis auctoritate dicitur Chriſtum loculos habuiſſe. Vna de cauſis. Secundo Chriſtus & Apoſtoli poſſunt conſiderari ut ſpeciales perſonae & ſingulares, fundamenta perfectionis religioſae, & perfecti contemptores mundi, & gloriam mundi calcantes, & Chriſti conſilia de ſupererogatione perfectionis in ſe ipſis obſervantes, & omnibus volentibus eſſe perfectis exempla lucida tribuentes. Et ſi iſto modo quaeratur utrum habuerunt, diſtinguendum eſt de duplici modo habendi. quorum primus eſt civilis & mundanus. quem modum leges imperiales diffiniunt, duas ejus partes oſtendentes in haec verba: *Ea in bonis noſtris eſſe dicuntur in quibus habitis exceptionem & defenſionem & non habitis repetitionem habemus.* Et ita patet quod qui habet aliquid civiliter & mundane, poteſt defendere rem ſuam ab invaſore & repetere a detentore ſub judice imperiali. Et iſto modo dicere quod Chriſtus & ejus Apoſtoli habuerunt res mundanas eſt haereticum. quia eſt contra ſanctum evangelium. Nam Chriſtus Rex pacificus, qui Apoſtolos ſuos fecit filios pacis, ſeparavit eos ab omni mundano litigio, dicens Matthaei V. *Et qui vult tecum in judicio contendere & tunicam tuam tollere, praebe ei & pallium.* Et Lucae VI. *Ab eo qui aufert tibi veſtimentum, & tunicam noli prohibere; & qui aufert quae tua ſunt, ne repetas.* In quibus verbis Chriſtus removet a ſe, quia ipſe fecit quod docuit, & a ſuis Apoſtolis, quibus hoc impoſuit, duas partes juris civilis & mundani, ſcilicet defenſionem habiti & repetitionem perditi. Et iſte modus habendi dicitur proprie habere in re proprietatem & dominium. Et Chriſtus & ejus Apoſtoli iſto modo non habuerunt. Idcirco beatus Petrus pro ſe & aliis Apoſtolis dixit ſicut verus pauper: *Ecce nos reliquimus omnia.* Matth. 19. Dicere ergo quod Chriſtus & Apoſtoli ejus iſto modo habuerunt in communi vel in ſpeciali proprietatem & dominium, eſt haereticum & blaſphemum. Et iſto modo credo quod intelligant fratres Minores, licet non diſtinxerunt diverſos modos habendi.

Alio modo poſſunt haberi res temporales, ſcilicet quantum ad jus naturale & communis caritatis fraternae. Et iſto modo Chriſtus & Apoſtoli habuerunt bona temporalia jure naturali, quod ab aliquibus dicitur jus poli, ad ſuſtentationem naturae, repellentes omnia quae divitias ſaperent vel delitias redolerent vel mundi pompam nutrirent. Et iſto modo habuerunt veſtes, panes, piſces, ſicut dicit Apoſtolus primae ad Timotheum: *Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti ſumus.* Nec aliqua profeſſio nec aliquod conſilium Chriſti eſt quod prohibeat talem modum habendi, ſcilicet quantum ad neceſſarium uſum vitae. Et ideo dicere quod Chriſtus & Apoſtoli ejus non habuerunt iſto modo, eſſet haereticum. Et iſto modo credo quod volunt dicere fratres Praedicatores. Tamen non diſtinxerunt de modo habendi.

Haec eſt reſponſio fratris Ymbertini, brevis & ſuc-

Digitized by Google

ſuccincta. Tamen ad repellendum opiniones contrarias oporter fieri magnum tractatum ad reſpondendum de loculis Chriſti, & verbis actuum Apoſtolorum, & dictis ſanctorum & ſtatutis Pontificum praecedentium, quae omnino concordant cum iſta reſponſione, ſicut fuir paratus frater Ymbertinus oſtendere manifeſte.

Hæc cedula fuit lecta in conſiſtorio; concorditerque utraque opinio reſpondit. Nos non reſiſtimus iſti cedulæ, fratres Minores allegantes id quod eſt ibi pro ſua parte. Item Pontifex lætus dixit: Nolumus plus audire, quia bene reſponſum eſt quæſtioni. Et tunc id quod dixit frater Ymbertinus fuit commendatum approbatum antequam aliquid ſtatueretur in contrarium. Hoc dixit, & nihil aliud diverſum ab iſto.

Hoc dixit anno Domini milleſimo CCCXXX. die XXVII. menſis Septembris, paratus oſtendere omni idem volenti intelligere quod quicquid in contrarium eſt ſtatutum, diffinitum, & ſcriptum, vel in diſputatis quæſtionibus determinatum, eſt hæreticum & inſanum & ſacræ ſcripturae & determinationi Eccleſiæ univerſalis inimicum. Item pro iſta fide paratus eſt mori & pati omne genus martyrii, niſi aliud quod non novit ſibi oſtenderetur. Ad hoc quod ſupradicta ſententia ſacræ ſcripturae Bibliae, vel diffinitionibus ſanctorum patrum, vel alicui articulo fidei contento in ſymbolo repugnaret. Haec dicit & nihil amplius de iſta controverſia.

Secundo notandum eſt quod ad tollendas cavillationes iſta quaeſtio vel materia eſt in tales terminos reſolvenda, Vnum ſcilicet ſervando vitam evangelicam quam Chriſtus inſtituit & ſervavit, & Apoſtoli ſervaverunt, & beatus Franciſcus in ſua regula ſervandam accepit, prout ſibi Eccleſia confirmavit, poſſit quis habere proprium in ſpeciali vel in communi civiliter & mundane, praedictam vitam in ſua perfectione ſervando. Et tenendum eſt pro fide indubitabili evangelii omnino quod non.

Examen judiciale Franciſci Veneti aſſeclæ Maſſilii de Padua.

I. ANno a nativitate Domini MCCCXXVIII. die XX. menſis Maii. Cum ad audientiam Sanctiſſimi Patris & Domini noſtri Domini Johannis divina providentia Papae XXII. perveniſſet quod Franciſcus filius dictus Dominae Johannae de Contrata ſanctae Mariae matris Domini de Venetiis Caſtellanenſis dioceſis hactenus fuiſſet in ſervitio perfidi hominis Maſſilii de Maynardino de Padua, & cum eodem Maſſilio moram traxiſſet diutius in civitate Pariſienſi & alibi, eundem Maſſilium aſſociando, coadjuvando, & dirigendo in diverſis & enormibus actibus & exceſſibus multiplicibus commiſſis per Maſſilium ſupradictum.

II. Item quod eidem Maſſilio & Iohanni de Janduno perfidis in componendo ſeu compilando quendam libellum continentem errores varios & diverſos ac multiplices contra praefatum Dominum noſtrum Summum Pontificem ſanctamque Romanam Eccleſiam & fidem catholicam ipſe Franciſcus & plures alii, ipſo ſciente & conſentiente & ratum habente, ſerviverant, conſuluerant, & faverant in civitate Pariſienſi praedicta.

III. Item quod ipſe Franciſcus dictum Maſſilium aſſociaſſet, & eidem Maſſilio & Johanni de Janduno aſtitiſſet in publicatione quam feciſſe dicebantur de libello & erroribus ſupradictis in civitate & extra civitatem Pariſienſem praedictam.

IV. Item quod in praedictis & circa praedicta & in multis aliis & diverſis exceſſibus per dictos Maſſilium & Johannem de Janduno enormiter perpetratis, praeſertim in tranſcribendo libellum praedictum, & de eodem libello copiam aliis pluribus faciendo, dederat eiſdem auxilium, conſilium, & favorem.

Item quod in receſſu dicti Maſſilii, quando de civitate Pariſienſi dicitur ad Ludovicum de Bavaria acceſſiſſe in Alamanniam, aſſociavit eundem Maſſilium, & ſibi libros portavit & alia, & ſpecialiter libellum continentem errores ſupradictos. V.

Item quod de praemiſſis & multis aliis delictis & exceſſibus ipſe Franciſcus erat & fuerat principaliter culpabilis, & etiam adhaeſerat Maſſilio & Johanni de Janduno praedictis ac multis aliis complicibus eorundem, & in compoſitione & compilatione libelli & errorum praedictorum & publicatione eorum dederat eis auxilium, conſilium, & favorem. VI.

Item quod multas litteras ſcripſerat & miſerat dicto Maſſilio in Alamanniam, & ab eodem Maſſilio plures litteras receperat in civitate Pariſienſi praedicta & in Romana curia & aliis locis diverſis eidem favendo, & etiam ſibi pecuniam mutuavit, & multos ſciebat homines qui dicto Maſſilio pecuniam mutuando & alias eidem & dicto Janduno & complicibus ſuis & eiſdem adhaerentibus in praemiſſis dederant auxilium, conſilium, & favorem. VII.

Vnde cum praemiſſa non debeant impunita conniventibus oculis pertranſire, dicto Franciſco in praeſentia venerabilis patris Domini Gasberti Dei gratia Arelatenſis Archiepiſcopi memorati Domini noſtri Papae Camerarii apud Avinionem infra palatium ejuſdem Domini noſtri perſonaliter conſtituto, proceſſit dictus Dominus Camerarius virtute commiſſionis ſibi factae, ut dixit, per praefatum Dominum noſtrum Papam oraculo vivae vocis ad inquirendum cum dicto Franciſco ſuper omnibus ſupradictis. Super quibus juravit idem Franciſcus dicere puram & ſimplicem veritatem quam ſciret inquirere, ſicut ſequitur.

Primo interrogatus dictus Franciſcus per praefatum Dominum Camerarium ſuper contentis in primo articulo, juramento ſuo praedicto, dixit ſe nunquam fuiſſe ſervitorem dicti Maſſilii, nec cum eo moram traxiſſe in eodem hoſpitio, niſi duntaxat ſerviendo ſibi ut ſcholaris, parando menſam & dando vinum aliquotiens, & raro, ſicut & nonnulli alii ſcholares Italici faciebant.

Item ſuper contentis in ſecundo articulo interrogatus ſuo juramento, negavit omnia in eo contenta fore vera, dicens quod ſi ipſe errores hujuſmodi ſciviſſet, eos revelaſſet Domino Epiſcopo Pariſienſi, nec ſcivit vel audivit aliquos interfuiſſe compoſitioni ſeu compilationi dicti libelli, exceptis dictis Maſſilio & Johanne de Janduno; de quibus audivit dici poſt receſſum dicti Maſſilii per duos menſes quod dicti Maſſilius & Johannes tantum compilaverunt dictum libellum. Et iſtud audiverat dici a Magiſtris legentibus Pariſius, & ab aliquibus religioſis heremitis. Et de hoc etiam dixit tunc eſſe famam publicam Pariſius, tempore quo ipſe Franciſcus erat ibi, poſt receſſum videlicet Maſſilii ſupradicti. Quo tempore dicebatur dictum libellum continere multas haereſes & errores contra fidem catholicam. Sed quid in particulari ſeu ſpeciali contineret libellus praedictus, dixit ſe nihil ſcire nec dici audiviſſe tunc niſi quod ſupra aſſeruit.

Item ſuper contentis in tertio articulo interrogatus juramento ſuo praedicto, reſpondit ut proximo, non credens, ut dixit, quod dicti perfidi viri fuiſſent auſi in civitate Pariſienſi talia publicare.

Item interrogatus per juramentum ſuum ſuper contentis in quarto articulo, negavit contenta in eo penitus vera eſſe.

Item interrogatus ſuper contentis in quinto articulo, negavit etiam omnia contenta in eo fore vera, aſſerens ſe nunquam vidiſſe, cognoviſſe, vel alias aſſociaſſe aliquem praedictorum Maſſilii & Johannis extra civitatem Pariſienſem, tamen aliquotiens aſſociavit dictum Maſſilium, tantum eundo videlicet ſpatiatum, & etiam viſitando aliquos infirmantes Pariſius, quia idem Maſſilius ſciebat in medicina & interdum practicabat.

Item ſuper contentis in ſexto articulo interroga-

tus,

Digitized by Google

tus, juramento ſuo, negavit omnia contenta in eo vera eſſe.

Item ſuper contentis in ſeptimo articulo interrogatus, dixit ſe nunquam ſcripſiſſe alicui dictorum Maſſilii & Johannis nec ab ipſis etiam litteras recepiſſe vel ab altero eorundem. De pecuniae mutatione dixit quod ipſe quandoque tradidit dicto Maſſilio de pecunia ſua, non mutuando, ſed ut eam ſibi cuſtodiret, & inde ſibi burſas miniſtraret, ſicut interdum ſibi unum vel duos florenos tradebat; & adhuc idem Maſſilius tenetur dicto Franciſco ratione dicti depoſiti in XIII. ſolidis Pariſienſibus. Item dixit quod dictus Maſſilius fingens cautelose ſe lecturum Pariſius curſum in theologia recepit pecuniam mutuo a quibuſdam amicis ſuis. Videlicet a Domino Roberto de Bardis ſtudente Pariſius recepit novem florenos auri mutuo. Item a Magiſtro Andrea de Reate Sirurgico recepit decem libras Pariſienſes. Item a magiſtro Petro de Florentia Phyſico decem florenos vel decem libras Pariſienſes. Item audivit dici quod Dominus Andreas de Florentia magiſter Regis Franciae mutuavit dicto Maſſilio pecuniam, tamen neſcit ſummam.

Interrogatus ſi praedicti mutuaverunt dictas pecunias memorato Maſſilio in receſſu ſuo, videlicet de Pariſius in Alamanniam, dixit quod non credit, ſed bene per unum vel duos menſes ante receſſum praedictum fuit factum dictum mutuum.

Item interrogatus quomodo ſciebat praedicta, dixit quod pro eo quia ea dici audiverat a dictis mutuantibus; qui dum ſciverunt receſſum ipſius Maſſilii, conquerebantur de ipſo, ac eundem publice de praedictis receptis per eum mutuo pecuniis diffamabant.

Examen judiciale fratris Franciſci de Eſculo ordinis Minorum.

Die Martis ſexta menſis Februarii exhibita per fratrem Franciſcum.

An. 1341. FRater Franciſcus de Eſculo ordinis Minorum conſtitutus in praeſentia Reverendi Patris Domini Sabinenſis Epiſcopi ad reſpondendum quibuſdam articulis infraſcriptis per eundem Reverendum Patrem & Dominum Sabinenſem Epiſcopum ſibi traditis reſpondet, praemiſſa & repetita proteſtatione per eum alias facta, ſcilicet quod omnia dicta ſua ſupponit correctioni & determinationi Domini noſtri Summi Pontificis & Apoſtolicae ſedis.

Ad primum articulum, qui noſcitur eſſe talis, quod dicere & aſſerere quod Chriſtus viam perfectionis oſtendens, & Apoſtoli eandem viam perfectionis ſequentes atque per exemplum in alios volentes perfecte vivere derivantes, nihil jure proprietatis, dominii, ſeu juris proprii in ſpeciali vel in communi habuerint, non eſt haereticum, ſed ſanum, catholicum, & fidele, reſpondet frater Franciſcus quod dicere & aſſerere quod Chriſtus viam perfectionis oſtendens, & Apoſtoli eandem viam perfectionis ſequentes atque per exemplum in alios volentes perfecte vivere derivantes, nihil jure proprietatis, dominii ſcilicet temporalis ſeu juris proprii, id eſt, juris proprietatis in ſpeciali vel in communi habuerunt, non eſt haereticum, ſed ſanum, catholicum, & fidele, prout in reſponſione & declaratione ad litteram miſſam Perpinianum & in reſponſione etiam ad libellum facta plenarie & multipliciter eſt oſtenſum, hoc tantummodo addens, quod praedicta concluſio per Dominum Nicolaum Papam III. declarata, & per nonnullos alios Romanos Pontifices approbata, & in corpore juris per ſedem apoſtolicam clauſa, nunquam fuit expreſſe per ſedem apoſtolicam ſicut non catholica & haeretica revocata, ſed potius ſicut catholica & ſana confirmata: quoniam ipſe etiam Dominus Iohannes Papa XXII. de quo magis alicui videretur, nunquam ipſam ſicut non catholicam & haereticam expreſſe revocavit, ſed potius confirmavit; prout patet in ſua conſtitutione *Quorundam exigit*, in qua declarationem praedicti Domini Nicolai III. notabiliter commendavit, & in conſtitutione. *Quia quorundam mentes*, in qua praedictam diffinitionem Domini Nicolai expreſſe conatus eſt per totum cum ſua diffinitione concordare & non diſcordare.

Ad ſecundam articulum, qui talis eſt, quod dicere & aſſerere quod uſus rerum uſu conſumptibilium poſſit a proprietate & dominio ſeparari non eſt haereticum dicere, ſed qui aſſerit contrarium, potius doctrinae catholicae & ſanctae matris Eccleſiae & profeſſioni ordinis ſancti Franciſci manifeſte adverſatur & haereticat atque errat, reſpondet frater Franciſcus, quantum ad primam partem dicti articuli, ſcilicet quod dicere & aſſerere uſum rerum uſu conſumptibilium poſſe a proprietate & dominio ſcilicet temporali ſeparari, non eſt haereticum, ſed catholicum; quoniam talis aſſertio conſonat rationi, atteſtatur ſacrae ſcripturae & ſanctorum doctrinae, & multiplici Eccleſiae auctoritate munitur & roboratur, prout continetur, aperte & plene in reſponſione & declaratione ad litteram miſſam Perpinianum & in reſponſione etiam ad libellum. hoc ſolum pro nunc replicans & explicans, quod diffinitiones Summorum Pontificum in illa reſponſione ad hunc articulum adductae nunquam fuerunt nec ſunt alicubi per ſedem apoſtolicam revocatae, ſed potius confirmatae. Nec etiam ipſe Dominus Iohannes XXII. de quo forte alicui magis videretur, eas alicubi, quod appareat, reperitur expreſſe revocaſſe, ſed potius confirmaſſe. Quod patet ex hoc quod in conſtitutione ſua *Ad conditorem* & in conſtitutione *Quia quorundam* & in libello * *Quia vir reprobus* nonnullas dictorum Pontificum diffinitiones hunc articulum tangentes adducit & cum ſua conſtitutione concordare nititur & in nullo repugnare. Et etiam quia conſtitutio Domini Clementis V. in qua diffinitiones ſuorum praedeceſſorum hunc articulum declarantes approbantur & confirmantur, eſt inter conſtitutiones generalis Concilii Viennae celebrati, & ſub nomine ac titulo generalis Concilii inſerta, & a Doctoribus Univerſitatum legitur & exponitur, non ſicut abolita & cancellata, ſed potius ſicut approbata & confirmata. Quod nullo modo credendum eſt quod fieret ſi eſſet revocata. Quare praedicta concluſio credenda eſt eſſe vera. Item quod uſus rerum uſu conſumptibilium poſſit a proprietate & temporali dominio ſeparari patet per ipſum etiam Dominum Iohannem XXII. qui in libello *Quia vir reprobus*, reſpondendo ad quandam objectionem, dicit ſic: *Ad illud autem quod dicit quod abdicatio proprietatis & dominii ſollicitudinem excludit, dicimus quod eſt falſum. Et quod talis abdicatio non excludat ſollicitudinem patet. Conſtat enim quod ſi dominus ſervo concederet peculium, quamquam proprietas ſeu dominium peculii in ſervum non cadat, non propterea ſervus a ſollicitudine eſt immunis. Alias injuſte reprehendiſſet Dominus ſervum negligentem de quo agitur Lucae xix. quia pecuniam a domino ſibi traditam non tradidit ad uſuras.* Haec ibi. Ex quibus aperte patet ſecundum Dominum Iohannem, quod dominium pecuniae, quae inter res uſu conſumptibiles numeratur, non cadit in ſervum, licet uſus pecuniae cadat in ipſum: quia volens oſtendere & probare quod peculium rei abſque proprietate & dominio conceſſum a domino ſervi ſollicitudinem non excludat, ponit exemplum & ſpecialiter exemplificat de ſervo qui pecuniam ſibi a domino traditam ad uſuras non tradiderat. Quare expreſſe ſentire videtur quod uſus pecuniae ſit ab ejus dominio ſeparabilis. Item aut omnes illi decem Summi Pontifices in praemiſſa reſponſione & declaratione nominati & numerati circa hunc articulum vere & catholice diffinierunt & ſanxerunt, aut falſe & erronee. Si vere & catholice, eorum diffinitio & declaratio manet penitus irrevocabilis & incommutabilis; quia quod ſemel fuit ve-

* Libellus ille extat apud Goldaſtum in to. 2. Monarchiae pag. 993. & ſeqq.

Ibid. pag. 1070.

rum pro aliquo tempore, ſemper neceſſe eſt & erit fuiſſe verum pro illo tempore in illa materia: quia veritas rerum in praeteritum tranſiens, amplius humanæ non ſubjacet poteſtati. Vnde xxv. q. II. c. *Si, ea* & eſt decretum beati Gregorii, legitur & habetur: *Si ea deſtruerem quæ anteceſſores mei ſtatuerunt, non conſtructor ſed everſor eſſe juſte comprobarer, teſtante veritatis voce, quæ ait: Omne regnum in ſe ipſum diviſum deſolabitur, & omnis ſcientia & lex adverſum ſe diviſa deſtruetur*. Si autem, quod abſit, falſe & erronee circa hunc articulum diffinierunt & declaraverunt, & ſedes apoſtolica a tempore beati Franciſci uſque ad tempora iſta circa veritatem evangelii & vitam Chriſti & Apoſtolorum erraverit & in errore continuo fuerit, pari jure & modo ſeu ratione dicetur quod ſedes apoſtolica in omnibus aliis diffinitionibus & determinationibus evangelicae veritatis errare & in continuo errore eſſe potuerit. Immo pari modo & ratione dicetur quod ſedes apoſtolica a tempore Apoſtolorum uſque nunc errare & in continuo errore eſſe potuerit in omnibus diffinitionibus & determinationibus evangelicae veritatis. Quod quam ſit abſonum & in Eccleſia Chriſti periculoſum, qui legit intelligat. Item ſi omnes illi Pontifices dicantur vel ponantur in diffinitione praemiſſae veritatis erraſſe, & ordo beati Franciſci, ab apoſtolica & univerſali Eccleſia per evidentiam facti approbatus, praedictas diffinitiones & declarationes dictorum Pontificum recepit & communiter tenuit ſicut catholicas & veras, ſequitur quod apoſtolica & univerſalis Eccleſia approbaverit ordinem publice & notorie in errore evangelii poſitum & conſtitutum. quod nonnulli videretur in unam ſanctam catholicam & apoſtolicam Eccleſiam impingere.

Item dicit frater Franciſcus quod quamvis Romanus Pontifex quicunque unus in poteſtate juriſdictionis habeat tantam auctoritatem decernendi quantam habuerunt ſimul omnes ſui praedeceſſores aut etiam ſui ſucceſſores habituri ſunt, tamen in teſtificatione catholicae fidei & teſtimonio evangelicae veritatis magis videtur eſſe ſtandum dicto & teſtimonio multorum quam dicto & teſtimonio unius ſolius, quando multi non minus in ſcientia & fide ac moribus fulgere noſcuntur quam unus, ſecundum regulam a beato Auguſtino traditam in ſecundo libro de doctrina Chriſtiana, ſcilicet quod in ſcripturis canonicis illae quas plures gravioreſque accipiunt praeferendae ſunt in auctoritate illis quas pauciores minoriſque gravitatis ſuſcipiunt.

Diſt. 19. c. 6. *In canonicis*,

Quantum autem ad ſecundam partem dicti articuli ſcilicet *Sed qui contrarium aſſerit &c.* reſpondet frater Franciſcus quod non videtur ſibi quod iſte articulus ſub iſta forma contineatur in littera miſſa Perpinianum verbaliter nec ſententialiter, licet in illa littera contineri videatur quod damnans ſententialiter aſſertionem dicentium uſum rerum uſu conſumptibilium poſſe a proprietate & dominio ſeparari, ſicut ſchiſmaticam & rebellem ac etiam contumacem, ſit erroris ſeminator & auctor. Nec etiam illa verba in illa littera contenta, quod aſſertio Domini Iohannis adverſatur doctrinae catholicae & ſanctae matris Eccleſiae & profeſſioni ſaepedicti ordinis, & quantum in ſe eſt eam haereticat, referuntur ad aſſertionem dicentis uſum rerum uſu conſumtibilium non poſſe a proprietate & dominio ſeparari, ſed referuntur ad alia ejus dicta & ſcripta. Videbatur enim per ea quae ibi narrantur quod ipſe dixiſſet & aſſeruiſſet aſſertionem dicentium Chriſtum & Apoſtolos viam perfectionis ſequentes abdicaſſe proprietatem omnium rerum in ſpeciali & in communi fore haereticam & ſicut haereticam judicandam. Quod videbatur adverſari doctrinae catholicae & ſanctae matris Eccleſiae & profeſſioni ſaepedicti ordinis, ac eam, quantum in ſe eſt, haereticam facere. Similiter in conſtitutione *Quia quorundam* videbatur damnaſſe aſſertionem dicentium uſum rerum poſſe eſſe juſtum, meritorium, & Deo acceptum abſque omni jure utendi litigioſo & in judicio contentioſo, ſicut erroneam & impoſſibilem. Quod quidem videbatur adverſari doctrinae evangelicae & ſanctae matris Eccleſiae & profeſſioni ordinis ſaepedicti. Quia, ſicut legitur Matthaei quinto capite, qui vult tecum in judicio contendere & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. Lucae vero ſexto capite legitur: *Qui aufert quae tua ſunt, ne repetas*. Quae quidem verba Matthaei & Lucae, qualitercunque intelligantur, ſive quoad praeparationem animi, ſive quoad executionem operis exterioris, qualitercunque inquam intelligantur, ſemper tamen ex eis habetur quod actus utendi rebus humanis poteſt eſſe juſtus & meritorius abſque omni jure utendi contentioſo & in judicio litigioſo, cum Chriſti conſilium non cadat ſuper impoſſibile nec ſuper aliquod erroneum. Quod autem dicta conſtitutio *Quia quorundam* videretur praedictam aſſertionem damnare ſicut impoſſibilem & erroneam apparet per illud quod in ea ſic continetur ad litteram: *Rurſus aſſeruiſſe dicuntur publice hujuſmodi aſſertores quod abdicatio juris in cujuſcunque rei proprietate & in uſu ejus eſt ſancta & meritoria propter Deum, & a Chriſto in ſe ipſo ſervata, Apoſtolis impoſita, & ab ipſis ſub voto aſſumpta, nec propter hoc uſus facti ad ſuſtentationem naturae in Chriſto & Apoſtolis convincitur eſſe non juſtus, ſed tanto juſtior atque perfectior, Deo acceptior, atque mundo exemplarior quanto plenius renuntiatum fuerit omni juri per quod poteſt ſic utens quomodolibet contendere vel in judicio litigare. Quae quidem aſſertio continet multa falſa, cum neque Chriſtum expropriationem prædictam omnis juris in cujuſcunque rei proprietate & in uſu ejus in ſe ſervaſſe, nec eam Apoſtolis impoſuiſſe, nec ſub voto ab Apoſtolis fuiſſe receptam, evangelica ſeu apoſtolica doceat hiſtoria, ſed contrarium evidentius præmiſſo articulo dicitur*. Et ea quae in dicta pronuntiatione ſeu dicto articulo continentur, quatenus eum tangunt, quantum ad crimina & ſcelera ſupradicta, negat eſſe vera, ſed penitus falſa, & a patre mendacii mendaciter & nequiter fore conficta, ſicut tota illa ſententia, ſi ſententia dici debet, plena eſt mendaciis & abuſionibus infinitis. Et non credit etiam frater Franciſcus quod praedicto ordini privilegia de quibus fit mentio in praedicta pronuntiatione ſint a ſede apoſtolica indulta. Et ſi dictus frater G. dicat praefatum ordinem praefata privilegia habere, petit de illis ſibi fieri copiam. Dicit etiam dictus frater Franciſcus quod praefato fratri G. non competiit tempore pronuntiationis praedictae cognoſcere & pronunciare de cauſa ſeu cauſis haereſis ſeu ſchiſmatis eo modo quo in praedicta littera & praedicta pronuntiatione continetur. Dicit etiam praedictas pronuntiationem, declarationem, condemnationem, ſeu ſententiam, ſi tamen taliter dici poſſunt, eſſe latas & pronuntiatas perperam & juris ordine non ſervato & ex falſis & nullis cauſis contra ipſum fratrem Franciſcum non citatum nec confeſſum nec convictum, abſentem & ignorantem, & ex praedictis & aliis cauſis ſuo loco & tempore proponendis eſſe iniquas, erroneas, & nullas. Et petit ac inſtanter requirit quod debeant, ſicut in rei veritate ſunt, erroneae, iniquae, & nullae pronuntiari & ſententialiter declarari ne ejus innocentia remaneat inique, erronee, & mendaciter apud fideles diffamata Chriſtianos. Et ad detegendum hujuſmodi errorem, iniquitatem, & nullitatem & defenſiones facti & juris contra declarationem, condemnationem, pronuntiationem, ſeu ſententiam praedictas proponendum & dandum & probandum, quatenus ſibi incumbit, petit inſtanter ſe admitti.

Praemiſſa omnia & ſingula ſupponit & ſubmittit frater Franciſcus correctioni, emendationi, & determinationi Domini noſtri Summi Pontificis Papae Benedicti XII. & apoſtolicae ſedis, proteſtans quod ea interpretari poſſit & declarare quotiens opus fuerit, & repetit ac vult pro expreſſis & repetitis haberi omnes proteſtationes per eum alias in ſuis reſponſionibus & declarationibus factas & habitas.

Ad

Digitized by Google

Ad alios articulos qui eliciuntur de littera condemnationis.

Ad alium articulum, qui noſcitur eſſe talis. Item dixit & aſſeruit idem frater Franciſcus quod Imperator poteſt Papam deponere & depoſitum declarare ac omni gradu eccleſiaſtico privare.

Ad hunc articulum reſpondet frater Franciſcus praemiſſa in dicto articulo contenta nullo modo fore vera, ſed omnino falſa, & a patre mendacii mendaciter fore conficta.

Ad alium articulum, qui talis eſt. Item quod clerus & populus urbis Romae poteſt Papam deponere & depoſitum declarare.

Ad hunc articulum reſpondet frater Franciſcus negando ſimpliciter praemiſſa fore vera, ſed omnino falſiſſima, & a patre mendacii mendaciter fore conficta.

Ad alium articulum, qui talis eſt. Item quod id quod adverſus eundem Dominum Iohannem Papam XXII. in urbe praedicta per aliquos perditionis & diffidentiae filios de facto attentatum extitit, legitime geſtum fuit.

Ad hunc articulum reſpondet frater Franciſcus negando ſimpliciter fore verum, ſed omnino falſiſſimum, & a patre mendacii mendaciter fore confictum.

Ad alium articulum, qui talis eſt. Item quod conſtitutiones per Romanum Pontificem canonice intrantem editae de conſilio ſacri ac fidelis collegii Dominorum Cardinalium ſunt haereticae.

Reſpondet frater Franciſcus negando hoc fore verum, ſed omnino falſum eſſe, cum ipſe pro defenſione conſtitutionum apoſtolicae ſedis animam ſuam expoſuerit & eas ab omni labe haereſis purgare conatus fuerit, prout ejus dicta & ſcripta manifeſte atteſtantur.

Ad articulum alium, qui talis eſt. Item quod obedire illi cui univerſalis Eccleſia obedit eſt animam damnare & ſe haereticum profiteri.

Reſpondet frater Franciſcus hoc non fore verum, ſed penitus falſum, cum ipſe pro fide univerſalis Eccleſiae & auctoritate apoſtolicae ſedis ſe multis periculis expoſuerit, ut evidentia facti oſtendit.

Praemiſſos hos quinque articulos dicit frater Franciſcus quod nunquam tenuit nec tenet. Et dato quod frater Michaël ipſos ſcripſerit, quod tamen ipſe non credit, nihil ad eum, nec propterea ipſe potuit aut debuit condemnari. Et ſi propterea condemnatus extitit, apparet ipſam condemnationem fuiſſe erroneam, iniquam, & nullam.

Ad alium articulum, quod idem frater Franciſcus adhaeſit praedicto fratri Michaëli olim ordinis fratrum Minorum Miniſtro generali ex quo depoſitus fuit & propter ſua demerita ut haereticus condemnatus, ac favit eidem, conſilium, auxilium, favorem, & aſſenſum praeſtitit eidem in praedictis & aliis multis quae ipſe ſcripſit & aſſeruit contra Dominum Iohannem Papam XXII. propter quae ipſum haereticum, ſchiſmaticum, & errantem, ac deviantem a fide catholica judicabant.

Reſpondet frater Franciſcus quod ipſe nunquam ſcivit fratrem Michaëlem fuiſſe propter ſua demerita ſicut haereticum condemnatum, & quod nunquam ei tamquam haeretico ſcienter adhaeſit, nec favit, nec conſilium vel auxilium praeſtitit in aliquo quod eſſet contra fidem catholicam vel evangelicam veritatem, & quod ſi appareat eundem fratrem Franciſcum praedicto fratri Michaëli in aliquibus faviſſe aut conſilium vel auxilium & aſſenſum praeſtitiſſe, hoc non fecit dictus frater Franciſcus favens dicto fratri Michaëli in haereſi, ſed tantum pro directione & ſalute animae ſeu conſcientiae ipſius fratris Michaëlis, in quo caſu licet etiam haereticis conſulere & viam ſalutis oſtendere. Et ſi ipſe. . . .

Cætera deſunt.

Vide Spondanum ad an. 1345. §. 3.

Fragmentum alterius ſcedulæ in eadem cauſa fratris Franciſci de Eſculo.

Deſunt nonnulla.

hujus mundi & praeſentis ſaeculi tranſitum. Utraque autem auctoritas adducta Danielis ad probandum Chriſtum fuiſſe Regem & Dominum, ponit Chriſti regnum aeternum & non habere finem. Quare medium rationis ad probandum dictum articulum videbatur conſequenter tollere generalem corporum reſurrectionem & futurum judicium generale. Item declarando qualiter Chriſtus, in quantum Deus, habuit regnum & univerſale rerum dominium, videbatur ponere & concludere mundum fuiſſe ab aeterno, in eo quod hoc volendo declarare dicit ſic in illo libello *Quia vir reprobus*: *Praemiſſa autem, ſcilicet regnum & univerſale dominium, habuit Ieſus, in quantum Deus, ab æterno, eo ipſo quod Deus pater genuit eum, & in quantum homo ex tempore, ſcilicet ab inſtanti conceptionis ſuæ, ex Dei datione.* Haec ibi. Ex quibus videbatur poſuiſſe conſequenter mundum fuiſſe ab aeterno: quoniam, ut ait beatus Auguſtinus quinto libro de trinitate Dei, *Deus non dicitur dominus creaturæ niſi creatura coëxiſtat ſerva.* Unde dicit ibi ſic: *Nam ſi dominus non dicitur niſi cum habere incipit ſervum, etiam iſta appellatio relativa, ex tempore eſt Deo. Non enim ſempiterna eſt creatura cujus ille eſt dominus. Ecce dominum eſſe non ſempiternum habet, ne cogamur etiam creaturam ſempiternam dicere: quia ille ſempiterne non dominaretur, niſi etiam iſta ſempiterne famularetur. Sicut autem non poteſt eſſe ſervus qui non habet dominum, ſic nec dominus qui non habet ſervum.* Haec Auguſtinus. Ex quibus patet, ſecundum Auguſtinum, quod qui ponit Deum fuiſſe Dominum ab aeterno, cogitur ponere creaturam fuiſſe ab aeterno. Praemiſſa autem aſſertio & declaratio Domini Iohannis expreſſe ponit quod Ieſus, in quantum Deus, habuit regnum & univerſale rerum dominium ab aeterno. Et per conſequens ponit Ieſum fuiſſe Dominum ab aeterno: quia habens regnum & dominium regni dicitur dominus illius regni, quia eſſe dominum alicujus rei non eſt aliud quam habere illam rem & ejus dominium. Quare praedicta aſſertio & declaratio videbatur implicite ponere mundum fuiſſe ab aeterno. Item quia in declarando modum quo Chriſtus fuit ſecundum ipſum Rex & Dominus in temporalibus, dicit quod Chriſtus, in quantum homo, non renuntiavit nec potuit renuntiare regno & dominio temporalium, & quod ſi feciſſet, contra ordinationem patris feciſſet. Ex quibus ſequi videbatur quod Chriſtus ſecundum Dominum Johannem non fecerit nec facere potuerit quod alios facere docuerat, & quod ſi feciſſet, contra patris ordinationem feciſſet, quia ipſe docuit alios renuntiare regno & dominio temporalium, ſicut patet Matthaei XIX. capite: *Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quae habes, & da pauperibus.* Cui autem conſulitur ut omnia ſua vendat & pauperibus diſtribuat, directe conſulitur ut dominio temporalium renuntiet. Et Lucae XIV. capite: *Omnis ex vobis qui non renuntiaverit omnibus quae poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Si ergo Chriſtus non renuntiavit nec renuntiare potuit regno & temporalium dominio, & ſi feciſſet, contra patris ordinationem feciſſet, videbatur ſequi quod Chriſtus non fecerit nec facere potuerit quod aliis faciendum eſſe conſuluit & admonuit, & quod ſi feciſſet, contra patris ordinationem feciſſet. quod videbatur directe impingere in doctrinam evangelii & vitam Chriſti. Et ideo propter praemiſſa & plura alia brevitatis cauſa dimiſſa, conſiderando cauſas & modum ponendi quo poſuit Chriſtum Regem & Dominum omnium temporalium, videbatur ille articulus erroneus, ſpecialiter quoad fratres ordinis

Apud Goldaſt. to. 2. Monarch. pag. 1451.

beati Franciſci, quibus illa littera mittebatur & dirigebatur.

Secundus articulus eſt, quod Chriſtus, in quantum homo viator, per ſucceſſum temporis habuit & acquiſivit ſibi in ſpeciali dominium proprium & immediatum veſtimentorum, alimentorum, calceamentorum, & loculorum, partim collatione fidelium, partim per emptionem.

Tertius articulus eſt, quod Chriſtus nunquam conſuluit Apoſtolis nec ſuis diſcipulis abdicationem proprietatis & dominii omnium rerum temporalium.

Ad iſtos duos articulos reſpondet frater Franciſcus prout continetur & habetur in reſponſione & declaratione facta ad litteram miſſam Perpinianum.

Quartus articulus eſt, quod Chriſtus non dedit aliam legem vivendi Apoſtolis quam diſcipulis, per diſcipulos intelligens omnes fideles Chriſtianos; ſicut manifeſte patet per ejus exempla, in quibus inter diſcipulos numerat Joſeph ab Arimathia, qui erat dives in ſpeciali, & Martham & Mariam, quae ſecundum ipſum erant dominae caſtri.

Reliqua deſunt.

LUDOVICI IV. BAVARI

Imperatoris ſubmiſſio facta Clementi VI. anno MCCCXLIV. *die* XVI. *menſis Januarii per Humbertum Dalphinum Viennenſem & alios ejuſdem Ludovici Ambaſſiatores.*

Ex l. II. Miſc. Bal. pag. 272. Ann. 1344. IN nomine Domini. Amen. Anno a nativitate ejuſdem MCCCXLIV. Indictione XII. die XVI. menſis Januarii, pontificatus ſanctiſſimi Patris & Domini noſtri Domini Clementis divina providente clementia Papae ſexti anno ſecundo, in Conſiſtorio publico, in quo fuere praeſentes Reverendi Patres Domini miſeratione divina, Petrus Peneſtrinus, Bertrandus Oſtienſis, Gaucelinus Albanenſis, Johannes Portuenſis, Annibaldus Tuſculanus, Petrus Sabinenſis Epiſcopi, Imbertus Tituli Baſilicae XII. Apoſtolorum, Talayrandus Tituli ſancti Petri ad vincula, Petrus Tituli ſancti Clementis, Gotius Tituli ſanctae Priſcae, Bertrandus Tituli ſancti Marci, Bernardus Tituli ſancti Cyriaci in Thermis, Guillelmus ſanctorum Quatuor coronatorum, Guillelmus Tituli ſancti Stephani in Cœlio monte, Helias Tituli ſancti Vitalis, Guido Tituli ſanctae Caeciliae, Stephanus Tituli ſanctorum Johannis & Pauli, Hugo Tituli ſancti Laurentii in Damaſo, Ademarus Tituli ſanctae Anaſtaſiae Presbyteri, ac Raymundus ſanctae Mariae Novae, Galardus ſanctae Luciae, Johannes ſancti Angeli, Bertrandus ſancti Euſtachii, & Guillelmus ſanctae Mariae in Coſmedin Diaconi Cardinales, praeſentibus etiam venerabilibus Patribus fratre Petro Jeroſolymitanenſi & fratre Geraldo Antiochenſi Patriarchis, ac Dominis Gasberto Narbonenſi, Orchelyo Salzeburgenſi Archiepiſcopis, Johanne Belvacenſi, Petro Claromontenſi, Stephano Caſſinenſi, Guillelmo Forojulienſi, Raymundo Morinenſi, Beltramino Bononienſi, Angelo Groſſetano, Bernardo Oſcenſi, Guidone Tutellenſi, fratre Petro Graſſenſi Epiſcopis, Gaffredo Lauſanenſi, Nicolao Lemonicenſi, Agapito Lunenſi Electis, Bernardo Stephani, Raymundo de Valle, Guidone de Calma, & Franciſco de Urſinis Domini Papae Notariis, & diſcretis viris Dominis Guillelmo de Norwico, Johanne de Blandiaco, Amanevo de Mota, Bernardo de Novodompno, Petro Alamandi, Bertrardo Hugonis de Cardalhaco Auditoribus ſacri palatii apoſtolici, Guillelmo de Poſterela, Petro Villaris, fratre Petro Baſterii, Hugone de Arpajone, Jacobo de Placentia, Galhardo Nigri Domini Papae Capellanis, Carlino de Madalbertis de Cremona, Blaſio de Senis, Franciſco de Lanceo, Henrico de Aſt, Franciſco de Aquila, Jacobo de Mediolano in Romana Curia Advocatis, ac Guillelmo de Bos, Johanne de Amelio, Michaële Ricomanni, & Bertrando de Chiannaco Clericis Camerae dicti Domini noſtri Papae, & Notariis publicis infraſcriptis, & alia Praelatorum & perſonarum eccleſiaſticarum & ſecularium multitudine copioſa, perſonaliter conſtituti magnificus & potens vir Dominus Humbertus Dalphinus Viennenſis, ac venerabiles viri Domini Marquardus de Randegg juris canonici Profeſſor, Electus & Praepoſitus Bambergenſis, Eberhardus de Tuminaroe Praepoſitus Auguſtenſis Eccleſiarum, & Ulricus de Auguſta Protonotarius, Ambaſſiatores, nuncii, & procuratores magnifici viri Domini Ludovvici de Bavaria, qui ſe Regem Romanorum nominat, facta per dictum Dominum Marquardum quadam propoſitione verbali, in qua multa mala & exceſſus, crimina & delicta, quae commiſerat idem Ludovvicus contra ſanctam Romanam Eccleſiam tempore ſanctae memoriae Domini Johannis Papae XXII. in perſona ipſius Domini Johannis & contra unitatem & libertatem Eccleſiae ſacroſanctae, & quaſi omnia contenta in quodam procuratorio, de quo infra fit mentio, verbo narravit, vice & nomine ipſius Domini Ludovvici de Bavaria exhibuerunt & produxerunt quandam litteram, quam dicebant eſſe procuratorium dicti Ludovvici, ſcriptam & ſignatam, ut prima facie videbatur, manu & ſigno Ottonis Ameldorf de Vinezman Clerici Bambergenſis dioceſis & Romarii Hormelin Clerici Conſtantienſis dioceſis publicorum auctoritate ſedis apoſtolicae Notariorum, & ſigillatam impendenti quodam ſigillo rotundo in cera crocea, in quo in medio ſculpta erat quaedam imago hominis habentis infulam in capite ſuo, ſedentis inter duas aquilas, habentis ſub pedibus ejus duos leones, & tenentis in manu dextra quoddam ſceptrum & in manu ſiniſtra quoddam pomum rotundum, in cujus circumferentia hae litterae legebantur: *Ludovicus quartus Dei gratia Romanorum Imperator ſemper auguſtus.* Et a tergo dicti ſigilli erat quaedam impreſſio alterius parvi ſigilli, in qua erat ſculpta quaedam aquila, & in circumferentia ipſius hae litterae legebantur: *Juſte judicate filii hominum.* Quae quidem littera de ipſius Domini noſtri Papae mandato ibidem publice lecta fuit; ipſaque ex integro lecta, ſupranominati Ambaſſiatores, nuntii, & procuratores, habentes, ut dixerunt, inter cetera a dicto Domino Ludovico de Bavaria plenam & liberam poteſtatem & ſpeciale mandatum, prout ex forma dicti procuratoris, cujus tenor deſcribetur inferius, conſtare dixerunt, ponendi & ſubmittendi dictum Dominum Ludovvicum de Bavaria, res, ſtatum, velle & nolle, nihil ſibi proprii arbitrii retinendo, abſolute & liberaliter in manibus dicti Domini noſtri Papae, ejuſque diſpoſitioni & ordinationi ipſius Domini Ludovvici de Bavaria perſonam, res, ſtatum, velle & nolle, nihil ſibi proprii arbitrii retinendo, pro malis & exceſſibus, delictis, & criminibus contra dictum Dominum Johannem, Eccleſiam Romanam & etiam univerſalem commiſſis, & contra unitatem & libertatem ejuſdem Eccleſiae ſacroſanctae. Et pro emenda & ſatisfactione omnium praemiſſorum facienda eidem Eccleſiae ſacroſanctae, prout habent, ut praefertur, a dicto Domino Ludovvico in mandatis, ex deliberato propoſito & ſpontanea voluntate, licet per dictum Dominum noſtrum Papam, facta prius aliquali collatione juxta exigentiam agendorum, ſemel & pluries dicti Ambaſſiatores, nuntii, & procuratores exhortati fuiſſent quod in tanto negotio, priuſquam facerent, viderent & deliberarent quid circa praemiſſa eſſent acturi & quod nollent ficrive aliquid agere & verbis ſolum dicere & non realiter, & facto quae dicebant attendere, quia Deus, cujus vices tenet in terris Eccleſia, irrideri non poteſt, & quod non crederent quod ipſe indiſcretam remiſſionem faceret, licet miſericordiam non negaret, plena deliberatione iterum habita inter eos abſolute & liberaliter ipſum Dominum Ludov-

Digitized by Google

Ludovvicum, ſcilicet perſonam, ſtatum, res, & bona ipſius, poſuerunt in manibus praefati Domini noſtri Papae, ipſiuſque & alia ſupradicta & ejus ordinationi & diſpoſitioni pro omnibus ſupradictis exceſſibus & emenda & ſatisfactione fiendis pro eis & omnibus in littera procuratoria infraſcripta contentis totaliter ſubmiſerunt. Et ad praedictorum majoris roboris firmitatem ſupranominati Ambaſſiatores, nuntii, & procuratores, & ipſorum quilibet, juraverunt tactis ſacroſanctis evangeliis in animam ipſius Domini Ludovvici praedicta omnia & ſingula poſita, ut praefertur, & ſubmiſſa attendere & complere & effectualiter obſervare quicquid dictus Dominus noſter ſuper praedictis duxerit ordinandum, & non contra facere vel venire per ſe vel alium ſeu alios, directe vel indirecte, publice vel occulte, aliqua ratione ſeu cauſa. Et ibidem dictus Dominus noſter Papa, audita dictorum Ambaſſiatorum, nuntiorum, & procuratorum propoſitione & ſubmiſſione, & aliis per ipſos dictis, factis, & juratis, humilique petitione & ſupplicatione ipſorum tam ſuper expreſſatis ſuperius quam aliis in dicto procuratorio contentis, multarum animarum periculis, quae propter dictum Dominum Ludovvicum & perpetrata per eum ſunt diverſis pœnis & ſententiis, involutae, affectu paterno compatiens, hujuſmodi poſitionem, ſubmiſſionem perſonae ipſius Domini Ludovvici de Bavaria, rerum, ſtatus, abdicationem proprii arbitrii ipſius in ſe miſericorditer & gratioſe recipiens, dixit & proteſtatus fuit quod licet quantum ad relaxationem proceſſuum contra ipſum Dominum Ludovvicum factorum, & pœnarum quas propter praemiſſa incurrerat, intenderet miſericorditer agere cum eodem, quantum ſibi cum honore Eccleſiae videretur, indiſcretam tamen remiſſionem facere nullatenus intendebat. De quibus omnibus & ſingulis dictus Dominus noſter mandavit, & ipſi Ambaſſiatores, nuntii, & procuratores requiſiverunt, per nos Notarios infraſcriptos & noſtrum quemlibet fieri unam, duo, & plura publica inſtrumenta. Actum &c.

LITANIÆ VETERES

ECCLESIÆ BELLOVACENSIS.

Ex L. II. Miſc. Bal. pag. 143.

CHriſtus vincit. Chriſtus regnat. Chriſtus imperat. } Ter.

Exaudi Chriſte.
℟. Johanni ſummo Pontifici & univerſali Papæ vita. Ter.
Salvator mundi. Tu illum adjuva.
Sancta Maria. Tu illum adjuva.
Sancte Michaël. Tu illum adjuva.
Sancte Gabrihel. Tu illum adjuva.
Sancte Raphahel, Tu illum adjuva.
Exaudi Chriſte.
Rotgerio hujus Eccleſiae Pontifici & omni gregi ſibi commiſſo ſalus & vita.
Redemptor mundi. Tu illum adjuva.
Sancte Petre. Tu illum adjuva.
Sancte Paule. Tu illum adjuva.
Sancte Andrea. Tu illum adjuva.
Sancte Simon. Tu illum adjuva.
Exaudi Chriſte.
Rotberto sereniſſimo & a Deo coronato magno & pacifico Regi vita & victoria.
Salvator mundi. Tu illum adjuva.
Sancte Stephane. Tu illum adjuva.
Sancte Dionyſi. Tu illum adjuva.
Sancte Luciane. Tu illum adjuva.
Sancte Juſte. Tu illum adjuva.
Exaudi Chriſte. Conſtantiae Reginae ſalus & vita.
Redemptor mundi. Tu illam adjuva.
Sancta Felicitas. Tu illam adjuva.
Sancta Perpetua. Tu illam adjuva.
Sancta Agatha. Tu illam adjuva.
Sancta Agnes. Tu illam adjuva.
Exaudi Chriſte. Omnibus judicibus & cuncto exercitui Chriſtianorum vita & victoria.
Salvator mundi. Tu illos adjuva.
Sancte Silveſter. Tu illos adjuva.
Sancte Gregori. Tu illos adjuva.
Sancte Leo. Tu illos adjuva.
Sancte Ambroſi. Tu illos adjuva.
Chriſtus vincit, Chriſtus regnat, Chriſtus imperat.
Rex Regum Chriſtus vincit.
Miſericordia noſtra Chriſtus vincit.
Liberatio & redemptio noſtra Chriſtus vincit.
Arma noſtra invictiſſima Chriſtus vincit.
Murus noſter inexpugnabilis Chriſtus vincit.
Defenſio & exultatio noſtra Chriſtus vincit.
Protectio & victoria noſtra Chriſtus vincit.
Ipſi ſoli imperium, gloria, & poteſtas per immortalia ſecula ſeculorum. Amen.
Ipſi honor, laus, & jubilatio per infinita ſecula ſeculorum. Amen.
Ipſi ſoli virtus, fortitudo, & victoria per omnia ſecula ſeculorum. Amen.
Chriſte audi nos. Kyrie eleyſon. Chriſte eleyſon. Kyrie eleyſon.
Hunc diem laeti ducamus. Ter.
Domnum Johannem Apoſtolicum Deus conſervet. Ter.
Salvator mundi. Tu illum adjuva.
Sancte Johannes. Tu illum adjuva.
Sancte Jacobe. Tu illum adjuva.
Sancte Philippe. Tu illum adjuva.
Domnum Rotgerium Epiſcopum Deus conſervet. Ter.
Redemptor mundi. Tu illum adjuva.
Sancte Martine. Tu illum adjuva.
Sancte Remigi. Tu illum adjuva.
Sancte Medarde. Tu illum adjuva.
Domnum Rotbertum Regem Deus conſervet. Ter.
Salvator mundi. Tu illum adjuva.
Sancte Corneli. Tu illum adjuva.
Sancte Laurenti. Tu illum adjuva.
Sancte Vincenti. Tu illum adjuva.

Feliciter. Feliciter. Feliciter. } Ter.

Tempora bona habeant. Tempora bona habeant. Tempora bona habeant. } Ter.

Multos annos. Amen.
Ite Miſſa eſt. Deo gratias

Ex libro Bernardi Guidonis Epiſcopi Lodevenſis de viris illuſtribus ordinis fratrum Prædicatorum MS.

Ex L. VI. Miſc. Bal. pag. 444.

IN provincia Franciae Pariſius fuit magiſter Johannes de Allodiis Aurelianenſis, qui cum eſſet Canonicus & Cancellarius Pariſienſis, vir bonus & rectus, ſummus Pontifex audita ejus fama & ſcientia epiſcopatum Pariſienſem ut ſuſciperet ſibi miſit. Quo percepto, homo Dei juſtus & timoratus, ſolius Dei & nullius hominis uſus conſilio, caute & ſecrete in conventu Pariſienſi, ignorantibus ejus domeſticis, qui mundum fugere cupientibus inimicari noverunt potius quam juvare, inſtanter petivit ſibi dari habitum ordinis & perſeveranter accepit anno Domini MCCLXXX. in vigilia Paſchae, in quo annis XXVI. & amplius in honore ſui & ordinis laudabilem vitam duxit, ſalutarem ſibi, & aliis exemplarem; ubi ſenex & plenus dierum, doctrina, ſcientia, & ſpiritu Dei, ſicut unus ex patribus antiquis in ſe ipſo recollectus & in Deum fixus appoſi-

tus

mus eſt ad eos in feſto ſancti Remigii migrans anno Domini MCCCVI. Sepultus eſt in choro fratrum Pariſius juxta fratrem Matthaeum.

Bulla Joannis XXII. de privatione fratris Iſnardi olim Patriarchæ Antiocheni & adminiſtratoris Eccleſiæ Papienſis.

Ex libro Bernardi Guidonis Epiſcopi Lodovenſis de viris illuſtribus ordinis fratrum Prædicatorum MS

Frater Iſnardus Papienſis fuit factus Archiepiſcopus Thebanus per Clementem Papam V. anno Domini MCCCVIII. circa feſtum Pentecoſten, qui fecerat eum prius poenitentiarium, cui factus notus erat quia in necesſitate magna itineris ſibi adhaeserat cum eſſet Burdegalenſis Archiepiſcopus, & quaſi ignotus & ſolus per partes tranſiret Lombardiae anno Domini MCCCCII. Hic poſtmodum factus fuit Patriarcha Antiochenus per eundem Dominum Clementem Papam V. anno Domini MCCCXI.

An. 1319. Vide Odor. Rainald. an. 1320. §. 19. JOannes Epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Imperſcrutabilis ac incomprehenſibilis divinae ſapientiae altitudo, cui noſcuntur futura ut praeterita fore nota, interdum mala futura per ora prophetarum, ut eo minus conturbarent venientia quo fuiſſent praeſcita, & ne mala ipſa in ipſis malis coaleſcerent, ac quaſi quodam exemplari alveo ad inficiendos alios pertranſirent, ſuperiores qualiter circa tales ſe habere debeant voluit informare. Praevidens itaque fore futuros nonnullos ſacerdotes reprobos & perverſos hoc ore praenuntiavit prophetico dicens: *Erit ſicut populus, ſic ſacerdos*; ipſorumque ſuperiores erudire volens ſubdidit dicens: *Viſitabo ſuper eum vias ejus, & cogitationes ejus reddam ei.* Talem profecto fore ſacerdotem, populo videlicet ſimilem, Iſnardum Patriarcham Antiochenum ac adminiſtratorem Eccleſiae Papienſis frequens & clamoſa inſinuatio per nonnullos clericos regulares & ſeculares civitatis & dioceſis Papienſis nobis facta in conſiſtoriis publicis & privatis evidentius manifeſtat. Populus quidem ille, videlicet Antiochenus, devotorum ſanctae matris Eccleſiae perſecutor fore crudeliſſimus noſcitur ac imperio hujus inobediens exiſtere, & mandatorum ipſius violator eſſe temerarius non veretur. Talem utique fore Iſnardum praedictum denuntiatio ſaepius coram nobis & fratribus noſtris iterata deſcribit. Habet quidem denuntiatio ſupradicta quod idem Iſnardus devotos ſanctae Romanae Eccleſiae in Italiae partibus, & praecipue in praedictis civitate & dioceſi Papienſibus, eſt immaniſſime perſecutus. Famae ſiquidem ſuae prodigus, & modeſtiae pontificalis oblitus, in eorum exterminium ſaevire non erubuit ſeque immiſcere in eorum perniciem ac ſcandalum publicum pontificalem gravitatem indecentibus non expavit, quodque multorum homicidiorum, ſacrilegiorum, ſeditionis in patria, incendiorum, rapinarum, multarum quoque excommunicationum ſententiis, & irregularitatum, ac perjuriorum, ſpoliationum multorum clericorum a beneficiis ſuis factarum ſine juſtis cauſis & juris ordine non ſervato, & aliis erat diverſis tunc ſpecificatis per eos gravibus & facinoroſis criminibus irretitus. Nolentes itaque ante praemiſſa credere quam probare, vias ejus tam deteſtabiles quam enormes viſitare volentes, horum examinationem & inquiſitionem dilectis filiis noſtris Guillelmo tituli ſancti Cyriaci Presbytero & Bertrando ſanctae Mariae in Aquiro Diacono Cardinalibus vivae vocis oraculo duximus committendam, eidem Patriarchae ſub excommunicationis & depoſitionis injuncto ne de curia Romana recederet abſque noſtra licentia ſpeciali. Qui quidem Cardinales adeo in dicto negotio proceſſerunt quod tam ab ipſis quam a dictis denuntiato & denuntiantibus in eodem renuntiatum extitit & concluſum. Cumque non reſtaret niſi relatio a praefatis facienda Cardinalibus, & per nos poſtmodum diffinitiva ſententia proferenda, dictiſque Cardinalibus ut relationem hujuſmodi ordinarent & facerent a nobis fuiſſet injunctum, ad noſtram audientiam deduxit relatio fide digna quod praefatus Iſnardus nondum finem imponens viriis, ſed ea potius deputans conſuetudini quam emendae, velut venundatus ut faciat malum, inquiſitione praedicta pendente ab aemulis ac perſecutoribus devotorum Eccleſiae propter eorum inobedientiam, contumaciam, & contemptum quos adverſus dictam Eccleſiam commiſerunt a communione fidelium per excommunicationis ſententiam cum adjutoribus, auxiliatoribus, & fautoribus ſuis ſolenniter ſeparatis nuntios & exploratores frequenter receperat & litteras ut in proſecutione perſiſterent eorundem ac contra ipſos quae poſſent facere non differrent perverſis ſuaſionibus inducendo. Et ſpecialiter dicta (relatio) continebat quod praefatus Iſnardus curſorem quendam Oddorinum nomine ad ipſum miſſum ex parte Matthaei Ferrabo magiſtri ſpiarum nobilis viri Matthaei Vicecomitis bis diebus receperat, & per ipſum eidem Matthaeo litteras perverſas perſuaſiones continentes & conſilia cum quibus captus fuerat tranſmittebat. Volentes itaque de praedictis litteris & exploratione ſcire plenius veritatem, dictum curſorem ad noſtram duci praeſentiam facientes, ab eodem curſore in dilectorum filiorum noſtrorum Bertrandi tituli ſancti Marcelli Presbyteri & praefati Bertrandi ſanctae Mariae in Aquiro Diaconi Cardinalium & Geraldi de Lalo Capellani noſtri apoſtolica auctoritate notarii praeſentia de dicenda veritate ſuper litteris & exploratione praedictis recepimus juramentum. Qui juratus nobis aſſeruit quod per dictum Matthaeum Ferrabo ad dictum Iſnardum ad dicendum ſibi nova illarum partium, videlicet quod licet fuiſſet diſcordia inter Theothonicos & Alexandrinos, & aliqui ex eis ſe invicem occidiſſent, tamen exercitus qui erat ante Valenciam non receſſerat, & quod navigium quod receſſerat fuerat jam reverſum, quodque Paſſarinus de Mantua & Ponſonus de Ponſonibus de Cremona erant apud Piſium Guictonium ad faciendum guattum, & quod ipſe Patriarcha deberet ſtare laetus, quia illi domini de Mediolano & de Mantua de aliquibus non timebant, & extrinſeci Jannenſes ceperant Paſtoranum, & ad referendum eidem Matthaeo Ferrabo nova ex parte dicti Patriarchae quae erant in noſtra, & faciendum omnia quae ſibi dictus Patriarcha imponeret facienda, fuerat ſpecialiter deputatus. Dixit etiam quod idem Patriarcha ſibi dixerat ut eidem Matthaeo referret quod non oportebat dictos Dominos timere in aliquo pro aeſtate praeſenti, quia ex parte cariſſimi in Chriſto filii noſtri Roberti Regis Siciliae illuſtris hac aeſtate erant ad partes Pedimontis & Lombardiae paucae gentes armigerae profecturæ, ſed in alia aeſtate oportebat forſan quod faciant cuſtodiam meliorem, litteris cum quibus captus fuit aſſignatis. Dixit etiam quod idem Patriarcha plures alios nuntios & ſpias venientes a Mediolano receperat, quorum unus vocabatur Ambroſius, & alter Leo, & plures alios quorum nomina ignorabat. Poſt haec autem ſcire volentes ſuper iis plenius veritatem, eundem Iſnardum Patriarcham ad noſtram praeſentiam propter hoc evocantes, ab eo de dicenda veritate ſuper praedictis & ea tangentibus corporale recepimus juramentum; & oſtendentes ſibi dictas litteras cum quibus captus fuerat dictus curſor, quarum tenor inferius annotatur, ab ipſo quaeſivimus ſi ipſe deſtinaſſet eaſdem. Qui in praeſentia noſtra, Cardinalium, & notarii praedictorum, illis prius perlectis, recognovit ac confeſſus extitit illas eſſe quas ipſe fieri & ſcribi fecerat & mittebat cuidam qui Ambroſius nominatur, & eas Oddorino curſori tradiderat ſupradicto. Tenor autem ipſarum litterarum noſcitur eſſe talis. *Scias miſſum eſſe pro . . Comite Sabaudiæ & Domino Philippo quod veniant vel mittant, & die Jovis venerunt ambaſſiatores ex parte Comitis, & hodie intrat Martinus de Abbiate miles, ut dicitur, oblationibus præmiſſis. Milites ducenti vel circa vadunt in Pedemonte, qui bene defendent inſultus fatuorum Gebellinorum. Et ille Presbyter qui debebat ire Yporegiam firmiter aſſerit, & credendum eſt, ſi mittantur*

Digitized by Google

tur mile milites; illi tyranni & eorum ſequaces fugient a facie ipſorum. Et niſi librum cito mittas, forſitan non poteris quando voles propter diſcrimina viarum. Niſi aliter provideat, Michaël omnino deficit in expenſis. Impie enim & ingrate agitur circa eum. Interrogatus igitur idem Iſnardus ſub virtute praeſtiti juramenti quare ſcripſerat *Milites ducenti vel circa vadunt in Pedemonte*, dixit ſe ſcripſiſſe ad terrendum Gebellinos. Et cum diceretur eidem quomodo terrerentur per ducentos, cum pars adverſa habetet mille & amplius, nihil reſpondit aliud, ſed quia ita credebat, ut dixit. Interrogatus etiam ſuper verbis videlicet *ille Presbyter qui debebat ire Yporegiam*, de quo Presbytero loquebatur, reſpondit de ſe ipſo, quia condixerat cum illo Ambroſio quod debebat ire Yporegiam. Et cum diceretur ſibi quod hoc non patiebantur verba ſequentia, reſpondit quod ita intelligebat ipſe de ſe. Interrogatus etiam quare ſcripſerat de illis mille militibus, & quod ſi mitterentur, illi tyranni & eorum ſequaces fugerent, reſpondit quod ad terrendum dictos Gebellinos hoc ſcripſerat. Dixit enim ſe intellexiſſe de mille militibus mittendis per Regem praefatum, & vocabat tyrannos partem Gebellinorum, praeſertim filios Matthaei Vicecomitis, qui communiter vocantur in illis partibus tyrannelli, & quod ipſe odit eos, & credit eos tales eſſe, eos & partem eorum dixit ſe odio habuiſſe. Interrogatus de verbis illis contentis in dictis litteris, *ſi librum illum cito mittas, &c.* de quo libro intelligeret, reſpondit ſe intellexiſſe de quibuſdam quaternis Iſidori quos dictus Ambroſius habebat ab ipſo. Et cum diceretur ſibi quomodo mittebat pro illis quaternis ex quo dicebat Yporegiam ſe iturum, reſpondit quia neſciebat quando poſſet ire propter cauſam quam habebat in curia. Interrogatus de verbis, *Niſi aliter provideat, Michael omnino deficit in expenſis*, de quo Michaele intelligebat, reſpondit de ſe ipſo, ſeribens quod pecuniam quam illi Ambroſio mutuaverat mitteretur ſibi. Interrogatus etiam de quo nomine proprio poſito in margine litterae praelibatae, quod eſt *Proſdocimus*, de quo Proſdocimo intelligebat, dixit quod de ſe ipſo. Interrogatus inſuper ſi dictus Oddorinus ex parte ejuſdem Matthaei Ferrabo dixerat ſibi verba praedicta, ſimpliciter negavit per proprium juramentum. Interrogatus etiam an ipſe eidem curſori dixiſſet praemiſſa verba ex parte ſua eidem Matthaeo referenda, reſpondit quod non. Et tunc in ejuſdem Iſnardi praeſentia eundem Oddorinum curſorem coram nobis iterum fecimus accerſiri: qui omnia quae ſupra depoſuerat, tam ex parte dicti Matthæi dicenda eidem Patriarchæ, quam ex parte ipſiux Patriarchae referenda dicto Matthaeo, affirmavit & aſſeruit eſſe vera ſub virtute ab eo de novo in dicti Iſnardi praeſentia praeſtiti corporaliter juramenti. Deinde eidem Iſnardo iterato ſub pœna ſuſpenſionis & depoſitionis injunximus, quod de Romana curia non recederet abſque noſtra licentia ſpeciali. Poſtquam dieti Bertrandus Presbyter & Bertrandus Diaconus Cardinales ex commiſſione noſtra eis facta oraculo vivae vocis, intellecto ex confeſſione ejuſdem Patriarchae quod Antonius de Galerata ſcripſerat litteras ſupraſcriptas, eundem Antonium ad ſuam praeſentiam evocantes, recepto ab eo de veritate dicenda ſuper praemiſſis corporaliter juramento, oſtenderunt ſibi litteras ſaepe dictas, & quaeſierunt ab eo ſi ſcripſiſſet eaſdem. Qui reſpondit quod ſic. Et interrogatus qui eſſet ille Presbyter qui debebat ire Yporegiam in dictis litteris nominatis, dixit quod Archiepiſcopus Mediolanenſis, cauſam ſui dicti reddens quia ſic audiverat a Patriarcha praedicto. Interrogatus de quo libro in dictis litteris loquebatur, dixit quod idem Patriarcha intelligebat per librum civitatem Altenſem, & quod niſi illi quibus ſcribebat cito expellerent illos qui tenebant dictam civitatem, quod non poſſent eos expellere & eam habere quando vellent, ſcientiae cauſam reddens quia ita audiverat ab eodem. De nominibus vero Michaelis & Proſdocimi reſpondit ſe credere quod idem Patriarcha intelligeret de ſe ipſo, quia alias in litteris ſuis a ſe ſcriptis ſe illis nominibus nominabat. Demum idem Iſnardus videns ſe ſuper praedictis gravibus & enormibus exceſſibus & delictis, multiſque perjuriis, variationibus, & ſceleſtis factionibus ſuperari clarioribus excuſationibus inexcuſabiliter & convinci, de praedicta curia ſine ſocio ſui ordinis habitu transformato cum caligis rubeis & laicalibus indumentis, ſine Breviario & Miſſali, prout nobis legitime conſtitit, in contemptum mandatorum noſtrorum & dictarum pœnarum interminatarum eidem, immemor juramenti in ſua promotione praeſtiti quod eſſet ſummo Pontifici qui tunc erat & ejus ſucceſſoribus obediens & fidelis, jugo ſuae religionis abjecto, contumaciter arreſta noſtra temere violans non abſque nota criminis laeſae majeſtatis, abſque noſtra licentia, tanquam ſibi male conſcius & de juſtitia ſuae cauſae diffiſus, latenter aufugit. Nos igitur ab eodem Guillelmo Presbytero & Bertrando Diacono Cardinalibus facta nobis ſuper inquiſitis per eos contra dictum Iſnardum relatione plenaria & fideli, ac ſuper illa cum fratribus noſtris & nonnullis aliis peritis deliberatione praehabita diligenti, non valentes abſque gravi offenſione majeſtatis divinae iniquitates ejus ulterius tolerare, urgente nos conſcientia cogimur juſtae animadverſionis cenſuram dirigere in eundem. Et ut ad praeſens de aliis ejus criminibus taceamus, quae denuntiata fuerant contra eum, & in inquiſitione praefata plenius continetur, de quibus tam ex ipſius fuga noſtrorumque fractione arreſtorum quam ex multis aliis indiciis oſtendit ſe obnoxium & juris interpretatione convictum, pauca de illis graviſſima ſuper quibus inexcuſabiliter reus eſſe convincitur providimus exprimenda. Nam cum dictus Iſnardus contra caſtrum Roracii pertinens ad Eccleſiam Papienſem exercitum congregaſſet, & in obſidione dicti caſtri cum dicto exercitu permaneret, ipſeque dux & caput exiſteret exercitus memorati, quidam Presbyter nomine Alkerinus ibidem captus extitit & ad ejus praeſentiam deductus in quadam Eccleſia territorii dicti caſtri. Et licet ipſe, tum quia dicto exercitui praeerat, tum etiam quia per familiares ſuos dictus Presbyter tenebatur, tum pro eo quod poſtquam dictus Presbyter fuerat in dictam Eccleſiam introductus, debebat eccleſiaſtica immunitate gaudere, potuiſſet & debuiſſet eundem a mortis periculo liberare, permiſit tamen ipſum de Eccleſia praedicta per illos qui eum captum abduxerant, nullo verbo pro ejus liberatione prolato, extrahi, libertate & immunitate eccleſiaſtica violatis. Et quamvis dictus Presbyter, dum in manibus, brachiis, & pedibus ibi prope Eccleſiam excoriaretur, vociferans, clamans, & ejulans, dicens *Sancta Maria adjuva me*, clamores hujuſmodi repetiiſſet, idem Iſnardus in dicta Eccleſia tunc exiſtens, ejuſque valens audire clamores, non ſolum liberationi ejus debitam opem non praeſtitit, quamvis poſſet, ſed intentioni ejus patientiam commodavit, dictoſque familiares poſt occiſionem dicti Presbyteri per eos factam in ſua malitia fovendo receptavit ut prius. Ex quibus homicidii crimen & excommunicationem latam a canone aperte convincitur incurriſſe. Quibus etiam perjuriorum reatus adjunxit multipliciter & multociens dejerando. Nam in principio inquiſitionis praedictae a dictis Cardinalibus interrogatus per proprium juramentum quod diceret veritatem ſine admixtione falſitatis quicquid ſciret de ipſius Presbyteri captione & morte, primo reſpondit ſe noviſſe Presbyterum memoratum, & quod nunquam ductus fuerat coram eo. Repertus autem & ſuper eodem interrogatus per proprium juramentum, contra primum dictum variando reſpondit quod dictus Preſbyter fuerat ſibi praeſentatus per illum qui oſtium cuſtodiebat ipſius. Et ſic contraria ſuper eodem deponens perjurus convincitur manifeſte, cum per dictam confeſſionem poſteriorem ipſiux Iſnardi priori contrariam, cum per depoſitionem multorum teſtium, qui depoſuerunt aperte quod idem Presbyter coram

eodem,

Digitized by Google

eodem Iſnardo ad dictam Eccleſiam ductus fuit. Aſſeruit etiam idem Iſnardus per proprium juramentum, cum ſuper hoc fuit interrogatus ſecundo, quod dictus Presbyter ſolus intraverat Eccleſiam in qua erat. Super quo etiam deprehenditur eſſe perjurus ex eo quod multi teſtes depoſuerunt quod multi de exercitu & familia ejuſdem Iſnardi coram eo dictum Presbyterum duxere captivum. Dixit etiam per proprium juramentum ſe ignorare quod dictus Alkerinus eſſet Presbyter, vel quod fuiſſet ductus coram eo in tonſura & habitu clericali. Super quo nullam potuit ignorantiam allegare, cum per multos teſtes ſit clare probatum quod notorium erat illum eſſe Presbyterum & diu fuiſſe ante mortem ipſius, & quod in clericali habitu & tonſura publice ductus fuerat coram eo. Ex quibus apparet eundem Iſnardum multorum perjuriorum crimina, excommunicationem a canone, & plurium irregularitatum maculas, tam propter dictum homicidium, quam quia poſtmodum ſic ligatus celebravit exiſtens etiam in curia divina, & immiſcuit ſe eiſdem ſicut prius damnabiliter incurriſſe. Convictus eſt etiam quod in pluribus exercitibus praeſens fuit, & nedum praeſens, immo etiam dux & caput erat exercituum praedictorum, ejus vexillo & cruce aliquando exercitum praecuntibus publice elevatis, cum quibus ad occupanda caſtra ad ſuam Eccleſiam non ſpectantia quoquo modo, ſed pertinentia ad alios dominos temporales, contra ſtatus paſtoralis decentiam noſcitur proceſſiſſe & occupaſſe aliqua caſtra: in qua occupatione multi in ore gladii perierunt; rapinae innumerae ſunt commiſſae, Eccleſiae & altaria incendio conſumpta, ſacrilegia & alia mala multiplicia perpetrata; ex quibus homicidiorum, rapinarum, & incendiorum occaſione exercituum praedictorum & ſacrilegiorum in locis ſacris & Eccleſiis commiſſorum noſcitur plurium irregularitatum notas & maculas contraxiſſe. In aliquibus etiam caſtris ejuſdem Eccleſiae Papienſis, cujus adminiſtrationem, ut praemittitur, ex apoſtolica conceſſione gerebat, praeſens, ſciens, & audiens permittebat excubatores dictorum caſtrorum aperte in ipſorum caſtrorum fortelliciis proclamare; *Moriantur Guelfi, moriantur Guelfi*. Quibus verbis, nedum patientiam, & complacentiam oſtendebat. Ex quibus patientia & complacentia ejus in dictis caſtris ratione adminiſtratationis praedictae ſpirituale & temporale dominium obtinentis, dum offendendi illos quodammodo permittebatur impunitas, qualis exitus ſequi potuerit & quam crudelis eventus, nullus ſanae mentis ignorat. Verbum inſuper ſuum effrenate & diſſolute laxabat contra pontificalis officii gravitatem. Nam cum praefata civitas Papienſis, quae tempore ſibi commiſſae adminiſtrationis Papienſis Eccleſiae (per) devotos Romanae Eccleſiae regebatur, rebellaſſet, quia quidam ex civibus, qui rebellionem moleſtam gerebant, ſpem de ſubſidio & adventu equitum armatorum Regis praedicti Siciliae aliis ſuis ſequacibus tribuebant, idem Iſnardus inter Miſſarum ſolemnia, quae tunc in pontificalibus celebrabat, ſermonem faciens coram multitudine cleri & populi civitatis ejuſdem, in hujuſmodi verba prorupit quod ſpem dantes praefatam in interitu dandi erant, quodque ipſe omnes qui eos offenderent abſolvebat. Sic itaque viarum praefati Iſnardi diligenti viſitatione, id eſt, inquiſitione ſuper illis, & ejus examinationum perfecta, cogitationes ejus ſibi decrevimus reddere, id eſt, ejus exceſſuſque tam execrabiles, tam nephandos, per quos de perverſis cogitationibus ejus conſtat, condignae caſtigationis mucrone ferire atque procedere intendentes, ipſum de fratrum noſtrorum conſilio ad audiendum diffinitivam ſuper praemiſſis ſententiam in audientia citari pluries fecimus, & poſtremo diem praeſentem ſibi duximus peremptorie praefigendum ut coram nobis in conſiſtorio compareret perſonaliter ſuper praemiſſis diffinitivam ſententiam auditurus. Quo minime comparente, nec aliquo pro eodem, ipſum contumacem merito reputantes, in nomine Domini cum

Odor. Raynald. an. 1319 §. 8.

Apoſtolo tantam inobedientiam & irreverantiam illicitei exceſſuſque ſic deteſtabiles, ſic enormes, ſicut etiam noſtri debitum expoſcit officii, diſciplina debita caſtigare volentes, ne ipſorum impunitas auſum in aliis pariat & auſus exceſſum, in Iſnardum praedictum, qui omni honore, dignitate, ac adminiſtratione adeo reddidit ſe indignum, de fratrum noſtrorum conſilio perpetuae depoſitionis ſententiam promulgamus, eumque tam a patriarchali quam pontificali & omni ſacerdotali & clericali privantes officio, condemnamus, & corpus ejus dantes Satanae, ut ejus ſpiritus ſalvus fiat, in ipſum excommunicationis ſententiam promulgamus. Nulli ergo &c. noſtrarum promulgationum, privationis, & condemnationis infringere &c. Datum Avinioni III. Kal. Auguſti anno tertio.

Errores ſectæ hominum intelligentiæ, & proceſſus factus contra fratrem Willelmum de Hildeniſſem ordinis beatæ Mariæ de monte Carmeli per Petrum de Alliaco Epiſcopum Cameracenſem anno Chriſti MCCCCXI.

Ex L. II. Miſc. Bal. pag. 277.

UNiverſis & ſingulis Chriſti fidelibus tam praeſentibus quam futuris praeſentium noſtrarum ſeriem litterarum inſpecturis Petrus miſeratione divina Cameracenſis Epiſcopus ſalutem in Domino ſempiternam. Notum facimus quod cum nuper, quod non ſine cordis turbatione referimus, rumor infeſtus devolutaque fama nobis intimarunt quod abominabilis quaedam ſecta, procurante ſatore malorum operum, in villa noſtra Bruxellenſi diocefis noſtrae Cameracenſis damnabiliter inſurrexerit, cujus ſectae deteſtabilis quendam Ægidium Cantorem vulgariter nuncupatum caput extitiſſe fama publica teſtatur, ſpinas in eadem inſerendo, cordaque fidelium a catholicae fidei tramitibus ſub ſimulata quadam ſanctitatis ſpecie retrahendo, nos, ut vipereos perfidiae filios, ne gregi fidelium per oves morbidas gravior infligeretur corruptela, & ut praecurrentis famae pernicies officii noſtri paſtoralis ſentiret aculeos, hujuſmodi ſectam deteſtabilem & ipſius execrandos errores, ne ſpargerentur ulterius, extirpare radicitus tentantes, ut ſuper tanto crimine taciti non videremur, exemplo Dei cuncti potentis, qui Sodomorum mala, quorum clamor uſque ad caelum pervenerat, omnia ſciens prius nec tradere vel judicare aliquem voluit quam ipſe ea quae cum fidelibus teſtibus inveſtigans, quae audierat opere comprobaret, nos ante veram juſtamque probationem neminem judicare vel damnare volentes, ac tam gravia ſub diſſimulatione pertranſire nolentes, in primis de ſequacibus ejuſdem ſectae deteſtabilis inquirere fecimus veritatem, inter quos te fratrem Willelmum de Hildeniſſem ordinis fratrum beatae Mariae de monte Carmeli, nedum hujuſmodi ſectae deteſtabilis, ſed quod alios errores etiam in fide catholica publicaveras tuis in hoc motibus inconſultis, adeo proceſſit in publicum quod tuae levitatis errores inconſultos tranſire non potuimus incorrectos. Igitur te ad praeſentiam noſtram primitus evocari fecimus, articuloſque plures ſectae deteſtabilis praemiſſae, cujus complex & fautor dicebaris, alioſque publicos errores & aſſertos tibi fecimus judicialiter exhiberi. Quibus articulis ejuſdem nephandiſſimi Ægidii Cantoris per te viſis, auditis, & intellectis, hujuſmodi concluſiones vel articulos, tamquam a fide catholica devios, erroneos, & haereticam pravitatem continentes, abjuraſti & reprobaſti, ſcriptura propria firmando eaſdem concluſiones erroneas & velut haereſim ſapientes reprobandas & a Chriſti fidelibus expellendas. Item ſuper aliis, ut dicebatur, concluſionibus pluribus in praedicationibus tuis & privatis collationibus inconſulte publicatis & dogmatizatis, reſpondiſti plures earundem cum juramento negando, alis autem diverſis expoſitionibus tuis palliando & ſecundum ſen-

ſum

ſum proprium, ut aſſerebas, exponendo; prout haec ex tenore dictorum articulorum, propoſitionum, vel concluſionum, reſponſionumque tuarum poſſint apparere.

Nos igitur attendentes vulgarem infamiam, grave ſcandalum, ſuſpicionemque vehementem quae te ſuper praemiſſis culpabilem auribus noſtris aſſerebat, ſuper eiſdem articulis, concluſionibus, & propoſitionibus, cum ſuis dependentiis circumſtantiiſque & connexis, per fideles commiſſarios noſtros ad hoc ſpecialiter juratos, commiſſos, & deputatos inquiri mandavimus veritatem. Qui ſecundum datam a nobis formam procedentes, plures teſtes utriuſque ſexus ad probationem impoſitarum interrogaverunt, examinaverunt, & audierunt, eorumque dicta & depoſitiones per ſcribam & fidelem Notarium nobis & curiae noſtrae juratum redigi fecerunt in ſcriptis, dieque praefixa praemiſſam informationem reportaverunt publicandam. Qua per nos diligenter inſpecta, pluribus ad hoc clericis perſonis notabilibus utriuſque divinae ſcilicet & humanae ſcientiae doctoribus & graduatis per nos evocatis, a te ſi quid in dictos teſtes contra te productos dicere, proponere, & alias informationis praemiſſae publicationem fieri velles, inquiri fecimus, offerentes praemiſſorum teſtium & informationis copiam in forma juris tibi concedi, ac tuas, ſi quas haberes, tam contra dictos teſtes quam alias peremptorias facti vel juris exceptiones ſeu defenſiones audire, & ad eas proponendas diem & terminum competentem aſſignare. Tu vero coram noſtris ad hoc commiſſariis aſſerens te filium Eccleſiae manere velle fidemque catholicam tenere, nullamque, ſi qua furtaſſe lapſu linguae vel alias temeritate tua dixeris, publicaveris, vel praedicaveris, pertinaciam habere velle, ſed ea quae nobis & conſilio noſtro ſuper his contra te probata, quae viderentur orthodoxae fidei contraria & adverſa vel aurium piarum offenſiva, non tam devote quam humiliter revocare & annullare ac eadem abjurare, ubi & quotiens nobis pro fide catholica videretur expedire, te ſponte promiſiſti, ad dicendumque & proponendum in dictos teſtes ſeu defenſiones aliquas vel exceptiones allegandas ſponte renuntiaſti, voluiſtique, terminis juris omnibus habitis pro obſervans, & quantum potuiſti eidem ordinique judiciario renuntiando, noſtram ſuper probatis ordinationem, diffinitivam ſententiam audire volens, ut aſſerebas, ſuper erroribus hujuſmodi, ſuper quibus infamatum te fore cenſebatur, purgari radicitus ordinationemque noſtram humiliter & devote tenere & firmiter ex intimis adimplere, ut nihil horum veſtigii poſt ordinationem noſtram in te notari poſſit, promiſiſti; ut ex actis & tenore proceſſus haec apparere poſſit. Die igitur contra promotorem officii noſtri in hac parte tibi praefixa ad audiendum diffinitivam noſtram ſententiam & ordinationem, Chriſti nomine invocato, Deum, cujus cauſa agitur, prae oculis habentes, viſoque tenore proceſſus, & cum peritis utriuſque juris divini pariter & humani communicato nobis conſilio, praeſente ad haec venerabili viro Domino Priore conventus fratrum Praedicatorum ſancti Quintini in Viromandia Noviomenſis dioceſis haereticae pravitatis Inquiſitore per ſedem apoſtolicam in eiſdem civitate & dioceſi Cameracenſi ſufficienter inſtituto per nos evocato propter hoc, cui hujuſmodi noſtrum proceſſum contra te factum ſufficienter communicavimus, de ipſiuſque Inquiſitoris conſilio & conſenſu procedentes, te fratrem Wilhelmum de Hildernīſſem ſupradictum, quia nobis conſtitit atque conſtat propoſitiones in divinae majeſtatis offenſam per ſceleratiſſimum hominem illum Ægidium Cantorem publicatas, aſſertas, & collationibus privatis cordibus ſimplicium infixas fuiſſe & eſſe erroneas & ſcandaloſas ac fidei catholicae contrarias & adverſas, ſuper quibus ſuſpectum te veriſimilibus tenuimus conjecturis, ad eaſdem in forma juris coram nobis abjurandas eaſdemque reprobandas, clero convocato ſollemniter hodie in noſtra aula epiſcopali Cameracenſi, & poſtmodum in villa Bruxellenſi, primo in loco publico, ſcilicet ſanctae Gudulae Bruxellenſis, & ulterius in loco Beguinarum publice & intelligibili voce, & ad hoc quod eaſdem abjures & reprobes. Quarum propoſitionum ſequitur tenor in haec verba.

Sequuntur illa ſuper quibus ego frater Wilhelmus fui delatus reverendo patri Domino Cameracenſi Epiſcopo, quae judicialiter abjuravi & adhuc abjuro, & quae promiſi & juravi reprobare, prout ea nunc publice reprobo, quia continent doctrinam falſam, erroneam, & haereticam, bonorum morum corruptivam, ſcandaloſam, & fidei catholicae ſubverſivam, & cujuſdam novae ſectae perniciosiſſimae introductivam.

Et primo imitatores ſubſcriptae ſectae ſeu ſeductionis haereticae vocant ſe mutuo homines intelligentiae, & habent duo capita a quibus languores diffuſi ſunt in pluribus membris ſuis. Vnum dictorum capitum vocatur frater Wilhelmus de Hildernīſſem Carmelita. Aliud eſt quidam laicus illiteratus, forte ſexagenarius, dictus Ægidius Cantoris, qui ſe ipſum reputat excellentiorem dicto fratre Vvilhelmo, quibuſdam ſuae ſeductionis idem confirmantibus, aliis tamen dictum fratrem Vvilhelmum praeferentibus.

1. Item dictus laicus ſeductor dixit pluries repetendo pluribus audientibus: Ego ſum ſalvator hominum; & per me videbunt Chriſtum, ſicut per Chriſtum patrem.

2. Item dixit quod diabolus finaliter ſalvabitur, ſed tunc non erit diabolus, & ſuperbiſſimus lucifer erit humillimus, & quod finaliter omnes homines ſalvabuntur.

3. Item diabolus non portavit Dominum Jeſum ſuper pinnaculum templi.

4. Item dixit dictus Ægidius quod ipſo quadam vice eunte per viam, Spiritus ſanctus inſpiravit ſibi haec verba: Tu es conſtitutus in ſtatu pueri trium annorum. Non jejunabis, immo comedes lacticinia in quadrageſima. Quod idem cum aliis ſuis ſectatoribus & ſectatricibus continuat. Nec curant ipſi jejunare quando ſine exteriori nota comedere poſſunt carnes feriis ſextis & in quadrageſima.

5. Item de ſtatutis, praeceptis, & ordinationibus Eccleſiae non curant, nec de orationibus, dicentes quod Deus facit quod diſpoſuit facere & quod vult, nec eſt opus formandi orationes.

6. Item nec curant de confeſſione; ſed ſolum ad praecavendum de vexationibus oſtendunt ſe quandoque ſacerdoti, aliqua quae de ſe ſunt venialia confitendo, ſubtacendo actus luxurioſos criminales & alia mortalia gravis quibus poſſent de infidelitate notari, prout aliqui ex ipſis retulerunt.

7. Item nullum rigorem pœnitentiae admittunt, tenentes quod talibus non indigemus.

8. Item eſt quaedam inter mulieres hujuſmodi ſectae quae non permittit ſe ab aliquo cognoſci. Propter quod ab aliis ſectae praedictae utriuſque ſexus multas patitur moleſtias eam increpantibus quod non utitur actu carnalis copulae.

9. Item dictus Ægidius habet modum ſpecialem coëundi, non tamen contra naturam, quali dicit Adam in paradiſo fuiſſe uſum. Qualem modum praedictus frater Vvilhelmus non ſequitur.

10. Item ſibi invicem idioma fabricantes, actum carnalis copulae vocant delectationem paradiſi vel alio nomine acclivitatem. Et ſic de tali actu libidinoſo, aliis non intelligentibus, bene loquuntur.

11. Item eſt quaedam antiqua, quam dictus laicus vocavit Seraphin, quae palam dixit quod licet extra matrimonium coitum exercere ſine peccato. Ille enim actus eſt pure naturalis, ſicut comedere & bibere. Attamen ille actus reprobatur, & non iſti. Vnde ſatis ipſa miratur cum aliis de caecitate hominum communiter hoc ſentientium.

12. Item eſt quaedam maritata quae non facit differentiam inter virum & virum, ſed quemlibet indifferenter admittit ſuis tempore & loco. Et iſtud eſt quaſi commune inter illas.

13. Item dictus frater Vvilhelmus nemini ad plenum credit, nec quae in ſe ſentit exprimit, niſi illis qui ſine Dei timore & conſcientiae ſcrupulo actu carnalis copulae utuntur.

14. Item frater Vvilhelmus omnia facta eorum poſſe ſalvari vel colorari per ſacram ſcripturam, dempto coitu ab Eccleſia damnato. Et ergo conſuevit monere ſibi adhaerentes quod caute haberent ſe loquendo de actu illicitae copulae conjugalis.

15. Item ſupradicta Seraphin, dum aliqui loquebantur quod frater Vvilhelmus compulſus erat revocare articulos quos praedicavit, reſpondit quod ipſe non revocavit, ſed dixit, Ita non dixi, ſed ſic dixi, addendo vel ſubtrahendo ſyllabam vel dictionem ſuarum praedicationum, & ſic tranſivit impune. Vnde magis reputabatur dicta ſua confirmare quam revocare.

16. Item omnes actus ſuos, immo & nefarios referunt ad divinam voluntatem, dicentes Deum talia velle, non quidem tantum permiſſiva ejus voluntate, ſed beneplacita & efficaci.

17. Item extra muros Bruxellenſes eſt quaedam turris cujuſdam Scabini dicti oppidi, ubi ad celebrandum ſua conventicula conveniunt.

18. Item dicunt tempus veteris legis fuiſſe tempus patris, & tempus novae legis tempus filii, & pro nunc eſſe tempus Spiritus ſancti, quod dicunt eſſe tempus Heliae, quo reconciliabuntur ſcripturae; ut quae prius tamquam vera habebantur, jam refutentur, etiam & catholica doctrina, ſicut catholicae veritates, quae conſueverant praedicare de paupertate, continentia, obedientia. Quarum veritatum oppoſitum, ut aſſerunt, eſt praedicandum hoc tempore Spiritus ſancti.

19. Item quicquid eis inſpiratur ſeu ad intima ſuggeritur, aeſtimant quod ſit a Spiritu ſancto. Vnde multum fatua ſaepedictus laicus ſaepius attentavit. Nam propter quandam ſibi factam inſpirationem ivit totus nudus quadam vice per longam viam, portans ſuper caput ſuum ſcutellam cum carnibus deferendam cuidam pauperi.

20. Item mirantur quod aliqui ſignant ſe ſigno crucis, petendo: Eſtis vos adhuc benedicendus?

Item perſuaſerunt imitatores praedictae ſectae, & præcipue mulieres, aliquibus prolis viris quod de cetero nec publice nec occulte praedicarent caſtitatem aut virginitatem, nec recommendarent continentiam, aſſerentes etiam nullam eſſe virginem, una tantum dempta, quam dicunt eſſe ſapientiam.

21. Item de purgatorio ſunt contrarii Eccleſiae. Similiter de inferno. Et habent quendam ſingularem & fictum modum loquendi de illa materia.

Item ad quaeſtionem quando ab eis quaeritur quid reſponderent ſi eis imponerentur credulitates ſupradictorum articulorum, reſpondent quod negarent.

Item & quia ex fide dignorum depoſitionibus teſtium conſtitit te plures propoſitiones & concluſiones erroneas & a fide devias in eadem villa Bruxellenſi & dioceſi noſtra praedicationibus publicis aſſeruiſſe collationibuſque privatis inconſulte per te factis cordibus fidelium, quantum in te fuit, inſeruiſſe, ad eaſdem abjurandas & revocandas loco & modis prius expreſſis, in formaque & tenore in quadam cedula per nos ſeu noſtros tibi tradenda, noſtrorum in hoc Notariorum ſignis ſignata; quarum etiam propoſitionum tenor ſequitur in haec verba.

Sequuntur propoſitiones falſæ, erroneæ, & hæreticæ, per me fratrem Vvilhelmum in forma quæ ſequitur revocandæ.

PRima propoſitio, quod omnes Chriſtiani, Iudaei, pagani, & etiam diaboli ſalvabuntur, omneſque ad Deum revertentur, & erit unum ovile & unus paſtor, & finaliter erit una generalis ſalvatio. Probavi, quia Chriſtus ſatisfecit pro omnibus. Item omnes gentes ſunt benedictae in Chriſto, & benedictio Dei manebit. Ergo finaliter omnes ſalvabuntur in Chriſto. Hanc revoco tamquam falſam, erroneam, & haereticam, quia eſt contra illud evangelii: *Multi ſunt vocati, pauci vero electi*. Item multi decedunt in peccato mortali, & tales non ſalvantur. Item Iudaeis & paganis patet per illud ſcripturae ſacrae: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non intrabit in regnum cælorum*.

Secundam propoſitionem, quæ ſequitur ex præmiſſis, Aliquando infernus non erit, revoco tamquam falſam & haereticam, quia eſt contra illud evangelii: *Ibunt ii in vitam æternam, ii autem in ignem æternum*.

Tertiam, quod dicunt ſe habere velle, nihil eſt, Deus enim totum facit, & omnia ſive bona ſive mala fiunt voluntate divina, conveniunt ita eſſe, revoco tamquam falſam & haereticam & piarum aurium offenſivam.

Quartam, quod nullus homo purus in via actibus ſuis meretur aliquid vitae aeternae, ſed Chriſtus ſolum, qui in cruce omnia meruit, revoco tamquam male ſonantem & piarum aurium offenſivam atque erroneam & haereticam.

Quintam, quod illud quod homo agit non cedit ſibi ad meritum vel demeritum nec ad ſalvationem vel damnationem, ſed paſſio Chriſti ſatisfecit pro omnibus, hanc revoco tamquam falſam, periculoſam, & ſcandaloſam, atque erroneam & haereticam.

Sextam, quod homo exterior non maculat hominem interiorem, revoco tamquam falſam & male ſonantem.

Septimam, quod homo interior non damnabitur, ſimiliter revoco tamquam falſam & male ſonantem.

Octavam, quod in ornatu veſtium nulla eſt culpa, revoco tamquam male ſonantem & male aedificativam: quia licet in ornatu veſtium non ſit peccatum, poteſt tamen ornatus veſtium eſſe cauſa & occaſio peccati.

Nonam, quod reprehendentes peccatores vel eos judicantes plus peccant quam reprehenſi vel judicati, revoco tamquam falſam & male ſonantem totiuſque fraternæ correctionis deſtructivam.

Decimam, quod praedicationes & doctrinae antiquorum ſanctorum & doctorum ceſſabunt, & ſupervenient novae, & quod ſcriptura clarius revelabitur quam huc uſque notificata ſit, & quod Spiritus ſanctus clarius illuminabit intellectum humanum quam huc uſque fecerit, etiam in Apoſtolis, quia non habuerunt niſi corticem, & quod inſtabit tempus quo revelanda erit illa lex Spiritus ſancti & libertatis ſpiritualis, & tunc praeſens lex ceſſabit, iſtam revoco tamquam erroneam, temerariam, & haereticam.

Vndecimam, quod Presbyteri audientes confeſſiones non remittunt peccata, ſed Chriſtus, ex eo quod peccator non poteſt dimittere peccata, revoco tamquam falſam, erroneam, & piorum aurium offenſivam.

Duodecimam, quod pluries aſſerui me habuiſſe revelationem, & in ea me a Deo fuiſſe amplexatum & illuminatum, & quod tunc habui gaudium de ſecuritate aeternitatis, & quod licet illud gaudium cito tranſierit, tamen remanſit in me ſecuritas de æternitate, & quod ea tunc clarius & aliter intellexi ſacram ſcripturam quam antea, unde & quandoque aſſerui quod mallem praedicare ſecundum ſenſum proprium & intellectum meum quam ſecundum ſcripturam. Iſta revoco tamquam periculoſe & praeſumptuoſe aſſerta & piis auribus male ſonantia. Et eſt veriſimile quod iſta mihi fuerunt aliorum errorum occaſio.

Tertiam decimam, quod Deus eſt ubique in lapide, membris hominis, & in inferno, ſicut in ſacramento altaris, & ideo quilibet habet Deum perfecte antequam communicet, revoco tamquam falſam & ſuperſtitioſam: quia licet Deus ſit ubique & in qualibet re ſecundum ejus eſſentiam, veruntamen in ſacramento altaris ſpecialiori modo, utpote ſacramentaliter, exiſtit. quo modo non exiſtit in aliis rebus creatis.

Quar-

Digitized by Google

Quartam decimam, quod nullus poteſt ſacram ſcripturam perfecte intelligere niſi Spiritus ſanctus eſſet in eo, revoco tamquam falſam & erroneam; quia ſtat quod aliqui peccatores melius intelligant ſacram ſcripturam quam multi ſimplices habentes Spiritum ſanctum & gratiam Spiritus ſancti.

Quintam decimam, quod reſurrectio amplius non eſſet futura, quia illa erat facta in Chriſto, ex eo quod ſumus Chriſti membra, & non ſurrexit caput ſine membris, revoco tamquam erroneam & haereticam.

Sextam decimam, quod aſſerui revelationem habuiſſe contra Presbyteros & audiviſſe vocem dicentem, *Ego veni ad mortificandum Presbyteros*, revoco tamquam ſuperſtitioſam & ſcandaloſam.

Decimam ſeptimam, quod ſi nunquam praedicaretur, non tamen ob hoc ſalvarentur pauciores homines, revoco tamquam male ſonantem, falſam, & erroneam, & piarum aurium offenſivam.

Decimam octavam, quod corrupta, ſi non haberet curam temporalem vel virum, eſſet ejuſdem meriti ſicut virgo, revoco tamquam falſam & erroneam & male ſonantem.

Sequitur ſubſequenter cedula quam ego frater Vilhelmus propria manu ſcripſi ſuper articulis mihi impoſitis, eos abjurando & reprobando.

OMnibus notum ſit quod ego frater Vvilhelmus de Hilderniſſem delatus fui reverendiſſimo in Chriſto patri Domino Dei gratia Cameracenſi Epiſcopo tamquam caput cum Ægidio Cantoris cujuſdam ſectae ſeu ſeductionis qui ſe mutuo vocant homines intelligentiae, ut dicitur. Quod ſimpliciter falſum eſt, quia ejus facta & dicta in ſermonibus reprobavi poſtquam deceptiones ejus perfecte percepi. Item eidem ſum delatus tamquam conſentiens ſibi in hoc quod dixit de ſe ipſo: *Ego ſum ſalvator hominum, & per me videbunt Chriſtum, ſicut per Chriſtum patrem*. Hic dico quod ſi in iſto conſenſiſſem, ſeductor eſſem & contrarius doctrinae catholicae: quia Auguſtinus dicit, & omnes catholici doctores affirmant, tantum Chriſtum fore ſalvatorem & actorem ſalutis. Et nunquam aliter docui vel affirmavi. Item eidem delatus ſum quod praedicaſſem opinionem Ægidii, videlicet quod diabolus finaliter ſalvabitur, ſed tunc non erit diabolus, & ſuperbiſſimus luciſer erit humillimus, & quod finaliter omnes homines ſalvabuntur. Hic dico quod iſta contrariantur ſacrae ſcripturae & doctrinae fidei catholicae, quia ſcribitur: *Ibunt ii in vitam æternam, alii autem in ignem æternum*. Si ergo per beatum Auguſtinum pœna malorum poſſet finiri, ſic poteſt & gloria bonorum finiri. Quod omnino falſum eſt. Et in evangelio dicitur: *Iam judicatus eſt diabolus*.

Item quod conſentiiſſem in hoc quod diabolus non portavit Chriſtum ſuper pinnaculum templi. Hic concedo quod hoc audivi ab eo ultra duodecim annos, ſed praetendebat corporaliter. Et poſtquam hoc ab eo audivi, an corporaliter vel ſpiritualiter ipſum portavit dubitavi, quia determinatum ab Eccleſia non intellexi.

Item delatus eſt idem Ægidius Cantoris in quadrageſima lacticinia comediſſe. Quod mihi conſtat. Sed quod aliqui ſectatores & ſectatrices ejus continuaſſent nec curant jejunare quando ſine nota exteriori comedere poſſunt, hoc in veritate Ieſu Chriſti nunquam ab aliquo alio hominem percepi, nec audivi unquam dicere de aliquo qui carnes feriis ſextis auderet comedere, quia de ſtatutis & praeceptis & ordinationibus Eccleſiae non curare & dicere quod dictus facit quod diſpoſuit, & ideo non opus formare orationes, ſic dicere eſt facere contra dictum ſpiritus ſancti, quia de ductu ſpiritus ſancti eſt Eccleſiae obedire juxta illud: *Subditi eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum*. Sed ſi tales aliqui ſunt, decepti ſunt. Item quod non curant de confeſſione, ſed ſolum ad praecavendum vexationes oſtendunt ſe quandoque ſacerdoti venialia confitendo, ſed mortalia gravia ipſis intulerunt. Quod hoc falſum eſt de perſona mea ſcium perfecte plures fratres conventus mei. Hoc etiam ſciu eſſe falſum de illis qui ſolent mihi confiteri. Si tamen aliqui tales ſunt, ficti duplices ſunt & decepti, & ſpiritus ſanctus fugit ab eis juxta illud: *Spiritus effugiet fictum*.

Item imitatores hujus ſectae, prout delati ſunt Domino meo, rigorem pœnitentiae non admittunt, tenentes quod talibus non indigemus. Hic dico. Si aliqui tales ſunt, ſpiritui ſancto contrarii ſunt, qui perfectam pœnitentiam in homine perficit.

Item eſt quaedam inter mulieres hujuſmodi ſectae quae non permittit ſe ab aliquo cognoſci. Propter quod ab aliis praedictae ſectae multas patitur moleſtias eam increpantibus quod non utitur actu carnalis copulae. Iſtud nunquam pervenit ad aures meas.

Item delatum eſt Domino meo Cameracenſi quod Ægidius habet modum ſpecialem coeundi, non contra naturam, quali dicit Adam in paradiſo fuiſſe uſum; qualem modum praedictus frater Vvilhelmus non ſequitur. Hic dico quod verum eſt, in quantum me tangit. Licet Ægidius per ſuſpicionem ſuam aliquibus contrarium dixit, qui etiam ad innocentiam paradiſi nunquam pervenit. Quod per famam contra dictum Ægidium laborantem credo verum.

Item eidem delatum eſt quod ſibi invicem idioma fabricant, actum carnalis copulae vocant delectationem paradiſi vel alio nomine acclivitatem, & ſic de tali actu libidinoſo, aliis non intelligentibus, bene loquuntur. Hic dico quod in locutionibus & prædicationibus meis non aliis terminis quam terminis ſacrae ſcripturae uſus fui. Occultavit enim mihi Ægidius ejus idiomata & eorum ſignificata quantum potuit.

Item eſt quaedam antiqua Domino delata, quam dictus Ægidius vocavit Seraphin pluribus audientibus, (Quod credo verum per famam) quae palam dixit quod licet extra matrimonium coitum exercere ſine peccato. Ille enim actus eſt pure naturalis, ſicut comedere & bibere. Et tamen illi actus reprobantur, & non iſti. Vnde ſatis iſta cum aliis miratur de caecitate hominum communiter hoc conſentientium. Hoc ſi ſic dixit, valde male dixit. Quia licet dicatur, *Vbi ſpiritus, ibi libertas*, tamen Paulus dicit eandem libertatem non fore dandam in occaſionem carnis, ſed ſolum in illis actibus exercendam quos Chriſtus in nobis operatur.

Item delatum eſt Domino meo Cameracenſi quod eſt quaedam maritata quae non facit differentiam inter virum, ſed quemlibet indifferenter admittit ſuis tempore & loco, & illud eſt quaſi commune inter illos & illas. Iſtud non credo totaliter verum. Et ſi eſt illa quam æſtimo, tunc non eſt talis, licet in parte fragilis.

Item delatus fui Domino meo Cameracenſi quod nemini ad plenum credo, nec quae in me ſentio exprimo niſi illis qui ſine Dei timore & conſcientiae ſcrupulo actu carnalis copulae utuntur. Illud eſt falſum. Sed hoc potuit ex verbis Ægidii procedere.

Item delatus fui eidem quod dixiſſem omnia facta eorum poſſe ſalvari ſeu colorari per ſacram ſcripturam, dempto coitu ab Eccleſia damnato. Et ergo ſolet movere ſibi adhaerentes quod caute haberent ſe actu illicitae copulae conjugalis. Illud eſt falſum. Sed confitentibus mihi dixi quod omnino deſiſterent & Ægidium cum ejus loquela refutarent.

Item delatum eſt Domino meo Cameracenſi quod praedicta Seraphin, dum aliqui loquebantur quod frater Vvilhelmus compulſus erat revocare articulos quos praedicavit, reſpondit quod ipſe non revocavit ſed dixit ita, Non dixi, ſed ſic, addendo vel ſubtrahendo, & ſic tranſivit impune. unde magis reputabatur dicta ſua confirmare quam revocare. Hic dico quod ſicut concluſum fuit per reverendiſſimum Dominum Cameracenſem dixi quod nunquam talia praedicavi, & ſi talia praedicaſſem, male praedicaſſem.

Item delatum eſt Domino Cameracenſi quod illi de præ-

Digitized by Google

praedicta ſecta omnes actus ſuos omnino nepharios referunt ad divinam voluntatem, dicentes Deum talia velle, non quidem tantum permiſſiva ipſius voluntate, ſed beneplacita & efficaci. Hic dico quod a me aliquis nunquam audivit talia. Scio enim quod quicquid * Deus voluntate efficaci illius eſt actor. Sed malorum actuum, ut ſunt mali, non eſt auctor. Et per conſequens ad voluntatem efficacem non ſunt referibiles; nec eſt cauſa privationis, ſed poſitionis.

Item delatum eſt Domino meo Cameracenſi quod extra muros Bruxellenſes eſt quaedam turris cujuſdam Scabini praedicti oppidi ubi ad celebrandum ſua conventicula conveniunt. Vbi dico quod infra decem annos vel circiter non interfui talibus conventiculis, licet infra tres annos cum acceſſi ſibi Ægidio denunciando turpia quae de eo in villa dicebantur, dicendo ſibi quod talia nullo modo puſſent ſuſtineri. Immo ſi congregationem mulierum ibi ſciviſſem, nullo modo intraſſem.

Item delatum eſt Domino meo praedicto quod dicunt tempus veteris legis eſſe patris & tempus novae legis eſſe filii, & pro nunc tempus eſſe ſpiritus ſancti, quod dicunt eſſe tempus Heliae, quo removebuntur ſcripturae, ita ut quae prius tamquam vera habebantur, jam refutentur, etiam & catholica doctrina, ſicut & catholicae veritates quae conſueverunt praedicari de paupertate, continentia, & obedientia; quarum virtutum oppoſitum, ut aſſerunt, eſt praedicandum hoc tempore ſpiritus ſancti. Hic dico quod talia nunquam audivi nec ab Ægidio nec ab aliis. Nec approbaſſem ſi audiviſſem, enim implicat contradictionem. Vna enim veritas catholica alteri non contrariatur.

Item delatum eſt eidem quod quicquid eis inſpiratur ſeu ad intra ſuggeritur, aeſtimant quod ſit a ſpiritu ſancto. Vnde multum fatua ſaepedictus laicus ſaepius attentavit. Nam propter quandam factam ſibi inſpirationem ivit totus nudus quadam vice per longam viam portans ſuper caput ſuam ſcutellam cum carnibus deferendam cuidam pauperi. Hic dico quod credo hoc fore verum de Ægidio, quia per nullius informationem fatetur ſe eſſe deceptum.

Item delatum eſt Domino Cameracenſi quod mirantur quod aliquis ſe ſignat ſigno ſanctæ crucis, petentes: Eſtis vos adhuc benedicendus? Hic dico quod hoc audivi a ſolo Ægidio tempore præterito, & non ab alio.

Item delatum eſt Domino Cameracenſi ad quæſtionem qua quaeritur ab eis quid reſponderent ſi eis imponerentur credulitates ſupradictorum articulorum, reſponderent quod negarent. Hic dico quod qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem. Et per conſequens per talem reſponſionem oſtendunt ſe eſſe falſos, ſi eſt ita. quod tamen ſignoro.

Item perſuaſorunt imitatores praedictae ſectae, & praecipue mulieres, aliquibus probis viris quod de cetero nec publice nec occulte praedicarent aut virginitatem nec recommendarent continentiam, aſſerentes nullam eſſe virginem, una tantum dempta, quam dicunt eſſe ſapientiam. Iſtud non pervenit ad aures meas in veritate.

Item delatum eſt Domino meo Cameracenſi quod de purgatorio ſunt contrarii Eccleſiae, ſimiliter de inferno, & habent quendam ſingularem modum & fictum loquendi de illa materia. Hic dico quod in iſta materia nec alium modum nec alium ſenſum quam modum & ſenſum ſacrae ſcripturae habeo, nec habere volo.

In his omnibus me ſubmitto ad correctionem & directionem reverendiſſimi patris in Chriſto Domini Dei gratia Cameracenſis Epiſcopi.

Sententialiter in iis ſcriptis condemnamus. Verum ſuper aliis propoſitionibus tibi impoſitis, an eaſdem dogmatizaveras vel ne, veritatem diligentius perſcrutari fecimus, denuntiante fama. Et licet contra te ſuper hoc clamor famaque vehemens, non quidem de malivolis, ſed a providis & honeſtis, invaluerit, non tamen ſuper his plenariam probationem attingimus. Idcirco ut ibi purgationem recipias ubi noſceris diffamatus, te ſuper illis propoſitionibus, quarum tenor ſequitur eſt & talis.

Sequuntur propoſitiones falſae, erroneae, & haereticae, quas ego frater Willhelmus judicialiter abjuravi & adhuc abjuro, de quibus impoſita eſt mihi canonica purgatio, quia ſuper iis contra me fuit fama publica & vehemens ſuſpicio.

Prima. Quod expedit multis peccare propter occaſionem diſpoſitionis ad beneplacitum.

Secunda. Quod actus cocundi naturaliter & tali intentione poſſet fieri quod valeret tantum ſicut oratio coram Deo.

Tertia. Quicunque cum cultu operum pœnitentiae, jejunando, orando, & abſtrahendo quod naturae delectabile eſt, licet in hoc ſe mortificet, tamen non indiget illis ad ſuam ſalutem; ſed ille integertimus & perfectiſſimus eſt qui de hoc non curat, nec in ſua conſcientia ullum remorſum facit.

Quarta. Quod poſt quandam revelationem, in qua me a Deo complexatum & illuminatum fuiſſe aſſerui, dixi quod eram totaliter alteratus & ſine labore & ſtudio intelligebam ſacram ſcripturam & clarius quam ante, & quod non poteram decipi, & quod praedicationes meae erant ultra humanum intellectum, & ſermonem meum praeferebam aliis, dicendo: Quando eram ſicut vos; ſed nunc aliter ſum, & aliter intelligo. Et qui ſermones meos audit, meram veritatem audit. Qui aliorum ſermones audit, ſeducitur: quia alii praedicant mortem, ego vero vitam.

Quinta. Quod homo ita poteſt uniri Deo in hac vita ut per actus exteriores qualeſcunque non peccaret.

Sexta. Quod Pilatus, Cayphas, & Cayn non ſunt damnati, ſed peccatum.

Septima. Quod aliquas propoſitiones, quas alias revocare debui, nec plene nec debite revocavi, & quod aliquas earum vel eis ſimiles poſtea praedicavi.

Octava. Quod quando aliquid erroneum, male ſonans, vel ſcandaloſum praedicavi, ſi ſuper ab aliquo interrogatus fuerim, ſtatim illud negare conſuevi & dicta mea gloſari & interpretari.

ad purgationem canonicam cum ſeptima manu tui ordinis infra menſem in manibus commiſſariorum noſtrorum in villa praedicta Bruxellenſi peragendum indicimus convictionis eorundem, tibique pœnitentiam trium annorum in caſtro noſtro de Sellis poſt dictas tuas abjurationem, reprobationem, revocationem, purgationem per te ut ſupra fiendas injungimus adimplendam. Alioquin quod in uno conventuum tui ordinis extra noſtram diocesim Cameracenſem conſtitutorum per nos de conſilio tui conventus Bruxellenſis eligendo pro pœnitentia eadem, ſine exeundo eundem conventum & ambitum ipſius, remaneas uſque ad noſtrum beneplacitum, & quod de cetero a praedicationibus publicis vel privatis confeſſionibuſque audiendis ceſſes penitus & omnino. Haecque tibi injungimus ſub juramento, & ad hoc te atque in expenſis legitimis taxatione reſervata condemnamus in iis ſcriptis.

Qua quidem ſententia ſic per nos, ut praemittitur, lata, praefatus frater Wilhelmus de Hildernisſem eandem ratam habendo, approbando, emologando, & confirmando, ſtatim ipſam devote & humiliter coram nobis quantum debuit adimplevit, revocationeſque & abjurationes ſibi injunctas faciendo publice & expreſſe atque praeſtando, promittens etiam & volens ipſam ulterius humiliter & devote ubilibet locorum in eadem deſignatorum ſecundum ipſius continentiam & tenorem abſque fallo ſeu fictione quibuſcunque tenere & adimplere modo & forma ſupraſcriptis & in eadem latius expreſſis. In quorum omnium & ſingulorum praemiſſorum teſtimonium praeſentes litteras noſtras ſententiam & ordinationem ſupraſcriptas in ſe cum revocatione ejuſdem fratris Wilhelmi & abjuratione continentes per dile-

Digitized by Google

dilectum & fidelem noſtrum Notarium infraſcriptum in hanc publicam formam fieri & redigi mandavimus, ac una cum noſtri ſigilli appenſionis ſigno & ſubſcriptione ſuis voluimus munimine roborari. Actum & datum in palatio noſtro epiſcopali Cameraceuſi ſub anno ab incarnatione Domini milleſimo quadringenteſimo undecimo, Indictione quarta, menſis vero Junii die duodecima, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & Domini noſtri Domini Johannis divina providentia Papae XXIII. anno ſecundo, praeſentibus in iis venerabili & religioſo Domino Jacobo Abbate monaſterii ſancti Auberti Cameracenſis, necnon venerabilibus & circumſpectis viris Dominis & magiſtris Rodulpho Presbyteri Archidiacono Haſinonienſi in Eccleſia Cameracenſi, Henrico de Darnheu, Arnoldo de Halle, Petro Majoris, Henrico Panneti, Nicolao Claiquin, Aymerico de Raſhac, Petro Symonis, Petro Presbyteri, & Petro de Hailles Cameracenſis, Johanne de Atrio, Petro le Feurbiſleur, ſanctae crucis, Nicolao Braſſardi, Walthero de Opſtall, & Johanne Nicolay ſancti Gaugerici Cameracenſis Eccleſiarum Canonicis, necnon Dominis Johanne Blanchion beatae Mariae Magdalenae, Johanne le Gondale ſancti Martini, Jacobo le Solbier ſancti Vedaſti, & Johanne Hedrot ſancti Nicolai Cameracenſis Eccleſiarum Curatorum gerentium, ac Dominis Franciſco de Carnin Canonico dictae Eccleſiae ſancti Gaugerici, Arnoldo Logiet Presbyteris Curato ſancti Martini Cameracenſis, Johanne Majoris & Petro Hardit Notariis publicis, Petroque le May & Nicolao le Vende ſervitoribus noſtris, aliiſque quampluribus in multitudine copioſa exiſtentibus ibidem & praeſentibus tam clericis quam laicis teſtibus ad praemiſſa omnia & ſingula vocatis ſpecialiter & rogatis.

Et ego Arnulphus de Poeſt Clericus Cameracenſis dioceſis, publicus apoſtolica & imperiali auctoritatibus venerabiliſque curiae Cameracenſis Notarius & Auditor, ac praefati reverendiſſimi in Chriſto patris & Domini mei Domini Epiſcopi Cameracenſis in hac cauſa coram eo ſcriba juratus, quia praemiſſis ſententiae prolationi, revocationi, abjurationi, approbationi, emologationi, promiſſioni, ceteriſque omnibus & ſingulis ſuprascriptis, dum per praedictum reverendiſſimum patrem & coram eo in modum agerentur & fierent ſupraſcriptum, una cum praenominatis teſtibus praeſens vocatus interfui, eaque ſic fieri vidi & audivi, ideirco has praeſentes litteras ſuper hoc de mandato ipſius reverendiſſimi patris confectas, in hanc publicam formam redactas, manu mea propria ſcriptas, una cum ipſius reverendiſſimi patris ac Domini Domini Epiſcopi Cameracenſis appenſione ſigilli, ſigno meo ſolito & conſueto hic me eadem manu ſubſcribens ſignavi & roboravi requiſitus in teſtimonium veritatis omnium & ſingulorum praemiſſorum.

Sequentes articulos miſerunt Nominales Univerſitatis Pariſienſis ad Regem Franciæ Ludovicum XI. qui ad requiſitionem magiſtri Johannis Boucard & Thomiſtarum juſſerat doctrinam Okam & Nominalium condemnari & ulterius ibi non doceri neque legi.

Ex L. IV. Miſc. Bal., pag. 531. ILli Doctores Nominales dicti ſunt qui non multiplicant res principaliter ſignatas per terminos ſecundum multiplicationem terminorum, Reales autem qui e contra res multiplicatas eſſe contendunt ſecundum multiplicitatem terminorum. verbi gratia.
An. 1473. Nominales dicunt quod deitas & ſapientia ſunt una res & eadem omnino, quia omne quod eſt in Deo Deus eſt. Reales autem dicunt quod ſapientia divina dividitur a deitate.

Item Nominales dicti ſunt qui diligentiam & ſtudium adhibuerunt cognoſcendi omnes proprietates terminorum a quibus dependet veritas & falſitas orationis & ſine quibus non poteſt fieri perfectum judicium de veritate & falſitate propoſitionum. Quae proprietates ſunt ſuppoſitio, appellatio, ampliatio, reſtrictio, diſtributio exponibilis. Cognoſcunt praeterea obligationes & inſolubilem naturam, vera fundamenta argumentorum dialecticorum, & omnes eorum defectus. Quibus rebus inſtructi de unaquaque argumentatione faciliter cognoſcunt an bona ſit, an mala. Reales autem haec omnia negligunt & contemnunt dicentes: Nos imus ad res, de terminis non curamus. Contra quos magiſter Johannes de Guerſonno: *Dum vos ad res itis terminis neglectis, in totam res caditis ignorantiam.* Haec ille in tractatu ſuo ſuper *Magnificat*; & ſubjungit idem quod dicti Reales ſe involvunt difficultatibus inexplicabilibus dum difficultatem quaerunt ubi non eſt niſi difficultas logicalis.

Item inter Nominales primus qui legitur fuiſſe condemnatus fuit Guillelmus Okam, quem Johannes XXII. perſecutus eſt, primo quia dictus Guillelmus Okam fuerat eidem Papae contrarius in haereſi de animabus beatis, quas idem Papa dicebat non videre Deum facie ad faciem ante diem ultimi judicii, & ſimiliter dicebat animas damnatorum ante diem illum non cruciari in inferno. Et eundem Papam compulit dictus Okam haereſim ſuam revocare. Et contra eandem haereſim ſcripſit pulcherrimum tractatum, in quo omnes errores dicti Johannis XXII. & omnium ſibi adhaerentium lucidiſſime diſſolvit. Scripſit praeterea alium tractatum in quo ejuſdem Johannis XXII. errores aliquos ſupra hoc collegit.

Secundo Papa Johannes XXII. eundem Okam perſecutus eſt quod in dialogo ſuo per ſcripturam ſacram & per dicta ſummorum Pontificum & Conciliorum generalium & Doctorum Eccleſiae defendit auctoritatem regiam, oſtendens & potiſſime Regem Franciae habere regnum ſuum immediate a Deo, & non a Papa, neque Papae Regem eſſe ſubjectum in temporalibus, neque Papam pro libito ſuo poſſe Regem Francorum deponere a regno, neque regnum poſſe transferre de gente in gentem, ſicut dogmatizare viſus fuerat Bonifacius VIII. per quandam decretalem quam ſuper hoc promulgavit, aſſerens eſſe de neceſſitate ſalutis credere omnem Principem mundi Papae plene ſubjectum tam in ſpiritualibus quam in temporalibus. Et incipit decretalis *Unam ſanctam*.

Propter has cauſas idem Johannes XXII. multa privilegia dedit Univerſitati Pariſienſi ut ipſam doctrinam Guillelmi Okam condemnaret. Dicta tamen Univerſitas noluit eam condemnare. Sed facultas artium importunitate victa fecit ſtatutum in quo cavetur dictam doctrinam non eſſe dogmatizandam, quia nondum erat approbata & examinata. Et poſtmodum inſtituit juramentum quo juraverunt omnes dictam doctrinam non dogmatizare in caſibus in quibus eſt contra fidem. Et expreſſe habetur in libro Rectoris. Et in eodem libro notantur quatuor articuli in quibus aſſerebat dictum Okam erraſſe; quorum nullus, ut clare patet intuenti, eſt contrarius fidei. Et primus articulus in nullo librorum reperitur. Immo contrarium ejus habetur frequentiſſime & in logica & in theologia ejus. Et ita eſt ibi error facti, qui non eſt tolerabilis.

Juſſit etiam idem Papa doctrinam hujus Okam examinari per quendam Cardinalem. Qui licet multa diſputaverit contra eundem Okam, nihil tamen reperterunt quod auſi fuerint condemnare. Neque ſecuta eſt aliqua damnatio articulorum per eundem Cardinalem examinatorum.

Item ſecundo legimus Nominales expulſos de Bohemia eo tempore quo haeretici voluerunt Bohemicum regnum ſuis haereſibus inficere, ut colligitur ex hiſtoria Pii Papae quam de Bohemia conſcripſit, ita quod cum dicti haeretici non poſſent ſupradictum diſputando ſuperare, impetraverunt ab Abbiſſeslao Principe Bohemiae ut gubernarentur ſtudia Pragenſia ritu

Pati-

Pariſienſium. Quo edicto, ut ibidem habetur, coacti ſunt ſupradicti Nominales Pragam civitatem relinquere, & ſe tranſtulerunt ad Lipſiam civitatem, & ibidem Vniverſitatem erexerunt ſollemniſſimam. Quibus expulſis, haeretici per regnum Bohemicum ſuas haereſes ſeminaverunt.

Eo tempore Deus ita providit fidei Eccleſiae ſuae ut cum apud Bohemiam regendo ſtudia ſecundum ritum Pariſienſium ſuſcitavit Deus Doctores catholicos, Petrum de Allyaco, Iohannem de Gerſonno, & alios quamplures doctiſſimos viros Nominales, qui convocati ad Concilium Conſtantienſe, ad quod citati fuerant haeretici, & nominatim Hieronymus & Iohannes, ſi fidem Chriſti defenderunt, & dictos haereticos publice per quadraginta dies diſputando ſuperaverunt ita & confuderunt ut dicti haeretici ſe argumentis Petri de Allyaco victos confiterentur.

Item tertia perſecutio Nominalium fuit poſt occiſionem Ducis Aurelianenſis. Nam propter guerras quae inde ſupervenerunt diſperſi ſunt per varias regiones & provincias doctiſſimi viri Vniverſitatis in via Nominalium eruditiſſimi, quorum doctrinis ſic floruerat dicta Vniverſitas ut jure optimo lumen orbis ipſa diceretur. Qua diſperſione facta, ſupervenerunt quidam Albertiſtae, qui nullo reſiſtente doctrinam Nominalium ejecerunt. Sed poſteaquam Anglicis expulſis coepit haec Vniverſitas reflorere, viris ingenioſiſſimis referta eſt, & ab eis dicta doctrina Nominalium reſumpta & reſuſcitata eſt. Et quicquid dicant hujus viae & veritatis aemuli, ſic a viginti annis uſque in hoc tempore incrementa laudis & gloriae ſuſcepit, ut manifeſte apparet omnibus recte judicantibus, non favore, non invidia, aut odio affectus fructus hujus eruditionis & quanta ſit utilitas in his doctrinis.

Quarta perſecutio fit his diebus, ſcilicet 1473. Cujus potiſſimum tres cauſae reperiuntur. Prima eſt laus & gloria eorum qui huic doctrinae inſudant. Secunda cauſa eſt, quia qui dicuntur Nominales, ita aliquos & maxime Thomatiſtas ſuperant diſputando ut nullo modo eis reſiſtere poſſint, & ob hoc eos penitus exterminare nituntur. Tertia cauſa eſt ex quadam haereſi conficta in Vniverſitate Lovanii. Quidam enim Lovanienſis Regens tractatum compoſuit in quo negabat certitudinem & praeſentiam divinam de contingentibus, aſſerens propoſitiones de futuro contingenti, etiam contentas in Biblia & a Chriſto prolatas, non eſſe veras. Quem tractatum his haereſibus plenum approbavit Lovanienſis Vniverſitas, promotoremque ſuum Pariſius miſit ſollicitare facultatem Theologiae quatinus dictum tractatum approbarent. Cui cum multi dictae facultatis Doctores, & illi maxime qui doctrinae Nominalium exterminationem procurant, faverent, ſe viriliter objecerunt & oppoſuerunt illi qui dicuntur Nominales, nullum periculum pro defenſione fidei formidantes, impedieruntque ne Theologiae facultas dictum tractatum approbaret. Quod moleſtiſſime illi qui dicuntur Reales tulerunt, & uſque ad XXIV. ſe dicto tractatui ſubſcripſerunt & illum approbaverunt.

Citatus eſt autem dicti tractatus compoſitor ad ſedem apoſtolicam, accuſante magiſtro Henrico de Zomoren Doctore Pariſienſi inter Nominales doctiſſimo, & Romam pro ſui defenſione profectus rationes ſuas, cauſas, & motiva allegavit, produxitque ad ſuam juſtificationem ſignaturas XXIV. Doctorum Pariſienſium. Nomina. Petrus de Vaucello, Rolan-
* Vvaur. dus le Couzich, Iohannes * Boucart, Guillelmus de Caſtroforti, Guillelmus Boville, Petrus Caros, Iohannes Coſſart, &c.

Quibus nonobſtantibus condemnatus eſt dictus Lovanienſis compoſitor tractatus, & tractatus ſuus haereticus declaratus. Propter quam condemnationem ſupradicti approbatores haereſum illarum accenſi ira & odio, defenſores fidei inquietant, moleſtant, & perturbant.

Item & poſt dictas ſignaturas quidam Regens artium Pariſius de partibus Almaniae in vico ſtraminis ſupradictas haereſes Lovanienſes publice ſuſtinuit, aſſerens Chriſtum potuiſſe non dicere verum cum Petro diceret: *Ter me negabis*. Quem cum accuſaſſent apud facultatem Theologiae quod dixerit Chriſtum fuiſſe mentitum, per Doctores approbatores praedictarum haereſum Lovanienſium defenſus eſt.

Ad illud autem quod contra Nominales allegatur, quod ſcientia eorum eſt perverſa & plena hæreſibus, reſpondetur primo quod in his qui nominalitatem & realitatem concernunt, pars Nominalium ſemper eſt fidei conformior & ab Eccleſia frequenter approbata, pars autem realium periculoſa & in multis ab Eccleſia reprobata, ut patet in materia univerſalium de aeternitate propoſitionum & multitudine entium ſine cauſa.

Reſpondetur ſecundo quod in his impertinentibus ad nominalitatem & realitatem Nominales ſine comparatione minus errant quam alii, & ſemper pro uno errore reperto in doctrina Nominalium, ſi aliqui reperiantur, oſtenduntur quatuor aut quinque in doctrina Realium. Et ad hoc probandum ſe offerunt Nominales.

Nolumus tamen dicere Nominales eſſe omnino immunes ab erroribus. Si enim dixerimus quia peccatum non habemus, veritas in nobis non eſt. Neque enim poſſunt hoc aſſerere Thomiſtae de beato Thoma, contra quem etiam viventem facti ſunt articuli multi Pariſius; contra cujus errores nomine facultatis theologiae tractatus quidam factus eſt & Romam miſſus. Neque lectores ſententiarum hoc de magiſtro Petro Lombardi aſſerere poſſunt, cum communiter contra eum annotentur XXVI. articuli in quibus non eſt tenendus. Sed volumus eos dicere inter omnes Doctores minus erraſſe & magis ceteris integram fidei veritatem ſecutos. Quod aperte conſtabit ſi publicentur propoſitiones contra eos datae. Oſtendetur enim multas earum eſſe contentas in doctrinis realibus, & illarum nullas vel pauciſſimas eſſe erroneas.

Opiniones ſive ſignaturæ Doctorum Pariſienſium quarum mentio fit ſupra pag. 294. *col.* 1.

Videtur mihi, ſalvo ſemper doctorum ac peritio- An. 1471.
rum meliori judicio, quod ordinatio facta per venerandam theologiae facultatem univerſitatis ſtudii Lovanienſis ſuper quibuſdam propoſitionibus & earum ſimilibus quae videntur piarum aurium offenſivae, & poſtmodum per facultatem artium ejuſdem univerſitatis acceptata & per modum ſtatuti in ſuis regiſtris deſcripta, quod ſcilicet tales propoſitiones omnino ſileantur, (quae quidem ordinatio ſic incipit: *Cupiens juxta conſilium Apoſtoli venerabilis artium facultas &c.* & finitur, *& ſimiles, hoc eſt, aeque offenſivae vel magis periculoſae, ſileantur omnino*) provide, ſapienter, & fructuoſe ſunt edita, facta, & inſtituta ad honorem ipſius univerſitatis, vitationem errorum, & ad falſorum dogmatum periculoſas inventiones ſupprimendas, ad profectum etiam ſcholarium ſeu auditorum, praeſertim ad veriorem ſeu ſecuriorem eruditionem illorum qui ſtudio theologiae intendunt. Praeterea videtur mihi quod poſitio ſeu doctrina Ariſtotelis in libro primo peri ermenias de futuris contingentibus non repugnat nec adverſatur ſacrae ſcripturae nec revelationibus in eadem contentis, quodque cum veritate ſcripturae & dictis ſeu expoſitionibus ſanctorum Doctorum ſuſtineri poteſt ac defendi. Contraria vero aſſertio mihi videtur periculoſa, diſſona veritati, non dogmatizanda, ſed potius ſilenda; ne longius divulgata plurimos a veritatis rectitudine & doctrina ſanctorum Doctorum deviare faciat. Inſuper mihi videtur quod contenta in quodam codice, ut fertur, per magiſtrum Petrum de Rivo, quoad primam partem incipiente *An in poteſtate Petri &c.* quoad aliam partem *Sicut Tullius teſtatur libro de fato &c.* quoad

aliam

Digitized by Google

aliam partem incipiente *Ponentes in propoſitionibus &c.* & quoad aliam *A quolibet catholico &c.* & quoad aliam decem capitula continentem *Utrum philoſophi tres virtutes &c.* & quoad aliam novem capitula continentem incipiente *Finalis particula*, ſi hujuſmodi contenta & ſcripta diligenter inſpiciantur & examinentur, non diſſonant veritati, nec ſuſpecta haberi debent in fide & doctrina ſanctae matris Eccleſiae, ſed magis ut ex dictis Doctorum approbatorum elicita & compilata. *Sic ſubſcriptum & ſignatum*. De Vaucello.

Et mihi Guillielmo Burgenſi ſacrae theologiae Doctori actu in praedicta facultate regenti videtur conformiter ad praedictam opinionem magiſtri noſtri de Vaucello; qui etiam eſt opinionis Ariſtotelis in fine primi peri ermenias. *Sic ſubſcriptum & ſignatum*. Bourgenſis.

Et mihi Antonio Urſi ſacrae theologiae profeſſori actu regenti Pariſius in dicta facultate ita videtur ſicut continetur in praedicta determinatione magiſtri noſtri de Vaucello. *Sic ſubſcriptum & ſignatum*. Urſi.

Et mihi Petro Caros ſacrae theologiae profeſſori ita videtur ut in praedicta determinatione magiſtri noſtri de Vaucello ſupraſcripto. *Sic ſubſcriptum & ſignatum*. Caros.

Et mihi Stephano Gervaſii ſacrae theologiae profeſſori ita videtur ut praedicta determinatione magiſtri noſtri de Vaucello ſupraſcripto. *Sic ſubſcriptum & ſignatum*. Gervaſii.

Et mihi fratri Rolando de Cozic ordinis fratrum Praedicatorum, ſacrae theologiae profeſſori, necnon contra peſtem haereticam in toto regno Franciae Inquiſitori auctoritate apoſtolica deputato, videtur in omnibus & per omnia dicendum fore, tenendum & determinandum in praedicta materia prout Doctor egregius magiſter noſter reverendus Petrus de Vaucello dixit, ſcripſit, ac determinavit. Et conformiter dico, teneo, & determino, teſte manu propria hic appoſita die 28. menſis Junii anno Domini milleſimo CCCCLXXI. *Sic ſubſcriptum & ſignatum*. Cozic.

Idem videtur mihi Johanni Moneti Presbytero ſacrae theologiae profeſſori immerito. *Sic ſubſcriptum & ſignatum*. Moneti.

Praedictis aſſertionibus adhaerendo ego Milo Borni conformiter dico cum honorando magiſtro noſtro magiſtro Petro de Vaucello ſubſtantialiter. Teſte ſigno meo manuali anno ut ſupra appoſito. *Sic ſubſcriptum & ſignatum*. M. Borni.

Mihi Guillielmo Ficheto Pariſienſi theologo Doctori eadem quae doctiſſimo patri Petro de Vaucello de ſuperioribus diſputationibus ſentienda probandaque videntur. Nam in collegio & conſeſſione patrum doctorum Pariſienſium, in qua diutiſſime fuit ſuperius deſcripta materia diſputata, eam doctiſſimum fere quemque ſententiam tuliſſe audivi. Atque maxime partis de Vaucello opinionem probarunt qui plures doctioreſque habebantur. Res etiam mihi diutius cogitanti ita ſe habere viſa eſt. Quapropter teſtor meam eſſe ſententiam cum ante nominato patre conſentaneam. *Sic ſubſcriptum & ſignatum*. Fichetus.

Mihi Willelmo Bouylle omnium theologorum minimo praefatae veritatis declaratio videtur catholica & ſanctorum Doctorum realium doctrinae utcunque conſona. *Sic ſubſcriptum & ſignatum*. Bouylle.

Cum nihil inter humana ſalubrius fore cenſeatur inquiſitione atque manifeſtatione catholicae veritatis, ipſa ſapientia divina atteſtante, quae dicit: *Qui me elucidant, vitam aeternam habebunt*, & ad hoc tam ſtrenuum atque laudabile & fructuoſum opus ſacrae profeſſores veritatis aſtringi & teneri maxime videantur, & ſignanter ubi materia occurrit & reddenda ratio exigitur, hinc eſt quod ego Guillelmus de Caſtroforti inter ſacrae theologiae ſtudii & almae univerſitatis Pariſienſis clariſſimos profeſſores minimus, ac regalis collegii Campaniae alias Navarrae in eodem Pariſienſi ſtudio fundati indignus magiſter, a nonnullis egregiae litteraturae ac eruditis viris opinari ac opinionem propriam ſuper quibuſdam materiis ac quaeſtionibus inferius deſcriptis ſignare requiſitus, requiſitioni mihi factae ſatisfacere cupiens, ad eaſdem quaeſtiones quae mihi fore dicenda videbantur quantum Dominus ſuffragari meiſque aſpirare conatibus dignabitur edicere atque ſcribere conabor.

Prima quaeſtio in ordine. Utrum opinio vel doctrina philoſophi primo peri ermenias ſententialiter dicentis quod in propoſitionibus de futuro contingenti non eſt determinata veritas quemadmodum in illis de praeſenti & praeterito ſtare poſſit cum fide catholica, vel utrum ſacrae fidei adverſetur & repugnet, attento quod Deus omnia futura evidenter & determinate cognoſcit. Salvo ſemper peritiorum judicio, mihi videtur quod praedicta philoſophi opinio veritatem continet quam ſequuntur Doctor ſanctus & plures alii in ſacris litteris famatiſſimi atque clariſſimi Doctores & in fide firmiſſimi ejuſdem fidei ſtrenuiſſimi defenſores, dictamque philoſophi ſententiam tenuerunt huc uſque Pariſius omnes illi communiter qui doctrinam realium inſequuntur. Unde & praenominatus ſanctus Thomas de Aquino in omni paſſu in quo de futuris contingentibus loquitur nullam ponit in eis determinatam veritatem prout futura ſunt aut in futuritione conſiderata. Repugnat enim futuro contingenti, ut tale eſt, determinatio veritatis aut falſitatis. Alias enim contingens non eſſet. Eo enim contingens eſſe dicitur quia poteſt evenire & poteſt non evenire. Ergo ad nullum eſt determinatum. Quapropter ponere propoſitiones de futuro contingenti eſſe determinate veras aut determinate falſas ſicut illas de praeſenti aut de praeterito, quae ſunt inimpedibiliter verae aut falſae, eſt favere errori dicentium omnia de neceſſitate evenire, ſic quod non poſſint impediri. quod repugnat fidei & libertati voluntatis, & concilia destruit, & merita diſſolvit. Obſequitur itaque fidei dicta philoſophi opinio, nec eidem adverſatur aut repugnat, ſi recte intelligatur.

Secunda queſtio eſt de quodam ſtatuto a Doctoribus ſacrae theologiae ſtudii ac famoſae univerſitatis Lovanienſis quondam inſtituto & ordinato, & conſequenter per facultatem artium dictae univerſitatis accepto, & per modum etiam ſtatuti & ordinationis recepto, & in ſuis regiſtris ſeu libris ſcripto: cujus quidem ſtatuti vel ordinationis vigore reprimuntur tamquam ſub ſilentio ponendae quaedam propoſitiones quae pro tunc eis videbantur nullatenus communi doctrinae convenire, ſed potius inutiles aut piarum aurium offenſivae: cujus etiam ſtatuti vel ordinationis exordium tale eſt: *Cupiens juxta conſilium Apoſtoli venerabilis artium facultas ſe ipſam Deo probabilem & inconfuſibilem exhibere &c. ſtatuit &c. In primis quidem ut diſputatio de potentia divina & ceteris theologicalibus veneranda facultati theologiæ relinquatur*. Et ſic de aliis. Utrum ſcilicet praefata ordinatio ſit juſta & tamquam rationabilis tenenda & obſervanda. In hac autem materia, ſicut in praecedenti ac etiam ſequenti, opinionem inſequendo clariſſimi & famatiſſimi ſacrae theologiae profeſſoris magiſtri Petri de Vaucello ac etiam theologiae facultatis almae univerſitatis Pariſienſis Decani meritiſſimi atque doctiſſimi, puto dictam ordinationem perutilem atque fructuoſiſſimam eſſe, cum & exhortationibus & praeceptis Apoſtoli conveniat, quibus Timotheo ſcribebat, *Stultas autem & ſine diſciplina quaeſtiones devita ſciens quia generant lites*, & conformiter ad Titum tertio capitulo, *Stultas autem quæſtiones & contentiones & pugnas legis devita, ſunt enim inutiles & vanæ &c.* Unde propoſitiones quæ per ſtatutum praefatum ſilendae praecipiuntur, non tantum vanae & inutiles videntur, quin etiam ut in pluribus ſanae doctrinae ſubverſivae, & nonnullae earum de haereſi ſuſpectae. Proinde

inde ordinatio facta ad honorem cedit praedictae univerſitatis Lovanienſis, ad ſuppreſſionem falſi & periculoſi dogmatis, & ad commendationem doctrinae veritatis catholicae, profectui ſtudentium deſervit, & alias affert quampluri mas notabiles commoditates propter quas amplexanda eſt praedicta ordinatio & jugiter obſervanda.

Tertia quaeſtio quendam tractatum continet a quodam venerabili & profundae litteraturae viro, ſcilicet magiſtro Petro de Rivo, editum atque compoſitum ſignanter & praecipue ad elucidationem veritatis dictæ ſententiae ſeu opinionis philoſophi de futuris contingentibus, & ad confutationem opinionis contrariae. Qui quidem tractatus quoad primam partem incipit *An in poteſtate Petri &c.* quoad aliam partem *Sicut Tullius teſtatur in libro de fato &c.* quoad aliam partem incipit *Ponentes in propoſitionibus &c.* & quoad aliam *A quolibet catholico &c.* & quoad aliam decem capitula continentem *Vtrum philoſophi tres virtutes &c.* & quoad aliam novem capitula continentem incipit: *Finalis particula &c.* Vtrum præfatus tractatus debeat vel in toto vel in parte de haereſi aut falſitate notari aut poſſit probabiliter tamquam veritatem continens ſuſtineri, & tamquam probabilis ſanaeque doctrinae conveniens dogmatizari & defendi. Quamvis autem haec quaeſtio non parvi ſit ponderis, & grandi egeat diſcuſſione propter arduas ſubtileſque difficultates quae in praedicto continentur tractatu, attamen pro modulo facultatis meae, probabiliter tantum loquendo, ac etiam me ſubmittendo determinationi Eccleſiae ſacroſanctae, ſi quandoque per eam aliter definiri contingat, mihi pro nunc videtur quod tractatus ille ſubtiliter, ingenioſe, & multum ſcientifice conditus eſt, nihilque erroris aut falſitatis fidei contrariae includit vel continet, ſed ſi attente & per ſingula diſcutiatur & ad ſenſum quem exprimit capiatur, catholicis & ſinceris veritatibus & dictis ſanctorum Doctorum conſonat & conformatur. Non enim, ſicut adverſarii obiciunt, negat veritatem a propoſitionibus de futuro contingenti quæ in ſymbolo fidei aut canone ſacrae ſcripturae continentur, quin potius eas veriſſimas fatetur ab omni catholico firmiter & uſque ad mortem credendas, ſed loquendo de veritate propoſitionis creata & inhaerente formaliter & actualiter ex praeſentia rei ſignificatae exiſtente, dicit quod in talibus propoſitionibus de futuro contingenti non eſt veritas determinata ſicut in illis de praeſenti & de praeterito; ita ſcilicet quod ſicut illae de praeſenti & praeterito quae ſunt verae, ſunt inimpedibiliter verae, & quae falſæ, inimpedibiliter falſae, ſic ſe habent illae de futuro contingenti; quoniam poſtquam ponuntur eſſe de futuro contingenti, ponuntur eſſe impedibiliter, & per conſequens poſſunt dici neutrae, ſic quod non ſunt veræ inimpedibiliter nec falſae, inimpedibiliter eo modo quo verae ſunt determinate & inimpedibiliter illae de praeſenti & de praeterito. Et ipſe ſenſus exprimitur evidenter in tractatu praelibato. Qui quidem ſenſus ſic verus & conformis doctrinae communi videtur ut non poſſit niſi fallaciter calumniari. Et iſte modus dicendi praefatam philoſophi ſententiam clariſſime diſcutit, eam cum ſacra fide concordat atque ſalvat. Et hic etiam ſenſus videtur eſſe de intentione philoſophi, ſi bene & attente verba ſua conſiderentur quibus dicit: *In iis ergo quae ſunt & quæ facta ſunt neceſſe eſt affirmationem vel negationem eſſe veram vel falſam &c. In ſingularibus vero & futuris non ſimiliter eſt &c.* Manifeſtum eſt enim quod per ea quae ſunt philoſophus intelligit praeſentia, quae neceſſe eſt eſſe dum ſunt, & per ea quae facta ſunt intelligit praeterita, ad quae non eſt potentia. Et ſic non vult philoſophus aliud dicere niſi quod praeſentia & præterita ſunt inimpedibiliter vera aut falſa. Sed non ſimiliter eſt in ſingularibus & futuris contingentibus, quia non ſunt inimpedibiliter & determinate vera aut inimpedibiliter & determinate falſa: quia ſic non eſſent ad utrumlibet, ſi eſſent inimpedibiliter ſicut praeſentia & praeterita. Et hoc etiam declarat philoſophus conſequenter dicens: *Quare quoniam orationes ſimiliter veræ ſunt quemadmodum & res, manifeſtum eſt quoniam quæcunque ſic ſe habent ut ad utrumlibet ſint & contraria ipſorum contingere queant, neceſſe eſt ſimiliter ſe habere & in contradictione.* ſcilicet ut altera pars contradictionis in iis quae ſunt ad utrumlibet non ſit determinate & inimpedibiliter vera, & altera determinate & inimpedibiliter falſa, ſicut in contradictoriis de praeſenti & praeterito. Et ſequitur iterum: *Neque enim quemadmodum in iis quæ ſunt ſic ſe habent, & in iis quæ non ſunt, poſſibilibus tamen eſſe vel non eſſe.* Patet enim evidentiſſime quod philoſophi ſententia eſt quod in iis quae non ſunt, poſſibilibus tamen eſſe vel non eſſe, (& haec ſunt futura contingentia ad utrumlibet) non ſic eſt ſicut in iis quae ſunt, id eſt, praeſentibus: quia talia dum ſunt, neceſſe eſt ea eſſe, & ſic ſunt inimpedibiliter & determinate vera.

Et haec mihi ita fore dicenda pro nunc videntur, cum proteſtatione addendi vel diminuendi, etiam mutandi & corrigendi, ſi aliter, ut praemiſi, per Eccleſiam ſacroſanctam determinatum extiterit, cui me & omnem ſcientiam meam cum omnibus dictis & ſcriptis meis humiliter & devote ſubmitto. In teſtimonium approbationis praemiſſorum, probabiliter tamen & gratia profectus tantum, ſignum meum huic ſcripto inſerere decrevi die XVI. menſis Maii anni Domini MCCCC. ſeptuageſimi primi. *Sic ſubſcriptum & ſignatum.* G. Caſtroforti.

Mihi autem fratri Iohanni Canuti ordinis fratrum Praedicatorum in facultate theologiae minimo magiſtro, ut Decanus, videlicet magiſter Petrus, declarat, videtur aſſerendum & tenendum in ſupra contentis & declaratis, teſte ſigno manuali. *Sic ſubſcriptum & ſignatum.* Canuti.

Ego frater Iohannes Patini in ſacra pagina humilis profeſſor & actu regens Pariſius praedictis aſſertionibus cum modificationibus aſſentio, teſte ſigno meo manuali, anno quo ſupra. *Sic ſubſcriptum & ſignatum.* Patini.

Ego frater Iohannes Vvatat humilis ſacrae paginae profeſſor praedictis aſſentio, teſte ſigno meo manuali hic appoſito, IX. Iulii, anno quo ſupra. *Sic ſubſcriptum & ſignatum.* Vvatat.

Mihi Ivoni Porcelli in facultate theologiae regenti immerito videtur quod habito reſpectu ad cauſas ſecundas tantum, non poteſt dici quod propoſitionum de futuro contingenti ad utrumlibet haec pars eſt determinate vera & illa falſa vel e contra. In aliis autem determinatis circa praedictas materias per diſertiſſimum virum atque honorandiſſimum magiſtrum noſtrum magiſtrum Petrum de Vaucello praedictae facultatis Decanum digniſſimum ſto in ejus determinatione, cujus opinio mihi videtur probabilis & probabiliter poſſe ſuſtineri, tamquam dictis & opinionibus Doctorum approbatorum conſona, & innixa veritati, praedicanda & dogmatizanda. *Sic ſubſcriptum & ſignatum.* Porcelli.

Ego frater Dionyſius Pitas humilis profeſſor in ſacra pagina ita ſentio cum praecedentibus ſubſtantialiter, ſcilicet tam cum Domino Decano facultatis magiſtro Petro de Vaucello quam cum honorando magiſtro noſtro Guillelmo de Caſtroforti. *Sic ſubſcriptum & ſignatum.* Pitas.

Et mihi Ægidio de Alvetis ita videtur & ſentio cum praecedentibus; & ſto cum Domino Decano facultatis magiſtro Petro de Vaucello, necnon cum honorando magiſtro noſtro magiſtro Guilhelmo de Caſtroforti. *Sic ſubſcriptum & notatum.* Ægidius de Alvetis.

Et mihi Radulpho Boyſſel, in primis ſalvo ſemper peritiorum judicio, mihi videtur doctrinam Ariſtotelis in primo peri ermenias de veritate & falſitate propoſitionum de contingenti per omnia ſanam eſſe & veram, in nullo catholicae veritati repugnantem aut diſſonam. Praeterea rationabile & pernecceſſarium mihi videtur quaeſtiones theologales

Digitized by Google

non debere terminari aut diſputari in ſcholis artium, & propoſitiones illas debere dari ſilentio quae in ſtatuto Lovanii edito incipiente *Capiens juxta illud Apoſtoli* ſignato manu Adriani Petri Notarii dictae univerſitatis. Inſuper mihi videtur quod in propoſitionibus de futuro contingenti non eſt verum & falſum ſimiliter ſicut in illis de praeſenti & praeterito. Factum anno Domini MCCCCLXXI. die X. Septembris. *Sic ſubſcriptum & ſignatum*. Buyſſel.

Ego frater Johannes Munerii in ſacra pagina humilis magiſter ita ſentio cum praecedentibus magiſtris noſtris, ſpecialiter cum magiſtro Petro de Vaucello & magiſtro Guilhelmo de Caſtroforti, ſtando in determinationibus eorum. Teſte ſigno meo manuali hic appoſito ſecunda die menſis Septembris. *Sic ſubſcriptum & ſignatum*. Munerii.

Item mihi videtur cum reverendis magiſtris noſtris de Vaucello & Caros, & in eiſdem ſto cum determinatione magiſtri Petri de Vaucello & affirmatione ejuſdem magiſtri noſtri Petri Caros. Factum antepenultima die menſis Septembris anno Domini MCCCCLXXI. *Sic ſubſcriptum & ſignatum*. De Fontenayo.

Adhaerendo determinationibus magiſtrorum noſtrorum Petri de Vaucello & Guillelmi de Caſtroforti, conformiter dico ego frater Johannes Pilory in ſacra theologia magiſter actu regens Pariſius & Prior in conventu fratrum Praedicatorum quod luculenter & plane ad verum ſenſum propoſitionum praefati magiſtri determinaverunt. *Sic ſubſcriptum & ſignatum*. Pilory.

Ego frater Joannes Coſſart humilis magiſter actuque regens ordinis fratrum Praedicatorum conformiter dico ſicut & optime determinaverunt honorandi magiſtri noſtri Petri Petrus de Vaucello ac Guilhelmus de Caſtroforti. *Sic ſubſcriptum & ſignatum*. Coſſart.

Mihi quoque Petro Martini humili ſacrae paginae Doctori ac regenti actu Pariſius in eadem facultate conformiter videtur fore ſentiendum de propoſitionibus propoſitis ſecundum quod ſentiunt praeſtantiſſimi patres noſtri & magiſtri noſtri magiſtri Petrus de Vaucello & Guilhelmus de Caſtroforti, cum qualificationibus, modificationibus, & proteſtationibus ipſorum. Quapropter eiſdem adhaerendo & conformando, huic praeſenti ſcripto ſignum meum manuale appoſui in teſtimonium praedictorum, anno quo ſupra, die vero XIII. Novembris. *Sic ſubſcriptum & ſignatum*. Martini.

Videtur mihi Petro de Has in theologia magiſtro, codice magiſtri Petri de Rivo & aliis perlectis, quod ea quae circa hanc materiam de futuris contingentibus diffinivit atque in iis dicenda declaravit & firma fide tenenda colendiſſimus magiſter noſter magiſter Guillelmus de Caſtroforti regalis collegii Navarrae rector & magiſter ſummus, catholice & ingenioſe multum diffinita ſunt & optime determinata. Et pro hujus meae opinionis aſſertione ſignum meum manuale hic appoſui XXI. menſis Septembris anni MCCCC. ſeptuageſimi primi. *Sic ſubſcriptum & ſignatum*. P. Has.

CONVENTUS EPISCOPORUM GALLIÆ
apud Melodunum anno MDXLVIII.

Communis aliquot Epiſcoporum Gallicanæ Eccleſiæ ſententia, quam rogati dixerunt, ad hæc duo videlicet, viderenturne mittendi Romam Epiſcopi aliquot diſceptaturi de moribus univerſæ Eccleſiæ, & quid cenſerent de jure quod ſibi Romani Pontifices aſſererent in Provinciam Britanniamque Gallicam.

Ex L. VII Miſc. Bal. pag. 105.

EST hoc ad nos relatum a Rege noſtro Chriſtianiſſimo Henrico ex beatiſſimi patris Pauli Papae noſtri litteris, viderenturne nobis Romam eſſe mittendi aliquot Epiſcopi, qui cum caeteris qui illuc convocati eſſent agerent de collapſa corruptaque Eccleſiae diſciplina, ad haec quid cenſeremus reſpondendum de jure quod ſibi Pontifices Romani vendicarent in Provinciam atque Britanniam, eam ſcilicet quae Gallici juris eſt & nominis. Id quod nobis cum ab utroque perhonorificum accidit ut ad nos ea de re referretur, tum alterius paternae quidem indulgentiae, alterius humanitati pietatique & regiae & chriſtianiſſimae tantum nos debere confitemur ut neutri neque officio neque ſtudio quamvis vehementiſſime ſatisfacere poſſe videamur. Hujus quidem honoris magnitudinem, quando ne gratiis quidem agendis valemus, obtemperandi certe alacritate gratiam quidem teſtabimur. Quod unum nobis reliquum eſt accepti beneficii.

Itaque quod ad alterum illud ſuperius attinet de mittendis qui Romae de moribus conſtituant, id quidem haud paulo facilius eſſet explicatu, niſi hoc ab Rege Chriſtianiſſimo peteretur &c. *ut apud Odoricum Raynaldum an.* 1548. §. 73. uſque id tantummodo cenſuimus quod nobis videtur reipublicae chriſtianae commodum quod ad priorem relationis partem continet.

Nunc igitur ad alteram. Nam quas Pontifex maximus reſervationes in Provinciam & Britanniam Gallicam vendicat, quas cancellariae regulas, quas regreſſiones, quae beneficia & expectationum & praeventionum, quos tutores vel adjutores functionum eccleſiaſticarum, quas mandatorum providendi formulas, revocat, deinde penſiones aſſignatas & edicta cenſurae apoſtolicae, interdicta, devolutiones, rejectiones, cauſarum vendicationes, ſimplices ſignaturas, aut ſine plumbo diplomata, caeteraque cujuſmodi ſunt, ad ſcripturarum normam & canonum exigantur.

Romanos equidem Pontifices ut ſummos eſſe in Eccleſia Dei & miniſtrorum principes confitemur, ita illis ea concedimus omnia quae vel Carolus Rex ſuo Concilio attribuit, quaeve ex Anacleti, Zepherini, Calixti, Fabiani, Sixti, Sylveſtri, Julii, Gelaſii, Symmachi, Gregorii ſcriptis libeat exaggerare, ut colligat cum Chriſto, ne ſpargat, ut ad aedificandum poteſtate utatur, modo ne ad diruendum. Quod quidem de beatiſſimo patre Papa noſtro Paulo dictum ne ſit; cujus de ſanctitate, juſtitia, pietate, ſapientia tot extiterunt documenta ut de eo dubium non ſit quin totam Eccleſiam Chriſti paſtoris ſummi maximique ſummus ipſe vicarius & ejus ordinis patronus qua debet amplectatur charitate atque ſollicitudine, nec nobis queat perſuadere velle illum diligentiae reliquorum paſtorum obeſſe aut in alienum gregem, niſi forte neceſſe ſit, incurrere, ita ut laborantium atque deſudantium paſtorum interpelletur officium.

Petro dictum eſt hoc uni, praeter caeteros, *Paſce oves meas*, & praecipua quaedam tum ſolvendi tum ligandi poteſtas eſt attributa. Verumtamen & idem caeteris Apoſtolis dictum & praedicandi & docendi & reliquorum obeundorum munerum imperata diligentia, commiſſa auctoritas.

Ab ſeſe conſtitutis Epiſcopis ita praecipit Paulus: *Attendite vobis & univerſo gregi in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos ut regatis Eccleſiam Dei quam acquiſivit ſanguine ſuo*. Addit lupos in Eccleſiam ſaevientes & rapaces fore, vigilandum eſſe, ſuſcipiendos infirmos, ſervos praepoſitos reliquae familiae ad expectationem ſemper advenientis Domini dubiam atque incertam erectos excubare jubet Dominus noſter Jeſus Chriſtus. Quae quidem omnia confirmari velle atque ſtabiliri non dubitamus beatiſſimum patrem Papam noſtrum Paulum, nec muneris ejus velle implicatam eſſe aut impeditam functionem. Prædicandum eſſe verbum, inſtandum opportune, vel tempeſtive arguendum, obſecrandum docet Paulus. Illa ergo ſi non ſint Epiſcopis libera, cujuſmodi tandem erunt aut quem habebunt officii & adminiſtrationis exitum.

Digitized by Google

Tito permittit in Creta diſponendos & conſtituendos Presbyteros, quemadmodum illum imp.tuerat caeteris, & Epiſcopum ipſum Dei diſpenſatorem aſſerit, id quod ipſum de ſe ad Corinthios ſcripſerat. *Sic nos exiſtimet homo*, inquit, *ut miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei*. Petrus princeps Apoſtolorum, *Seniores ergo*, inquit, *qui in vobis ſunt obſecro conſenior & teſtis Chriſti paſſionum & ejus quæ in futuro revelanda eſt gloriæ communicetur. Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei, providentes non coacte ſed ſpontanee ſecundum Deum, neque turpis lucri gratia, ſed voluntarie, neque ut dominantes in cleros, ſed forma facti gregis ex animo. Et cum apparuerit princeps paſtorum, percipietis immarceſſibilem gloriæ coronam.*

Ecce quam curam paſcendi gregis, quam ſollicitudinem ovium ſuſcipi ab omnibus & ad unguem ſervari voluerunt ut eſſent ad exemplum conformati Chriſti paſtorum omnium principis, qui oſtium ipſe eſt & paſtor, ut ſi quis ingreſſus ſit non per eum in ovile ſit fur, ſit praedo, ſit latro.

Et quidem quid magis alienum ſit quam & providentiſſimum & vigilantiſſimum paſtorem defixum ipſum in ea cura ut nihil agat aliud, nihil curet niſi de gregis incolumitate & ſalute, hoc uno labore, opere, ſtudio, vigilantia fungentem, idoneos Presbyteros conſtituentem, ſatagentem in primis ne quis non inſtructus ornatuſque ad eam rem rebus omnibus admittatur, non interpellari modo, ſed opprimi adeo in ingreſſu aut progreſſu honeſtiſſimi & apprime neceſſarii operis, opprimi autem interventu alienarum operarum, quae videlicet alieno & judicio & delectu, invito illo optimo rei pecuariae procuratore, in gregem immittuntur alienum. Oportet enim optimum paſtorem, ut optime officio ſungi queat, in eo nullis incommodis implicari, ne rectus ille bene gerendae rei conatus, ſicubi offenderit, aut ab inſtituto deflectat & avertatur, aut ſubſiſtat in medio curſu praepeditus.

Equidem rem ſuam recte atque ordine adminiſtranti nulla unquam tutorem adjunxit antiquitas, deſipienti & inſano atque vecordi haec adhibita ſunt remedia.

Et hoc fuit jam olim Romanis Pontificibus praecipuum ut propria ſua ſollicitudine incommoda ſublevarent alienae vel negligentiae vel culpae, non uti aut ſtrenui impedirentur, aut bene attentis & ſagaciter proſpicientibus intervenirerur incommode.

Ac ne quid accederet ejuſmodi, operae pretium eſt animadvertere quam diligenter praecautum ſit inſtitutis antiquorum. Nam cum hoc eſſent caeteri Apoſtoli quod eſſet Petrus, pari, ut inquit Cyprianus, conſortio praediti & honoris & poteſtatis, Apoſtolorum canones eos ſunt Epiſcopos deteſtati qui in alienas dioeceſes invaſiſſent aut functi eſſent alieno munere; ne Primatibus quidem aut Metropolitanis id conceſſum, niſi inferiorum ceſſatione & ignavia, a Calixto, Julio, Conſtantinopolitana ſynodo, vel Damaſi vel Siricii tempore. Eadem eſt in ſententia Caeleſtinus. Verum hoc confitemur tamen praecipuum ac ſingulare ſummae ſedi apoſtolicae ut ſummum ſit ejus in republica Chriſti omnium Eccleſiarum conſilium atque judicium, idque uſurpatum uſitatumque jam inde ab initio Eccleſiæ, epiſtolis Pontificum, locis innumeris, canonibus etiam antiquorum comprobatum, & teſtimonio multo magis Chriſti de principe diſcipulorum Petro, & tradita poſteris antiquitatis illius & praecipui juris religione.

Verum hoc nunc agitur, non quod liceat fieri, ſed quid oporteat. Quamquam ne licere quidem dicendum eſt aut ligare quicquam inique aut ſolvere diſſolute. Circumventos autem & circumſcriptos ſummam illam undique appellare poteſtatem, opem implorare, ſublevari atque liberari, ſit vel ab ipſo Domino in Petri perſona conſtitutum & ſanctum, ut eſſet quo velut ad unicum praeſidium injuriis oppreſſi aut violati confugerent.

Etenim in eo quod cum Petro Chriſtus locutus eſt, *Paſce oves meas*, de officio dictum eſt, non de poteſtatis injuria, idem procul dubio in ſumma illa vel ligandi vel abſolvendi juriſdictione, non ut pugnaret aliquid cum Chriſti praeceptis, non ut ſaluti publicae noceret aut derogaret veritati.

Id autem adeo verum ac teſtatum antiquorum patrum & recentiorum etiam decretis ut nulla non hoc idem præ ſe ferat antiquitas, nec eſt neceſſe rem omnibus expeditam ac promptam aut exemplis aut argumentis onerare.

Uni quidem Pontifici Romano ad neceſſitatem Eccleſiae, ad emolumentum, ad fructum permiſſa ſunt omnia adverſus inertiam ac ſocordiam ignavorum, adverſus ea etiam quae vitio ac ſcelere principum & miniſtrorum perverſa ſunt, nec uſquam aliter aut lectum eſt aut interpretatum. Nam certe lex juſto poſita non eſt. Paulus quoque nullam eſſe legem aſſerit adverſus caritatem, gaudium, pacem, patientiam, benignitatem, bonitatem, longanimitatem, manſuetudinem, fidem, modeſtiam, continentiam, caſtitatem.

Non ſunt autem hæc apud nos hoc tempore. Hoc ergo agamus ut ſint, prava corrigantur noſtrorum temporum & morum. At ne quae ab antiquis correcta ſunt depraventur elaborandum ut meliores ſimus vel inviti. Non hoc agendum ut ſi velimus non poſſimus, adjuvandi ſunt integrorum labores, & ſublevandi nonnunquam conſilio. Mali ſemper ac ceſſatores aut caſtigatione aut præjudicio cum opus eſt impellendi.

Paulus Apoſtolus præjudicium in Corinthium illum edidit, ipſis inconſultis edidit Corinthiis, quos ſupinos & remiſſos ſenſerat eſſe in vindicando inceſti graviſſimo turpiſſimoque ſcelere.

Johannes Epheſium, quem ad coercendos ſuos attentiorem ſenſerat, non defraudavit ſua auctoritate ne quid ſecus incidat ac par eſt.

Servari neceſſe eſt antiquitatis praecepta, non corrumpi. Ea de re Zoſimus Papa graviſſimus ſedis apoſtolicæ auctor contra patrum decreta ne Romanam quidem Eccleſiam quicquam conſtituere poſſe affirmavit.

Et Pontificum decreta, ſi decretis antiquorum patrum repugnarent aut evangelicis præceptis, irrita ſint ipſis canonibus, ita nihil immutare ſine ratione queat, hoc eſt nihil plane quod rectum ſit & æquum, nihil alienum aut contrarium induci. Id quoque obtineri præter cæteros intereſt ipſius ſummi, quia ſignatum eſt velut conſignatum officium eſt tuendæ religionis, non modo inſtituendæ.

Hanc eſſe voluntatem, hoc ſtudium, hanc ſollicitudinem beatiſſimi patris Papæ noſtri Pauli non ambigimus; eaque de cauſa pietatem in eo Petri deoſculamur, fidem amplectimur, colimus & veneramur ſanctitatem.

Reſervationes autem in Provinciam & Britanniam quas commemorat quo tandem pacto aut poſſumus accipere, aut cum veterum ſanctitate canonum atque religione congruant, quae videri queant ſæpenumero a præceptione Chriſti diſcrepare. Quid enim diſcrepare, cum Chriſti documento conferes alium mei gregis deſignari procuratorem me inconſulto Pontifice meae procurationis particulae, & in hac re mihi ſummæ poteſtatis auctoritatem objici, præſertim ſi nihil eſt quod in me reprehendatur.

Si in omnes hoc decernitur, nullo diſcrimine, nullo delectu habito, ſi nihil inter bonos, malos, deſides, impigros, inertes, induſtrios interſit, qui convenire hoc queat cum Domini noſtri Jeſu Chriſti præceptis, cum decretis Apoſtolorum, Conciliorum, Pontificum Romanorum?

Atqui quae feruntur reſervationes, expectationes, præventiones, mandata, caetera hujuſmodi omnia immittunt hanc labem in Eccleſiam Dei ut confuſa ſint omnia & permixta tum bonis tum malis, cuncta præcidatur aut revocandæ laudis eccleſiaſticæ ratio, aut immutandæ virtutis atque integritatis occaſio.

Suſpicimus beatiſſimi patris noſtri non minus quam

Pe-

Digitized by Google

Petri ſublimem illam dignitatem, ut illius tamen veſtigiis inſiſtamus, in quibus praeterquam quod nihil eſt ſimile præventionum, nihil expectationum, nihil reſervationum, mandatorum, regreſſuum, regularum cancellariæ.

Singulatim haec ſi diſcutiantur, vix cum ullo antiquitatis aut more aut jure conveniunt, cum evangelicis inſtitutis ne vix quidem, in quibus libera eſt omnium recta Eccleſiæ adminiſtratio.

Ad hæc tota ratio reſervandorum ſacerdotiorum ita recens eſt ut ante proxima Romanorum Pontificum decreta ſimile aliquid, non modo dictum, ſed ne cogitatum quidem ſit. Et ab illo tamen recentiſſimo jure abhorrent etiam ea quæ nobis ſunt propoſita toto illo de genere reſervandi. Nam cum Lateranenſi pugnant Concilio, cum intra ſex menſium ſpatium non ſit liberum ſingulis Epiſcopis deliberare de praeficiendo ſacerdote, non ſecus atque occupationes illæ aut præventiones alienæ ſunt ab illa Lateranenſi conſtitutione. Et Innocentius III. profitetur ſe contra canonum inſtituta & Lateranenſis Concilii decreta facere nolle. Nec hoc ſemeſtris ſpatii curriculum attentos ſed negligentes urget. Quod ſi longius etiam ab antiquorum jure recedimus, non alia ratione receptæ ſunt hujuſmodi reſervationes quam ut ſacerdotum qui aut in Urbe diem ſuum obiiſſent, aut in ſummi Pontificis comitatu ſacerdotia Pontificis ejuſdem Romani judicio & auctoritate in eos conferrentur qui illi idonei viſi eſſent. Quod latius acceptum iter duorum dierum ab Urbe complexum eſt, & ubique gentium aliquorum Romanorum ſacerdotia.

Verum hujuſmodi amplificata jura poſtmodum habita ſunt invidioſa & velut ſubcontumelioſa; eaque omnia cum ſanctione pragmatica, tum fœderis ejus quod concordatum vocatur conſtitutione ſublata ſunt praeterquam in his ſacerdotibus qui Romae aut in comitatu ſummi Pontificis vita defuncti eſſent, partim abdicata ſunt in Baſilienſi ſynodo, partim jure quodam antiquo confirmata; nec temere ſit cauſa alia mandatorum necnon gratiarum præventivarum, ut dicunt, expectativarumque, quae decretis univerſa configunt, & veterum illorum & ſanctionis etiam, ſi non ita diſerte, pragmaticæ, & ejus quod vocant concordatum longo intervallo ſequutum confirmant conſtabiliuntque ſanctionem illam ſuperiorem. Quo certe jure ut antiquiore & ſanctiore ſtandum eſſe arbitramur, quo ſcilicet expuncta illa ſacerdotiorum controverſia & munerum eccleſiaſticorum litigatio incertiſſima, & in primis omnium infinita pernicioſaque concertatio regreſſionis. Videntur quidem & ſua ſponte deteſtabiles quod jus hereditarium in ſacerdotiis affectant, & ſunt & Pictavienſis & Lateranenſis conventus decretis ſtatutiſque contrariae.

Jam coadjutoriae illae operae quoniam niſi aut in mente captis aut juſta quavis alia de cauſa minus aptis ad fungendum munus? Cujus rei ſingulorum ſit Epiſcoporum in ſua cujuſque procuratione cautio. Quorum negligentiae tamen & culpae tum judicem tum vindicem & procuratorem non negamus eſſe debere ſummum Pontificem, præſertim ſi hoc malum ab ejuſdem ordinis principibus qui propius aderant contemnitur, ſed fratres ſuos praeterire ſilentio aut omnino contemnere non debere.

Nam jura cancellariae apoſtolicae aut regulas, ut loquimur, certam ad rem accepimus jam olim, hactenus tamen ut in veriſimili notitia valeant, & in viginti dierum intervallo, & in aegroti reſignantis voluntate.

Nomina illa burſarum rejecimus, caeteraque ejuſdem generis, indigna, ut videbantur, apoſtolico nomine, nec premi debere putavimus aut regulis illis alligari liberos.

Delectus ſacerdotum & comitia quaedam ſingulis perſonis & patronorum auctorumque laicorum jura, mandata etiam quadamtenus accepimus, moderata tamen & ad ſpeciem jam impoſitae legis conformata; idque tantummodo duplici forma, una ſi pro alio non ſcripſerimus, altera etiam ſi pro alio.

Tom. II.

Penſiones vero illas haud dubie conſtat longe ab antiquorum diſciplina & moribus aberraſſe, & abhorrent praeterea a canonum conſtitutione; quae tamen eo ſunt receptae a nobis ut componerentur lites, & ne forte reſignans inopia premeretur in poſterum.

Cenſurarum vero apoſtolicarum pervulgatores ob id ſumus deprecati, idque pragmaticae ſanctionis auctoritate, ne maximo ſumptu a Romano Pontifice, ſed multo majore & incommodo & diſcrimine civium noſtrorum repetendae eſſent abſolutiones.

Modus quoque eſt interdictis adhibitus, ut ne dicam in Baſilienſi conventu, certe in pragmatica noſtra ſanctione & illo pacto quod dicimus concordatum.

Cauſa eadem eſt & auctoritas detrahendarum devolutionum. Cognitio quoque poſſeſſorum ſacerdotiorum, concordatorum certo capite cautis, fuit ad laicos judices relata, & eiſdem praeterea attributa Martini quinti privilegio.

Idem in perverſo uſu aut abuſu appellari ſolent abuſus nomine, non niſi juſtiſſima de cauſa, cum aliquid Eccleſiae miniſtri ſibi non jure ſed injuria aut ad judicium aut ad auctoritatem arrogant contra quæ aut decreta Eccleſiæ aut publica placita moliuntur aliquid.

Penſionum autem cauſæ in ſacerdotiis a miniſtris judicantur Eccleſiæ. Sed hoc & lege & more receptum confirmatumque eſt apud nos, ne res alio recedat ut conſtituantur litteris apoſtolicis judices a ſummo Pontifice, ſic ut cauſa quaſi illius arbitrio diſceptetur a noſtris, tamen non externis hominibus, nec alibi quam domi.

Simplicia ſane aut ſine plumbo diplomata ſi minus ad fidem faciendam ſufficiunt, aut minus valent quam ut mittere poſſint in poſſeſſionem, addatur plumbum, non eſt res tanti, ad eam duntaxat poſſeſſionem quæ facti a noſtris nominatur. Quod fieri ſolitum eſſe intelligimus vel patrum noſtrorum memoria.

Satis alioqui putatum eſt eſſe in ſimplici ſignatura, quomodo loquimur, ad juris, non facti, poſſeſſionem retinendam. Hoc vero cum ad deliberandum, tum ad conſtituendum definiendumque eſt graviſſimum, quod ad extremum in ipſa litterarum clauſula beatiſſimus pater Papa noſter Paulus, ut ne quid vi concordatorum teneretur nec in Provincia nec in Britannia, quas gentes cur a caeterarum Galliæ gentium excludit, non intelligimus. Etenim quod in eo pacto convenit, hoc eſt contractum non modo inter ſummum Pontificem & Chriſtianiſſimum Regem, verum multo magis inter apoſtolicam primamque Eccleſiae apoſtolicæ ſedem & regnum Franciæ haud dubie Chriſtiani nominis primum ad concordiam rerum atque actionum omnium ſempiternam.

Itaque nec temporis ullius fuit nec loci nec regionis exceptio, & jam tum erat utraque, quae excipitur nunc, natio & in fide & in clientela Franciæ; altera etiam, Provincia ſcilicet, multos ante annos poſſeſſa a Rege. Sic quare in regni nominatione utraque non ſit comprehenſa nihil cauſæ ineſſe cognoſcimus. Nam quod de Delphinate agro nominatim actum eſt in illa tractatione, nihil eſt ſimile. Eſt enim eo jure ager Delphinas ut nunquam cum regio nomine cohæreat, nunquam ab Rege poſſideatur, ſed a maximo Regis filio, ſi plures nati fuerint, aut ſi unus tantum, ab illo uno teneatur.

Quod ſi Delphinatis agri mentio in illo pacto repellet ab eo jure Britanniam & Provinciam quod de illis tacitum ſit, cur non dicatur de cæteris regni partibus, quibus de nihil præcipue ſed communiter cum toto regni corpore actum eſt. Nec debet res eadem non eodem jure cenſeri. Sed ne diffidenter quidem a corpore partes ſeorſum haberi ſolent.

Ne de Britannia quidem dubitari queat, cum in fide Franciae perpetua ab ineunte prope regno nunquam non fuerit. Quae fides eſt repetita juſtiſſimis armis Philippi auguſti ac reconciliata. Eccleſia quoque vexata Britanniae a cliente Duce ad patrocinium Caroli ſexti confugit; prohibitique ſunt ab injuria Du-

ciſ ac vindicati miniſtri Eccleſiae Britanniæ. Quae duo antiquitatis monumenta quid aliud oſtendunt quam perpetuam quandam reſediſſe apud Reges Franciae Britannicae & Eccleſiae & plebis reliquae tutelam.

Hoc ſane a communi omnium ſenſu & cogitatione abhorreat, ſi haec in caeterarum regni partium, quae eadem ſidei conditione conjunctae uno regni nomine continentur, conſimili cauſa, diſſimili jure teneatur.

Nam quod ea poſt concordiam illam venit in regiam poſſeſſionem, id illi ſi temporis differentiam dempſeris, cum multis regni partibus quae eodem modo redierunt commune eſt. Id etiam, cum naturam non mutaverit ſtatus, conditionem retulit & pleniorem & integriorem. Quin etiam cum ad Regem patronum clientelaris ille ager rediiſſet, hujus inſtitutis regni & quibus nitimur legibus hoc perfectum erat ut cum tota regni mole ac univerſo corpore una naturae conſtitutione & forma putaretur. Infinita ad haec dici poſſunt. Sed in pauca rem totam conferemus.

Non eſt ſanctitatis, non eſt pietatis, non eſt ſapientiae beatiſſimi patris noſtri Papae Pauli velle in Eccleſia non eadem omnibus recta & legitima convenire, qui Eccleſiae ſimplicitatem ſub uno capite Chriſto tuetur ſummus ipſe primuſque miniſtrorum Eccleſiae princeps. Sermo divinus unus eſt omnibus, una fides, unus ſpiritus. Si qua diſſimilia ac pugnantia ſunt, hoc nunc agitur ut in unum rurſus coeant ſenſum eccleſiaſticae univerſitatis. Non eſt ejus qui mores corrigendos reſtituendoſque ſuſcepit aliquid praetermittere non correctum, aut ſi quid eſſe pravae conſuetudinis videatur non advertere. Nihil non libentiſſimi vel obſervantiſſimi filii beatiſſimo patri noſtro permittimus, cui ſecundum Chriſtum & ejuſdem verba plurimum tribuimus. Sed ab Rege noſtro Chriſtianiſſimo Henrico, de Eccleſia univerſa optimo merito, humaniſſime ac liberaliſſime invitati, quod nobis videretur expoſuimus quam potuimus optime. Quomodo autem & a beatiſſimo patre Papa noſtro Paulo accipiatur, & a Chriſtianiſſimo Rege noſtro Henrico, in eorum benignitate atque humanitate poſitum eſt.

In eodem libro veteri ex quo ſumpta eſt ſententia Epiſcoporum Galliæ reperitur decretum Concilii Tridentini de peccato originali, & mox declaratio ejuſdem ſynodi circa immaculatam virginem Mariam Dei genitricem iis omnino verbis quibus conſtat in vulgatis editionibus. Et ſtatim poſt decretum de conceptione iſta leguntur.

QUo perlecto (*Epiſcopus Pientinus, qui legerat decretum de peccato originali*) interrogavit patres an placeret. Et ab omnibus tam reverendiſſimis & illuſtriſſimis Dominis Legatis & praeſidentibus quam caeteris patribus reſponſum eſt ſimpliciter per verbum *Placet* quoad omnes canones peccati originalis. Sed de conceptione beatae Mariae virginis infraſcripti reſponderunt ut ſequitur.

Reverendiſſimus D. Cardinalis Giennenſis dixit: Placet eo modo quo approbavi illud heri in congregatione; in qua congregatione placuit ſuae dominationi decretum in omnibus, excepto capite de conceptione, ubi vellet addi, prout magis pie a majori parte Eccleſiae vel a multis creditur beatam virginem non eſſe conceptam in peccato originali.

R. D. Archiepiſcopus Aquenſis dedit ſchedulam tenoris infraſcripti. Placet decretum, dummodo in capite de immaculata conceptione beatae virginis addatur quod imponatur ſilentium ut deinceps contra illam nullus audeat praedicare.

R. D. Turritanus. Placet decretum quoad omnia praeterquam ubi agitur de conceptione. Nam offenditur pars altera, & alteri non ſatisfit, & eſt excitare veteres tragaedias prout tempore publicationis Sixtinae de qua in decreto.

R. D. Senenſis. Placet, ſi non adfertur praejudicium beatae virgini.

R. D. Panormitanus. Placet prout reverendiſſimo D. Giennenſi.

R. D. Cavenſis. Placet prout placuit in congregatione.

R. D. Claromontanus. Placet decretum. Sed de conceptione placeret quod abſolute diceretur beatam virginem conceptam eſſe ſine peccato originali.

R. D. Cheronenſis. Placet, dum tamen non præjudicetur conceptioni.

R. D. Feſulanus. Placet decretum, ſalvis proteſtationibus de quibus alias per eum &c.

R. D. Sancti Marci. Placet prout reverendiſſimo D. Cardinali Giennenſi.

R. D. Pacenſis. Placent omnia praeterquam titulus decreti, quando viſum fuerit Concilio.

R. D. Bellonenſis. Placet quod majori parti placet.

R. D. Oſcenſis. Placet ſententia Domini Pacenſis.

R. D. Calagurritanus dedit ſchedulam infraſcripti tenoris. Placet decretum, dum tamen addatur quod quia aſſerentibus aliquibus in concionibus quod virgo Maria fuit concepta in peccato originali, ſcandala oriuntur in populo, non liceat alicui hoc de caetero praedicare publice donec ab Eccleſia dubium hoc terminari contingat: quorum tamen opinionem per hoc non intendit ſancta ſynodus reprobare. Cui etiam Calagurritano non placet titulus decreti.

R. D. Caſtellimaris. Placet decretum praeterquam de conceptione, ubi placet quod apponerentur verba tollentia ſcandala & neutri parti praejudicantia.

R. D. Piſaurienſis. Placet ſententia reverendiſſimi D. Cardinalis Poli, cui placet decretum. Et eſt unus ex praeſidentibus.

R. D. Canarienſis. Placet decretum. Sed de conceptione imponatur ſilentium.

R. D. Generalis Servorum. Placet ſententia reverendiſſimi D. Giennenſis.

Vide Sforriam Cardinalem Pallavicinum lib. 7. hiſtoriæ Concilii Tridentini cap. 13. ubi mentionem facit rerum ſupra ſcriptarum.

MIRACULA BEATI MARTINI

Poſt ejus reverſionem ſive corporis ipſius depoſitionem facta,

Edita ab Heberno prius Abbate Majoris monaſterii, poſt Archiepiſcopo Turonis civitatis.

ABſida ſiquidem ubi corpus beati Martini continebatur, quam etiam detulerant ab Antiſſiodoro, fuſilis erat ex auro & argento quod dicitur electrum, ſpiſſitudine duorum digitorum, auctoremque operis beatum Perpetuum inſculptarum ac . . . . deſignans ſuffragio litterarum & verſuum; nec erat rima, foramen, feneſtra, & oſtium in ea. Hanc autem fecerat beatus Perpetuus, quando elevavit corpus ejus a terra, involutum prius in purpura rubea, & diligenter conſutum; ſicque in hanc abſidam poſuit. Fecit etiam altare quadratum & coronam ex lapidibus tabulatis, quod magna tabula cooperuit, & cum aliis caementavit. Fecit etiam intus aliam abſidam ex aurichalco, cupro, & ſtanno, fuſilem, habens palmum in ſpiſſitudine cum oſtio fuſili; gumphiis, & virtevellis; & quatuor clavibus firmabatur. Fecit denique ſredam deſuper auro optimo & lapidibus precioſis tanto ſacerdote condignam. Denique meruit idem Conſul cum venerabilibus Epiſcopis Adalaudo Turonenſi & S. Lupo Andegavenſi & Mainoldo Cenomanuenſi, & Raimone Aurelia- Ex L. VII. Miſc. Bal. pag. 169.

relia-

relianenſi corpus ſaepe nominandi, confeſſoris Martini intra ambitum altaris in altera abſida componere, ipſumque oſtium cum abſida ſigillaverunt, ita ut nec pateret aditus & introitus. Cum omni autem conſilio dederunt Ingelgerio Comiti praebendam beati Martini ipſi & heredibus ejus in perpetuum poſſidendam. Quia vero Eccleſia ejuſdem ſancti tunc temporis carebat Theſaurario & Ædituo, Conſulem Ingelgerium intronizaverunt & Theſaurarium conſtituerunt & defenſorem Eccleſiae fecerunt, & tutorem omnium poſſeſſionum ejus, ubicunque eſſent, delegaverunt. Qui ſedem Theſaurarii & domos cum redditibus, quandiu advixit, obtinuit. Omnes autem qui cum Conſule Ingelgerio erant, & ad corpus beati Martini reducendum fuerant evocati, maxime vero Barones Turonici pagi, fœdaverunt ſocietatem & beneficium Eccleſiae largiti ſunt. Contigit autem eodem menſe, dum eſſet Conſul Ingelgerius Turonis, Adalaudum confectum ſenio viam univerſae carnis intrare. Ingelgerius vero Conſul, auxiliante Deo & intercedente beato Martino, opitulantibus etiam clericis, necnon conſentientibus civibus Turonicae civitatis, intronizavit & in ſede epiſcopali ſublimavit Hebernum ſenem beati Martini Majoris monaſterii Abbatem & miniſtrum. Denique poſt beati Martini ab Autiſſiodoro reverſionem, ſive poſt corporis ejus depoſitionem, ob ipſius merita longe lateque propalanda, creberrimas Dominus ad ejus ſepulchrum venerabiles virtutes operari dignatur. De quibus quidem virtutibus multa frequenter audivimus; ſed de plurimis nonnulla miracula quae vidimus declarare decrevimus.

I. Epiſcopus Leodici Hildricus nomine, vir morum honeſtate laudabilis, occulto Dei judicio morbo qui vulgo lupus dicitur miſerabiliter immo mirabiliter laborabat. Patiebatur autem in natibus. Erat igitur videre miſeria. Tam graviter enim vis valetudinis graſſabatur ut mirum in modum carnes viri more lupino conſumeret, corroderet, devoraret; ſolumque ſolatium. non quidem ſpes evadendae aegritudinis, ſed ſaltem dilatio mortis, erat quod quotidie duo pulli gallinarum explumes & eviſcerati mane, duoque veſpere, vice carnium viri conſumendi morbo, ac ſi lupinae rabiei, opponebantur. Nec ſic ceſſabat conſumptio carnium ejus. Inviſceratus enim morbus etſi aliquando extrinſecus paſcebatur, intrinſecam tamen materiam ſimiliarius conſumebat. Quid plura? Deſperantibus medicis, cura omnium inutiliter fruſtraque conſumpta, Epiſcopus, ac ſi moriturus, ab humana ſalute penitus deſtituitur. Sed, ut ait Dominus, quae impoſſibilia ſunt apud homines, poſſibilia ſunt apud Deum. Audiens autem idem Epiſcopus quod poſt beati Martini ab Antiſſiodoro reverſionem, ſive poſt corporis ejus depoſitionem, ob ipſius merita longe lateque propalanda creberrimas Dominus ad ejuſdem venerabile ſepulchrum virtutes operari dignabatur, quod ſpiritu ſibi intimante ſentiſcens Epiſcopus, de Martini ſuffragio ſpem velut contra ſpem concipiens, ad ipſum totus, & ex toto corde convertitur; praeſumens per eum poſſe fieri quod ars humana non poterat. Voto itaque ſe obligat Martini ſepulchrum ſe viſitaturum, ab eo fideliter ſe petiturum quam poſt Deum ab ipſo ſibi dari ſanitatem ſolummodo praeſumebat. Nec mora pium votum pia voluntas exequitur. Adjunctis ſibi igitur honeſtiſſimis comitibus, praeparatis abunde quae erant neceſſaria, iter aggreditur, ſummopere procurans ut ad feſtum ſummi Pontificis, quod imminebat, occurreret. Quod & factum eſt. Nec latere potuit vel aegrotantis ſublimitas vel tantae ſublimitatis infirmitas. Quanto enim quis eminentior, tanto ejus infortunia latius divulgantur. Quippe fama fortunae comes, quem illa ſubruit, haec diffamat. Intererat igitur moribundus Epiſcopus Epiſcopi Martini vivis laudibus & feſtivis: ſed, ut dicitur, ei poſito in luctu muſica erat importuna narratio. Vincebat tamen devotione moeſtitiam, nec unquam nocturnis vigiliis abeſſe patiebatur. Multa Canonicorum circa eum compaſſio, mira benevolentia erat. Ipſe autem ſanctum tumulum inſomnis pronuſque pernoctabat, quia nonniſi pronus, urgente incommodo, valebat ſubſiſtere. Continuatis itaque ſeptem diebus ſolemnitatibus, clerus & populus more debito laetabantur. Ipſe vero non diebus, non noctibus, a lacrymis & oratione ceſſabat. Septima demum nocte, oratione continua & doloris fatigatus acerbitate, ut erat ante ſacroſanctum tumulum proſtratus, paululum obdormivit, cum ecce ſignipotens Martinus pontificali decoratus infula ei viſus eſt aſtitiſſe: quem ut patrem filius, ut diſcipulus praeceptorem ſanctus Briccius ſequebatur, & ipſe tamen epiſcupaliter redimitus. Ad quem ita Martinus: Quid, frater Bricci? Juſtumne tibi videtur ut aeger hic optatam recipiat ſanitatem, qui tam devotus ex tam longinquis partibus ad noſtrum venit tumulum, tam ſuppliciter, tam perſeveranter noſtram opem expetiit? Et Briccius: Domine, inquit, ſi placet veſtrae pietati, bonum eſt ut iſte priſtinam ſanitatem recipiat, praeſertim homo noſtri ordinis, & cujus vita ordinem non deturpat. Tunc igitur Martinus converſus ad aegrum, & familiare ſibi nomen crucis ore ſacro depromens, ipſamque crucem ſuper eum depingens, Heldrice, inquit, ſanat te Dominus Jeſus Chriſtus. Surge ſanus, & vocatis clericis meis, innoteſce illis quia precibus meis adeptus es ſanitatem: Dices etiam eis ex praecepto meo quatinus te hujus Eccleſiae meae Canonicum faciant. In teſtimonium autem gloriae Chriſti & tuae ſanitatis praecipio ut Miſſam majorem hodie cantes, quo populus univerſus qui tuam noverat inſanabilem aegritudinem, viſo te ſoſpite in Miſſae celebratione, & Deum glorificet, & de noſtra interceſſione fiducialius praeſumat. His dictis morbi locum baculi paſtoralis cuſpide viſus eſt tetigiſſe. Ad cujus tactum & viſio diſparuit, & ſomnus receſſit. Excitatus Epiſcopus experientiae cauſa loco vulneris manum apponit. At miniſtri ejus, qui prope excubabant, timentes tactu pruriginem irritare, prohibebant eum. Quibus ille: Nolite, inquit, timere. Dominus enim Martinus me ſanitati reſtituit. Quibus excitantibus ne forte per ſomnium loqueretur: Accendite, inquit, lucernas, venite & videte locum ubi fuerat morbus. Illi dicto citius (nam morae impatiens deſiderium eſt) accenſis luminaribus praeeuntem ſequuntur, inque capitulo Eccleſiae ſubſtiterunt. Tunc vero reſolvunt faſcias quibus, ut mos eſt, ligabatur, pulloſque quos fero morbo velut inſatiabili belluae objecerant intactos reperiunt, carnem ſubcreviſſe reliqua in nullo humiliorem inveniunt, nec ab ea differre praeter quod lineola quaedam rubicunda hinc cicatricis alterutram dividebat. Quid moror? Clamor mirantium ſimul & gaudentium ad aſtra ſuſtollitur. Canonici, qui matutinos hymnos pro ſolemni more decantabant, exciti vocibus accurrunt, remque dignam ſatis miraculo oculis comprobantes, neminem ſanctorum ſignorum efficacia comparabilem Martino proteſtabantur. Pulſantur igitur ſigna, *Te Deum laudamus* alacriter decantatur. Mane dato conventus Canonicorum in capitulum convocatur. Juſſione Martini accepta, Epiſcopum ſanatum Canonicum faciunt; qui & eodem die, ut ſibi ſanctus juſſerat, dominicam Miſſam clero populiſque aſtantibus celebravit. Quibus rite perfectis, laetus & incolumis remeavit ad propria. Sed non ingratus vel ſancti beneficio vel Canonicorum ſuorum obſequio, ipſi ſancto veſtes ſericas pretioſas, vaſaque aurea & argentea, quibus hodieque Domino & ſancto inibi miniſtratur, tranſmiſit, ſingulisque Canonicis ſingula donaria deſtinavit. Neque hoc viſum eſt ei ſatis. Proceſſu itaque temporis in dioceſi ſua Eccleſiam in honore beati Martini conſtruxit, quam tantis redditibus cumulavit ut quinquaginta Canonici in ea Deo & ſancto Martino deſervientes abundantiſſimis ſumptibus ſuſtententur.

II. Marchiſius de Monteferrato, Bonefacius nomine, bonae devotionis conſuetudinem fecerat ut an-

nis

Digitized by Google

nis ſingulis ad diem feſtum beati Martini, tumulum ejus ſacroſanctum expeteret. Non enim itineris longitudo & aſperitas, non interjacentium hoſtium inſidiae, non bellorum frequens incurſio, non denique ulla poterant impedire negotia quin ad ſancti ſuffragia promerenda occurreret. Adeo fideli viro propoſitum erat. Pro more igitur aliquando venerat, cum ſubito poſito in oratione negotium periculoſum ſatis perculit ejus memoriam. Mutuo ſiquidem ſexaginta ſolidorum millia in patria ſua a quodam burgenſe acceperat, ſub fidei ſuæ ſacramento ſcilicet, interpoſitis ſimul fidejuſſoribus multis, & tunc ejuſdem reddendæ pecuniæ dies condictus instabat. Quid faceret? Si enim more avium pernicibus alis evolare poſſet, nec ſic quidem ad præfixum poterat occurrere diem. Quod igitur ſolum ſibi reſtabat, ad Martini ſuffragia poſcenda totus convertitur. Illum votis, illum exorat gemitibus ut in tanta neceſſitate conſtituto ſubveniat; ne ſcilicet qui ſeſe & ſua negotia ob ejus devotionem oblitus fuerat, ab ipſo obliviſcatur, ne fidejuſſorum & ſuam ipſius fidem periclitari ſinat; ſed more ſuo divinitus faciat eſſe poſſibile quod apud homines impoſſibile eſt. In hac ſupplicatione, quam dura neceſſitas prætendebat, diu fatigatus, tandem obdormivit; cum ecce ſignipotens ille Martinus, ut totus ſemper viſceribus caritatis affluebat, devotum ſibi miſeratus, in viſu ei aſtitit pontificalibus redimitus inſulis, duobus pariter Epiſcopis comitatus; viſumque eſt viro quod duo illi pro eo Martino ſupplicarent, quorum precibus ſanctus liberali hilaritate annuens fidem jubet, auxilium pollicetur. Nec mora, viſio ſomnuſque pariter terminantur. Homo excitus congratulari cœperat viſioni. Sed Martini promiſſio revertitur in effectum. Nam repente duo vaſa aurea prope ſe poſita vir illuſtris reperit ſummam nummorum continentia pro quibus ſollicitus Martino ſupplicaverat. Quæ ſimul ut aſpexit, ſervante nemine, mirari ſecum, circumquaque proſpicere, ne forte ad ſui tentationem pecuniam tantam quis appoſuiſſet. Hærebat igitur ſtupens. Quem ſervientes ſui, qui ejus orationis finem eminus præſtolabantur, ſollicitum perpendentes propius accedunt, neminem aſſuiſſe ſeſe excubantibus qui ea depoſuerit, non minus miraculo quam gaudio affecti proteſtabantur. Tunc Marchiſius: Signipotens, inquit, Martinus de cæleſtibus credo theſauris mihi pondus pecuniarum quibus debitor his diebus teneor cælitus deſtinavit. O ſi & creditorem exhiberet, ne ejus viſitatio mihi fiat occaſio fidei infringendae. His dictis, pecuniam colligi & ad hoſpitium jubet deportari, cum ecce in ipſius Eccleſiae introitu adeſt improviſus ille cui debitor tenebatur. Tunc vir exclamat prae gaudio, miraculum explicat, Martinum attollit, Martinum inclamat, Martini facit audiri mirabilia. Tandem creditori reconſignat pecuniam. Plebs urbana concurrit & ruſtica, clero praeconante, praeſente Marchiſio ſimul & proteſtante miraculum exponitur. Chriſti gloria, Martini pietas in communi laudatur. Vir igitur praeclarus, quem & ingenuitas & liberalitas exornabat, & Martini praerogata humanitas ad meliùs incitabat, regreſſus ad propria, ſancti beneficiis haud ingratus extitit. Nempe Eccleſiam in honore Domni Martini in proprio fundavit allodio, eamque de propriis redditibus ſua munificentia ampliavit, ut conventu monachorum inibi congregato, & praelato eis patre abbatiam fore in perpetuum conſtitueret; in qua uſque hodie in honorem Dei & laudem ſancti Martini floret religio, Chriſtique ſervitus liberalis in dies exſolvitur. Crediturque quod illuſtris Marchiſii, etſi ſanguinis generoſitate inferior, morum tamen nobilitate, praecipue circa Martini honorem, ſe probavit ingenuum. Nam & ipſe propriis ſumptibus in Martini honorem Eccleſiam conſtruxit, cui tantum redditnum acquiſivit quantum conventui monachorum ibidem Deo & beato Martino ſervientium pleniſſimos ſumptus ſufficere potuiſſet. Florent autem hodieque ambae Eccleſiae, quae ingredientibus nobis Italiam perviae ſunt, vicinae ſcilicet Suſenſi pago.

III. In diebus illis ad beati viri ſacroſanctum tumulum undecunque patriae inergumeni ferebantur. Mirum in modum mortui virtus circa vivos ſalutem operabatur; nec quiſquam optata ſanitate fruſtrabatur, niſi cujus fides infirma de Martini potentia haeſitabat. Erat tunc temporis daemoniacus quidam aetate juvenis, militaris progenie, Gimo nomine, de caſtro Prierato oriundus. Hunc parentes vinctum catenis miniſtrorum obſequio ad ſancti baſilicam exhiberi fecerunt. Daemon autem qui eum invaſerat, & durus poſſeſſor praeſidebat, illo ad multorum confuſionem, ut proprio organo abutebatur. Quicunque enim in ejus veniſſet praeſentiam capitalis criminis noxae obnoxius, ſtatim tempus, locum, perſonam, modumque facinoris daemon in ejus faciem irreverenter coram omnibus exponebat. Tanta erat in daemone perſpicacia ſcelerum quod quidam clericus ſancti Fridericus nomine, dives opum, clari ſanguinis, nonnullius etiam dignitatis in Eccleſia (nam Subdecanus erat) audiens, graviter tulit, tantam ſcilicet a Deo diabolo permiſſam poteſtatem ut homines, praeſertim Chriſtianos, communicaret infamiae. Denique in praeſentia daemoniaci cum querela venit; in quem diabolus ejus dirigens oculos quem occupaverat, per os ipſius ait. Et tu de ſano capite nos objurgas, qui hac nocte tale facinus cum tali perſona, tali loco, admiſiſti. Erubuit clericus; divertenſque ab eo ſacerdotem evocat, in partem ſecedit, crimen a daemone ſibi objectum, & ſi qua forte premebant conſcientiam, ſpiritu contrito damnat, voce humili confitetur, judicio ſe ſacerdotis ſubdit, ſatisfactionem ſibi injunctam prompta alacritate amplectitur. Sicque tandem fidei virtute animatus ad daemoniaci rediens praeſentiam, & de me, inquit, quid dicis? In quem ille, ut ſuum erat, torvos intendens oculos, & ſaepe hunc multum reſpectans, Recede, inquit, a me, quia nihil noſtrum in te reperio. Quo clericus audito, Chriſti gloriam ſanctaeque confeſſionis virtutem ſuae praeferens confuſioni, exclamavit & dixit: Audite, fideles, attendite populi, quanta ſit fidei noſtrae virtus, quam admirabilis quamque efficax ſit confeſſionis indicibile ſacramentum: Audiſtis enim qui coram aderatis quam turpia mihi improperavit daemon qui hunc hominem obſidet, & utique vera. Nunc autem facta confeſſione, & criminum vera de corde abrenunciatione, ecce nihil in me ſuum recognovit. Quapropter unanimes Deum deprecemur fideliter ut hominem iſtum liberet a daemone quo obſidetur. Tunc daemon per os inergumeni: Vos, inquit, omnes non timeo, nec meum palaeſtritem per vos dimittam. Solus Martinus hoc poterit, & hoc tamen in ejus honore Miſſa celebrata. Quod audientes clerici, conſilio inito inter ſe dixerant: Etſi diabolus mendax eſt, certè vel quandoque dicere verum cogitur. Non igitur ab ipſo fidem capientes, ſed ab eo cui invitus teſtimonium perhibet, in his nos Domni Martini glorioſi Miſſam celebremus, credentes in eum qui & malis bene utitur. Nec mora, feſtiva in craſtino Miſſa celebratur in honore ſancti. Dumque poſt communionem ſacram, *Martinus Abrahæ ſinu lætus excipitur*, clerus decantaret, diabolus non ferens tantam laudem Martini, tetrum clamorem emittens, tetrumque relinquens odorem, ab inergumeno diſcedens, eum ſanum, & invitus deſerit. Quod clericus videns non fuit ei ſatis ſub communi clericorum vita ſancto deſervire Martino, ſed placitam Martini vitam profeſſus, in Majori monaſterio monachicum habitum monachumque virtute ſuſcepit, & monachus factus, monachi vigilavit in actus, adeo ut poſtea cuſtos ordinis in eodem monaſterio prae ſanctitate vitae & religionis cuſtodia poneretur. O Martinum nulli fere ſanctorum meritis inferiorem, nulli ſecundum potentiam, nulli viſceribus caritatis minorem, qui mirabiliter daemoniacum curavit, & ejus ſanitatem clerico ſuo miſericorditer verae ſalutis cauſam eſſe donavit. Martinum igitur inergumeni laudat medela. Martinum magnificat plebs

bis admiratio & devotio. Martinum vero glorificat clerici ad Dominum converſio perfecta. Et ubique tanto mirabilior Martinus habetur quanto poſcentium fides ad Dominum ad ipſumque devotio promeretur.

IV. Per idem tempus Sanubertus quidam diutino languore connexus, cui nulla remedia valebant proficere, cum ad tumulum beati Martini in lecto fuiſſet allatus, primum circa genua, in quibus graviorem patiebatur dolorem, ſudore cœpit non parvo madeſcere; deinde tepefactis venis, reparatiſque nervis, redivivos pedes extendit. Nec multo poſt cernente populo ſurrexit incolumis, pedibuſque ſuis ad propria remeavit, qui manibus allatus fuerat alienis.

V. Item quaedam mulier nomine Roſcelina, quam malignus ſpiritus per quinquennium poſſederat, & ab omni membrorum privatam obſequio, ab introitu quoque Eccleſiae diu prohibuerat, poſtquam baſilicam ſancti antiſtitis introivit, continuo liberata a daemonio, totius corporis alacritatem non ſine admiratione multorum ſub momento recepit. Cui deinde domum revertenti ut candelam praepararet, quam cum aliis fidelibus veniens offerret, ſed unde emeret omnino non haberet, quidam monachus angelica canitie decoratus in foribus Eccleſiae obviavit, danſque illi puriſſimi candoris nummum, ſubito non comparuit. Accepto mulier nummo, & nummulariis oſtenſo, tres obolos mutuo ſumpſit, quibus candelam comparatam rediens ad ſancti tumbam obtulit. Haec res omnibus civibus Turonenſis civitatis eadem femina referente innotuit.

VI. Sub ipſo tempore alia femina nomine Agnes de oppido Faie manuum pedumque officio per biennium deſtituta, ut ad ſepulchrum beati antiſtitis poſt longos labores potuit accedere, tam fuit illi cito ſoſpitatem recipere quam poſtulaſſe.

VII. Cum itaque pro tantis & tam manifeſtis miraculis clerici ſigna pulſarent, & hymnum *Te Deum laudamus* jocundis vocibus decantarent, quidam clericus de Eccleſia beati Petri puellaris in pede cancri ulcere percuſſus, audita cantantium voce, niſu quo potuit, comitum ſuſtentatus auxilio, miracula quae ibi fiebant viſurus, baſilicam beati Martini introivit, ſtatimque, quod mirabile dictu, ſanitatem, quam non petebat, eadem hora adipiſci promeruit.

VIII. Sed & puella nomine Oſanna, quae prae diuturno ambarum tumore manuum operandi uſum amiſerat, ſuffragio ſancti viri fide devota invocato, per immutationem dexterae excelſi priſtinae reſtituta eſt ſoſpitati.

IX. Eodem nihilominus die quidam puer, nomine Gaufridus, contractis genibus per triennium infelicia membra baculo ſuſtentaverat: qui virtute beati Martini renovatus, baculo quo pro pede uti ſolebat in baſilica ſancti confeſſoris ad memoriam poſterorum depoſito, & a trabe ſuſpenſo, gratulabundus & incolumis populo ſpectante ad ſua repedavit.

X. Item aliud huic ſimile non eſt ſilendum miraculum. Nam quaedam mulier nomine Maria, cui vir ſuus, ſuadente diabolo, nervos tibiarum ferro abſciderat, amiſſo gradiendi uſu per triennium domi elanguerat. Quae, audita tot ſignorum potentia, ſe ſuſtentans baculo, niſu quo potuit ad tumulum ſancti viri accedere non diſtulit, juxta quem orationi cum lacrymis diutius incubuit. Mira deinceps res ſequuta eſt. Oratione namque completa, multis videntibus, rejunctis nervis genibuſque reparatis, ſubito mulier ſe erexit. Moxque concito gradu domum venit, & eadem hora rediens, cortinam, quam domi habebat, laetabunda attulit, allatam ad memoriam ſancti viri cum gaudio & devotione obtulit.

Praeterea Hedigunnis quidam ſagenarius, cui ambae manus curvatae ſimul & tumefactae longo tempore uſum piſcandi negaverant, mox ut tumbam ſancti antiſtitis firma fide tetigit, in conſpectu populi circumſtantis, utriuſque palmae ſedato tumore, & expulſo dolore, ſanitatem quam puro corde popoſcerat impetravit, redivivaque dextera, tota plebe in laudibus Dei acclamante & prae gaudio flente, libere ſe ſignavit.

XII. Nec minus his glorioſum addendum credo miraculum. Tot itaque & tantorum circumquaque diſcurrente praeconio ſignorum, inter caeteros debiles ad memoriam ſancti antiſtitis undique confluentes, affuit & quaedam calamitoſa puella nomine Theophania, damno aridi imo praemortui corporis nota multis. Illam quippe inſanabilis morbus qui a medicis fiſtula dicitur, conſumptis omnino carnibus & ſcabie per multa foramina jugiter diffluente, exanguem & macilentam reddiderat. Haec igitur omni prorſus ſpe recuperandae aliquando ſanitatis fraudata meritis beati Martini integritatem omnium membrorum peſte fugata ſub momento recepit.

XIII. Sub ipſo tempore quaedam adoleſcentula nomine Petronilla tantae debilitatis vinciebatur incommodo ut plantae pedum ad poplites reflexae ſuo fruſtrarentur officio. Haec itaque duobus lignis, quibus pro pedibus utebatur, membra vectitans paralytica ad mauſoleum beati Martini firma fide acceſſit: quod devote amplectens, & cum lacrymis deoſculans, invocato ſancti confeſſoris nomine, optatam diu & integram eadem hora meruit adipiſci ſanitatem.

XIV. Nec minus & matrona quaedam Galliciana nomine, non humili orta progenie, nota quidem multis, pro honeſta converſatione amabilis, ſed diuturna totius corporis infirmitate confecta, proximam morti calamitoſam deducebat vitam. Siquidem ſopitis faucibus, obſtrictiſque gutturis meatibus, uſum pariter & appetitum comedendi penitus amiſerat. Haec tandem ſalubri potita conſilio, vecta equo, & clientum ducta obſequio, tumulo ſancti Martini proſternitur. Nec multo poſt oratione fuſa, beati Martini meritis toto renovato corpore, gratias agens, a pavimento erigitur, gaudenſque & incolumis poſt aliquantos dies ad propria revertitur.

XV. Eodem quoque die puella nomine Prima debilitate contractorum genuum & arentis dexterae infortunio triſtis, per decem annos & octo infelicem duxerat vitam. Hanc denique Chriſtus reſtauratis greſſibus, reformataque dextera, ob merita ſervi declaranda ad gloriam & laudem nominis ſui incolumem & lætabundam remiſit ad ſua.

XVI. Per idem tempus erat & Alexandra mulier diſcrimine aridi pedis nota multis, quae a compage viventis corporis pedem emortuum, non ad opus, ſed ad onus, per triennium miſera circumferebat, quo potius ferri debuerat. Haec igitur fide roborata ad ſepulchrum glorioſi confeſſoris, ubi multi aegri quotidie ſanantur, accedens, pavimento cum lacrymis & precibus proſternitur. Nec mora, ſpectante populo (Dies enim dominica erat) integram a Domino obtinuit ſanitatem, & altera die gratulabunda ad ſua receſſit.

XVII. Eodem quoque die aliam mulierem paralyticam longo omnium membrorum officio deſtitutam, cum ad tumulum ſancti viri in grabato a fidelibus delata fuiſſet, Chriſtus per viri ſancti merita, expulſa omni ægritudine, dicitur comparare dignatus eſt.

XVIII. Nec minus eodem die quædam pulchra faciei puella, ſed nomen neſcimus, glorioſi beati Martini meritis ad laudem Chriſti ab eadem incommoditate, multis aſtantibus & præ gaudio flentibus, liberata eſt.

XIX. Circa idem tempus virguncula quaedam Guiburgis nomine ab ipſis uberibus matris oculorum luce privata, auditis ſancti confeſſoris virtutibus, ut ad ipſius tumbam duceretur fideliter flagitabat. Quo cum adducta fuiſſet, omni caecitate diſcuſſa, lumen diu optatum ſine mora recepit, gaudenſque & gratias agens, ſequenti die ad ſua repedavit.

XX. Orientium quoque quendam puerum paralytico morbo diutius detentum, cum beati viri mauſoleum puro corde & fide non ficta tetigiſſet, Chriſtus ad merita ſui famuli magis, magiſque declaranda,

da,

da, expulſo omni languore, integre reſtituit ſanitati; & eodem die rediit, qui maternis fuerat deportatus officiis.

XXI. Sub eodem tempore Goneramnus Burelli, (hoc erat nomen infirmo) per beatum Martinum virtutis divinae ſumpſit remedium. Qui cum per ſeptennium fracti & areſacti brachii officio fruſtraretur, cum aliis fidelibus ad vigilias ſancti confeſſoris Martini pernoctaturus, fide plenus advenit. Dumque ingenti fletu & gemitu oraret ut ſibi Chriſtus placaretur & priſtinam redderet ſanitatem, repente comperit ſuum divinitus extendi brachium, quod longo ante tempore fuerat curvum; de quo eadem hora ſanato cruor uberrime fluens glorioſum aſtanti populo & inſolitum praebuit ſpectaculum. Quantas tunc laudes multitudo fidelium Domino decantaverit, quantis confeſſorem praeconiis extulerit, lectori relinquimus aeſtimandum.

XXII. Unum inter caetera eſt apud nos factum non majus quam praedixi, ſed tam clarum atque illuſtre miraculum ut nullum arbitrer in toto pago Turonenſi qui hoc & non viderit, & audiendo non didicerit, nullum qui obliviſci aliqua ratione potuerit vel debuerit. Quidam enim ſenex ruſticanus nomine Herbetus de vico qui dicitur Noviacus, cum die medio aeſtatis tempore purgaret triticum in area, invaſus a daemone, ſpumans & evomens, aeſtuans & fremens, poſt triduum amiſit linguae officium. Cumque nullum omnino per ſex dies per ſe ſumeret cibum, ad beati Martini tumulum a ſuis deductus; quo tacto, tria ibi ſimul miracula ſub momento Chriſtus operatur, dum nequam ſpiritus effugatur, linguae nexus enodatur, homo ab omni languore liberatur. Demum cum pro gratiarum actione ad capſam ſancti confeſſoris duceretur, rogabat circumſtantes tam laicos quam Presbyteros ne hoſtem ſuum, utique daemonem, poſt ſe venire permitterent. Hoc igitur ſignum, quod breviter juxta veri fidem perſtrinximus, toti civitati Turonicae, ipſo narrante, innotuit.

XXIII. In feſtivitate itaque protomartyris Stephani, quae aeſtivo tempore celebratur, cum nocturnam ſynaxim clerici decantarent, quidam paralyticus de vico qui dicitur Puteolus, per multos annos omni membrorum officio deſtitutus, ad tumbam ſancti cum aliis quampluribus excubans, diu optatae redditus eſt ſanitati. Quem Alermus de Cazenciaco vir nobilis dominus ejus, multique alii cum illo utriuſque ſexus & diverſae aetatis, quantas ibi prae gaudio lacrymas fuderint, quantas tibi, bone Jeſu, gratias egerint, non eſt noſtrae facultatis edicere.

XXIV. Petrum quoque quendam puerum notis honeſtiſque parentibus in confinio civitatis Aurelianenſis procreatum, quem morbus, non natura, per biennium curvaverat, nec oculos ad caelum levare permittebat, vidimus eodem erecto toto corpore alacriter deambulare, virtutemque ſancti confeſſoris populis undique advenientibus, oſtenſa incolumitate, manifeſtare.

XXV. Nec minus & alius puer ab urbe Cenomannica delatus, quem Ingelgerius Comes Andegavorum diligenter nutriri fecerat, & in filium adoptaverat, ut ſancti mauſoleum attigit, ab eadem incommoditate ſanus factus eſt.

XXVI. Per idem tempus alius puer nomine Gofferius diutina membrorum debilitate contractus, cum a matre ſua per jumentum ad memoriam ſancti adduceretur, longe adhuc poſitus, id eſt, quarto ab hac urbe milliario, ſenſit ſibi dari divinae virtutis remedium. Qui ſtatim deſcendens de animali cui inſidebat, ad locum confeſſoris concito greſſu ſaniſſimus advenit, vetuſtamque infirmitatem, quam perpeſſus fuerat, novamque incolumitatem, quam ſibi Chriſtus per beati Martini merita praebuerat, fidelibus in communi audientia expoſuit.

XXVII. Mulierem quoque de Barbivio, cui nomen erat Ermengardis, cum ad memoriam viri Dei accedere feſtinaret, in ipſo itinere adhuc longe poſitam viſitavit oriens ex alto. Egreſſa ſiquidem de domo ſua, ſicut ipſa narrante didicimus, ut ad vigilias ſancti accurreret, oculorum lumen, quod longo tempore perdiderat, ſtupentibus qui comitabantur eam, in via recepit, ducemque ſui ulterius non requirens, ad locum quem optaverat pervenit; ubi oratione fuſa, dataque ſolemniter oblatione, cum gratiarum actione ſequenti die laetabunda & incolumis ad ſua remeavit.

XXVIII. Circa idem tempus duae infeliciſſimae mulieres, quarum nomina memoriam meam praeterierunt, moleſtia fiſtulae diu laboraverant, quae per ſeptimanae circulum totam ſuis baſilicam replentes clamoribus, viſcera noſtra calamitoſis planctibus turbaverant. Denique pater miſericordiae earum miſeriae & noſtrae, praeſtita illis pariter ſanitate, finem impoſuit.

XXIX. Sub ipſo tempore alia puella toti noſtrae civitati prae diuturna caecitate cognita, ad tumbam ſervi Dei cum lacrymis & precibus pernoctans per aliquos dies, depulſis veteribus tenebris, peregrinum lumen ſub momento recepit.

XXX. Hoc non praetermittendum aeſtimo quod venerabilium perſonarum relatione me didiciſſe gaudeo. Theophania Chriſti famula Abbatiſſa monaſterii beatae Mariae perpetuae virginis, quod Beltusmons dicitur, religioſis muneribus ſanctum Dei honorare cupiebat. Cum itaque cereos quos ut offerret ei praepararet, eccleſiaſticis, ut aſſolet, occupata negotiis deferre tardaret, cuidam ejuſdem famulo nomine Boſogono boni teſtimonii viro beatus Martinus per viſum noctu apparuit; quem benigne alloquens, blandaque manu caput ejus demulcens: Eia, inquit, frater, ſurge, & ad dominam tuam proficiſcere, diceſque ex mea parte quatenus munuſcula quae mihi ſe daturam devoverat ulterius reddere non differat. Quo dicto, cum Boſogonus evigilaret, & quid domina ſua ſancto confeſſori promiſerat penitus ignoraret, ad eam velociter currit, & quid ſibi ſanctus dixerat revelavit. Sanctimonialis vero femina cum narrantis verba audiſſet, promiſſionis ſuae ſtatim reminiſcens, ſeque de negligentia ſua redarguens, ut tandem vota compleret, cum feſtinatione venit, cereoſque quos jampridem confeſſori ſpoponderat ſolemniter ei & devote reddidit.

XXXI. Herveus quidam juvenis de territorio Pictavenſi, cum circiter decem per annos aridum brachium ſpe obtinendae ſanitatis per plurima ſanctorum loca deferens, nullum adhuc laboris ſui fructum percepiſſet, in vigilia ſancti Laurentii, quae dies dominica habebatur, cum aliis fidelibus pia mente & fide devota ad ſepulchrum benigniſſimi patris acceſſit. Quod cum factum fuiſſet, meritis ſancti confeſſoris ſoſpitatem diu deſideratam, omni populo in laudes Chriſti acclamante, eadem hora recepit.

XXXII. Quodam nihilominus die duo juvenes ſurdi pariter & muti, quorum alter Draco vocatus, de vico quem Lannacum vocant, alter vero dictus . . . . de vico quem nominant Cameliacum, mauſoleum piiſſimi confeſſoris pulchra fide certatim deoſculantes, officium linguae ſimul & aurium, quem natura eis denegaverat, meritis ſancti viri una eademque hora percipere meruerunt.

XXXIII. Item ipſo die quaedam mulier Hildegardis nomine de vico qui dicitur Novus burgus eodem quo & praefati juvenes infortunio damnata parem cum eis gratiam a Chriſto adepta eſt.

XXXIV. Poſtea in ſolemnitate beati Laurentii, cum Andreas puer de Oratorio ſeptennium transfigens in nubilo caecitatis, tractus a matre ad locum confeſſoris perveniſſet, ſtatim in conſpectu populi circumſtantis, tenebris inter ulnas ſuae genitricis ignotum diem ſubito videre promeruit.

XXXV. Sub ipſo die quaedam mulier nomine Aiga, de caſtro quod Cormanacum vocatur, con-

tra-

tractorum artuum debilitate per quinquennium mœſta, piſſimi patris meritis priſtinae reſtituta eſt ſanitati.

XXXVI. Puellam quoque de Aſaiaco, Hildegardis nomine, eodem die Chriſtus ab eadem calamitate ad honorem ſervi ſui liberare dignatus eſt.

XXXVII. Item ipſo die puer quidam Fulco nomine, de vico ſancti Clementis, longo tempore debilitatum pedem baculo circumferens, mox ut tumbam ſancti tetigit, omni dolore caruit; & cum eo alius qui manus officium amiſerat ſoſpitati redditus abſceſſit.

XXXVIII. Poſt hoc puer quidam de Semblenciaco Joannes nomine, qui annuo morbo fiſtulae in brachio adeo confectus erat ut conſumptis putredine carnibus etiam corroſa vermibus oſſa ab intus deciderent, ad tumbam ſancti antiſtitis aliquantis diebus excubans, & Dominum Jeſum ut ſui miſereretur aliquantis gemitibus exorans, effugata peſte mortifera, priſtinaque ſanitate meritis beati Martini integre recepta, populo magna, nobis majora, ſed ſuis maxima praebuit gaudia

XXXIX. In hoc etiam fuerunt admiranda & ubique praeconanda ſancti confeſſoris merita quod non minus abſentes aegros & longe poſitos quam praeſentes, id eſt, tumulo ſuo aſſiſtentes, ſi firmam ſpem & fidem habuerunt, per Chriſti gratiam curare conſuevit. Ad hoc praeſens non unus aut duo, ſed plures deducantur in medium. Garinus puer de Faia vertigine capitis totiuſque corporis moleſtia vexabatur. Nec minus per idem tempus puella Ermengardis nomine, de vico quem Bueſeias nominant, maledicto iratae matris, immo potius inſcrutabili Dei judicio, contractarum manuum injuriam patiebatur. Hi itaque cum pro ipſis parentes & propinqui ſui fide pleni votum facerent, & eos ad locum ſancti adducerent, adhuc longe in via poſiti, diu deſideratam incolumitatem a Chriſto per beatum Martinum ſe percepiſſe gratulati ſunt.

XL. Sub ipſo tempore erat apud Salmurum caſtrum mulier opulenta & multis nota, ſed nomen ejus memoriam meam fugit, quae contractarum palmarum infortunium incurrerat. Haec etiam audita fama ſignorum quae per famulum ſuum Chriſtus operabatur, cum quadam nocte ſe in lecto recepiſſet, ut ſequenti die vita comite ad vigilias ſancti confeſſoris cum oblatione digna properaret, obdormivit; ſtatimque evigilans, tanta facilitate manus renovatas aperuit ac ſi in eis nullam prius aegritudinem paſſa fuiſſet. Deinde facto mane, ut votis ſatisfaceret, locum ſancti adiit; ubi fuſa cum lacrymis oratione, exhibitaque ſolemniter oblatione, laeta & incolumis ad ſua receſſit.

XLI. Erat nihilominus Oſanna in confinio Caynonis caſtri, quae diuturna totius corporis incommoditate laborabat. Sed & ipſa tantarum virtutum audita potentia, cum ad memoriam ſancti gratia recuperandae incolumitatis pedibus ſuis ire nequiret, vehiculum ſibi praeparari fecit; quod cum aſcendere voluiſſet, eadem hora divinae virtutis ſenſit ſibi adeſſe remedium. Denique relicto vehiculo, greſſu concito ad ſepulchrum beati Martini laetabunda cum oblationibus venire non diſtulit, ſanitatemque meritis ſancti antiſtitis ſibi divinitus praeſtitam populo circumſtanti ex ordine retulit.

XLII. Gaufridus quoque puer de vico qui dicitur Blarenciacus ab eadem calamitate eodem tempore interventu ſancti confeſſoris ſub momento liberatus eſt.

XLIII. Per idem tempus femina quaedam de Montaureo caſtro nomine Ermengardis fracti & aridi lacerti infortunio per quinquennium damnata beati materiam miraculi praebuit. Cunctis ſiquidem unius menſis noctibus ad ejus mauſoleum cum multo fletu & gemitu contenta vigilans, tandem divinitus viſitata eſt. Brachium enim illius, oſſe reintegrato, venis repletis, nervis renovatis, finito menſe revixit, ſuoque corpori non ſegnius quam alterum ad uſus neceſſarios poſtea miniſtravit.

XLIV. Nec minus eodem tempore puer quidam de vico cui nomen eſt Senterius eodem detentus incommodo ſimilem gratiam divinitus adeptus eſt.

XLV. Sed puella nomine Menoldis de vico quem Montricardum nominant, dum quadam nocte aeſtivo tempore cum meſſoribus in area quieſceret, repente conſpexit teterrimos ſpiritus in ſpecie militum armatorum ſuper ſe diſcurrere & ſe vehementer opprimere. Qua horrenda viſione exterrita, & pene amens effecta, eadem hora uſum loquendi amiſit. Cum vero poſt trium ſeptimanarum circulum ad tumulum ſancti a ſuis deducta fuiſſet, mox in laudes Chriſti & famuli ſui Martini os aperuit, quod ſibi daemonum terribilis effigies divina permiſſione concluſerat. Hoc etenim putavimus factum ut opera Dei per beatum Martinum in ea manifeſtarentur.

XLVI. Duas quoque puellas, quarum Legardis de vico cui nomen Eſpeniacus, altera vero de caſtro quod Vilencaſtri nuncupant, ille qui bene omnia fecit, una eademque die ſurdas pariter & mutas ad honorem famuli ſui fecit audire & loqui. Proinde quantas ibi populus de diverſis regionibus ad memoriam ſancti confeſſoris aggregatus creatori laudem perſolvit, nullus narrando explicare poterit mortalium.

XLVII. Item ipſo die puerum quemdam Guillermum nuncupatum, de caſtro quod Prulliacum vocant, cui totum tergum gibbus deformis in ſpina ſuccreſcens opprimebat, Dominus miſericorditer viſitare dignatus eſt. Cum enim ab utero matris eſſet totus curvus, ſublato gibbo venuſtatem formae quam ſibi natura negaverat, per beatum Martinum innovatus & erectus, flente prae gaudio plebe & gratias agente, ſub momento recepit.

XLVIII. Item ſequenti die puella nomine Joanna de vico qui Crevanturus dicitur, debilitate contracti corporis biennio damnata, palmarum & genuum officium coacta verterat in uſum pedum. Mox vero ut Eccleſiam beati Martini puro corde & mente non ficta ingreſſa eſt, in medio turbae circumſtantis repente ſanitatis diu optatae munere per beatum Martinum laetificata eſt.

XLIX. Item ipſo die quidam puer nomine Bernardus de caſtro Monteſauro decennio vexatus parem divini muneris gratiam ſe recepiſſe gratulatus eſt.

L. Nec hoc praetermittendum exiſtimo quod multis fidelibus notum eſſe non dubito. Quidam infantulus infirmata veſica calculoſus erat effectus. Hic a matre ſua ſpe obtinendae ſanitatis ad ſancti viri ſepulchrum delatus eſt. Cumque totam noctem illam nimiis arctatus doloribus duxiſſet inſomnem, ſolius mortis adventum praeſtolabatur. Denique facto mane imminet ei conatus ejiciendae urinae. Quod mater ut comperit, ſtatim manum virgulae parvuli ſui ſubpoſuit, ejectumque inſtar fabae calculum ſequente urina ſuſpiciens, planctum in gaudium, lacrymas in laudes vertit, & eadem hora cum rediviva ſobole ad propria remeavit.

LI. Interpoſitis autem paucis diebus puella quaedam Vinargandis nomine, de oppido quodam in pago Bituricenſi ſito quod Paludellum vocatur, ab ipſis cunabulis oculorum luce fraudata, poſtquam ſancti confeſſoris tumulum oſculari meruit, depulſis veteribus tenebris, coram omnibus qui ibi aderant, favente Deo, clariſſimum ſub momento viſum recepit.

LII. Deinde procedente tempore duo pueri, quorum unus ex oppido Caſtellione nuncupato, nomine Petrus, alter vero de viculo cui nomen eſt Luciacus territorio Bituricenſi, Guillermus & ipſe nuncupatus, ambo immundorum ſpirituum infeſtatione horribiliter vexati, dentibus vehementer ſtridebant, ſemetipſos & omnes ſibi propinquantes morſibus dilacerabant. Quamobrem funibus aſtricti, ſenſu ſuditus perdito, ad locum ubi ſancti viri corpus honoratur non ſine magno labore adducti ſunt; qui

Digitized by Google

per aliquot dies ibidem commorati, Domino miſerante & beato Martino intercedente, a malignorum ſpirituum rabie liberati, ſenſu reddito, incolumes ad propria ſunt reverſi.

LIII. Circa idem tempus duo fabri, quorum alter de caſtello Buſenciaci, Robertus nuncupatus, alter de Argeio, Gaufridus vocatus, brachiis longo tempore arefactis, manibus contractis, diuturnae otioſitati, non voluntariae . . . . . . ſed vacabant. Iſti igitur cum precibus & votis ad tumulum hominis Dei aliquantis noctibus vigilatis, optatae per biennium ſanitati una eademque hora pariter ſunt reſtituti.

LIV. Nec hoc ſilendum puto quod in conſpectu multorum factum ſcio. Filia cujuſdam mulieris in Turonica civitate febrium igne ſuccenſa vexabatur, & ita aeſtuantis corporis accenſio puellulae medullas corpuſque conſumpſerat ut in ea ſpes vitae nulla remaneret, ſed deſperatione conclamata ſequeretur. Quid plura? Medicorum remedia ſubtrahuntur, ſolus luctus matri reſervatur. Quae ad beatum virum totam ſpem convertens tollit corpus jam fere, ut diximus, exanime. Cumque a multis admoneretur ut cadaveri extincto ſepulturam praepararet, fide plena ſobolis ſuae deferens membra praemortua ad tumulum viri Dei flens & ejulans accurrit; ubi exhibita oratione ſimul & oblatione, protinus puella, omni dolore effugato, totius incolumitatem corporis beato mediante Martino ſe recepiſſe in momento gaviſa eſt.

LV. Item huic ſimile non debeo reticere miraculum. Ipſo die alia mulier apud Pontem Cari lugebat parvulum jam imminente mortis periculo deſperatum. Cumque & infans ſolam necem operiret & mater de ſepultura ipſius jam cogitaret, admonetur a fidelibus quatinus infantulum devovens ad memoriam ſancti viri afferret. Quod cum feciſſet, puerulus ſanitatem recepit, & mater cum ſobole laetabunda ad ſua repedavit.

LVI. Multa quidem miracula prætermittimus quæ vidimus & audivimus, ne lectori faſtidium facere videamur. Quod autem ſcribimus coram Deo teſtificamur, quod ad ſancti hujus de quo loquimur venerabilem memoriam, qua ſaepe imbecillium ſanantur infirmitates plurimorum. Cæcis quippe reſtituitur viſus, illiſque ipſe mundus aut datur novus, aut redditur perditus. Ocioſis ſurdorum auribus fugata inſenſualitate tribuitur proprio ſenſu uti. Manus pedeſve morbo debilitati optato reſtituuntur officio. Reparantur paralytici, renovantur aridi, a dæmonibus liberantur inergumeni. Sed quid moramur in ſingulis? Enumeret ſanitates cui vacat enumerare infirmitates. Ut omnia compendioſe claudamus, quiſquis plenus fide ad ejus tumulum incommoditate qualibet acceſſit affectus, opem ſanitatis, quam digne & fideliter expetiit, divinitus obtinuit. Sed & nunc ad miraculorum gratiam revertamur. Vodium nomen eſt prædii ubi jacebat ægrotus Hugo nominatus. Hic itaque multis diebus toto corpore debilitatus, ſaepiſſime a propinquis admonitus ut auxilium beati Martini puro corde imploraret ſeque ei tota devotione committeret: quorum ſuggeſtionibus ille jam morti proximus acquieſcens, mox ut beato viro firma fide ſeſe devovit, paulatim morbo recedente cœpit convaleſcens lecto relicto deambulare. Sequenti die aggrediens iter ut ad memoriam ſancti viri venire tentaret, tantam in ipſa via divinitus adeptus eſt valetudinem ac ſi nullam prius paſſus fuiſſet ægritudinem.

LVII. Eſt operae pretium de tribus hydropicis rem glorioſam memoriæ theſauro commendare. Iſti ſiquidem diverſis in locis poſiti, eodem incommoditatis genere detenti, cunctis hydropico morbo artubus tumefactis, recuperandæ aliquando ſanitatis ſpem amiſerant. Ex quibus primus erat de pago Cenomanenſi, ex oppido Malicorna nuncupato. Secundus de provincia Andegavenſi, ex vico quem Bargulium vocant. Tertius de territorio Pictavenſi, de burgo, qui dicitur Eſtubiliacus. Tres igitur iſti pari loco ſalvatoris clementiam ut ſibi ſanitatem meritis beati Martini indulgeret jugiter flagitantes, diverſis provinciis, ſicut ſupra taxavimus, conſtituti, paris ſpiritualis medicinæ gratiam conſecuti ſunt.

LVIII. Eodem nihilominus die mulier quædam Maria nomine ab eadem qua & tres præfati viri incommoditate liberata eſt.

LIX. Circa idem tempus alia femina, Nia nomine, de caſtro Loca, muta, ſurda, & cæca mediante ſancto, ſub uno momento viſum, auditum & linguae officium divinitus recepit.

LX. Guillermus quoque parvulus puer ex oppido cui nomen eſt Montaureus oriundus, cum jam praevaleſcente morbo morti eſſet deditus & vicinus, mater eum morientem filium meritis beati Martini tota devotione commiſit. Quod cum feciſſet, qui necis faucibus jam tenebatur, ſtatim vitae donatus eſt.

MO-

MONUMENTORUM SACRORUM
APPENDIX
JOANNIS DOMINICI MANSI
C. M. D. L.

EJUSDEM MANSI IN VETEREM ORDINEM
PRÆMONITIO.

QUem hic evulgo liturgico opuſculo titulum ORDINIS *præſcribo, non quidem repertum in vetuſto codice, caret enim edacis temporis injuria, ſine atque principio, ſed ex more apud liturgicos ſcriptores recepto ita inſcribendi libros omnes quotquot rituum Eccleſiæ argumentum tractant. Vetuſtum appellavi, quod apparebit ex deſcriptione codicis hic ſtatim exhibenda. Codex eſt igitur octavi quam vocant formam referens, membranaceus, exaratus caracteribus ſæculo Chriſti* XI. *uſitatis. Nec profecto recentior eſt ſæculo eodem* XI. *cum de Commemoratione ſolemni Defunctorum, ne verbum quidem habeat, quanquam ejus inſtitutio ad idem ſæculum a ſcriptoribus liturgicis refertur; ſed nec vetuſtiorem credo, tum quod in liturgica ſymboli recitatione proceſſionem Spiritus Sancti a Patre & Filio exprimat, quod in Eccleſia Romana nonniſi ſæculo* X. *occepit. Aliter enim eſt de dogmate, quod ſemper in Eccleſia manſit, aliter de introductione in Symbolum, cui Eccleſia Romana uſque ad idem ſæculum reſtitit. Fateor tamen aliter dicendum fuiſſe ſi conſtaret Sacramentarium hoc uſibus Eccleſiæ Gallicanæ deſerviſſe. Id tamen poſtremum nec mihi conſtat, nec locus ubi a vetuſta ætate Codex ſervatus eſt permittit ut credamus. Illum enim offendi in Bibliotheca Illuſtriſſimi Capituli Majoris Eccleſiæ Lucenſis; nec dubito quin ejus uſui olim valuerit. Patet id etiam ex collatione Litaniarum, quæ hic extant in precibus aſſignatis pro viſitatione infirmorum cum Gallicanis (nam de illis ambigendi locus eſſet) quas exhibet Pater Martene,* de Antiquis Eccleſiæ Ritibus lib. I. Ord. V. vet. edit. *Nam in illis variant nonnulla, ſed fere ſemper ſublata ſunt nomina Sanctorum Gallicanorum, & inſerta alia, quæ cultum habent potiſſimum in Italia, uti S. Nicolai &c. Idipſum innuit ſolemnis veteris Eccleſiæ Gallicanæ ritus fideles ad lethum decumbentes oleo Extremæ unctionis ungendi antequam Viatico reficerentur contra morem in hoc rituali libro indicatum. Ex his credo non infelici conjectura deductum noſtrum hoc Sacramentarium, ſeu Ordinem in uſum Eccleſiarum Italicarum, ſeu Romanum ritum ſequentium deſtinatum fuiſſe.*

Quanti vero pretii, quod ego profero monumentum habendum ſit præ multis ætate hac noſtra evulgatis Ordinibus demonſtrat Baptiſmi conferendi ritus ſic in eo deſcriptus, ut ita clare nuſpiam alibi. Hinc enim diſcimus Baptiſmi per immerſionem conferendi quænam fuerit diſciplina. Eruditorum plures ambigunt num unica olim fieret baptizati merſio, num triplex. Utriuſque opinionis conciliandæ hic ratio ſuppetit; unica enim erat totius corporis merſio, at per partes tres; prius enim caput immergebatur, dein pedes, tandem reliquum corpus. Prætereo variantes in Evangeliis, quæ tunc recitabantur, quas non ſine voluptate in ſuos uſus eruditi illi trahent, qui de Itala veteri ſolliciti ſunt; prætereo orationes vel novas vel ſaltem in aliis minus obvias; ne quid dixerim de concordia fere perpetua cum iis quæ noſtro tempore in Eccleſia Romana ſervantur. Mentem tamen advertant eruditi ad formam abſolutionis a peccatis quæ nova eſt, non tamen ſingularis, cum in ritualibus nonnullis a P. Martene productis recurrat, ut in Pontificali Egberti Eboracenſis, aliiſque apud eumdem. Forte tamen Abſolutio illa non erat Sacramenti, ſed mera oratio ritualis. Et hæc ſatis in præſenti.

Digitized by Google

MISSA DE TRINITATE.

BEnedicta ſit ſancta Trinitas atque indiviſa unitas confite..... ei quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam. Benedicamus Patrem &c. *Or.* Omnipotens ſempiterne Deus, qui dediſti famulis tuis in confeſſione verae fidei aeternae Trinitatis gloriam agnoſcere, & in potentia majeſtatis adorare unitatem; quaeſumus ut ejuſdem fidei firmitate ab omnibus ſemper muniamur adverſis. Per &c.

Ad Corinth Fratres gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti & charitas Dei & communicatio Sancti Spiritus ſit cum omnibus nobis.

℟. Benedictus es, Domine, qui intueris abyſſos, & ſedes ſuper Cherubim. ℣. Benedic cœlum coeli quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam. Alleluja. ℣. Benedictus es Domine Deus patrum noſtrorum & laudabilis in ſaecula. Benedicat nos Deus Deus noſter benedicat nos Deus pater & filius & ſpiritus ſanctus. ℣. Benedicat nos ſancta majeſtas & individua unitas verus Deus in ſaecula ſaeculorum, & cuſtodiat nos ſemper.

In illo tempore dixit Jeſus diſcipulis ſuis: Cum venerit Paraclitus quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis qui a Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me, & teſtimonium perhibebitis, qui ab initio mecum eſtis. Haec locutus ſum vobis ut non ſcandalizemini abſque ſynagogis facient vos. Sed venit hora ut omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe praeſtare Deo, & haec facient quia non noverunt patrem neque me. Sed haec locutus ſum vobis ut cum venerit hora eorum reminiſcamini quia ego dixi vobis.

Off. Benedictus ſit Deus Pater, unigenituſque Dei Filius, ſanctus quoque Spiritus, quia fecit nobis miſericordiam ſuam.

Secr. Sanctifica quaeſumus Domine Deus per tui ſancti nominis invocationem hujus oblationis hoſtiam, & per eam noſmetipſos tibi perfice munus aeternum. Per &c.

Praef. Æterne Deus, qui cum unigenito Filio tuo & Spiritu ſancto unus es Deus, unus es Dominus, non in unius ſingularitate perſonae, ſed in unius Trinitate ſubſtantiae; quod enim de tua gloria revelante te credimus, hoc de Filio tuo, hoc de Spiritu ſancto ſine differentia diſcretionis ſentimus, ut in confeſſione verae ſempiternaeque deitatis, & in perſonis proprietas, & in eſſentia unitas, & in majeſtate adoretur aequalitas. Quem laudant Angeli atque Archangeli, Cherubim quoque ac Seraphim, qui non ceſſant clamare cotidie jugiter una voce dicentes.

Com. Benedicimus Deum, & coram omnibus viventibus confitebimur ei, quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam.

Poſtcom. Proficiat nobis ad ſalutem corporis & animae Domine Deus hujus ſacramenti ſuſceptio, & ſempiterna ſanctae Trinitatis, ejuſdemque individuae unitatis confeſſio. Per &c.

Domine Deus Pater omnipotens famulos tuae majeſtati ſubjectos per unicum Filium tuum in virtute ſancti Spiritus benedic & protege, ut ab omni hoſte ſecuri in tua jugiter laude laetentur. Per &c.

Poſt miſſ. Placeat tibi Domine Deus ſancta Trinitas obſequium meum, & praeſta, ut hoc ſacrificium, quod oculis tuae majeſtatis, indignus obtuli tibi ſit acceptabile, mihique & omnibus, pro quibus oblatum eſt ſit te miſerante propitiabile. Per &c.

In Commemoratione S. Crucis.

Nos autem &c.

Deus, qui unigeniti Filii tui pretioſo ſanguine vivificae crucis vexillum ſanctificari voluiſti; concede quaeſumus, eos, qui ejuſdem ſanctae crucis gaudent honore, tua quoque ubique protectione gaudere. Per &c.

Ad Philippenſes. Fratres Chriſtus factus eſt pro nobis obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus illum exaltavit, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Jeſu omne genuflectatur, caeleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus noſter Jeſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris. Amen.

℟. Chriſtus factus eſt. ℣. Propter quod Deus. ℣. Dulce lignum.

Secundum Matthaeum. In illo aſcendens Jeſus Jeroſolymam, aſſumpſit duodecim diſcipulos ſuos ſecreto & ait illis: ecce aſcendimus Hieroſolimam, & conſummabuntur omnia, quae ſcripta ſunt per prophetas de Filio hominis; tradetur enim gentibus, & illudetur & flagellabitur & conſpuetur, & poſtquam flagellaverint, occident eum, & die tertia reſurget.

Off. Protege Domine plebem tuam per ſignum ſanctae crucis ab omnibus inſidiis inimicorum omnium, ut tibi gratam exhibeamus ſervitutem, & acceptabile .... ſacrificium noſtrum, alleluja.

Secr. H ..... atio Domine ab omnibus purget offenſis, quae in ara crucis immolata, etiam totius mundi tulit offenſa. Per &c.

Com. Per ſignum crucis de inimicis noſtris libera nos Deus noſter.

Poſtcom. Adeſto nobis Domine Deus noſter, & quos ſanctae crucis laetari facis honore, ejus quoque perpetuis defende ſubſidiis. Per &c.

Benedictio annuli ad ſponſas.

Secr. Creator & conſervator humani generis, dator gratiae ſpiritualis largitorque aeternae ſalutis, Deus, tu promitte benedictionem tuam ſuper hunc anulum. Reſpice, Domine, teſtamentum tuum & animas pauperum tuorum ne derelinquas in fine. Exurge, Domine, & judica cauſam tuam, & ne obliviſcaris voces quaerentium te. Ut quid repuliſti nos Deus in finem, iratus eſt furor tuus ſuper oves gregis tui.

Exaudi nos, omnipotens & miſericors Deus, ut quod noſtro miniſtratur officio, tua benedictione potius impleatur. Per &c.

Ad Corinthios. Fratres neſcitis quoniam corpora veſtra membra Chriſti ſunt, tollens ergo membra Chriſti, facies membra meretricis, abſit. An neſcitis quoniam qui adhaeret membra meretricis, unum corpus efficitur? E ...... in carne una. Qui autem adhaeret ...... fugite fornicationem. Omne enim peccatum, ... cerit homo, extra corpus eſt. Qui autem fornicatur in corpus ſuum peccat. An neſcitis quoniam corpora veſtra templum ſunt Spiritus Sancti, qui in vobis eſt, quem habetis a Deo, & non eſtis veſtri? Empti enim eſtis precio magno, glorificate & portate Deum in corpore veſtro.

Marcum. In illo, acceſſerunt ad Jeſum phariſei tentantes eum & dicentes: ſi licet homini dimittere uxorem ſuam quacumque ex cauſa? Qui reſpondens ait eis: Non legiſtis, quia qui fecit ab initio maſculum & feminam, fecit eos & dixit: propter hoc dimittet homo patrem, & adhaerebit uxori ſuae, & erunt duo in carne una? Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro; quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet. Dicunt illi: quod ergo Moyſes mandavit dare libellum re......... ait illis; quoniam Moyſes ad ......ri promiſit vobis dimittere uxor .... ab initio autem non fuit ſic. Dico autem ..... qui-

Digitized by Google

. . . . quicumque dimiſerit uxorem ſuam niſi ob fornicationem & aliam duxerit, mechatur; & qui dimiſſam ſugerit, mechatur. Dicunt ei diſcipuli ejus: ſi ita eſt cauſa homini cum uxore non expedit nubere. Qui dixit: non omues capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt.

Secr. Suſcipe quæſumus Domine pro ſacra connubii lege munus oblatum, ut cujus largitor es operis, eſto propitius atque piiſſimus diſpoſitor. Per &c.

Præf. Æterne Deus, qui fœdera nuptiarum blando concordiæ jugo & inſolubili pacis vinculo nexuiſti, ut multiplicandis adoptionis filiis ſanctorum connubiorum fœcunditas pudica ſervetur. Tua enim Domine, providentia, tua gratia ineffabilibus modis utrumque diſpenſat, ut quod generatio ad mundi edit ornata . . . . . cleſiæ producat augmentum. Et ideo &c. . . . . . . *pax Domini. Sponſus & ſponſa proſternent ſe ante . . . . . . & dicat Sacerdos has or . . . .*

Propitiare, Domine ſupplicationibus noſtris & inſtitutis tuis, quibus propagationem humani generis ordinaſti, benignus aſſiſte, ut quod te auctore jungitur, te auxiliante ſervetur. Per &c.

Deus, qui poteſtate virtutis tuæ de nihilo cuncta feciſti, qui diſpoſitis univerſitatis exordiis homini ad imaginem Dei, facto, ideo inſeparabile mulieris adjutorium condidiſti, ut femineo corpori de viri dares carne principium, docens, quod ex uno placuiſſet inſtitui, nunquam liceret disjungi. Deus qui tam excellenti miſterio conjugalem copulam conſecraſti, ut Chriſti eccleſiæ ſacramentum præſignares in fœdere nuptiarum. Deus per quem mulier jungitur. . . . . . . ordinata ea benedictione . . . . nec per originalis peccati pœnam, nec . . . . . . eſt ablata ſententia: reſpice propitius ſuper hanc famulam tuam, quæ maritali eſt jungenda conſortio, tua ſe expetit protectione muniri. Sit in ea jugum dilectionis & pacis, fidelis & caſta nubat in Chriſto, imitatrixque ſanctarum permaneat feminarum. Sit amabilis ut Rachel viro, ſapiens ut Rebecca, longæva & fidelis ut Sara. Nihil in ea ex actibus ſuis ille auctor prævaricationis uſurpet, nexa fidei mandatis permaneat, uni thoro juncta, contactus illicitos fugiat, muniat infirmitatem ſuam robore diſciplinæ. Sit verecunda gravis pudore venerabilis, doctrinis cœleſtibus erudita. Sit fœcunda in ſoboie, ſit & innocens, & ad beatorum requiem, atque ad cœleſtia regna perveniat, & videat filios filiorum ſuorum uſque in tertiam & quartam progeniem & ad optatam perveniat ſenectutem. Per &c.

Pax Domini Agnus Dei, & oſculatur ſponſo & ſponſæ. Quæſumus omnipotens Deus inſtituta providentiæ tuæ pio amore comitare, ut quos legitima ſocietate connectis longæva pace cuſtodias. Per &c.

Benedictio ſponſi & ſponſæ.

Benedicti vos a Domino, qui fecit mundum ex nihilo.

Benedictio thalami.

Benedic, Domine, thalamum hunc, & omnes habitantes in eo, ut in tua voluntate permaneant, & in amore tuo vivant, & ſeneſcant, & multiplicentur in longitudinem dierum.

Benedicat vos Deus pater, qui trinus eſt in numero, & unus in nomine. Amen.

In vigil. Apoſtol.

Ego autem ſicut ſol &c.

Da nobis quæſumus, omnipotens Deus, ut beati apoſtoli tui N. quam prævenimus veneranda feſtivitas, & devocionem nobis augeat & ſalutem. Per.

Secr. Accepta ſit Domine noſtræ devotionis oblatio, & ad apoſtoli tui puriores faciat nos pervenire jocunditatem. Per &c.

. . . . . . ta nobis, æterne largitor, ejus ubique pia protegi oratione, cujus natalitia per haec ſancta quae ſumpſimus votivo praevenimus obſequio. Per &c.

In natali unius Apoſtoli.

Mihi autem nimis honorati ſunt amici tui Deus nimis confortatus eſt principatus eorum. Domine probaſti me.

Or. Omnipotens ſempiterne Deus, qui hujus diei venerandam ſanctamque lætitiam beati Apoſtoli tui N. feſtivitate tribuiſti, da eccleſiæ tuæ quæſumus, & amare quod credidit, & prædicare quod docuit. Per &c.

Ad Epheſios. Fratres jam non eſtis hoſpites & advenae, ſed eſtis cives ſanctorum & domeſtici Dei, ſuperaedificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu; in quo omnis aedificatio conſtructa, creſcit in templum ſanctum in Domino, in quo & vos coëdificamini in habitaculum Dei in Spiritu Sancto.

℟. Nimis honorati ſunt amici tui, Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum. ℣. Dinumerabo eos & ſuper arenam multiplicabuntur. Alleluja. ℣. In omnem terram exivit ſonus eorum & in fines orbis terræ verba eorum.

Secundum Johannem. In illo dixit Jeſus diſcipulis ſuis: hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos, majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Vos amici mei eſtis ſi feceritis quæ ego præcipio vobis. Jam non dicam vos ſervos, quia neſcit ſervus, quid faciat Dominus ejus. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi a patre meo nota feci vobis. Non vos me elegiſtis? ſed elegi vos & poſui vos ut eatis & fructum afferatis, & fructus veſter maneat, ut quodcumque petieritis Patrem in nomine det vobis.

Of. Conſtitues principes ſuper omnem terram, memores erunt nominis tui in omni progenie & generatione.

Beati Apoſtoli tui N. ſolemnia recenſentes, quæſumus Domine ut auxilio ejus tua beneficia capiamus, per quem tibi hoſtiam laudis offerimus. Per.

Præfat. Te Domine ſuppliciter exorare, ut gregem tuum paſtor æterne non deſeras, ſed per beatos apoſtolos tuos continua protectione cuſtodias, ut iiſdem rectoribus gubernetur, quos operis tui vicarios eidem contuliſti præeſſe paſtores. Et ideo cum Angelis & Archangelis cum thronis & dominationibus, cumque omni militia cæleſtis exercitus hymnum gloriæ tuæ canimus ſine fine dicentes.

Com. Vos qui ſecuti eſtis me ſedebitis ſuper ſedes judicantes duodecim tribus Iſrael, dicit Dominus.

P. c. Quæſumus omnipotens Deus, ut munus divinum quod ſumpſimus intercedente beato N. Apoſtolo tuo ſalutare nobis proſit effectum. Per &c.

De plurimis Apoſtolis.

Deus qui nos per beatos Apoſtolos N. ad agnitionem tui nominis venire tribuiſti, da nobis & eorum gloriam ſempiternam & proficiendo celebrare, & celebrando proficere. Per &c.

Secr. Muneribus noſtris, Domine, Apoſtolorum feſta venerantes, quæſumus ut quæ conſcientiæ noſtrae praepediunt obſtaculis illorum meritis grata . . . .

Præf. Æterne Deus. In tuorum Apoſtolorum glorificantes honore, qui & illis tribuiſti beatitudinem ſempiternam & infirmitati noſtrae talia praeſtitiſti ſuffragia, per quæ tua poſſimus accipere ſubſidia, & pervenire ad præmia repromiſſa.

Poſtcom. Perceptis, Domine, ſacramentis ſupplices te rogamus, ut intercedentibus beatis Apoſtolis tuis N. quae pro tuorum veneranda gerimus paſſione nobis proficiant ad medelam. Per &c.

In

Digitized by Google

In natali unius martyris.

Laetabitur juſtus in Domino & ſperabit in eo, & laudabuntur omnes recti corde. Pſ. Exaudi Deus orationem. &c.

Deus, qui nos beati martyris tui N. annua ſolemnitate laetificas, concede propitius, ut cujus natalitia colimus, etiam actus imitemur. Per.

Ad Thimoteum. Kariſſime. Dominus mihi aſtitit & confortavit me, ut praedicatio impleatur & audiant omnes gentes & liberatus ſum de ore leonis. Liberavit me Dominus ab omni opere malo & ſalvum faciet in regnum ſuum caeleſte, cui gloria in ſaecula ſaeculorum. Amen.

℟. Poſuiſti Domine in capite ejus coronam de lapide pretioſo. ℣. Deſiderium animae ejus tribuiſti ei & voluntate labiorum ejus non fraudaſti eum. Alleluja. ℣. Beatus vir qui ſuffert tentationem cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae.

Secundum Johannem. In illo. Dixit Jeſus diſcipulis ſuis. Si quis venit ad me & non odit patrem ſuum & matrem & uxorem & filios & fratres & ſorores adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus, ſed qui non bajulat crucem ſuam & venit poſt me, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Quis enim ex vobis volens turrim aedificare, non prius ſedens computat ſumptus, qui neceſſarii ſunt ſi habeat ad perficiendum. Ne poſtea quam poſuerit fundamentum & non potuerit perficere, omnes qui vident incipiant illudere ei dicentes, quia hic homo coepit aedificare, & non potuit conſummare. Aut quis Rex iturus committere bellum adverſus alium regem non ſedens prius cogitat ſi poſſit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti milibus venit ad ſe. Alioquin adhuc illo longe agente, legationem mittens rogat ea, quae pacis ſunt. Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quae poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.

Of. In virtute tua Domine laetabitur juſtus, & ſuper ſalutare tuum exultabit vehementer, deſiderium animae ejus tribuiſti.

Secr. Hoſtias tibi, Domine, beati martyris tui N. dicatas meritis benignus aſſume, & ad perpetuum nobis tribue pervenire ſubſidium. Per &c.

Praef. Æterne Deus, qui beato martyri tuo N. virtutem in confeſſione pugnandi, & gloriam in paſſione vincendi contuliſti. Qui unigeniti tui nomen coram regibus & poteſtatibus hujus ſeculi voce libera proteſtans, precioſum tibi ſanguinem glorioſa morte effudit. Per Chriſtum &c.

Com. Poſuiſti, Domine, in capite ejus coronam de lapide precioſo.

Poſtcom. Sumptis, Domine, ſacramentis, quibus intercedente beato martyre tuo N. ad redemptionis aeternae proficiamus augmentum. Per &c.

De plurimis Martyribus.

Judicant ſancti gentes & dominantur populis & regnabit Dominus Deus illorum in perpetuum. P. Exultate.

Or. Deus, qui nos concedis Sanctorum martyrum tuorum N. natalitia, colere, da nobis in aeterna beatitudine de eorum ſocietate gaudere. Per &c.

Sapien. Juſti autem in perpetuum vivent, & apud Dominum aſt merces eorum, & cogitacio eorum apud Altiſſimum. Ideo accipient regnum decoris, & diadema ſpeciei de manu Domini. Quoniam dextera ſua teget eos, & brachio ſancto ſuo defendet illos. Accipient armaturam teli illius, & armavit creaturam ad ultionem inimicorum. Induent pro thorace juſtitiam, pro galea judicium certum. Sument ſcutum inexpugnabile aequitatem, ibunt directae promiſſiones. Et ad certum locum deducet illos Dominus Deus noſter.

℟. Juſtorum animae in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum malitiae ℣. Viſi ſunt oculis inſipientium mori, illi autem ſunt in pace. Alleluja ℣. Sancti & juſti in Domino gaudete, vos elegit Deus in haereditatem ſibi.

Matth. In illo dixit Jeſus diſcipulis ſuis: cum perſequentur vos in civitate iſta, fugite in aliam. Amen dico vobis non conſummabitis civitates Iſrael, donec veniat filius hominis. Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum, neque ſervus ſuper dominum ſuum. Sufficit diſcipulo ut ſit ſicut magiſter ejus, & ſervus ſicut dominus ejus. Si pater familias Beelzebub vocaverit, quanto magis domeſticos ejus. Nichil ergo timueritis eos.

Of. Laetamini in Domino & exultate juſti & gloriamini omnes recti corde.

Secr. Munera tibi Domine noſtrae devotionis offerimus, quae & pro tuorum tibi grata ſint honore juſtorum, & nobis ſalutaria te miſerante reddantur. Per &c.

Praef. Æterne Deus. Qui Sanctorum martyrum tuorum N. pia certamina ad copioſam perdneis victoriam, atque perpetuum eis largiris triumphum, ut eccleſiae tuae ſemper ſint in exemplum.

Praeſta nobis quaeſumus ut per eorum interceſſionem, quorum feſta celebramus pietatis tuae munera capiamus. Per &c.

Com. Vos qui ſecuti eſtis me de mundo ut eatis & fructum afferatis, & fructus veſter maneat.

Poſtcom. Praeſta nobis quaeſumus, Domine, intercedentibus ſanctis tuis, ut quod ore contingimus pura mente capiamus. Per &c.

Unius confeſſoris.

Sacerdotes Dei benedicite Dominum ſancti, & humiles corde laudate Deum. Bened.

Adeſto, Domine, precibus noſtris quas in ſancti N. confeſſoris tui commemoratione deferimus, ut qui noſtrae juſticiae fiduciam non habemus, ejus, qui tibi placuit precibus & meritis adjuvemur. Per.

Sapientia. Dilectus a Deo & hominibus, cujus memoria in benedictione. Similem fecit illum in gloria Sanctorum, & magnificavit eum in timore inimicorum & in verbis ſuis monſtra placavit. Glorificavit illum in conſpectu regum, & junxit illi cor populi ſui, & oſtendit illi gloriam ſuam. In fide & lenitate ipſius ſanctum fecit illum, & elegit eum ex omni carne. Audivit enim vocem ipſius, & induxit illum in nube; & dedit illi cor ad praecepta & legem vitae & diſciplinae.

℟. Domine, praeveniſti eum in benedictionibus dulcedinis, poſuiſti in capite ejus coronam de lapide precioſo.

℣. Vitam peciit & tribuiſti ei longitudinem dierum in ſeculum ſeculi. Alleluja. Juſtorum.

Marcum. In illo dixit Jeſus diſcipulis ſuis: videte, vigilate, & orate; neſcitis enim quando tempus ſit; ſic homo, qui peregre profectus, relinquit domum ſuam & dedit ſervis ſuis poteſtatem cujuſque operis, & janitori praecepit ut vigilet. Vigilate ergo, neſcitis enim, quando Dominus domum veniat, ſero, an media nocte, an galli cantu, an mane; ne cum venerit repente, inveniat vos dormientes, quod autem dico vobis, omnibus dico, vigilate.

Of. Veritas mea, & miſericordia mea cum ipſo & in nomine meo exaltabitur cornu ejus.

Secr. Sancti confeſſoris tui, Domine, N. tribue nos ſupplicationibus foveri, ut cujus depoſitionem annuo celebramus obſequio, ejus apud te interceſſionibus commendemur. Per &c.

Com. Fidelis ſervus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, ut det illis in tempore tritici menſuram.

Poſtcom. Propitiare, Domine, ſupplicationibus noſtris, & intercedente pro nobis ſancto confeſſore tuo N. ab omni culpa liberos eſſe concede, ut purificante nos gratia tua, iiſdem rectoribus gubernemur. Per &c.

In natali Confeſſor.

Deus, qui nos ſanctorum confeſſorum N. confeſſionibus glorioſis circumdas & protegis, da nobis & eorum imitacione proficere, & interceſſione gaudere. Per.

Secr. Suſcipe Domine preces & munera, quae ut tuo ſint digna conſpectu, ſanctorum confeſſorum tuorum quaeſumus precibus adjuvemur. Per.

Poſtcom. Corporis ſacri & precioſi ſanguinis repleti libamine, quaeſumus Domine Deus noſter, ut quod pia devocione gerimus certa redemptione capiamus. Per.

In natal. unius Virginis.

Loquebar de teſtimoniis ejus in conſpectu Regum, & non confundebar, & meditabar in mandatis ejus, quae dilexi nimis. Beati immaculati.

Orat. Deus qui inter cetera potentiae tuae miracula etiam in ſexu fragili victoriam martyrii contuliſti, concede propicius, ut cujus natalitia colimus, per ejus ad te exempla gradiamur. Per.

Corinthios. Fratres, qui gloriatur in Domino glorietur, non enim qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat. Utinam ſuſtineretis modicum quid inſipientiae meae, ſed & ſupportate me. Aemulor enim vos Dei aemulatione. Deſpondi enim vos uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.

℞. Dilexiſti juſtitiam & odiſti iniquitatem. ℣. Propterea unxit te Deus Deus tuus oleo laetitiae prae conſortibus tuis, Alleluja. ℣. Veni electa mea & ponam in te thronum meum quia concupivit rex ſpeciem tuam.

Matth. In illo, dixit Jeſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: Simile eſt regnum coelorum theſauro abſcondito in agro, quem qui invenit homo abſcondit, & prae gaudio illius vadit & vendit univerſa quae habet, & emit agrum illum. Iterum ſimile eſt regnum caelorum homini negotiatori quaerenti bonas margaritas; inventa autem una precioſa margarita, abiit & vendidit omnia quae habuit & emit eam. Iterum ſimile eſt regnum coelorum ſagenae miſſae in mare, & ex omni genere piſcium congreganti. Quam cum impleta eſſet educentes & ſecus litus ſedentes elegerunt bonos in vaſa ſua, malos autem foras miſerunt. Sic erit in conſummatione ſaeculi. Exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio juſtorum, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus & ſtridor dentium. Intellexiſtis haec omnia? Dicunt ei: etiam. Ait illis: ideo omnis ſcriba doctus in regno caelorum ſimilis eſt homini patrifamilias, qui profert de theſauro ſuo nova & vetera.

Off. Offerentur regi virgines poſt ea proximae ejus offerentur tibi.

Secr. Hoſtia quaeſumus, Domine, quam in beatae virginis tuae ſolemnitate deferimus ſuſcipe, cujus noſcimus patrocinio liberari. Per.

Comm. Quinque prudentes virgines acceperunt oleum in vaſis ſuis cum lampadibus, media autem nocte clamor factus eſt, ecce ſponſus venit exite obviam ei.

Poſtcom. Tua nos, Domine, gratia ſemper exerceat, & ſanctae N. martyris tuae ſolemnitate laetificet. Per.

De pluribus Virginibus.

Exaudi nos Deus ſalutaris noſter, ſicut de beatarum virginum tuarum N. feſtivitate gaudemus, ita piae devotionis erudiamur affectu. Per.

Secr. Accepta tibi ſit, Domine, ſacratae plebis oblatio pro tuorum honore ſanctorum, quorum ſe meritis percepiſſe de tribulatione cognoſcat.

Praef. Aeterne Deus, majeſtatem tuam ſupplici actione exorare, ut beatarum virginum tuarum, quarum feſta celebramus obtentu, mereamur tuum idoneum auxilium. Per Chriſtum.

Secr. Satiaſti, Domine, familiam tuam muneribus ſacris ſanctarum virginum tuarum interventione ſemper nos refove .... in hac terra poſiti devote.

In honore Angelorum

Benedicite Dominum omnes angeli ejus potentes virtute, qui facitis verbum ejus ad audiendam vocem ſermonum ejus. Benedicam.

Perpetuum nobis Domine, tuae miſerationis praeſta ſubſidium, quibus & angelica praeſtitiſti ſuffragia non deeſſe. Per.

Apocal. Johannis Apoſtoli. In diebus illis dixit mihi Angelus: ſcribe, qui ad coenam nuptiarum agni vocati ſunt. Et dixit mihi haec verba Dei vera ſunt. Et cecidi ante pedes ejus, ut adorarem eum. Et dixit mihi: vide ne feceris, conſervus tuus ſum, & fratrum tuorum habentium teſtimonium Jeſu, Deum adora.

℞. Benedicite Dominum omnes Angeli ejus potentes virtute, qui facitis verbum ejus. ℣. Benedic anima mea Domino, & omnia interiora mea nomen ſanctum ejus. Alleluja. ℣. In conſpectu Angelorum pſallam tibi, Domine Deus meus.

Johannem. In illo, aſcendit Jeſus Jeroſolymam; eſt autem Jeroſolymis Probatica Piſcina, quae cognominabatur hebraice Bethſaida, quinque porticus habens. In his jacebat multitudo magna languentium, caecorum, claudorum, aridorum expectantium aquae motum. Angelus enim Domini ſecundum tempus deſcendebat in piſcinam, & movebatur aqua. Et qui prius deſcendiſſet in piſcinam per motionem aquae ſanus fiebat a quacumque detinebatur infirmitate.

Off. Stetit Angelus juxta aram templi habens thuribulum aureum in manu ſua, & data ſunt ei incenſa multa, & aſcendit fumus aromatum in conſpectu Dei. Alleluja.

Hoſtias tibi, Domine, laudis offerimus, ſuppliciter deprecantes, ut eaſdem angelico pro nobis interveniente ſuffragio & placatus accipias, & ad ſalutem pervenire concedas. Per.

Com. Benedicite omnes Angeli Domini Domino hymnum dicite, & ſuperexaltate eum in ſaecula.

Poſtcom. Repleti Domine benedictione caeleſti, ſuppliciter imploramus, ut quod fragili celebramus officio, ſanctorum Angelorum atque Archangelorum nobis prodeſſe ſentiamus auxilio. Per.

De Apoſtolis.

Mihi autem nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum. *Pſ.* Domine probaſti me.

Or. Beatorum omnium Apoſtolorum nos quaeſumus, Domine continua oratione cuſtodi, ut hiſdem ſuffragatoribus dirigatur eccleſia, quibus principibus gloriatur. Per.

Ad Ephef. Fratres jam non eſtis hoſpites & advenae, ſed eſtis cives ſanctorum & domeſtici Dei ſuperaedificati ſuper fundamentum apoſtolorum & prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu. In quo omnis aedificatio conſtructa, creſcit in templum ſanctum in Domino, in quibus & vos coedificamini in habitaculum Dei in Spiritu ſancto.

℞. In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terrae verba eorum. *Pſ.* Coeli enarrant gloriam Dei & opera manuum ejus adnunciat firmamentum. Alleluja. ℣. Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, ut eatis & fructum afferatis, & fructus veſter maneat.

Johannem. In illo dixit Jeſus diſcipulis ſuis: haec mando vobis, ut diligatis invicem. Si mundus vos odit, ſcitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum erat diligeret. Quia vero de mundo non eſtis ſed ego ele-

gi

gi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Mementote ſermonis mei, quem ego dixi vobis, non eſt ſervus major Domino ſuo. Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur. Si ſermonem meum ſervaverint, & veſtrum ſervabunt. Sed haec facient vobis propter nomen meum, quia neſciunt eum, qui me miſit. Si non veniſſem & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent. Nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo. Qui me odit, & patrem meum odit. Si opera non feciſſem in eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent. Nunc autem & viderunt & oderunt me & patrem meum. Sed ut impleatur ſermo, qui in lege eorum ſcriptus eſt, quia odio habuerunt me gratis.

Of. In omnem terram exivit ſonus eorum & in fines orbis terrae verba eorum.

Secr. Reſpice, Domine, munera, quae in ſanctorum Apoſtolorum tuorum commemoratione deferimus, ut quorum tibi grata ſunt honore, eorum nobis interceſſione ſint ſalubria. Per &c.

Com. Vos qui ſecuti.

Poſtcom. Protector in te ſperantium Deus familiam tuam propitius reſpice, & per beatos Apoſtolos tuos a cunctis eam adverſitatibus potentiae tuae brachio defende. Per &c.

In commemoratione S. Mariæ.

Salve ſancta parens enixa puerpera regem, qui coelum terramque regit in ſecula ſeculorum, quia concupivit rex.

Concede nos famulos tuos quaeſumus Domine Deus perpetua mentis & corporis ſanitate gaudere, & glorioſa beatae Mariae ſemper virginis interceſſione a praeſenti liberari triſtitia, & futura perfrui laetitia. Per &c.

Sapientiae. Ab initio & ante ſecula creata ſum, & uſque in futurum ſeculum non deſinam, & in habitatione ſancta coram ipſo miniſtravi. Et ſic in Sion firmata ſum & in civitate ſanctificata ſimiliter requievi, & in Jeruſalem poteſtas mea. Et radicavi in populo honorificato & in parte Dei mei haereditas illius, & in plenitudine ſanctorum detentio mea.

℟. Benedicta & venerabilis es virgo Maria, quae ſine tactu pudoris inventa es Mater Salvatoris. ℣. Virgo Dei genitrix quem totus non capit orbis, in tua ſe clauſit viſcera factus homo. Alleluja. ℣. Poſt partum virgo inviolata permanſiſti Dei Genitrix intercede pro nobis.

Lucam. In illo. Loquente Jeſu ad turbas, extollens vocem quaedam mulier de turba, dixit illi beatus venter, qui te portavit, & ubera quae ſuxiſti. At ille dixit: quinimmo beati qui audiunt verbum Dei & cuſtodiunt illud.

Of. Felix namque es ſacra virgo Maria & omni laude digniſſima, quia ex te ortus eſt ſol juſtitiae Chriſtus Deus noſter. Alleluja.

Æterne Deus. Et te in honore beatae Mariae ſemper virginis laudare benedicere praedicare. Quae & unigenitum tuum ſancti ſpiritus obumbratione concepit, virginitatis gloria permanente, lumen aeternum mundo effudit Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem &c.

Tua, Domine, quaeſumus propitiatione, & beatae Mariae ſemper virginis interceſſione ad perpetuam atque praeſentem haec oblatio nobis proficiat proſperitatem. Per &c.

Com. Beata viſcera Mariae virginis, quæ portaverunt aeterni Patris filium.

Poſtcom. Sumptis, Domine, ſalutis noſtrae ſubſidiis da quaeſumus ejus patrociniis nos ubique protegi, in cujus veneratione haec tuae obtulimus majeſtati. Per &c.

Pro ſanctis qui in præſenti requieſcunt eccleſia.

Propitiare queſumus, Domine, nobis famulis tuis pro hujus ſancti N. qui in praeſenti requieſcit eccleſia merita glorioſa, ut ejus pia interceſſione ab omnibus ſemper muniamur adverſis. Per &c.

Secr. Suſcipiat clementia tua quaeſumus, Domine de manibus noſtris munus oblatum, & pro hujus ſancti N. orationes ab omnibus nos mundet peccatis. Per &c.

Poſtcom. Divina libantes miſteria, quae pro hujus ſancti N. veneratione tuae obtulimus pietati; praeſta quaeſumus, Domine, ut pro ea veniam mereamur peccatorum, & gratiae coeleſtis donis reficiamur. Per.

In honore Sanctorum.

Concede queſumus, omnipotens Deus, ut interceſſio nos ſanctae Dei genitricis Mariae, & beatorum Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, atque omnium electorum tuorum nos ubique laetificet, ut dum eorum merita recolimus patrocinia ſentiamus. Per eumdem &c.

Secr. Oblatis, Domine, placare muneribus, & intercedentibus omnibus ſanctis tuis nos a cunctis defende periculis. Per &c.

Poſtcom. Sumpſimus, Domine, ſanctae Mariae & omnium ſanctorum tuorum commemorationem facientes, ſacramenta caeleſtia, praeſta quaeſumus, ut quod temporaliter gerimus eorum precibus adjuti aeternis gaudiis conſequamur. Per &c.

In dedicatione eccleſiæ.

Terribilis eſt locus ille, hic domus Dei eſt & porta coeli & vocabitur aula Dei. P. Dominus regn. decorem.

Deus, qui nobis per ſingulos annos hujus ſancti templi conſecrationis reparas diem, & ſacris ſemper miſteriis repraeſentas incolumes, exaudi preces populi tui, & praeſta ut quiſquis hoc templum beneficia petiturus ingreditur cuncta ſe impetraſſe laetetur. Per &c.

Apocal. Johannis. In diebus illis. Vidi civitatem ſanctam Jeruſalem novam deſcendentem de coelo a Deo paratam ſicut ſponſam, ornatam viro ſuo. Et audivi vocem magnam de throno dicentem: ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum illis, & ipſi populus ejus erunt, & ipſe Deus cum eis erit eorum Deus. Et abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit, neque luctus neque clamor, neque dolor erit ultra quae prima habuerunt, & dixit qui ſedebat in throno; ecce nova facio omnia.

℟. Locus iſte a Deo factus eſt inaeſtimabile ſacramentum inreprehenſibilis eſt ℣. Deus cui aſtat Angelorum chorus, exaudi preces ſervorum tuorum alleluja. ℣. Adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

Lucam. In illo dixit Jeſus diſcipulis ſuis: non eſt arbor bona quae facit fructus malos, neque arbor mala faciens fructum bonum. Unaquaeque arbor de fructu ſuo cognoſcitur. Neque enim de ſpinis colliguntur ficus. Neque de rubo vindemiant uvam. Bonus homo de bono theſauro cordis ſui profert bonum. Et malus homo de malo theſauro profert malum. Ex abundantia enim cordis os loquitur. Quid autem vocatis me Domine Domine, & non facitis quae dico? Omnis qui venit ad me, & audit ſermones meos & facit eos, oſtendam vobis cui ſimilis ſit. Simile eſt homini aedificanti domum, qui fodit in altum & poſuit fundamentum ſupra petram. Inundatione autem facta illiſum eſt flumen Domini illi & non potuit eam movere, fundata enim erat ſupra firmam petram.

Of. Domine Deus in ſimplicitate cordis mei laetus obtuli univerſa, & populum tuum qui repertus eſt, vidi cum ingenti gaudio, Deus Iſrael cuſtodi hanc voluntatem.

Secr. Annue quaeſumus, Domine, precibus noſtris,

ſtris,

ſtis, ut quicumque templi hujus dedicationis diem celebramus, plena atque perfecta corporis & animae devotione placeamus, ut dum haec præſentia vota reddimus, ad aeterna præmia te adjuvante pervenire mereamur, Per &c.

Præf. Æterne Deus, qui cum ubique ſis totus, & univerſa majeſtate tua contineas, ſacrari tamen tibi loca tuis myſteriis apta voluiſti, ut ipſæ orationum domus ſupplicum mentes ad invocationem tui nominis incitarent; effunde quaeſumus ſuper locum iſtum gratiam tuam, & omnibus in te ſperantibus, auxilii tui munus oſtende, ut hic ſacramentorum virtus & votorum obtineat effectus. Per Criſtum &c.

Com. Domus mea, domus orationis vocabitur dicit dominus, in ea omnis, qui petit accipit, qui quaerit invenit, & pulſanti aperietur.

Poſtcom. Benedictionis tuae quaeſumus Domine hinc plebs tibi ſacrata fructus reportet & gaudium, ut quod in hujus feſtivitatis die corporali officio exhibuit, ſpirituali ſe retuliſſe cognoſcat. Per &c.

Ad Rogationes.

Exaudivit de templo ſancto ſuo vocem meam. Alleluja, & clamor meus in conſpectu ejus introivit in aures ejus. Alleluja. Alleluja. Diligam te.

Or. Praeſta quaeſumus, omnipotens Deus, ut qui in afflictione noſtra de tua pietate confidimus contra omnia adverſa tua protectione muniamur. Per.

Jacobi Apoſtoli. Kariſſimi. Confitemini alterutrum peccata veſtra, & orate pro invicem, ut ſalvemini. Multum enim valet deprecatio juſti aſſidua. Helias homo erat ſimilis nobis paſſibilis, & orationem oravit ut non plueret ſuper terram, & non pluit annos tres & menſes; & rurſum oravit, & cœlum dedit pluviam, & terra dedit fructum ſuum. Si quis autem erraverit ex vobis a veritate & converterit quis eum, ſcire debet, quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viae ſuae, ſalvabit animam ejus a morte, & operit multitudinem peccatorum. Alleluja. ℣. Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia ejus.

Lucam. In illo. Dixit Dominus Jheſus diſcipulis ſuis: quis veſtrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte & dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me & non habeo quid ponam ante illum. Et ille deintus reſpondens, dicat: Noli mihi moleſtus eſſe, jam oſtium clauſum eſt, & pueri mei mecum ſunt in cubili, non poſſum ſurgere & dare tibi. Et ille ſi perſeverabit pulſans, dico vobis, & ſi non dabit illi ſurgens eo quod amicus ejus ſit, propter improbitatem tamen ejus ſurget & dabit illi quotquot habet neceſſarios. Et ego vobis dico: petite & accipietis, quaerite & invenietis, pulſate & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit, qui quaerit, invenit, & pulſanti aperietur. Quis autem ex vobis patrem petit panem; numquid lapidem dabit illi? aut piſcem? numquid pro piſce ſerpentem dabit illi? aut ſi petierit ovum, numquid porriget illi ſcorpionem? Si ergo vos cum ſitis mali noſtis bona data dare filiis veſtris, quanto magis pater veſter de celo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe.

Of. Confitebor Domino nimis in ore meo, & in medio eorum multorum laudabo eum qui aſtitit ad dexteram pauperis, ut ſalvam faceret a perſequentibus animam meam. Alleluja.

Secr. Haec munera quaeſumus, Domine, & vincula noſtrae pravitatis abſolvant, & tuae nobis miſericordiae dona concilient. Per &c.

Præf. Æterne Deus. Et te auctorem & ſanctificatorem jejunii collaudare, per quod nos liberas a noſtrorum debitis peccatorum; ergo ſuſcipe jejunantium preces, atque ut nos a malis omnibus propitiatus eripias, iniquitates noſtras, quibus merito affligimur, placatus abſolve. Per Chriſtum &c.

Com. Petite, & accipietis, quaerite, & invenietis, pulſate & aperietur vobis; omnis enim qui petit,

accipit, qui quaerit invenit, pulſanti aperietur. Alleluja.

Poſtcom. Vota noſtra quaeſumus, Dnmine, pio favore proſequere, ut dum dona tua in tribulationa percepimus, de conſolatione noſtra in tuo amore creſcamus. Per &c.

Alia miſſa.

Deus qui nos conſpicis in tot perturbationibus non poſſe ſubſiſtere, afflictorum gemitum propitius reſpice, & mala omnia, quae meremur, averte. Per &c.

Ad Thimoteum. Kariſſime, obſecro, primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes cum gratiarum actione pro omnibus hominibus, pro regibus, ac cunctis, qui in ſublimitate ſunt conſtituti, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate. Hoc enim bonum eſt & acceptum coram Salvatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Unus eſt enim Deus unus & mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jheſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus teſtimonium temporibus ſuis.

Lucam. In illo dixit Dominus Jeſus diſcipulis ſuis: petite & dabitur vobis, quaerite, & invenietis, pulſate & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit, qui quaerit, invenit, & pulſanti aperietur. Aut quis eſt ex vobis homo, quem ſi petierit filiis ſuis panem, lapidem porriget illi, aut piſcem ſi petierit numquid ſerpentem tribuet illi? Si ergo vos cum ſitis . . . . . noſtis bona data dare filiis veſtris, quanto magis pater veſter de cœlo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe. Omnia ergo quaecumque vultis ut faciant vobis homines & vos facite eis. Haec eſt enim lex & prophetae Intrate per anguſtam portam quia lata & ſpatioſa via eſt quae ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui intrant per eam. Quam anguſta via eſt & porta arcta, quae ducit ad vitam. Et pauci ſunt qui inveniunt eam.

Secr. His ſacrificiis, Domine concede placatus, ut qui propriis oramus abſolvi delictis, non gravemur externis. Per &c.

Poſtcom Sacramenti tui, Domine, veneranda perceptio, & miſtico nos mundet effectu, & perpetua virtute defendat. Per &c.

In vigil. Aſcenſionis.

Omnes gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis. all. all. alleluja. Pſ. ſubjecit pop.

Or. Praeſta quaeſumus omnipotens Deus Pater ut noſtrae mentis intentio quo glorioſus auctor noſter praeceſſit ſemper intendat, & quo fide pergit converſatione perveniat, Per eum. &c.

Actuum Apoſtolorum. In diebus illis. Multitudinis autem credentium erat cor unum & anima una. Nec quiſquam eorum quae poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia. Et virtute magna reddebant Apoſtoli teſtimonium reſurrectionis Jeſu Chriſti Domini noſtri. Et gratia magna in omnibus illis. Neque enim quiſquam egens erat inter illos; quotquot enim poſſeſſores domorum aut agrorum erant vendentes afferebant precia eorum, quae vendebant & ponebant ante pedes apoſtolorum. Dividebant autem ſingulis prout cuique opus erat.

. ℣. Alleluja. Omnes gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis.

Johann. In illo. Sublevatis Jeſus oculis in cœlum, dixit, Pater, venit hora, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te, ſicut ei dediſti poteſtatem omnis carnis, ut omne quod dediſti ei, dedit eis vitam aeternam. Haec eſt autem vita aeterna, ut cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum. Ego te clarificavi ſuper terram, opus conſummavi quod dediſti mihi ut faciam. Et nunc clarifica me tu pater apud temetipſum claritate

quam habui prinſquam mundus fieret apud te. Manifeſtavi nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi de mundo; tui erant, & mihi eos dediſti, & ſermonem tuum ſervaverunt, & nunc cognoverunt, quia omnia quae dediſti mihi abs te ſunt, quia verba, quae dediſti mihi, dedi eis, & ipſi acceperunt & cognoverunt vere quia a te exivi, & crediderunt, quia tu me miſiſti. Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, ſed pro his quos dediſti mihi, quia tui ſunt; & mea omnia tua ſunt, & tua mea ſunt & clarificatus ſum in eis. Et jam non ſum in mundo, & hi in mundo ſunt, & ego ad te venio.

Of. Viri Galilaei quid admiramini aſpicientes in cœlum, ſic veniet quemadmodum vidiſtis eum aſcendentem in cœlum alleluja.

Secret. Sacrificium Domine pro filii tui ſupplices venerabili aſcenſione deferimus; praeſta quaeſumus ut & nos per ipſum his commerciis ſacroſanctis ad caeleſtia conſurgamus. Per eum. &c.

Præf. Æterne Deus. Et in hac praecipue die, qua filius tuus Dominus noſter Jheſus Chriſtus divini conſummato fine myſterii depoſitionis antiquae munus explevit, ut ſcilicet diabolum caeleſtis operis inimicum per hominem quem ſubjugarat elideret, & humanam reduceret ad ſuperna dona ſubſtantiam. Et ideo.

Com. Pater, cum eſſem cum eis, ego ſervabam eos, quos dediſti mihi. Alleluja. Nunc autem ad te venio non rogo ut tollas eos de mundo, ſed ut ſerves eos a malo. All.

Poſtcom. Tribue quaeſumus Domine, ut per haec ſacra quae ſumpſimus, illuc tendat noſtrae devotionis affectus, quo tecum eſt noſtra ſubſtantia, Jheſus Chriſtus Dominus noſter. Qui &c.

Al. Reminiſcere miſerationum tuarum, Domine, & miſericordiae tuae quae a ſeculo ſunt, ne unquam dominentur nobis inimici noſtri libera nos Deus Iſrael ex omnibus anguſtiis noſtris. *Pſ.* Ad te Domine levavi.

Omnipotens ſempiterne Deus qui facis mirabilia magna ſolus, praetende ſuper famulos tuos, & ſuper cunctas congregationes illis commiſſas ſpiritum gratiae ſalutaris, & ut in veritate tibi complaceant perpetuum eis rorem tuae benedictionis infunde. Per. &c.

Ad Rom. Fratres, obſecro vos per Dominum noſtrum Jheſum Chriſtum, & per caritatem ſpiritus ſancti, ut adjuvetis me orationibus ad Dominum, ut liberer ab Infidelibus, qui ſunt in Judaea, & obſequii mei oblatio accepta fiat in Jeroſolyma ſanctorum, ut veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei, ut refrigerer vobiſcum. Deus autem pacis ſit cum omnibus nobis.

℟. Salvum fac populum tuum Domine, & benedic haereditati tuae. ℣. Ad te Domine, clamavi, Deus meus ne ſileas a me, & ero ſimilis deſcendentibus in lacum. Alleluja. ℣. Veni Domine, & noli tardare, relaxa facinora plebis tuae.

Sec. Lucam. In illo dixit Jheſus diſcipulis ſuis: ſi manſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint. Quodcumque volueritis petitis & fiet vobis. In hoc clarificatus eſt Pater meus, ut fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei diſcipuli. Sicut dilexit me pater & ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. Si praecepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea; ſicut & ego praecepta Patris mei ſervavi, & maneo in ejus dilectione. Haec locutus ſum vobis, ut gaudium meum in vobis ſit, & gaudium veſtrum impleatur.

Off. Sicut in holocauſtum arietum & taurorum & ſicut in milibus agnorum pinguium ſic fiat ſacrificium noſtrum in conſpectu tuo hodie ut placeat tibi, quia non eſt confuſio confidentibus in te Domine.

Secr. Hoſtias, Domine, famulorum tuorum N. placatus intende, & quas in honorem nominis tui devota mente pro illis celebramus, proficere ſibi ſentiant ad medelam. Per &c.

Com. Inclina aurem tuam, accelera ut eruas nos.

Poſtcom. Quos celeſti recreas munere perpetuo, Domine, comitare praeſidio, & quos fovere non deſinis, dignos fieri ſempiterna redemptione concede. Per &c.

Ad poſtulandam Pluviam.

Salus populi ego ſum, dicit Dominus, de quacumque tribulatione clamaverint ad me exaudiam eos, & ego illorum Dominus in perpetuum. *Pſ.* Attendite popule meus.

Deus in quo vivimus, movemur, & ſumus pluviam nobis tribue congruentem, ut praeſentibus ſubſidiis ſufficienter adjuti, ſempiterna fiducialius appetamus. Per. &c.

Hieremiæ prophetæ. Haec dicit Dominus. Numquid projiciens abjeciſti Judam, aut Sion abominata eſt anima tua. Quare ergo percuſſiſti nos, ita ut nulla ſit ſanitas. Expectavimus pacem, & non eſt bonum, & tempus curationis & ecce turbatio. Cognovimus, Domine, impietates noſtras, & iniquitates patrum noſtrorum quia peccavimus tibi. Ne nos des in opprobrium propter nomen tuum, neque facias nobis contumeliam. Solii gloriae tuae recordare, ne irritum facias ſeculum tuum nobiſcum. Numquid ſunt in ſculptilibus gentium qui pluant, aut celi poſſunt dare imbrem. Nonne tu es Domine Deus noſter quem expectamus; tu enim feciſti omnia haec Domine Deus noſter.

℟. Propitius eſto, Domine, peccatis noſtris, ne quando dicant gentes, ubi eſt Deus eorum. ℣. Adjuva nos Deus ſalutaris noſter, & propter honorem nominis, tui Domine, libera nos. Alleluja. ℣. Oſtende nobis, Domine miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da nobis.

Sec. Marcum. In illo. Cum multa turba eſſet cum Jeſu nec haberent, quod manducarent. Convocatis diſcipulis, ait illis: miſereor ſuper turbam, quia ecce jam triduo ſuſtinent me, nec habent, quod manducent; & ſi dimiſero eos jejunos in domum ſuam, deficient in via. Quidam enim ex eis de longe venerunt. Et reſponderunt ei diſcipuli ſui unde iſtos poterit quis hic ſaturare panibus in ſolitudine? Et interrogavit eos: quot panes habetis? Qui dixerunt: ſeptem. Et praecepit turbae diſcumbere ſuper terram. Et accipiens ſeptem panes, gratias agens fregit & dabat diſcipulis ſuis ut apponerent; & appoſuerunt turbae, & habebant piſciculos paucos, & ipſos benedixit, & juſſit apponi. Et manducaverunt omnes & ſaturati ſunt. Et ſuſtulerunt quod ſuperaverat de fragmentis ſeptem ſportas. Erant autem qui manducaverunt quaſi quatuor milia, & dimiſit eos.

Of. Sperent in te omnes, qui noverunt nomen tuum, Domine, quoniam non derelinquis quaerentes te, pſallite Domino, qui habitat in Sion, quia non eſt oblitus orationem pauperis.

Secr. Oblatis Domine placare muneribus & opportunum nobis tribue pluviae ſufficientis auxilium. Per &c.

Com. Laetabimur in ſalutari tuo, in nomine Domini Dei noſtri magnificabimur.

Tuere nos Domine quaeſumus tua ſancta ſumentes, & ab omnibus propitius abſolve peccatis. Per &c.

Ad petendam ſerenitatem.

Sicut oculi ſervorum in manibus dominorum ſuorum, ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri. Miſerere noſtri, Domine, miſerere noſtri.

Or. Ad te nos, Domine, clamantes, exaudi, & aëris ſerenitatem nobis tribue ſupplicantibus, ut qui juſte pro peccatis noſtris affligimur, miſericordia tua praeveniente clementiam ſentiamus. Per &c.

Lect. Jonæ Prophetæ. In diebus illis. oravit Jonas ad Dominum, dicens de tribulatione mea clamavi, & exaudivit me Dominus. De ventre inferi, & exaudiſti vocem meam, & projeciſti me in profun-

dum

dium cordis maris, & flumen circumdedit me. Omnes gurgites tui ſuper me tranſierunt. Et ego dixi: abjectus ſum a facie oculorum tuorum. Verumtamen rurſus videbo templum ſanctum tuum. Circumdederunt me aquae uſque ad animam meam. Abyſſus vallavit me. Pelagus cooperuit caput meum. Ad extrema montium deſcendi. Terrae vectes concluſerunt me in aeternum. Et ſublevabit de corruptione animam meam Dominus Deus meus.

℞. Ad Dominum, cum tribularer clamavi, & exaudivit me. ℣. Domine, libera animam meam a labiis iniquis, & a lingua doloſa, Alleluja. ℣. Venite, exultemus Domino, jubilemus Deo ſalutari noſtro.

Sec. Joannem. In illo, aſcendente Jeſu naviculam, ſecuti ſunt eum diſcipuli ejus. Et ecce motus magnus factus eſt in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus; erat enim illis ventus contrarius. Ipſe vero dormiebat. Et acceſſerunt & ſuſcitaverunt eum dicentes: Domine ſalva nos perimus. Et dicit eis: quid timidi eſtis modicae fidei? Tunc ſurgens imperavit ventis, & mari & facta eſt tranquillitas magna. Porro homines mirati ſunt univerſi, dicentes; qualis eſt hic, quia venti & mare obediunt ei?

Off. Improperium expectavit cor meum & miſeriam & ſuſtinui qui ſimul contriſtaretur, & non fuit, qui conſolaretur me; quaeſivi & non inveni, & dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto.

Secr. Praeveniat nos, Domine, gratia tua ſemper & ſubſequatur, & has oblationes quas pro peccatis noſtris nomini tuo conſecrandas offerimus, benignus aſſume, & ſemper nobis proficiant ad ſalutem. Per &c.

Com. Circuibo & immolabo in tabernaculo ejus hoſtiam jubilationis, cantabo & pſalmum dicam Domino.

Poſtcom. Omnipotens ſempiterne Deus, qui nos & caſtigando ſanas, & ignoſcendo conſervas; praeſta ſupplicibus tuis, ut & tranquillitate hujus optatae conſolationis laetemur, & dono tuae pietatis ſemper utamur. Per &c.

In tempore mortalitatis.

Si iniquitates obſervaveris Domine, Domine quis ſuſtinebit, quia apud te propitiatio eſt, Deus meus. *Pſ.* De profundis.

Or. Deus, qui non mortem ſed pœnitentiam deſideras peccatorum, populum tuum quaeſumus ad te converte propitius, ut dum tibi devotus extiterit, iracundiae tuae ab eo flagella amoveas. Per &c.

Iſaiae Proph. Si iniquitates noſtrae contenderint contra nos, Domine, libera nos. Fac quaeſumus propter nomen tuum, quam multae ſint adverſiones noſtrae. Tibi peccavimus expectatio Iſrael Salvator noſter in tempore tribulationis. Tu autem in nobis es, Domine, & nomen tuum invocatum eſt ſuper nos, ne derelinquas nos, Domine Deus noſter.

℞. Convertere, Domine, aliquantulum, & deprecarer ſuper ſervos tuos. ℣. Domine, refugium factus es nobis a generatione & progenie. Alleluja. ℣. Deus judex juſtus, fortis, & patiens nunquid iraſcetur per ſingulos dies.

Lucam. In illo dixit Jeſus diſcipulis ſuis: Petite & dabitur vobis, quaerite & invenietis, pulſate & aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, qui quaerit invenit & pulſanti aperietur.

Off. Domine, convertere & eripe animam meam, ſalvum me fac propter miſericordiam tuam.

Secr. Subveniat nobis, Domine, quaeſumus ſacrificii praeſentis oblatio, quae nos & ab erroribus univerſis potenter abſolvat, & a totius eripiat perditionis incurſu.

Com. Videns Dominus flentes ſorores Lazari ad monumentum, lacrimatus eſt coram Judaeis, & clamabat, Lazare Lazare veni foras & prodiit ligatis manibus & pedibus, qui fuerat quatriduanus mortuus.

Poſtcom. Tuere nos quaeſumus Domine tua ſancta ſumentes, & ab omni propitius iniquitate defende. Per &c.

Pro iter agentibus.

Eſto mihi in Deum protectorem & in locum refugii, ut ſalvum me facias, quoniam firmamentum meum, & refugium meum es tu, & propter nomen tuum dux mihi eris, & enutries me. *Pſ.* In te Domine ſperavi, &c.

Orat. Deus, qui deſiderantibus te miſericordiam tuam ſemper impendis, & a ſervientibus tibi in nulla es regione longinquus: dirige viam famuli tui in voluntate tua, ut te protectore ſeu producente per juſtitiae ſemitas ſine offenſione gradiatur.

Lectio libri Geneſis. In diebus illis. Locutus eſt Abraham dicens: Dominus Deus cœli qui tulit me de domo patris mei, & de terra nativitatis meae, qui loquutus eſt & juravit, dicens ſemini tuo, dabo terram hanc. Ipſe mittet Angelum ſuum coram te. ℞. Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis. ℣. In manibus portabunt te, ne unquam offendas ad lapidem pedem tuum. Alleluja. ℣. Laetatus ſum in his quae dicta ſunt mihi in domum Domini ibimus.

Lucam. In illo. Dixit Jeſus diſcipulis ſuis: ecce ego mitto vos, ſicut agnos inter lupos. Nolite portare ſacculum neque peram neque calceamenta, & neminem per viam ſalutaveritis. In quamcumque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui, & ſi fuerit ibi filius pacis, requieſcet ſuper illum pax veſtra. Sin autem ad vos revertetur.

Off. Perfice greſſus meos in ſemitis tuis, ut non moveantur veſtigia mea. Inclina aurem tuam & exaudi verba mea. Mirifica miſericordias tuas, qui ſalvos facis ſperantes in te Domine.

Secr. Suſcipe queſumus Domine preces noſtras cum oblationibus hoſtiarum, & famulum tuum pro quo offertur ſacrificium ab omnibus defende periculis. Per &c.

Com. Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis, utinam dirigantur viae meae ad cuſtodiendas juſtificationes tuas.

Poſtcom. Exaudi, Domine, preces noſtras, & iter famuli tui propitius comitare, eique miſericordiam tuam ubique largire, quatenus adverſitatibus tua opitulatione defenſus gratiarum tibi referat actiones. Per &c.

Pro Pace.

Da pacem, Domine, ſuſtinentibus, prophetae tui fideles inveniantur. Exaudi preces ſervi tui & plebis tuae Iſrael. *Pſ.* Laetatus ſum in his, &c.

Or. Deus a quo ſancta deſideria, recta conſilia & juſta ſunt opera; da ſervis tuis illam, quam mundus dare non poteſt pacem, ut & corda noſtra mandatis tuis dedita & hoſtium ſublata formidine, tempora ſint tua protectione tranquilla. Per &c.

Ep. Si iniquitates, &c.

℞. Laetatus ſum in his, quae dicta ſunt mihi in domum Domini ibimus. Fiat pax in virtute tua & abundantia in turribus tuis. Alleluja. ℣. Qui poſuit fines tuos pacem & adipe frumenti ſatiat te.

Evang. Ecce ego, &c.

Off. Sicut in holocauſtum, &c.

Secr. Deus, qui credentes in te populos nullis ſinis concuti terroribus, dignare preces & hoſtias dicatae tibi plebis ſuſcipere, ut pax tua pietate conceſſa chriſtianorum fines ab omni hoſte faciat eſſe ſecuros. Per &c.

Com. Amen dico vobis, quidquid orantes petitis, credite quia accipietis & fiet vobis.

Poſtcom. Deus auctor pacis, & amator charitatis, quem

quem noſſe vivere, cui ſervire regnare eſt; protege ab omnibus impugnationibus ſupplices tuos, ut qui in defenſione tua confidimus, nullius hoſtilitatis arma timeamus. Per &c.

In concordia ſororum.

Da pacem, *ut ſupra.*
Deus largitor pacis & amator charitatis, da ſervis tuis veram cum tua voluntate concordiam, ut ab omnibus quae nos pulſant tentationibus liberemur. Per.
Epiſt. Obſecro vos &c.
Evang. Si manſeritis in me &c.
Secr. His ſacrificiis, quæſumus Domine concede placatus, ut qui propriis oramus abſolvi delictis, non gravemur externis. Per &c.
Poſtcom. Spiritum nobis, Domine, tuae charitatis infunde ut quos uno pane caeleſti ſatiaſti, una facias pietate concordes. Per &c.

Pro inimicis.

Deus pacis dilector & cuſtos, da omnibus inimicis noſtris veram charitatem & pacem, cunctorumque eis remiſſionem tribue peccatorum, noſque ab eorum inſidiis potenter eripe. Per &c.
Secr. Oblatis Domine quaeſumus placare muneribus, & nos ab inimicis noſtris clementer eripe, eiſque indulgentiam tribue omnium peccatorum. Per &c.
Poſtcom. Haec nos communio, Domine, exuat a delictis, & ab inimicorum defendat inſidiis. Per &c.

Pro tribulatione.

Ineffabilem miſericordiam tuam nobis, Domine, clementer oſtende, ut ſimul nos, & a peccatis exuas & a poenis, quas pro his meremur, eripias. Per &c.
Secr. Purificet nos, Domine, queſumus praeſentis oblatio, & dignos nos ſacra participatione perficiat. Per &c.
Poſtcom. Praeſta quaeſumus, Domine, ut terrenis affectibus expiati ad ſuperni plenitudinem, cujus libavimus ſancta, tendamus. Per &c.

Miſſa pro peccatis.

Domine, refugium factus nobis a generatione & progenie a ſeculo in ſeculum tu es. *Pſal.* Priuſquam &c.
Or. Exaudi quaeſumus, Domine, ſupplicum preces & confitentium tibi parce peccatis, ut pariter nobis tribuas indulgentiam benignus & pacem. Per &c.
Ad Romanos. Fratres. Condilector legi Dei ſecundum interiorem hominem. Videat autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, & captivum me ducentem in lege peccati quae eſt in membris meis. Infelix ergo homo. Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.
℞. Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo Domine. ℣. Elevatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum. Alleluja. ℣. Verba mea auribus percipe, Domine, intellige clamorem meum.
Matth. In illo reſpiciens Jeſus in diſcipulos ſuos, dixit Simoni Petro: ſi peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum; ſi autem non te audierit, adhibe tecum unum vel duos, ut in ore duorum vel trium ſtet omne verbum. Quod ſi non audierit eos, dic eccleſiae. Si autem eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in coelo. Iterum dico vobis, quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram de omni re quacumque petierint fiet illis a Patre meo qui eſt in coelis. Ubi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Tunc accedens Petrus ad eum, dixit: Domine, quotiens peccaverit in me frater meus, dimittam ei uſque ſepties. Dicit illi Jeſus: non dico tibi uſque ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties.
Of. Confitebor tibi, Domine in toto corde meo, retribue ſervo tuo, vivam & cuſtodiam ſermones tuos, vivifica me ſecundum verbum tuum Domine.
Secr. Hoſtias tibi, Domine, placationis offerimus, ut & delicta noſtra miſeratus abſolvas, & nutantia corda tu dirigas. Per &c.
Com. Domine memorabor juſtitiae tuae ſolius, Deus, docuiſti me a juventute mea uſque in ſenectam & ſenui, Deus ne derelinquas me.
Poſtcom. Praeſta nobis aeterne largitor, ut percipientes hoc munere veniam peccatorum, deinceps peccata vitemus. Per &c.

Miſſa pro confitenti peccata.

Omnipotens ſempiterne Deus confitenti tibi huic famulo tuo per tuam pietatem peccata relaxa, ut non plus ei noceat conſcientiae reatus ad pœnam, quam indulgentia valeat tuae pietatis ad veniam. Per &c.
Secr. Praeſta quaeſumus omnipotens Deus & miſericors, ut haec ſalutaris oblatio famulum tuum N. & propriis reatibus indeſinenter expediat, & ab omnibus tueatur adverſis. Per &c.
Poſtcom. Omnipotens Deus qui omnem hominem pœnitentem & confitentem magis vis emendare quam perdere, reſpice propitius ſuper famulum tuum, & per haec ſancta ſacramenta quae ſumpſimus averte ab eo iram indignationis tuae, & dimitte ei peccata ſua. Per &c.

Miſſa pro ſeipſo Sacerdote.

Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me feſtina, confundantur & revereantur inimici mei, qui quaerunt animam meam. *Pſ.* Avertantur.
Or. Omnipotens ſempiterne Deus gloriam pietatis tuae ſupplici devotione depoſco, ut omnium malorum meorum vincula ſolvas, cunctiſque meis criminibus & peccatis clementer ignoſcas, & quia me indignum & peccatorem ad miniſterium tuum vocare dignatus es, ſic me idoneum tibi miniſtrum efficias, ut ſacrificium de manibus meis placide ac benigne ſuſcipias, electorumque ſacerdotum me participem facias, & de praeceptis tuis in nullo me oberrare permittas. Per &c.
Ad Timotheum. Cariſſime, fidelis ſermo & omni acceptione dignus, quia Chriſtus venit in mundum peccatores ſalvos facere, quorum primus ego ſum. Sed ideo miſericordiam conſecutus ſum, ut oſtenderet in me Chriſtus Jeſus omnem patientiam ad informationem eorum, qui credituri ſunt in vitam aeternam. Regi autem ſeculorum immortali inviſibili ſoli Deo honor & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.
℞. Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce ſervo tuo. ℣. Si mei non fuerint dominati tunc immaculatus ero & emundabor a delicto maximo. Alleluja. ℣. In te, Domine, ſperavi non confundar in aeternum, in tua juſtitia libera me & eripe me. Inclina ad me aurem tuam, accelera ut eruas me.
Sec. Lucam. In illo tempore dixit Jeſus diſcipulis: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite a me quia mitis ſum & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris. Jugum enim meum ſuave eſt & onus meum leve.
Of. Miſerere mihi, Domine, ſecundum magnitudinem brachii tui, dele, Domine, iniquitatem meam.
Secr. Sanctifica, Domine, haec tibi ſacrificia libata, & ſumentium corda pietate ſolida me a malis omnibus placatus emunda, ut merear tibi Domino inceſſanter ſine offenſione ſervire, & aeternae vitae haereditatem ſine fine ſervare. Per &c.

Com.

Com. Domine Deus meus in te ſperavi, libera me ab omnibus perſequentibus me & eripe me.

Poſtcom. Miſericordiam tuam ſuppliciter deprecor omnipotens Deus, ut me famulum tuum, quem divini ſacramenti perceptione carne ſcilicet & ſanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti filii tui ſatiaſti, ab omnibus vitiorum meorum incurſibus liberare, & a carnis immunditia ſeu laſcivia animam meam purgare digneris. Per &c.

Pro tentatione carnis.

Ure igne ſancte ſpiritus renes noſtros & cor noſtrum, Domine, & ut corpore tibi placeamus & mente. Per &c.

Secr. Dirumpe, Domine, vincula peccatorum noſtrorum & ut ſacrificare tibi hoſtiam laudis abſoluta libertate poſſimus, rertribue quae ante tribuiſti, & ſalva per indulgentiam, quos dignatus es ſalvare per gratiam.

Poſtcom. Domine adjutor & protector noſter quaeſumus, ut reflcreat caro noſtra vigore pudicitiae & ſanctimoniae novitate, ereptamque de manu tartari in reſurrectionis gaudium jubeas praeſentari. Per &c.

Contra cogitationes.

Deus cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur, & quem nullum latet ſecretum, purifica per infuſionem ſancti Spiritus cogitationes cordis noſtri, ut te perfecte diligere, & digne mereamur laudare. Per &c.

Secr. Haec oblatio, Domine, quaeſumus cordis noſtri maculas emundet, ut S. Spiritus digna efficiatur habitatio. Per &c.

Poſtcom. Sacrificium ſalutis noſtrae tibi offerentes, concede nobis quaeſumus, Domine Deus, purificatis mentibus ſaepius tuae pietatis celebrare myſterium. Per &c.

Ad gratiam Spiritus ſancti.

Omnipotens mitiſſime Deus, reſpice propitius preces noſtras & libera cor noſtrum de malarum tentatione cogitationum, ut S. Spiritus dignum fieri habitaculum mereatur, Per &c.

Secr. Hoſtias has tibi, Domine, offerimus pro ſalute noſtra, quatenus animam meam Sancti Spiritus gratia illuminare digneris. Per &c.

Poſtcom. Per hoc quaeſumus, Domine, ſacrificium, quod tuae obtulimus pietati, ab omnibus cor noſtrum emunda tentationibus. Per &c.

Ad lacrymas.

Laetetur cor quaerentium Dominum, & confirmamini, quaerite faciem ejus ſemper. *Pſ.* Confitemini & invocate &c.

Omnipotens piiſſime Deus, qui ſitienti populo fontem viventis aquae de petra produxiſti; educ de cordibus noſtris compunctionem lacrymarum, ut peccata noſtra plangere valeamus, remiſſionemque peccatorum te miſerante mereamur accipere. Per &c.

Lect. Jeremiae proph. In diebus illis dixit Jeremias: quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte interfectos filiae populi mei. Deducant oculi mei lacrymas, & palpebrae meae defluant aquas, quia vox lamentationis audita eſt in Sion dicit Dominus omnipotens.

℟. Ne avertas faciem tuam a puero tuo, Domine, cum tribulor velociter exaudi me. ℣. Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquae uſque ad animam meam. Infixus ſum in limo profundi & non eſt ſubſtantia. Alleluja. ℣. Domine Deus meus in te ſperavi ſalvum me fac ex omnibus perſequentibus me, & libera me.

Johan. In illo tempore dixit Jeſus diſcipulis ſuis: amen amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos; mundus autem gaudebit, vos autem contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium. Mulier cum parit, triſtitiam habet, quia venit hora ejus. Cum autem peperit puerum, jam non meminit preſſurae propter gaudium quia natus eſt homo in mundum. Et vos igitur nunc quid triſtitiam habetis? Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet a vobis.

Of. In te ſperavi, Domine, dixi, tu es Deus meus, in manibus tuis tempora mea.

Secr. Hanc oblationem quaeſumus, Domine Deus, quam tuae majeſtati pro peccatis noſtris offerimus propiciatus reſpice, & produc de oculis noſtris lacrymarum flumina, quibus debita flammarum incendia valeant extingui. Per &c.

Com. Pater ſi non poteſt hic calix tranſire, niſi bibam illum fiat voluntas tua.

Gratiam Spiritus Sancti, Domine Deus, cordibus noſtris clementer infunde, quae nos gemitibus faciat lacrymarum maculas noſtrorum diluere peccaminum, atque optatae te largiente indulgentiae praeſtet effectum. Per &c.

Pro amico vivente.

Juſtus es, Domine, & rectum judicium tuum, fac cum ſervo tuo ſecundum miſericordiam ſuam. Pſ. Beati immaculati &c.

Omnipotens ſempiterne Deus, miſerere famulo tuo & dirige eum ſecundum tuam clementiam in viam ſalutis aeternae, ut te donante, tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat. Per &c.

Iſaiae prophetae. Haec dicit Dominus: In die illa deferetur munus Domino exercituum, & rex fortis dominabitur eorum. In die illa erit altare Domino in medio terrae, & cognoſcetur Dominus ab Ægypto, & colent eum in hoſtiis & muneribus, & vota vovebunt Domino & ſolvent, & revertentur ad Dominum & placabitur eis, & ſanabit eos. In die illa erit Iſrael benedictio in medio terrae, cui benedixit Dominus exercituum dicens: Benedictus populus meus, & opus manuum mearum, haereditas mea Iſrael, dicit Dominus omnipotens.

℟. Salvum fac ſervum tuum, Deus meus, ſperantem in te. ℣. Auribus percipe, Domine, orationem meam. Alleluja. ℣. Redemptionem miſit Dominus in populo ſuo.

Marcum. In illo ſedens Dominus Jeſus contra gazophilacium, aſpiciebat quomodo turba jactaret aes in gazophilacium, & multi divites jactabant multa. Cum veniſſet autem una vidua paupercula, miſit duo minuta quod eſt quadrans. Et tunc vocans diſcipulos ſuos ait illis: Amen dico vobis, quia vidua haec paupercula plus omnibus miſit, qui miſerunt in gazophilacium. Omnis enim ex eo quod abundabat illis miſerunt. Haec vero de penuria ſua omnia quae habuit, miſit totum victum ſuum.

Of. Intende voci orationis meae rex meus & Deus meus quoniam ad te orabo, Domine.

Secr. Proficiat quaeſumus Domine haec oblatio, quam tuae ſuppliciter offerimus majeſtati, ad ſalutem famuli tui N. ut tua providentia jus vita, inter adverſa & proſpera ubique dirigatur. Per &c.

Com. Illumina faciem tuam ſuper ſervum tuum, & ſalvum me fac in tua miſericordia Domine, & non confundar quoniam invocavi te.

Poſtcom. Sumentes, Domine, perpetua ſacramenta ſalutis tuam deprecamur clementiam, ut per eam famulum tuum ab omni adverſitate protegas. Per &c.

Pro amicis viventibus.

Deus qui juſtificas impium, & non vis mortem peccatorum, majeſtatem tuam ſuppliciter deprecamur, ut famulos tuos de tua miſericordia confidentes coeleſti protegas benignus auxilio, & aſſidua protectione conſerves, ut tibi jugiter famulentur & nullis tentationibus a te ſeparentur. Per &c.

Secr. Suſcipe, clementiſſime Pater, hoſtias placatio-

cationis & laudis, quas tibi offerimus pro incolumitate famulorum tuorum N. ut omnium delictorum ſuorum te donante veniam conſequi mereantur. Per &c.

Poſtcom. Purificent nos, Domine, quaeſumus ſacramenta quae ſumpſimus, & famulos tuos ab omni culpa liberos eſſe concede, ut qui conſcientiae reatu conſtringuntur, caeleſtis remedii plenitudine glorientur.

Pro fratre ſive pro aliquo familiare.

Rege quaeſumus, Domine, famulum tuum, intercedentibus omnibus ſanctis tuis, gratiae tuae in eo dona multiplica, ut ab omnibus liber offenſis & temporalibus non deſtituatur auxiliis, & ſemper internis gaudeat inſtitutis. Per &c.

Secr. Suſcipe, Domine, tibi munus oblatum, & intercedentibus electis tuis, conſerva quaeſumus famulum tuum N. & ab omnibus, quas meretur, adverſitatibus, redde ſecurum, ut tranquillitate percepta ab omnium inimicorum inſidiis liberatus devota mente tibi deſerviat. Per.

Poſtcom. Subjectum tibi famulum tuum quaeſumus Domine intervenientibus omnibus ſanctis propitiatio caeleſtis amplificet, ut & praeſentis vitae periculis exuatur, & perpetuis donis firmetur. Per &c.

Miſſa pro familiaribus.

Intret oratio mea in conſpectu tuo, inclina aurem tuam ad precem meam, Domine. *Pſ.* Domine Deus ſalutis. &c.

Deus qui caritatis dona per gratiam ſancti ſpiritus tuorum cordibus fidelium infudiſti, da famulis & famulabus tuis, pro quibus tuam deprecamur clementiam ſalutem mentis & corporis, ut te tota virtute diligant, & quae tibi placita ſunt, tota devotione perficiant. Per &c.

Ad Galathas. Fratres, ſi praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui ſpirituales eſtis, inſtruite hujuſmodi in ſpiritu lenitatis, conſiderans te ipſum, ne & tu tenteris. Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.

℟. Protector noſter aſpice, Deus, & reſpice ſuper ſervos tuos. ℣. Domine Deus virtutum, exaudi preces ſervorum tuorum. Alleluja. ℣. Domine, refugium factus es nobis a generatione & progenie.

Johannem. In illo. Sublevatis Jeſus oculis in coelum, dixit. Pater, nunc ad te venio, & haec loquor in mundo, ut gaudium meum habeant impletum in ſemetipſis. Ego dedi eis ſermonem tuum, & mundus eos odio habuit, quia non ſunt de mundo ſicut & ego non ſum de mundo: non rogo ut tollas eos de mundo, ſed ut ſerves eos a malo; de mundo non ſunt ſicut & ego non ſum de mundo. Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas eſt. Sicut tu me in hunc miſiſti mundum, & ego miſi eos in mundum, & pro eis ego ſacrifico meipſum, ut ſint & ipſi ſacrificati in veritate. Non pro eis rogo tantum ſed pro his qui credituri ſunt per verbum eorum in me.

Of. Domine Deus meus ſalutis meae in die clamavi & nocte coram te. Intret oratio mea in conſpectu tuo, Domine.

Secr. Miſerere quaeſumus, Domine Deus famulis & famulabus tuis pro quibus hoc ſacrificium laudis tuae offerimus majeſtati, ut per haec ſuperna benedictionis gratiam obtineant, & gloriam aeternae felicitatis acquirant. Per &c.

Com. Intellige clamorem meum, intende voci orationis meae, rex meus & Deus, quoniam ad te orabo, Domine.

Poſtcom. Divina libantes myſteria quaeſumus, Domine, ut haec ſalutaria ſacramenta illis proficiant ad proſperitatem & pacem, pro quorum dilectione haec tuae obtulimus majeſtati. Per &c.

Pro cuncto populo.

Reſpice, Domine, in teſtamento tuo, & animas pauperum tuorum ne derelinquas in finem. Exurge, Domine, & judica cauſam meam, & ne obliviſcaris voces quaerentium te. *Pſ.*

Praetende quaeſumus Domine miſericordia tua famulis & famulabus tuis dexteram caeleſtis auxilii, ut te toto corde perquirant, & quae digne poſtulant aſſequantur. Per &c.

Sapientiae. Miſerere noſtri Deus, omnium & reſpice nos & oſtende nobis lucem miſerationum tuarum, & immitte timorem tuum ſuper gentes, quae non exquiſierunt te, & cognoſcant quia non eſt Deus, niſi tu ut enarrent mirabilia tua. Alleva manum tuam ſuper gentes alienas, ut videant potentiam tuam. Sicut enim in conſpectu eorum ſanctificatus es in nobis, ſic in conſpectu noſtro magnificaberis in illis, ut cognoſcant te ſicut & nos cognovimus quoniam non eſt Deus praeter te Domine. Innova ſigna, & immuta mirabilia. Fortifica manum & brachium dextrum. Excita furorem & effunde iram. Extolle adverſarium & affige inimicum. Feſtina tempus & memento finis, ut enarrent mirabilia tua, Domine Deus noſter.

℟. Tu es Deus, qui facis mirabilia ſolus. Notam feciſti in gentibus virtutem tuam. ℣. Liberaſti in brachio tuo populum tuum filios Iſrael & Joſeph. Alleluja. ℣. Te decet hymnus Deus in Sion, tibi reddetur votum in Jeruſalem. Replebimur in bonis domus tuae, ſanctum eſt templum tuum mirabile in aequitate.

Johannem. In illo Amen dico vobis quia plorabitis &c.

Of. Populum humilem ſalvum facies, Domine, & oculos ſuperborum humiliabis, quoniam quis Deus praeter te, Domine.

Secr. Propitiare, Domine, ſupplicationibus noſtris, & has oblationes, quas tibi pro infirmitate famulorum famularumque tuarum offerimus benignus aſſume, ut quod fideliter petimus efficaciter conſequamur. Per &c.

Com. Qui manducat meam carnem, & bibit ſanguinem meum in me manet & ego in eum, dicit Dominus.

Poſtcom. Da quaeſumus, Domine, famulis & famulabus tuis in tua fide & ſinceritate conſtantiam, ut in caritate divina firmati, nullis tentationibus ab ejus integritate vellantur. Per &c.

Pro vivis ac defunctis.

Omnium ſanctorum interceſſionibus quaeſumus Domine gratia tua nos protegat, & chriſtianis omnibus viventibus atque defunctis miſericordiam tuam ubique praetende, ut viventes ab omnibus impugnationibus ſint tua opitulatione defenſi, & defuncti remiſſionem mereantur, ſuorum omnium accipere delictorum. Per &c.

Secr. Oblationibus noſtris, omnipotens Deus propitius intende, & ob tuorum omnium ſanctorum honorem, veniam nobis tribue peccatorum, & chriſtianis omnibus viventibus atque defunctis haec praeſens libatio & praeſentis vitae ſubſidia, & futura praemia adquirat. Per &c.

Poſtcom. Haec ſacrificia, quae ſumpſimus, Domine, meritis & interceſſionibus omnium ſanctorum nobis ad ſalutem proficiant, & chriſtianis omnibus viventibus atque defunctis, te favente, aeterna ac temporalia bona adquirant. Per &c.

Or. ut ſupra.

Pietate tua quaeſumus, Domine, noſtrorum ſolve vincula omnium delictorum, & intercedente pro nobis beata & glorioſa ſemperque virgine Dei genitrice Maria cum omnibus ſanctis tuis nos famulos tuos & omnem populum catholicum in omni ſan-

cti-

ſtitate cuſtodi, omneſque conſanguinitate ac familiaritate, confeſſione & oratione nobis junctos a vitiis omnibus purga, virtutibus tuis illuſtra, pacem & ſalutem nobis tribue, hoſtes viſibiles & inviſibiles remove, peſtem & famem repelle, amicis & inimicis noſtris veram charitatem largire, & omnibus fidelibus vivis ac defunctis in terra viventium vitam & requiem aeternam concede. Per eum &c.

Deus qui ſingulari corporis tui hoſtia totius mundi ſolviſti delicta, hac oblatione placatus maculas ſcelerum noſtrorum abſterge, & omnium chriſtianorum vivorum ac defunctorum peccata dimitte, & praemia aeternae vitae concede. Qui vivis &c.

Poſtcom. Sumpta ſacramenta quaeſumus, Domine, crimina noſtra detergant, omnemque pravitatem impugnationem viſibilem atque inviſibilem meritis Sanctorum omnium procul pellant, & omnibus fidelibus vivis & defunctis proſint ad veniam, pro quorum quarumque tibi ſunt oblata ſalute. Per &c.

Miſſa pro infirmo.

Exaudi, Deus, orationem meam &c.

Omnipotens ſempiterne Deus ſalus aeterna credentium, exaudi nos pro famulo tuo, pro quo miſericordiae tuae imploramus auxilium, ut reddita ſibi ſanitate, gratiarum tibi in eccleſia tua referat actionem. Per &c.

Jacobi Apoſtoli. Cariſſimi, triſtatur aliquis veſtrum oret aequo animo & pſallat. Infirmatur quis in vobis, inducat presbiteros eccleſiae, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & allevabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit remittentur ei. Confitemini ergo alterutrum peccata veſtra, & orate pro invicem ut ſalvemini.

℞. Miſerere mihi, Domine, quoniam infirmus ſum. Sana me, Domine. ℣. Conturbata ſunt omnia oſſa mea, & anima conturbata eſt valde. Alleluja. ℣. Qui ſanat &c.

Lucam. In illo intravit Jeſus Capharnaum. Centurionis autem cujuſdam ſervus male habens erat moriturus qui illi erat precioſus; & cum audiſſet de Jeſu, miſit ad eum ſeniores Judaeorum, rogans, ut veniret & ſanaret ſervum ejus. At illi cum veniſſent ad Jeſum, rogabant eum ſollicite dicentes ei, quia dignus eſt, ut hoc illi praeſtes. Diligis enim gentem noſtram, & ſinagogam ipſe aedificavit nobis. Jeſus autem ibat cum illis. Et cum jam non longe eſſet a domo, miſit ad eum Centurio amicos dicens: noli vexari; non enim dignus ſum ut ſub tectum meum intres. Propter quod & meipſum non ſum dignus arbitratus ut venirem ad te, ſed tantum dic verbo & ſanabitur puer meus. Nam & ego ſum homo ſub poteſtate conſtitutus habens ſub me milites; & dico huic vade, & vadit, & alio, veni, & venit, & ſervo meo, fac hoc & facit. Quo audito Jeſus miratus eſt; & ſequentibus ſe dixit: amen dico vobis non inveni tantam fidem in Iſrael. Et reverſi qui miſſi fuerant domum, invenerunt ſervum qui languerat ſanum.

Of. Exaudi Deus orationem meam, & ne deſpexeris deprecationem meam, accende in me, & exaudi me.

Secr. Deus, cujus nutibus vitae noſtrae momenta decurrunt, ſuſcipe preces & hoſtias pro famulo tuo pro quo miſericordiam tuam aegrotante imploramus; ut de cujus periculo metuimus, de ejus ſalute laetemur. Per &c.

Praef. Æterne Deus, qui famulos tuos ideo corporaliter verberas, ut mente proficiant, potenter oſtendens quod ſit tuae pietatis praeclara ſalvatio, dum praeſtas ut operetur etiam ipſa infirmitas ſalutem. Per Chriſtum &c.

Com. Ego clamavi quoniam exaudiſti me Deus, inclina aurem tuam & exaudi verba mea.

Poſtcom. Deus infirmitatis humanae ſingulare praeſidium auxilii tui ſuper infirmum noſtrum oſtende virtutem, ut ope miſericordiae tuae adjutus, eccleſiae tuae ſanctae repraeſentari mereatur. Per &c.

Pro femina infirma.

Deus, in cujus libro ſunt vocabula notata mortalium, concede nobis omnibus veniam peccatorum, & praeſta quaeſumus ut famula tua quam immenſus languor excruciat, tua eam miſeratio reparet ad medelam. Per &c.

Secr. Sana quaeſumus, Domine, vulnera famulae tuae N. aegritudines ejus perime, peccata dimitte, & hanc oblationem, quam tibi pro ea offero, benignus ſuſcipe, & ſic eam flagella in hoc ſeculo, ut poſt tranſitum ſanctorum mereatur adunari conſortio. Per &c.

Poſtcom. Omnipotens ſempiterne Deus, te ſupplices expoſcimus, ut hoc accipias pro ſacrificio laudis, quod famula tua atterit virga infirmitatis, ut te medicante, & plenitudinem ſalutis recipiat, & tuis ſemper ſana viſionibus pareat. Per &c.

Pro febricitantibus.

Inclina quaeſumus Domine, pias aures tuas ad deſideria ſupplicantis, quae devoto corde popoſcimus, benignus admitte, ut huic famulo tuo, qui tertiani vel quartani vexatione fatigatur, fidelis famuli tui Sigiſmundi precibus clementer occurras, ut dum nobis illius patefacis merita, praeſenti aegroto conferas medicinam. Per &c.

Secr. Offerimus tibi, Domine, vota Deo vivo & vero, in nomine electi tui Sigiſmundi pro ardore febrium, communicantes & memoriam facientes beatiſſimorum Patriarcharum & martyrum, omniumque Sanctorum tuorum, quorum precibus meritiſque concedas, ut in omni protectione confirmati, muniamur ejus auxilio. Per &c.

Poſtcom. Gratias tibi agimus omnipotens Deus, quod nos votive in nomine electi tui Sigiſmundi pane & vero vino laetitiae ſpiritualis recreare dignatus es, humiliter deprecantes, ut haec participatio ſacroſancti corporis & ſanguinis veram ſanitatem animae & corporis in nobis reſtauret. Per &c.

Pro frugibus terrae.

Te, Domine ſancte Pater omnipotens aeterne Deus, ſupplices deprecamur, ut miſericordiam tuam jugiter nobis concedas, ſufficienter meſſium copias & fructuum omnium largienter tribuas, vinearum quoque ſubſtantiam abundantem, arborum foetus, proventus omnium rerum, atque ab his omnibus peſtiferum ſidus tempeſtatis & univerſas procellas & grandines amovere digneris. Per &c.

Secr. miſericordiam tuam pietatis tuae ſupplices deprecamur omnipotens Deus, & oblationes populi tui quaeſumus tibi de ſuis primitiis offerimus benigne ſuſcipere dignare. Per &c.

Poſtcom. Tribue quaeſumus Domine populo tuo in hoc ſeculo abundantiam tritici, vini, olei & in futuro vitam aeternam, commemorationem quoque facientibus nobis beatiſſimorum martyrum confeſſorum & virginum, veniam peccatorum tribuere digneris. Per &c.

Benedictio panis novi.

Benedic, Domine, creaturam iſtam panis; ſicut benedixiſti quinque panes in deſerto, ut omnes guſtantes ex eo, accipiant tam corporis quam animae ſanitatem. Per &c.

Benedictio fructuum omnium.

Benedic Domine hos fructus novos, quos tu, Domine, per rorem coeli & inundantiam pluviarum & tempora ſerena atque tranquilla ad maturitatem per-

Digitized by Google

perducere dignatus es ad percipiendum nobis cum gratiarum actione in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Qui &c.

Benedictio cereorum.

Deus cujus unigenitus hodierna die cum noſtrae carnis ſubſtantia ſecundum legem cum hoſtiis debitis a parentibus in templo eſt oblatus, & a juſto Simeone in ulnas ſuſceptus, concede quaeſumus, ut ſicut ille non vidit mortem quouſque videre meruit Chriſtum Deum, ita nobis tribue per interceſſionem ſanctae & intemeratae Virginis Mariae, ut abſque contagione peccati in coeleſti templo, tua mereamur perfrui viſione. Luminaria quoque, quae populus tuus in hoc ſacrato templo tua mereamur perfrui viſione. Luminaria quicunque ex eis acceperint, tam animae quam corporis conſequantur medelam, atque eorum habitacula tua benedictione atque protectione conſerves; quatenus tuae gratiae dono accenſi & per ſpiritum ſanctum illuminati, purificatis mentibus in templo gloriae tuae valeant apparere. Per eumdem &c.

Deſcendat, Domine ſuper hos cereos tuos tuae majeſtatis larga benedictio, quae copioſe eos replens, contra antiqui hoſtis tentamenta faciat eſſe proficuos. Per &c. *Hic mittatur aqua benedicta & incenſum ſuper cereos, accenſis cereis dicatur.* Lumen ad revelationem gentium & gloriam plebis tuae Iſrael.

Benedictio quando accenſi ſunt cerei.

Deus lumen verum aeternae lucis propagator & auctor, infunde cordibus tuorum fidelium perpetui luminis claritatem, ut quicunque in templo ſancto gloriae tuae praeſentium luminum adornantur lucernis, omnium vitiorum contagiis expiati in templo caeleſtis habitationis tuae cum fructu bonorum operum tibi valeant praeſentari. Per &c.

Ordo ad proceſſionem.

Ave gratia plena Dei genitrix virgo, ex te enim ortus eſt ſol juſtitiae, illuminans quae in tenebris ſunt. Laetare tu ſenior juſte ſuſcipiens in ulnas liberatorem animarum noſtrarum, donantem nobis & reſurrectionem.

Or. Erudi quaeſumus, Domine, plebem tuam, & quae extrinſecus annua tribuis devotione venerari, interius aſſequi gratiae tuae luce concede. Per.

Adorna thalamum tuum, Sion, & ſuſcipe regem Chriſtum, amplectere Mariam quae eſt coeleſtis porta, ipſa enim portat regem gloriae, novo lumine ſubſiſtit virgo adducens in manibus filium ante luciferum, quem accipiens Simeon in ulnas ſuas, praedicavit populis Dominum eum eſſe vitae & mortis, & ſalvatorem mundi.

Alia Perfice in nobis quaeſumus, Domine, gratiam tuam, qui juſti Simeonis expectationem impleſti, ut ſicut ille mortem non vidit, priuſquam Chriſtum Dominum videre mereretur, ita & nos vitam obtineamus aeternam. Per &c.

Alia Reſponſum accepit Simeon a Spiritu Sancto non viſurum ſe mortem niſi videret Chriſtum Domini, & cum inducerent puerum in templum accepit eum in ulnas ſuas & benedixit Deum & dixit: nunc dimittis Domine ſervum tuum in pace.

In die ad Miſſam.

Suſcepimus, Deus, miſericordiam tuam in medio templi tui ſecundum nomen tuum, Deus, ita & laus tua in fines terrae, juſtitia plena eſt dextera tua. *Pſ.* Magnus Dominus & laudabilis nimis in civitate Dei noſtri, in monte ſancto ejus.

Orat. Omnipotens ſempiterne Deus majeſtatem tuam ſupplices exoramus, ut ſicut unigenitus Filius tuus hodierna die cum noſtrae carnis ſubſtantia in templo eſt praeſentatus, ita nos facias purificatis tibi mentibus praeſentari. Per.

Lectio Malachiae prophetae. Haec dicit Dominus Deus: ecce ego mittam Angelum meum qui praeparabit viam tuam ante faciem meam, & ſtatim veniet ad templum ſanctum ſuum dominator, quem vos quaeritis, & Angelus teſtamenti quem vos vultis. Ecce venit dicit Dominus exercituum. Et quis poterit cogitare diem adventus ejus? Et quis ſtabit ad videndum eum? Ipſe enim quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum. Et ſedebit conflans, & emundans argentum & purgabit filios Levi. Et conflabit eos quaſi aurum & argentum, & erunt Domino offerentes ſacrificia in juſtitia. Et placebit Domino ſacrificium Juda & Jeruſalem ſicut dies ſeculi, & ſicut anni antiqui, dicit Dominus omnipotens.

℟. Suſcepimus, Deus, miſericordiam tuam in medio templi tui ſecundum nomen tuum, Domine, ita & laus tua in fines terrae. ℣. Sicut audivimus ita vidimus in civitate Dei noſtri in monte ſancto ejus. Alleluja. ℣. Adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo. ℟. Diffuſa eſt gratia in labiis propterea benedixit te Deus in aeternum. ℣. Accingere gladio tuo circa femur tuum, potentiſſime. ℣. Specie tua & pulchritudine tua intende, procede & regna. ℣. Propter manſuetudinem & juſtitiam & deducet te mirabiliter dextera tua. ℣. Audi filia & vide & inclina aurem tuam, quia concupivit Rex ſpeciem tuam.

Sec. Lucam. In illo: poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariae ſecundum legem Moyſi, tulerunt Jeſum in Jeruſalem, ut ſiſterent illum Domino, ſicut ſcriptum eſt in lege Domini: quia omne maſculinum adaperiens vulvam, ſanctum Domino vocabitur. Et ut darent hoſtiam, ſecundum quod dictum eſt in lege Domini: par turturum aut duos pullos columbarum. Et ecce homo erat in Jeruſalem, cui nomen Symeon & homo iſte juſtus & timoratus expectans redemptionem Iſrael, & Spiritus Sanctus erat in eo. Et reſponſum accepit Symeon a Spiritu Sancto, non viſurum ſe mortem, niſi prius videret Chriſtum Dominum. Et venit in ſpiritu in templum. Et cum inducerent puerum Jeſum parentes ejus, ut facerent ſecundum conſuetudinem legis pro eo, & ipſe accepit eum in ulnas ſuas, & benedixit Deum, & dixit: nunc dimittis ſervum tuum, Domine, & ſecundum verbum tuum in pace; quia viderunt oculi mei ſalutare tuum, quod paraſti ante faciem omnium populorum. Lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuae Iſrael.

Off. Diffuſa eſt gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in aeternum & in ſeculum ſeculi.

Secr. Exaudi, Domine, preces noſtras, & ut digna ſint munera quae oculis majeſtatis tuae offerimus, ſubſidium nobis tuae pietatis impende. Per &c.

Praef. Æternae Deus, quia per incarnati Verbi myſterium, nova mentis noſtrae oculis lux tuae claritatis infulſit. Ut dum viſibiliter Deum cognoſcimus, per hunc inviſibilium amore rapiamur. Et ideo &c.

Com. Reſponſum accepit Simeon a Spiritu Sancto non viſurum ſe mortem niſi videret Chriſtum Dominum.

Secr. Quaeſumus Domine Deus noſtra ut ſacroſancta myſteria quae pro reparationis noſtrae munimine contuliſti, intercedente beata ſemper virgine Maria, & praeſens nobis remedium eſſe facias & futurum.

Poſtcom. Deus qui tegmine indutus noſtrae mortalitatis ob culpam protoplaſti humanum genus ad ima demerſum pia & miſericorditer redemiſti, benedic hos cineres quos plebs tua ob recordationem ſuae infirmitatis & culpae humiliter ſuſcipiat, ac memorare noſtrae ſubſtantiae, & recordare quia pulvis ſumus, ut per hoc indicium humilitatis fructus dignos poenitentiae, veniamque ſcelerum, & aeternae vitae gaudia te largiente valeamus percipere. Qui vivis &c.

dum

Dum mittatur cinis ſuper capita.

Memento quia pulvis & cinis es, & in pulverem atque in cinerem reverteris.

Exaudi nos, Domine, quoniam benigna eſt miſericordia tua, ſecundum multitudinem miſerationum tuarum reſpice nos Domine. *Pſ.* Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquae uſque ad animam meam.

℣. Exurge, Domine, adjuva nos & libera nos propter nomen tuum. *Pſ.* Auribus noſtris audivimus. ℣. Propitius eſto, Domine, peccatis noſtris propter nomen tuum, ne quando dicant gentes ubi eſt Deus eorum. *Pſ.* Deus venerunt gentes in haereditatem tuam, polluerunt &c. ℣. Juſta veſtibulum. Jam utemur habitu.

Ordo in ramis palmarum.

Inſurrexerunt & dederunt fratres mei amici mei. Attende Domine. Homo pacis. Salvum me fac Deus. Intende animae. Noli eſſe. Confundantur. Dominus mecum eſt & vim faciebant. Opprobrium factus ſum. Perſequar inimicos. Circumdederunt. Quoniam.

Poſtea cantetur tertia, qua finita legatur prophetia Hieremiae, ſurſum in lectorio habet quod eſt verbum quod factum eſt ad Hieremiam a Domino dicens: Surge & deſcende in domum figuli *uſque* & liberavit animam pauperis de manu malorum. *Deinde canetur haec antiphona.*

Collegerunt Pontifices & Phariſaei concilium, & dicebant, quid facimus, quia homo multa ſigna facit? Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum, ne ſorte veniant Romani & tollant noſtrum locum & gentem. ℣. Unus autem ex ipſis Cayphas nomine cum eſſet pontifex anni illius prophetavit dicens: expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo & non tota gens pereat ab illo. Ergo cogitaverunt interficere eum dicentes: Ne forte, &c. *Deinde legatur evangelium & benedicantur palmae. Exeundo de eccleſia cantetur antiphona:* Cum audiſſet populus, quia Jeſus venit Jeroſolymam, acceperunt ramos palmarum & exierunt ei obviam, & laudabant pueri, dicentes: hic eſt qui venturus erat in ſalutem populi. Hic eſt ſalus noſtra & redemptio noſtra. Iſrael, quantus eſt iſte, cui throni & dominationes occurrunt? Noli timere, filia Sion, ecce Rex tuus venit tibi ſedens ſuper pullum aſinae, ſicut ſcriptum eſt. Salve rex fabricator mundi, qui veniſti redimere nos.

Ante crucem primſeruam diſcooperiatur, cantetur hoc. Ante ſex dies ſolemnitatis Paſchae venit Dominus in civitatem Jeruſalem, & occurrerunt ei pueri in manibus portantes ramos palmarum, & clamabant voce magna dicentes: Oſanna in excelſis, benedictus qui veniſti in multitudine miſericordiae. Oſanna in excelſis. *Poſtea diſcooperiatur crux & cantetur hymnus alternatim* Vexilla, *& flectant omnes genua:* O crux ave, *flectant iterum. Alternatim cantetur haec antiphona*, Oſanna. Pueri. Tuba, *occurr. Evangel. Deinde dicatur ſermo ad populum.*

Ant. Coeperunt omnes turbae deſcendentium gaudentes laudare Deum voce magna ſuper omnibus quas viderant virtutibus, dicentes: Benedictus qui venit Rex in nomine Domini pax in coelo, & gloria in excelſis. *Poſt hoc*: Ave Rex noſter fili David redemptor noſter quem prophetae praedixerunt Salvatorem domui Iſrael eſſe venturum. Te enim ad ſalutarem victimam pater miſit in mundum, quem expectabant omnes ſancti ab origine mundi. Et nunc oſanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini oſanna in excelſis.

Venit Dominus Jeſus. Cum appropinquaverint civitati.

Cum appropinquaret Dominus Jeroſolymam, miſit duos ex diſcipulis ſuis dicens: ite in caſtellum quod contra vos eſt, & invenietis pullum aſinae alligatum, ſuper quem nullus hominum ſedit, ſolvite, & adducite mihi: Si quis vos interrogaverit, dicite: opus Domini eſt, & ſolventes adduxerunt ad Jeſum, & impoſuerunt ibi veſtimenta & ſedit ſuper eum, alii expandebant veſtimenta ſua in via, alii ramos de arboribus externebant, & qui ſequebantur clamabant: Oſanna, benedictus qui venit in nomine Domini. Benedictum regnum patris noſtri David. Oſanna in excelſis, miſerere nobis, fili David. Iſrael es tu, rex Davidis, & inclita proles, nomine qui in Domini rex benedicte venis. Gloria laus & honor tibi ſit rex Chriſte redemptor, cui puerile decus prompſit oſanna pium. ℣. Coetus in excelſis te laudat coelitus omnis & mortalis homo & cuncta creata ſimul. Gloria, laus, & honor. ℣. Plebs Ebraea tibi cum palmis obvia venit, cum prece voto ignis adſumus, ecce tibi. Gloria, laus.

In introitu civitatis: Ingrediente Domino in ſanctam &c. *Primum dicatur lectio libri Exodi*: Dixit Dominus ad Moyſen. *Tract.* Domine audivi. *Or.* Deus a quo. *Sequitur lectio Joſue*. In tribus. *tract.* Eripe. *Evangel.* Egreſſus Jeſus trans torrentem. *Poſtea* ſollemnes dilectiſſimi. *Poſt haec praeparetur crux ab acolythis incipientibus hos verſus*: Popule meus quid feci tibi, aut in quo contriſtavi te? Reſponde mihi, quia eduxi te de terra Ægypti, paraſti crucem Salvatori tuo. *Quibus ad reſpondendum ſint duo parati & dicant flectendo genua*: Agyos o theos, agyos iſchiros, agyos athanatos eleiſon imas. *Poſtea chorus flectendo dicat*: Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis miſerere nobis. *Item duo tenentes crucem*: Quia eduxi vos per deſertum quadraginta annos, veſtimenta veſtra & calceamenta vetuſtate non ſunt attrita. Manna quoque cibavi vos, & introduxi in terram ſatis optimam. *Item alii duo reſpondentes dicant flectendo genua*: Agyos o theos. *Poſtea chorus flectendo*, Sanctus Deus. *Adhuc duo tenentes crucem.* Quid ultra debui facere tibi, & non feci? Ego quidem plantavi te vinea mea fructu decora, & tu facta es mihi nimis acerrima; aceto namque mixto cum felle ſitim meam potaſti, & lancea perforaſti latus Salvatoris tui. *Item alii duo flect. genua:* Agyos o theos. *Deinde chorus flect.* Sanctus Deus. *His expletis, nudet Sacerdos crucem & dicat*: Ecce lignum crucis, in quo ſalus mundi pependit. Venite adoremus. *Pſal.* Beati immaculati. *Totum pſalmum ſi neceſſe fuerit repetendo antiphonam ad unumquemque verſum.* Crucem tuam adoramus, Domine, & ſanctam reſurrectionem tuam laudamus & glorificamus. Ecce enim propter crucem venit gaudium in univerſo mundo. *Pſ.* Deus miſereatur noſtri, *uſque ad finem repetendo antiphonam ut ſupra.* Crux fidelis inter omnes arbor una nobilis, nulla ſylva talem profert fronde flore germine. Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus ſuſtinet. Pange lingua, *repetendo quemque verſum*: Crux fidelis, *ant.* Dum fabricator mundi mortis ſupplicium pateretur in cruce, clamans voce magna tradidit ſpiritum; & ecce velum templi diviſum eſt, monumenta aperta ſunt, terraemotus enim fuerit magnus, quia mortem filii Dei clamabat mundus ſe ſuſtinere non poſſe, aperto ergo militis lancea latere crucifixi Domini exivit ſanguis & aqua in redemptionem ſalutis noſtrae. O admirabile pretium, cujus pondere capiti vita redempta eſt, mundi tartarea confracta ſunt clauſtra, inferni aperta es nobis janua regni. *Dum adorata fuerit crux ab omni populo, elevabit eam dicens hanc antiphonam*: Super omnia. *Poſtea intret Sacerdos ſive Diaconus in ſacrarium & accipiat corpus Domini, quod pridie remanſit, ponens illud in patena, tribuat Subdiacono. Subdiaconus autem patenam cum corpore Domini, & calicem cum vino non conſecrato, ferat ante altare. Dicat deinde*: Oremus, praeceptis ſalutaribus, &c. Pater noſter, &c. Libera nos, &c.

Cum dixerint: Amen, *ſumat de pane ſancto, & ponens in calice ſilendo*. Pax Domini *non dicat, quia non ſequuntur oſcula.*

In ſabato Paſchae in primis benedicitur ignis, deinde cereus. Poſtea vero legatur: In principio *ſive lectio lib. gen. Tr.* Cantemus Domino. *Coll.* Deus cujus antiqua, *apprehendent. Tract.* Vinea facta eſt. Deus qui nos ad celebrandum Haec eſt haereditas. *Tract.* Deus qui eccleſiam. Attende caelum & loquar. Kirie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kirie eleiſon. Gloria in excelſis. Deus qui hanc ſacratiſſimam. *Epiſtola.* Si conſurrexiſtis alleluja. ℣. Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia ejus. *Tr.* Laudate Dominum. *Interim pergat Diaconus ad legendum evangelium. Sacerdos incipiat* alleluja. *Pſ.* Laudate Dominum omnes gentes. *Sacerdos:* Veſpere ſabati. *P.* Magnificat.

Or. Deus qui hanc ſacratiſſimam noctem gloria Dominicae reſurrectionis inluſtras, conſerva in novam familiae tuae progeniem ſanctificationis ſpiritum quem dediſti, ut corpore & mente renovati puram tibi exhibeant ſervitutem. Per.

Ad Coloſſenſes. Fratres, ſi conſurrexiſtis cum Chriſto, quae ſurſum ſunt quaerite, ubi Chriſtus eſt ad dexteram Dei ſedens. Quae ſurſum ſunt ſapite, non quae ſuper terram Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Cum enim apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria.

Alleluja. Confitemini Domino, quoniam bonus quoniam in ſeculum miſericordia ejus. ℣. Laudate Dominum.

Matth. Veſpere ſabati quae luceſcit in prima ſabati, venit Maria Magdalenae, & altera Maria videre ſepulcrum. Et ecce terraemotus factus eſt magnus. Angelus enim Domini deſcendit de coelo, & accedens revolvit lapidem & ſedebat ſuper eum. Erat autem aſpectus ejus ſicut fulgur, veſtimenta autem ejus alba ſicut nix. Prae timore autem ejus exterriti ſunt cuſtodes, & facti ſunt velut mortui. Reſpondens autem Angelus dixit mulieribus: nolite timere, ſcio enim, quod Jeſum, qui crucifixus eſt, quaeritis, non eſt hic. Surrexit enim ſicut dixit: venite & videte locum, ubi poſitus erat Dominus, & cito euntes, dicite diſcipulis ejus, quia ſurrexit, & ecce praecedet vos in Galilaeam, ibi eum videbitis. Ecce praedixi vobis.

Secr. Suſcipe quaeſumus, Domine, & plebis tuae & tuorum hoſtias famulorum, ut & confeſſione tui nominis & baptiſmate renovati, ſempiternam beatitudinem conſequantur. Per.

Praef. Æquum & ſalutare. Te quidem, Domine, omni tempore, ſed in hac potiſſimum nocte glorioſius praedicare, cum paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Ipſe enim verus eſt agnus, qui abſtulit peccata mundi, qui mortem noſtram moriendo deſtruxit, & vitam reſurgendo reparavit. Propterea profuſis paſchalibus gaudiis totus in orbe terrarum mundus exultat. Sed & ſupernae virtutes angelicae poteſtates hymnum gloriae tuae concinunt ſine fine dicentes: Sanctus &c.

Communicantes & noctem ſacratiſſimam celebrantes reſurrectionis Domini noſtri Jeſu Chriſti ſecundum carnem. Sed & memoriam &c.

Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtrae, ſed & cunctae familiae tuae quam tibi offerimus, pro his quoque, quos regenerare dignatus es ex aqua & Spiritu Sancto, tribuens eis remiſſionem omnium peccatorum. Quaeſumus, Domine placatus accipias, pro quibus majeſtati tuae ſupplices fundimus preces ut nomina eorum adſcribi jubeas in libro viventium, dieſque noſtros &c.

Poſtcom. Praeſta quaeſumus omnipotens Deus, ut divino munere ſatiati & ſacris miſteriis innovemur & moribus. Per.

Per omnia ſecula ſeculorum. Amen. Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo. Surſum corda. habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo noſtro. Dignum & juſtum eſt. Vere dignum & juſtum eſt, aequum & ſalutare nos tibi ſemper & ubique gratias agere. Domine ſancte Pater omnipotens aeterne Deus per Chriſtum Dominum noſtrum, per quem majeſtatem tuam laudant Angeli, adorant dominationes, tremunt poteſtates, coeli coelorumque virtutes ac beata Seraphim ſocia exultatione concelebrant, Cum quibus & noſtras voces, ut admitti jubeas, deprecamur, ſupplici confeſſione dicentes: Sanctus Sanctus Sanctus Dominus Deus Sabaoth: pleni ſunt coeli & terra gloria tua hoſanna in excelſis. Benedictus qui venit in nomine Domini hoſanna in excelſis.

Te igitur, clementiſſime Pater, per Jeſum Chriſtum filium tuum Dominum noſtrum, ſupplices rogamus ac petimus, uti accepta habeas & benedicas haec ✠ dona, haec ✠ munera, haec ſancta ✠ ſacrificia illibata In primis quae tibi offerimus pro eccleſia tua ſancta catholica, quam pacificare, cuſtodire, adunare, & regere digneris toto orbe terrarum una cum famulo tuo papa noſtro & antiſtite noſtro ill. & omnibus orthodoxis atque catholicae & apoſtolicae fidei cultoribus.

Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum, & omnium circumſtantium, atque omnium fidelium Chriſtianorum, quorum tibi fides cognita eſt & nota devotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc ſacrificium laudis pro ſe ſuiſque omnibus, pro redemptione animarum ſuarum, pro ſpe ſalutis & incolumitatis ſuae, tibique reddunt vota ſua aeterno Deo vivo & vero.

Communicantes & memoriam venerantes in primis glorioſae ſemper virginis Mariae genitricis Dei Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſed & beatorum Apoſtolorum & martyrum tuorum, Petri, Pauli, Andreae, Jacobi, Joannis, Thomae, Jacobi, Philippi, Bartholomaei, Mathaei, Simonis, Taddei, Lini, Cleti, Clementis, Xiſti, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Vincentii, Criſogoni, Joannis & Pauli, Coſmae & Damiani, Victoris & ſociorum ejus, Mauricii & ſociorum ejus, Dionyſii, Ruſtici, Eleuterii, & omnium Sanctorum tuorum, quorum meritis precibuſque concedas, ut in omnibus protectionis tuae muniamur ſemper auxilio. Per eumdem Chriſtum Dominum noſtrum.

Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtrae, ſed & cunctae familiae tuae, quaeſumus, Domine, ut placatus accipias, dieſque noſtros in tua pace diſponas, atque ab aeterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum jubeas grege numerari. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Quam oblationem tu, Deus, in omnibus quaeſumus, ✠ benedictam ✠ aſcriptam, ✠ ratam rationabilem acceptabilemque facere digneris, ut nobis ✠ corpus & ✠ ſanguis fiat dilectiſſimi filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti,

Qui pridie quam pateretur accepit panem in ſanctas ac venerabiles manus ſuas, & elevatis oculis in coelum ad te Deum patrem ſuum omnipotentem tibi gratias agens ✠ benedixit, fregit, deditque diſcipulis ſuis dicens, accipite & manducate ex hoc omnes: hoc eſt enim corpus meum.

Simili modo poſtea quam coenatum eſt, accipiens & hunc praeclarum calicem. Item tibi gratias agens ✠ benedixit deditque diſcipulis ſuis dicens: accipite & bibite ex eo omnes: hic eſt enim calix ſanguinis mei novi & aeterni teſtamenti myſterium fidei, quod pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Haec quotieſcumque feceritis in mei memoriam facietis.

Unde & memores, Domine, nos ſervi tui, ſed plebs tua, ſancta ejuſdem Chriſti filii tui Domini Dei noſtri, tam beatae paſſionis, nec non & ab inferis reſurrectionis, ſed & in coelos glorioſae aſcenſionis offerimus praeclarae majeſtati tuae de tuis donis ac datis: ✠ hoſtiam puram, ✠ hoſtiam ſanctam, ✠ hoſtiam immaculatam, ✠ panem ſanctum vitae aeternae & calicem ſalutis perpetuae.

Supra quae propitio ac ſereno vultu reſpicere digneris,

ris, & accepta habere, ſicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui juſti Abel, & ſacrificium patriarchae noſtri Abrae, & quod tibi obtulit ſummus ſacerdos tuus Melchiſedech ſanctum ſacrificium immaculatam hoſtiam.

Supplices te rogamus, omnipotens Deus, jube haec perferri per manus ſancti Angeli tui in ſublime altare tuum, ante conſpectum divinae majeſtatis tuae, ut quotquot ex hac altaris participatione ſacroſanctum filii tui ✠ corpus & ✠ ſanguinem ſumpſerimus omni benedictione cœleſti gratia repleamur. Per Chriſtum.

Memento etiam, Domine, famulorum famularumque tuarum, qui nos praeceperunt cum ſigno fidei & dormiunt in ſomno pacis. Ipſis, & omnibus in Chriſto quieſcentibus locum refrigerii lucis & pacis ut indulgeas deprecamur. Per Chriſtum &c.

Nobis quoque peccatoribus, famulis tuis de multitudine miſerationum tuarum ſperantibus partem aliquam & ſocietatem donare digneris, cum tuis ſanctis Apoſtolis, & Martyribus, cum Joanne, Stephano, Matthia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agnete, Caecilia, Anaſtaſia, & cum omnibus ſanctis tuis, intra quorum nos conſortium non aeſtimator meriti, ſed veniae quaeſumus largitor admitte. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Per quem haec omnia, Domine, ſemper bona creas, ✠ ſanctificas, ✠ vivificas, ✠ benedicis & praeſtas nobis. Per ✠ ipſum & cum ✠ ipſo, & in ✠ ipſo eſt tibi Deo Patri omnipotenti in unitate Spiritus ſancti omnis honor virtus & gloria.

Per omnia ſecula ſeculorum. Amen. Oremus. Praeceptis ſalutaribus moniti & divina inſtitutione formati audemus dicere: Pater noſter qui es in caelis, ſanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita noſtra ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos a malo. Amen.

Libera nos quaeſumus Domine ab omnibus malis praeteritis praeſentibus & futuris, & intercedente beata & glorioſa ſemperque Virgine Dei genitrice Maria & beatis Apoſtolis tuis Petro & Paulo atque Andrea & omnibus ſanctis tuis da propitius pacem in diebus noſtris, ut ope miſericordiae tuae adjuti & a peccato ſimus ſemper liberi & ab omni perturbatione ſecuri. Per eundem Dominum. Pax Domini ſit ſemper vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo. Agnus Dei qui tollis peccata mundi miſerere nobis. Amen. Reſurrexi & adhuc tecum ſum. Alleluja. Poſuiſti ſuper me manum tuam. Alleluja. Mirabilis ſacta eſt ſcientia tua. Alleluja. Alleluja. *Pſ.* Domine probaſti me &c.

Or. Deus qui per unigenitum tuum hodierna die, aeternitatis nobis aditum devicta morte reſeraſti vota noſtra quae praeveniendo aſpiras, etiam adjuvando proſequere. Per &c.

Lectio epiſt. b. Pauli apoſt. ad Corinthios. Fratres expurgate vetus fermentum, ut ſitis nova conſperſio ſicut eſtis azimi. Etenim paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, ſed in azimis ſinceritatis & veritatis. Haec dies, quam fecit Dominus, exultemus & laetemur in ea. ℣. Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia ejus. Alleluja ℣. Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. ℣. Epulemur in azimis ſinceritatis & veritatis.

Marcum. In illo Maria Magdalenae & Maria, Jacobi & Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jeſum. Et valde mane una ſabbatorum veniunt ad monumentum orto jam ſole. Et dicebant ad invicem quis revolvet nobis lapidem ab oſtio monumenti? Et reſpicientes viderunt revolutum lapidem, erat quippe magnus valde. Et introeuntes in monumentum viderunt juvenem ſedentem in dextris coopertum ſtola candida & obſtupuerunt. Qui dicit illis: nolite expaveſcere, Jeſum quaeritis Nazarenum crucifixum, ſurrexit, non eſt hic, ecce locus ubi poſuerunt eum. Sed ite, & dicite diſcipulis ejus & Petro, quia praecedet vos in Galilaeam. Ibi cum videbitis, ſicut dixit vobis.

Of. Terra tremuit & quievit dum reſurgeret in judicio Deus. Alleluja.

Secr. Suſcipe, Domine, quaeſumus preces populi tui cum oblationibus hoſtiarum, ut paſchalibus initiata myſteriis, ad aeternitatis nobis medelam, te operante proficiant. Per &c.

Præf. Æquum & ſalutare. Te quidem, Domine, omni tempore, ſed in hac potiſſimum die glorioſius praedicare, cum paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Ipſe enim verus eſt agnus, qui abſtulit peccata mundi, qui mortem noſtram moriendo deſtruxit, & vitam reſurgendo reparavit. Et ideo cum Angelis & Archangelis &c.

Communicantes & diem ſacratiſſimum celebrantes reſurrectionis Domini noſtri Jeſu Chriſti ſecundum carnem. Sed & memoriam venerantes in primis glorioſae ſemper Virginis Mariae genitricis ejuſdem Dei & Domini noſtri. Sed & beatorum &c.

Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtrae, ſed & cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus; pro his quoque. *Verte folium retro.*

Com. Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Alleluja. Itaque epulemur in azimis ſinceritatis & veritatis. All. All. All.

Poſtcom. Spiritum nobis, Domine, tuæ charitatis infunde, ut quos ſacramentis paſchalibus ſatiaſti, tua facias pietate concordes. Per.

DE ASCENSIONE.

VIri Galilæi quid admiramini aſpicientes in cœlum All. quemadmodum vidiſtis eum aſcendentem in cœlum All. All. All.

Or. Concede quaeſumus omnipotens Deus, ut qui hodierna die unigenitum tuum redemptorem noſtrum ad cœlos aſcendiſſe credimus, ipſi quoque mente in cœleſtibus habitemus. Per &c.

Lect. Actuum Apoſt. Primum quidem ſermonem feci de omnibus, o Theophile, quæ cepit Jeſus facere & docere uſque in diem, qua praecipiens Apoſtolis per Spiritum Sanctum quos elegit aſſumptus eſt, quibus & præbuit ſeipſum vivum poſt paſſionem ſuam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei. Et conveſcens praecepit ab Jeroſolymis ne diſcederent, ſed expectarent promiſſionem Patris, quam audiſtis, inquit per os meum. Quia Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non poſt multos hos dies. Igitur qui convenerant, interrogabant eum dicentes, Domine, ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſrael. Dixit autem eis: non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta, quae Pater poſuit in ſua poteſtate, ſed accipietis virtutem ſupervenientis Spiritus Sancti in vos, & eritis mihi teſtes in Jeruſalem, & in omni Judaea & Sammaria, & uſque ad ultimum terrae. Et cum hoc dixiſſet videntibus illis elevatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum. Cumque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri adſtiterunt juxta illos in veſtibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi quid ſtatis aſpicientes in cœlum, hic Jeſus qui aſſumptus eſt a vobis in cœlum ſic veniet quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum.

℟. Aſcendit Deus in jubilatione, & Dominus in voce tubae. Alleluja. ℣. Dominus in Sina in Sancto aſcendens in altum captivam duxit. (ſic)

Sec. Marcum. In illo recumbentibus undecim diſcipulis apparuit illis Jeſus, & exprobravit incredulitatem illorum & duritiam cordis, quia his, qui viderant eum reſurrexiſſe non crediderant. Et dixit eis: euntes in mundum univerſum, prædicate evangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſal-

ſalvus erit; qui vero non crediderit condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint hæc ſequentur: In nomine meo Dæmonia eicient, linguis loquentur novis, ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint non eis nocebit, ſuper ægros manus imponent & bene habebunt. Et Dominus quidem Jeſus poſtquam loquutus eſt eis, aſſumptus eſt in cœlum & ſedit a dextris Dei. Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis.

Of. Aſcendit Deus in jubilatione, & Dominus in voce tubae. Alleluja.

Secr. Suſcipe, Domine, munera, quae pro Filii tui glorioſa aſcenſione deferimus, & concede propitius, ut a praeſentibus periculis liberemur, & ad vitam perveniamus aeternam. Per eumdem &c.

Praef. Qui poſt reſurrectionem ſuam omnibus diſcipulis ſuis manifeſtus apparuit, & ipſis cernentibus eſt elevatus in cœlum, ut nos divinitatis ſuae tribueret eſſe participes. Et ideo &c.

Communicantes & diem ſacratiſſimum celebrantes, quo Dominus noſter unigenitus filius tuus unam ſibi fragilitatis noſtrae ſubſtantiam in gloriae tuae dextera collocavit. Sed & memoriam &c.

Com. Pſallite Domino qui aſcendit ſuper cœlos cœlorum ad Orientem. Alleluja.

Poſtcom. Praeſta nobis quaeſumus omnipotens & miſericors Deus ut quae viſibilibus myſteriis ſumenda percepimus inviſibili conſequamur effectu. Per &c.

DOMINICA PENTECOSTES.

SPiritus Domini replevit orbem terrarum. all. & hoc quod continet omnia ſcientiam habet vocis, all. all. Pſ. Exurgat Deus &c.

Or. Deus qui hodierna die corda fidelium Sancti Spiritus illuſtratione docuiſti, da nobis in eodem Spiritu recta ſapere & de ejus ſemper conſolatione gaudere.

Lectio act. Apoſtol. In diebus illis. Cum complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes diſcipuli pariter in eodem loco, & factus eſt repente de cœlo ſonus tanquam advenientis Spiritus vehementis & replevit totam domum ubi erant ſedentes. Et apparuerunt illis diſpertitæ linguae tanquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum, & repleti ſunt Spiritu Sancto, & cœperunt loqui variis linguis prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. Erant autem in Jeruſalem habitantes Judaei viri religioſi ex omni natione, quae ſub cœlo eſt. Facta autem hac voce convenit multitudo & mente confuſa eſt, quoniam audiebat unuſquiſque lingua ſua illos loquentes. Stupebant autem omnes, & mirabantur dicentes: nonne ecce omnes iſti qui loquuntur Galilaei? Et quomodo nos audivimus unuſquiſque linguam noſtram in qua nati ſumus? Parthi & Medi & Elamitae, & qui habitant Meſopotamiam, Judeam & Cappadociam, Pontum & Aſiam, Frigiam & Pamphiliam, Ægyptum & partes Libiae, quae eſt circa Cyrenem, & advenae Romani, Judaei quoque & Proſelyti, Cretes & Arabes audivimus eos loquentes noſtris linguis magnalia Dei.

Alleluja. Emitte Spiritum tuum & creabuntur & renovabis faciem terrae. Alleluja ℣. Spiritus Domini replevit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia ſcientiam habet vocis.

Sec. Johannem. In illo dixit Jeſus diſcipulis ſuis: Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus & manſionem apud eum faciemus. Qui non diligit me ſermones meos non ſervat, & ſermonem quem audiſtis non eſt meus, ſed ejus qui miſit me Patris. Haec locutus ſum vobis apud vos manens. Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quaecumque dixero vobis. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat ego do vobis. Non turbetur cor veſtrum neque formidet. Audiſtis quia ego dixi vobis: vado & venio ad vos. Si diligeretis me gauderetis utique, quia vado ad Patrem, quia pater major me eſt. Et nunc dixi vobis priuſquam fiat, ut cum factum fuerit credatis. Jam non multa loquar vobiſcum. Venit enim princeps mundi hujus, & in me non habet quicquam. Sed ut cognoſcat mundus quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater ſic facio.

Of. Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis a templo ſancto tuo quod eſt in Jeruſalem, tibi offerent reges munera. Alleluja.

Secr. Munera Domine oblata ſanctifica, & corda noſtra Sancti Spiritus illuſtratione emunda. Per &c.

Praef. Per Chriſtum &c. Qui aſcendens ſuper omnes cœlos, ſedenſque ad dexteram tuam promiſſum Spiritum Sanctum hodierna die in filios adoptionis effudit. Quapropter profuſis gaudiis totus in orbe terrarum mundus exultat. Sed & ſupernae virtutes atque angelicae poteſtates hymnum gloriae tuae concinunt ſine fine dicentes.

Communicantes & diem ſacratiſſimum Pentecoſtes celebrantes, quo Spiritus Sanctus. *Ut ſupra.*

Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtrae. *Require retro.*

Com. factus eſt repente de cœlo ſonus advenientis ſpiritus vehementis ubi erant ſedentes. Alleluja. Et repleti ſunt omnes Spiritu Sancto loquentes magnalia Dei. Alleluja. All.

Poſtcom. Sancti Spiritus, Domine, corda noſtra mundet infuſio, & ſui roris intima aſperſione fœcundet. Per &c.

In K. Novembris. Vigilia omnium Sanctorum.

Timete Dominum *Pſ.* Benedicite ℟. Juſtorum animæ in. ℣. viſi ſunt oculis inſipientium.

Of. Laetamini.

Com. Juſtorum animae.

Or. Domine Deus noſter multiplica ſuper nos gratiam tuam, & quorum praevenimus glorioſa ſolemnia, tribue ſubſequi in ſancta profeſſione laetitiam. Per. &c.

Lectio libri Apocal. Joannis Apoſt. Ecce ego Joannes vidi in medio throni & quatuor animalium, & in medio ſeniorum agnum ſtantem tanquam occiſum habentem cornua ſeptem, & ſeptem oculos, qui ſunt ſeptem Spiritus Dei miſſi in omnem terram. Et venit & accepit librum de dextera ſedentis in throno. Et cum aperuiſſet librum, quatuor animalia, & viginti quatuor ſeniores ceciderunt coram agno habentes ſinguli cytharas & phialas aureas plenas odoramentorum quae ſunt orationes Sanctorum. Et cantabant canticum novum dicentes: Dignus es, Domine accipere librum & aperire ſignacula ejus, quoniam occiſus es, & redemiſti nos, Deus, in ſanguine tuo ex omni tribu & lingua & populo & natione & feciſti nos Deo noſtro regnum & ſacerdotes & regnabunt ſuper terram. Et vidi & audivi vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium & ſeniorum. Et erat numerus eorum milia milium dicentium ſalus Deo noſtro. Dignus eſt agnus qui occiſus eſt aperire virtutem & divinitatem & ſapientiam & fortitudinem & honorem & gloriam & benedictionem in ſecula ſeculorum. Amen.

Secundum Lucam. In illo elevatis Jeſus oculis in diſcipulos ſuos dicebat: beati pauperes, quia veſtrum eſt regnum cœlorum. Beati qui nunc eſuritis, quia ſaturabimini. Beati qui nunc fletis quia ridebitis. Beati eritis cum vos oderint homines, & cum ſeparaverint vos & exprobraverint, & ejecerint nomen veſtrum tanquam malum propter filium hominis. Gaudete in illa die & exultate; ecce enim merces veſtra multa eſt in cœlo.

Secr. Altare tuum, Domine Deus, muneribus cumulamus oblatis, da quaeſumus ut ad ſalutem noſtram omnium Sanctorum precatione proficiant, quorum ſolemnia ventura praecurrimus. Per &c.

Praef.

Præf. Æterne Deus. Reverentiae tuae dicato jejunio gratolantes, quia veneranda omnium Sanctorum ſolemnia deſideratis praevenimus officiis, ut ad eadem celebranda ſolemniter perveniamus, per Chriſtum. &c.

Poſtcom. Sacramentis, Domine, & gaudiis optata celebritate expletis, quaeſumus ut eorum precibus adjuvemur, quorum recordationibus exhibentur. Per

M. omnium Sanctorum.

Gaudeamus omnes. *Pſ.* exultate juſti. ℟. Timete Dominom ℣. Inquirentes. Alleluja. ℣. Judicant ſancti nationes & dominabuntur populis, & regnabit illorum Rex in aeternum.

Of. Mirabilis.

Com. Gaudeta.

Or. Omnipotens ſempiterne Deus, qui nos omnium Sanctorum tuorum ſob una tribuiſti celebritate venerari; quaeſumus ut deſideratam nobis tuae propitiationis abundantiam, multiplicatis intereeſſionibus largiaris. Per &c.

L. Apocal. Joan. apoſt. Ecce ego Joannes vidi alterum angelum aſcendentem ab ortu ſolis habentem ſignum Dei vivi, & elamavit voce magna quatuor angelis, quibus datum eſt nocere terrae & mari, neque (ſie) arboribus quoadusque ſignemus ſervos Dei noſtri in frontibus eorum. Et audivi nomerum ſignatorum eentum quadraginta quatuor milia ſignati ex omni tribu filiorum Iſrael. Ex tribu Juda duodecim milia ſignati. Ex tribu Ruben XII. milia ſignati. Ex tribu Gad XII. milia ſignati. Ex tribu Aſer XII. milia ſignati. Ex tribu Neptalim XIJ. milia ſignati. Ex tribu Manaſſe XII. milia ſignati. Ex tribu Simeon XII. milia ſignati. Ex tribu Levi XII. milia ſignati. Ex tribu Iſacar XII. milia ſignati. Ex tribu Zabulon XII. milia ſignati. Ex tribu Joſeph. XII. milia ſignati. Ex tribu Beniamin XII. milia ſignati. Poſt haec vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis ſtantes ante thronum, & in conſpectu agni amicti ſtolis albis, & palmae in manibus eorum, & clamabant voce magna dicentes: ſalus Deo noſtro, qui ſedet ſuper thronum, & agno. Et omnes Angeli ſtabant in circuitu throni, & ſeniorum & quatuor animalium, & ceciderunt io conſpectu throni in facies ſuas & adoraveront Deum dicentes: Amen. Benedictio, & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, honor & virtus & fortitudo Deo noſtro in ſecula ſeculorum. Amen.

Secundum Matthæum. In illo videns Jeſus turbas aſcendit in montem & cum ſediſſet acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus; & aperiens os ſuum, docebat eos dicens: Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnom cœlorum. Beati mites quoniam ipſi poſſidebunt terram. Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur. Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Beati eſtis cum maledixerint vobis homines, & perſecuti fuerint vos, & dixerint omne malum adverſum vos mentientes propter me. Gaudete & exultate quoniam merces veſtra copioſa eſt in caelis.

Secr. Munera tibi, Domine, noſtrae devotionis offerimus, quae & pro cunctorum tibi grata ſint honore juſtorum, & nobis ſalutaria te miſerante reddantur. Per &c.

Præf. Æterne Deus, clementiam tuam ſuppliciter obſecrantes, ut cum exultantibus ſanctis in cœleſtis regni cubilibus gaudia noſtra conjungas, & quos virtutis imitatione non poſſumus ſeqni, debitae venerationis conjungamus affectu. Per &c.

Poſtcom. Da quaeſumus, Domine, fidelibus tuis populis omnium Sanctorum ſemper veneratione laetari, & eorum perpetua ſupplicatione muniri. Per &c.

VIII. Kal. Jan. Natal. Domini. Miſſa in media nocte.

Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. *Pſ.* Quare.

Or. Deus, qui hanc ſacratiſſimam noctem veri luminis feciſti illoſtratione clareſcere; da quæſumus, ut cujus lucis myſterium in terra cognovimus, ejus quoque gaudiis cœlo perfruamur. Per eundem.

Lectio ad Titum. Cariſſime. Apparuit gratia Dei Salvatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem & ſecularia deſideria ſobrie & juſte & pie vivamus in hoc ſeculo, expectantes beatam ſpem, & adventum gloriae magni Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti qui dedit ſemetipſum pro nobis ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem ſectatorem bonorum operum. Haec loquere & exhorare in Chriſto Jeſu Domino noſtro.

℟. Tecum principium in die virtutis tuae in ſplendoribus Sanctorum, ex utero ante luciferum genui te. ℣. Dixit Dominos Domino meo ſede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Alleluja. Dominus dixit ad me: Filius meus eſt tu, ego hodie genui te.

Sec. Lucam. In illo exiit edictum a Caeſare Auguſto ut deſcriberetur univerſus orbis. Hæc deſcriptio prima facta eſt a praeſide Syriae Cyrino. Et ibant omnes, ut profiterentur ſinguli in ſuam civitatem. Aſcendit autem & Joſeph a Galilæa de civitate Nazareth in Judæam civitatem David, quae vocatur Bethleem, eoquod eſſet de domo & familia David, ut profiteretur cum Maria ſibi uxore prægnante. Factum eſt autem, cum eſſent ibi, impleti ſunt dies ut pareret, & peperit filium ſuum primogenitum, & pannis eum involvit & reclinavit eum in praeſepio, quia non erat ei locus in diverſorio. Et paſtores erant in regione eadem vigilantes & cuſtodientes vigilias noctis ſupra gregem ſuum. Et ecce Angelus Domini aſtitit juxta illos & claritas Dei circumfulſit illos, & timuerunt timore magno. Et dixit illis Angelus: nolite timere: Ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo; quia natus eſt vobis hodie ſalvator, qui eſt Chriſtus Dominus in civitate David. Et hoc vobis ſignum: invenietis infantem pannis involutum, & poſitum in praeſepio. Et facta eſt ſubito cum Angelo multitudo militiæ caeleſtis laudantium Deum & dicentium Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

Of. Lætentur cœli, & exultet terra ante faciem Domini, quoniam venit.

Secr. Accepta tibi ſit Domine quaeſumus hodiernae feſtivitatis oblatio, ut tua gratia largiente, per haec ſacroſancta commercia, in illis inveniamur forma, in quo tecum eſt noſtra ſubſtantia. Qui tecum.

Præf. Cujus divinae nativitatis potentia ingenita virtutis tuae genuit magnitudo. Quem ſemper filium, & ante tempora eterna genitum, quem tibi pleno atque perfecto aeterni patris nomen non defuit, praedicamus; & honore majeſtate atque virtute æqualem tibi cum Spiritu Sancto confitemur, & in trino vocabulo unam credimus majeſtatem. Et ideo.

Communicantes & noctem ſacratiſſimam celebrantes, qua beatæ Mariae intemerata virginitas huic mundo edidit Salvatorem, ſed & memoriam venerantes ejuſdem glorioſae ſemper Virginis Mariae genitricis Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti. Sed & beatorum &c.

Com. In ſplendoribus Sanctorum ex utero ante luciferum genui te.

Poſtcom. Da nobis quaeſumus Domine Deus noſter, ut qui nativitatem Domini noſtri Jeſu Chriſti nos frequentare gaudemus, dignis converſationibus ad ejus mereamur pertingere conſortium. Per eumdem.

Miſ-

Digitized by Google

Miſſa de luce.

Lux fulgebit hodie ſuper nos, quia natus eſt nobis Dominus & vocabitur admirabilis Deus princeps pacis, pater futuri ſeculi, cujus regni non erit finis. *Pſ.* Dominus regnavit:

Or. Da nobis quaeſumus omnipotens Deus, ut qui nova incarnati verbi tui luce perfundimur, hoc in noſtro reſplendeat opere, quod per fidem fulget in mente. Per &c.

Alia Anaſtaſiæ. Da quæſumus omnipotens Deus ut qui beatæ Anaſtaſiæ martyris tuæ ſolemnia colimus, ejus apud te patrocinia ſentiamus. Per &c.

Lectio ad Titum Cariſſime, apparuit benignitas & humanitas Salvatoris noſtri Dei, non ex operibus juſtitiæ quae fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum; ut juſtificati gratia ipſius, hæredes ſimus ſecundum ſpem vitae æternæ in Chriſto Jeſu Domino noſtro.

℟. Benedictus, qui venit in nomine Domini: Dominus Deus & inluxit nobis. ℣. A Domino factum eſt, & eſt mirabile in oculis noſtris. Alleluja. ℣. Dominus regnavit, decorem induit, induit Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe virtute.

Sec. Lucam. In illo Paſtores loquebantur ad invicem dicentes: tranſeamus uſque Bethleem, & videamus hoc verbum quod factum eſt, quod Dominus oſtendit nobis. Et venerunt feſtinantes, & invenerunt Mariam & Joſeph & infantem poſitum in praeſepio. Videntes autem cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc. Et omnes qui audierunt mirati ſunt, & de his quae dicta erant a paſtoribus ad ipſos. Maria autem conſervabat omnia verba haec, conferens in corde ſuo. Et reverſi ſunt paſtores glorificantes & laudantes Deum in omnibus quae audiverant & viderant, ſicut dictum eſt ad illos.

Off. Deus enim firmavit orbem terrae, qui non commovebitur. Parata ſedes tua Deus, ex tunc a ſeculo tu es.

Secr. Munera quaeſumus, Domine, nativitatis hodiernae myſteriis apta proveniant, ut ſicut homo genitus, idem refulſit Deus, ſic nobis haec terrena ſubſtantia conferat quod divinum eſt. Per eundem &c.

Alia. Accipe quaeſumus, Domine, munera dignanter oblata, & beatae Anaſtaſiae ſuffragantibus meritis, ad noſtrae ſalutis auxilium pervenire concede. Per &c.

Præf. Quia noſtri Salvatoris hodie lux vera proceſſit, quae clara nobis omnia & intellectu manifeſtavit & viſu. Et ideo.

Alter. Qui ut de hoſte generis humani major victoria duceretur, non ſolum per viros virtutem martyrii, ſed de eo etiam per feminas triumphaſti. Et ideo.

Com. Exulta, filia Sion, lauda filia Jeruſalem, ecce Rex tuus venit ſanctus & Salvator mundi.

Poſtcom. Hujus nos, Domine, ſacramenti ſemper novitas natalis inſtauret, cujus nativitas ſingularis humanam repulit vetuſtatem. Per &c.

Alia. Satiaſti, Domine, familiam tuam muneribus ſacris, ejus quaeſumus ſemper interventione nos refove, cujus ſolemnia celebramus. Per &c.

In die Natalis Domini.

Puer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, cujus imperium ſuper humerum ejus, & vocabitur nomen ejus magni conſilii Angelus. *Pſ.* Cantate Domino.

Or. Concede quaeſumus, omnipotens Deus, ut nos unigeniti tui nova per carnem nativitas liberet, quos ſub peccati jugo vetuſta ſervitus tenet. Per.

Ad Hebraeos. Multifarie multiſque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, noviſſime diebus iſtis locutus eſt nobis in filio, quem conſtituit hæredem univerſorum, per quem fecit & ſecula. Qui cum ſit ſplendor gloriae & figura ſubſtantiae ejus, portanſque omnia verbo virtutis ſuae, purgationem peccatorum faciens, ſedet ad dexteram majeſtatis in excelſis, tanto melior Angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen haereditavit. Cui enim dixit aliquando Angelorum filius meus es tu, ego hodie genui te. Et rurſum: ego ero illi in patre, & ipſe erit mihi in filio. Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terrae, dicit, & adorent eum omnes Angeli Dei. Et ad Angelos quidem dicit: qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis. Ad filium autem: thronus tuus Deus in ſeculum ſeculi, virga aequitatis, virga regni tui. Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea unxit te Deus Deus tuus oleo exultationis prae participibus tuis. Et tu in principio, Domine, terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt coeli. Ipſi peribunt, tu autem permanebis, & omnes ut veſtimentum veteraſcent. Et velut amictum mutabis eos & mutabuntur. Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.

℟. Viderunt omnes fines terrae ſalutare Dei noſtri. Jubilate Deo omnis terra. ℣. Notum fecit Dominus ſalutare ſuum ante conſpectum gentium revelavit juſtitiam ſuam. Alleluja. ℣. Dies ſanctificatus illuxit nobis: Venite gentes & adorate Dominum, quia hodie deſcendit lux magna ſuper terram, Allel. Multifarie olim Deus loquens in prophetis, noviſſime diebus iſtis locutus nobis in filio tuo.

Seq. S. Evang. ſec. Joannem. In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt. In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebrae eam non comprehenderunt. Fuit homo miſſus a Deo, cui nomen erat Joannes; hic venit in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de lumine; ut omnes crederent per illum: non erat ille lux, ſed ut teſtimonium perhiberet de lumine; erat lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognovit. In propria venit, & ſui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum dedit eis poteſtatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine ejus, qui non ex ſanguinibus neque ex voluptate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Et verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti a Patre plenum gratiae & veritatis.

Off. Tui ſunt coeli & tua eſt terra, orbem terrarum, & plenitudinem ejus tu fundaſti, juſtitiam & judicium praeparatio ſedis tuae.

Secr. Oblata, Domine, munera nova unigeniti tui nativitate ſanctifica, noſque a peccatorum noſtrorum maculis emunda. Per &c.

Præf. Quia per incarnati Verbi myſterium nova mentis noſtrae oculis lux tuae claritatis effulſit, ut dum viſibiliter Deum cognoſcimus, per hunc inviſibilium amore rapiamur. Et ideo.

Communicantes & diem ſacratiſſimum celebrantes, quo beatae Mariae intemerata virginitas huic mundo edidit Salvatorem. Sed & memoriam &c.

Com. Viderunt omnes fines terrae ſalutare Dei noſtri.

Poſtcom. Praeſta quaeſumus, omnipotens Deus, ut natus hodie Salvator mundi, ſicut divinae nobis generationis eſt auctor, ita & immortalitatis ſit ipſe largitor. Qui tecum, &c.

Ordo pro Cathecumenis.

Cum venerint ante eccleſiam, ab Accolytho pronuncientur nomina infantum. Tunc presbyter unicuique faciat crucem in fronte dicens: Signo te ſigna-

Digitized by Google

ſignaculo Dei Patris omnipotentis, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

. . . . fides, quae tibi praeſtat vitam aeternam, haec eſt autem vita aeterna: diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis, & proximum tuum ſicut te ipſum. *Quomodo vocatur nomen ejus*. ℞. N. . . . . Accipe Spiritum Sanctum. Pax tecum. Dominus vobiſcum. ℞. Et cum ſpiritu tuo.

Or. Omnipotens ſempiterne Deus Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, reſpicere dignare ſuper hunc, hanc, hos, has, famulum, am, os, as, tuum, am, os, as N. quem, am, os, as ad rudimenta fidei vocare dignatus es, omnem caecitatem cordis ab eo, is, a, expelle; dirumpe omnes laqueos Sathanae, quibus fuerat, ant, colligatus, a, i, ae; aperi ei, is, Domine januam pietatis tuae, ut ſigno ſapientiae tuae imbutus, a, i, ae, omnium cupiditatum foetoribus careat, nt, & ad ſuavem odorem praeceptorum tuorum laetus, a, i, ae in eccleſia tua deſerviat, nt, & proficiat, nt de die in diem, ut idoneus, a, i, ae efficiatur, ntur accedere ad gratiam baptiſmi tui, percepta medicina. Per eumdem.

Preces noſtras, quaeſumus Domine, clementer exaudi, & hunc, anc, os, as electum, am, os, as, tuum, am, os, as crucis Dominicae cujus impreſſione eum, am, os, as ſignamus virtute cuſtodi, ut magnitudinis gloriae tuae rudimenta ſervans, tes per cuſtodiam mandatorum tuorum ad regenerationis gratiam pervenire mereatur, ntur. Per eumdem.

Deus, qui humani generis ita es conditor, ut ſis etiam reformator, propitiare filiis adoptionis, & novo teſtamento ſobolem novae prolis adſcribe, ut filius, a, i, ae promiſſionis, quod non potuit, erunt aſſequi per naturam, gaudeat ſe recepiſſe per gratiam. Per Dominum.

Benedictio Salis.

Exorcizo te, creatura ſalis, in nomine Dei ✠ Patris omnipotentis, & in charitate ✠ Domini noſtri Jeſu Chriſti, & in virtute ✠ Spiritus Sancti. Exorcizo te per ✠ Deum vivum, & per ✠ Deum verum, qui te ad tutelam humani generis procreavit, & populo venienti ad credulitatem per ſervos ſuos conſecrari praecepit, ut in nomine ſanctae Trinitatis efficiaris ſalutare ſacramentum ad effugandum inimicum. Proinde rogamus te Domine Deus noſter, ut hanc creaturam ſalis ſanctificando ſanctifices, benedicendo benedicas, ut fiat omnibus accipientibus perfecta medicina permanens in viſceribus eorum in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Benedic, omnipotens Deus hanc creaturam ſalis tua benedictione caeleſti in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, & in virtute Sancti Spiritus tui ad effugandum inimicum, quam ſanctificando ſanctifices, benedicendo benedicas, fiatque omnibus perfecta medicina permanens in viſceribus ſumentium in nomine ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chriſti. Qui &c.

Hic pone ſal in ore infantis. Accipe ſal ſapientiae, ut ſit tibi propitiatio in vitam aeternam, Amen. Pax tibi. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Deus patrum noſtrorum, Deus univerſae auctor veritatis, te ſupplices exoramus, ut hunc, anc, os, as famulum am, os, as tuum am, os, as N. reſpicere digneris propitius, & hoc primum pabulum ſalis guſtantem, non diutius eſurire permittas, quominus cibo expleatur ntur caeleſti, quatenus ſit nt ſemper, Domine ſpiritu fervens, tes, ſpe gaudens tes tuo ſemper nomini ſerviens tes. Perduc eum am, os, as ad novae regenerationis lavacrum, ut cum fidelibus tuis promiſſionum tuarum aeterna praemia conſequi mereantur Per &c.

Super maſculos.

Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob, Deus qui Moyſi famulo tuo in monte Synai apparuiſti, & filios Iſrael de terra Ægypti, deputans eis Angelum pietatis tuae, qui cuſtodiret eos die ac nocte: te quaeſumus Domine, ut mittere digneris ſanctum Angelum tuum, ut ſimiliter cuſtodiat & hunc anc, os, as famulum am, os, as tuum am, os, as N. & perduc eum am, os, as ad gratiam baptiſmi tui.

Ergo, maledicte Diabole, recognoſce ſententiam tuam, & da honorem Deo vivo & vero, da honorem Jeſu Chriſto filio ejus, & Spiritui Sancto, & recede ab hoc famulo a, is Dei, quia iſtum os ſibi Deus & Dominus noſter Jeſus Chriſtus ad ſuam ſanctam gratiam & benedictionem fontemque baptiſmatis vocare dignatus eſt, & hoc ſignum crucis, quod nos fronti ejus orum damus, tu maledicte diabole, nunquam audeas violare.

Super feminas.

Deus coeli, Deus terrae, Deus Angelorum, Deus Archangelorum, Deus Prophetarum, Deus Apoſtolorum, Deus Martyrum, Deus Confeſſorum, Deus Virginum, Deus omnium bene viventium, Deus cui omnis lingua confitetur, & omne genuflectitur coeleſtium, terreſtrium, & infernorum, te invoco, Domine, ſuper hanc as famulam as tuam as N. ut ducere eam as digneris ad gratiam baptiſmi tui.

Ergo, maledicte, &c.

Super maſculos.

Deus immortale praeſidium omnium poſtulantium, liberatio ſupplicum, pax rogantium, vita credentium, reſurrectio mortuorum, te invoco ſuper hunc os famulum os tuum os N. qui baptiſmi tui donum petens tes, aeternam conſequi gratiam ſpirituali regeneratione deſiderat nt: accipe eum os, Domine, & quia dignatus es dicere: petite & accipietis, quaerite & invenietis, pulſate & aperietur vobis: petentibus itaque manum porrige, & januam pande pulſantibus, ut aeterna caeleſtis lavachri conſecutus i promiſſa tui muneris regna percipiat nt. Per &c.

Super maſculos.

Audi, maledicte ſatana, adjuratus per nomen aeterni Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti filii ejus, cum tua victus invidia tremens, gemenſque diſcede. Nihil tibi ſit commune cum ſervo is Dei jam caeleſtia cogitante ibus, renuntiante ibus tibi a ſeculo tuo, & beatae immortalitatis victuro is. Da igitur honorem advenienti Spiritui Sancto, qui ex ſumma coeli arce deſcendens, perturbatis fraudibus tuis, divino fonte purgatum pectus, ideſt ſanctificatum Deo templum & habitum perficiat, ut ab omnibus penitus noxis praeteritorum criminum liberatus i ſervus i Dei gratias perennes Deo referat nt ſemper & benedicat nt nomen ejus ſanctum in ſecula ſeculorum. Amen.

Super feminas.

Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob, Deus qui tribus Iſrael de Ægyptia ſervitute liberaſti per Moyſem famulum tuum, de cuſtodia mandatorum tuorum in deſerto monuiſti, & Suſannam de falſo crimine liberaſti, te ſupplex deprecor, Domine, ut videas & hanc as famulam as tuam as N. & perducere eam as digneris ad gratiam baptiſmi tui.

Ergo, maledicte &c.

Super maſculos.

Exorcizo te immunde ſpiritus in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, ut exeas & recedas ab hoc is famulo is Dei N. ipſe enim tibi imperat, damnate, qui pedibus ſupra mare ambulavit, & Petro mergenti dexteram porrexit.
Ergo, &c.

Super feminas.

Exorcizo te immunde ſpiritus, ut exeas, & recedas ab hac is famula bus Dei N. ipſe enim tibi imperat maledicte damnate, qui caeco nato oculos aperuit, & quatriduanum Lazarum de monumento ſuſcitavit.
Ergo, maledicte &c.

Super utroſque.

Æternam ac juſtiſſimam pietatem tuam deprecor, Domine ſancte Pater omnipotens aeterne Deus, ſuper hunc os famulum os tuum os, & ſuper hanc famulam as tuam as N. ut digneris eos illuminare lumine intelligentiae tuae. Munda eos & ſanctifica. Da eis ſcientiam veram, ut digni efficiantur accedere ad gratiam baptiſmi tui, teneant firmam ſpem, conſilium rectum, doctrinam ſanctam, ut apti ſint ad percipiendam gratiam baptiſmi tui.

His expletis legat Evangelium.

Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo.
Matth. In illo oblati ſunt Jeſu parvuli, ut manus eis imponeret & oraret. Diſcipuli autem increpabant eos. Jeſus autem ait illis: ſinite parvulos venire ad me, talium eſt enim regnum coelorum, nolite prohibere eos. Et cum impoſuiſſet ei manus, abiit inde.
Poſtea ponat manum ſuper caput infantis & dicat: Credo in unum Deum Patrem omnipotentem factorem &c. Pater noſter &c.

Super maſculos.

Nec te latet ſatana imminere tibi poenas, imminere tibi tormenta, imminere tibi diem judicii, diem ſupplicii ſempiterni, diem, qui venturus eſt, velut clibanus ardens, in quo tibi atque univerſis Angelis tuis aeternus ſuperveniet interitus, & ideo pro tua nequitia damnate atque damnande, da honorem Deo vivo, da honorem Jeſu Chriſto filio ejus & Spiritui Sancto in cujus nomine atque virtute praecipio tibi quicumque es, immunde ſpiritus, ut exeas & recedas ab hoc famulo Dei N. quem hodie Deus & Dominus noſter Jeſus Chriſtus ad ſuam ſanctam gratiam & benedictionem fontemque baptiſmatis dono vocare dignatus eſt, ut fiat ejus templum per aquam regenerationis in remiſſionem omnium peccatorum in nomine ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui venturus &c.
Deinde tangat eum de ſputo, invocato nomine ejus dicat. In aurem dexteram Epheta, *quod eſt*, aperire. *Ad nares* In odorem ſuavitatis. *In aurem ſiniſtram* Tu autem effugare, diabole, appropinquabit enim judicium Dei.

Benedictio fontis.

Dominus vobiſcum. Oremus.
Omnipotens ſempiterne Deus adeſto pietatis tuae myſteriis, adeſto ſacramentis, & ad recreandos novos populos, quos tibi fons baptiſmatis parturit, ſpiritum adoptionis emitte, ut quod noſtrae humilitatis gerendum eſt myſterio tuae virtutis impleatur effectu.
Per omnia ſecula ſeculorum. Amen. Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo. Surſum corda. Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo noſtro. Dignum & juſtum eſt.
Praef. Æterne Deus. Qui inviſibili potentia ſacramentorum tuorum mirabiliter operaris effectum, & licet nos tantis myſteriis exequendis ſimus indigni, tu tamen gratiae tuae dona non deſerens, etiam ad noſtras preces aures tuae pietatis inclina. Deus cujus ſuper aquas inter ipſa mundi primordia ferebatur, ut jam tunc virtutem ſanctificationis aquarum natura conciperet. Deus qui nocentis mundi per aquas abluens regenerationis ſpeciem in ipſa diluvii effuſione ſignaſti, ut unius ejuſdemque elementi myſterio, & finis eſſet vitiis & origo virtutibus. Reſpice, Domine, in faciem eccleſiae tuae, & multiplica in ea regenerationes tuas, qui gratiae tuae affluentis impetu laetificas civitatem tuam fontemque baptiſmatis aperis toto orbe terrarum gentibus innovandis, ut tuae majeſtatis imperio ſumat unigeniti tui gratiam de Spiritu Sancto.

Hic cum manu ſua dividat aquam in modum Crucifixi.

Qui hanc aquam regenerandis hominibus præparatam arcana ſui luminis admixtione fœcundet ut ſanctificatione concepta ab immaculato divini fontis utero, in novam renata creaturam progenies cæleſtis emergat, & quos aut ſexus in corpore aut ætas diſcernit in tempore omnes in unam pariat gratiam; nunc infantiam. Procul ergo hinc jubente te Domine, omnis ſpiritus immundus abſcedat. Procul tota nequitia diabolicae fraudis abſiſtat. Nihil hic loci habeat contrariae virtutis admixtio, non inſidiando circumvolet, non latendo ſurripiat, non inficiendo corrumpat. Sit hæc ſancta & innocens creatura ab omni impugnatoris incurſu, & totius nequitiæ purgata diſceſſu. Sit fons ✠ vivus, aqua ✠ regenerans, unda ✠ purificans, ut omnes hoc lavacro ſalutifero diluendi, operante in eis Spiritu Sancto perfectæ purgationis indulgentiam conſequantur. Unde ✠ & benedico te creatura aquæ per Deum ✠ vivum per Deum ✠ ſanctum, per Deum, qui te in principio verbo ſeparavit ab arida, cujus ſpiritus ſuper te ferebatur, qui te de paradiſo manare & in quatuor fluminibus totam terram rigare præcepit. Qui te in deſerto amara ſuavitate indita fecit eſſe potabilem, & ſitienti populo de petra produxit. Benedico ✠ te & per Jeſum Chriſtum filium ejus unicum Dominum noſtrum, qui te in Cana Galilaeae ſigno admirabili ſuae potentiae convertit in vinum. Qui pedibus ſuper te ambulavit, & a Joanne in Jordane in te baptizatus eſt. Qui te una cum ſanguine de latere ſuo produxit, & diſcipulis ſuis juſſit ut credentes baptizarentur in te dicens: ite, docete omnes gentes baptizantes eos in nomine ✠ Patris, ✠ & Filii, & ✠ Spiritus Sancti.

Hic mutat vocem quaſi legens.

Hæc nobis praecepta ſervantibus, tu Deus omnipotens, clemens adeſto, tu benignus aſpira.

Hic ſufflat tribus vicibus in aqua.

Tu has ſimplices aquas tuo ore benedicito, ut præter naturalem emundationem, quod lavandis poſſunt adhibere corporibus, ſint etiam purificandis mentibus efficaces. *Recipit vocem* Deſcendat in hanc plenitudinem fontis virtus Spiritus Sancti. *Hic pone cereum in aqua.* Totamque hujus aquæ ſubſtantiam regenerandi fœcundet effectum. Hic omnium peccatorum maculae deleantur. Hic natura ad imaginem tuam condita, & ad honorem ſui reformata principii cunctis vetuſtatibus ſqualoribus emundetur; ut omnis homo hoc ſacramentum regenerationis ingreſſus in veræ innocentiæ novam infantiam renaſcatur. Per &c.

Dum

Digitized by Google

Dum ponis criſma in aqua ſic dicis.

Sanctificetur & fœcundetur fons iſte in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen.

Dum miſcis oleum.

Conjunctio olei unctionis & aquæ baptiſmatis, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen.

Poſtea interroget nomen ejus.

Abrenuntias Satanæ? ℞. Abrenuntio. *Int.* & omnibus operibus ejus. ℞. Abrenuntio. *Int.* Et omnibus pompis ejus. ℞. Abrenuntio.

Poſtea faciet ✠ cum pollice in pectore & ſcapulis.

Et ego linio te oleo ſalutis in Chriſto Jeſu Domino noſtro, ut habeas vitam æternam. Amen.

Deinde ſacerdos interroget nomen infantis tenens manum ſuper caput ejus.

Credis in Deum Patrem omnipotentem creatorem cœli & terræ? ℞. Credo. *Int.* Credis & in Jeſum Chriſtum filium ejus unicum Dominum noſtrum natum & paſſum? ℞. Credo. *Int.* Credis & in ſpiritum Sanctum ſanctam eccleſiam catholicam. Sanctorum communionem. Remiſſionem peccatorum. Carnis reſurrectionem, & vitam æternam? ℞. Credo. *Tunc ſuſcipiat eum Sacerdos & dicat ſic*, Quid petis? ℞. Baptiſmum. *Int.* Vis baptizari. ℞. Volo. *Et baptizet eum ſic*: Et ego baptizo te in nomine Patris. *mergat caput*. Et filii *deinde pedes*. Et Spiritus Sancti Amen: *tunc totum corpus*.

Quem cum levaverint a fonte teneant eum, & liniat eum chriſmate in cerebro.

Deus omnipotens Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui te regeneravit ex aqua & Spiritu Sancto; quique dedit tibi remiſſionem omnium peccatorum, ipſe te liniat chriſmate ſalutis in Chriſto Jeſu Domino noſtro, ut habeas vitam æternam Amen.

Deinde induat eum veſtimentis.

Accipe veſtem candidam ſanctam & immaculatam, quam perferas ante tribunal Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut habeas vitam æternam. Amen.

Poſtea det ei candelam in manu dextera.

Accipe lampadem irreprehenſibilem: cuſtodi baptiſmum tuum, ut cum venerit Dominus ad nuptias, poſſis ei occurrere una cum ſanctis in aula cœleſti, habeaſque vitam æternam, & vivas in ſæcula ſæculorum. Amen. *Deinde communicetur*. Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat te in vitam æternam Amen.

Baptiſterium ad ſuccurrendum infirmum.

Medelam tuam deprecor, Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, qui ſubvenis in periculis, qui temperas flagella dum verberas: te ergo, Domine, ſupplices deprecamur ut hunc ane os as famulum tuum eruas ab hac ægritudine, ut non prævaleat inimicus uſque ad animæ tentationem, ſicut in Job ei terminum pone, ne inimicus de anima iſta ſine redemptione baptiſmatis incipiat triumphare. Differ ab eo, is Domine exitum mortis, & ſpatium vitae, extende releva quem am os as perducas ad gratiam baptiſmi tui. Per. &c. *deinde fac ordinem ut ſupra*. Effeta. *quod eſt adaperire ut ſupra.*

Poſtquam catechizaverit eum: benedic aquam his verbis.

Exorcizo te creatura aquæ in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti filii Dei & Spiritus Sancti. Si quid fantaſia, ſi qua virtus inimici, ſi quæ incurſio Diaboli eradicare & effugare ab hac creatura aquae, ut fiat fons ſaliens in vitam æternam. Et cum baptizatus æ i fuerit ut hic aec i famulus ae i Domini fiat templum Dei vivi in remiſſionem omnium peccatorum in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Qui &c.

Inter. Abrenuntias Satanae. Ut ſupra &c.

ABSOLUTIO SUPER POENITENTES TALI MODO DICATUR.

DOmine ne in furore. Beati quorum. Domine ne in furore. Miſerere mei. Domine exaudi. De profundis.

Domine exaudi. Gloria. Kirie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kirie eleiſon. Pater noſter. Et ne nos. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam & ſalutare tuum &c.

Domine non ſecundum peccata noſtra facias nobis.
Domine ne memineris iniquitatum noſtrarum.
Adjuva nos Deus ſalutaris noſter propter gloriam.
Convertere Domine uſquequo,
Salvos fac ſervos tuos & ancillas tuas.
Domine exaudi orationem meam. Dominus vobiſcum.

Oremus. Adeſto, Domine ſupplicationibus noſtris, & me qui etiam primus indigeo, clementer exaudi, & quem non electione meriti, ſed dono gratiæ tuæ conſtituiſti operis hujus miniſtrum, da fiduciam tui muneris exequendi, & ipſe in noſtro miniſterio quod tuae pietatis eſt operare. Per &c.

Præſta quæſumus Domine his famulis tuis dignum Pœnitentiæ fructum, ut eccleſiæ tuæ, a cujus integritate deviarant peccando, admiſſorum veniam conſequendo reddantur innoxii xiæ. Per &c.

Præveniat hos has famulos as tuos as quæſumus Domine miſericordia tua, ut omnes iniquitates eorum arum celeri indulgentia deleantur. Per &c.

Deus miſericors, Deus clemens, Deus qui ſecundum multitudinem miſerationum tuarum peccata pœnitentium deles & praeteritorum criminum culpas gratia remiſſionis evacuas: reſpice ſuper hos as famulos as tuos, as & remiſſionem ſibi omnium peccatorum ſuorum tota cordis confeſſione poſcentes deprecatus exaudi. Renova in eis piiſſime Pater quicquid terrena fragilitate corruptum, vel quicquid diabolica fraude violatum eſt, & in unitatem corporis eccleſiæ tuæ membrum perfecta remiſſione reſtitue. Miſerere Domine gemituum, miſerere lacrymarum, & non habentem tes fiduciam niſi in tua miſericordia, ad ſacramentum tuæ reconciliationis admitte. Per &c.

Precamus, Domine, clementiam tuæ majeſtatis ac nominis, ut his famulis tuis peccata & facinora ſua confitentibus veniam dare, & praeteritorum criminum errata relaxare digneris, qui humeris tuis ovem perditam reduxiſti ad caulas, qui publicani precibus vel confeſſione placatus es: tu etiam Domine & his famulis tuis placatus, tu eorum precibus benignus aſſiſte, ut in confeſſione flebili permanentes clementiam tuam celeriter exorent, & ſanctis altaribus tuis reſtituti, ſpei rurſus æternæ & cœleſti gloriæ reformentur. Per &c.

Majeſtatem tuam Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus ſupplices deprecamur, qui non mortem ſed vitam peccatorum ſemper inquiris, reſpice flentes famulos as tuos as, attende proſtratos tas eorumque car. planctum in gaudium tua miſeratione converte. Scinde delictorum ſaccum & indue eos eas lætitia ſalutari, ut poſt longam peregrinationis famem de ſanctis altaribus tuis ſatientur, ingreſſique cubiculum regis in ipſius aula benedicant nomen gloriæ tuæ ſemper. Per eumdem &c.

Digitized by Google

Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, nec ſit ab his famulis labos tuis clementiae tuae longinqua miſeratio: ſana vulnera eorumque ear. remitte peccata, ut nullis a te iniquitatibus ſeparati tæ tibi Domino ſemper valeant adhaerere. Per &c.

Exsudi Domine ſupplicum preces & confitentium tibi parce peccatis, ut pariter eis indulgentiam tribues benignus & pacem. Per &c.

Exaudi, Domine, preces noſtras & confitentium tibi parce peccatis, ut quos em conſcientiæ reatus accuſat, indulgentia tuæ miſerationis abſolvat. Per &c.

Domine Deus noſter, qui offenſione noſtra non vinceris ſed ſatisfactione placaris, reſpice quæſumus, hos famulos tuos, qui ſe tibi peccaſſe graviter confitentur. Tuum eſt enim ablutionem criminum dare, & veniam præſtare precantibus, qui dixiſti pœnitentiam te malle peccatorum quam mortem. Concede ergo Domine hoc ut tibi pœnitentiæ excubias celebrent, & correptis actibus ſuis conferri ſibi a te ſempiterna gaudia gratulentur. Per &c.

Deus humani generis benigniſſime conditor, & miſericordiſſime reformator, qui hominem invidia diaboli ab æternitate dejectum unici filii tui ſanguine redemiſti: vivifica famulos tuos & famulas tuas, quos tibi nullatenus mori deſideras, & qui non derelinquis devios, aſſume correctos. Moveant pietatem tuam quæſumus Domine, horum famulorum famularumque tuarum lacrymoſa ſuſpiria. Tu eorum medere vulneribus, tu jacentibus manum porrige ſalutarem, ne eccleſia tua aliqua ſui corporis portione vaſtetur, ne grex tuus detrimentum ſuſtineat, ne de familiae tuae damno inimicus exultet, ne renatos lavacro ſalutari mors ſecunda poſſideat. Tibi ergo, Domine, ſupplices preces, tibi fletum cordis effundimus. Tu parce confitentibus, ut ſic in hac mortalitate peccata ſua te adjuvante defleant, qualiter in tremendi judicii die ſententiam damnationis evadant. Neſciant quod terret in tenebris, quod ſtridet in flammis, atque ab erroris via ad iter reverſi juſtitiae, nequaquam ultra priſtinis vulneribus ſaucientur, ſed integrum ſit eis atque perpetuum, & quod gratia tua contulit, & quod miſericordia reformavit. Per eumdem &c.

Abſolutio.

Vice ſancti Petri Apoſtolorum principis, cui a Domino collata eſt poteſtas ligandi atque ſolvendi, cujus etiam vice & nos licet indigni fulcimur, abſolvimus vos fratres & ſorores, in quantum veſtra expetit accuſatio, & ad nos pertinet remiſſio, ab omnibus peccatis veſtris quaecumque in cogitatione, locutione, operatione negligenter egiſtis, ſitque vobis omnipotens Deus redemptor noſter vita ſalus & remiſſio omnium peccatorum indultor. Qui cum Patre &c.

Super peregrinos.

Domine ne in furore. Per ordinem, Kirie eleiſon, Pater noſter. Et ne. Salvos fac ſervos tuos & ancillas tuas. Mitte eis Domine. Beati immaculati in via. Domine exaudi orationem meam. Dominus vobiſcum.

Oremus. Deus, cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere ſuſcipe deprecationem noſtram, & quos delictorum catena conſtringit, miſeratio tuae pietatis abſolvat. Per &c.

Deus qui miſericordiam tuam ſperantibus in te ſemper impendis, & nuſquam es a ſervientibus tibi longinquus, concede famulis tuis proſperum iter, ut te protectore ac duce per juſtitiae callem ſine offenſione gradiantur. Per &c.

Domine ſancte Pater omnipotens aeterne Deus, qui es ductor Sanctorum, & dirigis itinera juſtorum, dirige angelum pacis cum famulis tuis qui eos ad loca deſtinata perducat, ſit illis comitatus jucundus, ut nullus viae illorum ſurripiat inimicus, procul ab eis ſit inimicorum deceſſus, & comes eis eſſe dignetur Spiritus Sanctus. Per &c.

Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris & viam famulorum tuorum in ſalutis tuae proſperitate diſpone, ut inter omnes viae & vitae hujus varietates tuo ſemper protegantur auxilio. Per &c.

Deus infinitae miſericordiae & majeſtatis immenſae, quem nec ſpatia locorum nec intervalla temporum ab his quos tueris disjungunt, adeſto famulis tuis in te ubique fidentibus, & per omnem quam ituri ſive reverſuri ſunt viam dux eis & comes eſſe dignare, nihil difficultatis obſiſtat, cuncta eis ſalubria, cuncta ſint proſpera, & ſub ope dexterae tuae quicquid juſto expetierint deſiderio celeri conſequantur effectu, Per &c.

Hic do peram.

In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti accipe hanc peram habitum peregrinationis tuae, ut bene caſtigatus & ſalvatus pervenire merearis ad limina Apoſtolorum ſive aliorum quo pergere cupis, & peracto itinere tuo ad nos incolumis reverti merearis. Per &c.

Hic baculum.

Accipe hunc baculum ſuſtentationis itineris ac laboris peregrinationis tuae, ut devincere valeas omnes catervas inimici, & pervenire ſecurus ad limina Sanctorum, quo pergere cupis, & peracto obedientiae curſu ad nos iterum revertaris cum gaudio, Per &c.

Ad viſitandum infirmum.

Dominus vobiſcum. Introeat, Domine, domum hanc ſub noſtrae humilitatis ingreſſu aeterna felicitas, divina proſperitas, ſerena laetitia, charitas fructuoſa, ſanitas ſempiterna. Effugiat ex hoc acceſſus daemonum: adſint Angeli pacis ingreſſus, domumque hanc deſerat effugata diſcordia, & pax illaeſa poſſideat. Magnifica, Domine, ſuper nos nomen tuum, & benedic noſtrae converſationi. Sanctifica hoc habitaculum, ſanctifica noſtrae humilitatis ingreſſum, qui ſanctus & pius es, & permanes cum Patre & Spiritu Sancto in ſaecula ſaeculorum. Amen.

Benedictio ſalis.

Exorcizo te creatura ſalis per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ verum, per Deum ſanctum, per Deum qui te per Heliſeum prophetam in aquam mitti juſſit, ut ſanaretur ſterilitas aquae, ut efficiaris ſal exorcizatum in ſalutem credentium, & ſis omnibus te ſumentibus ſanitas animae & corporis, & effugiat atque diſcedat ab eo loco a quo aſperſus fueris omnis fantaſia & nequitia vel verſutia diabolicae fraudis omniſque ſpiritus immundus adjuratus per eum qui venturus judicare vivos.

Oremus. Immenſam clementiam tuam omnipotens aeterne Deus humiliter imploramus, ut hanc creaturam ſalis, quae in uſum humani generis tribuiſti ✠ benedicere ✠ ſanctificare tua pietate digneris, ut ſit omnibus ſumentibus ſalus mentis & corporis, & quicquid eo tactum vel reſperſum fuerit, careat omni immunditia, omnique impugnatione ſpiritualis nequitiae. Per eundem. &c.

Benedictio aquae.

Exorcizo te creatura aquae in nomine Dei Patris ✠ omnipotentis, & in nomine Jeſu ✠ Chriſti filii ejus Domini noſtri & in virtute Spiritus Sancti, ut fias aqua exorcizata ad effugandum omnem poteſtatem inimici, & ipſum inimicum eradicare & explantare cum angelis ſuis apoſtaticis per virtutem ejuſdem.

Deus qui ad ſalutem humani generis maxima quaeque ſacramenta in aquarum ſubſtantiam condidiſti, adeſto propitius invocationibus noſtris, & elemento

huic

Digitized by Google

huic multi modis purificationibus praeparato virtutem tuae benedictionis infunde, ut creatura myſteriis tuis ſerviens ad abiciendos daemones, morboſque pellendos divinæ gratiae ſumat effectum, ut quicquid in domibus, vel in locis fidelium haec unda reſperſerit careat omni immunditia, liberet a noxa, non illic reſideat ſpiritus peſtilens, non aura corrumpens, diſcedant omnes inſidiae latentis inimici, & ſi quid eſt, quod aut incolumitati habitantium invidet aut quieti, aſperſione hujus aquae effugiat, ut ſalubritas per invocationem tui nominis expetita, ab omnibus ſit impugnationibus defenſa. Per eundem &c.

Commiſce ſal cum aqua.

In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen. Dominus vobiſcum.

Deus invictae virtutis auctor & inſuperabilis imperii rex ac ſemper magnificus triumphator, qui adverſae damnationis vires reprimis, qui inimici rugientis ſaevitiam ſuperas, qui hoſtiles nequitias potens expugnas, te, Domine trementes & ſupplices deprecamur, ac petimus ut hanc creaturam ſalis & aquae dignanter accipias, benignus illuſtres, pietatis tuae more ſanctifices, ut ubicumque fuerit aſperſa, per invocationem ſancti tui nominis omnis infeſtatio immundi ſpiritus abiiciatur, terrorque venenoſi ſerpentis procul pellatur, & praeſentia ſancti Spiritus, nobis miſericordiam tuam poſcentibus ubique adeſſe dignetur. Per Dominum &c.

In ſpargenda aqua cantetur. Aſperges me Domine yſopo & mundabor lavabis me & ſuper nivem dealbabor. *Pſ.* Miſerere mei Deus. Oſtende nobis &c.

Exaudi nos Domine Sancte Pater omnipotens aeterne Deus, & mittere dignare ſanctum Angelum tuum de coelis, qui nos cuſtodiat, foveat, protegat, viſitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo &c.

Antiph. vivo ego dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur & vivat. Deinde VII. pſalmos poenitentiales & antiph.

Kirie eleiſon,
Chriſte eleiſon,
Kirie eleiſon.
Chriſte audi nos,
Chriſte exaudi nos.

Sancta Maria,	ora pro illo.
Sancta Dei genitrix	ora
Sancta Virgo Virginum.	ora
Sancte Michael.	ora
Sancte Gabriel.	ora
Sancte Raphael.	ora
Omnes Sancti Archangeli	orate
Sancte Johannes Baptiſta.	ora
Omnes Sancti Patriarchae & Prophetae.	orate
Sancte Petre.	ora
Sancte Paule.	ora
Sancte Andrea.	ora
Sancte Jacobe.	ora
Sancte Johannes.	ora
Sancte Thoma.	ora
Sancte Jacobe.	ora
Sancte Philippe.	ora
Sancte Bartholomaee.	ora
Sancte Matthaee.	ora
Sancte Symon.	ora
Sancte Juda.	ora
Sancte Matthia.	ora
Sancte Barnaba.	ora
Sancte Luca.	ora
Sancte Marce.	ora
Omnes Sancti Apoſtoli & Evangeliſtae.	orate
Omnes ſancti Diſcipuli.	orate
Omnes Sancti Innocentes.	orate
Sancte Stephane.	ora
Sancte Line.	ora
Sancte Clete.	ora
Sancte Clemens.	ora
Sancte Sixte.	ora
Sancte Corneli.	ora
Sancte Cypriane.	ora
Sancte Laurenti.	ora
Sancte Vincenti.	ora
Sancte Griſone.	ora
Sancte Gorgoni.	ora
Sancte Joannes.	ora
Sancte Paule.	ora
Sancte Vitalis.	ora
Sancte Gervaſi.	ora
Sancte Protaſi.	ora
Sancte Nazari.	ora
Sancte Celſe.	ora
Sancte Dyoniſi.	ora
Sancte Maurici.	ora
Sancte Yppolite.	ora
Sancte Georgi.	ora
Sancte Chriſtophore.	ora
Sancte Sebaſtiane.	ora
Sancte Fabiane.	ora
Sancte Thimotee.	ora
Sancte Symphoriane.	ora
Sancte Polycarpe.	ora
Sancte Marcelle.	ora
Sancte Marcelline.	ora
Sancte Petre.	ora
Sancte Cypriane.	ora
Sancte Criſpiniane.	ora
Sancte Epimache.	ora
Sancte Neree.	ora
Sancte Achillee.	ora
Sancte Pancraci.	ora
Sancte Signati.	ora
Sancte Alexander.	ora
Sancte Evente.	ora
Sancte Theodole.	ora
Sancte Juliane.	ora
Sancte Quintine.	ora
Sancte Saturnine.	ora
Sancte Valentine.	ora
Sancte Tiburtii.	ora
Sancte Valeriane.	ora
Sancte Maxime.	ora
Sancte Felix.	ora
Sancte Ylari.	ora
Sancte Romane.	ora
Omnes Sancti Martyres.	orate
Sancte Julune.	ora
Sancte Silveſter.	ora
Sancte Leo.	ora
Sancte Gregori.	ora
Sancte Damaſe.	ora
Sancte Ambroſi.	ora
Sancte Geronime.	ora
Sancte Auguſtine.	ora
Sancte Gatiane.	ora
Sancte Hilari.	ora
Sancte Martine.	ora
Sancte Bricci.	ora
Sancte Nicolae.	ora
Sancte Benedicte.	ora
Sancte Germane	ora
Sancte Audoene.	ora
Sancte Ebrulfe.	ora
Sancte Baſili.	ora
Sancte Suplici.	ora
Sancte Remigii.	ora
Sancte Turibi.	ora
Sancte Pavaſci.	ora
Sancte Libori.	ora
Sancte Victure.	ora
Sancte Victuri.	ora
Sancte Innocens.	ora
Sancte Donnole.	ora
Sancte Bertranne.	ora
Sancte Banelfe.	ora

Sancte Winwaloe. ora
Sancte Ægidi. ora
Sancte Rigomeri. ora
Sancte Euſebi. ora
Sancte Litini. ora
Omnes ſancti Confeſſores. orate
Sancta Maria Magdalena. ora
Sancta Felicitas. ora
Sancta Perpetua. ora
Sancta Agatha. ora
Sancta Agnes. ora
Sancta Caecilia. ora
Sancta Lucia. ora
Sancta Anaſtaſia. ora
Sancta Columba. ora
Sancta Priſca. ora
Sancta Scholaſtica. ora
Sancta Petronilla. ora
Sancta Juliana. ora
Sancta Sabina. ora
Sancta Eularia. ora
Sancta Suſanna. ora
Sancta Euſemie. ora
Sancta Margarita. ora
Omnes Sanctae virgines. orate
Omnes Sancti. orate
Propitius eſto. parce nobis Domine.
Propitius eſto. parce ei Domine.
A periculo mortis. libera eum Domine.
A ſpiritu maligno. libera
A pondere peccatorum ſuorum. libera
A locis poenarum. libera
Ab ore putei. libera
Ab hoſte malo. libera
Ab inſidiis diaboli. libera
A vinculis diaboli. libera
A morte ſubitanea. libera
A poenis inferni. libera
Ab omni malo. libera
Per annuntiationem tuam. libera
Per adventum tuum. libera
Per incarnationem tuam. libera
Per nativitatem tuam. libera
Per circumciſionem tuam. libera
Per baptiſmum tuum. libera
Per jejunium tuum libera
Per paſſionem tuam. libera
Per crucem tuam. libera
Per ſepulcrum tuum. libera
Per ſanctam reſurrectionem tuam. libera
Per admirabilem aſcenſionem tuam. libera
Per Spiritum Sanctum Paraclitum. libera
Per miſericordiam tuam. libera
In die illo. libera
Peccatores. Te rogamus, audi nos.
Ut infirmum iſtum viſitare & confortare digneris. Te rog.
Ut ei vitam & ſanitatem donare digneris. Te rog.
Ut ſpatium poenitentiae ei dones. Te rog.
Ut ad gaudia aeterna eum perducere digneris. Te rog.
Ut ſpiritum famuli tui in ſinu Abrahae recipi jubeas. Te rog.
Ut a numero malorum diſcerni jubeas. Te rog.
Ut ad gaudia aeterna perducas. Te rog.
Ut eum dextera tua ſancta benedicere digneris. Te rog.
Ut requiem aeternam ei dones. Te rog.
Ut nos exaudire digneris. Te rog.
Fili Dei.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi parce ei Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi miſerere ei.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi dona ei requiem ſempiternam.
Chriſte audi nos.
Kirie eleiſon.
Chriſte eleiſon.
Kirie eleiſon.
Pater noſter. Et ne nos. Salvum fac ſervum tuum. Dominus opem fecit illi. Mitte ei Domine auxilium. Nihil proficiet inimicus. Dominus conſervet eum & vivificet eum, Domine exaudi orationem meam. Dominus vobiſcum. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Deus qui famulo tuo Ezechiae ter quinos annos ad vitam donaſti, ita & famulum tuum N. a lecto aegritudinis, tua potentia erigat ad ſalutem. Per &c.

Reſpice, Domine, famulum tuum N. in infirmitate ſui corporis laborantem, & animam refove quam creaſti, ut caſtigationibus emendatus, continuo ſe ſentiat tua medicina ſalvatum. Per &c.

Deus, qui facturae tuae pio ſemper dominaris effectu inclina aurem tuam ſupplicationibus noſtris & famulum tuum N. ex adverſa valetudine corporis laborantem placatus reſpice, & viſita in ſalutari tuo, ac caeleſtis gratiae praeſta medicinam. Per &c.

Deus qui humano generi & ſalutis remedium & vitae aeterna munera contuliſti, conſerva famulo tuo N. tuarum dona virtutum, & concede ut medelam tuam non ſolum in corpore, ſed etiam in anima ſentiat.

Virtutum caeleſtium Deus, qui ab humanis corporibus omnem languorem & omnem infirmitatem praecepti tui poteſtate depellis: adeſto propitius huic famulo tuo N. ut fugatis infirmitatibus & viribus receptis, nomen ſanctum tuum inſtaurata protinus ſanitate benedicat. Per &c.

Domine ſancte Pater omnipotens aeterne Deus, qui benedictionis tuæ gratiam aegris infundendo corporibus facturam tuam multiplici pietate cuſtodis, ad invocationem nominis tui benignus aſſiſte, & hunc famulum tuum liberatum aegritudine, & ſanitati donatum dextera tua erigas, virtute confirmes, poteſtate tuearis, eccleſiae tuae ſanctiſque altaribus tuis cum omni deſiderata proſperitate reſtituas. Per &c.

Majeſtatem tuam, Domine, ſupplices deprecamur, ut huic famulo tuo N. longo ſqualore poenitentiae macerato miſerationis tuae veniam largiri digneris, ut nuptiali veſte recepta ad regalem menſam unde dejectus fuerat mereatur introire. Per &c.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui ſubvenis in periculis & neceſſitate laborantibus, majeſtatem tuam ſuppliciter exoramus, ut mittere digneris ſanctum Angelum tuum, qui famulum tuum N. in anguſtiis & neceſſitatibus laborantem conſolationibus ſuis attollat, quibus & de praeſenti conſequatur auxilium, & remedia aeterna comprehendat. Per &c.

Domine ſancte Pater omnipotens aeterne Deus, qui fragilitate conditionis humanae infuſa virtutis tuae dignatione confirmas, ut ſalutaribus remediis pietatis tuae corpora noſtra & membra vegetent ſuper hunc famulum tuum N. propitiatus intende, ut omni neceſſitate corporeae infirmitatis excluſa, gratia in eo priſtinae ſanitatis perfecta reparetur. Per &c.

Omnipotens aeterne Deus, qui non mortem, ſed vitam peccatorum ſemper inquiris, reſpice flentem famulum tuum, attende proſtratum, ejuſque planctum in gaudium tua miſeratione converte, ſcinde delictorum ſaccum, & indue eum laetitia ſalutari, ut poſt longam peregrinationis famem de ſanctis altaribus ſocietur ingreſſuſque cubiculum Regis in ipſius aula benedicat nomen gloriae tuae ſemper. Per eundem.

Oremus. Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum fratres & cum omni ſupplicatione rogemus, ut hunc famulum ſuum N. per Angelum ſuum ſanctum viſitare, laetificare & confortare dignetur. Qui cum Patre &c.

Benedictio.

Dominus Jeſus Chriſtus apud te ſit, ut te defendat, amen. Intra te ſit, ut te reficiat, amen. Circa te ſit, ut te conſervet, amen. Ante te ſit, ut te deducat, amen. Poſt te ſit, ut te cuſtodiat, amen.

Digitized by Google

amen. Super te ſit, ut te benedicat. Qui cum Patre &c.

Benedicat te Deus Pater, amen. Sanet te Dei Filius, amen. Illuminet te Spiritus Sanctus, amen. Corpus tuum cuſtodiat, amen. Animam tuam ſalvet, amen. Cor tuum irradiet, amen. Senſum tuum dirigat, amen. Et ad ſupernam patriam te perducat. Qui cum Patre &c.

Benedicat te Deus coeli, amen. Adjuvet te Chriſtus filius Dei, amen. Corpus tuum in ſervitio ſuo cuſtodiri & conſervari faciat, amen. Mentem tuam illuminet, amen. Senſum tuum cuſtodiat, amen. Gratiam ſuam ad perfectum animae tuae in te augeat, amen. Ab omni malo te liberet, amen. Dextera ſua te defendat, amen. Qui ſanctos ſuos ſemper adjuvat, ipſe te adjuvare & conſervare dignetur, Per &c.

Benedicat te Deus Pater, qui in principio cuncta creavit ex nihilo, amen. Benedicat te Dei Filius, qui de ſupernis ſedibus pro nobis Salvator deſcendit, amen. Benedicat te Spiritus Sanctus, qui in ſimilitudine columbae in flumine Jordanis requievit in Chriſto, ipſeque te in Trinitate ſanctificet, quem omnes gentes venturum expectant ad judicium. Qui vivis, &c.

Benedicat te Deus Pater, amen. Cuſtodiat te Jeſus Chriſtus, amen. Illuminet te Spiritus Sanctus omnibus diebus vitae tuae, amen. Confirmet te virtus Chriſti altiſſimi, amen. Indulgeat tibi Deus omnia peccata tua. Qui &c.

Omnipotens ſempiterne Deus qui benedixiſti omnem creaturam a te factam, benedicere & ſanctificare digneris, & hunc famulum tuum, qui gratiam benedictionis tuae invenire deſiderat, deſcendatque ſuper eum tua larga benedictio, ſicut deſcendit ros ſuper faciem terrae, propriam quoque manum tuam de coelis emitte, & caput corpuſque illius tangat, ut de Spiritu Sancto percipiat gaudium, & benedictus permaneat in aeternum. Per &c.

Propitietur Dominus cunctis iniquitatibus hujus famuli tui N. & ſanet omnes languores illius, redimatque de interitu perpetuae mortis vitam ejus, & corroboret & faciet in bonis omnibus deſiderium ejus. Qui vivit &c.

Da veniam, Domine, famulo tuo, & clementer libera ab aegritudine corporis laborantem, & quem a tua juſtitia corrigis devium, celeri defende miſeratione correctum. Per &c.

Dominus Jeſus Chriſtus, qui dixit, qui me confeſſus fuerit coram hominibus confitebor, & ego eum coram Patre meo, ille te benedicat & cuſtodiat detque tibi remiſſionem omnium peccatorum. Qui cum &c.

Dominus Jeſus Chriſtus, qui dixit diſcipulis ſuis, quaecumque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in coelis, & quaecumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in coelo, de quorum numero quoſvis indignos nos eſſe voluit, ipſe te abſolvat per miniſterium noſtrum ab omnibus peccatis tuis quaecumque cogitatione, locutione, operatione negligenter egiſti, atque a nexibus peccatorum abſolutum perducere dignetur ad regna coelorum. Qui &c.

Abſolvimus te frater vice ſancti Petri Apoſtolorum Principis, cujus etiam vice collata eſt nobis poteſtas ligandi atque ſolvendi; ſed quantum tua expetit accuſatio, & ad nos pertinet remiſſio, ſit tibi Dominus redemptor vita & ſalus omnium peccatorum tuorum pius indultor. Amen.

Omnipotens Deus, qui beato Petro Apoſtolo ſuo licentiam dedit ligandi atque ſolvendi, ipſe te abſolvat ab omni vinculo peccatorum, amen. Et quantum meae fragilitati permittitur ſis abſolutus ante tribunal Domini noſtri Jeſu Chriſti, habeaſque vitam aeternam, & vivas in ſecula ſeculorum, amen.

Hic infirmus communicetur.

Accipe frater, *vel ſoror*, viaticum corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui te cuſtodiat & defendat ab hoſte maligno & perducat ad vitam aeternam, & reſuſcitet te in noviſſimo die quando venturus eſt.

Poſtcom. Domine ſancte Pater, omnipotens aeternae Deus te fideliter deprecamur, ut accipienti huic fratri (vel ſorori) noſtro ſacroſanctum corpus & ſanguinem Jeſu Chriſti filii tui Domini noſtri tam corpori, quam animae proſit ad remedium ſempiternum, amen &c.

Deinde unge.

Per iſtam ſanctam unctionem & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quicquid per viſum deliquiſti. Per auditum. Per odoratum. Per guſtum. Per tactum. Per ardorem libidinis. Per inceſſum. Per Chriſtum.

Domine Deus qui per Apoſtolum tuum locutus es: infirmatur quis in vobis inducat presbyteros eccleſiae & orent ſuper eum ungentes eum oleo ſancto in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit dimittentur ei. Cura ergo quaeſumus, redemptor noſter, gratia Spiritus Sancti languores iſtius infirmi, & ſua ſana vulnera, ejuſque dimitte peccata atque dolores cunctos cordis & corporis ab eo expelle, plenamque ei interius exteriuſque ſanitatem miſericorditer redde, ut ope miſericordiae tuae reſtitutus & ſanatus, ad priſtina pietatis tuae reparetur officia. Qui vivis &c.

Deus qui peccatores & ſcelerum onere vulneratos ſacerdotibus tuis oſtendere juſſiſti. Deus, qui diſcipulis tuis ut bene haberent manus ſuper infirmos ponere praecepiſti. Deus qui per Apoſtolos tuos infirmos ſacro oleo inungere, & pro eis orare docuiſti. Deus qui per impoſitionem ſacerdotum manuum cum ſancti tui nominis invocatione praecepta relaxari voluiſti: exaudi orationes noſtras & da huic famulo tuo infirmitatis noxa oppreſſo per hoc ſacrum myſterium, quod indignos famulos tuos agere docuiſti, remiſſionem omnium peccatorum, quatenus per hujus operationem myſterii, & per hanc ſacrati olei unctionem, & per manus noſtrae impoſitionem cuncta ejus facinora Sancti Spiritus gratia relaxantur, venia impetretur, ſanitas corporis & animae reſtituatur, fomenta etiam medicinae tuae eum interius exteriuſque imbuant, & a te ſanetur, ut non plus ei noceat conſcientiae reatus ad poenam, quam indulgentia & reconciliatio tuae pietatis atque remiſſionis ad veniam. Qui &c.

Domine Jeſu Chriſte qui es ſalvatio & redemptio noſtra & qui es vera ſalus & medicina, a quo etiam omnis ſanitas & medicamentum venit, qui apoſtoli tui voce nos inſtruis ut languidos olei liquore tangentes tuae poſtulemus miſericordiam pietatis, reſpice propitius ſuper hunc famulum tuum ab illa ſummitate cœlorum admirabili, ut quem languor curvat ad exitum, & virium contractio jam protrahit ad occaſum, medela tuae gratiae ſaluti reſtituat caſtigatum. Extingue in eo, Domine libidinum & febrium aeſtus, dolorum ſtimulos, ac vitiorum obtere cruciatus, aegritudinum ac cupiditatum tormenta diſſolve. Superbiae inflationem tumoremque compeſce, ulcera & putredines vitiorum evacua, viſcerum interna cordiumque ac medullarum & cogitationum ſana diſcrimina, conſcientiarum atque plagarum obducito cicatrices, phyſicis typiciſque adeſto periculis, veteres immenſaſque remove paſſiones, opera carnis & ſanguinis materia compone, ac delictorum veniam illi propitiatus, attribue, ſicque illum jugiter pietas tua cuſtodiat, ut nec ad perditionem te non auxiliante perducat infirmitas; fiatque ei haec olei ſacra perunctio concita morbi praeſentis expulſio, & peccatorum omnium optata remiſſio, te concedente, Salvator mundi. Qui vivis &c. In-

Digitized by Google

Incipit commendatio animæ.

Circumdederunt me gemitus mortis, dolores inferni circumdederunt me. In tribulatione mea invocavi Dominum, & exaudivit de templo ſancto ſuo vocem meam. *Pſ.* Diligam te Domine.

Omnipotens ſempiterne Deus conſervator animarum, qui quos diligis, corripis, & quos recipis pie ad emendationem coerces, te invocamus, Domine, ut in anima famuli tui N. medelam tuam conferre digneris qui in corpore patitur membrorum debilitatem, vim laboris, ſtimulos infirmitatum: da ei Domine gratiam tuam, ut in hora exitus illius de corpore abſque peccati macula tibi datori proprio per manus ſanctorum Angelorum repraeſentari mereatur ejus anima. Per &c.

Lectio Iſaiæ prophetæ. In diebus illis locutus eſt Iſaias propheta dicens: quaerite Dominum dum inveniri poteſt, invocate eum dum prope eſt. Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & revertatur ad Dominum, & miſerebitur ejus, & ad Deum noſtrum, quoniam multus eſt ad ignoſcendum.

℟. Si ambulem in medio umbrae mortis non timebo mala quoniam tu mecum es Domine. ℣. Virga tua & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt. Alleluja. ℣. qui ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorum.

Secundum Johannem. In illo reſpiciens Dominus Jeſus in diſcipulos ſuos, ait illis: amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti tollere & mittere in mare, & non haeſitaverit in corde ſuo, ſed perfecte crediderit, quia quodcumque dixerit, fiat, fiet ei. Propterea dico vobis: omnia quaecumque orantes petieritis, credite quia accipietis, & eveniet vobis.

Of. Si ambulavero in medio tribulationis vivificabis me, Domine, & ſuper iram inimicorum meorum extendes manum tuam, & ſalvum me fecit dextera tua.

Secr. Adeſto, Domine, pro tua pietate ſupplicationibus noſtris, & ſuſcipe hoſtiam quam tibi offerimus pro famulo tuo N. jacente in grabato ſalutem non corporis, ſed animae ſuae petente, praeſta ei omnipotens Deus indulgentiam iniquitatum omnium ſuarum propter immenſam miſericordiam tuam, & per interceſſionem Sanctorum tuorum, ut per hoc quod ſuſtinet flagellum a ſanctis angelis tuis ejus anima ſuſcepta pervenire mereatur ad tuae gloriae regnum. Per &c.

Com. Redime me Deus, Iſrael ex omnibus anguſtiis meis.

Poſtcom. Gratias agimus, Domine, multiplicibus largitatibus tuis, ex quibus animas in te ſperantium ſatiare conſueviſti, nam ...... tua pietate precamur, ut miſereri digneris famulo tuo N. ut non praevaleat adverſus eum adverſarius in hora exitus illius de corpore, ſed tranſitum habere mereatur ad vitam. Per &c.

Tunc adoret crucem.

Ecce, frater, *ſoror*, myſterium redemptionis noſtrae, adora & confitere tuum redemptorem.

Incipit commendatio Animæ.

Subvenite Sancti Dei, occurrite angeli Domini, ſuſcipientes animam ejus offerentes eam in conſpectu altiſſimi. ℣. Suſcipiat eam Chriſtus qui vocavit te & in ſinum Abrahae angeli deducant te. Offerentes &c. Kirie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kirie eleiſon. Pater noſter. Requiem aeternam. A porta inferi. Domine exaudi, Dominus vobiſcum. Tibi, Domine commendamus animam famuli tui N. ut defunctus ſaeculo tibi vivat, & quae per fragilitatem mundanae converſationis peccata admiſit, tu venia miſericordiſſimae pietatis abſterge. Per eum qui &c.

Deus pietatis & bonitatis invictae & ſempiternae clementiae, te ſuppliciter poſtulamus, ut animam famuli tui, quam de hujus ſeculi ærumnoſa peregrinatione praecepiſti vocari, univerſorum delictorum remiſſione conceſſa, in Abrahae gremio jubeas collocari. Obſecramus piiſſime Pater ut quem superni fontis genitalis abluit unda, edax non audeat contingere flamma; & quem unigeniti tui cruor redemit effuſus, non ſinatur vermis vorare perpetuus, ſed angelici agminis deductione protectus paradiſi tui potiatur ſuavitate, ſecurus & inter victricium turmarum triumphales catervas coronatus incedens, & a dextris ejuſdem Filii tui retributionem recepturus aſſiſtat & ſanctorum tuorum conſortio deputatus, regnum caeleſte poſſideat. Per eumdem.

Miſericordiam tuam, Domine ſancte Pater omnipotens aeterne Deus pietatis affectu rogare pro aliis cogimur, qui pro noſtris ſupplicare peccatis, ut dignum eſt nequaquam ſufficimus, tamen confiſi de tua gratuita pietate & ..... benignitate clementiam tuam depoſcimus, ut animam ſervi tui ad te revertentem cum pietate ſuſcipias. Adſit ei Angelus teſtamenti tui Michael, & per manus Sanctorum Angelorum tuorum inter Sanctos & electos tuos in finibus Abrahae, Iſaac, & Jacob patriarcharum tuorum eam collocare digneris, quatenus liberata de principibus tenebrarum, & de locis poenarum, nullis jam primae nativitatis ſuae fragilitatis confundatur erroribus, ſed potius .... & ad ſanctae beatitudinis requiem pervenire mereatur, atque cum magni judicii dies advenerit, inter ſanctos & electos tuos reſuſcitatus, gloria manifeſtae contemplationis ..... *reliqua deſiderantur.*

JOAN-

Digitized by Google

JOANNES DOMINICUS MANSI

LECTORIBUS.

IN *vetuſto codice bibliothecæ meæ eleganti, & auro ac coloribus exornato ſæculi* XII. *vel ſaltem ineuntis* XIII. *nactus ſum volumen iſtud cum inſcripto hoc titulo:* Liber divinorum operum ſimplicis hominis; *nec operoſa diſquiſitione inquirendum mihi fuit de authore, cum in ejus lectione offenderim vocem* ſcivias, *quam peculiarem eſſe S. Hildegardis virginis Germanæ, & divinis revelationibus ſæculo* XII. *celebris; ac reipſa ſub eo titulo ab ea ſcriptum indicari a Trithemio de Script. Eccleſ. comperi. Affert etiam idem Trithemius ſcripti illius initium, quod etiam in noſtro totidem verbis recurrit. Ac de authore nihil ultra ambigendum ſupererat; ſed & erat adhuc, de quo ſuſpicarer, num ſcilicet idem fuerit opus, quod prius vice ſimplici lucem aſpexit; conſului ea de re editionem Pariſienſem anno* 1513. *Jacobo Fabro curante vulgatam; factaque collatione agnovi aliud eſſe illud ab hoc noſtro, cum præſertim alius utrinque ſit titulus, aliud initium libri; ac denique editiones jam vulgatas ab authore ſuo ſcriptas fuiſſe cum ætatem ageret annorum* XLIII; *iſtud vero dediſſe ſe eadem Sanctiſſima Virgo anno ætatis ſuæ* LXV. *teſtatur; illud demum pertinet ad annum* 1141; *hoc vero ad annum* 1163; *demum opus excuſum in libros diſtinguitur tres; quod vero modo a me evulgatur unicus eſt quidem liber, ut & Trithemius indicat, ſed in partes tres diſtinctus.*

Ambiguitatis tamen aliquid adhuc remaneret cum in exordio operis hic evulgati legantur hæc verba: Et factum eſt in ſexto anno poſtquam mirabiles veraſque viſiones, in quibus per quinquennium laboraveram vera viſio indeficientis luminis &c............ Qui primus annus exordium præſentium viſionum fuit; *hunc vero annum illigat cum milleſimo centeſimo ſexageſimo tertio Chriſti, ætatis vero ſuæ* LXV. *Si prior viſio duravit quinquennio, & poſt illam antequam ſecunda inciperet ſexennii ſpatium interjacuit, recte hinc deducimus prioris viſionis exordium collocandum fuiſſe anno* 1152. *ætatis vero Hildegardis* LV. *Quomodo vero iſta cohæreant cum epocha prioris viſionis excuſæ ſignantis exordium illius anno* 1141. *ætatis vero Hildegardis* XLII? *Anno* 1141. *aetatiſque* XLII. *junge undecim pertinges ad annum Chriſti* 1152. *aetatis vero* LIII.

Nodus iſte vix, ac ne vix quidem ſolveretur, niſi viſiones tres ſtatuerimus. Prior quae excuſa eſt, cepit anno 1141. *quando autem deſierit ignoramus. Succeſſit vero altera cepta anno Chriſti* 1152. *aetatis vero Hildegardis* LIII. *eademque indicatur in viſione modo typis evulgata. Altera haec duravit quinquennio, ideſt ad annum Chriſti* 1157; *Hildegardis* LVIII. *Hanc excepit pauſa annorum* VI. *quae nos perducit ad exordium hujus viſionis optime illigatum cum anno Chriſti* 1163. *aetatis vero Hildegardis* LXV. *inceptorum.*

Ita chronologicis tricis expeditis, pauca nunc de opere ipſo dicenda ſunt. Mirum quantum abundat phyſicis rebus, ſive harum figuris, imaginibus, & ſimilitudine ad explicanda tum divina Fidei Catholicæ dogmata, & ſacroſancta Myſteria, tum humana, quæ ad noſtros mores componendos regendoſque ſpectant, vitiorum fuga, atque exercitatione virtutum omnium. Hic paſſim Dei gloria enarratur, ejuſque Attributa ac Perfectiones celebrantur, Bonitas, Miſericordia, Sapientia, Omnipotentia, Providentia, Juſtitia in creandis, conſervandis, ac ad ſuum ſingulis finem dirigendis rebus omnibus; in reparatione humani generis, in ſanctificatione ac remuneratione juſtorum, atque impiorum pœnis & in altera æterna vita pro culparum modo ſuſcipiendis.

Hoc Opus tanto in pretio ſemper habitum eſt, ut æqui rerum æſtimatores ſemper opinati fuerint, in hoc opere perlegendo meditandoque moleſtiam qualemcumque ac laborem, ſuaviſſimi fructus ubertate tanta levari, ut fere omnino tolli, aut vix ſentiri videatur. Quid de S. Hildegarde ejuſque Revelationibus, ac Scriptis non decrevit Trevirenſe Concilium ab Eugenio III. S. Pontifice præſente habitum? Ut enim Trithemius ait in Chronico Hirſaugienſi, Aderat ibi S. Pater Bernardus, quo mediante Summus Pontifex cum cæteris movebatur omnibus ne tam inſignem Lucernam ſilentio tegi pateretur; ſed gratiam tantam, quam Dominus ſuo tempore manifeſtaſſet, ipſe ſua auctoritate confirmaret. Ad hæc ſanctus Pontifex benigno favore conſentiens, devotam Chriſti Virginem literis ſalutatoriis viſitavit, in quibus ei licentiam auctoritate Apoſtolica proferendi & ſcribendi quæcunque per Spiritum Sanctum cognoviſſet, glorioſe conceſſit; eamque ut ſine timore revelata ſibi conſcriberet, animavit. *Ejuſmodi autem literas Eugenii PP. ad Hildegardem habet Severinus Binius in Concilio Trevirenſi, ex quo refert Manriques in Annal. Ciſtercienſ. ad an. Chriſti* 1148. *pag.* 101. *Eadem fere legas apud Baronium Annal. Eccl. tomo* XII. *an.* 1148. *& Surium in Vita S. Hildegardis. Quid plura? Et ipſe Guillelmus Cave in Hiſtoria litteraria Scriptorum Eccleſiaſticorum ad an.* 1170. *pag.* 684. *de S. Hildegarde hæc dicit:* Raris animi dotibus prædita, & egregia erga Deum pietate, erga religionem zelo inſignis, viſionibus divinitus conceſſis & propheticis inclareſcere quadragenaria jam cœpit. Cujus rei fama excitati Eugenius III. Papa, ac primores Galliæ Germaniæque Epiſcopi ac Abbates, & in his S. Bernardus viſiones illius Propheticas anno 1148. acriori examini ſubjecerunt, & infucatas deprehenderunt, & in Concilio Trevirenſi confirmaverunt. Eamdemque poſtea ſententiam ratam habuerunt Anaſtaſius IV. & Adrianus IV. Pontifices, qui

datis

Digitized by Google

datis ad illam literis, & ſe ipſos & Eccleſiam Romanam precibus ejus commendarunt. *Quidquid igitur Caſimirus Oudinus in Comment. de ſcriptoribus Eccl. To. 2. col. 1571. & ſeq.* & ſimilis furfuris homines effutiant, in lucem prodeat Opus digniſſimum, quod in eruditorum omnium manus deducatur, ab iiſque tandem aliquando majori cum fructu perlegatur attentius & veritatis amore.

INCIPIT LIBER DIVINORUM
OPERUM SIMPLICIS HOMINIS.

ET factum eſt in ſexto anno poſtquam mirabiles veraſque viſiones, in quibus per quinquennium laboraveram vera viſio indeficientis luminis mihi homini diverſitatem multiplicium morum, quam maxime ignoranti demonſtraverat, qui primus annus exordium praeſentium viſionum fuit, cum ſexaginta quinque annorum eſſem tanti myſterii & fortitudinis viſionem vidi, ut tota contremiſcerem, & pro fragilitate corporis mei inde aegrotare inciperem. Quam viſionem tandem per ſeptem annos ſcribendo vix conſummavi. Itaque in milleſimo centeſimo ſexageſimo tertio Dominicae incarnationis anno praſſura apoſtolicae ſedis nondum ſopita ſub Friderico Romanae dignitatis Imperatore vox de coelo facta eſt ad me dicens: O paupercula forma, quae es plurimorum laborum filia, multiſque & gravibus corporis infirmitatibus excocta. Sed tamen profunditate myſteriorum Dei perfuſa, haec quae interioribus oculis vides, & interioribus auribus animae percipis, ſtabili ſcripturae ad utilitatem hominum commenda, quatenus & homines per ea creatorem ſuum intelligant, eumque digno honore venerari non refugiant. Itaque ſcribe iſta non ſecundum cor tuum, ſed ſecundum teſtimonium meum, qui ſine initio & ſine vita ſum, nec per te inventa, nec per alium hominem praemeditata, ſed per me ante principium mundi praeordinata: quoniam ut ante creatum hominem ipſum praeſcivi, ſic etiam illa, quae ei neceſſaria ſunt, praevidi. Ego igitur paupercula & imbecillis forma, teſtificante homine illo, quem velut in prioribus viſionibus meis praefata ſum, occulte quaeſieram, & inveneram, teſtificante etiam eadem puella, cujus in ſuperioribus viſionibus mentionem feci, quam plurimis infirmitatibus contrita, manus tandem ad ſcribendum tremebunda converti. Quod dum facerem ſurſum ad verum viventſque lumen aſpexi quid ſcribere deberem, quoniam omnia quae a principio viſionum mearum ſcripſeram, vel quae poſtmodum ſciebam, in coeleſtibus myſteriis vigilans corpore & mente, interioribus oculis ſpiritus mei vidi, interioribuſque auribus audivi, & non in ſomnis, nec in extaſi, quemadmodum in prioribus viſionibus meis praefata ſum, nec quicquam de humano ſenſu veritate teſte protuli, ſed ea tantum quae in coeleſtibus ſecretis percepi. Iterumque vocem de coelo ſic me docentem audivi, & dixit: Scribe ergo ſecundum me in modum hunc.

Liber iſte cœptus eſt Rege Frederico eccleſiam perſequente.

Vox divina alloquitur ſcribentem, quatenus quae ei oſtenduntur ſcriptura commendet ad hominum utilitatem.

Hic loquitur ſcribens proteſtans quod cum .. gravetur infirmitatibus omnia e caelo revelata ſunt ei teſtantibus duabus perſonis.

PARS PRIMA
VISIO I.

Mirificæ viſionis, de qua ſequens opus pendet, poſitio, & in ea divinae cujuſdam imaginis in hominis forma apparentis, & habitus vel circumſtantiae ipſius ſubtilis deſcriptio.

I. „ ET vidi velut in medio auſtralis aeris pulchram mirificamque in myſterio Dei imaginem, quaſi hominis formam, cujus facies tantae pulchritudinis, & claritatis erat, ut facilius ſolem quam ipſam inſpicere poſſem. Circulus amplus, aureiſque coloris caput ejuſdem faciei circumdederat. In eodem autem circulo ſupra idem caput alia facies velut ſenioris viri apparuit, cujus mentum & barba verticem capitis hujus tangebat. Et ex utraque parte colli ejuſdem formae ala una praecedebat, quae ſupra praefatum circulum aſcendentes ſe ibi invicem conjungebant. In ſummitate autem arcuatae recurvationis hujus dexterae alae quaſi caput aquilae, quod igneos oculos habebat aſpiciebam, in quibus fulgor angelorum velut in ſpeculo apparebat. In ſummitate vero arcuatae recurvationis ſiniſtrae alae quaſi facies hominis erat, quae ſicut fulgur ſtellarum radiabat. Et facies iſtae ad orientem verſae erant. Sed ab utroque humero imaginis hujus ala una uſque ad genua ipſa extendebatur. Tunica quoque fulgori ſolis ſimili induebatur, & in manibus ſuis agnum, velut lucem diei ſplendidum habebat. Quoddam autem monſtrum horribilis formae venenoſi, nigrique coloris, & ſerpentem quendam ſub pedibus ſuis conculcabat, qui os ſuum dextrae auri ejuſdem monſtri infixerat, quique reliquum corpus ſuum in tranſverſum capitis ipſius incurvans caudam ſuam in ſiniſtro parte illius uſque ad pedes ejus extenderat. Et imago haec dicebat.

Verba ejuſdem imaginis, per quam Karitas intelligitur, igneam vitam ſubſtantiae Dei ſe nominantis, & multifaries potentiae ſuae effectus in diverſis creaturae naturis vel qualitatibus enarrantis.

II. Ego ſumma & ignea vis, quae omnes viventes ſcintillas accendi, & nulla mortalia efflavi, ſed illa dijudico ut ſunt, circumeuntem circulum cum ſuperioribus pennis meis, ideſt cum ſapientia circumvolans, recte ipſum ordinavi. Sed & ego ignea vita ſubſtantiae divinitatis ſuper pulchritudinem agrorum flammo, & in aquis luceo, atque in ſole, luna, & ſtellis ardeo, & cum aereo vento quadam inviſibili vita, quae cuncta ſuſtinet, vitaliter omnia ſuſcito. Aer enim in viriditate & in floribus vivit, aquæ fluunt, quaſi vivant; ſol etiam in lumine ſuo vivit, & cum luna ad defectum venerit a lumine ſolis accenditur, ut quaſi denuo vivat; ſtellae quo-

Deus ignea vita eſt, & omnibus creaturis vitam tribuit in quibus etiam lucet.

Principales venti columna mundi ſunt, quorum collateralis penna dicuntur.

Deus igneus vis eſt.

Deus eſt rationalitas.

Deus eſt integra vita.

quoque in lumine ſuo velut vivendo clareſcunt. Columnas etiam, quae totum orbem terrarum continent, conſtitui, idem ventos illos, qui pennas ſibi ſubditas, ſcilicet leniores ventos habent, qui lenitate ſua ipſis fortiores ſuſtinent, ne cum periculo ſe oſtendant, quemadmodum corpus animam tegit, & continet, ne exſpiret. Sicut etiam ſpiramen animae corpus firmando colligit, ut non deficiat, ſic quoque fortiores venti ſibi ſubjectos animant, ut officium ſuum congruenter exerceant. Ego itaque vis ignea in his lateo, ipſique de me flagrant, velut ſpiramen aſſidue hominem movet, & ut in igne ventoſa flamma eſt. Haec omnia in eſſentia ſua vivunt, nec in morte inventa ſunt, quoniam ego vita ſum. Rationalitas etiam ſum, ventum ſonantis verbi habens, per quod omnis creatura facta eſt, & in omnia haec ſufflavi, itaut nullum eorum in genere ſuo mortale ſit, quia ego vita ſum. Integra namque vita ſum, quae de lapidibus abſciſſa non eſt, & de ramis non fronduit, & de virili vi non radicavit, ſed omne vitale de me radicatum eſt. Rationalitas enim radix eſt, ſonans vero verbum, in ipſa floret. Unde cum Deus rationalis ſit, quomodo fieri poſſet, ut non operaretur, cum omne opus ipſius per hominem floreat, quem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam fecit, & omnes creaturas ſecundum menſuram in ipſo homine ſignavit. In aeternitate namque ſemper fuit, quod Deus opus ſuum ſcilicet hominem fieri voluit, & cum idem opus perfecit, omnes creaturas ut cum ipſis operaretur ei dedit, quemadmodum etiam ipſe Deus opus ſuum ideſt hominem fecerat. Sed & officialis ſum quoniam omnia vitalia de me ardent, & aequalis vita in aeternitate ſum, quae nec orta eſt, nec finietur, eademque vita ſe movens & operans Deus eſt, & tamen haec vita una in tribus viribus eſt. Æternitas itaque Pater, Verbum Filius, ſpiramen haec duo connectens Spiritus Sanctus dicitur, ſicut etiam Deus in homine, in quo corpus, anima, & rationalitas ſunt, ſignavit. Quod autem ſuper pulchritudinem agrorum flammo hoc terra eſt, quae materia illa eſt, de qua Deus hominem fecit, & quod in aquis luceo, hoc ſecundum animam eſt, quia ſicut aqua totam terram perfundit, ita anima totum corpus pertranſit; quod vero in ſole, & in luna ardeo, hoc rationalitas eſt; ſtellae autem innumerabilia verba rationalitatis ſunt. Et quod cum aereo vento quadam inviſibili vita, quae cuncta ſuſtinet, vitaliter omnia ſuſcito, hoc eſt, quoniam aere & vento ea quae in incremento procedunt, vegetata ſubſiſtunt a nihilo remota in id quod ſunt.

Omne opus Dei per hominem floret, in quo rationis creatura ſignatur.

Ab aeterno Deus voluit hominem fieri, cui ſubjecit omnes creaturas ut cum his operaretur.

Una vita eſt & una vis in tribus Trinitatis perſonis.

Anima totum corpus pertranſit.

Quod in hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam facto, omnem creaturam Deus ſignavit, & eum poſt lapſum ex ſola benignitatis caritate per incarnationem ſuam reparatum in beatitudine, quam prolapſus Angelus perdiderat, collocaverit, & quia hoc myſtica praeſcriptae viſionis ſignificatione monſtretur.

Nunc de homine.

III. Et iterum audivi vocem de coelo mihi dicentem: Deus, qui omnia creavit, hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam fecit, & in ipſo tam ſuperiores, quam inferiores creaturas ſignavit, eumque in tanta dilectione habuit, ut in locum de quo ruens Angelus ejectus erat, deſtinaret, & ad gloriam & honorem, quem ille in beatitudine perdiderat, ordinaret; hoc eſt viſio haec quam vides demonſtrat. Nam quod vides velut in medio auſtralis aeris pulchram mirificamque in myſterio Dei imaginem quaſi hominis formam; hoc eſt quod in fortitudine indeficientis divinitatis, pulchra in electione, & mirifica in donis ſecretorum ſuperni Patris caritas eſt, hominem oſtendens, quia cum filius Dei carnem induit, in caritatis officio hominem perditum redemit. Unde ejus facies tantae pulchritudinis & claritatis eſt, ut facilius ſolem quam ipſam inſpicere poſſis, quoniam largitas caritatis in tanta eminentia & choruſcatione donorum ſuorum eſt, ut omnem intellectum humanae ſcientiae, qua in animo diverſas res intelligere poteſt, ita tranſcendat, ut eam nullo modo in ſenſu ſuo capere valeat. Sed hic in ſignificatione oſtenditur, ut per ipſam ille in fide cognoſcatur, qui viſibilibus oculis viſibiliter non videtur.

Declaratio imaginis quae caritas eſt.

Nunc de caritate.

Deus non videtur oculis corporalibus.

Quod devota fides excellentiam divinae caritatis complectatur, & per hanc Deus in trinitate unus agnoſcatur; quodque ejuſdem fidei merito ipſe Deus homines protegendo ad coeleſtia reducat.

Declaratio circuli aurei qui eſt in capite imaginis qui catholicam fidem deſignat.

Declaratio capitis ſenioris.

IV. Et circulus amplus aureique coloris caput ejuſdem faciei circumdat, quia fides catholica per totum orbem terrarum diffuſa, in prima aurora eximii fulgoris ſurgens, excellentiam largitatis verae caritatis omni devotione complectitur, ubi Deus in humanitate filii ſui hominem redemit, & per infuſionem Spiritus Sancti illum confirmavit, ita ut unus Deus in trinitate cognoſcatur, qui ſine tempore initii ante aevum Deus in divinitate fuit. Quod autem in eodem circulo ſupra idem caput alia facies velut ſenioris viri apparet, hoc eſt quod fidelibus omnis excellens benignitas Divinitatis, quae ſine initio & fine eſt, ſuccurrit, itaut ejuſdem faciei mentum & barba verticem capitis hujus tangat, quoniam divinitas diſponendo & protegendo omnem celſitudinem ſummae caritatis obtinet, ubi filius Dei in humanitate ſua perditos homines ad coeleſtia reducet.

Quod dilectio Dei & proximi virtute fidei roborata ſeparari non poſſit.

Declaratio alarum quae procedunt de collo imaginis.

Nunc de dilectione & caritate.

Adam ſplendidus fuit ante peccatum.

V. Et ex utraque parte colli ejuſdem formae ala una procedit, quae ſupra praefatum circulum aſcendentes ſe ibi invicem conjungunt, quia dilectio Dei & proximi per virtutem caritatis in unitate fidei procedentes, & per ſummum deſiderium eamdem fidem intra ſe comprehendentes ab invicem non ſeparantur, cum ſancta divinitas innumerabilem ſplendorem gloriae ſuae hominibus obnubilat, quamdiu in umbra mortis, coeleſtis veſtimenti, quod in Adam perdiderunt, expertes ſunt.

Quod quilibet Deo humili devotione ſubditus Spiritu Sancto juvante ignitus, & ſe ipſum in eo quod vitioſus eſt & diabolum ſuperet, & quod angeli de bonis juſtorum exultantes Dei omnipotentiam collaudent.

Declaratio capitis aquilae.

Nunc de homine ſubjecto & humili.

Aquila ſpirituales homines deſignat.

Nemo dinumerare valet miracula Dei.

VI. In ſummitate autem arcuatae incurvationis hujus dexterae alae, quaſi caput aquilae, quod igneos oculos habet, aſpicis, in quibus multitudo angelorum velut in ſpeculo apparet, quoniam in celſitudine triumphantis ſubjectionis, cum quilibet Deo ſubjectus ſe ipſum & diabolum ſuperat, celſus in beatitudine divinae protectionis efficitur. Et cum mentem ſuam ſurſum erigit, Spiritu Sancto ignitus, intentionemque ſuam ad Deum figit, in ipſa beati Spiritus perſpicue apparent, ac Deo devotionem cordis illius offerunt. Nam in aquila ſpirituales homines deſignantur, qui omni devotione cordis ſui, in contemplatione Deum frequenter velut angeli intuentur. Quapropter beati Spiritus Deum aſſidue intuentes, de bonis operibus juſtorum gaudent, eaque ipſi in ſemetipſis oſtendunt, ac ſic in laude Dei perſeverantes, nunquam evacuantur, quia eum ad finem nunquam perducere poterunt. Innumerabilia etenim miracula, quae Deus in potentia poſſibilitatis ſuae facit, quis dinumerare poſſet? Nemo. Angelis quippe fulgor quaſi multorum ſpeculorum adeſt, in quo vident, quia nullus ita operatur, nec tantae potentiae eſt, ſicuti Deus, unde & nullus ei ſimilis eſt, quoniam nec tempus habet.

P. I,

Quod ab æterno inlocaliter in Deo erant univerſa quæ ipſo creante numero, & ordine, & loco & tempore diſtinctu proceſſerunt.

VII. Omnia quidem quae Deus operatus eſt, ante principium temporis in praeſentia ſua habuit. In pura enim & ſancta divinitate cuncta viſibilia & inviſibilia abſque momento, & abſque tempore ante aevum apparuerunt, quemadmodum arbores vel alia creatura aquis vicina in ipſis videntur, quamvis in eis corporaliter non ſint, ſed tamen omnis formatio earum in ipſis apparet. Quando autem Deus dixit *fiat*, ſtatim formatione induta ſunt, quae praeſcientia ipſius ante aevum nulla corpora habentia intuebatur. Sicut enim in ſpeculo omnia quae coram ipſo ſunt radiant, ſic in ſancta divinitate omnia opera ejus ſine aetate temporum apparuerunt. Et quomodo Deus praeſcientiae ſuae opere vacuus eſſet, cum omne opus ipſius poſtquam corpore induitur, in officio quod ei adeſt plenum ſit, quod ipſa ſancta divinitas ſciendo, cognoſcendo, miniſtrando ſibi adeſſe praeſcivit. Nam quemadmodum etiam radius cujuſque luminis, quamque formam creaturae per umbram oſtendit, ſic pura praeſcientia Dei omnem formationem creaturarum antequam incorporatae eſſent intuebatur, quoniam opus quod Deus facturus erat in praeſcientia ipſius antequam idem opus incorporaretur, ſecundum ſimilitudinem hanc enituit, velut homo ſplendorem ſolis aſpicit, priuſquam ſubſtantiam ipſius intueri poſſit. Et ſicut ſplendor ſolis ipſum indicat, ita etiam angeli Deum laudando oſtendunt; & quemadmodum fieri non poteſt, ut ſol abſque lumine ſuo ſit, ſic nec divinitas ſine laude angelorum eſt. Praeſcientia etenim Dei praeceſſit, & opus ipſius ſubſecutum eſt, & ſi praeſcientia Dei non praeceſſiſſet, opus ejus non apparuiſſet, quemadmodum ſi facies hominis non aſpicitur, corpus ipſius non cognoſcitur: cum autem facies hominis videtur, corpus ejus laudatur. Itaque praeſcientia Dei & opus ejus in ipſo ſunt.

Primum exemplum quod omnes ſunt in Deo ab æterno.

Secundum exemplum,

Tertium exemplum.

Praſcientia Dei. Exemplum primum.

Praſcientia Dei.

Tertium & ſextum exemplum.

Quod diabolus & angeli deſertores juſtitiæ cum prius magnæ eſſent potentiæ propter ingratitudinem vel ſuperbiam ſuam ad hoc redacti ſunt, ut in omni creatura nihil poſſint niſi quantum ſuperno nutu permittuntur.

VIII. Quaedam autem innumerabilis multitudo angelorum erat, qui a ſe ipſis eſſe voluerunt, quoniam cum claritatem ſuam magnam & glorioſam in maxima choruſcatione viderent, creatorem ſuum in oblivionem duxerunt. Et priuſquam etiam eum laudare incepiſſent, in ſemetipſis computabant quod fulgor honoris eorum tantus eſſet, ut nullus eis reſiſtere valeret; quapropter & Deum obfuſcare volebant. Nam cum viderent quod eum in miraculis ſuis nunquam ad finem perducere poſſent, ipſum abhorruerunt, & cum eum laudare deberent per fallacem opinionem dicebant, quod in magna claritate ſua alium Deum eligerent. Unde in tenebras ceciderunt, ad tantam impoſſibilitatem redacti, ut in nulla creatura quicquam facere poſſint, niſi quantum eis a creatore ſuo permittitur. Cum enim Deus primum angelum qui Lucifer dictus eſt, cum omnibus ornamentis ereſt[i]trarum, quae omnibus creaturis dederat, ita ornaſſet, ut etiam totum agmen ejus inde ſplendorem haberet, ipſe in contrarium vadens, horribilior cunctis horribilibus factus eſt, quoniam ſancta divinitas in zelo ſuo illum in locum, qui ſine luce eſt, ejecit.

Nunc de ſententia malorum angelorum & inani gloria eorumque ruina.

Dæmones in eorum caſu ſunt imbecilles

De ſe diabolus omnino eſt impotens.

Quod homo ad imitationem creatoris ſui ſe dirigens quaſi ex quadam beſtiali irrationabilitate abſtractus, fulgore rationalis naturæ radiare incipiat.

IX. Quod vero in ſummitate arcuatae incurvationis, ſiniſtrae alae quaſi facies hominis eſt, quae ſicut fulgor ſtellarum radiat, hoc eſt quod in apice vincentis humiliationis, cum homo terrenas cauſas, velut in ſiniſtra ſibi adverſantes, in humilitate conterit, & ad defenſionem creatoris ſui ſe convertit, aſpectum hominis habet, quia non ſecundum pecus, ſed ſecundum quod humana natura eum docet, in honeſtate vivere incipit. Vnde etiam in his juſtis operibus bonam intentionem cordis ſui, ut eximium ſplendorem radiare oſtendit.

V. II.

Quod in verbo Dei dicentis fiat lux, rationalis lux ideſt angeli creati ſunt, & quod ex his a beatitudine quibuſdam cadentibus, Dominus alium rationabilem vitam, quæ carne tegeretur, ideſt hominem, qui locum & gloriam lapſorum obtineret, fecerit.

X. Nam quando Deus dixit *fiat lux*, rationalis lux exorta eſt, ſcilicet angeli tam illi qui cum eo in veritate perſtiterunt, quam illi qui in tenebras exteriores ſine omni luce ceciderunt, quoniam verum lumen quod ante aevum abſque initio in claritate erat, Deum eſſe negaverunt, & quia quemdam quod eſſe non potuit, illi ſimilem facere voluerunt. Tunc Deus aliam vitam, quam corpore texit exſurgere fecit, quod homo eſt, cui & locum & gloriam perditi angeli dedit, quatinus iſte in laude Dei perficeret, quod ille facere noluit. In facie autem iſta hominis illi demonſtrantur, qui ſaeculo corporaliter dediti, ſpiritu tamen Deo continue ſerviunt, nec propter hoc quod in ſaeculo ſaeculariter detinentur, ea quae ſpiritus ſunt in famulatu Dei obliviſcuntur. Et facies illae ad orientem verſae ſunt, quia & ſpiritales & ſaeculares, qui Deo famulari animaſque ſuas in vita conſervare deſiderant, ad ortum ſanctae converſationis & beatitudinis ſe convertere debent.

Quia Deus in fortitudine caritatis ſuæ prædeſtinatos ad ſe colligens, infuſione munerum Spiritus Sancti eos de quibuſque neceſſariis erudiat.

XI. Sed & ab utroque humero imaginis hujus ala una uſque ad genua ipſius extenditur, quoniam in fortitudine caritatis filius Dei juſtos & peccatores ad ſe collegit, ac eos, & humeris quia juſte vixerant, & genibus quoniam eos a via injuſtitiae revocaverat, ſuſtentavit, conſorteſque ſupernorum civium fecit, velut etiam homo tam genibus quam humeris illa quae portat ſuſtentat. Nam in ſcientia caritatis homo eſt anima & corpore ad plenitudinem integritatis perductus, quamvis a ſtatu rectae ſtabilitatis multotiens moveatur. Quem cum dona Sancti Spiritus deſuper in pura & ſancta largitate perfundunt in cœleſtibus & in ſpiritalibus abundanter eum docent. In terrenis quoque ad utilitatem corporalis neceſſitatis alio modo eum erudiunt, in quibus tamen ſe debilem & infirmum ac mortalem intelligit, quamvis multiplicibus donis iſtis munitus ſit.

Quod filius Dei naturam humanitatis abſque peccati labe ſuſcipiens, & in carne apparens, publicanos & peccatores ad pœnitentiam vocaverit, & eos ex fide ſua juſtificaverit.

XII. Quod autem tunica fulgori ſolis ſimili induitur, hoc eſt quod filius Dei in caritate humanum corpus abſque omni contagione peccati in ſimilitudine pulchritudinis ſolis induit, quia ut ſol prae aliis creaturis in tanta altitudine lucet, ut a nemine hominum tangi poſſit, ita etiam humanitatem Filii Dei quomodo ſit, nulla humana ſcientia niſi credendo capere valet. Et in manibus ſuis agnum velut lucem diei ſplendidam habet, quoniam caritas in operibus filii Dei manſuetudinem verae fidei ſuper omnia lucentem protulit, ubi de publicanis & peccatoribus, martyres, confeſſores, atque pœnitentes elegit, & ubi de impiis juſtos fecit, quemadmodum de Saulo Paulum, quatinus ſuper pennas ventorum,

hoc

Digitized by Google

P. I. hoc eſt in cœleſtem armoniam volarent. Sic caritas opus ſuum paulatim & diſtincte perfecit, ita ut nulla imbecillitas, ſed omnis plenitudo in illo eſſet, quod homo non facit, quia cum ille modicam poſſibilitatem aliquid faciendi habuerit, vix ſuſtinet, quouſque illud perficiat, quin ab aliis videatur. Haec homo intra ſe conſideret, quia etiam volatile de ovo egrediens, & pennis carens volare nondum properat, ſed poſtquam pennas acceperit, volat quo ſibi congruum viderit.

Quod imitatio caritatis filii Dei cruce ſua diabolum conterentis etiam nunc in ſuis fidelibus diſcordiam & caetera vitia, ipſumque humani generis antiquum deceptorem conculcet & ad nihilum redigat.

XIII. Quod vero quoddam monſtrum horribilis formae, ac venenoſi nigrique coloris, & ſerpentem quendam pedibus ſuis conculcat, hoc eſt quod vera caritas injuriam diſcordiae plurimis vitiis diſtortam, multiſque perverſitatibus horribilem, ac in deceptione venenoſam, & in perditione nigram, antiquumque ſerpentem quibuſque fidelibus inſidiantem, per veſtigia filii Dei conterit, cum etiam idem filius Dei illum in cruce ad nihilum deduxerit. Qui os ſuum dextrae auri ejuſdem monſtri infigit, & reliquum corpus ſuum in tranſverſum capitis ipſius incurvans, caudam ſuam in ſiniſtra parte illius uſque ad pedes ejus extendit, quoniam diabolus deceptionem ſuam ſe bene facere interdum ſimulans, diſcordiae infigit, totumque genus vitiorum hac & illac initio illius leviter apponens, in fine tamen illorum perverſitatem peſſimae conſummationis diſcordiae ſe habere oſtendit. Serpens enim caeteris vermibus in dolo callidior exiſtens, in eadem calliditate omnia quae poteſt dextruit, & in id quod peſſimum eſt ſe convertit. Quod etiam varii colores, qui in ipſo ſunt deſignant. Sic & Sathan fecit, quoniam cum pulchritudinem ſuam cognoſceret creatori ſuo ſe ſimilem eſſe voluit, & hoc etiam homini per auditum quaſi per caput ſerpentis immiſit, & nec hoc uſque ad noviſſimum diem facere deſinet, quod velut cauda ipſius eſt. Caritas itaque in tota aeternitatis ſine tempore eſt, quemadmodum calor in igne. Deus enim in aeternitate ſua omnes creaturas praeſcivit, quas in plenitudine caritatis ita protulit, quatinus homo nulla refectione vel ſervitio in eis careret, quoniam ipſas ad hominem velut flammas ad ignem conjunxit. Primum autem angelum Deus cum plurimis ornamentis, ut etiam praedictum eſt, conſtituit, ſed ubi ille ſe ipſum conſpexit, Dominum ſuum odio habuit, & Dominus eſſe voluit, ſed Deus in puteum abyſſi illum projecit. Tunc idem transgreſſor homini malum conſilium intulit, cui homo conſenſit.

Quod Adam & Eva ſuaſione diaboli invidentis eis conſentiendo gloriam coeleſtis veſtimenti ideſt immortalitatem perdiderunt.

Adam & Eva antequam peccarent ſplendore induti erant.

XIV. Nam cum Deus hominem crearet cœleſti veſtimento cum induit, ita ut in magna claritate fulminaret. Sed diabolus mulierem inſpiciens, matrem cujuſdam magni mundi eam futuram eſſe cognovit, ac in eadem malignitate qua a Deo receſſit, effecit, ut ipſum in hoc opere ſuo ſuperaret, ita ut idem opus Dei quod homo eſt, in ſocietatem ſuam converteret. Tunc mulier in guſtu pomi ſe aliam eſſe ſentiens, pomum viro ſuo dedit, & ſic ambo cœleſte veſtimentum perdiderunt.

Quod Deus eorum miſertus, ad puniendam tranſgreſſionis culpam de Paradiſo eos in exilium iſtud expulerit, & quod quiſquis matrimonii fidem inter illos a Deo inſtitutam violaverit, ultione gravi niſi pœniteat plectendus ſit. V. II.

XV. Sed quod Deus deinde dixit, *Adam ubi es*, per hoc praeſignavit, quod memor eſſet, quia ipſum ad imaginem & ſimilitudinem ſuam fecerat, & quod eum ad ſe retrahere vellet. Nuditatem quoque ipſius de ſervili miniſterio ſuo operuit, eumque in exilium miſit, itaut pro lucida veſte ovinam pellem acciperet, quemadmodum paradiſum exilio illo permutavit. Deus etenim mulierem viro cum juramento fidei adjunxit, itaut fides haec in ipſis nunquam deſtruatur, ſed ut in unum conſentiant, ſicut corpus & anima, quae Deus in unum conjunxit. Quapropter quicumque fidem hanc deſtruxerit, & ita impoenitens ſine emendatione perduraverit, in terram Babylonis convertetur, videlicet in terram confuſionis, & ariditatis, quae ſic abſque pulchra viriditate agri, ideſt benedictionis Dei permanebit, atque ultio Dei ſuper illum cadet, uſque ad ultimam lineam conſanguinitatis, quae de ferventi ſanguine ipſius praeceſſit, quoniam peccatum iſtud hominem illum tangit.

Quod in prædicatione incarnati filii Dei ſpirituali populo exoriente completa ſit promiſſio Dei dicentis ad Abraham, quia ſecundum numerum ſtellarum caeli ſemen ipſius multiplicaretur.

XVI. Et quemadmodum Adam genitor omnis humani generis eſt, ita etiam per filium Dei qui in virginea natura incarnatus eſt, ſpiritalis populus proceſſit, qui ita aſcender, ut Deus Abrahae per angelum repromiſit, ſcilicet quod ſemen ejus ſicut ſtellae coeli fieret, ut ſcriptum eſt. *Suſpice coelum, & numera ſtellas ſi potes*. Et dixit ei: *Sic erit ſemen tuum*. Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam. Quod ſic intellectui patet. Tu qui bona voluntate Deum adoras & veneraris, inſpice ſecreta Dei, & diſcute remunerationem meritorum illorum, qui ante Deum die ac nocte lucent, ſi hoc tamen poſſibile eſt homini corporali onere gravato, quia quamdiu homo ea quae carnis ſunt ſapit, illa quae ſpiritus ſunt ad plenum capere non valet. Et veraci oſtenſione dicitur illi qui Deum in recto ſuſpitio cordis ſui colere laborat. Hoc modo erit ſemen cordis tui multiplicatum & elucidatum, quod ſeminaſti in bonum agrum gratia Spiritus Sancti perfuſum, quod etiam coram ſummo Deo in beatis virtutibus multipliciter exurget & lucebit, quemadmodum ſtellae in firmamento clareſcunt. Quapropter quicumque fideliter crediderit divinae promiſſioni, celſitudinem verae fidei ad Deum habens, itaut omnia terrena deſpiciat, & ad coeleſtia ſurſum tendat, computabitur juſtus inter filios Dei, quoniam veritatem dilexit, & quia dolum in corde ſuo non habuit.

Quod Deus de genere Abraham credentis & obedientis ſibi Virginem Mariam elegerit, de qua Chriſtus inſtitutor & rector novellae ideſt ſpiritualis generationis corporaliter naſceretur.

XVII. Nam & Deus animum Abrahae abſque dolo ſerpentis eſſe cognovit, quoniam ea quae operabatur ad nullius laeſionem faciebat, unde & de genere ipſius dormientem terram Deus elegit, quae ex toto ignara guſtus illius fuit, in quo idem antiquus ſerpens primam mulierem decepit. Terra autem illa per virgam Aaron praeſignata Virgo Maria erat, quae clauſum cubiculum regis in magna humilitate extitit, quia cum ipſa nuncium hoc a throno acciperet, quod ſummus rex in clauſura ipſius habitare vellet, terram, de qua creata fuit, inſpexit, & ſe ancillam Dei eſſe dixit. Quod prima decepta mulier non fecit, cum illud habere deſideraret, quod habere non debuit.

Digitized by Google

P. I.

In ariete obedientia in Abraham deſignatur.

buit. Obedientia quoque Abrahae, in qua Deus fidem illius probavit, cum ei arietem in ſpinis pendentem oſtendit, obedientiam beatae Virginis praeſignavit, quae verbo nuncii Dei credens, ut ſibi ſecundum verbum ejuſdem nuncii fieret optavit, ideoque & filius Dei in ipſa carnem induit, quem aries in vepribus pendens praefiguraverat. Sed & quod Deus ſecundum ſtellas coeli genus ejuſdem Abrahae multiplicandum dixit, in hoc genus illud praevidebat, quod in plenum numerum coeleſtis conſortii computandum erat. Et quoniam ille Deo fideliter in omnibus credidit, idcirco etiam pater illorum, qui haeredes regni coelorum erunt appellatus eſt. Omnis itaque homo, qui Deum timet, & diligit, verbis iſtis devotionem cordis ſui aperiat, ac ea & ad ſalutem corporum & animarum hominum, non quidem ab homine, ſed per me qui ſum praefata ſciat.

EXPLICIT PRIMA VISIO LIBRI DIVINORUM OPERUM.

INCIPIT SECUNDA VISIO.

Deſcriptio ſpheræ totius mundi cum circulis, & planetis, & ventis ſuis in modum rotae in pectore imaginis, quæ in prima viſione deſcripta eſt apparentis.

V. II.

I. „ DEinde in pectore praefatae imaginis, quam velut in medio auſtralis aeris conſpexeram, ut praedictum eſt, rota mirificae viſionis apparuit cum ſuis ſignis hujus fere ſimilitudinis, ut inſtrumentum illud, quod ante viginti octo annos, velut in figura ovi ſignificative videram, quomodo in tertia viſione libri *ſcivias* oſtenditur, ita ut in ejus ſumma parte per circuitum rotunditatis ſuae circulus in ſimilitudine lucidi ignis, & ſub illo circulus alius ſicut circulus nigri ignis demonſtraretur, ubi & idem circulus lucidi ignis eumdem circulum nigri ignis bis denſitate ſua ſuperabat. Et hii duo circuli quaſi unus circulus eſſent ſibi invicem conjungebantur. Sub eodem autem circulo nigri ignis, alius circulus in ſimilitudine puri etheris erat, ubique tantae denſitatis quantae circuli duorum praefatorum ignium apparebant. Sed ſub ipſo circulo puri etheris alius velut circulus aquoſi aeris tantae denſitatis in rotunditate ſua, quantae etiam denſitas circuli praedicti lucidi ignis manifeſtabatur. Et ſub eodem circulo aquoſi ſcilicet aeris, alius circulus quaſi fortis & albi lucidique aeris hujus ſimilitudinis in rigore ſuo exiſtens, ut nervus in corpore hominis eſt, oſtendebatur, ubique in circuitu ſuo ejuſdem denſitatis, cujus denſitas circuli praefati nigri ignis apparens. Hii quoque duo circuli ſibi invicem ita copulabantur, ut velut unus circulus eſſent, apparerent. Sub hoc autem circulo videlicet fortis & albi, lucidique aeris, quaſi alius aer tenuis ſignatus erat, qui ut nubes interdum elatas & lucidas, interdum inclinatas & umbroſas videbatur ſuperius portare, & ſe quaſi per totam praefatam rotam diffundere. Omnes vero iſti ſex circuli abſque omni interſtitio ad invicem conjuncti erant. Supremus vero circulus, velut igne ſuo caeteros circulos perfundebat; aquoſus autem alios omnes quaſi humore ſuo rigabat. Et quaſi a principio orientalis partis ejuſdem rotae velut ad finem occidentalis partis ipſius linea verſus ſeptentrionalem ejus partem extendebatur, quaſi ſeptemtrionalem plagam a caeteris plagis diſcernens. Sed etiam globus in medio ſigni praedicti tenuis aeris ſignatus erat, qui ubique in circuitu ſuo aequali ſpatio a ſigno fortis & albi lucidique aeris diſtabat, tantae latitudinis quidem in tranſverſum, quanta profunditas ſpatii a ſummitate ſupremi circuli uſque ad extremitatem nubium, ſeu ab extremitate nubium uſque ad ſummitatem ejuſdem globi exiſtit. In medio quoque rotae illius imago hominis apparebat, cujus vertex ſuperius & plantae ſubterius ad praefatum circulum, velut fortis & albi lucidique aeris pertingebant. A dextro autem latere ſummitas digitorum dextrae manus ejus; a ſiniſtro quoque ſummitas digitorum ſiniſtrae manus ad ipſum circulum hinc & hinc in rotunditate deſignatum porrecta erat, quoniam eadem imago brachia ſua ſic extenderat. Sed & verſus eaſdem partes quatuor capita ſcilicet quaſi caput Leopardi, & Lupi, ac velut caput Leonis & Urſi apparebant. Nam ſupra verticem praedictae imaginis in ſigno puri etheris, quaſi caput Leopardi, ex ore ſuo velut flatum emittens videbam, qui etiam in dextrali parte ejuſdem oris ſe aliquantum in longum recurvans, in caput Cancri cum duabus forficibus, quaſi cum duobus pedibus formabatur; in ſiniſtrali autem parte oris ipſius aliquantum etiam in longum regirans in caput Cervi deſinebat. Ex ore autem capitis hujus cancri quaſi alius flatus exiens uſque ad medietatem ſpatii quod inter capita Leopardi & praefati Leonis erat procedebat; ex ore vero capitis Cervi velut alius flatus veniens uſque ad medietatem ſpatii, quod erat inter caput Leopardi & Urſi tendebat. Et flatus qui a dextera parte oris Leopardi uſque ad caput cancri procedebat, flatus etiam qui a ſiniſtra parte ipſius oris uſque ad caput cervi exibat, flatuſque qui ex ore capitis cancri uſque ad medietatem ſpatii inter capita Leopardi & Leonis extantis tendebat. Flatus quoque qui ex ore capitis cervi uſque ad medietatem ſpatii, quod inter capita Leopardi & Urſi erat prolongabatur, aequalis longitudinis erant. Omnia quoque capita haec in praefatam rotam & ad imaginem hanc hominis ſpirabant. Sub pedibus autem ejuſdem imaginis hominis in ſigno aquoſi aeris velut caput Lupi quaſi flatum ex ore ſuo producens apparebat, qui etiam a dextra ipſius oris aliquantum in longum erumpens in medio medietatis ſpatii, quod inter capita Lupi & Urſi erat, formam capitis cervi accipiebat, ex cujus etiam ore velut alius flatus veniens in eandem medietatem finiebatur. A ſiniſtra vero oris ejuſdem lupini capitis, flatus qui ab ipſo ore procedebat ſe prolongans in medio etiam medietatis ſpatii, quod inter capita Lupi & Leonis erat, in caput cancri cum duabus forficibus quaſi cum duobus pedibus ſurgebat, de cujus quoque ore quaſi alius flatus exiens in ipſa medietate reſidebat. Qua autem ſpatiorum menſura capita haec ad invicem diſtabant, eadem menſura & forma flatus eorum hinc & hinc in longitudine extendebatur, ut & de aliis ſuperius dictum eſt, ipſaque in rotam praemonſtratam, & ad imaginem hominis in ea ſtantem, ſpiramina ſua mittebant. Sed ad dextram imaginis ipſius in ſigno lucidi ignis velut caput Leonis aſpiciebam, ex cujus ore quaſi flatus egrediens ab utraque parte oris ejuſdem aliquantum prolongabatur, ac ſic etiam in dextra parte in caput ſerpentis, in ſiniſtra autem in caput agni formabatur. Et caput ſerpentis in medio medietatis ſpatii, quod inter caput Leonis & Lupi erat ſe oſtendens velut flatum emittebat, qui ſe ad eamdem medietatem extendebat, ac flatui qui de capite cancri egrediebatur, quod inter caput Lupi & Leonis erat ſe conjungebat. Caput autem agni in medio medietatis ſpatii, quod inter caput Leonis & Leopardi exiſtebat apparens quaſi flatum producebat, qui ſe ad ipſam medietatem prolongans, flatui qui de capite cancri, quod inter caput Leopardi & Leonis erat, in conjunctione occurrebat. Sed ſecundum ſpatia quibus capita haec a ſe ſeparata, erant, longitudo flatuum eorum procedebat, quemadmodum & de ſuperioribus capitibus flatibuſque eorum praemonſtratum eſt, & in praefatam rotam, & ad praedictam humanam imaginem, ipſa flare ſe oſtendebant. Ad ſiniſtram vero ejuſdem

„ ima-

P. I. „ imaginis in ſigno nigri ignis, quaſi caput urſi apparebat, quod velut flatum ex ore ſuo dabat, qui etiam ad dextram & ad ſiniſtram oris ipſius aliquantum ſe in longum extendens, ad dextram in caput agni deſinebat, ad ſiniſtram vero formam capitis ſerpentis accipiebat. Ex ore autem capitis agni hujus quemadmodum alius flatus uſque ad medietatem ſpatii, quod inter capita urſi & Leopardi exiſtebat ſe prolongabat, ſed ex ore capitis ſerpentis iſtius ſicut alius flatus uſque ad medietatem ſpatii quod inter capita urſi & lupi erat, ſe extendendo procedebat. Sed ſimilitudo flatus iſtius qui a dextra parte oris urſi uſque ad caput agni veniebat, ſimilitudo quoque ejuſdem flatus, qui a ſiniſtra parte ipſius oris uſque ad caput ſerpentis procedebat. Flatus etiam qui ex ore capitis agni uſque ad demonſtratam medietatem ſpatii, quod inter capita urſi & Leopardi videbatur exibat, flatuſque qui ex ore capitis ſerpentis uſque ad medietatem ſpatii inter capita urſi & lupi extantis prolongabatur unius & aequalis longitudinis erant. Capita quoque haec omnia in ſupradictam rotam, atque ad praefatam imaginem hominis flatus dabant. Sed & ſuper caput imaginis hujus ſeptem planetae ſurſum ab invicem ſignati erant, tres in circulo lucidi ignis, unus etiam in ſubjecto illi circulo nigri ignis, tres autem in ſubjecto illi circulo puri etheris, ita ut etiam verſus auſtrum ad latus ejus, nec non & ſub pedibus ipſius, ſol eodem modo, ac ordine ſignatus & diſtinctus in circulo ſuo apparet. Et a medio ſigni ſummi primique planetae, qui ſuper caput ejuſdem imaginis ſignatus erat, velut radii quidam exibant, quorum unus ad ſignum ſolis deſcendebat, & unus ad dextrum pedem capitis praedicti cancri, quod a capite leopardi procedebat radiabat, unus vero ad dextrum cornu cervini capitis, quod etiam ab eodem capite leopardi exibat ſe tendebat. A medio quoque ſigni planetae ſecundi, ut radius quidam ſuper ſignum ſolis ſe declinabat, atque alius ad caput agni, quod a ſigno capitis leonis veniebat egrediebatur, & alius ad praedictam lineam, quae a principio orientalis partis praefatae rotae, velut ad finem occidentalis partis ipſius, verſus ſeptemtrionalem ejus plagam extendebatur, capite agni illic ſuperius poſito, quod a ſigno capitis urſi exibat dirigebatur. Signum etiam tertii planetae a medio ſui quemadmodum radium unum ad ſignum ſolis extendebat, alium autem ad caput ſerpentis, quod a ſigno capitis leonis procedebat dirigebat; ſed alium ad praefatam lineam verſus caput ſerpentis, quod a ſigno capitis urſi egrediebatur prolongabat. Solis quoque ſignum quaſi quoſdam radios de ſe emittens, alio ſignum capitis leopardi, alio ſignum capitis leonis, alio ſignum capitis lupi, non autem ſignum capitis urſi tangebat; alium autem radium ſuper ſignum lunae, alium velut ſuper cerebrum, & uſque ſuper utrumque calcaneum praefatae imaginis extendendo figebat. Et a medio ſigni planetae quinti qui proximus ſub ſole eſt, quaſi radius quidam ſurſum ad ſignum ſolis aſcendebat, quidam vero ad caput cancri quod a ſigno capitis lupi exibat ſe extendebat; ſed quidam ad ſiniſtrum cornu ſigni lunae ſe dirigebat. De medio etiam ſigni planetae ſexti, qui proximus ſuper lunam eſt, velut radius unus ſurſum ad ſignum ſolis tendebat, & alius ad dextrum cornu ſigni lunae dirigebatur, alius autem ad caput cervi, quod a ſigno capitis lupi procedebat extendebatur. A ſigno quoque lunae quaſi radius ſuper utrumque ſupercilium, ac ſuper utrumque talum praefatae imaginis radiabat. Sed & quomodo ſupra dictum eſt, ſignum ſolis eodem etiam modo & ordine quo ſupra verticem imaginis hujus radiis ſuis ad praefata loca deſignatum erat, verſus quoque dextrum latus ejus, necnon & ſub pedibus ipſius in circulo ſuo ad eadem loca ſignatum apparebat. In circuitu quoque circuli, in quo ſimilitudo lucidi ignis videbatur, ſedecim etiam principales ſtellae apparebant, quatuor videlicet inter caput leopardi & leonis, quatuor quoque inter caput leonis & lupi, quatuor inter caput lupi & urſi, quatuor etiam inter caput urſi & leopardi. Quarum octo quae mediae ſibi utrinque aſtantium ſtellarum inter capita haec erant, ſcilicet duae inter duo capita quaſi radios ſuos in ſignum tenuis aeris ſibi oppoſiti extendebant; reliquae autem octo, quae ex utraque parte harum mediarum praefatis capitibus proximae videbantur, velut radios ſuos tantum ad nigrum ignem dirigebant. Circulus quoque puri etheris, circulus quoque fortis & albi aeris lucidique, quaſi ſtellis pleni erant, quae fulgores ſuos ad ſibi oppoſitas nubes mittebant. Unde & ille in dextra parte praefatae imaginis, quemadmodum duas linguas ab invicem ſeparatas de ſe proferentes, ab eis ut quoſdam rivulos in ſupradictam rotam, & verſus eamdem imaginem dirigebant. A ſiniſtra vero parte illius a ſignatis ibidem nubibus, velut etiam duae linguae a ſe aliquantum ſeparatae, in eandem rotam, & ad ipſam imaginem, quaſi quibuſdam rivulis de ſe profluentibus ſe convertebant. Hoc modo imago haec ſignis illis implexa & circumdata erat. Vidi etiam quod ex ore praedictae imaginis, in cujus pectore rota apparebat, lux clarior luce diei, in ſimilitudine filorum exibat, quibus ſigna circulorum, ſignaque caeterarum figurarum, quae in eadem rota diſcreta erant, ſingulaque ſigna membrorum formae hominis, ſcilicet ejuſdem imaginis, quae etiam in ipſa rota apparebat, recta & diſtincta menſura metiebatur: quemadmodum in praecedentibus, & ſubſequentibus verbis ſuis manifeſtatur. V. II.

Quia divinitas inſtar rotae integrae nec initium, nec finem habens, nec loco vel tempore circumſcripta omnia in ſe comprehendat.

II. Et iterum audivi vocem de coelo mihi dicentem: Deus qui ad gloriam nominis ſui mundum elementis compilavit, ventis confirmavit, ſtellis innectens elucidavit, reliquis quoque creaturis replevit, hominem in eo omnibus his circumdans & muniens, maxima fortitudine ubique perfudit, quatinus ei in omnibus aſſiſterent, operibuſque ipſius intereſſent, ita ut cum illis operaretur, quia homo abſque illis nec vivere, nec etiam ſubſiſtere poteſt, quemadmodum in praeſenti viſione tibi manifeſtatur. Nam in pectore praefatae imaginis rota mirificae viſionis apparet cum ſignis ſuis hujus fere ſimilitudinis, ut inſtrumentum illud quod ante viginti octo annos velut in figura ovi ſignificative videras quomodo in prioribus viſionibus tuis tibi oſtenſum eſt, quoniam abſque oblivione in ſcientia verae caritatis quae Deus eſt forma mundi exiſtit, inſolubiliter volubilis, humanaeque naturae mirabilis, itaut nec ulla vetuſtate conſumatur, nec ulla novitate augeatur, ſed ut a Deo primum creata eſt, ſic uſque ad finem ſeculi perdurabit. Divinitas etenim in praeſcientia & in opere ſuo velut rota integra eſt, & nullo modo diviſa, quoniam nec initium nec finem habet, nec ab ullo comprehendi poteſt, quia ſine tempore eſt. Et ſicut circulus ea, quae intra ipſum latent, comprehendit, ita ſancta divinitas infinite omnia comprehendit & ſuperexcellit, quia ipſam in potentia ſua nullus dividere, nec ſuperare, nec ad finem perducere potuit.

Deus ad gloriam ſui nominis mundum cum in eo elementis creavit, in medio quorum poſuit hominem ut omnia ſibi ſervaret.

Deus ad ſimilitudinem rota eſt, quia non habet principium nec finem, omnia in ſe continet.

Quare in libro Scivias *ſphera mundi in figura ovi, & in iſto in ſimilitudine rotae oſtenſa, vel deſcripta ſit.*

III. Sed quod ſupradictum inſtrumentum in prioribus viſionibus tuis in figura ovi denotatum eſt hoc oſtendit, quod diſtinctio elementorum in eadem ſimilitudine ſolummodo ſignificatur, quoniam mundo elementis diſtincto diſcretiva forma ovi ſimilitudini diſtinctionis ipſius, qua elementis diſtinctus eſt, aliquan-

P. I. V. II.

quantum aſſimilatur; hic autem in rota circuitio & recta menſura eorumdem elementorum tantum oſtenditur, cum neutrum ipſorum ſimilitudinem figurae mundi per omnia teneat, quoniam illa undique integra, rotunda, & volubili exiſtente globus aliquis qui integer, & volubilis exiſtit, formam ipſius in omni parte potius imitatur.

De duobus circulis lucidi & nigri ignis, quare alter alteri ſubpoſitus ſit, & quomodo ſibi invicem cooperentur, & quid ſignificent.

IV. Quod autem in ejus ſuprema parte per circuitum rotunditatis ſuae circulus in ſimilitudine lucidi ignis apparet, hoc eſt quod primum elementum quod ignis eſt primum exiſtit, quia levis eſt, caeteraque elementa comprehendit, & illuminat, ac omnes creaturas pertranſit, eiſque gaudium luminis ſui ſubminiſtrat, ſignificans potentiam Dei, qui ſuper omnes eſt, & qui omnibus vitam tribuit. Sub quo circulus alius ſicut circulus nigri ignis demonſtratur, quia ignis iſte ſub poteſtate prioris exiſtens, judicialis, & fere gehennalis eſt ad vindictam malorum factus, nec ulli rei parcit ſuper quam juſto juditio cadit, quoniam in eo oſtenditur, quod omnis qui ſe Deo opponit, in caſum nigredinis multarumque calamitatum vertetur. Nam in aeſtate cum ſol ſurſum aſcendit, idem ignis vindictam Dei in combuſtione fulguris exercet, cum vero in hyeme ſol deorſum deſcendit, ille judiciales plagas in gelu & grandine, ac in frigore oſtendit, quoniam quodque peccatum ſeu igne, ſeu frigore, ſeu aliis quibuſdam plagis ſecundum modum ſuum examinatur. Et idem circulus lucidi ignis eumdem circulum nigri ignis bis denſitate ſua ſuperat, quia niger ignis iſte tantae fortitudinis & amaritudinis in nigredine ſua exiſtit, ut ſuperiorem lucidum ignem obumbraret & diſſiparet, ſi ille hunc denſitate ſua non ſuperaret deſignans quod vindicta peccatorum hominum tot pericula poenarum in ſe habet, ut homo durare non poſſet ſi gratia & clementia Dei illa non preveniret. Et hi duo circuli quaſi unus circulus ſint ſibi invicem conjunguntur, quia in ardore ignis flagrant, & quoniam poteſtas & judicium Dei in una rectitudine ſe continentes ab invicem non ſeparantur.

Lucidus ignis omnia illuminat.

Primo Deus omnibus vitam tribuit.

Niger ignis ad vindictam malorum eſt.

Acerba eſt vindicta peccatorum, tamen clementia Dei praevenitur.

De circulo puri etheris, qui tertius eſt, ad quid in conſtitutione ſua valeat, & quid ſignificet, & quare tantae denſitatis ſit quantae duo ſuperiores.

V. Sub eodem autem circulo nigri ignis alius circulus in ſimilitudine puri etheris eſt, ubique tantae denſitatis, quantae circuli duorum praefatorum ignium apparent, quoniam ſub praefatis ignibus tam lucido quam nigro rotunditate ſua mundum comprehendens purus ether eſt ab ipſis procedens velut fulgor a flammante igne, quando ignis flammam ſuam expandit demonſtrans puram poenitentiam peccatorum, quae per gratiam Dei velut a lucido igne, & per timorem ejus quaſi a nigro in homine excitatur. Et ejuſdem denſitatis eſt, ut duo ſupradicti ignes ſunt, quia ipſe ab hoc utroque igne reſplendens, denſitatem utriuſque in ſe habet, nec lenior in fulgore lucidi, nec ſeverior in repercuſſione nigri exiſtit, quam juſtum judicium Dei dijudicat, quoniam nec dies nec nox aliud in ſe demonſtrant, quam quod divina voluntas diſponit. Idem quoque ether ſuperiora & ſubteriora retinet, ne terminum ſuum excedant, nec ſuper ullam creaturam judiciali judicio cadit, ſed ſtabilitate & aequitate ſua, multoties illi reſiſtit, quemadmodum poenitentia vindictam peccatorum conſtringit. Quod vero denſitatem ignium iſtorum habet, hoc eſt quod poenitens homo caſum primi angeli, qui lucidus fuit, in lucido igne attendat, & quod in denſitate nigri ignis caſus hominum in incredulitate & temeritate peccantium conſideret, ac ſic potentiam juſtumque judicium Dei inſpiciens pure digneque poeniteat.

Poenitentia in homine per gratiam Dei & timore ipſius excitatur.

Dies & nox demonſtrat quod divina voluntas diſponit.

Homo poenitens quid attendere debet.

De quarto circulo, qui in modum aquoſi aeris videtur, & quantae denſitatis ſit, & quid ſignificet.

VI. Sed & ſub ipſo circulo puri etheris alius circulus velut circulus aquoſi aeris tantae denſitatis in rotunditate ſua, quantae etiam denſitas circuli praedicti lucidi ignis manifeſtatur, ſignificans quod ſub praefato ethere per circuitum firmamenti aquae illae ſunt, quae ſuper firmamentum eſſe noſcuntur ejuſdem videlicet denſitatis in circuitu ſuo, ut denſitas ſupradicti lucentis ignis exiſtit. Et aquoſus aer iſte ſancta opera in exemplis juſtorum oſtendit, quae velut aqua perlucida ſunt, & quae immunda opera mundant, quemadmodum aqua quaeque ſordida abluit hujus expacitatis in perfectione ſua exiſtentia ſecundum quod divina gratia in igne ſancti ſpiritus ea accendit.

Aqua quae ſuper firmamentum ſunt quid ſignificent.

De circulo fortis albi & lucidi aeris quanta utilitate quintum locum obtineat, & quantae denſitatis ſit, & quid & ipſe ſignificet, vel quare ſuperiori, ut velut unus ſint, copuletur.

VII. Sub eodem autem circulo aquoſi ſcilicet aeris, alius circulus fortis, & albi lucidique aeris hujus ſimilitudinis in rigore ſuo exiſtens, ut nervus in corpore hominis eſt, oſtenditur, qui periculis ſuperiorum aquarum oppoſitus, fortitudine & tenacitate ſua inundationes illarum retinet, ne repentina & incongrua effuſione terram obruant, ſignificans etiam, quod diſcretio ſancta opera in hujuſmodi temperamento confirmat, ut homo corpus ſuum ita conſtringat, ne injuſte conſtrictum in ruinam vadat. Qui ubique in circuitu ſuo ejuſdem denſitatis, cujus denſitas circuli praefati nigri ignis apparet, quoniam iſte ad utilitatem hominum aequali modo, ſicut & ille ad vindictam peccatorum eorum poſitus eſt. Sed quotiens inferiores aquae ad vindictam malorum juſto Dei judicio in nimietate ſurſum per nubes trahuntur, quidam humor de aquoſo aere per illum fortem & album lucidumque aerem, velut potus hominis in veſicam ipſa integra permanente tranſſudat, qui eaſdem aquas periculoſa inundatione deſcendere facit. Unde & diſcretio opera hominum ad ſalutem eorum ubique juſta moderatione diſcernit, cum judicia Dei peccata illorum in vindicta non tranſcendunt, ſed cum ea juſte dijudicant, quoniam protector & rector juſta aequitate ſe invicem continent. Hi quoque duo circuli ſibi invicem ita copulantur, ut velut unus circulus ſint apparent, quia in humore madeſcunt, & aliis humorem infundunt, quemadmodum & diſcretio bona opera in moderatione ſua continet, ne in ruinam vadant.

Corpus homini diſcrete conſtringi debet.

Aquae inferiores feruntur ſurſum ut ad vindictam malorum deorſum ruinoſius cadant.

De ſexto circulo, qui in ſimilitudine tenuis aeris a ſuperioribus procedere videtur, quid in ſuo loco, valeat, & quid in miſtica ratione per eum figuretur.

VIII. Et ſub hoc circulo videlicet fortis & albi lucidique aeris quaſi alius aer tenuis ſignatus eſt, qui de ſuperioribus circulis ſeu elementis, velut ſufflatum aerem ſe procedentem demonſtrat, qui & ab ipſis elementis non ſeparatur, quemadmodum halitus hominis ab ipſo egreditur, nec tamen ab eo ſeparatur. Idem etiam aer ut nubes interdum elatas & lucidas interdum inclinatas & umoroſas videtur ſuperius portare, quas ſupradictus aquoſus aer exſpuit, & recolligit, ſicut follis fabri flatum emittit, & retrahit, itaut dum quaedam ſtellae in praefato elemento ignis poſitae, in circuitionibus ſuis ſurſum aſcendunt, nubes iſtas ſurſum trahant, unde & lucidae fiunt. Sed cum in circuitionibus ſuis deſcendunt, illas deorſum remittunt, & ſic umbroſae ſunt, & pluvias ferunt. Et praefatus tenuis aer videtur ſe quaſi per totam praedictam rotam diffundere,

Stellae aſcendunt & deſcendunt.

quo-

Digitized by Google

quoniam omnia quae in mundo ſunt ab eo vegetantur, & ſuſtentantur. Sed & ſub defenſione diſcretionis recta deſideria fidelium hominum in ſubtilitate juſtitiae degentia de ſuperioribus virtutibus & confortationibus per ſpiritum ſanctum ſe proceſſiſſe demonſtrant, cum ſe ab illis non avertunt, ſed cum omni devotione ipſis ſine intermiſſione adhaerent, firmam mentem in ipſis fidelibus nunc in fiducia clareſcentem, nunc in humilitate trementem, ad Deum habentia quae de ſanctis operibus & exemplis juſtorum oritur, & ad ipſa recolligitur, quemadmodum operarius de opere ſuo remuneratur. Nam dum in hominibus bona ſcientia ſpiritu ſancto ignita in juſtificationibus ſuis ad cœleſtia ſe tollit, mentes illorum ſecum trahit, eaſque puras ibi facit, & dum in eiſdem juſtificationibus ad corporales neceſſitates ſe declinat, mentes eorum ad ipſas remittit, itaut in curis iſtis quaſi turbidae ſint appareant, imbrem lacrymarum tamen ferentes, quia terrenis ſe inhaerere prorſus gemunt, quamvis ſe totos divinae potentiae committendo inſerant.

Sancta deſideria hominum a Spiritu S. procedunt.

Spes & timor perſiſtunt.

Per ſcientiam ſanctorum mentes hominum ad cæleſtia feruntur.

Quare iſti ſex circuli ſine intervallis ſibi invicem jungantur, & quid per hanc connexionem innuatur.

IX. Omnes vero iſti ſex circuli abſque omni interſtitio ad invicem conjuncti erant, quia ſi divina diſpoſitio iſta conjunctione eos ſic non ſolidaſſet, firmamentum dirumperetur, nec conſiſtere poſſet, oſtendentes quod perfectae virtutes in fideli homine ſibi conſociatae per inſpirationem ſpiritus ſancti ita confortantur, ut contra vitia diaboli pugnantes, quæque bona opera unanimiter perficiant.

Quid operentur virtutes in hominibus.

Quod primus circulus igne ſuo alios inflammet, quatenus eos lumine ſuo temperet, & quod hoc in nobis figuraliter oſtendat.

X. Supremus vero circulus velut igne ſuo cæteros circulos perfundit, aquoſus autem alios omnes quaſi humore ſuo rigat, quoniam ſuperius elementum, quod ignis eſt, cætera fortitudine, & candore ſuo roborat, aquoſum vero aliis viriditatem humectatione ſua immittit, quemadmodum & potentia Dei in mirabilibus gratiæ ſuæ fideles homines ſanctificat, opera autem fidelium creatoris ſui pietatem in vera humilitate ſanctitatis magnificant.

Quid operetur potentia & gratia Dei in hominibus.

De linea in præſcriptam rotam quaſi a primo ſolis ortu uſque in extremum ejus occaſum protenſa apparente, & quid hoc idem gerat miſtice.

XI. Et quaſi a principio orientalis partis ejuſdem rotæ, velut ad finem occidentalis partis ipſius linea in firmamento verſus ſeptemtrionalem ejus partem extenditur, quaſi ſeptemtrionalem plagam a cæteris plagis diſcernens, quia a primo ortu orientis, ſcilicet ubi ſol primum oritur, cum dies prolongari incipiunt uſque ad ultimum occaſum occidentis, videlicet ubi ſol ultra non procedit, linea ideſt via ſolis ſeptemtrionalem plagam devitans reflectitur, quoniam ſol eiſdem partibus ſe non immergit, ſed eas velut in neglectu habet, ubi antiquus ſeductor ſedem manſionis ſibi elegit, unde & illas Deus acceſſu ſolis privavit. Sic etiam ab initio bonorum operum in poteſtate Dei exiſtentium uſque ad bonam conſummationem eorum fidelis homo rectitudinem juſtitiæ iniquitati opponit, diabolicas artes a bonis & ſanctis operibus ſecernens, quia qui Deo fideliter adhærere voluerit, ea quæ animam ſuam lædunt devitare ſtudebit, ut illud audiat, quod ſcriptum eſt.

Bona opera uſque ad finem.

Teſtimonium de Apocalypſi, & quomodo intelligi debeat ad idem exprimendum.

XII. *Vincenti dabo manna abſconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen novum, quod nemo ſcit niſi qui accipit.* Quod ſic intellectui patet. Quicunque ſiniſtram partem fugit, hic magnum prælium contra tortuoſum ſerpentem habet, qui ſemper quærit, ut illum ad ſiniſtram partem ſecum trahat. Et ſi ille in pugna iſta perſeverans ſathanam fugaverit conſilio illius non conſentiens, ego qui ſum, ei dabo panem vivum qui de cœlo deſcendit, qui ab omni humiditate voluntatis viri, & ab omni dolo antiqui ſerpentis abſconditus erat, ac etiam dabo ipſis participationem illius, qui lapis angularis exiſtens in candida claritate Deus & homo eſt, & in ipſo nomen novæ regenerationis, quod Chriſtus eſt, a quo & chriſtiani ſunt, quod nemo dum in caduca & temporali vita eſt ad perfectum intelligit, niſi qui vitam æternæ beatitudinis in remuneratione cœleſtium præmiorum adipiſcitur.

Manna abſconditum.

Chriſtus eſt nomen novum & nomen novæ regenerationis.

Quod moles terræ inſtar globi infra prædictos ſex circulos æquali diſtantia a quinque ſuperioribus remota, in medio ſexti ideſt tenuis aeris immobiliter fundata ſit, & quid inde ſignificationis colligatur.

XIII. Sed etiam globus in medio ſigni prædicti tenuis aeris ſignatus eſt, qui ubique in circuitu ſuo æquali ſpatio a ſigno fortis & albi lucidique aeris diſtat, terram oſtendens, quæ in medio reliquorum elementorum exiſtit, quatenus ab omnibus temperetur. Unde etiam hinc & hinc æquali modo ab illis ſublata, illiſque conjuncta, viriditatem & fortitudinem ad ſuſtentationem ſui ab eis aſſidue recipit. Activa quoque vita velut terram deſignans, & quaſi in medio rectorum deſideriorum converſans, & circumquaque diſcurrens, æquo moderamine devotionis ad vires diſcretionis ſe continet, cum nunc ſpiritalibus officiis, nunc corporalibus neceſſitatibus per fideles homines temperate inſiſtit, quoniam qui diſcretionem amant, omnia opera ſua ad voluntatem Dei dirigunt. Et tantæ latitudinis quidem in tranſverſum eſt, quanta profunditas ſpatii a ſummitate ſupremi circuli, uſque ad extremitatem nubium, ſeu ab extremitate nubium uſque ad ſummitatem ejuſdem globi exiſtit, quoniam a ſuperno creatore terra hac mole conglobata, & roborata eſt, ne a ſtrepitu ſuperiorum elementorum, aut vi ventorum, ſeu inundatione aquarum diſſolvi poſſit. Nam etiam quilibet fideles dilatato corde magnitudinem potentiæ Dei conſiderant, atque inſtabilitatem mentis, debilitatemque carnis ſuæ inſpiciunt, & ſic omnia quæ agunt temperant, ne vel in ſuperioribus vel in inferioribus neceſſariis cauſis juſtum modum excedentes deficiant, quemadmodum & Paulus fideles exhortatur dicens.

Terra in medio elementorum.

Vita activa.

Quoniam terra in medio elementorum.

Moderate omnia fieri debent.

Verba Pauli ad eandem ſignificationem competentia & quomodo intelligenda ſint.

XIV. *Omnia autem facite ſine murmurationibus & hæſitationibus ut ſitis ſine querela, & ſimplices filii Dei ſine reprehenſione, in medio nationis pravae & perverſae, inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo verbum vitæ continentes.* Quod ſic intellectui patet. Homo quaſi in bivio eſt, itaut ſi in luce ſalutem a Deo quaeſierit, illam recipiet; ſi autem malum elegerit, diabolum ad poenam ſequetur, & ideo homo humanam naturam ac omnia opera ſua ſine murmurationibus, ideſt ſine gibbis peccatorum, ac ſine haeſitationibus, ſcilicet fidem perfectam habens portet, itaut non dubitet eum bonum amat, & malum odit, in futuro judicio liberari, & a perditis ſeparari, qui a bono malum amplectendo declinant. Et qui haec faciunt, nullum laedentes, ſine clamore contumacis querimoniae erunt, in ſimplicitate quoque bonorum operum filii Dei exiſtentes, & abſque omni dolo deceptionis irreprachenſibiles coram aeſtimatione illorum manentes qui in pravis & perverſis actibus ſe fortes eſſe gloriantur. Inter quos in perfectione verae fidei ſic lucent, quemadmodum luminaria, quae in officio ſuo ſecundum quod creator

Homo inter viam Dei, & viam diaboli poſitus eſt.

Boni, modeſti, manſueti humiles pacifici, & mites luminaria ſunt mundi.

tor

P. I.

tor omnium diſpoſuit, mundum illuminant, cum ipſi doctrina ſua quae ad vitam reſpicit, quam plurimos ad Deum convertunt, ut etiam filius Dei ſine peccato omnibus in mundo lucebat. Nam & Deus duo luminaria videlicet ſolem & lunam in firmamentum poſuit, quae ſcientiam boni & mali in homine deſignant, quia ſicut firmamentum ſole & luna confirmatur, ita & homo ſcientia boni & mali hac & illac verſatur. Sed & ut ſol curſum ſuum perficit, circulum ſuum non minuens, ita & bona ſcientia curſum ſuum facit, malum non deſiderando, ſed malam ſcientiam deprimendo & increpando, eamque corripiendo, quoniam nulla utilitas in ipſa eſt, & eam gehennalem vocando, cum illa concupiſcentias ſuas compleverit, & ut luna deficit & creſcit, ſic & mala ſcientia bonam deſpicit, ipſamque ſtultam & quaſi nihilum eſſe dicit, ſed tamen eam novit, quemadmodum diabolus Deum ſcivit, quamvis ſe illi opponeret.

Sol ſcientiam bonam ſignificat: Luna vero malam ſcientiam notat.

De imagine in forma hominis in medio prædictæ rotæ apparentis, vertice pedibus & manibus diſtentis, circulum fortis albi & lucidi aeris contingentis, & quid, & ipſa imago, & talis poſitio ejus deſignet?

Homo in medio mundi ad operandum eſt.

XV. Quod autem in medio rotae iſtius imago hominis apparet, cujus vertex ſuperius, & plantae ſubterius ad praefatum circulum velut fortis & albi lucidique aeris pertingunt, a dextro autem latere ſummitas digitorum dextrae manus ejus, a ſiniſtro quoque ſummitas digitorum ſiniſtrae manus ad ipſum circulum hinc & hinc in rotunditate deſignatum porrecta eſt, quoniam eadem imago brachia ſua ſic extenderat, hoc deſignat, quod in ſtructura mundi quaſi in medio ejus homo eſt, quia caeteris creaturis in illa degentibus potentior exiſtit, ſtatura quidem puſillus, ſed virtute animae magnus, caput ſcilicet ſurſum, pedes vero deorſum, ad elementa tam ſuperiora quam inferiora movendo, necnon a dextris & a ſiniſtris operibus, quae manibus operatur, illa penetrando, quoniam in viribus interioris hominis potentiam hanc operandi habet. Quemadmodum enim corpus hominis cor ſuum magnitudine ſua excedit, ita & vires animae corpus hominis virtute ſua ſuperant, & ut cor hominis in corpore ejus latet, ſic corpus hominis viribus animae circumdatum eſt, cum illae per totum orbem terrae ſe extendunt. Sed & in ſcientia Dei fidelis homo exiſtens, & in ſpiritalibus, ac in ſaecularibus neceſſariis cauſis ad Deum tendit; in proſperitate quoque & adverſitate factorum ſuorum ad ipſum anhelat, cum in illis omnem devotionem ſuam ad eum inceſſanter expandit. Nam ut homo corporalibus oculis quaſque creaturas undique videt, ſic in fide Dominum ubique inſpicit, ipſumque per creaturas cognoſcit, cum eum creatorem illarum eſſe intelligit.

Cor hominis animus & corpus quomodo ſe contineant & quomodo excedant.

Quid operatur ſcientia Dei in homine.

Quid operatur fides in homine.

De quatuor capitibus beſtiarum in quatuor partibus ejuſdem rotæ apparentium, & quid tam in mundo, quam in homine ſignificent.

Quatuor venti majores beſtiis aſſimilantur.

XVI. Sed & verſus eaſdem partes quatuor capita, ſcilicet quaſi caput leopardi & lupi, ac velut caput leonis & urſi apparent, quia in quatuor partibus mundi quatuor principales venti ſunt, non tamen ſic in formis ſuis exiſtentes, ſed in viribus ſuis naturam denominatarum beſtiarum imitantes. Homo quoque quemadmodum in quadruvio ſaecularium curarum exiſtens, quampluribus tentationibus appetitur, in quibus etiam quaſi in capite leopardi, ideſt cum timore Domini velut in lupo infernalium poenarum recordatur, & quaſi in leone judicium etiam Dei metuens, cum velut in urſo in corporali tribulatione quampluribus tempeſtatibus anguſtiarum quatitur.

Homo quatuor tribulationibus opprimitur.

V. II.

Quare principalis ventus orientalis in modum capitis Leopardi ſuper caput imaginis hominis in circulo puri etheris videatur, cur etiam duo collaterales ejus venti alter in ſpecie capitis cancri, alter inſtar capitis cervi oſtendatur

XVII. Supra verticem vero praedictae imaginis in ſigno puri etheris, quaſi caput Leopardi ex ore ſuo velut flatum emittens vides, quod principalem orientis ventum de puro ethere, velut Leopardum venientem deſignat, non quod ventus ille in forma ſua ut Leopardus ſit, ſed quia ut Leopardus ferocitatem Leonis abſque ſcientia habet, & ut Leopardus lenior & debilior leone eſt, ſic ventus ille in ferocitate timoris exſurgit, ac deinde in lenitatem verſus flare cito deſiſtit. Nam de ſuperiore nigro igne ferocitatem, de puro autem ethere in quo eſt lenitatem habet. Et etiam in dextrali parte ejuſdem oris ſe aliquantum in longum recurvans in caput cancri cum duabus forficibus quaſi cum duobus pedibus formatur, quia ad partes illas idem ventus tendens, naturam cancri ſibi illic aſſumit; in ſiniſtrali autem parte oris ipſius aliquantum etiam in longum regirans in caput cervi deſinit, quoniam in partibus illis cervum qui velox eſt imitatur. Ex ore enim capitis hujus cancri quaſi alius flatus exiens uſque ad medietatem ſpatii, quod inter capita leopardi, & praefati leonis eſt procedit, quia ſecundum naturam cancri collateralis ventus ſurgens flatus ſuos ut turbo diſſimiliter profert, itaut interdum hac interdum illac in inſtabilitate diſcurrat, ſicut cancer qui nunc procedit, nunc retrocedit, & ſic uſque ad medietatem quae inter orientem & auſtrum eſt pervenit. Sed ex ore capitis cervi, velut alius flatus veniens uſque ad medietatem ſpatii, quod eſt inter caput leopardi & urſi tendit, quoniam juxta naturam cervi alius collateralis ventus procedens, in flatu ſuo fortis & celeres ſtrepitus emittit, & in hoc cito ceſſat, quemadmodum cervus fortiter pungit, & celeriter currit, nec in hoc diu durat, talique modo uſque ad medietatem, quae eſt inter orientem & ſeptemtrionem properando ſe continet. Et flatus qui a dextra parte oris leopardi uſque ad caput cancri procedit, flatus etiam a ſiniſtra parte ipſius uſque ad caput cervi exit; flatuſque qui ex ore capitis cancri uſque ad medietatem ſpatii inter capita leopardi & leonis ex tantis tendit; flatus quoque qui ex ore capitis cervi uſque ad medietatem ſpatii quod inter capita leopardi & urſi eſt prolongatur, aequalis longitudinis ſunt, quia principalis ventus orientalis ex utroque latere ſuo ad collaterales ſibi ventos aequali longitudine extenditur, ipſique collaterales venti tam verſus auſtrum, quam verſus ſeptemtrionem eadem longitudine ad fines ſuos pertingunt.

Natura Leopardi & ventus ei ſimilis.

Unde habet ferocitatem ventus & lenitatem.

Natura cancri & venti ei ſimilis.

Natura cervi & venti ei ſimilis.

Quare capita iſta in rota ad imaginem hominis ſpirent, & moralis deſcriptio ſignificationis eorum.

XVIII. Omniaque capita haec in praefatam rotam, & ad imaginem hanc hominis ſpirant, quoniam venti iſti flatibus ſuis mundum temperant, hominemque miniſterio ſuo ad ſalutem conſervant. Nam nec mundus ſubſiſteret, nec homo vivere poſſet, ſi flatibus ventorum illorum non vegetarentur. Sed & cum homo in intentione animae ſuae ſe ſurſum erigit, ita ut malefactorum ſuorum meminerit, & quando deinde poenitere diſponit, quaſi ſupra verticem illius cum eadem intentione in ſigno puri etheris, ideſt in ipſa poenitentia ſicut leopardus timor Domini exurgit, qui quaſi ex ore ſuo, ideſt de virtute ſua contritionem educens, cum mentem hominis tangit in proſperitate eam prolongat, uſque dum ad caput cancri ſcilicet fiduciae, de qua velut duae forfices ideſt duo pedes videlicet ſpes & dubium extenduntur perveniat, in adverſitate quoque mentis illius eamdem contritionem extendens in caput cervi quod fides eſt perducit. Nam cum homo pondera peccatorum ſuorum reminiſcitur pœnitentiam aggreditur,

Venti mundum temperant, & hominem conſervant.

Homo pœnitens.

tur, in qua Deum timere non deſiſtit, quamvis proſpera mundi quaſi altera parte habeat, quousque fiduciam, de qua ſicut duo pedes ſpes & dubium oriuntur, apprehendat. De fiducia enim ſpes ſurgit, cui tamen dubietas interdum ſe conjungit, quia dum homo in Deum confidit, remiſſionem peccatorum ſuorum velut procedendo ſe adipiſci ſperat, dum autem multitudinem & gravedinem illorum conſiderat, multotiens utrum peccata ſua ſibi remittantur an non quaſi retrocedendo dubitat, quamvis in Deo confidat. Sed dum aliquando inter adverſa quaſi in altera parte corporalem contritionem patitur, ad divitias fidei ſe convertit, quae in cornibus verae conſolationis infidelitatem dubietatis in illo ad nihilum deducit. Unde velut ex ore cancri, ideſt de fiducia alius flatus quod conſtantia eſt exiens uſque ad plenitudinem perfectionis procedit, ibique inter timorem Domini, & judicium Dei conſiſtit, quoniam cum quilibet in Deum confidens in bonis operibus conſtans & perfectus eſt, timorem Domini ad ſe colligit, ne gravius delinquat, judicium Dei etiam inſpicit, ne peccatis peccata adiiciat. Et quaſi ex ore cervi ſcilicet de fide alius flatus qui ſanctitas intelligendus eſt veniens, uſque ad plenitudinem perfectionis quae inter timorem Domini & corporalem tribulationem eſt extenditur, quia fidelis homo in ſanctitate pollens in perfectione iſta durat, itaut veracier Deum timeat, & ut etiam ob hoc corpus ſuum calligare non ceſſet. Itaque flatus videlicet contritio in proſperitate a timore Domini ad fiduciam procedens, flatus etiam ſcilicet eadem contritio in adverſitate ab eodem timore Domini ad fidem exiens, flatuſque ideſt conſtantia de fiducia ad plenitudinem perfectionis, quae inter timorem Domini & judicium Dei eſt, tendens; flatuſque videlicet ſanctitas a fide ad plenitudinem perfectionis quae inter timorem Domini & corporalem tribulationem eſt ſe prolongans, ut ſupra dictum eſt, uno modo aequalique ſtudio expirationis virium ſuarum hominem ad beatitudinem provocant, quia quamvis diverſas operationes habeant, ad unam tamen beatitudinem tendunt. Nam virtus altera ab altera in operatione rectitudinis procedit. Omniaque capita haec, ideſt virtutes illae in ſcientia Dei ſunt, ſcientiamque Dei adtendunt, hominique tam in corporalibus, quam in ſpiritalibus neceſſariis cauſis aſſiſtunt. Timore enim Domini homine inſpirante, homo ipſe Deum vereri incipiens, ſapienter incedit, bona & recta opera perficiendo. Fiducia quoque qua homo in Deum confidit, cum conſtantia ipſum tangit, quatenus in Deum conſtanter confidat, cogitationeſque ad Deum erigat, quoniam mentes fidelium a virtute conſtantiae roborantur. Fides autem cum ſanctitate ea quae in infidelitate dijudicanda ſunt dijudicat, ſeque velociter dilatans, credentes cito imbuit, cum auditus illorum omnes tumultus perverſarum cogitationum deſerens, lubricas etiam voluptates interius evertit. Quod ſi homo viriditatem virtutum illarum deſerens in ariditatem negligentiae vertitur, ita ut humore & viriditate bonorum operum careat, vires animae ipſius deficiunt & areſcunt, ſi vero luxu voluptatum quaſi incongrua inundatione nimis perfunditur, mens ipſius lubrice incedens liqueſcit. Si autem recto tramite incedit, omnia opera ipſius ad proſperitatem diriguntur, velut in cantico canticorum ſcriptum eſt.

Conſtantia.

Homo ſanctus.

Una virtus procedit ab alia.

Teſtimonium de canticis canticorum ad eadem conveniens, & quomodo intelligendum ſit.

XIX. *Introduxit me rex in cellaria ſua. Exultabimus & laetabimur in te memores uberum tuorum ſuper vinum; recti diligunt te.* Quod ſic intellectui patet. Quia ego anima fidelis hominis, greſſu veritatis filium Dei, qui per humanitatem ſuam hominem redemit, ſecuta ſum, introduxit me ille, qui cunctorum rector exiſtit, in plenitudinem donorum ſuorum, ubi omnem ſaturitatem virtutum invenio, & ubi de virtute in virtutem fiducialiter aſcendo. Unde & nos omnes qui per ſanguinem ejuſdem filii Dei redempti ſumus, toto corpore exultabimus, totaque anima laetabimur in te o ſancta divinitas per quam ſubſiſtimus, ad memoriam revocantes dulcedinem ſupernorum praemiorum ſuper omnes paſſiones & tribulationes quas ab adverſariis veritatis paſſi ſumus, ita ut illas quaſi pro nihilo ducamus, dum delicias quas nobis in oſtenſione mandatorum tuorum proponis deguſtamus. Et ſic qui in operibus ſanctitatis recti ſunt diligunt te vera & perfecta dilectione, quoniam omnia bona te diligentibus concedis, & quia etiam tandem vitam aeternam eis tribuis. Sed & ſapientia cellariis, ideſt mentibus hominum infundit & apponit juſtitiam verae fidei per quam verus Deus cognoſcitur, ubi eadem fides hyemem & omnem humiditatem vitiorum ita comprimit, ut nequaquam ulterius vireſcere aut creſcere poſſint, & ubi ipſa omnes virtutes etiam ſibi attrahit & adjungit, ut vinum vaſi infunditur, quod ad bibendum hominibus datur. Quapropter & fideles in vera fiducia aeterni praemii exultantes & gaudentes manipulos bonorum operum quae operati ſunt portant, juſtitiamque Dei ſitiunt, & ſanctitatem de uberibus ejus ſugunt, nec hoc modo extaediari poterunt, quin ſemper in contemplatione divinitatis delectentur, quoniam ſanctitas omnem humanum intellectum praecellit. Cum enim homo rectitudinem recipit ſe ipſum relinquit, virtuteſque guſtat & bibit, ac per illas confortatur, ſicut venae bibentis vino implentur, nec in vitiis infidelitatis officialis & immoderatus eſt, quemadmodum ebrius a vino extra ſe eſt, non attendens quid faciat. Sic recti diligunt Deum, quia taedium in illo non eſt, ſed perſeverantia in beatitudine.

Anima fidelis ſequitur Chriſtum.

Redempti per ſanguinem Chriſti laetantur in divinitate.

Diligentes Dominum & dona accipiunt.

Sanctitas excellit ſpiritum humanum.

Homo ſequens rectitudinem.

Quare principalis ventus occidentalis in effigie capitis lupi ſub pedibus ſupradictae imaginis in circulo aquoſi aeris appareat; cur etiam duo collaterales venti alter in cervi, alter in forma capitis cancri demonſtrentur.

XX. Quod autem ſub pedibus ejuſdem imaginis hominis in ſigno aquoſi aeris velut caput lupi quaſi flatum ex ore ſuo producens apparet, hoc eſt quod ſub poteſtate illius, qui propter homines homo factus eſt, in plaga occidentis de aquoſo aere quemadmodum lupus principalis occidentalis ventus ſpirans venit in forma lupi, qui in ſylva latet, & qui rapax eſt, cum cibos quaerit, ſignificans quod ventus iſte de latibulo ſuo ſcilicet de aquoſo aere exiens, viriditatem herbarum nunc educit, nunc repente areſaciendo opprimit. Qui etiam a dextra oris ipſius aliquantum in longum erumpens in medio medietatis ſpatii, quod inter capita lupi & urſi eſt, formam capitis cervi accipit, ex cujus etiam ore velut alius flatus veniens in eadem medietate finitur, quoniam partes illas ventus iſte petens, in medio medietatis, quae inter occidentem & ſeptemtrionem eſt, ad naturam cervi ſe convertit, itaut ibi collateralis ſibi ventus exiens, quemadmodum cervus fortiter pungendo, velociterque currendo, flamina ſua uſque ad medietatem ipſam emittat. A ſiniſtra vero oris ejuſdem lupini capitis flatus, qui ab ipſo ore procedit, ſe prolongans, in medio etiam medietatis ſpatii quod inter capita lupi, & leonis eſt, in caput cancri cum duabus forficibus quaſi cum duobus pedibus ſurgit, de cujus quoque ore quaſi alius flatus exiens, in ipſa medietate reſidet, quia in partibus illis idem ventus officia ſua exercens, in medio medietatis, quae inter occidentem & auſtrum eſt, ad naturam cancri ante & retro incedentis revertitur, quoniam ibi collateralis ejus ventus procedens, in inſtabilitate ut cancer nunc hac nunc illac flando ad praedictam medietatem ſe diffundit. Qua autem ſpatiorum menſura capita haec ab invicem diſtant, eadem menſura & forma flatus eorum hinc & hinc in longitudine extenditur, ut & de aliis ſuperius dictum eſt, quia menſura qua venti iſti a ſe ſeparati ſunt,

P. I. ſunt, illa etiam & ſpiramina flatuum ſuorum emittunt quoniam ventus ad ventum flatus ſuos dirigit, ipſique in occurſu illo metam ſuam non transcendunt, nec ventus ventum flando ſupergreditur, niſi hoc ex judicio Dei fiat. Quod ſi divino examine judicante, interdum acciderit, terrores ibi fiunt, plurimaeque adverſitates malorum illic inſurgunt.

Quare & haec ſicut ſuperiora capita ad hominis imaginem ſpiramina ſua dirigant, & moralis horum intellectus.

XXI. Ipſaque in rotam praemonſtratam, & ad imaginem hominis in ea ſtantem ſpiramina ſua mittunt, itaut iidem venti mundum & hominem omniaque quae in mundo ſunt viribus & officiis ſuis retineant. Itaque cum quilibet fideles caduca terrenarum cupiditatum mollis exemplis quaſi ſub pedibus ſuis bona operando conculcant, quaſi de aquoſo aere ex ipſis ſanctis operibus ut lupus infernales poenae denudatae prodeunt, quia cum illi peccare deſiſtunt, ad viam rectitudinis tendentes, infernales poenas, quae animas devorant, ſe pertimuiſſe demonſtrant. Quae cum quaſi flatum ſcilicet contritionem in corde hominum ex ore ſuo quod eſt a voracitate ſua perducunt, quoniam fideles illas abhorrent, eadem contritio quamvis homo proſpere in actibus ſuis incedat, ſecundum Deum ſe prolongans, in plenitudine perfectionis quae inter infernales poenas & corporalem tribulationem eſt, formam capitis cervi, ideſt fidei accipit, ex cujus etiam ore, ideſt virtute, alius flatus videlicet ſanctitas veniens, in eadem perfectione permanet. Cum enim homo infernales poenas timet, corpus ſuum variis tribulationibus miſeriarum tamdiu multotiens conterit, quouſque ad perfectionem illam pertingat, in qua totus in fide ardeat, credens quod Deus eum ab infernalibus poenis eripiat, ſicque ſanctitas in eo ſurgit, cum ſaecularia opera abiiciens ſpiritalibus ſe totum immergit. Cum vero a ſiniſtra adverſitate voracitatis praedictarum infernalium poenarum homo permiſſione Dei quamplurimis calamitatibus corporaliter caſtigatur, contritio quoque in cor illius aſcendit, & cum ſe nullam proſperitatem praeſentis vitae habere conſiderat, ſe ab inde extendens, & ſic ad plenitudinem perfectionis quae inter infernales poenas & judicium Dei eſt pertingens, in caput cancri videlicet fiduciae, quae nunc ſpem nunc dubium habet, ſurgit, quia homo opera ſua in Deum ponens, modo remiſſionem delictorum ſuorum ſe obtinuiſſe ſperat, modo dubitat, ſed tandem de fiducia alius flatus qui conſtantiam deſignat exiens, illum ad perfectionem hanc virtutum perducit, ut deinceps de bonitate Dei nihil haeſitet. Tenore autem quo aſſertiones iſtae a ſe diſcretae ſunt illo etiam & efficacia operationum ipſarum protelatur, quoniam infernales poenae quamvis metuendae ſint, cum homo propter timorem illarum ſe in contritione affligit, fidem tamen cum ſanctitate, fiduciam quoque cum conſtantia robuſtiores reddunt, itaut cum infernus timetur homo in omnibus cautior judicetur. Et hae omnes viſionem Dei, qui cuncta comprehendit, inſpicientes, hominem etiam ut voluntatem Dei perficiat, virtute virium ſuarum impellunt. Nam infernales poenae, ut Deus timeatur, faciunt, quia cum homo poenas veraciter timet, peccare deſiſtit, atque cum bona exempla in aliis hominibus videt, plurimas indignationes in ſemetipſo multotiens ſuffert, itaut cum illas patienter portat, in omnibus operibus ſuis ſanctitatem demonſtret. Sed cum per ſuſtentationem bonorum operum proſpere incedit, nulla adverſa patiens, virtute illorum ad velocitatem rectitudinis ſe conjungit, itaut proſperitatem temporalium habens, gratiae Dei nihil haeſitans, fiducialiter ſe commendet, quatenus etiam caducis rebus velut in ante gradiens ſic utatur, ne aeternis in coeleſtibus poſt ſe vadens privetur. Qui autem viriditate Spiritus Sancti caret, in infidelitate ſuffocatur, in praviſque actibus conſumitur, ſubmerſionemque tartaream incurrit, quoniam gratiae Dei ſe commendare non ſtuduit. De hoc loquitur Iſaias ſervus meus dicens. V. II.

Ab virtutes a ſe caduca, & tempera lia in metu in cruciatu poenarum.

Homo evitans infernales poenas procedit ad timorem et terrorem ad confeſſionem peccatorum ad fidem, & in fide ad ſanctitatem.

De fiducia ad conſtantiam proceditur.

Carens Spiritu Sancto.

Verba Iſaiae ad idem pertinentia, & quomodo accipi debeant.

XXII. *Auferam ſepem ejus, & erit in direptionem, diruam maceriam ejus, & erit in conculcationem, & ponam eam deſertam. Non putabitur, & non fodietur, & aſcendent ſuper eam vepres & ſpinae, & nubibus mandabo ne pluant ſuper eam imbrem.* Quod ſic intellectui patet. Omnis qui in Deum non confidit, nec attendit quomodo a Deo creatus ſit, ſed eum reprachendit tamquam in peccatis ipſius culpabilis ſit, & quaſi recta itinera in eo non conſtituerit, nec vult aſpicere ortum & occaſum ſolis & lunae ac ſtellarum, quas Deus in coelum poſuit, nec ventum cum aere, nec terram cum aquis, & caeteris creaturis, quae omnia Deus propter hominem creavit, quatenus in omnibus his cognoſceret ad quantum honorem creatus eſſet, me qui ſine initio, & ſine fine ſum contemnit, atque omnem creaturam dextruit, nec illam, nec ſeipſum perfecte cognoſcit. Unde & ego auferam defenſionem ejus, quoniam alium adjutorem non habet, & alieni a vita eum deripient, diruam quoque munitionem ipſius, & a daemonibus conteretur, & ſic a bonis Angelis deſeretur. Nam omnis connexio concupiſcentiarum illius auferetur, & canibus beſtiiſque diſtribuetur, quia minus quam animalia me cognovit, cum illa ut creata ſunt faciant, quapropter etiam ut ſtercus conculcabitur, atque ab omni beatitudine deſeretur. Sed & in numerum filiorum Dei non ponetur, nec ſarculo fidei de peccatis ſuis evertetur, quia illum imitatus eſt, qui ſimilitudinem Dei habere voluit, qui a nullo proceſſit, & ſine fine eſt. Et ideo quoque per ſuperbiam inſurgunt in eo diſſenſiones & irae, furores, qui eum omnino ab omni gloria ſupernae haereditatis ſcindunt, atque hoc modo Spiritus Sancti rore & gratia carens, in tantam ariditatem vertitur, ut nullum fructum bonorum operum praeferat. Sed ut homo a Deo quaerit, quatenus horrida poteſtas ſedetur, & ea quae ſibi neceſſaria ſunt concedantur, ſic etiam a Deo poſtulet, ut mala ſcientia in ipſo ſuperetur.

Homo qui obiicit Deum à ſe, ad quid deveniat, nota per totum.

Quare principalis ventus auſtralis in dextera parte ejuſdem imaginis velut caput leonis in circulo lucidi ignis oſtendatur; cur etiam duo collaterales venti ejus alter in ſerpentis, alter in figura capitis agni conſpiciatur.

XXIII. Sed ad dexteram praedictae imaginis hominis, in ſigno lucidi ignis, velut caput leonis aſpicis, quod ab auſtrali plaga ad proſperitatem hominis directum, de ſupradicto elemento lucidi ignis leonem quaſi principalem auſtralem ventum exeuntem demonſtrat, quoniam ut leo fortis eſt, & in fortitudine ſua voluntatem ſuam exercet, ita & ventus auſter in igne & ab igne fortis & praeceps exiſtit, atque cum dies in longitudine ſe protrahunt potens eſt, & in eadem potentia colliſionem, & diruptionem nubium, ac pericula in repentina emiſſione imbrium parat. Ex cujus ore quaſi flatus egrediens ab utraque parte oris ejuſdem aliquantum prolongatur, quia de plaga hac auſtrali idem ventus procedens ſe in utramque partem ſui videlicet hac & illac extendit, & ſic etiam in dextra parte in caput ſerpentis, in ſiniſtra autem in caput agni formatur, quoniam in dextrali parte ventus iſte naturam ſerpentis ſibi aſſumens, qui leniter ſupplicat, acriter autem inſidias ponit, quemadmodum ſerpens aliquando lenes flatus producit, ſed interim etiam fortes punctus & ictus emittit; in ſiniſtrali autem in agnum qui mitis & lenis eſt vertitur, quia in eiſdem par-

tibus

Digitized by Google

P. I. tious ſuavem & non periculoſum ſe oſtendit. Et caput ſerpentis in medio medietatis ſpatii quod inter caput leonis & lupi eſt ſe oſtendens, velut flatum emittit, qui ſe ad eamdem medietatem extendit, ac flatui qui de capite cancri egreditur, quod inter caput lupi & leonis eſt ſe conjungit, quoniam juxta naturam ſerpentis ut ſupra demonſtratum eſt ventus iſte principali vento auſtri collateralis, in medio medietatis longitudinis illius, quae inter auſtrum & occidentem exiſtit emergens, ſpiramina ſua uſque ad eamdem medietatem, quae inter auſtrum & occidentem eſt extendit, nec terminum hunc quemadmodum nec alii niſi ex judicio Dei tranſgreditur, ibique flatum de collaterali vento ſurgentem, qui inter occidentem & auſtrum eſt excipit. Nam ſi longitudo ſpatii quæ inter auſtrum & occidentem eſt, in partes quatuor dividitur, terminus ab auſtro partis primae, qui & initium eſt partis ſecundae, medius eſt inter initium partis primae, ac terminum partis ſecundae, terminuſque partis ſecundae, qui & initium eſt partis tertiae, medietas longitudinis illius eſt, quae inter auſtrum & occidentem eſt. Eodem quoque modo finis ab occidente e contra partis primae, qui & initium eſt e contra partis ſecundae, medius eſt inter initium ibidem partis primae, ac finem illic partis ſecundae, terminuſque ibidem partis ſecundae, qui & initium illic eſt partis tertiae, medietas longitudinis hujus eſt, quae e contra inter occidentem & auſtrum exiſtit ubi & collaterales venti ſibi occurrunt. Sicque venti iſti tam principales quam eorum collaterales inter orientem & auſtrum, inter auſtrum & occidentem, inter occidentem, & ſeptemtrionem, ac inter ſeptemtrionem & orientem aequali modo ad invicem connexi, ab invicemque diſcreti ſunt, ut praefatum eſt. Caput autem agni in medio medietatis ſpatii quod inter caput leonis & leopardi extat apparens, quaſi flatum producit, qui ſe ad ipſam medietatem prolongans, flatui qui de capite cancri quod inter caput leopardi & leonis eſt, in conjunctione occurrit, quia ſecundum naturam agni ut ſupra oſtenſum eſt, alius collateralis ventus in partibus iſtis ideſt in medio hoc ſpatio quod inter auſtrum & medietatem hanc longitudinis, quae inter auſtrum & orientem exiſtit oritur. Is etiam flatum ſuum ad eamdem medietatem dirigit, ibique ſpiramini, quod de vento naturam cancri imitantis, qui inter orientem & auſtrum exurgit, ſtrepitu ſuo obviam venit, itaut ibi multotiens quam plurimi terrores & colliſiones ex congreſſu eorum fiant. Sed & ſecundum ſpatia quibus capita haec a ſe ſeparata ſunt, longitudo flatuum eorum procedit, quemadmodum & de ſuperioribus capitibus flatibuſque eorum praemonſtratum eſt, quoniam juxta longitudinem, qua initia ventorum iſtorum a ſe diſcreta diſtant, & ſpiramina flatuum ſuorum uſque ad loca illa emittunt, in quibus exurgunt, in quibus etiam ſpiramina eorum ſibi occurrunt.

Quare haec ut & anteriora capita in rotam & in imaginem eamdem flatus ſuos emittant.

Venti hominem & omnia quae in mundo ſunt fortitudine ſua conſervant.

XXIV. Et in praefatam rotam, & ad praedictam humanam imaginem ipſa flare ſe oſtendunt, quia venti tam principales, quam iſti qui eis collaterales ſunt, mundum univerſum ac hominem, in quo omnes creaturae latent, fortitudine ſua conſervant, ne in defectum cadant. Collaterales enim venti pennae principalium ventorum ſunt, & aſſiduc quamvis leniter cum aere flare non ceſſant; principales vero venti in fortiſſimis viribus non niſi ex judicio Dei ad vindictam circa finem mundi provocantur. Nam auſter & ſeptemtrio judicio Dei collateralibus ventis ſuis ſecundum quod voluntas Dei eſt immittunt, auſter ſcilicet magno calore, magnaque inundatione; ſeptemtrio autem in fulgure, in tonitru, in grandine, & frigore. Venti namque principales videlicet orientalis & occidentalis collaterales ventos ſuos ad judicia Dei facienda, remiſſius & tardius provocant,

Ventus auſtralis & ſeptemtrionalis faciunt magnas tempeſtates.

ſed tamen cum eos per voluntatem Dei ad haec excitant, hoc in aeſtate aut per frigus, aut per ſiccitatem, ſeu in hieme aut per calorem, aut per pluviam, aut per ſimilia mala faciunt, quae terrae & hominibus contraria & nociva ſunt. Et ſicut venti orbem terrarum viribus ſuis tenent, ita etiam in officiis ſuis faciunt hominem ſcire & intelligere quid operaturus ſit. Cum autem idem venti flatus ſuos ſuper terram emittunt, eos etiam ſub terra diſpergant, atque ibidem in quibuſdam locis quaſdam ſubterraneas cavernulas intrantes cum exitum non habent terram movent; ſed ubi exitum habent, ibi orti a quibuſdam hominibus videntur, cum illic non oriantur, ſed in ſuperioribus elementis ut praefatum eſt ſe tam ſub terram, quam ſuper terram diſpergentes. V. II.

Principales venti ſunt orientalis & occidentalis & hi ventos agunt in terra.

Venti faciunt rationalem hominem intelligere quid operaturus ſit. Ex ventis intercluſis movetur terra.

Quod homini diligenter inveſtigandum ſit, quomodo hæc omnia ad ſalutem animæ ſuæ, & ad Dei judicia peragenda nihil inexaminatum relinquentis reſpiciant.

XXV. Quomodo autem omnia hæc ad ſalutem animæ reſpiciant homo intelligat, quia quod in ſigno lucidi ignis divinam potentiam deſignantis, velut caput leonis ideſt judicium Dei, quod terribile eſt, aſpicitur, hoc ideo eſt, quoniam Deus juſta æquitate omnia dijudicans, nihil inexaminatum relinquit. Idem enim judicium in virtute ſua ad rectitudinem ſe hinc & hinc extendens, homini proſpere incedenti, caput ſerpentis quod prudentiam ſignificat proponit, in adverſitate autem laboranti, caput agni, ſcilicet formam patientiæ demonſtrat. Nam neceſſe eſt ut homo in proſperitate judicium Dei prudenter timeat, quatinus doloſitatem aſtutiamque malorum fugiens, in vana ſecuritate viam veritatis non deſerat, & in adverſitate ſub eodem judicio patientiam habeat, ſciens quod Deus tortuoſitatem in operibus hominum diſſimulando multotiens tollerat. Et caput ſerpentis videlicet prudentia in plenitudine perfectionis, quæ inter judicium Dei & infernales pœnas eſt apparens, velut flatum ideſt providentiam de ſe procedere facit, quia dum homo per judicium Dei exterritus, prudenti animo infernales pœnas metuit, ne illas ex merito patiatur per bona opera ſtudioſe providet, quæ ſe hoc modo ad perfectionem rectitudinis extendens, conſtantiæ quæ de capite cancri, ideſt de fortitudine fiduciæ oritur, quæ inter infernales pœnas & judicium Dei eſt conjungitur, quoniam fidelis ut ad vitam æternam ſibi quælibet bona provideat, in hoc conſtans eſſe ſtudet. Caput autem agni, quod patientiam deſignat, in plenitudine perfectionis, quæ inter judicium Dei & timorem Domini eſt, apparens, quaſi flatum ſcilicet manſuetudinem producit, quæ etiam ad rectam perfectionem pervetiens, conſtantiæ quæ de vera fiducia quæ inter timorem Domini & judicium Dei eſt ſe aſſociat, quia beatus homo cum patiens ad obbrobria eſt, & etiam manſuetum ſe in his oſtendit, conſtantiam ut bono fine conſummetur, amplecti debet.

Deus juſte omnia facit.

Prudentia.

Quia nulli ordo virtutum a ſe vel in ſe diſcretus negligendus ſit, quoniam virtutis effectus hominem ad juſtitiam vel rectitudinem cæleſtium perducit.

XXVI. Sed ſecundum quod ordo earumdem virtutum a ſe & in ſe diſcretus eſt, ita quod virtus hæc vires illas, illa vires illas oſtendit, ſic & operationes earum in hominibus ſunt, quemadmodum & de cæteris virtutibus intelligendum eſt, quoniam voluntatem bonam opera bona ſequuntur, eodemque modo ad ſcientiam Dei declinantes, quia in ſcientia Dei ſunt, hominem ad quamque juſtitiam, & ad rectitudinem cæleſtium pariter perducunt. Omnes enim virtutes ad ſalvationem hominis feſtinanter currunt; quamvis in uno homine pariter non appareant. Nam judicium Dei hominem exterret, ipſumque examinat, nec opus hominis relinquitur, quod judi-

Opera bona voluntatem bonam ſequuntur.

Omnes virtutes ſunt ad ſalutem hominis.

P. I.

judicio Dei non excutiatur, quia judicium Dei juſtum omnia juſte dijudicat. Sed & prudentia vires ſuas cum providentia homini immittit, quatenus luxum ſæculi prudenter abiciens, caſtitatem amplectatur; patientia vero cum manſuetudine ipſum tangit, ut tentationes carnis patienter quoque ſufferat, quoniam in utroque ſexu viri ſcilicet & fœminæ, ardor carnalis concupiſcentiæ virtutibus iſtis ſine tædio negligentiæ ſopiendus eſt. Quapropter nullus fidelium ipſas negligenter habeat, ne eum in ariditate deſiccatum, aut in concupiſcentiis carnalibus ſuffocatum relinquant, ſed eas bonis operibus imitetur, quatenus ipſum in omni ſanctitate conſervent. Si autem homo Deum negligit, juſto judicio ipſius etiam corporales caſtigationes, ut prædictum eſt, ſæpius incurrit, itaut tam de ſuperioribus, quam de ſubterioribus elementis, & creaturis, & in calore & frigore, in ſiccitate & humiditate, ac in aliis multimodis preſſuris, flagello Dei ſubjaceat, quia conſtantiam virtutum non inſpiciens, intelligere noluit quid facere deberet. Cum enim virtutes in ſpiritualibus cauſis homines imbuunt; in carnalibus quoque prudentes illos faciunt, itaut cum nondum in illis palam appareat, ad timorem Domini ipſos ſilenter multotiens concutiant. Sed cum ſe in eis manifeſtant, itaut illi virtutes aperte per caritatem colant, tunc timorem Domini prius ipſi in temporalibus habuiſſe videbuntur, cum nunc magis propter deſiderium cœleſtium quam propter metum infernalium pœnarum a carnalibus ſe ſubtraxerint, & ad ſpiritualia converterint per fortitudinem beatarum virtutum roborati, quemadmodum David teſtatur, ubi in voluntate mea dicit.

Prudentia & providentia, patientia & manſuetudo faciunt hominem caſtum.

Homo negligens Deum juſto Dei judicio flagellatur.

Virtutes faciunt homines prudentes in ſpiritualibus & carnalibus.

Teſtimonium de pſalmo CXVII. ad hoc conſonans, & quomodo intelligendum ſit.

XXVII. *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me, dextera Domini fecit virtutem. Non moriar ſed vivam, & narrabo opera Domini.* Quod ſic intellectui patet. Homo primitus per timorem Dei & gehennalium poenarum a ſiniſtra declinat, ac poſtea per amorem Dei ad dexteram, ideſt ad deſideria coeleſtium bonorum aſcendit. Quod dum facere incoeperit, fortiſſima arma ſibi induit, quia bonam ſcientiam a mala ſeparavit. Unde & huic duplici ſcientiae oculus comparatur, qui aquoſum circulum infra albedinem ſuam ſitum habet, quemadmodum & vas ſpeculum in ſe continet, quoniam mala ſcientia, quae per ſiniſtram intelligitur, eſt velut vas bonae ſcientiae quae per dexteram accipitur. Nam dexter oculus bonae ſcientiae ubique circumſpicit & conſiderat quod carnalis concupiſcentia inutilis eſt, & lucem veritatis non inſpicit, & quod cum inceſtis operibus exultat, poſt per triſtitiam quaſi aquoſa ſubmerſione ſuffocatur. Itaque dextera pars bonae ſcientiae ad Deum ſe levat, & malam delectationem conculcat, atque triſtitiam abſtrahit. Sic ergo dextera Domini ideſt fortitudo ejus facit virtutem hanc, ut homines eum per fidem cognoſcant, & opera ſua in timore ipſius operentur, atque eadem dextera per poenitentiam exaltat me, qui prius in peccatis ſorduẽram, necnon & ipſa facit virtutem poſt poenitentiam peccatorum meorum, itaut tanto deſiderio in amore Dei ardeam, quatenus inde ſaturari non poſſim. Unde etiam in peccatis non moriar, quando per poenitentiam eorum reſurgo, ſed per veram & puram poenitentiam quam ad Deum habeo, in aeternitate vivam, & ſic de morte ereptus, narrabo mirabilia Domini in timore & amore ipſius, quoniam morti me non tradidit, ſed me de infernali perditione eripuit.

Per dexteram & ſiniſtram ſcientia bona & mala notatur.

Dextera Domini eſt fortitudo ejus, in qua homines per fidem operantur opera Domini & ad ſalubrem poenitentiam perveniunt.

Quare principalis ſeptemtrionalis ventus a ſiniſtra parte illius humanae imaginis quaſi caput urſi in circulo nigri ignis appareat; cur etiam duo collaterales ejus venti alter in agni, alter in forma capitis ſerpentis videatur. V. II.

XXVIII. Ad ſiniſtram vero praefatæ imaginis in ſigno nigri ignis quaſi caput urſi apparet, quod a ſeptemtrionali plaga multoties contrarium homini de nigro igne velut urſum principalem ventum ſcilicet ſeptemtrionalem in periculis tempeſtatum ſaepius prodire oſtendit, quoniam ex nigro igne eſt. Et ideo etiam quemadmodum urſus in ira ſubmurmurat, & ut ille in natura ſua nequam exiſtit, ita & ventus iſte quaſi ſubmurmurando commotiones & ſtrepitus ac pericula in tempeſtatibus aliquando parat. Sed quod velut flatum ex ore ſuo dat, qui etiam ad dextram & ad ſiniſtram oris ipſius aliquantum in longum ſe extendens, ad dextram in caput agni deſinit, ad ſiniſtram vero formam capitis ſerpentis accipit, hoc deſignat quod ventus hic a praefata ſeptemtrionali plaga exiens, & ab utraque parte ſui in longum procedens, ad dextram in lenitate naturae agni qui lenis & non periculoſus eſt tranſit, quoniam in partibus illis ventus idem ſe interdum mitem oſtendit. Ad ſiniſtram autem ſerpentem imitatur, qui leniter quidem primum labitur, ſed poſtmodum praecipitanter movetur, & cum ſic nihil praevalet, hominem timens ſupplicare incipit, quia & ventus iſte illic quaſi deceptuoſe ſine ſtrepitu in primordio progreditur, ſed tandem cum periculo velut doloſum & immitem ſe demonſtrat, & cum homines ſe jam perire putant, iterum in lenitatem revertitur. Ex ore autem capitis agni hujus quemadmodum alius flatus uſque ad medietatem ſpatii, quod inter capita urſi & leopardi extat ſe prolongat, quoniam ad ſimilitudinem agni ventus iſte principali vento, qui de plaga ſeptemtrionis procedit collateralis uſque ad medietatem extenſionis, quae inter ſeptemtrionem & orientem eſt vires ſuas flando emittit, quia in partibus illis velut agnum ſe mitem oſtendit, quamvis alibi quaſi in ira graſſetur. Sed et ore capitis ſerpentis iſtius ſicut alius flatus uſque ad medietatem ſpatii, quod inter capita urſi. & lupi eſt ſe extendendo procedit, quoniam ut natura ſerpentis eſt ſic ventus iſte vento ſeptemtrionali in latere vicinus ad partes illas pervenit, ubi medietas longitudinis illius exiſtit, quae inter principalem ventum ſeptemtrionis, ac principalem ventum occidentis extenditur, nunc vires ſuas blande, nunc velut in dolo praecipitantes exercens. Sed ſimilitudo flatus illius, qui de dextra parte oris urſi uſque ad caput agni venit, ſimilitudo quoque ejuſdem flatus, qui de ſiniſtra parte ipſius oris uſque ad caput ſerpentis procedit, flatus etiam qui ex ore capitis agni uſque ad demonſtratam medietatem ſpatii, quod inter capita urſi & leopardi videtur exit, flatuſque qui ex ore capitis ſerpentis uſque ad medietatem ſpatii inter capita urſi & lupi extantis prolongatur, unius & aequalis longitudinis ſunt, quoniam ſeptemtrionalis ventus ſcilicet principalis, ex utraque parte ſui ad ventos qui ſibi in ſubjectione collaterales ſunt, pari extenſione prolongatur. Venti quoque ipſi collaterales & ad orientem & ad occidentem vergentes, eodem longitudinis tenore finem accipiunt, quo & principalis ventus, qui initium eorum exiſtit, ut ſupra dictum eſt, finitur.

Quare etiam iſta ſicut & ſuperiora capita in rotam & ad imaginem eandem impetus flatuum ſuorum convertant.

XXIX. Capita quoque haec omnia in ſupradictam rotam, atque ad praefatam imaginem hominis flatus dant, quia praedicti venti flatibus virium ſuarum circuitum orbis continent, & hominem in eo degentem, ne in defectu pereat ad utilitatem ſuam reſpicere inſtigant. Itaque cum quilibet ventus omnium praedictarum qualitatum ſive naturaliter ſive per diſpo-

Homo per vires ventorum confortatur in corpore & anima.

P. I.

ſpoſitionem Dei flatus ſuos extulerit, nullo obſtaculo obſiſtente, corpus hominis penetrat, illumque anima ſuſcipiens ad interiora, ad quodlibet membrum corporis, quod naturae illius convenit, naturaliter ducit; ſicque per flatus ventorum homo aut confortatur, ut ſupra dictum eſt, aut deſtituitur. Sed & homo cum proſperitatem ſaecularium habet, a judiciali igne, qui vindicta Dei eſt, quemadmodum urſus corporalis tribulatio egrediens illum conſtringit, nec eum ſecundum voluptates ſuas procedere permittit, ſed velut flatum ſcilicet miſeriam de tenore ſuo tam in proſperitate quam in adverſitate ipſius protelans, in humilitate paupertatem ſpiritus eum deſiderare & habere facit, ita ut ille hoc modo juſte incedens, quaſi in capite agni patientiam amplectatur, mala quoque devitans, velut in capite ſerpentis prudentiam imitetur. Nam per corporales tribulationes homo multotiens pervenit ad divitias ſpiritales, atque per eaſdem divitias ſuperna regna adipiſcitur. Ex ore autem capitis agni patientiam ut ſupra dictum eſt, demonſtrantia, alius flatus ideſt manſuetudo ad perfectionem quae inter corporalem tribulationem, & timorem Domini eſt perveniens, ſed ex ore capitis ſerpentis prudentiam deſignantis, alius flatus videlicet providentiam ad perfectionem, quae inter corporalem tribulationem & infernales poenas exiſtit procedens, hominem per vindictam Dei caſtigatum, ut terrena contemnat, & ut ad coeleſtia anhelet, quomodo etiam ſuperius de eis oſtenſum eſt commonent. Nam & principia & fines praefatorum miſteriorum in factis & in ſignificationibus ſuis unius & aequalis ſtudii ad eruditionem hominis exiſtunt, quamvis diverſa opera habere videantur, & omnia quae ſcientia Dei ſaluti animae convenientia demonſtrat, ad ereptionem illius perducunt, hominemque ut corpore & anima creatori ſuo fideliter adhaereat, viribus ſuis impellunt. Quapropter homo ſeipſum ad ſanctitatem confortet, itaut carnalia deſideria fugiat, & ut luxus faetentium vitiorum abneget, Deoque qui continentiam & caſtitatem diligit ſapienter deſerviat, nec ſupra modum aridus, nec ſupra modum humidus in opere virtutum ſit, quoniam qui carnem ſuam nec caſtigare, nec conſtringere voluerit, in interitum animae ibit. Qui vero ſeipſum domando virtutes amaverit, & amando retinuerit animam ſuam in vitam aeternam collocabit, cum a Domino corripitur & caſtigatur, ſicut & David per me inſpiratus loquitur dicens.

Homo per corporales tribulationes pervenit ad regna caeleſtia.

Homo qui confert ſe ad ſanctitatem.

Verba David in eodem pſalmo CXVII. ad eadem competentia, & explanatio ipſorum.

XXX. *Caſtigans caſtigavit me Dominus, & morti non tradidit me.* Quod ſic intellectui patet. Homo caſualis & indiſciplinatus multoties exiſtit, nec timidus eſt, niſi omnes venae ipſius doloribus hiſundantur. Unde & diabolus primum hominem decepit, cum magnam vanitatem iniit, eſſe cupiens quod eſſe non debuit, & idcirco etiam magna triſtitia cum dolore illi infuſa eſt. Nam ex labore homo timorem habet, ex vanitate autem oblivionem, & ex praevaricatione legis ſtultam fiduciam. Sed omnia haec timor Domini excellit, quia homo per timorem coram Deo tremiſcit, & quod in multis aliis nulla utilitas ſit veraciter cognoſcit. Timor enim in homine percurrit, ac poſtea caritatem amplectitur, ubi homo Deum diligit, conſiderans quomodo eum placare poſſit, quatenus iniquitatis ſuae non recordetur. Sed cum homo Deum in amore quaerit, Deus illum ſaepe cum laboribus caſtigat, ita ut ille fiducialiter dicat: Flagellis ſuis caſtigans caſtigavit me peccatorem ille qui Dominus omnium eſt; ſed tamen in eadem caſtigatione, qua me flagellat, morti infernalium poenarum non tradidit me, quia illum amando quaeſivi, & peccata mea illi confeſſus ſum, atque in ipſa patiens & prudens ſum, quando judicia ejus ſuper culpas meas recta cognoſco, & cum duabus alis ſcilicet ſcientiae boni & mali ad illum volare ſtudeo, ita ut cum dextra ala ſiniſtram mihi ſubjciam, quatenus recto & aequali tramite incedam.

V. II.

De ſeptem planetis in diverſis circulis rotae ſupradictae imaginis diſtinctis intervallis apparentibus.

XXXI. Sed & ſuper caput praedictae imaginis ſeptem planetae ſurſum ab invicem deſignati ſunt; tres in circulo uno lucidi ignis, unus etiam in ſubjecto illi circulo nigri ignis, tres autem in ſubjecto illi circulo puri etheris, quoniam ab oriente initia ſua quilibet eorum ſumens, alterque alterum in altitudine circuitus ſui tranſcendens, cum curſum ſuum compleverit, iterum verſus orientem, ut currere poſſit, ortum ſuum repetit. Et tres in praedicto lucido igne, unus etiam in ſubjecto illi circulo nigri ignis; tres autem ſub ipſis in puro ethere curſus ſuos habent, quoniam hii qui in eodem igne currunt, ab ipſo igne ad ignes ſuos excitantur, idemque ignis a viribus illorum ad ardorem ſuum confortatur, quemadmodum ligna ab igne incenduntur, & ut ignis per ligna ad ardorem roboratur. Et tres ſunt, quia ſi plures eſſent, eumdem ignem nimis ardere facerent, eumque circuitionibus ſuis confunderent, vel ſi pauciores forent, idem ignis convenienti juvamine deſtitutus in ardore ſuo torpeſceret. Et primus ſplendore ſuo ſplendorem ſolis illuſtrat, ſecundus vero ardore ſuo ardorem ſoli adminiſtrat; tertius autem curſu ſuo curſum ſolis ad rectitudinem retentat. Cum his enim ſol circumdatur, dirigitur, & retinetur, quatenus firmamento omnique mundo rectum temperamentum calore & ſplendore ſuo tribuat. Sed tres qui in praedicto ethere puritatem a ſuperiore igne, & a ſubteriore aqua habente diſcurrunt, ab eodem ad puritatem ſplendoris examinantur, puritateque ſua ipſum perfundunt. Et non plures nec pauciores quam tres ſunt, quoniam ad confortationem puritatis illius nec ſuperabundant, nec minus ſufficiunt, ſed congruenti temperamento ei aſſiſtunt, nec ſuperfluitate ipſum aggravant, nec tenuitate deſtruunt. Et qui in eodem ethere primus ſuper lunam eſt, illi ad incrementum ſuccurrit, eamque protegit, ne ſupra modum accendatur, ſecundus autem qui proximus ipſi exiſtit, eam in detrimento conſervat, ne tota diſſolvatur. Iſti lunam quaſi miniſterio ſuo percurrunt, & ſubſequuntur, eamque ad totius mundi temperamentum diſtincte & convenienter exhortantur.

Quomodo idem planetae a Deo mundi conditore in firmamento diſpoſiti ſint, & de variis ipſorum efficientiis.

XXXII. Verſus auſtrum autem ad latus ejuſdem imaginis, nec non & ſub pedibus ipſius ſol eodem modo ac ordine ſignatus & diſtinctus, in circulo ſuo apparet, quia & ad auſtrum & ad occidentem currit, non tamen ita ut ſub pedibus hominis ſit, ſed quod in occidente cum revolutione firmamenti occidua mundi petens a plaga ſeptentrionali declinet, & iterum in oriente cum eodem firmamento reſurgat. Et a medio ſummi ſigni primique planetae, qui ſupra caput ejuſdem imaginis ſignatus eſt, velut radii quidam exeunt, quorum unus ad ſignum ſolis deſcendit, ſignificans quod a fortitudine principalis hujus planetae, qui in oriente primitus oſtenditur, quoniam ibi lux diei procedit, radii fortitudinis prodeunt, quorum unus ad ſolem dirigitur illi ſuccurrens curſumque ipſius temperans, ne ignes ſuos ſupra modum excutiat. Sed unus ad dextrum pedem capitis cancri quod a capite leopardi procedit radiat, quia a parte illa cui ventus iſte obvius eſt idem planeta ſurgens, radium ad robur egreſſionis illius ante & retro incedentis, & a principali vento orientis, cui collateralis eſt procedentis, mittit, cum ſtabilitate ſua retinens, ne plus procedat quam ſibi a Deo permiſſum eſt. Unus vero ad dextrum cornu cervini capitis, quod etiam ab eodem capite leopardi exit ſe extendit, quoniam ab hac parte ejuſdem planetae radius alius veniens, fortitudini venti hujus, qui illic prin-

Digitized by Google

P. I.

principali vento egreditur reſiſtit, impulſus illius compeſcens, quatenus flatus ſuos ad rectitudinem convenientis neceſſitatis emittat, quemadmodum vir qui brachia inimici ſui retinet, ne aut ſe aut alios occidat. Sic creatura per creaturam continetur, & unaquaeque ab alia ſuſtentatur. A medio quoque ſigni planetae ſecundi, ut radius quidam ſuper ſignum ſolis ſe declinat, quia vires ſuas planeta iſte demonſtrans radio ſuo ſolem contingit, eum ad lenitatem demulcens. Atque alius ad caput agni, quod a ſigno capitis leonis venit egreditur, quoniam a forti parte ejus claritatis, radius ad initium collateralis venti manſuetudinem deſignantis, qui de majori vento auſtralis plagae procedit extenditur, illum tenens ne lenitatem ſuam ad ferocitatem immutet, ſed ut in ea ſine petulantia perſeveret. Et alius ad praedictam lineam quae in firmamento a principio orientalis partis praefatae rotae velut ad finem occidentalis partis ipſius verſus ſeptemtrionalem ejus plagam extenditur, capite agni illic ſuperius poſito, quod a ſigno capitis urſi exit dirigitur, ſignificans etiam quod a robuſto ſplendoris illius tenore radius veniens, ad excurſum alterius collateralis venti, qui de ſupradicto majore vento ſeptemtrionalis partis exit ducitur, temperamento ſuo illi reſiſtens, quatenus aequali modo flatus ſuos emittat. Signum etiam tertii planetae a medio ſui quemadmodum radium unum ad ſignum ſolis extendit, quia hic planeta ut ſuperiores, robore fortitudinis ſuae & ſplendore proprii ardoris ſoli aſſiſtit, eique in temperamento miniſtrat, velut ſervus Domino ſuo deſervit, cum ad omnem voluntatem illius celeriter promptus & paratus eſt. Alium autem ad caput ſerpentis, quod a ſigno capitis leonis procedit dirigit demonſtrans quod a virtute ſua radius ad principium collateralis venti nunc aſtutiam, nunc prudentiam oſtendentis; quia de principali vento auſtrali oritur ſe extendit, flatuſque illius comprimendo retinet, ne ſupra modum in motibus ſuis graſſetur. Sed alium ad praefatam lineam verſus caput ſerpentis, quod a ſigno capitis urſi egreditur prolongat, ſignificans quod etiam a ſtrenua parte ardoris ſui in quo ipſe viget, ſplendor quoque ad initium collateralis venti, velut verſutiam & acritatem in motione ſua ſaepius exercentis, qui etiam de principali vento ſeptemtrionalis plagæ procedit extenditur, fortitudini illius reſiſtens, ne ampliorem laeſionem & periculum hominibus faciat, quam judicium divini examinis ipſum permittit, quemadmodum & de aliis ſuperius oſtenſum eſt. Et praedicti planetae ſuffraganei ſolis ſunt, & ſine ipſis ſol eſſe non poſſet, caloremque ſoli addunt, quemadmodum viſus, auditus, & odoratus cerebro calorem & vires ſubminiſtrant.

Nota pulchra de ſole.

Ut autem vides ſolis quoque ſignum quaſi quoſdam radios de ſe emittens, alio praedictum ſignum capitis leopardi, alio ſignum capitis leonis, alio ſignum capitis lupi, non autem ſignum capitis urſi tangit, quoniam ſol maximus planetarum exiſtens, totum firmamentum igne ſuo calefacit, & roborat, orbemque terrarum ſplendore ſuo illuminat, principalique vento orientali necnon auſtrali ac occidentali viribus fortitudinis ſuae reſiſtit, ne terminos ipſis a Deo conſtitutos excedant.

Sol contemnat ventum aquilonarem, quia ei inimicatur.

Ventum autem ſeptemtrionalem non tangit, quoniam ille quaſi inimicus ſolis exiſtens, omnem ſplendorem luminis dedignatur, quapropter & ſol eum velut contemnens non radium de ſe procedentem, ſed tantum illi viam itineris ſui opponit, per quam furorem ipſius reverberat, nec ad partes illas accedit, quia diabolus ibidem Deo repugnando nequitiam ſuam demonſtrat.

Nota quam multipliciter ſol prodeſt corpori humano, & ſingulis ipſis partibus.

Alium autem radium ſuper ſignum lunae, quia eam calore ſuo incendit, quemadmodum ſenſualitate & intellectu hominis totum corpus ipſius regitur. Alium velut ſuper cerebrum, & uſque ſuper utrumque calcaneum praefatae imaginis ipſum extendendo figit, quoniam ſol a ſummo uſque deorſum omni corpori hominis fortitudinem & temperamentum immittit, cerebrum praecipue confortans, itaut intellectu vigens, cunctas vires corporis retineat, & ut etiam ſuperior pars hominis exiſtens, cum ſenſualitate omnia viſcera ipſius perfundat, ut ſol terram illuminat. Sed cum aliquando elementa ſub ſole tempeſtatibus diffunduntur, ignis ſolis obnubilatur, velut eclipſis ſit, quae errores ſignificans tunc oſtenditur, cum corda & mentes hominum in errorem vertuntur, itaut recte in lege non ambulent, ſed invicem plurima certamina exerceant. Et praefatus radius calcaneos hominis tangit, quoniam ut cerebrum corpus reliquum regit, ita calcaneus totum corpus hominis portat, & ſic ſol viribus ſuis omnia membra hominis temperat, quemadmodum & reliquas creaturas vegetat. Et a medio ſigni planetae quinti, qui proximus ſub ſole eſt, quaſi radius quidam ſurſum ad ſignum ſolis aſcendit, quia fortitudine miniſterii ſui idem planeta ſoli ſubjectus eum delinire contendit, ne ignes ſuos ſupra modum emittat. Quidam vero ad caput cancri quod a ſigno capitis lupi exit ſe extendit, deſignans quod a robore ejuſdem planetae radius ad initium collateralis venti, qui a principali vento occidentalis plagae egreditur ſe expandit, inſtabilitatem illius retinens, velut etiam de aliis ſupradictum eſt. Sed quidam ad ſiniſtrum cornu ſigni lunae ſe dirigit, oſtendens quod etiam a vigore ſuo radium ad debiliorem partem lunae mittit, ſive in augmento, ſive in detrimento ſit; in augmento quidem ipſi ſubveniens, ut tanto citius & fortius lumen ſuum recipiat; in detrimento vero, ut tanto lenius abſque periculo decreſcat. De medio etiam ſigni planetae ſexti, qui proximus ſuper lunam eſt, velut radius unus ſurſum ad ſignum ſolis tendit, quoniam a forti robore ejus contiguam vicinitatem lunae habentis, radius ad ſolem aſcendit, ardorem illius lenitate ſubjectionis ſuae ne in nimietate erumpat retinens. Et alius ad dextrum cornu ſigni lunae dirigitur, quia fortitudo ejus radium ad fortiorem partem lunae mittit, ipſam retinendo, quatenus ſeptemtrionalem plagam devitet, & ordinate in defectu ſuo ad ſolem accedat, incenſaque ab illo diſtincte recedat. Alius autem ad caput cervi quod a ſigno capitis lupi procedit extenditur, quoniam a robuſto claritatis illius ſplendore, radius ad principium collateralis venti, qui de principali vento occidentis ebullit ſe prolongans repentinam velocitatem ipſius reverberat, ne metam illam quam divina ordinatio ipſi propoſuit tranſeat, ſed in recta extenſione procedat.

Nota actiones Lunae in corde humano.

At ſigno quoque lunae ut vides quaſi radius ſuper utrumque ſupercilium, ac ſuper utrumque talum praefatae imaginis radiat, quia luna naturali virtute ſua corpus hominis temperat, itaut ſicut ſupercilium oculum ad viſum conſervat, & ut talus hominem portat, ſic per diſpoſitionem Dei viribus lunae membra hominis a ſurſum uſque deorſum temperatur, non tamen tanta perfectione, quanta ſolis fortitudine, quoniam ſol corpus hominis perfectius, luna vero parcius miniſterio ſuo tangunt. Et luna curſum ſuum in calore & frigore peragit, quoniam creſcendo calida eſt, decreſcendo autem frigida; ſol vero ab oriente uſque in auſtrum in ardore eſt, ſed poſtea frigiditatem uſque in occidentem ſibi attrahit.

Luna a ſole accenditur, & coadjutrix ejus eſt ad iſta inferiora.

Luna quoque prius defectum ſuum lumen de ſole accipit, quia ſol extinctum circulum lunae cum ſcintilla quaſi cum lampade ex ipſo ſpirata accendit, & tunc illa in alto eſt, ſed poſtquam accenſa fuerit in locum ſuum deſcendit.

Sol ſuperiora & inferiora illuminat

Et ut ſol circulum lunae accendit & illuminat, ſic etiam omnia ſubteriora tam firmamenti, quam eorum quae ſub firmamento ſunt firmat, & luna adjutrix illius eſt, ſubteriora illuminando, quemadmodum & ipſe ſuperiora & inferiora illuminat.

Luna trahit humiditatem, & frigiditatem, & quomodo opponit ſe calori ſolis. Actiones ſolis & lunae in humano.

Sed & luna de aquoſa humiditate, ac de nube, quae ſub ipſa eſt, & de aere, qui ſuper terram eſt, multo frigidior ſole eſt, & ſol multa perureret, ſi luna illi non reſiſteret, quoniam ardorem ſolis luna frigido humore ſuo temperat. Sol itaque & luna hoc modo divina ordinatione homini ſerviunt, eique aut ſanitatem, aut debilitatem ſecundum tem-

V. II.

pericula .

P. I.

perier em aeris & aurae inferunt, quemadmodum oſtenditur ubi ſignum ſolis velut a cerebro uſque ad calcaneum; ſignum autem lunae quaſi a ſupercilio uſque ad talum praefatae imaginis hominis radios ſuos mittunt. Nam cum luna in incremento eſt, cerebrum & ſanguis hominis in ipſo augmentatur; cum vero luna in detrimento eſt, cerebrum & ſanguis in homine minuuntur. Si enim cerebrum hominis in uno ſtatu eſſet, homo frenefim incurreret, ita ut etiam magis quam beſtia indomitus appareret, & ſi ſanguis in homine ſecundum modum unum foret, ita ut nec incrementum nec detrimentum in ſe ſentiret, homo citiſſime ſcinderetur, ne vivere poſſet. Et cum luna plena eſt, cerebrum etiam hominis plenum eſt; & tunc homo ſenſatus eſt; ſed cum vacua eſt, cerebrum quoque hominis vacuatur, & tunc etiam homo vacuus ſenſu aliquantum eſt. Cum autem luna ignea & ſicca eſt, cerebrum quorundam hominum igneum & ſiccum eſt, & ideo illi in cerebro infirmantur, ac minus ſenſati ſunt, ita ut plenum ſenſum ad quaelibet opera tunc non habeant. Sed cum illa humida eſt, cerebrum etiam eorumdem hominum ſupra modum humidum fit, & ſic illi in cerebro dolent, ac ſenſu evacuantur. Cum vero luna temperata exiſtit, homo in cerebro & in capite ſanitatem habet, & in ſenſu viget, quia per temperiem exteriorum elementorum humores, qui in homine ſunt, in quiete ſubſiſtunt, & per commotionem ac inquietudinem illorum, humores hominis multotiens diſturbantur, quoniam abſque temperamento & ſervitio eorum homo vivere non poſſet. Sed, & quomodo ſupradictum eſt, ſignum ſolis eodem etiam modo, & ordine quo ſupra verticem imaginis hujus radiis ſuis ad praefata loca deſignatum eſt, verſus quoque dextrum latus ejus, nec non & ſub pedibus ipſius in praefato circulo ſuo ad eadem loca ſignatum apparet, quia ſol eodem ſtatu & circuitione quemadmodum in orientali plaga conſiſtit, & ſplendores radiorum ſuorum ad loca quae praemonſtrata ſunt emittit, ſic etiam in auſtrali ac in occidentali plaga, in ſupra demonſtratis diſtinctionibus & circuitionibus ad ipſa loca fulget fortitudine circumvolutionis firmamenti, ab oriente per auſtrum, in obliquo ad occidentem impulſus, quamvis in itineribus ſuis contra motionem firmamenti currere nitatur. Nam praedicti planetae contra firmamentum ab occidente ad orientem circumferuntur, quatenus igne ſuo ignem illius retineant, & ad incendium inſtaurent. quoniam ſi cum illo ab oriente in occidentem volverentur, ignis illius dum ad anteriora feſtinaret, a retro inſtauratione carens torpeſceret; quapropter contra illud paulatim feruntur, ut ipſo ad anteriora properante, ignem ejus a torpore velut in dorſo excutiant. Sed plagam ſeptemtrionalem devitant, quia ibidem locus tenebrarum in aquilone eſt, quoniam lux & tenebrae ſibi invicem non concordant. Hoc itaque modo praefati planetae a conditore mundi in firmamento diſpoſiti ſunt. Tu autem o homo qui haec vides intellige quod ad interiora animae illa etiam reſpiciant.

Affectus lunae in cerebro humano & mutabilis.

Planetae & firmamentum currunt ab occidente in orientem ad temperandum ejus motum & calorem.

Planetae devitant locum ſeptemtrionalem quoniam & locus tenebrarum & infernorum.

Quid ſignificet quod eorumdem planetarum tres in circulo lucidi ignis, unus in ſpatio nigri ignis, tres item in ambitu puri etheris conſpiciantur.

XXXIII. Super caput enim imaginis hujus ſeptem planetae ſurſum ab invicem ſignati ſunt, tres in præfato circulo lucidi ignis, unus etiam in ſubjecto illi circulo nigri ignis; tres autem in ſubjecto illi circulo puri etheris, ſignificantes quod omnem intellectum hominis, ſeptem dona ſpiritus ſancti excellentia per tria tempora mundi, videlicet ante legem, in lege, & in evangelio. Sol etiam in ſubjecto illi circulo nigri ignis poſitus, Deum omnipotentem deſignat, qui ſolus juſto juditio contra inimicos ſuos pugnavit, & eos potenter ſuperavit. Tres autem in ſubjecto illi circulo puri etheris conſtituti demonſtrant, quod tres perſonae divinitatis in bono affectu ſubjectionis purae poenitentiae homini veraciter colendae ſint, ubi homo ſe totum Deo ſubjecit, ita ut etiam verſus dextrum latus ejus, nec non & ſub pedibus ipſius, ſol eodem modo ac ordine ſignatus & diſtinctus in circulo ſuo ad praedicta loca appareat, quia in juditio Dei, ac in ſalute animarum, & in exemplo bonorum operum, eadem dona ipſa exhibitione, ut praemonſtratum eſt, in ſignificationibus ſuis ſe declarant, quoniam ut Deus timeatur pureque colatur, judicium Dei, ſaluſque animarum ac exempla juſtorum exhortantur.

Dona Spiritus ſancti & eorum operatio in corde omnis per tria tempora. Illuminant & roborant.

V. II.

Quorſum tres primi planetarum radios, qui in hac viſione ex eis procedere cernuntur, dirigant; & quid tam per ipſos planetas, quam per radios eorum deſignetur.

XXXIV. Quod autem a medio ſigni ſummi primique planetae, qui ſuper caput ejuſdem imaginis ſignatus apparet, velut radii quidam exeunt, quorum unus ad ſignum ſolis deſcendit, hoc eſt quod ab exoptabili praecellentique dono ſpiritus ſapientiae, totam altitudinem intellectus hominis tranſgredientis virtutes prodeunt, ex quibus expiratio ſancta ad ſignum ſolis ideſt ad ſpiritum fortitudinis deſcendit, illi, ſe aſſocians, quatenus in fideli homine fortitudo ſanctitatis ſapienter incedat, ne inſipienter praeſumat hoc facere, quod complere non poſſit. Sed unus ad dextrum pedem capitis cancri, quod a capite leopardi procedit radiat, oſtendens quod in ſalute animarum expiratio ſpiritus ſapientiae propalata, ad rectum inceſſum fiduciae, quae a timore Domini exurgit, ſe dilatat, illam muniens itaut cum timore Domini in Deum confidat, nec frivole miſericordiam ipſius velut pro nihilo habeat. Unus vero ad dextrum cornu cervini capitis, quod etiam ab eodem capite leopardi exit ſe tendit, quia in caſtigatione expiratio rectitudinis ſe demonſtrans ad fortitudinem fidei, quae etiam a timore Domini oritur ſe expandit, illam ad rectam viam ducens, quatenus a diabolicis artibus ſe avertat, cum hominem pro ignorantia veritatis caſtigare non ceſſat. A medio quoque ſigni planetae ſecundi, ut radius quidam ſuper ſignum ſolis ſe declinat, ſignificans, quod ex abundanti plenitudine ſpiritus intellectus effuſio intelligentiae ad ſpiritum quoque fortitudinis accedit, in hoc etiam manifeſtans, ut quilibet fidelis homo ſubtiliter intelligat, forti animo ſe creatori ſuo ſervire debere, ac diabolo abrenunciare. Atque alius ad caput agni, quod a ſigno capitis leonis venit egreditur, quoniam ut homo ad creatorem ſuum proſpere incedat, expiratio de ſpiritu intellectus ad patientiam quae ex juditio Dei procedit extenditur, oſtendens quod cum homo patientiam imitatur, proſperitatem & tribulationem aequo animo ferre debeat. Et alius ad praedictam lineam, quae in firmamento a principio orientalis partis praefatae rotae velut ad finem occidentalis partis ipſius verſus ſeptemtrionalem ejus plagam extenditur, capite agni illic ſuperius poſito, quod a ſigno capitis urſi exit dirigitur, quia ut quilibet fidelis contraria animae ſuae devitet, expiratio iterum a ſpiritu intellectus veniens ad rectitudinem juſtitiae quae ab exordio bonorum factorum in virtute Dei manentium uſque ad finem ipſorum diabolicas inſidias de juſtis operibus ſegregans, patientia illi a ſurſum aſſiſtenti, quae de corporali tribulatione producitur, ſe extendit, hominem monens, ut cum judicium Dei ipſum caſtigat, caſtigationem illam patienter ſufferat, ne acrius feriatur. Signum etiam tertii planetae a medio ſui quaſi radium unum ad ſignum ſolis extendit, quod deſignat ſpiritum conſilii a virtute ſua expirationem ad ſpiritum fortitudinis dirigere, quia quamvis hæc dona Spiritus Sancti diverſa nomina habeant, uno tamen ſtudio & opere hominem ad beatitudinem perducunt, ſicque ſpiritus conſilii fortitudinem temperat, ut homo ad Deum bene & ordinate ſe erigat. Alium autem ad caput ſerpentis quod a ſigno capitis leonis procedit dirigit; quoniam in proſperitate vera ſalu-

Spiritus Sapientiae & ejus ſpiratio in animo hominis cum fortitudinis ſpiritu.

Spiritus fortitudinis & ſpiritus timoris.

Spiritus intellectus & ſpiritus fortitudinis.

Spiritus intellectus ad patientiam extenditur.

Ex ſpiritu intellectus cum patientia omne bonum ſuum opus in rectitudinem juſtitiae continuare & perficere debet.

Spiritus conſilii & fortitudinis.

P. I.

ſalutia ſpiritus conſilii expirationem ſuam ad prudentiam, quae ex judicio Dei progreditur dilatat, innuens quatenus homo prudenter corpus ſuum caſtiget, ne ſi illud ſine diſcretione turbaverit, victus per ſtultam contritionem in labore ſuccumbat. Sed alium ad praefatam lineam verſus caput ſerpentis, quod a ſigno capitis urſi egreditur, prolongat, quia ne homo adverſitatem animæ incidat, praedictus ſpiritus conſilii expirationem ſuam iterum ad rectitudinem juſtitiæ prudentia ſuperius apparente, quae de corporali tribulatione extenditur ſe convertit hominem qui judicium Dei metuit, per hoc docens ut provideat, ne ſupra modum illud timens in deſperationem cadat; ſed ut prudenter per conſilium bonæ inſpirationis illud evadat.

Spiritus conſilii ad prudentiam ſe dilatat.

Idem ſpiritus conſilii ad rectitudinem juſtitiæ ſe convertit.

Quare ſol medius eorum plures quam cæteri radios emittere videatur, & vel quid ipſe vel radii ejus ſignificent.

Operationes ſpiritus fortitudinis.

XXXV. Ut autem vides quod ſolis quoque ſignum quaſi quoſdam radios de ſe emittens, alio ſignum capitis leopardi, alio ſignum capitis leonis, alio ſignum capitis lupi, non autem ſignum capitis urſi tangit, hoc eſt quod ſpiritus fortitudinis exſpirationes ſuas effundens, quadam timorem Domini, quadam judicium Dei, quadam infernales poenas tangit, oſtendens ut homo propter timorem Domini peccare metuat, & propter tremendum judicium ejus peccata ſua deſerat, & propter crudeliſſimas infernales poenas conſuetudinem peccatorum abiciat. Non autem ſignum capitis urſi tangit, quia ſpiritus fortitudinis corporali tribulationi, quae ſimpliciter propter Deum non fit ſe ſubtrahit. Urſus enim interdum humanos mores, interdum beſtiales in ſe oſtendit, quoniam dum homo corpori ſuo tribulationem ſine diſcretione infert, corpus ipſum labore & taedio affectum, multoties fatigatum ſuccumbit, & dum ſe in his perſeverare poſſe dubitat, quaſi in ira velut beſtia ſubmurmurat. Unde nec tribulatio illa, quae homini per ſemetipſum ſine recto moderamine infertur, nec illa quae ab aliis ipſi etiam nolenti infligitur ſpiritum fortitudinis advocat, quia aequitate diſcretionis caret. Nam quoniam inſtabilis eſt, ita quod nunc ſurſum nunc deorſum extra rectum modum quaſi volando movetur, fortitudinem habere non poteſt, ſcilicet ut in uno ſtatu permaneat, quoniam fortitudo nec hac nec illac vacillando fortis ſemper perſiſtit. Homo autem qui propter timorem ſeu amorem Dei cum moderamine diſcretionis & rectitudinis corpus ſuum affligit, in interiori ſpiritu quemadmodum in epulis gaudet; quapropter contritio haec non afflictio ſed potius quemadmodum benedictio habenda eſt, & hic ſpiritus fortitudinis operatur, quatenus fidelis iſte in his operibus rectitudinis permaneat, quia cum Deo ſunt. Alium autem radium ſol ſuper ſignum lunae mittit, quoniam ſpiritus fortitudinis ad timorem Domini ſe conjungit, videlicet ut quilibet fidelis in timore quo Deum timere debet fortis ſit, ne per levitatem victus, a loco beatitudinis deiciatur. Alium quoque velut ſuper cerebrum, & uſque ſuper utrumque calcaneum praefatae imaginis extendendo figit, quia idem ſpiritus fortitudinis ut intentionem & initium boni operis ad rectam conſummationem homo perducat ipſum inſpirat, quoniam beatus eſt qui ſeipſum ad bonum finem conſtringit.

Homo moderate operari debet ne taedio affectus labori ſuccumbat.

Homo diſcrete laborans interiori gaudet ſpiritu.

Spiritus fortitudinis ad timorem Domini ſe conjungit.

Quorſum tres infimi radios ſuos intendant, & quid etiam tam per ipſos quam per radios eorum figuretur.

Spiritus ſcientia ad fortitudinem ſe extendit ut in ipſa roboretur.

XXXVI. Sicut autem vides quod a medio ſigni planetæ quinti, qui proximus ſub ſole eſt, quaſi radius quidam ſurſum ad ſignum ſolis aſcendit, hoc eſt quod a virtute ſpiritus ſcientiæ, qui per vicinitatem rectæ operationis ſpiritui fortitudinis adeſſe debet, expiratio ſurſum ad eandem fortitudinem tendit, quia ſcientia ut a fortitudine roboretur, ne in inſipientia vertatur ad ipſam ſe elevat. Quidam vero ad caput canceri quod a ſigno capitis lupi exit ſe extendit, quoniam a virtute virium ſcientiæ expiratio ad fiduciam quæ a corporali tribulatione egreditur ſe dilatat, quia cum homo ſcienter & ſimpliciter ac cum munimine diſcretionis corpus ſuum caſtigat, peccata ſua punita & purgata eſſe confidit. Sed quidam ad ſiniſtrum cornu ſigni lunæ ſe dirigit, quoniam cum a temporalibus ſcientia ſe ſubtrahit, expirationem ſuam temporalia poſtponens, ad timorem Domini diffundit, eumque ut terrorem hominibus fideliter incutiat apprehendit. De medio etiam ſigni planetae ſexti, qui proximus ſuper lunam eſt, velut radius unus ſurſum ad ſignum ſolis tendit, oſtendens, quod de munimine ſpiritus pietatis, qui ſuavitate ſua vicinus timori Domini eſt, expiratio ſurſum ad ſpiritum fortitudinis aſcendit, ibique confortatus, ut malignitati reſiſtere poſſit ſe munit. Nam quicumque pie incedere diſponit, fortitudinem ſibi aſſociet, ut in pietate perſeverare valeat. Et alius ad dextrum cornu ſigni lunae dirigitur, demonſtrans quod proſpere incedens, ſpiritus pietatis proſperitatem timoris Domini aggreditur, hominibus etiam ut cum pietate timorem Domini habeant innoteſcens. Alius autem ad caput cervi quod a ſigno capitis lupi procedit extenditur, ſignificans quod adverſitatem ſpiritus pietatis abiciens, expirationem ſuam ad fidem quae ab infernalibus pœnis egreditur producit, quatenus homo pietate & fide munitus infernales pœnas ſic effugiat, ne ſupernam felicitatem per impulſum contumaciae amittat. Quod vero vides qualiter a ſigno lunae quaſi radius ſuper utrumque ſupercilium, ac ſuper utrumque talum praefate imaginis radiat, hoc oſtendit quod a timore Domini exſpiratio ſalutifera veniens, hominem ut aciem mentis ſuae cuſtodiat, ne caecitatem animae incurrat monet, & ut robur greſſuum interioris ſpiritus ad viam rectitudinis ſic dirigat exhortatur, quatenus in veritate gradiens aeternam beatitudinem adipiſcatur. Nam ſicut ſupercilium oculum tuetur, & ſicut talus corpus hominis portat, ita timor Domini interiorem viſum ne Dei obliviſcatur informat, interioremque fortitudinem per quam homo ad quaelibet utilia & recta defertur conſervat.

Spiritus ſcientia ad fiduciam ſe extendit.

Spiritus ſcientia timorem hominibus incutit a temporalibus ſubtrahens.

Spiritum pietatis habens ſpiritu fortitudinis ſe muniat.

Homo cum ſpiritu pietatis timorem Domini habere debet.

Homo ſpiritu pietatis & fide munitus infernales pœnas effugit.

Timor Domini mentem conſervat ne caecitatem incurrat.

V. II.

Quod fidelis quilibet quamvis virtutibus emineat, eiſdem tamen aliquando quaſi deſtitutus ſalubriter tentationibus pulſetur, ne præſumptione elationis ſeductus pereat.

XXXVII. Sed & quomodo ſupra dictum eſt ſignum ſolis eodem etiam modo & ordine quo ſupra verticem imaginis hujus radiis ſuis ad praefata loca deſignatum eſt, verſus quoque dextrum latus ejus nec non & ſub pedibus ipſius in circulo ſuo ad eadem loca ſignatum apparet, quia ſupradictum ſpiritus fortitudinis miſticum donum eodem moderamine & effuſione quemadmodum intentionem hominis expirationibus ſuis perfundit, ſic & perfecta opera ejus exemplaque ipſius, quibus proximos ſuos ædificat, in plenitudine beatitudinis ad deſideratam ſanctitatem rectæ inceptionis inſpirat. Cum enim virtutes fidelem hominem eiſque bona voluntate conſentientem, ea quæ recta ſunt incipere faciunt, illa etiam ut ad profectum perducat, & ut in eis exemplum juſtitiæ bona conſummatione cæteris exhibeat exhortantur. Sed tamen eædem virtutes quamvis hominem diverſis modis inſpirationis ſuæ protegant, tentatione tamen carnis diaboliciſque artibus quaſi verſus aquilonem illum multotiens tentari permittunt, quatenus per hæc cognoſcat quomodo ſe ab his defendat, ne præſumptione elationis injuſtum modum elatus, poſtmodum in deterius corruat & pereat, quemadmodum & illi in præſumptione elati perierunt, de quibus in verbis Iſaiæ prophetæ ſcriptum eſt.

Homo ſpiritu fortitudinis proximos ædificat.

Dona & virtutes Spiritus Sancti permittunt hominem tentari, ne elatione cadat.

Teſti-

P. I.

Teſtimonium de libra Iſaiae ad haec inſinuanda appoſitum, & quomodo intelligendum ſit.

XXXVIII. *Propterea infernus dilatavit animam ſuam, & aperuit os ſuum abſque ullo termino, & deſcendent fortes ejus, & ſublimes ejus, glorioſique ejus ad eum, & incurvabitur homo & humiliabitur vir, & oculi ſublimium deprimentur.* Quod ſic intellectui patet. Deficienti lunae, quae obſcurum circulum habet, cum tota deficit, & re accenditur, homo in peccatis manens aſſimilatur, quia cum ſe tenebroſum videt, per gratiam Dei ſaepius excitatur, ut digne gratiam Dei quaerat, & cum digne gratiam Dei invocaverit, Spiritus Sanctus ad intuendum verum lumen ipſum accendit, velut luna a ſole reaccenditur. Sed poſtquam bonis operibus ita confortatus fuerit, ut illis ſaturari non poſſit, omni ſtudio caveat ne haec ſibimetipſi adſcribat, velut a ſe & non a Deo ſint, in hoc etiam quaſi Deum ſe faciens, & ſe poſſe facere quae voluerit computans, ſicut & Sathan putabat, qui in proprietate ſua ut Deus eſſe voluit, unde & claritatem ſuam in oblivionem duxit. Propterea quoque infernus dilatavit animam ſuam, ideſt pœnas quas in ſe habet, & aperuit voracitatem ſuam indeſinenter, quoniam abſque omni gaudio eſt, & ideo etiam in cupiditate abſorbitionis ſuae non ſaturatur, quia ut immunda volatilia animalium cadavera vorare cupiunt, ita infernus in nequitia ſua fortes qui contra Deum pugnant, & ſublimes qui ſe injuſte exaltant, atque glorioſos qui gloriam ſuam & non gloriam Dei quaerunt ad ſe trahit, ac devorat. Unde etiam incurvabitur homo, qui praefatis malis conſentit, ſicut & ſupradicti infelices ſpiritus cum principe ſuo incurvati ſunt, & humiliabitur ille, qui virilem fortitudinem habere deberet, cum de bono ad malum declinat, atque oculi ideſt ſcientia illorum, qui in ſublimitate ſuperbiae ſe ſapientes eſſe putant ad nihilum deducetur, quoniam mercedem gloriae humilitatis amittunt, quia gloriam a populo pro bonis operibus impœnitentes quaerunt. Nam ſi exinde pœnituerint, in ſanguine vituli velut pœnitentes ſuſcipientur.

Homo peccator obſcurae lunae aſſimilatur.

De ſedecim principalibus ſtellis, in circulo lucidi ignis ad ſolidandum firmamentum & temperandos ventos in circuitu ipſius firmamenti aequa diſtinctione conſtitutis.

XXXIX. Ut autem vides in circuitu quoque circuli, in quo ſimilitudo lucidi ignis videtur, ſexdecim etiam principales ſtellae apparent, oſtendentes quod per circulum ſuperioris igni firmamenti, maximae ſtellae, ut praefatum eſt, poſitae ſunt, quatuor videlicet inter caput leopardi & leonis, quatuor quoque inter caput leonis & lupi, quatuor inter caput lupi & urſi, quatuor etiam inter caput urſi & leopardi; ideſt quatuor inter ventum orientalem & auſtralem, quatuor quoque inter ventum auſtralem & occidentalem, quatuor inter ventum occidentalem & ſeptemtrionalem, quatuor etiam inter ventum ſeptemtrionalem, & orientalem, viribus ſuis eaſdem partes firmamenti confirmantes, ipſoſque ventos contemperantes. Sed ſi iſtae in numeroſitate ſuperabundarent, ſuperfluitate ſua firmamentum aggravarent, vel ſi in paucitate eſſent, penuria paucitatis ſuæ firmamentum conſolidare non valerent, quia unicuique creaturae Deus & ſuperfluam nimietatem, indignamque penuriam ſubtraxit. Et quatuor inter duos ventos exiſtunt, quoniam aequo & neceſſario, & non ſuperfluo numero rectitudinis ſuae eaſdem partes firmamenti ubi poſitae ſunt, inſimul viribus ſuis tenent, quemadmodum clavi parietem, cui infixi ſunt, nec de locis ſuis moventur, ſed cum firmamento circumvolvuntur, illud ſolidantes. Quarum octo, quae mediae ſibi utrumque aſtantium ſtellarum inter capita haec ſunt, ſcilicet duae inter duo capita quaſi radios ſuos in ſignum tenuis aeris ſibi oppoſiti extendunt, quia ſtellae iſtae, quae mediae quatuor ſtellarum inter praefatos ventos ſunt, quoniam quatuor inter duos ventos conſiſtunt, ut praedictum eſt, radios ſuos in tenuem aerem prolongant, quemadmodum venae a capite hominis uſque ad pedes deſcendunt. Et ut eædem venae totum corpus hominis confortant, ita etiam ſtellae iſtae totum firmamentum viribus ſuis conſolidant, & ventis qui ipſis proximi ſunt reſiſtunt, ne firmamentum extra modum ſuum commoveant, aeremque ad rectum temperamentum perducunt, ſibique aequali modo vicinae ſunt, quatenus altera ab altera ad confortationem ejuſdem firmamenti ſuſtentetur. Reliquae autem octo, quae ex utraque parte harum mediarum praefatis capitibus proximae videntur, velut radios ſuos tantum ad nigrum ignem dirigunt, quia iſte in medio ſui alas tenentes, ventiſque ut ſupra oſtenſum eſt vicinitate aſſiſtentes, radios de ſe procedentes ſolummodo ad nigrum ignem mittunt illi repugnantes, ne furorem ardoris ſui immoderate emittant. Et ſtellae iſtae per circuitum firmamenti aequali moderamine a ſe poſitae, & ſeparatae ſunt, quatenus idem firmamentum aequali modo viribus ſuis ſuſtineant.

V. III.

Quod altarum diſcreta numeroſitas ſtellarum in duobus circulis ſcilicet puri etheris & albi lucidi aeris poſitarum firmamentum calefaciat & nubes ne ſuos tranſeant terminos coerceat.

XL. Quod autem vides quod circulus puri etheris, circulus quoque fortis & albi lucidique aeris, quaſi ſtellis pleni ſunt, quae velut fulgores ſuos ad ſibi oppoſitas nubes mittunt, hoc eſt quod ſuperior purus ether, & ſub eo fortis, & albus luciduſque aer ſtellis majoribus & minoribus pleniter perfuſi & firmati ſunt, quia in nulla ſuperfluitate exiſtentes, ignibus ſuis totum firmamentum calefaciunt, & confortant, radiiſque ſuis nubes ſub forti & albo lucidoque aere infundentes pertranſeunt & tenent, ne metas a Deo ipſis conſtitutas excedant.

De quatuor flatibus in modum linguarum propter mobilitatem ſuam dextro lævoque imaginis apparentibus quid utilitatis habeant.

XLI. Unde & eaedem nubes in dextra parte praedictae imaginis tamquam duas linguas ab invicem ſeparatas de ſe proferentes, ab eis ut quoſdam rivulos in ſupradictam rotam, & verſus eamdem imaginem dirigunt, quoniam ad ſalutem hominis, velut duae munitiones ab invicem disjunctae, ſicut & duo principales venti in eiſdem partibus a ſe diſtant, de ipſis nubibus, quae verſus auſtralem partem apparent exeunt, ita ut etiam de ipſis nubibus quaedam ſpiramina in communem aerem, per quem diverſae creaturae vegetantur procedant, ad hominemque ſe dirigant, quia & ille ſcilicet homo quemadmodum & aliae creaturae ſuperiori adjutorio ac miniſterio carere non poteſt. In ſiniſtra vero parte illius e ſignatis ibidem nubibus, velut etiam duae linguae a ſe aliquantum ſeparatae, in eamdem rotam & ad ipſam imaginem, quaſi quibuſdam rivulis de ſe fluentibus ſe convertunt, quoniam ut contraria quaeque ab homine amoveantur, ſcilicet tam de ſiniſtra, quam de dextra illius a nubibus quae verſus ſeptemtrionalem partem ſunt, etiam duo retentacula munitionum ab invicem ſeparata procedunt, velut & principales earumdem partium venti a ſe ſeparati ſunt, ſicut & de aliis ſuperius dictum eſt, quae illa, quae in mundo ſubſiſtunt, videlicet & hominem & reliquas creaturas quemadmodum Deus ipſis diſpoſuit conſervant. Iſtæ autem quatuor linguae de quatuor principalibus ventis, procedunt, quia eas ad retentationem nubium expirant, quoniam ut principales venti totum firmamentum confortant & tenent, ita & iſti flatus eorum qui ut linguae propter mobilitatem ſuam apparent, nubes quae ſub firmamento ſunt continent, ne hac aut illac diffluendo, modum ſuum excedant.

P. I.

Miſtica & luculenta ratio de numero & ordine vel poſitione ſedecim principalium ſtellarum,

XLII. Hoc modo ut praefatum eſt, Imago haec ſignis iſtis implexa & circumdata eſt, quia homo fortitudine elementorum, ac juvamine caeterarum creaturarum ita confortatus & munitus exiſtit, ut nullo impulſo adverſitatis de ſtatu ſuo evelli poſſit, dum ipſum divina poteſtas cuſtodit. Haec autem omnia & alio modo intelligenda ſunt. Nam quod in circuitu circuli, in quo ſimilitudo lucidi ignis videtur, ſexdecim etiam principales ſtellae apparent, hoc eſt quod in integritate divinae potentiae, principales doctores ſunt, qui decem praecepta legis per ſex aetates mundi compleri docuerunt & docent, quatuor videlicet inter caput leopardi & leonis, quatuor quoque inter caput leonis & lupi, quatuor inter caput lupi & urſi, quatuor etiam inter caput urſi & leopardi, quoniam iidem doctores per quatuor partes mundi timorem Domini, judiciumque ejus & infernales poenas cum corporali tribulatione quoslibet fideles expaveſcere hortantur, quatenus per formidinem iſtorum etiamſi dilectionem Dei poſtpoſuerunt, peccare deſiſtant. Quarum octo quae mediae ſibi utrimque aſtantium ſtellarum inter capita haec ſunt, ſcilicet duae inter duo capita quaſi radios ſuos in ſignum tenuis aeris ſibi oppoſiti extendunt, deſignantes quod octo beatitudines in perfectione praedictarum virtutum degentes, dilectionemque Dei & proximi pronunciantes, cum ſummo ſtudio expirationes ſuas deſideriis fidelium hominum infundunt, quatenus illi quamvis ſaeculo plurimis modis dediti ſint, temporalibus poſtpoſitis, ad coeleſtia feſtinent. Reliquae autem octo, quae ex utraque parte harum mediarum praefatis capitibus proximae videntur, velut radios ſuos tantum ad nigrum ignem dirigunt, oſtendentes quod eædem beatitudines & in proſperitate, & in adverſitate veræ perfectioni cæterarum virtutum aſſiſtentes, acumen expirationum ſuarum ad judicialem ignem mittunt, his qui Deo in ſpiritu deſervire debent innuentes, quod nulla peccata quamvis levia in neglectum ducantur, quin per judicium, & vindictam Dei examinentur.

Item miſtica ratio de diſcreta multiplicitate & conſtitutione aliarum communium ſtellarum,

XLIII. Quod autem vides quod circulus puri etheris, circulus quoque fortis & albi, lucidique aeris, quaſi ſtellis pleni ſunt, quae velut fulgores ſuos ad ſibi oppoſitas nubes mittunt, hoc eſt quod integritas verae pœnitentiae, integritas quoque diſcretionis ſanctorum operum, in rationalitatis multiplici ſplendore vigent, quoniam ut ſtellae diverſae & multiplices ſunt, ſic etiam & pœnitentia, diſcretioque ſanctorum operum quamplurimas vires beatitudinis in ſe demonſtrant, ac rationabiles ſplendoribus ſuis mentes fidelium faciunt, quoniam eis infundunt, quatenus omnia opera quae agunt, rationabilia coram Deo appareant.

Item miſtica ratio de utilitate quatuor flatuum in dextra ſeu læva parte imaginis inſtar linguarum ſe commoventium.

XLIV. Unde & eædem nubes in dextra parte praedictae imaginis, tamquam duas linguas ab invicem ſeparatas de ſe praeferentes, ab eis ut quoſdam rivulos in ſupradictam rotam & verſus eamdem imaginem dirigunt, quia mentes beatorum hominum ad proſperitatem ſuam duo teſtamenta, alterum quidem ſecundum carnem, alterum vero ſecundum ſpiritum a ſe diſtantia, a ſe directa oſtendunt, ita ut tamen illa in unum conſentiant, velut linguae illae formam unam habent, quorum teſtificationibus orbis terrarum repletus, hominem ad creatorem ſuum reſpicere docent. In ſiniſtra vero parte illius a ſignatis ibidem nubibus, velut etiam duae linguae a ſe aliquantum ſeparatae, in eamdem rotam, & ad ipſam imaginem quaſi quibuſdam rivulis de ſe profluentibus ſe convertunt, ſignificantes ut cum homo per diabolicas tentationes impugnatur, ad mentem ſuam quemadmodum duo teſtamenta videlicet dilectionem Dei & proximi colligat, quae a ſe aliquantum diſtant, quoniam dilectio ad Deum tendens, major dilectione proximi eſt, ac ſic rotam ſaecularium curarum, nec non concupiſcentiam carnalium impugnationum irrigatione juſtae admonitionis extinguat, V. II.

Quod fidelis quiſque veſtigia filii Dei devote ſequens munimine virtutum inter tentationes roboratus ad gaudia ſuperna perveniat, & verba Iſaiæ ad idem approbandum congruenter expoſita.

XLV. Et hoc modo, ut praefatum eſt, imago haec ſignis iſtis implexa & circumdata eſt, quoniam homo fidelis, qui veſtigia filii Dei fideliter ſubſequitur, claritate beatarum virtutum defenſus & ornatus, hoc modo circumdatur, quatenus eum diabolicis inſidiis ereptum, ad beatitudinem ſupernorum gaudiorum feliciter perducant, ubi in aeternum gaudebit: Iſaia ſervo meo atteſtante qui dicit: *Iſte in excelſis habitabit, munimenta ſaxorum ſublimitas ejus, panis ei datus eſt, aquæ ejus fideles ſunt. Regem in decore ſuo videbit, oculi ejus cernent terram de longe*. Hoc ſic intellectui patet. Qui de ſiniſtra parte ad dexteram declinat, attendens quia Deus requieſcit ſuper humilem & quietum corde, ſuperbum diabolum ſuperat, cum ſe ipſum conterit dicens. Deus oculis duobus me illuminavit, quibus conſidero quantam gloriam lux in tenebris habet, ubi eligere poſſum, qua via incedam, quoniam aut videns, aut caecus ero, cognoſcens etiam quem ductorem ad diem vel ad noctem invocem. Ego enim in tenebris me abſcondendo, laſciva opera facere poſſum, quae in luce perpetrare non valeo, quia ab omnibus ibi aſtantibus inſpicior; ſed tamen in tenebris nullum praemium, ſed damnabilem poenam conſequar, & ideo cordis preſſuram, qua peccatis oblector vulnerabo, vivumque Deum invocabo, quatenus in viam lucis me ducat, & ut ulcera mea curet, ne in luce pro his erubeſcam. Quod dum fecero, funes captionis meae rumpentur, quoniam inimicum meum, cujus ſuggeſtioni in tenebris conſenſeram, captum hoc modo tenebo, quia in me illuſus eſt. Ille namque qui ſic operatur in excelſis coelorum habitabit, atque munimentum ſaxorum quod Chriſtus eſt ſublimitas ejus erit, ubi panis vitae ei datur, cujus nunquam refectionem faſtidire poteſt, quoniam in dulci guſtu verae caritatis ſemper delectatur. Quapropter & ſic fluens rivulus de vivente aqua efficitur, & per donum Sancti Spiritus, omnia opera ſua in ſanctitate influunt, ut columbini oculi Spiritus Sancti illa inſpiciant, unde & aquae iſtae fideles ſunt, quia nec evacuabuntur, nec exſiccabuntur, nec homo eis ſaturabitur, quoniam ab oriente fluunt, nec altitudinem eorum homo quamdiu in corpore manet videbit, nec profunditatem ipſarum inveniet, quia etiam aquae in quibus homo ad vitam renaſcitur Spiritu Sancto perfunduntur. Iſto quoque modo fidelis homo regem in decore beatitudinis videbit, & in ſcientia ſua cernet terram viventium cum de peccatis corde & corpore longe ſegregat ſe, unde etiam conſideret quid eligat.

De luce clariſſima ex ore imaginis rotam in pectore geſtantis in ſimilitudine filorum procedente, quibus ſigna ipſius imaginis & rotæ & circulorum praeoſtenſorum dimetiri videtur, & miſtica horum ratio.

XLVI. Vides etiam quod ex ore praedictae imaginis, in cujus pectore praefata rota apparet, lux clarior luce diei in ſimilitudine filorum exit, quoniam

ex

P. I. ex virtute verae caritatis, in cujus ſcientia circultus mundi eſt, elegantiſſima ejus ordinatio ſuper omnia lucens, omniaque continens, & conſtringens procedit. Quibus ſilis ſigna praedictorum circulorum, ſignaque caeterarum figurarum, quae in eadem rota diſcreta ſunt, & ſingula ſigna membrorum formae hominis, ſcilicet ejuſdem imaginis, quae etiam in ipſa rota apparent ut praefatum eſt, recta & diſtincta menſura metitur, quemadmodum in praecedentibus, & ſubſequentibus verbis illius manifeſtatur, ubi per eam vires elementorum aliorumque ſuperiorum ornamentorum, quae ad munimentum, & ad ornatum mundi ſpectant, omneſque compagines membrorum hominis, qui in illo ſcilicet mundo dominatur, decenter diſtinguit, convenienterque juſtae menſurae coaptat, ut tibi multotiens propalatum eſt. Sed etiam de vera caritate, quae tota divina eſt, bonum quod omni deſiderabili pretioſius exiſtit, omnes ipſum quaerentes ad ſe colligens & trahens venit, atque coeleſtium deſideriorum, ſpiritaliumque gemituum divino inſtinctu procedentium, merita, nec non & omnia hominia opera, pro Dei amore prolata, recto judtio penſat, ſicut & omnibus qui Deum perfecte diligunt patet, velut per Jeremiam ſervum meum loquor dicens.

Verba Hieremiae prophetae ad eamdem rationem ſpectantia, & quomodo intelligenda ſint.

XLVII. *Ego Dominus ſcrutans cor & probans renes, qui do unicuique juxta viam ſuam, & juxta fructum adinventionum ſuarum.* Quod ſic intellectui patet. Qui Deum diligum per nullam clauſuram falſae occaſionis alium quam ipſum quaerunt, nec ullas ſuſurrationes concupiſcendarum carnis ſuae cum alio habere volunt; eum tamen homo voluntates ſuas multotiens perficiat, ſicut & Adam tentavit quid facere poſſet. Homo autem Deo & diabolo ſimul ſervire non poteſt, quoniam quod Deus diligit, diabolus odit, & quod diabolus diligit, Deus negligit, quemadmodum in homine eſt, quia caro in peccatis delectatur, & anima juſtitiam ſitit, atque in his duobus pugna magna eſt, quoniam pars altera parti alteri contraria exiſtit. Sed tamen opus quod homo incipit, hoc modo in magna contentione perficitur, ſicut & ſervus domino ſuo ſervire cogitur, quoniam caro cum anima ſibi ſubjecta peccatum aggreditur, animaque cum carne illi ſubſtrata opus bonum operatur. Cum autem homo ſecundum deſideria animae currit, ſe ipſum propter amorem Dei repudiat, atque peregrinum in concupiſcentiis carnis ſe

In effuſione ſanguinis Abel terra contremuit.

facit, quod juſti & ſancti faciunt, & etiam Abel fecit, qui in Deum aſpexit, & in cujus ſanguinis effuſione tota terra contremuit, itaut poſtmodum vidua nominata ſit, ſcilicet integritate ſanctitatis per homicidium Cain privata velut mulier ſolatio viri in viduitate deſtituitur. Nam & ego Dominus cunctorum ſcrutor corda contrita, quae peccata negligunt, proboque renes, qui de guſtu concupiſcentiarum ſe continent, qui reddo homini mercedem ſecundum laborem greſſuum viarum ſuarum, & ſecundum quod fructus in deliberatione cogitationum ſuarum profert, quia omnes fructus hominis coram me ſcriptos habeo. Homo enim qui voluntates ſuas concupiſcentiarum ſuarum deſerit juſtus eſt, qui vero omnem voluntatem ſuam in concupiſcentiis ſequitur juſtus nominari non poterit; ſed tamen ſi ad bonum converſus fuerit, cicatrices ejus in ſanguine agni abluuntur, & tunc etiam coeleſtis exercitus illas curatas videns in admirabilem laudem Dei excitatur. Omnis itaque homo, qui Deum timet & diligit, verbis iſtis devotionem cordis ſui aperiat, eaque & ad ſalutem corporum & animarum hominum, non quidem ab homine, ſed per me qui ſum prolata ſciat.

EXPLICIT SECUNDA VISIO.

INCIPIT TERTIA VISIO. V. III.

Simplex collectio quarundam viſionum phiſicam tangentium de ventis ſuperius & inferius firmamentum circumagentibus, de circulo ſuperiore ad planetas ab occaſu in ortum regradandos, & in curſu ſuo moderandos emittentes de humoribus hominis qualitates aeris & ventorum invicem concurrentium ſuſcipientibus; de venis, & de inteſtinis totius humani corporis quomodo ſibi in diverſis officiis cohaereant & cooperentur, & quibus de cauſis ab aequalitate, vel temperie ſua interdum diſſideant.

I. ,, Vidi & ecce ventus orientalis, ventuſque auſtralis cum collateralibus ſuis per flatus fortitudinis ſuae firmamentum moventes, illud ab oriente uſque ad occidentem ſuper terram circumvolvi faciebant, ibique ventus occidentalis, nec non & ventus ſeptemtrionalis & collaterales ipſorum illud ſuſcipientes, ſpiraminibuſque ſuis impellentes, ab occidente uſque ad orientem ſub terra rejiciebant. Vidi quoque quod a die quo dies prolongari incipiunt, praefatus auſtralis ventus cum collateralibus ſuis, idem firmamentum in auſtrali plaga ſurſum verſus ſeptemtrionem uſque in diem quo ultra non prolongantur, quaſi fulciendo paulatim attollebat, & quod ab eodem die quo dies abbreviari incipiunt, ſeptemtrionalis ventus cum collateralibus ſuis ipſum firmamentum claritatem ſolis abhorrens a ſeptemtrione ad auſtrum repellendo paulatim deprimebat, uſque dum auſter illud iterum a longitudine dierum erigere incipiebat. Sed & vidi quod in ſuperiori igne circulus apparebat, qui totum firmamentum ab oriente verſus occidentem circumcingebat, de quo ventus ab occidente progrediens, ſeptem planetas ab occidente ad orientem contra circumvolutionem firmamenti ire compellebat, & iſte ſicut alii praefati venti in mundum flatus ſuos non emittebat, ſed tamen curſum planetarum ut praedictum eſt temperabat. Deinde etiam vidi quia per diverſam qualitatem ventorum & aeris cum ſibi invicem concurrunt, humores qui ſunt in homine commoti & intmutati, qualitatem illorum ſuſcipiunt. Unicuique enim ſuperiorum elementorum aer qualitati illius conveniens, per quem illud ſcilicet elementum vi ventorum ad circumvolutionem impellatur, ineſt, alioquin non moveretur, & de quolibet illorum cum miniſterio ſolis, lunae, & ſtellarum, aer qui mundum temperat exſpiratur. Cum autem aliquando aut per ardorem curſus ſolis, aut per judicium Dei quodcumque elementum verſus quamlibet plagam mundi tangitur, illud ibi cum aere ſe movente commotum, ex eodem aere flatum qui ventus dicitur, in ſubteriorem praefatum aerem emittit, qui ſe mox illi intermiſcet, quia etiam ex aliqua parte ex ipſo eſt, & aliquantum ei conſimilis exiſtit, ſicque hominem tangit, unde & humores qui in ipſo ſunt, ſecundum qualitatem ipſius venti (?) & aeris, cum ejuſdem qualitatis ſunt, ſeu ad debilitatem, ſeu ad fortitudinem ſaepius immutantur. Et iterum vidi cum quiſpiam ventorum omnium praedictarum qualitatum in qualibet plaga mundi aut diverſo curſu ſolis & lunae aut juditio Dei ut praedictum eſt, excitatur, ita ut illic aere commoto, ſibique contemperato, flatum ſuum emittat, quod idem aer per mundum ſpirans, & ea quae in mundo ſunt temperando conſervans, ſecundum eumdem flatum hominem in humoribus ſuis aliquantum mutabilem reddit, quoniam cum ille ſcilicet homo cujus naturalis qualitas eidem flatui convenit, aerem hunc ſic immutatum in ſe inducit, & emittit, eo quod anima illum ſuſcipiens ad interiora corporis tranſmittat, humores

P. I.

„ qui in ipſo ſunt etiam immutantur, eique aut infirmitatem, aut ſanitatem, ut ſupra demonſtratum eſt, multotiens inducunt. Humores enim ſicut leopardus in hominem ferociter interdum inſurgunt, ſed tamen deinde leniores fiunt, & ut cancer nunc procedendo, nunc retrogradiendo mutationem ſaepius in ſe oſtendunt, atque velut cervus ſaliendo & pungendo diverſitatem in ſe aliquando manifeſtant, & etiam quemadmodum in rapacitate lupi, & cum ipſo velut in qualitate cervi & cancri ut praedictum eſt hominem interdum invadunt. Interdum quoque ut leo fortitudinem ſuam in illo non ceſſando demonſtrant, atque ut ſerpens nunc lenitatem nunc acritatem in ſe proferunt, & quemadmodum agnus, ſe mites aliquando ſimulant, ſed etiam ut curſus interdum velut in ira ſubmurmurant, interdum quoque cum illo qualitatem agni & ſerpentis, velut ſupra oſtenſum eſt, manifeſtant. Nam humores in homine hoc modo ſaepius immutantur. Quapropter & multotiens ad jecur ipſius ſic immutati tranſeunt, in quo ſcientia ejus probatur, quae de cerebro per vires animae temperata procedit, & quod humiditas cerebri tangit, itaut illud pingue & forte ac ſanum ſit. In dextera enim parte hominis jecur & magnus calor corporis eſt, idcirco & dextra velox ad erigendum ſe & ad operandum eſt, in ſiniſtra autem cor & pulmo ſunt, quae illa ad onera conſortant, & calorem de jecore quemadmodum de fornace habent. Sed venae jecoris commotis humoribus iſtis tactae, venulas auditus hominis concutiunt, auditumque illius aliquando confundunt, quoniam per auditum homini multotiens ſeu ſanitas, ſeu infirmitas infertur, ſcilicet cum de proſperis ſupra modum in gaudio concutitur, ſive cum de adverſis ſupra modum in triſtitia contrahitur. Vidi quoque quod interdum humores iſti ad umbilicum hominis tendunt, qui quaſi caput viſcerum extans illa leniter claudit ne diſſipentur, & qui interiora caloremque eorum & venarum ad rectum temperamentum conſervat, licet multotiens ſuis impulſibus inquietus ſit, alioquin homo vivere non poſſet. Sed & lumbos hominis aliquando petunt, qui in viribus ſuis velut ludendo deceptuoſi, & periculoſi ſunt, & qui a nervis, & a caeteris venis retinentur, in quibus etiam rationalitas floret, itaut homo ſciat quid faciat, vel quid devitet, unde & delectationem ad opera illa habet, & quae in dextra parte corporis de flatu ſpiraminis hominis, & de jecore ejus calefiunt, & roborantur, unde & ſic homo diſcretionem diſciplinamque recipit, quomodo procellas aliorum humorum compeſcat, quatenus opera ſua diſciplinate perficiat. Iidem quoque humores, venas renum & aliorum interdum tangunt, quae ad venas ſplenis, pulmonis, & cordis tendunt, & haec omnia cum viſceribus in ſiniſtra concutiunt, cum illa pulmo calefacit: deſtram vero partem corporis jecur accendit. Et venae cerebri, cordis, pulmonis, & jecoris, caeteraeque renibus fortitudinem afferunt; & venae renum ad ſuras deſcendunt, eaſque confortant, & ita cum venis earumdem ſurarum ſurſum redeuntes, ſeque aut in virili fortitudine, ſeu in muliebri matrice ad invicem connectentes, quemadmodum ſtomacus cibos comprehendit, locis illis vires ad gignendum prolem immittunt, velut per lapidem ferrum acuitur. Lacerti enim muſculi brachiorum, & ſurae, tumures quoque crurium ſunt pleni venis & humoribus, quoniam ut venter viſcera & cibos in ſe retinet, ſic lacerti brachiorum, & ſurae crurium venas & humores in ſe conſervant, & fortitudine ſua hominem roborant & portant, quemadmodum venter illum nutrit. Sed cum homo interdum feſtinanter currit, ſeu incedendo iter facit, nervi qui ſub genibus exiſtunt, & venulae quae in genibus ſunt ſupra modum diſtentae, venas in ſuris, quae ut venae ſibi connexae & plurimae ſunt tangunt, & ſic in fatigatione ad venas jecoris redeuntes, illas cerebri venas tangere faciunt, ut hoc modo totum corpus in fatigationem mittunt. Venae autem renum ſuram ſiniſtram illi ſubvenientes magis tangunt quam dextram, quia ſura dextra a calore jecoris conſortatur. Ad venas quoque renum atque iliorum venae ſurae dextrae aſcendunt, illarumque venae jecoris venas tangunt, ut jecur renes in pinguedine quae ex humoribus eſt jacentes calefacit itaut extendantur, velociter delectationem inducentes & educentes, citoque ceſſantes, quia cum jecur homini calorem dat, ille joculatur & laetus eſt. Itaque humores, qui in homine ſunt in juſto modo commoti, cum venas jecoris illius aliquando tangunt, ut ſupra dictum eſt, humiditas illius minuitur, humiditas quoque pectoris attenuatur, unde etiam hominem ſic exſiccatum in infirmitatem impellunt, flecma etiam in eodem homine aridum & venenoſum fit, illudque ad cerebrum ejus ſic aſcendit, caputque in dolorem ducit, oculos quoque dolere facit, medullaque in oſſibus illius marceſcit, ita ut interdum ille caducum morbum incurrat, cum luna in defectu eſt. Humiditas etiam quae in umbilico illius eſt, per eoſdem humores fugata, in ſiccitatem aliquando vertitur & indureſcit, unde & caro ipſius ulceroſa, & ſquamoſa fit, velut leproſus ſit, cum lepram non habeat. Venae etiam lumborum ipſius per illos injuſte tactae, caeteras eodem modo commovent; ita ut recta humiditas in ipſo exſiccetur, ſicque humore relicto impetigines in illo exſurgunt. Venae quoque renum ejuſdem hominis a praefatis humoribus injuſte commotis interdum tactae, alias venas, quae ipſis in ſuris, aut in reliquo corpore adhaerent, ut praedictum eſt, concutientes, medullas oſſium & venas carnis illius in ſiccitate areſaciunt, & ſic homo diu languet, in languore iſto vitam diu trahens. Sed aliquando praefati humores in pectore hominis ſupra modum in humiditate inundant, illique jecur ejus humiditate iſta humectant, unde quamplurimae, & variae cogitationes in eumdem hominem inſurgunt, ita ut ſe nunc nimis ſtultum eſſe putet, & deinde idem humores ad cerebrum aſcendentes, illud inficiunt, atque ad ſtomachum deſcendunt, ſebreſque in eo generant, ſicque homo ille diu infirmatur. Venulas quoque aurium cum ſuperfluitate flecmatis interdum tangunt, illaeque venas pulmonis cum eodem flecmate ita inficiunt, ut homo tuſſiat, & vix ſuſpirare poſſit, & eadem ſuperfluitas flecmatis de venis pulmonis ad venas cordis tranſiens, illud in dolorem ponat, dolorque iſte ad latus ejuſdem hominis vadens, pleuriſim excitet, cumque ita concutiat, quaſi caducum morbum in defectu lunae habeat. Superflua etiam inundatione viſcera in umbilico hominis movent, atque ſic ad cerebrum illius aſcendunt, eumque freneticum multoties faciunt, venaſque in lumbis illius concutiunt, melancoliam quoque in ipſo tangunt; itaut, ille hoc modo contriſtetur, triſtiſque ſine diſcretione efficiatur. Interdum quoque iidem humores inconvenienti humectatione venas renum hominis tangunt, illaeque ſic commotae venas ſurarum illius, & caeteras venas corporis ipſius ſuperflua inundatione inficiunt, & ſi etiam idem homo ſuperfluis cibis & potibus tunc ſuperabundaverit, pinguem lepram illi aliquando inferunt, quoniam carnes ejus ingroſſeſcunt. Quod ſi praefati humores nec ſupra modum ſicci, nec ſupra modum humidi, ſed aequali & congruo modo temperati per membra hominis diffunduntur, in corpore ſuo ille ſanus permanet, & in ſcientia ſive ad bonum ſive ad malum vigens.

V. III.

Quod

P. I. *Quod omnes creaturæ non minus in anima quam in corpore utilitati deſerviant, & quid ſignificet quod venti orientalis & auſtralis cum collateralibus ſuis firmamentum ab oriente in occidentem circumvolvere conſpiciantur.*

II. Et iterum vocem de coelo ad me ſic dicentem audivi. Omnes creaturas quas Deus tam in ſuperioribus, quam in inferioribus fecit, utilitati hominis adjunxit, quas ſi ille pravis actibus evertit judicium Dei ipſas cum vindicta ſuper illum inducit. Quae quamvis homini in corporali neceſſitate aſſiſtant, ad ſalutem quoque animae illius reſpicere non minus intelligendae ſunt. Nam ut vides quod ventus orientalis, ventuſque auſtralis cum collateralibus ſuis flatibus fortitudinis ſuae firmamentum moventes, illud ab oriente uſque ad occidentem ſuper terram circumvolvi faciunt; hoc deſignat, quod expiratio timoris Domini expiratio quoque judicii Dei, cum caeteris virtutibus fortitudine ſanctitatis ſuae interiorem ſpiritum hominis tangentes, eum velut in oriente bona incipere, & in his uſque ad bonam conſummationem, quaſi ad occidentem carnalia convincentem, converſari & perſeverare faciunt, quoniam cum homo Deum timet, judiciam ejus pro exceſſibus ſuis incurrere pertimeſcit. Vnde cum ſic bona incipit, ut in illis perſeveret, pro aeterna remuneratione ſtudet. Ibique ventus occidentalis nec non & ventus ſeptemtrionalis ac collaterales ipſorum illud ſuſcipientes ſpiraminibuſque ſuis impellentes ab occidente uſque ad orientem ſub terra rejiciunt, quoniam expiratio rectitudinis infernalibus poenis, expiratioque caſtigationis corporalibus tribulationibus & caeteris flagellationibus ſpiritum hominis exterrentes, terroribuſque ſuis concutientes, cum jam in taedio laſſitudinis bona operari velut ad occidentem declinans deſinit, ad ortum juſtitiae ſub terrena calamitate reducunt, illum exhortantes, ne quaſi in fine juſtorum operum tepida facilitate victus ſubcumbat, ſed ut ſtrenue ad initium ſanctitatis redeat, quia non incipienti & negligenti, ſed incipienti & perficienti merces beatitudinis dabitur.

Quid ſignificet, quod itidem ventus auſtralis, ſed & ſeptemtrionalis diverſis anni ſolſticiis, alter ab auſtro in ſeptemtrionem adtollat, alter a ſeptemtrione in auſtrum paulatim deprimat.

III. Vides quoque quod a die illo quo dies prolongari incipiunt, praefatus auſtralis ventus cum collateralibus ſuis idem firmamentum in auſtrali plaga ſurſum verſus ſeptemtrionem uſque in diem quo uſque ultra non prolongantur, quaſi fulciendo paulatim attollat, quia cum in luce veritatis bona opera per fidelem hominem extenduntur, ab igne juſtitiæ expiratio rectitudinis cum aliis virtutibus veniens, interiorem ſpiritum ipſius in ardente juſtitia ſurſum contra concupiſcentiam carnis, quamplurimis tentationibus attritum & probatum, uſque ad bonum finem erigendo, bene & ordinate attollit. Quod autem ab eodem die quo dies abbreviari incipiunt, ſeptemtrionalis ventus cum collateralibus ſuis claritatem ſolis abhorrens, ipſum firmamentum a ſeptemtrione ad auſtrum repellendo paulatim deprimit, uſque dum auſter illud iterum ad longitudinem dierum erigere incipiat, hoc eſt quod cum hominem in bonis operibus tædium & tarditas apprehendendo in fatigationem duxerunt, tribulatio etiam corporalis, qua ſe idem homo diabolicae perſuaſioni reſiſtens, multis modis prius afflixerat, & claritatem eorumdem operum taedio affectus neglexerat, ſpiritum illius contrariis cogitationibus interius tangit, ipſique immittit, quatenus ſe in his afflictionibus contineat, rigoremque, quem in eis habuit, deponat, quoniam gratia Dei velut in auſtro benigne & clementer ipſi peccata ſua indulgeat, ſicque illum paulatim decipit, quoſque ignis donorum Dei haec recte dijudicans, ſpiritum ipſius in carne hoc modo certantem, iterum ad priſtinum vigorem virtutum reducat.

Quid circulus in ſuperiori igne apparens ſignificet, tam totum firmamentum cingens, quem ventum ſuperiora perflantem & planetarum curſum regradando temperantem emittens. V. III.

IV. Sed & vides quod in ſuperiori igne circulus appareat, qui totum firmamentum ubique circumcingit, de quo ventus egrediens ſeptem planetas ab occidente ad orientem contra circumvolutionem firmamenti ire compellit, quoniam in divina potentia integritas ſanctitatis eſt, quae interiorem ſpiritum hominis ex omni parte munit, qui ſe Deo conjungit. Unde & de ipſa expiratio veniens, miſtica ſancti ſpiritus dona illum ubi in taedio torpeſcere incipit tangere facit, quatenus a torpore ſe excutiat, & ad juſtitiam ſtrenue exurgat, quod tamen multotiens grave ſpiritui hominis eſt, quia corpus, in quo per divinam diſpoſitionem poſitus manet ut ſibi obediat, vix interdum perducere poteſt, quoniam illi ſaepius tamquam habitaculo ſuo in carnalibus deſideriis conſentit, ſicque exſpiratio donorum Dei, multotiens voluntati hominis reſiſtit. Et iſte ſicut caeteri praefati venti in mundum flatus ſuos non emittit, ſed tantum curſum planetarum, ut praedictum eſt, temperat, quia praemonſtrata expiratio ex integritate ſanctitatis procedens, ſicut caeterae virtutes quae hominem ſaeculo deditum a malo ad bonum convertunt, ſe non manifeſtat, quoniam cum homo per donum Dei bona facere incipit, nondum in plenitudine ſanctitatis perfectus exiſtit, ſed tandem cum ad perfectionem eorum veraciter pervenerit, exſpiratio ſanctitatis in plenis & perfectis ſancti ſpiritus donis ipſum tenet, nec hac, nec illac eum vacillare permittit. Nam ut columna ſanctitatis inferius ſuper Chriſtum fundata, ſuperius ad coeleſtia erigitur, ſic Chriſto eum tenente, ſuper quem ſeptem dona ſancti ſpiritus requieverunt, tempeſtatibus variarum tentationum quaſſatus ruere non poterit, dicetque quemadmodum me inſpirante per Abacuc ſcriptum eſt.

Verba Abacuc prophetæ ad eamdem ſignificationem declarandam appoſita, & expoſitio eorum.

V. *Dominus Deus fortitudo mea, & ponet pedes meos quaſi cervorum, & ſuper excelſa mea deducet me victor in pſalmis canentem.* Quod ſic intellectui patet. Deus qui me creavit, & ut Dominus poteſtatem ſuper me habet, fortitudo mea eſt, quoniam ſine ipſo nihil boni facere valeo, quia per ipſum vitalem ſpiritum quo vivo & moveor habeo, & quo omnia itinera mea cognoſco. Unde & idem Deus & Dominus cum ipſum veraciter invocavero, ponet greſſus meos in velocitatem mandatorum ſuorum, quemadmodum cervus properat, cum fontem deſiderat, atque hoc modo ſuper altitudinem illam, quae in praeceptis ejus mihi oſtenſa & injuncta eſt, deducet me terrenas concupiſcentias in victoria fortitudinis mihi ſubſternens, ita ut laudes indefeſſas ipſi referam, cum ad beatitudinem coeleſtium pervenero. Nam ut ſol in firmamento coeli poſitus terrenae creaturae dominatur, nec aliquid eum obruere valet; ſic etiam nec quilibet fidelis, cor & animum ſuum in Deo figens, ab ipſo evelli poterit. Et quoniam in ipſo fixus eſt, omnia terrena veraciter deſpicit, quapropter & nullus in ipſo ſcandalizatur. In nullo enim ſtrepitu timore mortis movetur, nec in ullo labore tempus ipſius lamentabile eſſe cognoſcitur, nec in ſpeluncis latronum, ideſt in doloſo odio invenitur, in quo homo multotiens decipitur, nec etiam in turbine inſtabilitatis ambulat, ſecundum inſtabiles mores hominum, qui creatorem ſuum non inſpiciunt, opera ſua ſecundum libertatem voluntatis ſuae perficientes. Unde & cancro tetro incedenti & turbini qui herbas areſacit aſſimilantur.

Quid

P. I. *Quid ſignificet quod ſecundum diverſam qualitatem ventorum & aeris invicem in ſe concurrentium humores qui ſunt in homine commoti permutentur.*

VI. Quod autem deinde vides quia per diverſam qualitatem ventorum & aeris cum ſibi invicem concurrunt, humores qui ſunt in homine commoti & immutati, qualitatem illorum ſuſcipiunt, hoc deſignat, quod per diverſos modos expirationis virtutum, nec non & per qualitatem deſideriorum hominum cum ſibi invicem concordant, atque homo vult ea quae Dei ſunt, cogitationes hominum a malo remotae, & ad bonum converſae dignitati virtutum & ſanctorum deſideriorum ſe ſubſternunt. Unicuique enim ſuperiorum elementorum aer qualitati illius conveniens, per quem illud ſcilicet elementum vi ventorum ad circumvolutionem impellatur ineſt, alioquin non moveretur, ſignificans quod quibuſque ſuperioribus virtutibus & conſortationibus deſiderium fidelis hominis conveniens, per quod exſpiratione virtutum ad everſionem mali conſortatur adeſt, alioquin ad bonum non converteretur, & de quolibet iſtorum cum miniſterio ſolis, lunae, & ſtellarum, aer, qui mundum temperat, expiratur, oſtendens quod de omnibus ſuperioribus virtutum conſortationibus, de ſpiritu quoque fortitudinis, de ſpiritu etiam timoris Domini, cum caeteris bonarum exſpirationum illuminationibus, deſideria quae in cordibus fidelium ad ſupernam beatitudinem anhelant incenduntur. Quidquid enim boni homo operatur, non de merito ipſius, ſed de dono gratiae Dei procedit. Cum autem aliquando, aut per ardorem curſus ſolis, aut per judicium Dei quodcumque elementum verſus quamlibet plagam mundi tangitur, illud ibi cum aere ſe movente commotum, ex eodem aere flatum qui ventus dicitur, in ſubteriorem praefatum aerem emittit, quoniam cum per ſpiritum fortitudinis, & per divinam diſpoſitionem ſuperiorum virtutum, vires ad ſalutem hominum excitantur, ubi deſideria fidelium hominum ad Deum aſcendunt, Deumque invocant, illae cum ſuperno deſiderio advocatae, ab ipſo exſpirationem ad mentes eorumdem hominum dirigunt, quatenus ad quaelibet bona convertibiles ſint. Nam cum homo Deum pure & fideliter invocat, juſto judicio Deus illum munimine virtutum circumdat, quia malo abjecto ad bonum feſtinant properare. Qui ſe mox illi intermiſcet, quia etiam ex aliqua parte ex ipſo eſt, & aliquantum ei conſimilis exiſtit, ſignificans quod mentes juſtorum exſpirationi virtutum concordant, quia dum id quod juſtum eſt amant ex virtutibus eſt, quapropter & ſe illis ſimiles hoc modo faciunt. Sicque idem aer hominem tangit, unde & humores qui in ipſo ſunt ſecundum qualitatem ipſius venti & aeris cum ejuſdem qualitatis ſunt, ſeu ad debilitatem, ſeu ad fortitudinem ſaepius immutantur, quoniam eædem mentes beatorum ad juſtitiam converſae carnales concupiſcentias in illis domant, cogitationeſque ipſorum exſpirationi virtutum & devotioni ſupernorum deſideriorum infigunt, debilitatem vitiis, fortitudinemque virtutibus addentes. Cum enim homo propter Deum carnem ſuam rationabiliter conſtringit, ſpiritum interiorem ſurſum ad beatitudinem attollit, ſapientia atteſtante, quae ait.

Teſtimonium de proverbiis Salomonis ad hanc ſignificationem elucidandam inſertum, & quomodo intelligendum ſit.

VII. *Domus juſti plurima fortitudo, & in fructibus impii conturbatio.* Quod ſic intellectui patet. Sicut ſol cum in meridie ſurſum aſcendit, in calore ſuo maxime ardet, ita etiam domus ideſt mens juſti hujus, qui omnia opera ſua hoc modo operatur, quaſi judicio Dei aſſiſtat, plurimam fortitudinem in ſe oſtendit, cum de virtute in virtutem aſcendendo proficit, nec in hoc minuitur, quemadmodum nec ſol propter aſcenſum ſuum, nec propter diſtributionem caloris ſui in circulo ſuo attenuatur, quoniam beatus homo quanto plus in bono calescit, tanto plus felici ſtudio inardeſcit. Nam manſiones iſtius in ſupernis locis ſunt, in quibus tota intentione, & toto deſiderio verſatur, nec eorum dulcedine ſaturari poterit. Fortitudo quoque ejus altior firmamento eſt, & uſque ad profundum abyſſi pertingit, quia homo cum omni creatura fortiſſimus eſt, & omnis creatura ei deſervit. Terra etiam de motione firmamenti aliquando concutitur, & movetur, ac firmamentum terrae deſervit, eam pluvia perſundendo, ne ab invicem ſeparetur, & ut per aerem, & rorem fructus ſuos laudabiliter proferat, beatus autem homo omnia terrena ſibi abſtrahit, nec propter contritionem, nec propter metum terrenarum concupiſcentiarum deſiſtit, quin in ſupernam altitudinem aſcendendo, bona opera aedificet cum gaudio aeternae vitae. Sed in fructibus illis, quos impius in malis & perverſis operibus profert, conturbatio eſt, quoniam ille in conturbatione ſaeculi inundando titubat, nec in die ambulat, nec in aeterna luce ſperat, ſed ſiliquas porcorum comedit, in eis vitam non inveniens, quia carnalia deſideria non abicit. V. III.

Quod ex multiſaria viciſſitudine ventorum & aeris ex diverſo curſu ſolis & lunæ ſeu judicio Dei accedente, homo quoque immutationem ſuſcipiens variationes ſanitatis & infirmitatis nonnunquam incurrat, & quid per hoc in ſpiritali ejus vita figuretur.

VIII. Sed & iterum vides, cum quiſpiam ventorum omnium praedictarum qualitatum in qualibet plaga mundi, aut diverſo curſu ſolis, & lunae, aut juditio Dei, ut praedictum eſt, excitatur, ita ut illic aere commoto, ſibique contemperato flatum ſuum emittat, quod idem aer per mundum ſpirans, & ea quae in mundo ſunt temperando conſervans, ſecundum eundem flatum hominem in humoribus ſuis aliquantum mutabilem reddit, ſignificans, quia cum expiratio virtutum plurimorum donorum ubicumque Spiritus Sanctus eas exſpirat, & per inſpirationem ſpiritus fortitudinis, & humilitatis, ſpirituſque timoris Domini, animique contriti, & per diſpoſitionem divinae conſiderationis in fideli homine exurgit, ita ut recto deſiderio illius quod ipſi concordans eſt, per effluentem inſpirationem aſſiſtat, idem deſiderium quaeque utilia perſcrutans, ſeque ad illa cum devotione reclinans, eidem inſpirationi ſe coaptat. Et ſic idem quoque deſiderium cor ejuſdem hominis concutit, quoniam cum ille ſcilicet homo, cujus naturalis qualitas eidem flatui convenit, aerem hunc ſic immutatum in ſe inducit & emittit, eo quod anima illum ſuſcipiens, ad interiora corporis tranſmittat, humores qui in ipſo ſunt etiam immutantur, eique aut infirmitatem, aut ſanitatem, ut ſupra demonſtratum eſt, multotiens inducunt, cum ipſe cujus voluntas bona expirationi huic concordat, deſiderium hoc a malo ſeparatum ruminando diſcutit, & quia anima illud per ſe ipſam ſecretius exſcribat, procellae cogitationum quae in ipſo inundant etiam immutantur, ita ut ei nunc adverſitatem, nunc proſperitatem promittant.

Quia humores in homine etiam ſecundum modum complexionis quorumdam animalium vel beſtiarum nunc acrius, nunc lenius moveantur, & quod juxta mutationem vel impulſionem eorumdem humorum affectus & cogitationes, in ipſo ſcilicet homine frequenti alternatione varientur.

IX. Humores enim ſicut leopardus in homine ferociter interdum inſurgunt, ſed tamen deinde leniores fiunt, & ut cancer nunc procedendo nunc retrogradiendo mutationem ſaepius in ſe oſtendunt, atque velut cervus ſaliendo & pungendo, diverſitatem in ſe aliquando manifeſtant, quoniam quantumlibet homo timorem Domini habeat, cogitationes tamen in eo ali-

Digitized by Google

P. I. aliquando ſurgunt, quae deinde taedio affectae ad vanitatem ſe deponunt, aliquando velut in cancro per fiduciam bonae conſummationis illum procedere exhortantur, ſe deinde illum retrorſum trahentes, immittendo ſic eum perſeverare non poſſe decipiunt, aliquando quaſi in cervo per fidem eum ſecurum faciunt, poſtmodum autem in fide vacillantem pungunt. Et etiam quemadmodum in rapacitate lupi, & cum ipſo velut in qualitate cervi & cancri ut praedictum eſt hominem interdum invadunt, quia aliquando quemadmodum in lupo infernales poenas homini offerunt, ita ut ſolummodo quaſi per cervum ideſt per fidem, & velut per cancrum ideſt per fiduciam, abſque aliis juſtis operibus eas evadere poſſit ipſi fallaciter promittunt, deinde autem illum multotiens in deſperationem ducunt. Interdum quoque ut leo fortitudinem ſuam in illo non ceſſando demonſtrant, atque ut ſerpens nunc lenitatem, nunc acritatem in ſe proferunt, & quemadmodum agnus ſe mites aliquando ſimulant, ubi judicium Dei homini exponunt, ſed poſtmodum ne illud metuat ei perſuadent, quia velut ſerpens prudenter incedens, qualiter illud leni aſtutia evadat ipſi deceptuoſe ſuggerunt, cum etiam quaſi agnum in patientia eum nihil timere exhortantur, velut peccatis obligatus non ſit. Sed etiam ut urſus interdum velut in ira ſubmurmurat, interdum quoque cum illo qualitatem agni & ſerpentis velut ſupra oſtenſum eſt manifeſtant, quoniam aliquando quemadmodum urſus corporalem tribulationem pro Deo hominem ſufferre ſubmurmurant, per quam velut in agni patientia, & quemadmodum in ſerpentis prudentia ipſum caſtigatum & a peccatis emundatum eſſe demonſtrant, iterumque eum in hoc incertum per plurimas varietates reddunt. Nam humores in homine hoc modo ſaepius immutantur, quia cogitationes hominis hujuſmodi turbinibus, aliiſque modis permutatae, illum nunc in juſtam ſecuritatem, nunc in deſperationem ducunt, interdum etiam per rectam devotionem eum ſurſum attollunt. Quapropter & multotiens ad jecur ipſius ſic immutati tranſeunt, in quo ſcientia ejus probatur, quae de cerebro per vires animae temperata procedit, & quod humiditas cerebri tangit, ita ut illud pingue & forte ac ſanum ſit, ſignificantes quod cogitationes hominis ſaepius quaſi ad jecur ejus ſcilicet ad fortitudinem juſtitiae in quo juſtus per ſcientiam operatur ſe dirigunt, quia ſcientiam boni & mali vires animae oſtendunt, quae per juſtitiam in credentibus vitam comprehendit, quemadmodum filius Dei peccatores & publicanos ad ſe collegit, quos etiam in abundantia Spiritus Sancti robuſtos fecit.

Quod homo in dextra ſui parte eo quod jecur, in quo fons caloris eſt dextrorſum habeat, ad operandum expeditior ſit; in ſiniſtra vero pro corde vel pulmone ſiniſtrorſum in ſe locatis & pulſum reſpirationis habentibus ad onera ferenda habilior, & quid iſta ſpiritaliter in ipſo deſignent.

X. In dextra enim parte hominis jecur & magnus calor corporis eſt, idcirco & dextra velox ad erigendum ſe & ad operandum eſt; in ſiniſtra autem cor & pulmo ſunt, quae illam ad onera confortant & calorem de jecore quemadmodum de fornace habent, quae deſignant, quod in dextra, ideſt in proſperitate ſalutis boni & recti hominis, juſtitia cum Spiritu Sancto operatur, itaut ille proſpere ad Deum ſe erigens, quaelibet bona perficiat; in ſiniſtra autem ut adverſa devitet, Deum recto corde confitendo ſe confortari per robur juſtitiae exoptat. Sed venae jecoris commotae, humoribus iſtis tactae, venulas auditus hominis concutiunt, auditumque illius aliquando confundunt, quoniam per auditum homini multotiens ſeu ſanitas ſeu infirmitas infertur, ſcilicet cum de proſperis ſupra modum in gaudio concutitur, ſive cum de adverſis ſupra modum in triſtitia contrahitur, oſtendentes quod tenor juſtitiae cogitationibus rectis provocatus, hominem a malo auditu avertit, & ad bonum dirigit, qui animae illius interdum, & ea quae ſancta ſunt, & ea quae turpia eſſe ſunt infert, ita ut homo nec in bonis, nec in malis ſibi aliquando modum imponere ſcire velit. Nam bona ſcientia ſine bono auditu muta eſt, quia quod bona ſcientia ſcit, bonus auditus recipit, illeque magnum ſtudium habet tractare & dictare, quod ſibi per bonam ſcientiam fertur. Qui poſtquam omnia haec congruenter compoſuerit, aliquantum ab ipſis ceſſando quieſcit, velut homo qui theſaurum in arcam ſuam ponit, ſcilicet cum bonum & malum intelligit, bonum in ſecreto cordis ſui recondens, & malum a ſe prorſus abiiciens, quemadmodum Iſaias dicendo exhortatur. V. III.

Verba Iſaiæ prophetæ ad horum adſtruendam ſignificationem congrua, & quo ſenſu accipienda ſint.

XI. *Solve vincla colli tui captiva filia Sion, quia hæc dicit Dominus. Gratis venundati eſtis, & ſine argento redimemini.* Quod ſic intellectui patet. Contere per pœnitentiam vinculum primae captivitatis, & tranſgreſſionis o homo qui inter filias ſupernae pacis in paradiſo computatus eras, quoniam illo perdito, multis malis ſubjugatus es. Quapropter dicit ille, qui dominus cunctorum eſt, vobis qui ſpontaneo peccatis involuti eſtis. Tali modo abſque pretio venundati eſtis, ſicut Deus primae mulieri dolorem promiſit, quae propter praevaricationem divini praecepti paradiſo caruit, atque nomen quod eſt filia Sion amiſit, ſed ſine argento terrenae cupiditatis redimemini, ubi in virginea natura Redemptor noſter ſurrexit, & nos per ſpiritum & aquam renaſci ad vitam conſtituit, ac ſic in haereditarium locum nos reduxit. Qui autem in nativitate iſta juſte perſeveraverit, a celſitudine Sion non movebitur. Fidelis igitur homo ad Deum ſe erigat, peccata ſua abiiciendo, omniaque mala relinquendo, atque in deſiderio ſuo ad cœleſtia anhelet, auxilium bonorum operum a Deo petens. Qui ſi in petitione hac ſtabilis perſeveraverit, quemadmodum cœcus ſedens ſecus viam fecit, mox gratia Dei ad ipſum aſpicit, & ſi tunc illa eum lumen attendentem, & a tenebris ſemetipſum erigentem viderit, in omnibus illi aderit, ea quae juſta & ſancta ſunt ipſi inſpirans. Iſte namque a malo declinans, in bonis & ſanctis operibus delectatur, & dulcedinem eorum guſtat, quia a Deo recedere non vult, ſed a ſerpentino dolo ſe avertit.

Quid deſignet in homine quod humores qui in eo ſunt, umbilicum qui caput viſcerum exiſtit, & lumbos in quibus petulantia eſt conſpergentes, venas quoque renum, & aliorum interdum tangunt, & per has ad venas etiam ſplenis, pulmonis & cordis aſcendunt.

XII. Vides quoque quod interdum humores iſti ad umbilicum hominis tendunt, qui quaſi caput viſcerum extans, illa leniter claudit ne diſſipentur, & qui itinera caloremque eorum & venarum ad rectum temperamentum conſervat, licet multotiens impulſibus ſuis inquietus ſit, alioquin homo vivere non poſſet, quoniam cum fidelis homo malum auditum excludit, bonis cogitationibus ſuis umbilicum diverſarum concupiſcentiarum conſtringit, quatenus ad vitam verae beatitudinis pertingere valeat, quia ille eum ſaepius ad inquietudinem malorum provocat. Sed & lumbos hominis aliquando petunt, qui in viribus ſuis velut ludendo deceptuoſi & periculoſi ſunt, & qui a nervis, & a caeteris venis retinentur, in quibus etiam rationalitas floret, ita ut homo ſciat quid faciat, vel quid devitet, unde & delectationem ad opera illa habet, & qui in dextra parte corporis de flatu ſpiraminis hominis, & de jecore ejus caleſiunt, & roborantur, unde & ſic homo diſcretionem diſciplinamque recipit, quomodo procellas aliorum humorum compeſcat, quatenus opera ſua diſciplinate perficiat, quia lumbos, in quibus luxus eſt præcingit,

& hoc

Digitized by Google

P.I. & hoc ad ſalutem animæ per virtutem juſtitiæ confortatus diſcrete & honeſte complet. Idem quoque humores venas renum & iliorum interdum tangunt, quæ ad venas ſplenis, pulmonis & cordis tendunt, & hæc omnia cum viſceribus in ſiniſtra concutiuntur, cum illa pulmo calefacit; dextram vero partem corporis jecur accendit, quoniam homo eiſdem renis cogitationibus renes quae per injuſtam concupiſcentiam cor ſuum ſaepius tangunt, & ad malum concutiunt fortiſſime conſtringit, cum levitas carnis illos tangit, hocque per vias juſtitiæ incedendo facit.

Quod venæ cerebri, cordis, & jecoris renes confortando, venæ quoque renum ſuras deſcenſa ſuo roborando, & cum venis ipſarum ſurſum redeando locis opertanis invicem conjunctæ utrique ſexui vires ad gignendum conferant, & quod lacerti brachia, & crura venis & humoribus plena ſint, & brevis horum exemplificatio.

XIII. Ut venae cerebri, cordis, pulmonis & jecoris, cæteræque renibus fortitudinem afferunt, & venae renum ad ſuras deſcendunt, eaſque confortant, & ita cum venis earumdem ſurarum ſurſum redeuntes, ſeque aut in virili fortitudine, ſeu in muliebri matrice ad invicem connectentes, quemadmodum ſtomachus cibos comprehendit, locis illis vires ad gignendum prolem immittunt, velut per lapidem ferrum acuitur, quia poſtquam concupiſcentia ſopita per pudicitiam eoſdem renes homo conſtrinxerit, per bonam quoque ſcientiam, quae in ipſo eſt, illos in caſtitate mundat, tenoreque juſtitiæ & continentiae eos circumdat, & ſic in his, in quibus incontinens prius erat, ad continentiam ſe inclinans, ipſam etiam ſolidat, ne ad levitatem corruat. Unde & cum in eadem continentia ad Deum tendit, ſe & in virili & in muliebri ſexu per eam muniens, diverſis virtutibus ſuffultus prolem ſanctitatis profert, cum recto tramite diſcretionis incedit. Lacerti enim muſculi brachiorum & ſurae, tumores quoque crurium ſunt pleni venis & humoribus, quoniam ut venter viſcera & cibos in ſe retinet, ſic lacerti brachiorum, & ſuræ crurium venas & humores in ſe conſervant, & fortitudine ſua hominem roborant & portant, quemadmodum venter illum nutrit, quia etiam abſtinentia comprehenſio fortitudinis ac ſuſtentationis juſtificationum in homine eſt, circumdata tenore gemituum bonarum cogitationum, interiora quoque animae ad plenitudinem retinens, & ad perfectionem ſalutis conſervans, totumque hominem corpore ſcilicet, & anima in ſanctitate nutriens.

Quod ex nimia nervorum & venarum totius corporis diſtentione homini currenti fatigatio accidat, & quarum venarum complexione vel impulſione delectatio illa momentanea concitetur, & moralis, utiliſque in ipſo homine horum aſſignatio.

XIV. Sed cum homo interdum feſtinanter currit, ſeu incedendo iter facit, nervi qui ſub genibus exiſtunt, venulaeque quae in genibus ſunt ſupra modum diſtentae, venas in ſuris quae ut rete ſibi connexae, & plurimae ſunt tangunt, & ſic in fatigatione ad venas jecoris redeuntes, illas cerebri venas tangere faciunt, & hoc modo totum corpus in fatigationem mittunt, quoniam & cum homo interdum viam rectitudinis indiſcreta arripit, immoderatio tenoris hujus illum ad quaeque inconvenientia flectens, abſtinentiam quoque in ipſo in injuſtum modum ſcientiae ducit, ita ut cum ille a licitis ſe immoderate abſtinet, in aliis virtutibus taedium incurrit, & cum ſe ad juſtitiam redire, & ſuperabundantem ſcientiam habere putat, laqueum fatigationis ſibi parat, quia per hanc incongruentem abſtinentiam audaciae & praeſumptionis temeritatem parvipendens, ſe hoc modo perſeverare poſſe ſolummodo dubitat, ſicque in laqueum deſperationis corruit. Venae autem renum ſuram ſiniſtram illi ſubvenientes magis tangunt quam dextram, quia ſura dextra a calore jecoris confortatur, ita videlicet ſicut & tenor concupiſcentiae per abſtinentiam cum incongrua & indiſcreta eſt magis augmentatur, quam per eam minuatur, quoniam nec ſecundum Deum, nec propter Deum eſt, quia abſtinentia quae cum diſcretione operatur, virtute juſtitiae roboratur. Ad venas quoque renum, atque iliorum venae ſurae dextrae aſcendunt, illarumque venae jecoris venas tangunt, & jecur renes in pinguedine, quae ex humoribus eſt, jacentes calefacit, itaut extendantur velociter delectationem inducentes & educentes, citoque ceſſantes, quia cum jecur homini calorem dat, ille joculatur & laetus eſt, quoniam & tenorem concupiſcentiae abſtinentia quae in Deo vera eſt, tranſit, illamque ad judicium juſtitiae pertrahit, & ibidem diſcutit, quatenus omnino pereat. Sed juſtitia ipſam quae in pinguedine ſordium jacebat ad nihilum ducens, igne Spiritus Sancti comburit, ita ut mala quae in ea fuerunt, ad contritionem, & ad amaritudinem extendantur, cum prius delectationem quamvis brevem in ſe oſtenderent, quia homo peccator juſtificatus in gaudio mercedem metet. V.III.

Quibus de cauſis flecmate, & humoribus interdum in homine corruptis, ipſe homo in corpore vel caducum morbum vel alias infirmitates incurrat, & quibus malis ſecundum horum ſignificantias in anima pleramque corripiatur.

XV. Itaque humores, qui in homine ſunt, injuſto modo commoti, cum venas jecoris illius aliquando tangunt, ut ſupra dictum eſt, humiditas illius minuitur, humiditas quoque pectoris attenuatur, unde etiam hominem ſic exſiccatum in infirmitatem impellunt. Flecma etiam in eodem homine aridum & venenoſum fit, illudque ad cerebrum ejus ſic aſcendit, caputque in dolorem ducit, oculos quoque dolere facit, medullaque in oſſibus illius marceſcit, ita ut interdum ille caducum morbum incurrat, cum luna in defectu eſt. Cum enim cogitationes hominis ferocitatem & duritiam tirannidemque in ſe aſſumunt, ac ſic ad quamque vanitatem declinant, juſtitiam quae rore Spiritus Sancti perfuſa ſanctitate bonorum operum in ipſo germinare deberet, hac tirannide opprimunt, reliquaſque virtutes in illo debilitant & arefaciunt. Scientiam quoque illius principium & intentionem, ac fortitudinem juſtae operationis, quae prius in ipſo vigebant, velut in caducum morbum in deſperationem ducunt, quoniam lumen veritatis, quod illi lucebat, jam attenuatur. Humiditas etiam quæ in umbilico illius eſt, per eoſdem humores fugata, in ſiccitatem aliquando vertitur & induraſcit, unde & caro ipſius ulceroſa & ſquamoſa fit, velut leproſus ſit cum lepram non habeat, venae etiam lumborum ipſius per illos injuſte tactae, caeteras eodem modo commovent, ita ut recta humiditas in ipſo exſiccetur, ſicque humore relicto impetigines in illo exurgunt, quia humiditas continentiae, quae quaſi in umbilico ejus concupiſcentiam deſtruere deberet per has feroces ac duras illicitaſque cogitationes fugata, rore Spiritus Sancti in illo non perfunditur. Unde cum illum deſerit, peccata ipſius per malam conſuetudinem putreſcunt, ita ut omnibus velut lepra fœtendo manifeſta fiant, lumbique illius caſtitate non praecincti per eaſdem cogitationes commoventur, ita ut germina bonorum fructuum in ipſo exſiccato, quemadmodum impetigines prava exempla in eo attollantur, ſicut etiam Oſeae per Spiritum Sanctum demonſtrat dicens.

Verba Oſeae prophetae ad haec competentia, & quo ſenſu accipienda ſint.

XVI. *In domo Iſrael vidi horrendum, ibi fornicatione contaminatus eſt Iſrael.* Quod ſic intellectui pa-

P. I. patet. In latibulis illis, in quibus iſte, qui Deum puro corde inſpicere deberet, quaſi quieſcendo in peccatis jacebat, ego qui omnia occulta delictorum perſcrutor vidi abominationem nefandiſſimam, ſcilicet, quod fornicatione immundiſſimarum & faetentium praevaricationum ille involutus eſt, ſe in his polluens velut porcus luto involvitur, qui munditiam quaerere & intueri atque amplecti debuit, cum ſe in omnibus contemptibilem & diſſolutum fecit. Immunditia enim hominem enervat, eumque quaſi a mente ſua eliminat, ita ut nec illa quae ad ſaeculum, nec ea quae ad Deum reſpiciunt, cum perfectione honeſtatis attendere valeat, quia carnis incendium cum voluntate ipſius ſuperbiam, vanamque gloriam, & omne malum quaſi inſufflando ſuggerit.

Quod venae renum hominis ab humoribus injuſte aliquando commotis nonnunquam tactae alias venas concutiendo etiam medullas oſſium arefaciant, & quae incommoditas per haec deſignata interius hominem apprehendat.

XVII. Venae quoque renum ejuſdem hominis a praefatis humoribus injuſte commotis interdum tactae, alias venas quae ipſis in turis, aut in reliquo corpore adhaerent, ut praedictum eſt, concutientes, medullas oſſium & venas carnis illius in ſiccitate areſaciunt, & ſic homo diu languet, in languore iſto vitam diu trahens, quoniam cum homo umbilicum lumboſque ſuos conſtringere negligit, ita ut etiam cogitationes ſuas per tirannidem & per quaeque inutilia vagari permittat, tenorem virtutum quae abſtinentiae adhaerent, ipſamque abſtinentiam, quae pro conſervanda pudicitia diſcrete & ordinate tenenda eſt, contemnit. Quapropter & reliqua opera ipſius infuſione ſuperni roris carentia, in ariditatem vertuntur, animamque illius langueſcere faciunt, quouſque ad vigorem virtutum redeat.

Quid humores in pectore hominis ſuperflue abundantes, jecur & venas aurium vel renum moventes, & ex umbilico ad cerebrum aſcendentes, in ſpiritualibus ejus deſignent.

XVIII. Sed aliquando praefati humores in pectore hominis ſupra modum in humiditate inundant, illique jecur ejus humiditate illa humectant, unde quamplurimae & variae cogitationes in eodem homine inſurgunt, ita ut ſe nunc nimis ſapientem, nunc nimis ſtultum eſſe putet, & deinde iidem humores ad cerebrum aſcendentes illud inficiunt, atque ad ſtomachum deſcendunt, ſebreſque in eo generant, ſicque homo ille diu infirmatur. In his quoque oſtenditur, quia ſi diverſae cogitationes hominis feritate depoſita, mollitie, & facilitate lubricaque vanitate ſe diffundunt, juſtitiam in illo levitate illa ſuffocare nituntur. Unde & cum in eo ſic inſurgunt eum nunc velut in ſapientia attollunt, nunc quaſi in ſtultitia deprimunt, ſcientiamque illius confundentes, voracitatem illi immittunt, ita ut anima illius his malis velut diuturno languore irretita, multoties periculoſam oppreſſionem patiatur. Venulas quoque aurium cum ſuperfluitate flecmatis interdum tangunt, illaeque venas pulmonis cum eodem flecmatae ita inficiunt, ut homo tuſſiat, & vix ſuſpirare poſſit, & eadem ſuperfluitas flecmatis de venis pulmonis ad venas cordis tranſiens, illud in dolorem ponat, dolorque iſte ad latus ejuſdem hominis vadens, pleuriſim excitet, eumque ita concutiat, quaſi caducum morbum in defectu lunae habeat. Haec etiam deſignant, quod aliquando variae cogitationes tantam tumultuationem in eodem homine faciunt, ut auditum animae ipſius ita confundant, quatenus nec bonum intelligere, nec in ſe colligere valeat, ſed illud quaſi tuſſiendo pro faſtidio habeat. Cor etiam ejus per amentiam hoc modo conturbant, ut nullam quietem ad utilitatem animae ſuae recipere poſſit, ſed ut hac & illac in rectitudine titubans, quaſi moribundus incedat, quia lumen rectitudinis illi jam obnubilatur. V. III. Superflua etiam inundatione viſcera in umbilico hominis movent, atque ſic ad cerebrum illius aſcendunt, eumque ſreneticum multoties faciunt, venaſque in lumbis illius contentiunt, melancoliam quoque in ipſo tangunt, ita ut ille hoc modo conturbetur, triſtiſque ſine diſcretione efficiatur, quoniam immoderata etiam perturbatione lubricae effuſionis cogitationes in illo concupiſcentiam ad libitum ſuum movent. Scientiam quoque ipſius, ut in pravis actibus ſordeſcat diſcindunt, eumque ſic quaſi veſanum, & in impudicitia incontinentem reddunt; triſtitia quoque eum voluptatem carnis ſuae perficere non poteſt ipſum obfuſcant. Interdum quoque iidem humores in inconvenienti humectatione venas renum hominis tangunt, illaeque ſic commotae, venas ſurarum illius, & caeteras venas corporis ipſius ſuperflua inundatione inficiunt, & ſic etiam idem homo ſuperfluis cibis, & potibus tunc ſuperabundaverit, pinguem lepram illi aliquando inferunt, quoniam carnes ejus ingroſſeſcunt. Per quod demonſtratur, quoniam aliquando cogitationes immunda & lubrica voluptate hominem tangunt, & ad turpem mollitiem trahunt, fortemque abſtinentiam, quae carnem illius domare deberet ab eo depellunt, & in voracitatem, quae libidinis flammas accendit, ipſum molliter inducunt, unde & velut lepra putredine peccatorum illum inficiunt, qui voluptati corporis ſui non reſiſtit. Nam qui carnem ſuam per congruentem abſtinentiam non macerat, ſed eam cum vitiis & concupiſcentiis nutrit, pinguedinem peccatorum ſibimet accumulat, & ſic coram Deo ſe in ſordibus faetere facit.

Quid etiam profectus in interioribus cogitationum ſignificent, iidem humores in corpore hominis aequaliter & temperati, & teſtimonium de canticis canticorum ad hoc conſonans cum expoſitione ſua.

XIX. Quod ſi praefati humores nec ſupra modum ſicci, nec ſupra modum humidi, ſed aequali, & congruo modo temperati per membra hominis diffunduntur, in corpore ſuo ille ſanus permanet, & in ſcientia ſive ad bonum ſive ad malum vigens. Quod ſignificat etiam quia ſi cogitationes hominis nec nimis in feritate durae, nec nimis in facilitate lubricae ſunt, ſed quod tam ſecundum hominem, quam ſecundum Deum in honeſtate morum bene & decenter compoſitae exiſtunt, ipſum in corpore per manſuetudinem quietum, in ſcientiaque ſubtilem reddunt, ita ut nec ad dextram nec ad ſiniſtram favorem mundi ſugiens declinet, ſed quam plurimis virtutibus ſuffultus, ad coeleſtia gaudia anhelet, ut in cantico canticorum ſcriptum eſt. *Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia principis.* Quod ſic intellectui patet. Tu qui in corde tuo delectaris bonis operibus ad Deum anhelando per quem ſpem aeternae vitae habes, quae tibi in gaudio reſplendet, velut cum ſol exoritur pulcherrimos greſſus in itinere filii Dei caeteris exhibens, cum mortificationem carnis, quaſi in calceamentis tibi imponis, nuditatem videlicet peccatorum tuorum tegens, ubi in bona voluntate Deum magis quam te diligis. Et tunc etiam anima tua filia principis dicitur, principis ſcilicet illius, qui princeps pacis vocatur, qui etiam antiquum ſerpentem ſuperans populum ſuum liberavit, & omnem inimicitiam, quae inter Deum & hominem fuit, in ſanguine ſuo abluit. Pacem illam Angeli in humanitate filii Dei hominibus nunciabant, & de ipſa multum gaudebant, quoniam Deus terrae ita ſe adjunxerat, ut eum homines in humana forma conſpicerent; & angeli ipſum hominem & Deum perfecte vident. Omnis itaque homo, qui Deum timet & diligit, verbis illis devotionem cordis ſui aperiat, eaque & ad ſalutem corporum & animarum hominum, non quidem ab homine, ſed per me qui ſum prolata ſciat.

EXPLICIT TERTIA VISIO.

P. I. # INCIPIT QUARTA VISIO V. IV.

Viſiones diverſae ſub uno capitulo breviter comprehenſæ de firmamento quanta cum univerſis ſibi adhærentibus denſitatis ſit, & de incommoditatibus aliquorum circulorum, quomodo aliorum appoſitione repellantur, vel temperentur, & de lacteæ zonæ inſtar arcus incurvati apparente.

I. „ ET vidi firmamentum cum omnibus ſibi ad-
„ hærentibus tantam ſpiſſitudinem a ſummo
„ uſque ad ſummum ſuper terram habere, quantam
„ terra a ſummo uſque ad ſummum habebat. Vidi
„ quoque quod ſuperior ignis firmamenti interdum
„ commotus, quaſdam ſquamas velut ſavillas ex ſe in
„ terram emittebat, quae ſlicmata & ulcera hominibus
„ & animalibus & fructibus terrae inſerebant. Vidi et-
„ iam quod de nigro igne quaedam nebula aliquando
„ ad terras deſcendens, viriditatem terrae arefaciebat,
„ & humiditatem agrorum exſiccabat, ſed purus ether,
„ & ſquamis illis & nebulae huic reſiſtebat, ne ſupra
„ modum praedictis creaturis plagas inferrent. Et etiam
„ vidi, quod de forti & albo lucidoque aere alia quæ-
„ dam nebula ad terras ſe interdum extendebat, ma-
„ gnam peſtilentiam hominibus & pecoribus incutiens,
„ itaut exinde multi diverſis infirmitatibus ſubjacerent,
„ quamplurimi quoque mortem incurrerent, cui ta-
„ men nebulae aquoſus aer ſe opponebat, eamdem
„ nebulam temperans, ne creaturis ultra modum
„ laeſionem inferret. Vidi quoque quod tenui aere
„ humor ſuper terram ebulliens, viriditatem terrae
„ ſuſcitabat, omneſque fructus germinando proce-
„ dere faciebat, & qui etiam quaſdam nubes ſuperius
„ ferebat, quae omnia ſuperiora ſuſtentabant, & ab
„ omnibus ſuperioribus confortabantur. In eodem
„ quoque aere quamdam nubem candidi coloris vi-
„ debam, quae in utraque parte ſui ubi finem habe-
„ bat, hinc & hinc aliis nubibus firmamenti velut
„ infixa erat, & cujus medietas ut arcus incurvata
„ manens in praedictum aerem extendebatur. Ite-
„ rumque audivi vocem de coelo dicentem mihi.

Quod Deus omnium creator rerum per ſuperiora inferiora confirmet, & per ea etiam peccatores puniendo emundet, & quid firmamenti ſpiſſitudo undique aequalis terræ in homine deſignet.

II. Deus qui omnia creavit ſuperiora ita conſtituit, ut per illa etiam ſubteriora confirmet, & mundet, & in forma hominis illa aſſignata, ad ſalutem quoque animæ introducat. Nam vides firmamentum cum omnibus ſibi adhaerentibus tantam ſpiſſitudinem a ſummò uſque ad ſummum ſupra terram habere, quantam terra a ſummo uſque ad ſummum habet, quia o homo quemadmodum tibi oſtenditur, & dicitur, firmamentum & terra aequalis ſpiſſitudinis ſunt, & quanta vacuitas aeris ſupra terram ad ſuperiora obſtacula eſt, tanta quoque vacuitas aeris ſub terra ad inferiora obſtacula conſiſtit, tantaque verſus auſtrum, verſuſque ſeptemtrionem inter terram & ibidem oppoſita obſtacula firmamenti vacuitas aeris eſt, Quod deſignat, quia interior ſpiritus hominis vires ſuas tam in caeleſtibus, quam in terrenis ita manifeſtat, prout corpus hominis fortitudine ſua in eiſdem modis verſari contendit. Ubi enim anima & corpus in rectitudine ſibi conſentiunt, ſuperna praemia in gaudio uno adipiſcuntur.

Item de firmamento a conditore ad qualibet habilitates igne, æthere, aquis, ſtellis, ventis congrue diſpoſito, & unde creentur ſquamæ a lucido igne ſuperioris circuli in modum ſavillarum decidentes, & tam terram quam ejus incolas lædentes, & quid per hoc interioris ultionis demonſtretur.

III. Vides quoque quod ſuperior ignis firmamenti interdum commotus, quaſdam ſquamas velut ſavillas ex ſe in terram emittit, quae ſlicmata & ulcera hominibus & animalibus & fructibus terrae inferunt, quoniam Deus firmamentum igne firmavit, ne difflueret, aethere alleviavit, ut moveri poſſet, aquis perſudit, ne areſceret, ſtellis illuminavit, ut clareſceret, ventis quoque ſuſtinet, quatenus curſum ſuum aſſidue peragat. In quatuor enim plagis ſcilicet in oriente, in auſtro, in occidente, & in ſeptemtrione firmamentum ad circumvolutionem per ventos impellitur. Sed lucidus ignis ejus, dum ab humore ſubterioris aquae per diſpoſitionem & judicium Dei ſuperatur, itaut a recto modo ardoris ſui ceſſet, ſquamas de ardore fervidas, de aqua humidas ad ultionem emittit, ut ſupra dictum eſt. Hoc oſtendit, quod potentia Dei ſpiritum hominis in poteſtate ſua habens, juſto judicio provocata, ultionem ſuam perverſis actibus hominum immittit, itaut illi confundantur, & dejiciantur, quia non humanos, ſed pecuales mores nullum fructum bonorum operum habentes in ſe oſtendunt.

Quod niger ignis ſecundo comprehenſus circulo vel judicio Dei, vel ventorum colliſione excitatus nebulam viridia terræ exſiccantem emittat, & nunc calore, nunc nimborum inundatione periculoſus fiat, & quid iſtu ſignificet.

IV. Et de nigro igne quaedam nebula aliquando ad terras deſcendens, viriditatem terrae arefacit, & humiditatem agrorum exſiccat, quia cum in eodem igne ardor & frigus per voluntatem Dei commoventur, nebula, quemadmodum praefatum eſt, deſcendit, quae de periculoſo ardore fumoſa, & de nocivo algore humida, ad vindictam peccantium exiſtit. Niger enim ignis iſte vento auſtri excitatus ardet, de vento autem aquilonis nimietatem frigoris in grandine habet, ſed utrumque ventus orientalis ſedat; ventus vero occidentalis in aquoſo aere ſaliens, cum niger ignis interdum commovetur periculoſam inundationem facit, ſignificans quod etiam de judiciali examinatione, alia vindicta ad carnales concupiſcentias ſe extendens, eas in ariditatem contemptus evertit, atque pinguedinem earum omnino conſumit, quia Deus hoc quod ſe ipſi opponit ad nihilum deducit.

Quod circulus puri ætheris ſuavitate ſua ſuperiora & inferiora temperet, & ſquamis prioris & nebulæ ſecundi circuli ne terras nimium lædant reſiſtat, & quid fumus ab aquis ſuperioribus cæleſti igne fervefactis procedens, vel utilitatis vel ſignificationis habeat.

V. Sed purus æther & ſquamis iſtis & nebulæ huic reſiſtit, ne ſupra modum creaturis plagas inferant, quia idem æther inter ignes & aquas medius exiſtens, puritate, & ſuavitate ſua ſuperiora mitigat, ſubteriora quoque temperat, nec plagas de ſe producit, quoniam ſi ſingula elementa creaturas ferirent, nec aliquid illis ſubveniret, nec durare, nec ſubſiſtere poſſent. Aquæ vero ſecundum divinam diſpoſitionem aliquando per ignem comprimuntur, ne incongrua effuſione diffluant. Unde & illæ quendam fumum emittunt, qui tamen nocivus non eſt, ſicut nec halitus hominis ullum lædit. Idemque fumus convenienti humore ſubteriora temperat, ne plagas ſuas plus quam debent extendant, ut & pura pœnitentia divinam ultionem & vindictam mitigat, Deumque creaturæ ſuae placabilem facit.

De nebula peſtifera a circulo fortis & albi aeris ad terras ſe extendente unde creetur, & quod ei denſitas aquoſi aeris ne ſupra modum noxia ſit reſiſtat, & quod plagæ quævis nunquam niſi Dei judicio ſuper homines inducuntur, & quid hæc omnia deſignent.

VI. Et etiam vides, quod de forti & albo lucidoque aere, alia quaedam nebula ad terras ſe interdum exten-

Digitized by Google

P. I. extendit, magnam peſtilentiam hominibus & pecoribus incutiens ita ut exinde multi diverſis infirmitatibus ſubjaceant, quamplurimi quoque mortem incurrant, quia cum de ipſo aere nebula, ut præfatum eſt, interdum procedit, aquae ſuperiores quibus idem aer pro vicinitate ſubtus adhæret, per voluntatem Dei a ſuperiori igne ſupra modum commoventur, quae de inquieto ardore nunc fervent, & de peſſimo frigore quod in nigro igne eſt, nunc algent, & ſic nebula ab utroque perfuſa, in utraque parte nociva exiſtit. Plagae autem iſtae non procedunt, niſi cum peccatis hominum provocatae, juſto Dei judicio ſuper ipſos inducuntur, demonſtrantes quod de diſcretione ſanctorum operum, vindicta ad operationes, quae ſine diſcretione ſunt, procedit, contritionem hominibus immoderatam, in peccato moderationem non habentibus infligens, ita ut in ipſis ea quae indiſcreta ſecundum corpus hominis ſunt, debilitet, & illa quae ad ſalutem animae diſcretione carent omnino mortificet. Diſcretio enim omnia quae tam corpori, quam animae utilia ſunt, temperat. Cui tamen nebulae aquoſus aer ſe opponit, eamdem nebulam temperans, ne creaturis ultra modum læſionem inferat quoniam aquoſitate ſua vires fortitudinis illius attenuat, quia ſancta opera in exemplis juſtorum vindictae huic, quae de diſcretione procedit, demonſtrant, quibus modis illa quae immoderata ſunt feriat.

De humore a tenui aere emanante, cujus utilitatis ſit, & quod guttæ pluviarum ſuperiori frigore in nivem vertuntur, & quod idem tenuis aer a ſuperioribus terram muniat, eamque fœcundet.

VII. Quod autem de tenui aere humor ſupra terram ebulliens viriditatem terrae ſuſcitat, omneſque fructus germinando procedere facit, & qui etiam quaſdam nubes ſuperius fert, quae omnia ſuperiora ſuſtentant, & ab omnibus ſuperioribus confortantur, hoc ideo eſt, quoniam idem tenuis aer nivem ex ſe emittit, quae quaſi volando in terram ſternitur, cum per deſcenſum ſolis in terra frigus eſt, quia guttae aquae de ſuperiore frigore in nivem convertuntur. In ardore autem aſcenſus ſolis idem aer rorem ſupra terram cadentem in ſimilitudine favi mellis exſudat, qui de ſuavitate orientalis venti, in ſuavem pluviam interdum liqueſcit. Et aer iſte ſuperiora pericula comprimit, atque velut ſcutum ad defenſionem terrae eſt, quemadmodum ſcutum de plurimis ictibus virum defendit, atque de ſuaviſſimo & temperato calore ſolis rorem benedictionis quem Jacob filio ſuo dedit ſupra terram emittit. Interdumque aer iſte de aſcenſione aquae, & de humiditate roris fumat, quod tamen nocivum non eſt, ſed unamquamque fructuoſitatem terrae lambit, ipſam a ſqualido faetore mundans, a quo per aliquam tempeſtatem tacta eſt.

Quomodo nubes in eodem aere ſuperno vel igne, vel frigore modificatæ, nunc lucidæ, nunc umbroſæ appareant, & pluviam quaſi a quibuſdam mammis expreſſam non repente ſed ſenſim diffundant, & quid in nobis deſignent.

VIII. Ipſe quoque praedictas nubes, quae interdum lucidae & interdum umbroſae ſunt ſuper ſe portat, & ſuſtentat, quae velut ſingulares mammas habent, per quas pluvias in terram mittunt, quemadmodum de mammis lac extrahitur, iſtaeque aliquando ad ſuperiora ſe extendunt, & de ſingulis vim accipiunt. Per ignem enim confortantur, aethere alleviantur, aquis perfunduntur, ac frigora coagulantur, ne ſparſio pluviae per ſingulas mammas ſupra modum groſſa ſuper terram diffundatur. Sed & eædem nubes ſpeculoſitas illa ſunt, quam homines cœlum nominant, quoniam localia inſtituta ſolis, lunae, & ſtellarum per eas quaſi formae aliquae per ſpeculum videntur, ita ut homines conſtitutionem illorum ſe videre exiſtiment, quod tamen ita non eſt, quia ipſae nubes officia tantum earumdem conſtellationum, V. IV. velut in umbraculo ſpeculi oſtendunt, atque quemadmodum aqua fluunt, in qua omnia oppoſita conſpiciuntur, deſignantes quia de recto deſiderio fidelis hominis cogitatio ad fructiferam utilitatem bona opera praeferentem exiens, viriditatem illius tangit, quatenus multiplices fructus ſanctitatis producat, & mentes hominum ad caeleſtia elevet, itaut ad illa anhelent; & ab ipſis roborentur, quia dum homo recto deſiderio ad fructum bonorum operum tendit, terrena deſpicit, ſeque illis quae ſurſum in caeleſtibus ſunt ita infigit, ut ſe velut homo non ſit, totum immutatum oſtendat.

De nube quæ lactea vocatur quod aerem extenſione, vel incurvatione ſua comprehenſum roboret, & quid per hoc ſignificet.

IX. In eodem quoque aere quamdam nubem candidi coloris vides, quae in utraque parte ſui ubi finem habet, hinc & hinc aliis nubibus firmamenti velut infixa eſt, & cujus medietas ut arcus incurvata manens, in praedictum aerem extenditur, quoniam in eiſdem nubibus, quas aer iſte ſuperius ferendo ſuſtentat, alia nubes velut lacteum colorem habens dirigitur, quae eumdem aerem firmat, ſicut columna domum ſuſtentat, quemadmodum & in praefato ordine recti deſiderii mentes quorumdam hominum ita conſtituti ſunt, ut tam in ſecularibus, quam in ſpiritualibus cauſis mercedem finis operum ſuorum praeſtolentur, quia & terrena, & caeleſtia negotia quatenus ſuperno judici placeant, perficiunt, & quamvis perfectio mentium ipſorum aliquando fragilitatem carnis velut incurvata ſentiat; in recto tamen deſiderio perſeverat, ut etiam ſervus meus Job oſtendit dicens.

Verba Job ad idem conſona, & quo ſenſu accipienda ſint.

X. *Et tenebit juſtus viam ſuam, & mundus manibus addet fortitudinem.* Quod etiam ſic intellectui patet. Homo qui juſtitiam diligit, itinera rectitudinis coronam fortitudinis tenebit, & qui a ſordibus mundus exiſtit, bonis operibus acquiret ſanctitatem, cum ſe a malis abſtinens, ad omne quod Deo placet ſe convertit, quatenus vitam illam quae ſine fine eſt adipiſcatur. Juſtus enim ſapientiam capit, & ſapientia in rationalitate illa eſt, quae vitale & mortale ſcit, & recta itinera docet. Obcæcatio autem cordis quae ex guſtu carnis exoritur, puram ſcientiam obnubilat, cum ſecundum voluntatem ſuam quaecumque vult, ſe facere poſſe tentat Unde & tamdiu cæcatur, quouſque ipſamet vulnera ſua ſentiat, ita ut ſibimetipſi diſpliceat, reputans quomodo ſtare poſſit, ſi a Deo receſſerit.

Quia homo inſtar firmamenti cujuſdam in Deo roboratus, ipſum & opera ejus ſedule ſemper conſiderare debent, quoniam ad cognoſcendum & glorificandum ſe inter omnia maxime rationalem creaturam fecit Deus.

XI. In his cogitationibus homo omnipotentem Deum ſicut ſigillum inſpiciat, omnia miracula & ſigna ipſius affirmando, atque in ſimilitudine firmamenti domum ſuam hoc modo confortando, quo per nullum terrorem ſeu timoris ſeu amoris a Deo, avellatur: firmamentum itaque Deus in ſcabellum throni ſui poſuit, illudque circumeuntem circulum habet, in ſimilitudine potentiae Dei, quae nec initium, nec finem habet, quemadmodum nullus intueri poteſt, ubi circuiens rota incipiat, vel finiatur. Thronus etenim Dei aeternitas ipſius eſt, in qua ſolus ſedet, omneſque viventes ſcintillae radii ſplendoris ejus ſunt, velut radii ſolis ab ipſo procedunt. Et quomodo Deus vita eſſe cognoſceretur, niſi per vitalia, quae ipſum glorificarent, quoniam gloriam ipſius

P. I. V. IV.

laudantes ab ipſo proceſſerunt? Quapropter viventes & ardentes ſcintillas ad claritatem vultus ſui poſuit, quae ipſum nec initium, nec finem habere conſpiciunt, & ideo nullum taedium aſpicere in eum habentes, ſtudioſe abſque faſtidio ipſum intuentur, nec ſtudium hoc unquam praeteribit. Quomodo autem cognoſceretur, quia ſolus aeternus eſt, ſi ab angelis ita non conſideraretur? Quod ſi ſcintillas illas non haberet, quomodo gloria ejus plena appareret? Et quomodo aeternus eſſe innoteſceret, ſi nulla claritas ab ipſo procederet? Nulla enim creatura eſt, quin aliquem radium habeat, videlicet aut viriditatem, aut ſemina, aut flores, aut pulchritudinem, alioquin creatura non eſſet. Sed & ſi Deus poſſibilitatem omnia facere non haberet, ubi eſſet potentia ipſius?

Quia Deus pulchritudinem operum ſuorum in primo angelo ſignaverit, & quod ad demonſtrandum in qua mundi parte infernus ſit, tribus partibus ſolis & lunae præſentia illuſtratis, quartam partem ideſt ſeptemtrionalem vacuam lumine reliquerit, & quod fulgore lucis tenebræ arguantur, & oppoſitione tenebrarum lux gratior ſit.

XII. Omnem quippe pulchritudinem operum poſſibilitatis ſuae Deus in primo angelo ſignavit, ipſumque ſtellis & pulchritudine viriditatis, omnique genere fulgentium lapidum, quaſi ſtellatum caelum ornavit, & eum luciferum nominavit, quoniam ab ipſo, qui ſolus aeternus eſt, lucem portavit. Ego enim qui ſum in tribus parietibus opera mea oſtendi videlicet in oriente, in auſtro, & in occidente; quartum autem parietem in ſeptemtrione vacuum dimiſi, in quo nec ſol nec luna lucet. Quapropter & in illa plaga extra firmamentum infernus eſt, qui nec ſuperius tectum, nec inferius fundum habet, & etiam ibi tenebrae exiſtentes, miniſterium omnium lucidorum laudis meae ſunt, quia quomodo lux cognoſceretur niſi per tenebras? Et quomodo tenebrae ſcirentur, niſi per radiantem fulgorem miniſtrorum meorum? Si hoc non eſſet poteſtas mea plenitudine careret, ita ut omnia miracula mea non nominarentur. Sed nunc poteſtas mea plena & perfecta eſt, nec ullus defectus in miraculis meis eſt. Quoniam enim lumen abſque tenebris eſt, ideo lux nominatur. Vivens quippe oculus lux eſt, caecitas autem tenebrae ſunt. In his etenim duobus partibus omnia cognoſcuntur, ſive bona, ſive mala ſint; per lucem quidem opera Dei, per tenebras vero fuga a Deo quae lucem non tangit, in illis ſcilicet qui per ſuperbiam partem ipſum confiteri nolunt.

Infernus eſt in auſtrali parte.

De ſuperbia vel tumore primi angeli & ſequacium ejus in Deum, & de praecipitatione eorum in locum tenebrarum & clamor beatorum angelorum illos deteſtantium.

XIII. Innumerabilis quidem turba ſcintillarum, quae primo perdito angelo aderant, in fulgore omnium ornamentorum ejus reſplenduit, ut mundus per lucem illuſtratur. At cum ille ſenſit, quia in omni ornatu ſuo Deo ſervire deberet, ab amore ipſius receſſit, atque in tenebras tetendit, & intra ſe dixit. Valde glorioſum mihi eſt, ut a me ipſo operer, & opera faciam, quemadmodum Deum facere video. Cui omnis comitatus ipſius conſenſit dicens. Thronum Domini noſtri ad aquilonem contra Altiſſimum ponemus. Atque intra ſe deliberabant, quod cum miniſtris Dei errorem & ſciſma ſemper facere vellent, quia dominus ipſorum tantae potentiae, tantaeque magnificentiae foret, quantae Altiſſimus illorum. Tunc oculi unicae aeternitatis inflammati ſunt, & ipſa in magno tonitruo inſonuit, atque per miniſteria angelorum primum tranſgreſſorem cum omni exercitu ſuo dejecit. Et angeli Dei in voce tonitrui clamabant. Quae iniqua praeſumptio Deo creatori noſtro, qui a ſe ipſo eſt, aequari poteſt? Quia autem tu qui ex praecepto ipſius es, hanc aeſtimationem in te habuiſti, ut ei ſimilis eſſe velles, in ruinam ibis. Qui ſtatim cum caeteris ſibi adhaerentibus in locum prædictarum tenebrarum quaſi vehemens plumbum retrorſum corruit, quoniam contra Deum præliator eſſe voluit, cujus opera in tenebras lucere non vidit.

Quia Deus in arcano conſilii ſui ab æterno habens quod homo ipſe fieret, hominem qui ſemper diabolo myſterium hoc deprehendere non valenti repugnaret, & ejus locum obtineret, ad imaginem & ſimilitudinem ſuam fecerit, in quo etiam anima oſſibus & carne compacto omnes majoris mundi creaturas recapitulavit.

XIV. Quapropter ipſe Deus manifeſtum prælium contra illum fecit, ita ſcilicet ut ad indumentum ſuum, quod in ſcientia ſua abſque initio habuerat reſpiceret, in quo eum ſathan qui ab eo fugerat, nunquam perfecte intueri poterit, donec omne prælium ſuum adverſus illum perfecerit, & tunc ipſum in maximo dolore confuſionis ſuæ videbit, cum ab eodem juſto judice in fine ſæculorum totus confundetur. Et in antiquo conſilio ſuo quod ſemper cum ipſo fuit ordinavit, quomodo opus illud perficeret, & de lutulenta terra hominem formavit, ſicut formam illius ante ævum ordinaverat, quemadmodum cor hominis rationalitatem in ſe claudit, & omnia ſonantia verba ordinat, quæ poſtmodum emittit. Sic etiam Deus in verbo ſuo fecit, cum omnia crearet, quoniam in patre verbum, quod filius eſt, latuit, velut cor in homine latet. Et Deus ad imaginem & ſimilitudinem ſuam formam hominis fecit, quia etiam ut forma illius ſanctam divinitatem tegeret voluit; ideoque & omnes creaturas in homine ſignavit, quemadmodum etiam omnis creatura per verbum ſuum proceſſit. In capite itaque hominis videlicet in circumeunte rota cerebri vertex eſt, ad quem ſcala poſita eſt, quæ gradus aſcenſionis habet, ſcilicet oculis videndo, auribus audiendo, naribus odorando, ore loquendo, in quibus homo omnes creaturas videt, cognoſcit, diſcernit, dividit, & nominat. Deus enim hominem formavit, eumque cum viventi ſpiramine, quod anima eſt, vivificavit, carne quoque & ſanguine coagulavit, & oſſibus exaggerans firmavit, quemadmodum terra per lapides firmata eſt, quia ſicut terra ſine lapidibus non eſt, ita nec homo ſine oſſibus eſſe poſſet. Firmamentum etiam ſolem, lunam & ſtellas abſque locorum ſuorum conſtitutionibus, in quibus curſum ſuum peragunt non habet, quoniam conſtellationes iſtae ſine deſignatione locorum ſuorum nequaquam firmari poſſent, unde omnia eorum loca recta menſura conſtituta ſunt, quatenus circulus rotæ firmamenti recte circuire valeat, ſicut etiam omnia hæc in forma hominis ſignata ſunt, quamvis non eo ordine, nec ea perfectione, ut in exſuperioribus exiſtunt; hæc quoque ad animam proſpiciunt.

Quomodo exterior habitudo, vel forma hominis animae ſecundum interiorem profectum vel defectum aſſignetur.

XV. Summitas namque capitis inceptionem operis animae deſignat, quae cum circumeunte rationalitate omne opus hominis diſponit & ordinat, & ipſa anima ut vertex exiſtens, ea in corpore hominis diſcernit, quae corpus poſtulat & deſiderat, illaque operatur quatuor gradus aſcendendo, & deſcendendo, qui ſunt viſus, auditus, odoratus, & guſtus, in quibus etiam creaturas intelligit & ſentit, atque carneum vas ejus cum ipſa ad creaturas ſe extendit, illas ſecundum velle ſuum ſibi attrahens. Cum omni etiam creſcente creatura, velut aer in omnibus deſideriis corporis ea perficiendo volat, atque in cognitione omnium creaturarum ſecundum corpus, ſeu in amorem, ſeu in odium illorum elevatur. Nam longitudo ſtaturæ hominis, latitudoque ipſius bra-

Æqualis eſt latitudinis longitudine.

Digitized by Google

P. I. brachiis & manibus aequaliter a pectore extenſis, aequales ſunt, quemadmodum etiam firmamentum aequalem longitudinem & latitudinem habet, quia etiam per menſuram longitudinis & latitudinis hominis, quae in ipſo aequales ſunt, ſcientia boni & mali intelligitur, quae in utilitate bonum, in inutilitate vero malum ſcit. Per guſtum enim carnis & ſanguinis & caeterorum membrorum anima irretitur, ſicut & per venatorum beſtia capitur, ita ut anima via ſuſpirare poſſit, antequam corpus concupiſcentias ſuas perficiat, & poſtmodum corpus multotiens ſecum ſuſpirare facit.

Quod in conſtitutione ſua firmamentum & homo multam ſimilitudinem ab opifice ſuo Deo acceperunt, & quid per hoc in anima ipſius hominis demonſtretur.

XVI. Sed & in rotunditate capitis hominis rotunditas firmamenti oſtenditur, & in recta aequalique menſura ejuſdem capitis, recta & aequalis menſura firmamenti demonſtratur, quia idem caput rectam menſuram ubique habet, ut etiam firmamentum aequali menſura conſtitutum eſt, quatenus ex omni parte rectum circuitum habere poſſit, & ne ulla pars ejus partem alteram injuſto modo excedat. Deus enim hominem ſecundum firmamentum plaſmavit, & fortitudinem illius cum viribus elementorum confortavit, vireſque ipſorum interiora hominis conſolidavit, ita ut homo illas ſpirando inducat & emittat, velut ſol qui mundum illuminat radios ſuos de ſe expandit, iterumque ad ſe retrahit. Sic etiam rotunditas, & aequalitas capitis hominis deſignat, quoniam anima ſecundum voluntatem carnis operatur in peccatis, & iterum in ſuſpiriis eadem anima ad juſtitiam ſe reparat, unde & in hoc aequalitas eſt, quia ſicut in delictis delectata eſt, ita & pro illis dolendo ſe affligit, & hoc per verecundiam habet. Anima quippe in verecundia ſtat, nec in peccatis delectatur, ſed per guſtum carnis illa cum carne operatur, quia cum homo in peccatis uſque ad taedium illorum vixerit, per verecundiam animae multotiens ſuperata ab illis revocatur, quemadmodum etiam anima per naturam carnis vincitur, & ideo etiam quamdiu corpus & anima ſimul vivunt, tamdiu fortem conflictum ſimul habent, quoniam unde caro in peccatis delectatur, inde anima dolet. Et ex hoc malignis ſpiritibus magna confuſio eſt, quia ipſi in animabus juſtorum poenitentiam nunquam delere potuerunt, cum ipſi in caſu ſuo propter magnum odium quod contra Deum habent, nunquam poenitendo conſiderent quid fecerint. In his enim modis anima rotunditatem & aequalitatem in ſe oſtendit, quoniam ſcientia boni ſcientiae mali repugnat, & ſcientia mali ſcientiae boni reſiſtit. Nam alia ab alia probatur. Sed ſcientia boni ut plena luna eſt, quando bene operando carnem ſuperat, cum autem ipſa ſuperatur, tunc eſt ut luna, quae in defectu eſt, cujus circulus umbroſus videtur.

Quia in capite hominis per tres aequalium diſtinctiones menſurarum, ſcilicet a vertice uſque ad guttur ſuperiores firmamenti tres circuli cum duobus ſibi interpoſitis deputentur, & qualiter eorumdem circulorum denſitas in circuitu capitis aequali diviſione aſſignetur, & quomodo haec etiam viribus animae per ſignificationem coaptentur.

XVII. In capite quoque hominis tria ſuperiora elementa deſignata ſunt, ſcilicet a ſuperficie calvariae uſque ad frontem lucidus ignis cum ſubteriori nigro igne, a fronte autem uſque ad extremitatem naſi, purus aether, & de naſo uſque ad guttur aquoſus aer cum ſibi ſubpoſito forti & albo lucidoque aere. Et loca iſta aequali menſura ab invicem diſcreta ſunt, quemadmodum & denſitas ſuperioris ignis cum nigro igne, denſitas etiam puri aetheris, necnon denſitas aquoſi aeris cum forti & albo lucidoque aere aequalis menſurae exiſtunt. V. IV.
Nam & in anima tres vires ſunt, videlicet comprehenſio, qua in potentia Dei caeleſtia & terreſtria comprehendit, & intelligentia, qua plurima intelligit, cum etiam peccata mala eſſe novit, ubi ea per poenitentiam negligit, ac motio, qua in ſe ubique movetur, cum ſancta opera in exemplis juſtorum cum habitaculo ſuo perficit, comprehenſioque iſta & intelligentia ad motionem animae ſe in unum conjungunt, ita ut ſi anima plus comprehenderet, quam intelligere, aut movere poſſet, in injuſta menſura eſſet. Atque eaedem vires in anima hoc modo unanimes ſunt, nec alia aliam excedit. Comprehenſio enim animae totum corpus cum omnibus appendiciis ſuis circumdat, omnia ſcilicet in ipſo recta menſura movens ad illa quae caro ſentiendo & guſtando concupiſcit, velut fabricator aedificium ſuum hominibus ad habitandum recte metitur, corpuſque per animam movetur, nec anima omittere poteſt, quin corpus ad diverſa opera moveat, quia intelligit illa quae caro concupiſcit, quoniam & caro per eam vivit. Et anima vita exiſtens etiam vivens ignis in corpore eſt, corpus autem factum opus, & ideo ſe continere non valet, quin in duabus viis operetur, videlicet aut ſecundum guſtum carnis, aut ſecundum deſiderium animae. Bonum autem opus animae quaſi pulcherrimum aedificium coram Deo & Angelis eſt, ſed malum opus illius velut aedificium ex luto factum, & plurimo ſtercore infectum apparet. Quapropter & anima, quae bona opera facit, ab Angelis Dei laudatur, & quae mala opera ſecundum guſtum carnis operatur, a laude repudiatur. Sed & in recta aequalique menſura, quae a ſummo capitis hominis in ante uſque ad ſupercilia, & uſque in utramque aurem ejus, & retro uſque ad imum colli ipſius eſt, aequalis denſitas elementorum cum ſibi adhaerentibus conſtitutionibus deſignatur. Hoc etiam modo pares in anima tres vires ſunt, id eſt expiratio, ſcientia, & ſenſus, cum quibus perficit opera ſua. Per exſpirationem enim haec incipit quae facere poteſt, & hoc quaſi anterior pars capitis eſt, atque per ſcientiam velut ad utramque aurem ſe dilatat, & per ſenſum quaſi retro uſque ad imum colli ſe reflectit. Iſtae namque vires hoc modo aequales ſunt, ſcilicet quoniam anima exſpirando non plus facere incipit, quam ſcientia comprehendere, aut quam ſenſu ſufferre poſſit, & ſic unanimiter operantur quia nulla iſtarum aliam excedit, quemadmodum & caput rectam menſuram habet.

Deſcriptio quarumdam menſurarum, quae in labiis, in auribus, in humeris, in gutture hominis inveniuntur, & qualiter ſecundum iſta interior homo in opere Dei vel poenitentia ſe agere debeat, quodque maligni & impoenitentes ſaepe valde confundantur, quod poenitentes homini abſtrahere non poſſunt.

XVIII. Superius quoque ac inferius labium, quae utraque pariter flecma capitis & ventris eiciunt, in ore hominis unius menſurae ſunt, ſicut etiam niger ignis purgationem in vindicta Dei faciens fortiſque & albus luciduſque aer illa temperando moderans aequalis denſitatis ſunt. Quod etiam in menſura, quae ab aure hominis ad alteram aurem a retro per obliquum capitis, & a foraminibus aurium uſque ad humeros, ab humeris quoque ad finem gutturis aequaliter procedit manifeſtatur. In his ergo oſtenditur, quod homo & in ſuperioribus, id eſt in caeleſtibus, & in inferioribus videlicet in terrenis, mala tam animae quam corporis de ſe abiciens, ore ſuo Deum aequali ſtudio laudare debeat, quoniam ipſe conſervator & animarum & corporum eſt. Quod etiam ab aure ad alteram aurem, & ab auribus ad humeros, atque ab humeris ad finem gutturis, una men-

Digitized by Google

P. I.

menſura, ut praedictum eſt, exiſtens ſignificat, quod homo praecepta Dei auribus percipiens, humeriſque ſuis illa fideliter imponens, & quaſi gutture ſuo ea in ſe trahens, in omnibus aequalem & diſcretum modum habere debet, quatenus ad aequitatem illam perveniat, ubi nulla fortitudo eſt. Nam quamdiu corpus peccat tamdiu anima in corpore peccatis dedito conturbatur, & quantum corpus per abſtinentiam in poenitentia affligitur, tantum anima de praemio aeternae gloriae gaudet, quoniam ſicut homo initium operum ſuorum inſpicit, ita etiam finem eorum & merita diligenter conſideret. Anima itaque adeo in formam hominis mittitur, quatenus eadem forma per ipſam vivificetur, & quia a creatore ſuo ſe veniſſe conſentit, idcirco etiam homo tam in ſecta aliqua, quam in fide recta poſitus Deum nominat, quoniam hoc ex bonis viribus animae ſibi inſitum habet. Quapropter & ipſe nomen Dei quaerendo in altitudinem aſcendit, atque per quamdam legem diſciplinam excribrat, qua illum quem nominat veneretur. Sed & anima judicium Dei ſupra praevaricationem legis caſurum cognoſcit, unde & pro criminibus ſuis quae theſaurizavit cum dolore, tegmen ſuum aliquando lacrymas educere facit, ſicut etiam flecma per labia eicitur, atque cum dolore iſto corpus in quo latet ita capit, ut illud de injuſtis operibus ſuis erubeſcere faciat. Attamen corpus guſtum carnis ſequitur, animaeque multotiens reſiſtit, ne in altitudinem illam aſcendat, in qua Deum ſentit, & eam ſic excaecat, ſed tamen ita opprimere non valet, quin pro peccatis doleat, quamvis homo in ipſis delectetur, & hujuſmodi poenitentiam maligni ſpiritus nunquam habuerunt, unde & valde erubeſcunt, quia eam homini abſtrahere non poſſunt.

Anima in forma hominis eſt.

De duabus viribus animae quarum altera in his quae ad Deum ſpectant juvatur, altera in vivificando vel regendo corpore ſuo fungitur.

XIX. Et anima duas vires habet, quibus laborem & quietem ſtudiorum ſuorum aequali fortitudine temperat, itaut cum altera in altitudinem Deum ſentiendo aſcendat, & cum altera totum corpus in quo eſt poſſideat in illo operando quia in corpore operari delectatur, quoniam illud a Deo formatum eſt, & ipſa opus corporis ad perficiendum velox eſt. Ipſa etiam in cerebrum, & in cor, ac in ſanguinem, & in medullam, & in totum corpus illud implendo aſcendit, nec illud ultra, nec pluſquam poſſibilitas ipſius corporis valet levat, quia quamvis anima in corpore manens plurima bona operari ſtudeat, plus tamen procedere non poteſt, quam divina gratia ei concedit. Ipſa quoque multotiens ſecundum guſtum carnis tamdiu operatur, quouſque ſanguis per fatigationem in venis aliquantum exſiccetur, & ſudor per medullam emittatur, & tunc per quietem ſe ſubtrahit, uſque dum ſanguinem carnis calefaciat, & medullam repleat. Et ſic corpus ad vigilandum excitat, & ad laborem recreat, quia dum aliquando carnalibus concupiſcentiis inſiſtit, taedium illarum ſaepius incurrit, ſed dum exinde vires ſuas reparaverit ad ſervitium Dei ſe totam reflectit. Cum autem ſecundum deſideria ſua operatur ad Deum ſe levans verba David ſequitur, qui me inſpirante dicit.

Verba David & ſenſus quo accipi debent ad diverſas animae & corporis exercitationes pertinentia.

XX. *Sub umbra alarum tuarum protege me a facie impiorum qui me afflixerunt.* Quod ſic intellectui patet. Tu qui defenſor omnium fidelium es ſub quiete fortiſſimarum virium tuarum defende me, qui ſub potentia tua ſum te adorans, te colens, & non ad alienum & illuſorem Deum reſpiciens, & libera me a peſſimis & turpiſſimis concupiſcentiis malignorum ſpirituum, quae in delectatione carnis me affligunt. Unde & anima in perfectione hujus victoriae dicit. *O caro, & o membra, in quibus habito, quamplurimum gaudeo, quoniam in vos miſſa ſum, quia cum mihi conſentitis, ad aeterna praemia me mittitis.* Anima autem quae ſentit, quod prava opera ipſam tangant, ſic dicit moerendo. *Ach quia in hujuſmodi habitaculum miſſa ſum, quod in umbram mortis me trahit, quoniam delectatio ejus quemadmodum molendinum me currere facit, & opera mortis operari.* V. IV.

Quod ſicut per firmamentum & varias circulorum ejus qualitates terrae officia complentur, ita & per caput & ſenſus qui in eo maxime vigent totum corpus regatur, & quia etiam ſecundum iſta principale quiddam ideſt ratio, quo caeleſtia appetat, & vires aliae quibus corpus adminiſtret animae attributae ſunt.

XXI. Et totum corpus hominis capiti ſuo adjunctum eſt, ſicut & terra cum omnibus appendiciis ſuis firmamento adhaeret, atque homo per ſenſualitatem capitis totus regitur, quemadmodum & per firmamentum quaeque officia terrae complentur. Ita etiam eodem modo experientia caeleſtium & terreſtrium animae adeſt, & rationalitas qua caeleſtia & terreſtria ſentit ipſi infixa eſt. Nam & ſicut verbum Dei omnia pertranſivit creando, ita & anima totum corpus pertranſit cum ipſo operando. Anima quoque viriditas carnis eſt, quoniam corpus hominis per illam creſcit & proficit, quemadmodum terra per humiditatem fructifera eſt, & etiam eadem anima humiditas corporis eſt, quia illud humectat ne areſcat, ſicut imber terram infundit. Si enim humiditas imbrium recte & ordinate & non ſuperflue deſcendat, eam germinare facit; ſi autem inordinate defluat, illam ſuffocando cum germine ſuo dextruit. Ab animu quippe vires quaedam corpus hominis vivificando procedunt, quemadmodum humiditas ab aqua, quapropter & anima cum corpore delectatur operari. Quod ſi homo ſecundum deſiderium animae operatur, omnia opera ejus bona fiunt, ſi vero ſecundum carnem, mala erunt. Caro namque humiditatem per animam exſudat, quoniam ſpiramen animae carnem movet. ſecundum quod natura ipſius expoſtulat; homoque ex ſpiramine animae deſiderium ad quaeque habet. Nam anima ad caeleſtia aſcendit, & ſentiendo cognoſcit, qualiter quaelibet opera ſecundum merita ipſorum judicet, & ut per ſenſualitatem corporis totum corpus regitur, ſic & rationalis anima omnia opera membrorum hominis ad ſe colligit, conſiderando quod ſecundum deſideria ſua operari poſſint, & hoc modo membra hominis quemadmodum humiditas terram germinare facit, quia per totum corpus hominis, ſicut humiditas per totam terram diffuſa eſt. Et ut terra utilia & inutilia germinat, ita & homo ſuſpirium ſurſum, & guſtum peccati in ſe habet.

De intervallis & vicaria cooperatione ſeptem planetarum, & quomodo a ſummitate humani cerebri uſque ad imum frontis per ſeptem loca aequali menſura iidem planeta diſterminandi ſunt, & qualiter iuxta haec anima ſe & corpus ſuum quinque ſubſiſtens ſenſibus ſecundum ſeptem dona Sancti Spiritus bonis & affectibus & operibus exercere debeat.

XXII. A ſuperiori etiam ſummitate vaſis cerebri uſque ad ultimam extremitatem frontis hominis, ſeptem loca aequali menſura a ſe diſcernuntur, per quae ſeptem planetae aequali ſpatio a ſe in firmamento diſtantes, ſignati ſunt, ita ut in praedicta ſummitate ſummus planeta notetur, & in praedicta frontis extremitate luna oſtendatur, & in medio ſpatio iſtorum ſol demonſtretur, reliquis planetis ex utraque parte loci hujus ſcilicet duobus ſuperius, duobus quoque inferius in eumdem locum notatis, & a

ſe,

Digitized by Google

P. I. ſe, & a termino loci ſolis & aliorum planetarum pari menſura a ſe diſtantibus, quoniam ſpatia haec in capite hominis aequali menſura a ſe differunt, ſicut & planetae iſti in firmamento aequa menſura ſpatiorum a ſe diſtant. Et in ſummitate capitis ſummus planeta ſignatur, quia ipſe aliis ampliorem circulum circuitionis habet; fronti autem luna imponitur, quoniam ut in fronte hominis verecundia notatur, ita etiam in luna, quae in aperto velut frons apparet, tempora & qualitates temporum diſcernuntur. In medio autem horum ſol locatur, quoniam ipſe quaſi princeps aliorum eſt, ſuper ſe planetarum duorum defenſionem, velut ſcutum contra ſuperiorem ignem habens; ſub ſe vero aliorum duorum ſubſtentationem tam ſui quam lunae retinens. Sed quanto ſpatio ſummus planeta in ſuperiori gradu ſuo a ſole diſtat, tanto etiam luna in infimo gradu circuitus ſui ab ipſo differt, aliis aequalia ſpatia, ut ſupra dictum eſt, inter ſe habentibus. Superior itaque & inferior pars firmamenti, ut crater tornatilis rotunda eſt, in ſuperiorique rotunditate ſol poſitus eſt, qui idem firmamentum ſuperius inferiuſque pertranſit, ſplendoremque ſuum emittit, velut & vinum de cratere funditur. Haec autem deſignant, quoniam anima in humano corpore ab inceptione operum ſuorum uſque ad finitionem eorum ſeptem dona Sancti Spiritus aequali ſtudio venerari debet, ita ut in initio operationis ſuae ſapientiam adeat, & in fine ejus timorem habeat, & ut in medio illius fortitudinem ponat, intellectu & conſilio in caeleſtibus ſe muniens, ſcientia quoque & pietate, in terrenis ſe circumdans, quae pari devotione illi in auxilium ſui amplectenda ſunt. Proinde curandum illi id eſt animae ut primitus ſapienter ſe dilatet, in ultimo autem timide cum verecundia ſe conſtringat, & inter haec fortitudine ſe cum decore intellectus & conſilii exornet, atque etiam ſcientia & pietate, ut ſupra dictum eſt, ſe communiat. Et unumquodque iſtorum alii ſe conjungit, quodlibet opus bonum in honeſtate perficiendo. Spiritus enim ſapientiae, ſpiritus quoque fortitudinis, ac ſpiritus timoris Domini, animam hominis hoc modo imbuunt, ut in vera fortitudine ſapienter incedat, & in illa timorem habeat, & etiam in aliis ejuſmodi quinque donis aequo animo ad ſupernum creatorem ſe contineat. Motus enim rationalis animae, & opus corporis cum quinque ſenſibus ejus, quod totus homo eſt, parem modum habent, quoniam anima corpus non plus movet, quam illud operari poteſt, nec corpus plus operatur, quam per animam movetur, nec diſcreti ſenſus hominis ab invicem ſe ſeparant; ſed in alta fortitudine ad invicem ſe continent, & totum hominem tam in ſuperioribus, quam in inferioribus ad quaelibet bona elucidant.

Quia cerebrum hominis tribus diviſum cellulis, & ſenſualitatem toti ſubminiſtrans corpori vicem ſolis obtineat, qui tres mundi partes perluſtrans, omnia quae in terris ſunt temperando vel fovendo confortat, & etiam igne ſuo lunam accendit.

XXIII. Cerebrum quoque hominis in tribus cellulis conſtans, nec plures habens, humiditati etiam ſubjacens, omnique corpori ſenſualitatem, viriditatemque praebens, vires ſolis demonſtrat; qui orientalem & auſtralem, occidentalemque plagam perluſtrat, ſeptemtrionalem autem devitat, atque terrae viriditatem per bonam ſuavitatem roris, & pluviarum multotiens immittit, & creaturas totius orbis virtute ſua temperando confortat, quia etiam cerebrum in fortitudine calvariae continetur, ut etiam vires ſolis ardore ſuperioris lucidi ignis roborantur. Cum autem ſol curſum ſuum in longitudine dierum facit, majus periculum ab igne ſuo in terra eſt, quam cum ſe declinat, quaſi faciem ſuam abſcondat. Nam cum ſe declinat, atque cum ſyderibus ipſi occurrunt, eumque cum aere ſuſtentant, ſed ipſe hoc modo ſub ſcabellum pedum Domini deſcendens, ibi in ſtatu ſuo permanet, & omnia quae ſubtus terram ſunt regit, quemadmodum gallina pullos ſuos fovet, ac deinde per laetum diem ſuper terram aſcendens, cuncta quae ſuper illam ſunt confortat, velut etiam gallina pullos ſuos de ovis provocat. Et homo in die operatur, & in nocte dormit, ut ſol praedictis duobus modis ſuper terram & ſubtus terra operatur, dum in die ſuper terram lucet, & in nocte cum deſcenſu illius terra ſuperius obtenebratur. Sed & ſicut per vires animae caro hominis in defectu ſuo reviviſcit, quoniam ipſa carnem & ſanguinem illius ſuſtinet ne deficiat, ita etiam de igne ſolis luna accenditur quoties deficit. V. IV.

Quod eodem modo anima viribus ſuis & corpus ſuum regens, & Deum in Trinitate unum colens, eumdem planetam quaſi imitando quandam vel diem, vel noctem viciſſim facere videtur, dum modo ſpiritu fortitudinis, quem ſol ſignificat roborata, & ſublimata ſanctorum luce operum refulget, modo concupiſcentiis carnis ſuccumbens operatur.

XXIV. Sic quoque anima ſcienter in viribus ſuis corpus hominis regit, cum ille in bonitate & perfectione & ſanctitate intelligit & ſentit, & ſcit ea quae ad Deum pertinent, verum Deum in trinitate colens, nec alium Deum in fallacia quaerens, ſicut etiam eaedem vires animae ſe in unum conjungunt ſimul operantes. Quae cum ſpiritu fortitudinis ita tangitur, ut initium operum perfectionemque eorum cum fine ipſorum ubique contempletur, ab illis quae mala ſunt declinat, & ſic corpori in quo habitat ſuavitatem ſupernorum donorum inducit, per quae omnia membra illius ad honeſtatem imbuit, quoniam vires ejus per fortitudinem poteſtatis Dei in unum coadunatae ſunt. Sed cum eadem fortitudo animam hoc modo roborat, dominio illius totum corpus hominis ſervire facit, ita ut illud lacrymas cum gemitibus multotiens educat, & tunc ipſum hominem in tanta humilitate, & quiete contineat, ut & in ſaecularibus & in ſpiritualibus ſe regere valeat, in omnibus bonis decenter inſtructus. Unde etiam anima ipſius per bonum ſtudium velut in die bona operando in altum aſcendit, ſed dum concupiſcentiae carnis conſentiendo ſuperatur, quaſi in nocte ſopore deprimitur, nunc quidem fortitudine ſe muniens, nunc autem deſidiam ſibi conjungens. Per bonum namque ſtudium, velut dies eſt omnia conſiderando, per deſidiam vero quaſi nox nihil praevidendo; ſed ſicut nox per lunam aliquando illuminatur, eaque ſubtracta iterum obtenebratur, ſic opera hominis permixta ſunt, ita ut nunc lucida, nunc obſcura exiſtant. Cum enim anima per corpus coacta malum cum ipſo operatur, tunc virtus ipſius luce veritatis carens obtenebratur; ſed cum deinde in peccatis ſe gravari ſenſerit, contra voluntatem carnis ſe ſurſum tollit carnem affligendo, & quaeque mala opera ipſi improperando. Sicque lux beatitudinis nocte peccatorum ſuperata exoritur, itaut per animam mala ſcientia cum carne ſuperetur, & caro in poenitentia & emendatione pravorum operum deinde caſtigetur. Et cum caro hoc modo conſtringitur, anima quoque illam ſecum caeleſtia appetere facit, quia ſpiritu fortitudinis ſecum roboratam, timori Domini etiam celeriter illam ſubicit. Anima quippe carnem adjuvat, & caro animam, quia per animam, & per carnem unumquodque opus perficitur, unde etiam anima cum carne bona & ſancta opera faciendo reviviſcit. Sed caro multotiens taedium patitur, quando cum anima operatur; quapropter anima tunc carni condeſcendit, illamque in aliquo opere delectari permittit, quemadmodum mater flentem infantem ridere facit. Atque hoc modo caro cum anima aliqua bona opera quibuſdam tamen peccatis intermixta operatur, quod anima tolerat, ne caro obruatur, quoniam ſicut caro per animam vivit, ita etiam anima cum carne bona operando reviviſcit, quia in opere manuum Domini collocata eſt. Sicut enim ſol noctem ſuperando uſque ad mediam

Digitized by Google

P. I. diam diem aſcendit, ita quoque homo prava opera vitando ſurſum incedit, & quemadmodum ſol poſt mediam diem inclinatur, ſic & anima carni conſentit, & ut luna per ſolem reaccenditur ne deficiat, ita & viribus animae caro hominis ſuſtentatur ne in interitum eat.

Quod ſicut cerebro humiditatem a viſceribus trahenti, omnes corporis venæ calorem adminiſtrant, ita & ſoli rorem & pluviam interdum diffundenti ſuperiores circuli ne a calore deficiant ignibus ſuis aſſiſtunt, & quod ſecundum iſta concordia vel diſſonantia inter animam & carnem inveniantur.

XXV. Et quoniam cerebrum humidum eſt & lene, frigus habet, omnes venae, cunctaque membra corporis calorem ei ſubminiſtrant, ſic etiam ſoli qui interdum rorem & pluviam ad terras deſcendere facit, omnia ſuperiora in igne lucentia ne in calore deficiant ignem ſubminiſtrando ei aſſiſtunt. Sed & quia humore humectatur, caloreque confortatur, totum corpus ſuſtentat & regit, quemadmodum humor & calor conjuncti omnem terram germinare faciunt. De corde enim & pulmone, & jecore & de omnibus viſceribus hominis, humiditas ad cerebrum aſcendit, illudque adimplet, & cerebro humiditate iſtorum adimpleto, de eadem humiditate aliquid ad reliqua interiora deſcendit, eaque replere feſtinat. Similiter ſcientia a ninae humiditatem lacrymarum educit, cum peccata in ipſa frigeſcunt, & tenor rectitudinis cum caeteris bonis operibus calorem ſuperiorum deſideriorum ei inſert, velut etiam fortitudini, quae humectationem ſanctitatis cuilibet fideli homini immittit, reliquae virtutes in adjutorio ſubveniunt. Et cum tali modo anima rore & calore Sancti Spiritus infunditur, carnem ſibi ſubicit, eamque Deo ſecum ſervire cogit. De bonis itaque cogitationibus, & rectis confeſſionibus de utilitate juſtitiae, atque plenitudine interiorum deſideriorum vigor ſanctitatis ad ſcientiam animae tendit, illamque ita confortat, ut etiam per eumdem virorem totus homo contra omnia adverſa tantis tuitionibus patientiae muniatur, quatenus deinceps in diverſa vitiorum moveri non poſſit. Sicut enim ſuperiora ſydera ſoli ignem miniſtrant, ita quoque omnia interiora hominis animae vires ad officia ſua afferunt, & dum illa ad perficiendum juſtitiam peccata neglexerit, cum rationalitate ſurſum aſcendit; ſed cum deinde corpus in defectu eſſe ſenſerit, illi condeſcendit ne deficiat. Ipſa namque vivens ſpiraculum eſt totum corpus hominis excitando, ſed tamen delectationi carnis contra voluntatem ſuam multotiens ſubjacet. Et in bono perſiſtere volens, velut ſol eſt, caro autem in guſtu ſuo permanens, quaſi luna eſt, unde cum ipſa peccando deficit, quemadmodum luna detrimentum ſentit, ſed tamen eadem anima contra voluntatem carnis quaſi ſol ſe ſurſum ſaepius erigit, & ita homo per querelam ipſius, hoc modo reſurgit, ſicut & luna per ſolem reaccenditur. Per humiditatem itaque caro in peccatis delectatur, & per calorem pœnitendo luget, quia humiditas ex carne, & calor ex anima eſt, atque per haec duo omne opus ſcilicet malum & bonum perficitur, quemadmodum & per ea fortitudo terrae omnia inutilia & utilia germinat. Conflictus etenim iſte in homine eſt, videlicet quia caro in peccatis delectatur, & anima in ipſis affligitur, ita ut carne & anima omnia opera hominis perficiantur, quoniam animae mala diſplicent, quae carni placent, quia caro mortalis eſt, anima vero immortalis, animaque abſque carne vivit, caro autem ſine anima vivere non poteſt. Anima nempe rationale ſpiramen eſt, atque in habitaculo cordis ſapientia ipſius eſt, qua omnia computat, & diſponit, velut paterfamilias in domo ſua omnes res ſuas ordinat, atque inde etiam habet prudentiam, qua vaſi ſuo cuncta utilia recte conſtituit, ſicut & cor a pulmone tegitur, & ex hoc quoque diſcretionem ad ſe colligit, omnia juſte dividendo, ut etiam viſcera hominis recte & diſcrete ſibi conjuncta ſunt. Nam anima ignea eſt, unde & omnia itinera, quae cordi deputat calefacit, & in unum coquit, inſimul ea retinens, ne alia ab aliis disjungantur, eaque implens, ne ulli eorum quicquam deſit, atque ſic etiam cum ſapientia in cogitationibus prudenter omnia officia corporis ordinat: in bona quoque & ſancta intentione per fidem ad Deum aſcendens, quoniam ab ipſo ſe miſſam cognoſcit. Sicut enim humiditas ab interioribus corporis ad cerebrum aſcendit, ita & anima cum ſancto deſiderio Deum cognoſcendo omnia officia corporis hominis ſurſum trahit, & ut iterum eadem humiditas deſcendit, inferiora corporis implendo, ſic etiam anima corpori condeſcendit, ne officia illius in offenſione Dei operentur. V. IV.

Quod ſicut cerebrum & inteſtina dum humoribus redundant purgatione indigent, ita etiam aer & terra tempore autumni, ille per fila longa & coagulata, haec per ſpumam ſordidam quibuſdam locis purgari videantur, & quod eodem modo caro veneria exudatione exſiccari, anima poenitentiae labore expiari comprobetur.

XXVI. Cerebrum etiam impletum ex ſe reuma ſpumat, viſceraque cum impleta fuerint egeſtionem faciunt, & ita frequenter in homine ſunt ſicut & humor & calor ſuper terram deſcendunt, eamque germinare faciunt, ſed poſtquam fructus ipſius maturitatem pleniter acceperint, humor & calor ſurſum retrahuntur. Quapropter in initio frigoris cum hyems appropinquare videtur, aer ſurſum tendit, & de calore ſolis aliqua parte coagulatur, qui ſicut fila ſe prolongando volare, & tunc etiam de ſuperiori humiditate terra molleſcit, & ſordidam ſpumam evomit; ſimiliter cum officia carnis implentur, caro ſudorem emittit, & ſic in ipſa delectatio exoritur, & deinde homo per guſtum delectationis operari incipit. Sed cum anima in ſcientia ſua ſenſerit, ſecundum voluntatem & concupiſcentiam carnis ſe opera feciſſe, carni multotiens afflictionem peccatorum inſpirat, quia malum operata eſt, & deinde a concupiſcentia carnis ſe ſubtrahit, ne peccatum ſciat, & ita etiam corpus optat a peccatis abſtinere. Et anima nequaquam omittit, quin corpus affligat, & aſperitatem de factis peccatis ei inferat, & ideo in afflictione homo ſemper eſt, ita ſcilicet ut anima querelam contra carnem habeat, & caro delectationem nutriat; quapropter & in opere peccati, velut in egeſtione malum cognoſcitur. Anima quippe multotiens in delectatione carnis operatur, quam poſtea repudiat, ſicut etiam humore & calore terra tacta inutiles & utiles herbas germinat. Ac etiam cum peccatorum diuturna conſuetudo peccata homini infeſta facit, tunc anima corpori multotiens inſpirat, quatenus poenitentiam illorum a Deo quaerat, velut etiam humor & calor ſurſum ſaepius retrahuntur, & ſic in medio iſtorum homo & malum & bonum operatur. Aliquando etiam cum caro hominis delectationem ſuam inſpicit, anima ad calorem rationalitatis ſe extendit, quamvis per terrenam inhabitationem ſaepius impediatur, quoniam cum per fortitudinem corpus coagulationem conceptionis ſuae retractat peccando, tunc rationalis anima refrigeſcit carni conſentiendo. Sed tamen deinde eadem anima ad rationalitatem ſe ſurſum extendit, cui & prava opera exponens cor hominis etiam tangit, & illud gemere & lacrimari facit, & hoc modo carnem ſuperat, ita ut corpus pro viribus animae effectum peccatorem non perficiat, ſed de ſuperiore rore Sancti Spiritus tactum priſtinam duritiam deponat, & peccata ſua conſiderans, illa quaſi pro luto computet.

Quia

P. I. *Quia vas cerebri ſuperioris ignis ſolem accendentis vicem tenent, & humor aquoſi aeris ejuſdem ſolis & calori temperamentum, & curſui terminum ne ſubjecta concremet praebeat, & quomodo ſecundum haec anima ſub poteſtate Dei & judicio poſita, & rationalitate ſibi indita diſcrete & ſe & corpus ſuum in omnibus regere debeat.*

XXVII. Vas itaque cerebri, quod cum fronte ad oculos extenditur, ſuperiorem ignem notat, ſub quo ſol ardet, cujus ignis cum leni humiditate aquoſi aeris permixtus eſt, idemque humor punctum eſt ſolis, per quod ille terminum loci ſui tranſire non poteſt, & humor iſte per puritatem aetheris ad ſolem aſcendens ardorem illius mitigat, ne ea quae in terra ſunt nimio fervore ſuo conſumat. Sic & anima ſcientiam, & rationalitatem cum manifeſta verecundia & ſalubri circumſpectione in ſe habens potentiam Dei oſtendit, ſub qua fortitudo illa eſt, quae felicia ſuſpiria mentibus, fidelium hominum immittit, eademque ſuſpiria judicium fortitudinis Dei retinent, ne in multa ſeveritate ſe demonſtret, atque per veram poenitentiam ejuſdem fortitudinis examinationem ita deliniunt, ut peccata hominis quando ille poenitet oblivioni tradat. Sed & quemadmodum ventus ignem ardere facit, ita & rationalitas animam hominis movet & illuminat. Rationalitas enim in anima eſt quaſi ventus, & quaſi lumen in igne, & anima ſpiraculum eſt a Deo in homine miſſum, quod indeficiens & rationale eſt, & ſicut ignis ſine ardore ignis non eſſet, ita & anima ſine rationalitate intelligibilis non eſſet, cum caetera creatura irrationalis velut ventus pertranſeat, quia flammans ignis non eſt. Nam rationalitas animam cum ſcientia ubique ducit, mille modis ea conſiderando, & cognoſcendo quae homo facit, unde etiam cum ipſa anima bonum in ſcientia ſua intelligit, in gaudio ſicut ſol ardet, & coeleſtis eſt. Sed tamen in
Neceſſe eſt animam condeſcendere corpori. hoc ardore coeleſtium anima ſemper manere non poteſt, quoniam caro hominis deficeret, & ideo anima refrigerium in aliqua re corpori infert, quemadmodum filius meus in mundo corporaliter manens modo oravit, modo laboravit, & deinde corpus ſuum recreavit, & hoc abſque peccato fecit, quia ſine peccato conceptus fuit. Quemadmodum etiam punctum ſolem retinet, ne metam ſuam tranſeat, ſic & anima corpori conſentiendo illud temperat, ne deficiat, & hoc in magna puritate facit, quatenus corpus hominis pravis operibus non derideatur, & ne etiam pro nimia coeleſti intentione exterminetur,
Indiſcreta operatio laedit animam velut humiditas ſolem temperat ne conſumatur. Anima itaque diſcretionem in omnibus amat, & ideo quotiens corpus hominis abſque diſcretione aut comedit, aut bibit, aut aliud quid tale indiſcrete fecerit, vires animae ſcinduntur, quoniam omnia cum diſcretione agenda ſunt, quia homo in coeleſtibus ſemper eſſe non poteſt. Et ut per nimietatem aeſtus ſolis terra ſcinditur, & per incongruentem pluviam germen utiliter non exurgit, ſed per rectam conjunctionem caloris & humoris terra quaeque utilia germinat, ita etiam & per juſtam temperantiam omnia
Diabolus indiſcretus. opera coeleſtium & terreſtrium diſcrete & bene ordinantur, & perficiuntur. Hanc autem diſcretionem illi cum quibus coelum illuminatum eſt dilexerunt, & adhuc diligunt; ſed diabolus eam habere noluit, nec habere vult, quoniam vel in nimiam altitudinem, vel in nimiam profunditatem tendit, unde cadens non reſurget.

V. IV. *Quod ſicut nigredo cerebri calore & humore coagulata flecma vel livorem corpori hominis diffundit, ſic & niger ignis, qui in ſecundo circulo eſt, tempeſtates & fulgura mundo inducat, & in hunc etiam modum anima elatione & caro concupiſcentiis corrupta, diverſa ad invicem altera alteri reſiſtendo certamina habeant.*

XXVIII. Sed & cerebrum quandam nigredinem ſuperius habet, quia anhelitus hominis humidus exiſtens humiditatem illam ſurſum mittit, quae in fine ſuo ubi ultra non procedit, nigredinem facit, & nigredo haec ardori reſiſtit, ne idem cerebrum in fervorem erumpat, velut etiam niger ignis lucidum ignem retinet, ne terminum ſuum tranſeat, eademque nigredo cerebri flecma & livorem reliquo corpori immittit, quemadmodum & niger ignis ille tempeſtates, tonitrua, & grandinem multotiens ſuper terram producit. Illo modo anima cum ſcientiam ſuam in favore elationis ſurſum extendit, per illum eam quaſi ſuperius denigrat, quoniam ſuſpiria hominis ibi in elationem extenta puritate verae lucis carent. Unde etiam & ipſa turbulentia ſuperbiae fortitudini hoc modo repugnat, quod eadem fortitudo calore coeleſtium deſideriorum eamdem ſcientiam non excitat, ſicut & vindicta Dei, quae peccata hominum paulatim examinat, potentiam ejus multotiens retinet, ne peccantem hominem omnino conterat. Et tenebroſitas ejuſdem ſcientiae concupiſcentiam & temeritatem peccatorum negligenti homini ſaepius infert, quia ſupernum judicium non inſpicit, ut etiam idem judicium in vindicta diverſos exceſſus delinquentium conterit. Anima utique quoniam amplexionem dilectionis ad corpus cum quo operatur habet, ſaepe illi conſentit, & cum iterum nigredinem conſenſus iſtius in ignea rationalitate agnoverit, carnem per poenitentiam ſe affligere facit, & iterum illam confortat, ne homo in ſenſibus ſuis deficiat. In corpore namque hominis anima manet, ſecundum quod illud in humoribus ſuis invenit, ut etiam apis favum cum melle in vaſe ſuo operatur, nunc ſcilicet purum, nunc autem turbidum. Quando enim anima cum ignea rationalitate ſurſum hoc modo aſcendit, ut corpus aſcenſum illum tolerare non poſſit, tunc iterum deſcendit, & corpus confortat, quia caro velut terra fragilis eſt, & ſic anima & corpus diverſa certamina inter ſe habent, quoniam homo lucida & tenebroſa opera cum anima & carne operatur.

Quod ita cerebro totum corpus hominis quemadmodum ſole qui medius planetarum eſt ſuperiora & inferiora roborentur, & de eo quod tribus partibus mundi a ſole illuſtratis, quartam Deus tenebroſam & frigidam reliquerit, & myſtica horum ratio ſecundum interiorem hominem.

XXIX. Et ſicut praefatum eſt per vires cerebri totum corpus hominis retinetur, quemadmodum & per ſolem ſuperiora & inferiora roborantur. Sol namque in ſuperiora & ſubteriora lucet, totumque firmamentum excepta plaga aquilonis circuit. Cum enim Deus totam terram cum creaturis roboravit, unum locum vacuum dimiſit, quatenus creatura cognoſceret, quae & qualis claritas Dei eſſet, quoniam per tenebras lux honoratur, & lucidae parti tenebroſa pars miniſtrat, vacuus locus exiſtens, quia lucifer illum elegit quando Domino ſuo aequari voluit. Sol quoque in oriente oritur, & in meridie in ardore ſuo magis & magis fortior eſt; ſed poſt meridiem in occaſum ſe declinat, & ſic curſum ſuum uſque in mane perficit. Et quia in partem aquilonis non procedit, ideo in mane & circa veſperam frigiditas in terra eſt. Ego autem qui ſine initio ſum ignis ſum, per quem omnia luminaria accenduntur, lux quae tenebras obtegit, nec tenebrae lucem comprachendere valent. Itaque lux tenebris ſe non ad-

Digitized by Google

P. I. miſcet, nec tenebrae ad lucem tranſire poſſunt. Sicut enim homo in bona ſcientia, quae lumen veritatis exiſtit a Deo conſtitutus eſt, & ut in mala ſeiencia, quae vacuum locum habet, in quo nulla conſtitutio meritorum aut præmiorum eſt ad malum declinat, ſic etiam in homine cœlum & terra, lux & tenebrae ſignantur. Per ſcientiam utique omnia opera hominis reguntur, ut etiam per ſpiritum fortitudinis caeterae virtutes continentur, quia idem ſpiritus, & in ſpiritalibus & in ſaecularibus cauſis viget, hominemque ab inſidiis antiqui ſerpentis defendit, qui vacuus ab omni felicitate, claritatem Dei demonſtrat, ut per malum id quod bonum eſt cognoſcatur, quoniam ſervus Domino ſuo ſubjectus eſſe debet. Fortitudo enim in inceptione & in actione bonorum operum robuſta exiſtens, poſt completionem eorum in illo mala devitat, & ſic ad initium ſuum recurrit, nec malum appetit, quia tam in initio quam in fine perverſitatis calor ſpiritus ſancti non adeſt, ſed torpor & negligentia hominem ad nociva pertrahens. Sed ille qui ſine principio eſt lumen hoc exiſtit, quod omnia lucentia incendit, & omnes adverſitates tenebrarum depellit quoniam ab ipſis exterminari non valet. Et ut fidelis homo a Deo regitur, & ſicut perverſus ab eo alienatur, ita & in homine quaelibet elementa ordinate diſtincta ſunt. Anima quoque velut ignis apparet, ſed rationalitas in ipſa quaſi lumen eſt, & rationalitate quae lucida eſt, hoc modo perfunditur, quemadmodum mundus ſole illuminatur, quia per rationalitatem omnia opera quae in homine operatur, praevidet, & cognoſcit. Homo quippe guſtum & deſiderium in ſe habet, atque per haec duo ſanguis in venis ipſius cum calore medullarum movetur, & ſic idem homo operatur, quemadmodum rota curſum ſuum peragit, cum ad currendum impellitur, quoniam corpus guſtum & deſiderium habens animam hac & illac impellit, itant ſecundum eoſdem impulſus illa greſſus ſuos multoties dirigat.

In homine omnia ſignantur.

Quid ſignificet in actibus hominis ortus vel occaſus ſolis, & quid nunc nubibus vel nimietate tempeſtatum occultatus non apparet, nunc his abſterſis lumen ſuum terris reſtituit.

XXX. Sol etiam nigra nube obſcuratus, atque fulgure & tonitru, & nimietate pluviarum obrutus non apparet, ſed illis omnibus ceſſantibus iterum lumen ſuum effundit, in hoc animam hominis demonſtrans, quia cum illa per corpus ita premitur, ut ſecundum concupiſcentiam carnis operetur, rationalitatis lumen in ipſa obnubilatur, quoniam ira ſicut fulgor, & avaritia velut tonitrus, & illicita carnis deſideria, quemadmodum nimietates pluviarum ſunt. Sed cum deinde per pœnitentiam ab his ſe purgaverit, iterum in claritate veri luminis illuſtratur, ſperando quod liberari & ſalvari poſſit. Rationalitatem itaque anima expirat, velut ignis ſcintillas emittit, & per eam cœleſtia, & terreſtria diſcernit. Quapropter etiam ſi corpus per eam ita ſuperatur, ut juſta & bona opera operetur, de aeterna vita gaudebit, vel ſi hoc modo per corpus opprimitur, quatenus bona negligens id quod malum eſt faciat, ſemetipſam tartareis locis immittit. Diabolum quoque repudiat, qui Deo ſimilis eſſe voluit, & per hoc a parte aquilonis ſeparatur, quod ſive bonum ſive malum operetur, Deum ſe non nominat, ſed a Deo creaturam per rationalitatem cognoſcit. Ipſa quoque terrenum vas ſuum multotiens docet, ut opera, quae coeleſtia ſunt faciat, iterum concupiſcentiis carnis conſentit, de quibus ſe iterum extorquens vas ſuum affligit, cum ad officia ſua aſcendit, omnia mala in eodem vaſe ſuo per pœnitentiam excribrans, ſicut hordeum a tritico ejicitur. Haec animae opera ſunt, quoniam quando illa bonum operatur, eſt quaſi ſol cum in meridie ardet, cum autem ad malum anhelat eſt velut ſol cum ad occaſum declinat, ſed cum deinde per poenitentiam reſurgit eſt ut ſol cum a tempeſtatibus ſplendorem ſuum avertit. Sed tamen V. IV.
cum homo per vires animae creſcit venis & medullis ſuis nondum impletis vel roboratis propter teneritudinem corporis ea quae coeleſtia ſunt nondum cognoſcere poteſt, nec etiam pœnas infernales diſcernere valet, quia corpus ſuum ad perfectionem nondum excoctum eſt; unde etiam anima cum vaſe ſuo tunc vacat, quoniam idem homo timorem tunc non habet, quemadmodum & homines in prima ætate mundi timore legis carebant. In plena vero ætate hominis anima cum corpore roboratur, illudque bona opera facere cogit; ſed corpus a voluntate ipſius declinat, vires ſuas ſecundum concupiſcentias carnis exercens, & hoc quamdiu vivit facere ſatagit, niſi per poenitentiam viribus animae refrenetur.

Quia frons inter cerebrum & oculos conſiſtens, ita infirmitates, quæ de cerebro & ſtomacho naſcuntur colligit, quemadmodum luna ea quæ de ſuperioribus deſcendunt, & de inferioribus aſcendunt recepit, & quod oculi albugine pupillis in humore ſuo purum ætherem ſtellas & vaporem de ſubjacentibus aquis aſcendentem inſinuent, & multiplex horum in qualitatibus animi conſideratio.

XXXI. Ut autem prædictum eſt a fronte uſque ad extremitatem naſi puro æthere deſignato, frons inter cerebrum & oculos exiſtens conſtitutionem cerebri & oculorum ſuſtinet, & infirmitatem, quæ de cerebro & ſtomacho naſcitur in ſe continet, velut etiam luna ſub ſole ſtellis circumdata, ea quæ de ſuperioribus deſcendunt, & quæ de inferioribus aſcendunt, multoties recipit. Oculi enim qui plurima conſpiciunt, ſtellas firmamenti, quae undique lucent, oſtendunt. Nam albugo eorum puritatem aetheris, claritas quoque ipſorum ſplendorem illius, pupilla vero ſtellas, quae in eodem æthere ſunt, deſignat; humor vero eorum, humorem quo idem æther a ſubterioribus aquis humectatur, ne a ſuperiori igne lædatur, demonſtrat. Hoc itaque eſt, quod inter ſcientiam & circumſpectionem anima in vera pœnitentia locata, vas ſuum per gratiam Dei ad pœnitentiam impellit. Verecundia quoque inter ſcientiam & circumſpectionem degens, viam illarum notat, quia recte incedit, eum pudicitiam amat, atque noxia quæque in ſe occultando ad nihilum redigit, ne in palam prorumpant, ſicut & timor Domini fortitudine cæleſtium virtutum vallatus, æterna & caduca in ſemetipſo bene moderatur. Circumſpectio namque qua fidelis homo quælibet bona ſibi prævidet, ardens deſiderium ipſius quod ad ſuperna habet demonſtrat. Conſideratio enim circumſpectionis, qua homo ea diligenter conſiderat, quæ animæ ſuæ utilia videt, ſinceritatem veræ pœnitentiæ appetit, perſpicacia autem ejuſdem conſiderationis decorem ipſius pœnitentiæ diligit, cum homo a peccatis ſe purgatum aſpicit. Intentio quoque ejus quæ quaſi pupilla oculi eſt, ardentia & lucentia opera quæ in illa ſunt clarificat, ſed indulgentia peccatorum, gemitus & ſuſpiria, quibus poenitentia humore lacrymarum diſcutitur, ne potentiali judicio Dei feriatur, exornat. Anima etenim undique circumſpicit, unumquodque opus incipiens & operans, quoniam ignea eſt, & cum aere ſpirat, atque cum ſcientia & rationalitate omnia peragit, & diſcernit. Nam anima in corpore roborata fortiter operari incipit, & hoc facere deſiderat: ſed quamplurimæ infirmitates carnis videlicet in medullis in ſanguine, & in ſtomacho ei occurrunt. Ex calore namque medullæ ſanguis hominis æſtuat, & ex pondere eiborum ſtomachi ſanguis ardet, iſtæque infirmitates viribus animæ quoddam obſtaculum ſunt, quia de ardore carnis inceſtus quem ſathan doloſe texuit pullulat, atque ad animam de terrenis aſcendit, illique proponit, quia homo caro ſit, & eum ſecundum carnem vivere oporteat. Unde & ipſa per corpus quod deorſum eſt, multoties cogitur mala cum illo operari. Opera quippe animæ cum mobi-

Nota pulchra de oculis hominis.

Digitized by Google

P. I. mobili corpore ſunt, quemadmodum luna ſtellis circumdata eſt, ipſaque anima per ſcientiam artificioſa cum reliqua creatura eſt, itaut opera artis ejus ſive de ſuperioribus ſive de inferioribus ſint, in vaſe ſuo videantur & cognoſcantur, velut ſtellæ aut lucidæ aut obſcuræ in firmamento lucent. Candida etiam ſcientia quaſi albugo oculorum in homine apparet, intellectuſque velut claritas eorum in eo fulget, & rationalitas quemadmodum pupilla ipſorum in eo lucet. Quapropter etiam homo ſic ad cœleſtia tendere gemendo & flendo cogitur, ubi ſe indignum præmio æternæ remunerationis æſtimat, quoniam multis peccatis ſe oneratum novit, ideoque ut pœnas judicii tantum evadat, contendit.

Quibus ex cauſis & lacrymæ de humoribus corporis collectæ ab oculis, & pluviæ ab aquis inferioribus furſum tractæ e nubibus defluant, & diligens horum ſecundum affectiones animæ expreſſio.

XXXII. Et cum homo aut laetitia aut triſtitia in corde ſuo commovetur, venulae cerebri ejus, pectoriſque, & pulmonis ipſius etiam concutiuntur, unde & venulae pectoris & pulmonis humores ſurſum ad venulas cerebri mittunt, illaeque eos ſuſcipientes oculis infundunt. Sicque hominem ad lacrymas perducunt, quemadmodum cum aut in initio augmenti ſeu detrimenti lunae firmamentum per ventos commotum ſtrepitu ſuo mare, aliaſque terrarum aquas concutit, illae fumum & humorem de ſe producunt. Sed nubes ipſos fumum ſcilicet & humorem eſcipientes ad lunam extendunt, quos illa velut ſitiat ebibens iterum ad nubes remittit, pluviamque congruentem illas producere facit, quoniam hoc modo de ſubterioribus aquis quas nubes ſurſum trahunt, iterumque remittunt, pluvia ſuper terram deſcendit. Sic etiam cum anima in homine aliquando, vel ex ſecuritate ſalvationis ſuae gaudet, vel quaſi de preſſura peccatorum ſuorum mœret, ſcientia hominis cum conſcia confeſſione pœnitentiæ per timorem movetur, atque cum his ſuſpirando ſurſum erigitur, operaque illius circumſpiciendo lacrymas ab ipſo educit, eumque plangere facit, quia cum timor Domini hominem concutit, ipſum ſitibunde in gemitibus flere compellit. Unde fit ut cum homo interdum adverſitatem ſaecularium rerum deflet, animum multoties ad appetitum cœleſtium neglectis ſæcularibus retorqueat. Nam cum homo a Deo recedit, & eum in oblivionem ducit, mox anima ejus contremiſcit, unde & omnia membra hominis, quae viribus illius impleta ſunt in alienam viam commoventur, quaſi Deus venerandus & timendus non ſit; ſed illa vaſi ſuo verecundiam & confuſionem peccatorum proponit, illudque ſuſpirare facit, ita ut ſuſpiria haec lacrymas educant. Et ſic de ſuſpiriis & lacrymis illis viriditas pœnitentiae exurgit. Quapropter & ipſe in operibus bonis denuo ſuſcitatus, gravamina peccatorum ſuorum in tanta diligentia & pœnitentia examinat, ut carnes membrorum ſuorum aliquantum exſiccentur, & tanta amaritudo in corde ipſius creſcit, ut intra ſe multoties dicat: Ut quid ad tanta crimina natus ſum? Cum anima mea in Deum peccavi, & cum ea pœnitentiam ago ad Deum ſuſpirando, qui formam Adæ de Virgine dignatus eſt ſuſcipere. Unde & ego confido, quod me non deſpiciat, ſed a peccatis meis abſolvat, & etiam per vultum ſanctae humanitatis ſuae, in vera fide me pœnitentem ſuſcipiat. Tunc anima & corpus in unum ſe conjungunt, & concordes ad Deum anhelant, quoniam animae peccata nequaquam placent, ſed tantum ex ſtupore carnalis concupiſcentiae carni cogitur conſentire, quia ſi delectationem anima ad peccatum haberet, homo in luto peccatorum ſemper ſordeſceret. Nam in peccatis anima non delectatur, quamvis illa cum corpore operetur, ut etiam elementa quae hominem ſuſtinent, ipſum ad peccatum non cogunt, ſed tamen eum per judicium Dei in peccatis dijudicant, in operibus autem bonis ſuavitatem & lenitatem ſuper illum oſtendunt. Et quoties anima cum corpore mala V.IV.
operari cogitur, illud triſtitia replet, quoniam eadem opera ſibimetipſi diſplicent; ſed cum id quod bonum eſt cum corpore perfecerit, idem corpus gaudere facit. Quapropter etiam homo qui bonum operatur, per gratiam Dei ipſo neſciente ab hominibus diligitur, qui aliquando in tantum proficit, ut bona inexplebiliter operari appetat, quemadmodum etiam Angeli vultum Dei inſpiciendo, contemplatione ejus extaediari non poſſunt. Anima quoque ipſius gaudium bonae operationis habens corpori condeſcendit, illudque a peccatis concutit, atque per humilem pœnitentiam ſuſpiria & lacrymas ei immittit, quatenus ad virtutes vireſcat, velut etiam nubes aquas ſurſum trahunt, & iterum remittunt.

Quia ſicut nulla forma viſibilis ſine nomine, ita nec ſine menſura ſit, & quid in interiori homine æqualis exteriorum menſura oculorum ſignificet.

XXXIII. Ut autem nulla forma viſibilis ſine nomine eſt, ſic nulla ſine menſura eſt. Unde etiam ambo oculi hominis aequalem menſuram habent, atque ſpeculativa vaſa eorum in circuitu ſuo aequalia exiſtunt. Deus enim virtutes a vitiis, ſancta quoque opera a peccatis ſeparavit, velut creaturas, quae homini notae ſunt formis & nominibus ſuis ab invicem diſcrevit, ita ut etiam homo in circumſpectione qua ſibi quemadmodum in oculo quaelibet bona praevideat, & etiam in conſideratione bonae intentionis ſuae ſinceram aequalemque diſcretionem habeat, ne ſi in bono modum exceſſerit, in profundum corruat, aut ne ſi in malo nimietatem apprehenderit in deſperatione omnino pereat.

Quia judicium rationalis animæ & bono præmium, & malo pœnam debeat conſtituere, & quod ad comparationem æternæ retributionis nulla pœnitentia ſufficeret, etiam ſi arenam omnem & maris guttas tranſcenderet.

XXXIV. Anima quoque in rationalitate oſtendit, quae & qualia peccata ſint, modumque peccandi & pœnitendi demonſtrat. Ea viribus enim animae homo ad pœnitentiam imbuitur, cum omni ſtudio peccata ſua per pœnitentiam affligit, velut pluvia ignem extinguit; ſed tamen ad comparationem aeternae gloriae, & ineffabilis retributionis via conſiderare poterit, quomodo ſalvandus ſit. Nam ſi pœnitentia hominis ſupra arenam & ſupra aquas maris eſſet, ſalvationem tamen gaudii ſui pro ineffabili gloria aeternae vitae vix conſiderare poſſet. Et o ubi invenitur iſte qui concupiſcentias carnis ſuae non impleat, a peccatis declinando? Scientia namque rationalis animae in duobus modis eſt, quia bonum cognoſcit, & malum ſentit, bono ſcilicet praemium, & malo pœnam conſtituens; atque haec officia animæ ſunt, quibus corpori adeſt multoties operando, ſecundum quod illud expoſtulat. Unde & homo ut dies eſt in bonis, & ut nox in malis.

Quia ſicut homo oculis & cæteris ſenſibus confortatur, & cœlum ſole, luna, & ſtellis, vicaria ſibi luce ſubvenientibus illuſtratur, ita & anima veræ operibus pœnitentiæ illuminetur, & ſuſpiriis vel lacrymis cito a peccatis diluatur.

XXXV. Homo quoque per oculos videt; per naſum odorat, & per os guſtat; ſicut etiam per vim ſolis & lunae a ſummis ſtellis, quae ipſis cum miniſterio aſſiſtunt, quidam radii aliquando in cætera ſydera mittuntur, itaut alterum lumen ab altero excitetur. Anima quippe cum prava & turpia opera videt triſtatur, & cum ea per malum rumorem quaſi per odorem intellexerit ſuſpirat, atque cum ea quaſi per guſtum cum corpore perfecerit, hominem lacrymas effundere facit, illique pœnitentiam immittit per ſcientiam, ſuſpiria per rumorem peccatorum, lacry-

Digitized by Google

P. I. mas autem per effectum eorum. Illuminatrix vero animae pœnitentia eſt, & in ipſa ſuſpiria & lacrymae ſunt, & velociter culpas in homine diluit, in qua ſuſpiria & lacrymae generantur, quae verae pœnitentiæ aſſunt, quemadmodum etiam per ſpiritum fortitudinis & timoris Dei, caeterae virtutes excitatæ, fidelem hominem efficaciter illuminant.

Quod ſicut mento caput & ſuperiora per nubes ſuſtentantur, ſicut etiam oſſa in homine per ignem durantur, & per frigus medullæ coagulantur, & in mundo terra per æſtatem & hyemem ad fructificandum excolitur, ita & mentes fidelium igne Spiritus Sancti & rore compunctionis ad qualibet bona corroborantur, & inertia torporis & negligentia debilitantur.

XXXVI. Ut omnia quæ in capite hominis ſunt per mentum continentur, quali etiam modo cuncta prædicta in ſtatutis locis ſuis per nubes ſuſtentantur, quod deſignat, ut mentes fidelium ſtabilitatem bonorum operum ita arripiant, ut in bonis perſeverantes ad cœleſtia perveniant. Æſtus etiam oſſa & frigus medullam in homine ſignificant, quoniam anima per ignem oſſa coquit, & per frigus quod in vas ſuum trahit medullam coagulat, ſic etiam per aeſtatem, & hyemem tota terra probatur, ita ut fructus ejus per frigus firmamenti ſub terra coaguletur, & per calorem illius ſolvatur. Calor etenim ſolis & humor de aquis in nubibus ita ſe conjungunt & admiſcent, ut per haec omnis fructus in terra regatur & firmetur, quia calor ſolis & humiditas aquarum totam terram quaſi colendo ita fructificant & perficiunt, ſicut tornator vaſa ſua ad perfectum perducit, tanta quoque firmitate in nubibus ad invicem copulantur, ut nequaquam ante noviſſimum diem intrando & exeundo, nec hac nec illac ſe ſpargendo diſſipentur, aut ſeparentur. Et anima in homine per ignem Sancti Spiritus ad qualibet bona roboratur, atque per frigus torporis & negligentiae debilitatur. Ignis quippe fortitudinis & compunctio mentis hominis ſe in invicem admiſcentes bonum fructum in homine proferunt, hominemque in omni utilitate ita confortant, & exornant, ut nequaquam a ſervitio & dilectione Dei ſeparari poſſit. Nam cum homo moleſtiam & taedium peccatorum incurrerit, per eamdem moleſtiam peccata in ipſo ita conſtringuntur velut per denſum fumum ignis deprimitur, ne in viribus ſuis ardeat. Cum enim per vires animae voluptas carnis in mente hominis dirumpitur, mox ſuſpiria ad cœleſtem patriam in eo texuntur, quemadmodum per apem favus cum melle in vaſe ipſius aedificatur, ubi etiam nova & vetera ejuſdem hominis opera ſimul admixta, cum vera humilitate regantur, ne per calorem ſuperbiae combuſta areſcant. Per ignem itaque Spiritus Sancti, & per humiditatem humilitatis fructiferae virtutes in vaſe Spiritus Sancti, in quo ſapientia manſionem ſibi aedificat perficiuntur, itaut idem homo virtutes quae ſereniſſimae coram Deo & angelis ejus ſunt, ad ſe colligat, quaſi in odore omnium aromatum, ubi deinceps non deficiunt.

Item de utilitate ſenſuum in homine & ſyderum in mundo, & quod dolus diaboli, quo Evam decepit, & originale peccatum toti per eam poſteritati transfudit quaſi nebula ſit, quæ de nocivo aere conſurgens terram obtegendo & fructus lædit, & ne claritas diei cernatur viſum præpedit.

XXXVII. Sed & per viſum oculorum, auditus, odoratus, rationalitaſque oris & tactus reguntur & cognoſcuntur, ſic utique ut ſciatur vel quid ſint, vel quomodo ſint, ſicut & per ſolem ac lunam & per ſtellas omnis conſtitutio firmamenti regitur & illuminatur. Homo enim per oculos videt, quae cum ſapientia cognoſcit, eademque per auditum, odoratum, & per guſtum capit. Quae autem in pectore ſuo congregat, ea per ſcientiam ſcit, ſed ea per oculos non videt. Nam & ſerpentinus dolus occultus erat, qui ſe tunc manifeſtavit, cum Evam primo interrogavit, quod ille neſciebat, eamque decepit, quoniam ipſa ſine dolo fuit. Illud initium in primo originali peccato per deceptionem diaboli exortum eſt, ipſumque eſt quaſi nebula quae de nocivo aere ſurgit, totam terram obtegens, ne purus dies inſpici poſſit, & quae opera ſapientiae quaſi dedignando corrodit. Sic quoque dolus nec jocunditatem, nec gaudium habet, nec in ulla parte in quiete eſt. Haec etiam deſignant, quod ad intentionem hominis quilibet ſenſus ipſius declinat, ſicut & virtutes ad correctionem ipſius feſtinant, cum hoc a Deo popoſcerit. Quo enim intentio hominis eum ducit, illuc quoque & ſenſus ſuos dirigit, ſed tamen cogitationes cordis ipſius quam diu in occulto manent neſciuntur. Sic etiam nec Eva cum a diabolo decepta eſt, calliditatem illius novit, quoniam ille ſe totum ita obtexerat, ut dolus ipſius a primo parente videri non poſſet. Unde & omnem mundum in malo evertit, quia nihil boni in ſe habuit. V.IV.

Quod ſupercilia ad munimentum oculis data itinera lunæ deſignent, menſtruis crementis & detrimentis obnoxia, & quod ſecundum hoc anima inter proſpera & adverſa in timore Dei conſtantia & ſecuritas tenenda ſint.

XXXVIII. Supercilia vero hominis itinera lunae declarant, viam ſcilicet alteram, qua ad teſtaurationem ſui ſub ſolem vadit, alteram autem, qua a ſole incenſa recedit. Et ſupercilia defenſio & munimentum oculorum ſunt, velut & luna tutamen & nutrimentum ſtellarum eſt, quia dum a ſole incenſa creſcere incipit, ignem tam a ſtellis quam a ſole recipit, in hoc illis ſubveniens, ne in nimietate ignium ſuperabundent, & dum in detrimento eſt ignes ſuos ſtellis non autem ſoli infundit, quoniam ille velut princeps exiſtens in uno ſtatu ſemper eſt. Hoc quoque modo anima conſtantiam & ſecuritatem in homine ad timorem Domini mittit, quae quaſi via illius ſint, quia dum homo Deum timet, interdum proſperitas, interdum quoque adverſitas ei occurrit, in quibus eum recte incedere oportet, ita ut nec de proſperitate elevetur, nec de adverſitate opprimatur. Unde & cum ſpiritu fortitudinis munitur, ſe robuſtum in omnibus oſtendit. Virtutes enim iſtae protectionem intentioni hominis faciunt, quemadmodum timor Domini fundamentum & ſcutum aliarum virtutum eſt, quoniam cum ipſe fortitudine induitur, caeteras virtutes ad ſe colligit, eaſque & fortitudine & timore munitas oſtendit, ubi hominem cœleſtibus deſideriis tam in adverſitate quam in proſperitate inhaerere facit.

De naſo, ore, auribus quantum in homine valeant, & quid diverſi effectus eorum in exterioris mundi elementis, & in interioribus anima ſignificent, & quod in omnibus exempla ſanctorum ſequenda ſunt.

XXXIX. Sed & a naſo uſque ad guttur, aquoſo aere cum ſibi ſuppoſito forti & albo lucidoque aere praemonſtrato, naſus hominis aerem qui aquas movet ſignificat; os vero in rationalitate humiditatem earum demonſtrat, aures autem ſtrepitum & ſonum ipſarum aquarum manifeſtant, quae per ventum aquoſi aeris, & per elevationem nubium convenienter inundant. Nam auditu auris interiora hominis concutiuntur, ſicut & ſono ſuperiorum aquarum elementa penetrantur, & humore os rationalitatis perfunditur, velut humiditate earumdem aquarum ſuperiore humectantur, ne ariditate conſumantur, atque odore nares replentur, ſicut & aere eaedem aquae commoventur. Quod autem naſus ſurſum ad ſuperiora in longitudine tendit, hoc eſt quod aer iſte qui aquoſus eſt in puritatem ſuperioris aetheris, & in ardorem ſuperioris ignis, humores ſuos tranſmittit, &

Digitized by Google

P. I. ab eis temperamentum fortitudinis ne diffluendo diſſipentur aut diſſolvantur recipit. Per naſum quoque cere.rum & venae purgantur, quia etiam eadem elementa interdum commota, humore & fumo in ſuperioribus multoties expurgantur. Purus enim aether humiditate aquoſi aeris ut praefatum eſt, perfunditur, quemadmodum poenitentia operibus & exemplis juſtorum illuminatur, & ut auditus aurium verba ſcientiae capit, in qua verba ejus ſonant. Flatus quoque odoris & humiditas rationalitatis oris in unum ſe conjungunt, madidumque humorem habent, & ſicut etiam aqua fluit & ſonat, & humiditate ſua totam terram perfundit, ſimiliter & aquoſus aer ſuperiora elementa humectat. Spiramen etiam animae rectum iter per naſum & per os habet, quod extra terminum ſuum nec aſcendit nec deſcendit, ſicut & idem aquoſus aer itinera ſua ut poſitus eſt tenet. Haec etiam deſignant, quod anima dono Dei in homine tacta, cum diſcretivo intellectu boni odoris intente guſtat exempla juſtorum, quae illi verborum viriditate auditus aliorum infuderat, interna condit concutit, quatenus gratia Spiritus Sancti perfuſa, odorem virtutum omni deſiderio retineant. Quapropter & temperantia odorem beatitudinis recipiens & conſiderans opera fidelium, quae tam bonis inſiſtendo, quam a malis per pœnitentiam deſiſtendo perficiunt, potentiae Dei committit, ne per immoderationem diſſolvantur, quia per temperantiam boni odoris ſcientia hominis purgata, ipſum in bonis ubique robuſtum reddit. Poenitentia quippe veris gemitibus multoties ſublevatur, ubi vera & ſancta verba aedificatione fidelium proferuntur. Virtus enim rectae moderationis in his eſſe debet, quatenus omnia opera ſua homo bene diſponat, & ſe ad coeleſtia juſto intuitu ita attollat, ne modum ſuum excedat. Et ut in aquoſo aere quidam ſufflatus eſt, qui cum humiditate roris ſuper terram deſcendens, viriditatem & ariditatem fructuum temperat; in æſtate ſcilicet viriditatem, in hyeme vero ariditatem, & ut per ſufflatum iſtum fructus terrae vires recipiunt, ita & per os hominis totus homo paſcitur, & ſicut per ſplendorem ſolis mundus illuſtrator, ita etiam per eumdem ſufflatum omnia ſuperiora ſpiramina temperantur & producuntur. Similiter per exempla juſtorum compunctio in fideli homine aliquando exoritur, quae illi viriditatem bonorum operum, & ariditatem malorum infert, videlicet cum quaſi in æſtate bona appetit, & cum velut in hyeme mala contemnit. Hoc modo in his juſtitiae fructibus delectatus & paſtus, ut coeleſtibus deſideriis ſemper intendat.

Quod in lingua hominis inundatio aquarum oſtendatur, & quid per eamdem exteriorem fluctuum inundationem in interioribus figuretur.

XL. In lingua vero elevatio aquarum, qua ad inundationem inſtolluntur oſtenditur, quia ut per linguam verba formantur, ita per elevationem ipſae aquae in undas procreantur. Per quod deſignatur quod anima cœleſtibus deſideriis ineſſe deſiderans, vas ſuum ad laudes creatoris ſui impellit, illudque aſſiduas orationes cum devotione mentis proferre facit. Et anima de humiditate movetur, & de igneo ſtrepitu ſonat, atque per hoc quod ignea eſt Deum cognoſcit, & per hoc quod ſpiraculum eſt ad Deum qui ſpiritus eſt anhelat. Quae cum ea quae bona ſunt perficit, juſtum iter habet velut purus aer, qui tenebroſis nubibus caret, cum autem putredinem peccatorum operatur, quaſi inundatio aquarum eſt, quae purum iter aeris evertunt. Sed cum deinde a peccatis ſe amoverit, ſicut in evangelio ſcriptum eſt, de villico, qui peccata relinquendo, & debita minuendo ad miſericordiam ſe convertit, & cum poſt peccata gratiam Dei quaerit, ut eam velut quatriduanum Lazarum exſuſcitet, intima ſuſpiria trahens, & correctionem ſui quaſi firmam ſepem nectens, atque bonis operibus inſiſtens, ne conſuetudini peccatorum iterum appropinquet, poenitentiam ſtabilem velut firmamentum operatur, ne denuo per inceptionem peccandi mala faciat. V. IV.

Quid virtutis vel fortitudinis per dentes qui cavernoſi ſunt, nec medullam habent in nobis exprimatur.

XLI. In dentibus autem retentaculum earumdem aquarum monſtratur, quod ſecundum modum dentium forte & firmum eſt, videlicet fortis, & albus lucidusque aer, qui aquas iſtas continet, ne modum ſuum excedentes diſſolvantur. Per hoc oſtenditur, quod mens hominis cum gratia Dei per animam firmatur, & retinetur, ne per malas cogitationes nimis diffluat; ita ut eas ſibi voluntarie per illicita deſideria attrahat, quae etiam modo per opera peccatorum quaſi tempeſtas, modo per poenitentiam eorum quaſi medicina in homine efficitur. Dentes etenim hominis cavernati non ſunt, nec mollitiem medullae habent, quoniam carne induti non ſunt, ſed per cerebrum atque per omnes conſtitutiones formae hominis, quae ſecundum firmamentum poſitae ſunt coagulantur, & obdurantur, & per calorem & humiditatem capitis in duritiam exurgunt. Haec autem deſignant, quod anima rationalis in aequalitate infinita vita conſiſtens, nec per corporis vegetationem incrementum, nec per ejus defectionem accipit detrimentum, quoniam ſpiraculum ipſa omnipotentis Dei eſt, qui omnes creaturas in praeſcientia ſua ordinatas per verbum ſuum mirabiliter creavit. Anima namque corpus cui per creatoris ſui potentiam inviſibiliter infunditur, viſibiliter movet, ac illud vivificando inviſibilis in eo manet, quemadmodum Deus omnem creaturam, quam ad miniſterium hominis creavit, inviſibili quadam poſſibilitatis ſuae vi ex viriditate terrae, & aeris calore, ſed & aquarum humiditatem firmavit, & eidem animae indumentum ſcilicet corpus naturae ſuae incognitum atque alienum praevidit.

Quare infans cum oſſa habeat ſine dentibus naſcatur, & homines cum in ſenium declinant eoſdem ſaepe dentes amittant, & quid ſecundum iſta demonſtretur.

XLII. Nam infans cum tener eſt & fortitudinem ſanguinis nondum habet dentibus caret, quia etiam frigidus eſt, ſed poſtquam ſanguis in eo roboratur, & calore perfunditur, dentes ejus oriuntur & confortantur. Cum autem ad ſenectutem pervenerit, ſanguis in eo minuitur, & calor in ipſo attenuatur, denteſque ejus iterum pro frigiditate in detrimentum & in commotionem convertuntur. Sic & cum anima primum ex praecepto omnipotentis Dei incorporatur, corpus ſuum quod ex quatuor elementis creatum eſt, igne ſuo tamdiu calefacit, quouſque per praeceptum omnipotentis Dei inde tranſeat. Ipſa etiam anima in infantia hominis propter innocentiam ipſius cum adhuc ſugendo teneris cibis paſcitur, in ipſo multum gaudet, quia nondum peccata, ſicut nec Adam ante praevaricationem pure & ſimpliciter vivendo guſtavit. Sed homo cum per incrementum temporis confortatis oſſibus carnis & ſanguinis ſui robur acceperit, innocentia ceſſat, quoniam guſtus peccatorum in homine tunc ſurgit, anima contra naturam ſuam operando in ipſo depreſſa, & per corpus in peccatis vivendo ſuperata. Et quemadmodum poſt ſolis occaſum ſplendor ipſius hominibus ſubtrahitur, ſic ipſa poſt perpetrationem peccati de amiſſione gaudii, quod prius habuerat gemens & plorans cruciatur. Guſtus namque peccatorum corpus & ſanguinem & omnia viſcera hominis per opus peccatorum contaminat; poſt peracta vero peccata, homo taedio peccatorum ſuorum in dolorem cordis per ſuſpiria animae multoties coactus ducitur.

Quo-

P. I.

Quomodo vel unde dentes in pueris formentur, & quare gravi interim dolore conſtringantur, & horum in nobis ſignificatio.

XLIII. Cum autem infans tener eſt, liquor de cerebro illius ad gengivas deſcendit, & cum caeteris quibuſdam humoribus caverulas in illis facit, in quibus etiam uſque ad praefatam maturitatem latet, velut floſculi per hyemem in ramis arboris latent. Sed cum deinde fortitudo ſanguinis & calor quaſi æſtas in illo exſurrexerit, idem liquor cum aliis humoribus & calore ſanguinis coagulatus, in dentes erumpit, quemadmodum cum calor æſtatis ſupervenerit, floſculi in ramis arborum apparere incipiunt. Infans enim priuſquam dentes in ipſo oriantur gengivis per liquorem cerebri, caeteroſque humores cavatis gravi dolore infirmitatis interim tenetur, qui poſtea puerili aetate tranſacta, in plenitudine ſanguinis ſui conſtitutus, ſanctitate animae per guſtum carnis in eo jam deficiente laſciviam amplectitur, ideoque homo illius aetatis ſub magna cuſtodia timoris habendus eſt. Ita & anima corpori dominatur, dum homo adhuc in dubio poſitus cogitat quid eligere, vel agere velit, vel quid non, quae tamen in corpore ſine mora quaſi captiva ducitur & ligatur, & quando homo guſtu peccati per ferventem ſanguinem coagulato malum committit, ipſa quoque cum corpore ſuo contraria naturae ſuae licet invita operatur. Et quemadmodum calor æſtatis germina terrae & fructus arborum ad maturitatem perducit, ſic homo per fervorem ſanguinis ſui illecebris carnis delectatus, quaelibet vitia prout valet perficere non deſiſtit.

Quod dentes qui cibos, quibus homo alitur comminuunt & circumferunt, ſimilitudinem molendini obtineant, & quemodo anima in interioribus ſuis iſtu imitetur.

XLIV. Dentes quoque qui unumquemque cibum, per cujus vires homo paſcitur comminuunt & circumferunt, in ſimilitudinem molendini poſiti ſunt, quod cum aere aquarum circumferuntur, & cujus lapidis circulus cum calore ardet. Sicut enim homo cibum quo reficitur dentibus ſuis conterendo temperat, ſic etiam anima in ipſo quidquid ipſe ſecundum voluntatem ſuam elegerit, ardenti ſtudio operatur. Ipſa quoque anima per quam homo ſenſum & guſtum ad perficiendum quodlibet opus ſive bonum ſive malum accipit; animo velut molendinum per cogitationes circumeunte illum ardentiſſime inſtigat in modum ignis, qui per ſufflatus ſollium inflammatus fortius ardet. Sic anima etiam in quatuor elementis ex quibus homo creatus eſt, quaecumque vult homo per capacitatem rationalitatis operatur, per deſideria cordis ſui circumferens, ſicut molendinum humana arte conſtrictum per aquas velociſſime circumfertur. Et quemadmodum ad ſervandam circuitus ſui velocitatem per artem hominis convenienter & ſaepe firmatur, ſic animae quamdiu manet in homine per gratiam Dei in bono ſubvenitur, cui tamen alias in malo per ſuggeſtionem diaboli delectatio mala, & conſenſus ingeritur.

Quia per mentum guttur & collum diverſa in corpore habentium officia, & varii in mundo nubium, & multiplices in anima virtutum effectus indicentur.

XLV. Per mentum autem quod quaſi arcus incurvatum dependet, & faciem hominis elevat, & per guttur quod omnem fortitudinem refectionis recipit, & ventri temperate immittit, & per collum quod etiam totum caput fortitudine ſua ſuſtentat diverſitas nubium deſignatur, quarum quaedam pluviis gravatae, aliquantulum ſe deorſum inclinant, in ſerenitate vero velut hilaritatem ſuperiorum demonſtrant. Quaedam etiam cum virtute aeris terram tangentes, illam hoc modo contemperant, ut plenitudinem fructuum ad utilitatem reliquarum creaturarum proferat; quaedam etiam quemadmodum columna omnem volubilitatem firmamenti ferendo conglutinant. Homo namque fiducialem ſpem per animam ad Deum extendens, cum duobus oculis rationalitatis ſcilicet ſcientia boni & mali coeleſtem patriam & poenas inferni cognoſcit, quia facie ſua quae per mentum elevatur, quamlibet rem viſibilem conſpicit, & qualis illa ſit per intellectum conſiderat. Sicut enim homo per animam quaeque diſcernit, ita ea diſponit, ut coram Deo & hominibus honeſte fiant, ſicut etiam guttur cibum quem recipit ventri pro confortatione temperate tranſmittit, quatenus homine per veram & puram fidem hoc modo confortato, ipſa ad regalem ſedem veri Salomonis, qui Chriſtus eſt, digne valeat aſpicere. Fides enim cogitationes omnes, qui ex peccato in homine ſurgunt diſſipat, cogitationes autem quae ex ipſa in ſimplici veritate procedunt, per ſuſpiria animae ad verum regem dirigit. Ipſa quoque fortis & vera virtus caeteras virtutes ut collum caput ſuſtentat, & velut nubes volubilitatem firmamenti in modum columnae ſuſtinent, ſic omnia bona & ſancta opera, quae caeleſtem Hieruſalem aedificant, per bonam perſeverantiam in hominibus conſervat. Infideles autem qui fide poſtpoſita omnia opera ſua per infidelitatem male operantur, coram Deo indigni ſicut cibus digeſtus cum fœtore emittitur, ſic poenis infernalibus nec immerito deputantur. V. IV.

Quod per crines, qui caput decenter ornant exterius roris vel pluviarum guttae, quibus terra fecundata graminum vel fructuum decore veſtitur, & interius innocentiae & caſtitatis & humilitatis cultus, quo ante Deum fulget anima demonſtrentur.

XLVI. Sed crines de capite dependentes guttas pluviarum oſtendunt, quae per nubes ſingulariter deſcendunt, & totam terram rigando per viriditatem ad fructuoſitatem perducunt. Similiter anima, quae in mortale & deficiens corpus infantis a Deo mittitur, illud viribus ſuis vivificando ſuſcitat. Ipſo quoque in naturali ſimplicitate adhuc perſiſtente, anima quaſi quadam eleganti veſte innocentiae induta valde decoratur, quia quaeque vitia, quae ut tempeſtates ſunt depellit, fructuoſitatem omnium virtutum producens, in modum terrae quae per ſuavem pluviam fructum ſuum germinando profert. Innocentia enim regina eſt circumamicta aurea veſte, per quam caſtitas intelligitur, cujus virtutes ſicut pluvia multiplicantur, & ejuſdem caſtitatis caput humilitas eſt. Hae duae virtutes ſibi in homine ſociatae caelum laudibus reſonare faciunt, & terram exemplis ſanctarum virtutum replent. *De caſtitate innocentia, & humilitate.*

Unde fiat, quod in quorumdam hominum capitibus capilli fortitudinem ſuam tenentes non eradicentur, & in quorumdam capitibus infirmati per calvitiem defluant, & quod ſecundum iſtu tam fertilitas quam ſterilitas, & fructuum in terra exterius, & virtutum in anima interius denotetur.

XLVII. Quod autem crines in quorumdam hominum capitibus fortitudinem ſuam ſuperius non evulſi retinent, ita ut non eradicentur; hoc in illis eſt, quorum caro ex humoribus humida exiſtit, quoniam iſti capillos nutriunt, quemadmodum & terra irrigua multitudinem graminis producit. Per hoc oſtenditur, quod anima per vires ſuas fructuoſas virtutes bonorum operum in illis hominibus operatur, qui devotis mentibus verba Dei libenter audientes per igneam inſpirationem ſpiritus ſancti humiditatem lacrymarum in ſuſpiriis, & deſiderio caeleſtium ſaepe producunt. Iſtorum ſancta intentio quaſi in pinguedine bonae terrae fructuoſorum operum fructus cum gau- *Abundantia capillis.* *Devote audientes verbum Dei.*

Digitized by Google

P. I.

gaudio profert, ita ut anima in bonis operibus corpore ſibi conſentiente, in Chriſto jam exultando gaudeat, ejuſque caritatis dulcedine veraciter firmata in beata perſeverantia ita perſiſtat, ut jam nulla vagatione ſpiritalium vel carnalium vitiorum deficiendo areſcat. *Calvi.* In quorum vero capitibus capilli evelluntur, ita ut calvi efficiantur, hoc ideo eſt, quia caro eorum ſicca in calore exiſtit, quoniam calor ad verticem ipſorum tranſiens, capillos paulatim & ſingillatim evellit, cum humorem non habent, velut etiam terra humore carens pro aridítate ſua viriditate graminum expers eſt. Sic homines illi qui in tanta duritia oblivionis Dei vivunt, ut nec per admonitionem Spiritus Sancti, nec per doctrinam, vel conſilium fidelium doctorum voluntati animae conſentiant, aridae terrae quae ſine humore eſt, & pro ariditate nullum fructum profert aſſimilantur, quoniam omnia opera ſua ſecundum voluntatem deſiderii ſui, & non ſecundum naturam animae conſtituunt. Unde etiam multiplici viciſſitudine peccatorum oppreſſi, nulla ſpe beatitudinis ad caeleſtia tendunt, nec in terrenis adjutorio alienjus utilitatis hominibus prodeſſe cupiunt. *Diſcretio mater virtutum.* Illi namque homines igne ſpiritus ſancti non calentes, diſcretione quæ mater virtutum eſt carent, ita ut propter inconſtantiam morum ſuorum, quod prius placuit, modo diſpliceat, ideoque ſtabilitate ſanctarum virtutum privantur, quemadmodum caput crinibus ſuis deſtituitur.

Quid in diverſis effectibus animæ deſignet poſitio hominis in facie orientem retrorſum occidentem, dextrorſum auſtrum, & ſiniſtrorſum aquilonem habentis.

XLVIII. Homo itaque ad orientem verſus & velut occidens ad orientem reſpiciens, brachiaque ſua extendens, quemadmodum auſter & ſeptemtrio ab invicem ſeparati ſunt, brachium ſuum dextrum ad auſtrum, ſiniſtrum vero ad ſeptemtrionem dirigit. Hoc modo & anima cum viribus ſuis & quatuor elementis per ſcientiam boni & mali operando in homine volat, per ſcientiam boni ad orientem, & per ſcientiam mali ad occidentem reſpiciens; itaut homo ſcientia boni per ignem qui Deus eſt accenſus in perfectione ſanctiſſimorum operum cum auſtro volet, in effectu vero malorum operum in poenis aquilonis ſecundum quod peccaverit puniatur. Ipſa enim anima, quæ corpus ſenſibile reddit hominem in viribus ſuis frigidum aut calidum facit, itaut per ipſam calorem auſtri, & frigus aquilonis ſentiat, quod in ſtatu hominis probari poteſt, quem ipſe ſecundum quod voluerit ſive calidum ſive frigidum emittit. Homo etiam in creatura, quam per viſum diſcernit, ſecundum quod caro deſiderat bonum vel malum cum anima operatur, ipſaque anima in timore & amore Dei bonum quaſi in dextera parte facit. Unde & mala ſcientia per bonam auxilio gratiæ Dei in homine ſuperatur, ſicut etiam ſiniſtra manus per dexteram quæ majoris fortitudinis eſt premitur. Anima enim quae ſpiramen a Deo eſt, in corpore inviſibiliter manens, illud ad quodlibet opus movendo non viſa ſed virtute rationalitatis agnoſcitur, quemadmodum & ventus non per viſum, ſed per ſonum & motum in ſtatu ſuo ſentitur, ſed tamen quid iſta ſint, humana ſcientia nec comprehendere, nec intelligere valet.

Quia ſicut collo humeri & brachia cum manibus, ſic firmamento quatuor principales venti cum collateralibus ſuis inhaereant, & quomodo iiſdem quatuor ventis, quatuor vires in homine, ſcilicet cogitatio, locutio, intentio, & gemitus aſſimilentur, & quid ſignificet quod in dextra, quam in ſiniſtra, vis major ſit.

XLIX. Ut collo ſcapulae & humeri cum brachiis & manibus adhaerent, ſic & quatuor principales venti cum collateralibus ſuis firmamento conjuncti ſunt, & flexuræ brachii, humerus cum ſcapula, manus cum digitis ſubveniunt, ſicut & iidem principales venti cum alis ſuis idest cum collateralibus ventis firmamentum ſuſtentant, & manus ad manum conjungitur, ut & ala cujuſque ad alam alterius extenditur. Hæc autem deſignant, quod anima quae per vitam, quae Deus eſt vita exiſtit, & ſpiraculum de Spiritu Dei finem vivendi ut humanum corpus non habet, corpus viribus ſuis vivificat & ſuſtentat, velut ſydera firmamentum cum puncto ſuo quod terra eſt, quam in medio firmamenti verbum Dei conſtituens immobilem firmavit & illuminavit. Siquidem anima quae a Deo miſſa in corpus inviſibiliter & occulte deſcendit, hominem Deum per fidem cognoſcere, caelum reſpicere, & caeleſtia operari facit. Et ſicut ros inviſibiliter ſuper gramen cadens, illud fructiferum reddit, ſic Deus hominem, qui ſpem ſuam in ipſo conſtituit, toto corpore ad caelum erigit, & terram videlicet carnis deſideria pedibus calcat, ad fructus bonorum operum perferendos, occulta dulcedine gratiae ſuæ miſericorditer irrigat, contraria vero opera aeternis gehennae ſuppliciis damnat. Homo namque omnia opera ſua bona vel mala cum quatuor elementis operatur in modum quatuor ventorum, qui in ſuperioribus partibus aeris vires ſuas exercent, & tamen flatus ſuos interdum in ſordes & in immunditias luti deponunt. Quatuor enim principalibus ventis, quatuor vires in homine, ſcilicet cogitatio, locutio, intentio, & gemitus aſſimilantur. Et ſicut unuſquiſque eorum flatus ſuos dextrorſum & ſiniſtrorſum mittendi poteſtatem habet; ſic anima his quatuor ſtipata viribus per naturalem ſcientiam in quam partem voluerit, ſive bonum, ſive malum eligendo, declinare poteſt. Auſtralis enim ventus duos collaterales ventos quaſi duas alas habet, quarum altera verſus orientem calida eſt, quae bonas & ſanctas cogitationes, quae per ignem Spiritus Sancti ſtudio piae intentionis accenduntur, ſignificat. Altera vero verſus occidentem frigida eſt, quae pravas & inutiles cogitationes in igne Spiritus Sancti non calentes, ſed frigidas & opera prava deſignat. Igneum quoque ſpiraculum quod anima rationalis eſt, quae opera carnis & ſanguinis, quibus homo delectatur, ſentit, licet ad caeleſtia naturaliter ſuſpiret; corpori tamen vires & calorem in immundiſſimo foetore peccatorum etiam ſubminiſtrat, quemadmodum ſol foetentem putredinem immundiſſimorum vermium, radiis ſuis calefacit. Sed ſeptemtrionalis ventus omnibus creaturis inutilis eſt, qui etiam duas alas habet, quarum altera ad orientem, altera ad occidentem extenditur, quae ſcientiam boni & mali in homine deſignant, per quam ipſe quaeque utilia & inutilia in animo ſuo velut in ſpeculo conſiderat, ſicut terra per firmamentum ſuperius & inferius regitur. Orientalis autem venti ala, quae ad auſtrum tendit, demonſtrat hominem qui per bona opera ad Deum in amplexione verae caritatis aſcendit; ala vero quae ad aquilonem reſpicit, hominem carnis voluptatibus ſordidatum ſignificat. Et ſicut ii duo collaterales venti orientali vento quaſi duae alae juncti ſunt, ſic animae bonum & malum, bonum in gaudio & laetitia per quae tamquam ſol in virtute ſua coram Deo lucet, malum per quod opera bona & ſancta nigredine peccatorum, velut claritas ſolis tenebroſis nubibus obſcuratur. Homo namque per bonam intentionem animae ſuae poenas quas in aquilone eſſe cognoſcit, valde timet, quamvis corpus delectationibus peccatorum aſſuefactum, animam multoties premat. *Bona intentio animæ duas alas habet.* Sed & haec intentio animae duas alas habet, quarum altera timor Dei eſt, qui per admonitionem Spiritus Sancti in homine accenditur, altera vero abrenunciatio peccatorum, quae poſtea timore Dei poſtpoſito homo ſaepiſſime repetit. Occidentalis ventus etiam duas alas habet, quarum altera ad auſtrum, & altera ad aquilonem extenditur, quae ſignificant, quod homo bonum ſentit, & per bonum malum ſcit. Et dextera ala oſtendit, quod ani-

V. IV.

Digitized by Google

P. I. anima deſiderium & ſuſpirium ad bona opera habet, ſiniſtra autem ſcuritatem hominis, cum qua mala perpetrat, quae ex debito originalis peccati contraxit.

Quia anima per ſpiritum Dei in corpus miſſa viribus ſuis illud totum perfundat, quemadmodum flatus ventorum mundum omnem percurrit.

L. Sed & anima per totum corpus diffunditur, ſicut & ventoſitas eorundem ventorum per totum firmamentum diſcurrit. Anima enim quæ per ſpiritum Dei in corpus miſſa eſt, viribus ſuis illud totum perfundit, & quemadmodum flatus ventorum in firmamento diſcurrunt, ſic ipſa hominem Deum ardentiſſime diligere, & ſanctiſſimas virtutes mellifluum ſaporem habentes operari facit, quia eloquia Domini ſuper mel & favum ori ejus dulceſcunt. Sicque anima firmamentum ſcilicet corpus ſuum, in comparabili ornamento virtutum, & ſuaviſſimo decore ſanctorum operum diligentiſſime perfundit.

Quia ſicut homo brachiis & cruribus regitur & ſuſtentatur, ita & venti alii aliis in confortationem firmamenti ſubveniunt, & quid vel iſta, vel etiam eorumdem ventorum placidus flatus, aut turbulentus diſcurſus in anima figurent.

LI. Nam & homo cum brachiis & cruribus ſuis totum ſe regit & ſuſtentat, & ventoſus eſt, quemadmodum quatuor principales venti cum collateralibus ſuis omne firmamentum in illud poſiti tenent, & ut unuſquiſque eorum ad confortationem firmamenti aliis ſubvenit. Haec deſignant, quod anima quatuor alis ſcilicet cum ſenſualitate, intellectu, & ſcientia boni & mali in homine volat. Cum ſenſualitate namque ſecundum guſtum carnis in homine operatur, per intellectum vero opera ſua diſcernit, ſi Deo aut hominibus placeant. Per duas etiam alas ſcientiae videlicet boni & mali homo omne opus in anima perficit, quarum diverſitate qualis ſit innoteſcit, quia ſalvationem per animam a Deo, per carnem vero honorem ab hominibus expetit. Et ſic interdum per ſcientiam boni in cœlum aſcendit, interdum etiam per ſcientiam mali in terram proſternitur. Sed cum homo aliquando gratia Spiritus Sancti intrinſecus tactus, pondere peccatorum ſuorum in anima ſe gravari ſenſerit, de pravis operibus pœnitentiam agens, ad Deum ſuſpirat, & quemadmodum venti modo in aura placida, modo in tempeſtate magna in firmamento diſcurrunt, ſic homo vel cum bono vel cum malo ſemper occupatus eſt.

Quomodo in flexuris brachiorum & in juncturis ſcapularum, vel manuum reflexiones ventorum determinandæ ſint, & quod ſicut dextera & ſiniſtra firmamentumque & terra ſibi in aliquibus cooperantur, ſic & homo per ſcientiam boni & mali licet contraria omnia opera ſua perficiat.

LII. In flexura etenim ſiniſtri brachii principalis ventus orientalis deſignatur, in flexura autem, & in junctura ubi manus eidem brachio conjungitur, collaterales venti illius oſtenduntur, in ſcapula quoque & in manu illius flatus eorumdem collateralium ventorum manifeſtantur. In flexura vero dextri brachii principalis auſtralis ventus demonſtratur; in humero vero atque in junctura, qua manus ipſi brachio coadunatur, collaterales etiam hujus venti declarantur; ſed & in ſcapula & in manu ejuſdem brachii, ſpiramina ipſorum collateralium ventorum notantur. Hoc eſt quod anima in membris hominis ſimilitudinem venti tenens, quodlibet illorum flecti & moveri naturaliter facit, & homo etiam ſecundum guſtum carnis cum ipſa operatur. Quapropter ipſa de peccato excuſare ſe non poteſt, quoniam homo per ardorem libidinis ſicut lac coagulatus & conceptus eſt, & in dextra parte bonum, in ſiniſtra autem malum per animam operatur, & ut quiſque ventus alteri,

ſic anima corpori adjungitur. Homo quoque in bona ſcientia ad Deum tendit, in mala vero ſcientia, quae bonae velut ancilla Dominae ſubdita eſt, ad malum ſe inclinat, & ſicut domina per ancillam ſaepius offenditur, ſimiliter & bona ſcientia a mala interdum ſuperatur. Quemadmodum etiam manus ad operandum ſibi conjunguntur, & ut firmamentum & terra licet a ſe invicem plurimum diſtent, aliqua ſocietate concordant; ſic homo per has diſſimiles ſcientias, quas in ſe habet, qualibet opera ſua perficit. V. IV.

De tripertita dimenſione humani corporis, & ſpiſſitudinis ſperæ mundi, & qualiter vita hominis ſecundum pueritiam, adoleſcentiam & ſenectutem eidem dimenſioni conveniat.

LIII. Et a vertice capitis hominis uſque ad finem gutturis ejus, & ab eodem fine gutturis uſque ad umbilicum ipſius, & ab umbilico uſque ad locum egeſtionis aequalis menſura eſt; quemadmodum etiam a ſummitate firmamenti uſque ad inferiorem partem nubium, & ut ab eadem inferiori parte nubium uſque ad ſummitatem terrae, & ut ab eadem ſummitate terrae uſque ad infimum finem ipſius aequalis menſura exiſtit. Anima namque a primo die nativitatis uſque ad ultimum diem vitae hominis ſecundum quod pueritia, adoleſcentia, & ſenectus requirunt operatur. In pueritia ſcilicet per innocentiam, in adoleſcentia per guſtum carnis, quem peccata criminalia ſaepius ſequuntur; in ſenectute autem taedium operandi habet; quapropter operibus ſuis qualiacumque ſint finem cito imponere contendit. Sicut enim ſummus artifex firmamentum cum parietibus ſuis aequali menſura conſtituit, ſic anima, quae in corpore operatur, a principio operis ſui uſque in finem aequalem poſſibilitatem operandi cum ſcientia boni & mali habet, quarum neutra ſine altera operatur.

Quia ſuperior pars terræ tenera, mollis & perforabilis; inferior vero tenax, dura, & impenetrabilis ſit, & quid ſecundum iſta in hominis anima inveniatur.

LIV. Media autem pars terrae, ideſt ſuperior pars ipſius tenera, mollis, & perforabilis eſt; altera vero medietas ſcilicet inferior pars illius tenax, dura, & impenetrabilis exiſtit, ita ut etiam duritia & fortitudo ipſius duritiam & fortitudinem chalybis exſuperet. Hoc modo etiam anima rationalis quamdam viriditatem in viribus ſuis habet, qua mollitiem carnis, & duritiam oſſium omneſque venas penetrat, velut arma quae per duritiam chalybis ſecandi quaslibet res majorem ſoliditatem capiunt, & ut panes igne fornacis coquuntur, ita opera corporis ardenti ſtudio animae complentur. Ipſa enim corpus amore, ut dura pars terrae mollem partem terrae ſuſtentat, & omnia opera ſua cum ipſo inſeparabiliter operatur, cui etiam ut mulier viro ſuo a quo ſeparari non poteſt, quoniam duo in carne una ſunt, adhaeret.

Quid menſura humerorum cubitorum manuum quoque & pedum uſque ad finem majoris digiti ventis in aliqua proportione ſimilis in interioris hominis qualitatibus demonſtret.

LV. Sed & ab utroque humero uſque in flexuram utriuſque brachii, & ab eadem flexura uſque ad finem medii digiti utriuſque manus aequalis menſura eſt. Manus quoque a junctura ſua uſque ad ſummitatem finis medii digiti, eamdem menſuram habet, quae a talo uſque ad finem majoris articuli eſt, velut etiam quilibet principalis ventus cum collateralibus ſuis, & flatibus ipſorum in una menſura exiſtit. Homo namque per vim rationalitatis bonis & ſanctis operibus vana intentione interdum delectatur, quae dum operari incipit, ſanguis ejus qui in peccatis conceptus eſt, per laborem cepti operis totus in ipſo

com-

Digitized by Google

P. I. commovetur, ſicque taedio operandi opus ſuum imperfectum relinquit. Bonum etiam quod prius non in Deo, ſed de propria virtute confidendo inchoaverat, imperfectum propter elationem mentis ſuae deridet, & quantum priuſquam illud inciperet in eo delectabatur, tantum poſt de imperfectione ejus erubeſcit, & quia tale quid fecerit, dolere & merere incipit. Menſura enim quae ab humeris uſque ad flexuram utriuſque brachii eſt, opera quae homo per elationem mentis operatur ſignificat, & menſura quae a flexura brachiorum uſque ad finem medii digiti utriuſque manus extenditur demonſtrat quod homo opera quae per elationem mentis operatus eſt per poenitentiam deleat. Unde etiam anima dum in corpore manet, plenum gaudium nunquam habere valet, quia corpus & anima ſibi invicem adverſantur. Quorum conflictum homo ferre non valens pro magnitudine triſtitiae in ſe ipſo deficit, gemenſque ad Deum contrito corde ſe ipſum per crebra ſuſpiria humiliat, & ita per timorem Dei humiliatus, ab operibus malis & animae contrariis declinat operans bona quae per manum ſignificantur, currens etiam vias Dei quae per pedes oſtenduntur. Manuum namque motus & pedum ſignificat, quoniam animae de bonis operibus gaudendum ſit, quod autem a motu ceſſant deſignat quod eidem animae in malis operibus ſit triſtandum & dolendum.

Quid menſura femorum in ante per latitudinem, & menſura ab umbilico uſque ad loca digeſtionis per longitudinem latitudini vel ſpiſſitudini terrae proportionaliter congruens in diverſis animae affectibus oſtendat.

LVI. Menſura quoque quae eſt in ante in tranſverſum a femore uſque ad femur tantae longitudinis eſt quanta illa exiſtit, quae ab umbilico uſque ad locum egeſtionis eſt, quoniam latitudo terrae tantae longitudinis in tranſverſum exiſtit, quanta ſpiſſitudo profunditatis ipſius eſt. Homo quippe qui frequenter peccat, ſi aliquando animae in bono opere conſenſerit laetatur, in qua tamen laetitia dolorem timoris habet, quia timet quod inceptum opus forte non poſſit perficere, & cum timore iſto quem per vires animae in ſe retinet, bonum opus tamdiu operatur, quouſque hominem taedio peccandi anima ſibi attrahat. Sic igitur omnis homo in hac vita poſitus modo voluntati animae, modo voluptati carnis conſentit, ſic quoque omnes ſancti & electi martyres Dei, dum adhuc in ſaeculo viverent facientes vexillum paſſionis Chriſti portabant. Carne enim peccante anima ſicut homo jejunans, eſuriem habet, & carne eſuriente ideſt a peccatis ceſſante, anima ſicut qui cibis reficitur in bonis operibus gaudet. Menſura etiam quae ab umbilico uſque ad locum egeſtionis eſt, petulantiam carnis ſignificat, cui homo interdum conſentit interdum reſiſtit, velut cuique domino obſequium ſervi ſui modo placet modo diſplicet, & ſicut terra per ſpiſſitudinem ſuam ſuſtentatur, ita etiam in longitudine & latitudine ſua utilia & inutilia procreat. Spiſſitudo enim terrae quae ſervo comparatur, deſiderium carnis deſignat, longitudo autem & latitudo ipſius abſtinentiam oſtendit quae pro domina hic computatur.

Quia per ſpatium quod eſt a fine gutturis uſque ad umbilicum aer deſignetur, ipſique aeri omnia vacua penetranti, & terram ad ferendos fructus diverſis modis temperanti, anima totum corpus vivificans, & ad operandum movens comparetur.

LVII. Sed & in ſpatio, quod eſt inter finem gutturis & umbilicum aer deſignatur, qui de nubibus uſque ad terram deſcendit, & naturali virtute ſua creaturas terrarum temperat. Anima nempe quae vivens ſcintilla & rationale ſpiraculum ex divina potentia conſiſtit, totum corpus vegetando penetrat, ejuſque amore circuit, illud ad quodlibet opus movans, & licet in guſtu peccatorum exortum ſit, ſecum operari compellit. Anima enim ab altitudine coeli ad terrena deſcendens, hominem quem vivificat, ſed a Deo creatum eſſe intelligere facit, ipſaque aeri, qui inter coelum & terram medius videtur aſſimilatur, quoniam homo per ipſam in ſuperioribus bonum & in infimis malum operatur. Nam aer iſte omnia loca terrae temperando pertranſit, ita ut eam ubi arida eſt humidam faciat, ubi pinguis eſt, cum calore conſtringat, ubi aquoſa eſt caleſcet, ubi dura eſt emolliat, atque hoc uſque ad medietatem profunditatis ipſius facit, ad calorem quoque, & ad frigus quaſi aratro eam evertit, rectaque temperie eam fructiferam reddit. In hunc quoque modum cum anima corpus ſuum ab omni viriditate virtutum aridum ſenſerit, in moerorem & luctum convertitur, & corpus ſuum per ſcientiam rationalitatis, & per ſpiritum compunctionis ad ſuſpiria & lacrymas impellit, quia opera ejus prava eſſe cognoſcit, & ita aridum corpus ſuum per humorem divinae gratiae reviveſcere facit. Sed ſi homo majora quam perficere poſſit de viribus ſuis praeſumendo operari temptaverit, anima ipſum ad menſuram poſſibilitatis ſuae rurſus retrahens opera ipſius melius diſponit, & ſi in oblivione Dei quaſi in ſecuritate tunc vivit, timore Dei perterritum ab oblivione Dei evacuat. Cum autem homo qui alienum Deum quaerendo in duritiam infidelitatis ducitur tantis tribulationibus ab anima perturbatur, ut nec ſpem ſalutis, nec ullum gaudium habere poſſit, per hanc triſtitiam ipſa admonitione ſua eum ad meliorem partem trahens ad Deum verum ſuſpirare facit. Sic igitur corpus per animam quae vivens ſcintilla & vita ex Deo eſt, ad ſpem veniae & quaelibet opera diſcernenda & ſequenda revocatur, & relicto errore duplicitatis in rectum iter bonorum operum ducitur, ut etiam aqua curſu ſuo in recto meatu fluit, & ſic poſtea bene vivendo in timore Dei fortis efficitur. Suaviſſimus quoque calor cum levi frigore ipſius humiditatem terrae immittit, eamque fructiferam in arboribus, in herbis, & in granis facit, ita ut omnia haec per eamdem humiditatem vireſcant. Similiter anima in ſuaviſſimo calore fidei, & in fortiſſima patientia ad tollerandas omnes injurias hominem confortat, & opera quae non bene vivendo prius operatus eſt, & in quibus eum praeſtare non licebat, fugienda ſibi proponit. Sic quoque eum in bonis operibus fructiferum, & in ſanctis virtutibus vireſcere facit. Niveum etiam frigus idem aer aliquando ſuper terram mittit, quod ipſam totam obtegit, & per quod ad germinandum caleſit, unde & illa ex ſe frigus ſuum educit, quouſque ad fructiferum officium ſuum germinando interius praeparetur, ac ſic deinde viriditatem fructui cunctorum germinantium infert. Anima namque hominem a guſtu operum ſuorum, quibus eum velut molendinum circuire cogit temperat, quoniam ipſa aer ille eſt, qui ſanguinem per quem homo ſenſum & intellectum capit fluere facit. Ipſa etiam carnem ſudorem emittere facit, per cujus calorem homo ſenſum, & per cujus humorem, qui frigidus & humidus eſt, intellectum habet, & ideo omnis fructus operum ejus in ſenſualitate & in intellectu conſtat. V. IV.

Quod ex aere & aves ad volandum ſubvehantur, & etiam quidam piſces in aquis ita ut aliquandiu ſine paſtu vivant nutriantur, & quod in hunc modum homo non carnis, ſed animae deſideria ſequens, & per contemplationem volet, & ſcripturarum ſuavitate paſcatur.

LVIII. Quaedam etiam volatilia, quae magnae fortitudinis ſunt in aeſtate in eumdem aerem volantia ab ipſo confortantur, ipſeque aer aliquando in flumina deſcendens quoſdam magnos piſces confortat, ita ut aliquandiu ſine paſtu eſſe poſſint. Similiter cum anima corpus ad conſenſum ſuum traxerit, in altitudinem coeli velut avis in aerem volat, & ſicut avis ſine aere volare non valet, ſic nec corpus

Digitized by Google

P. I. per ſe, ſed per animam movetur. Sed cum homo deſideriis animae aliquando conſenſerit, in caritate Dei totus ardet, ſicque de die in diem in jucunditate aeternae laetitiae volans in ſpeculativa fide, & in ſapientia ſanctarum ſcripturarum delectatur, quarum ſuavitate inviſibiliter paſcitur & confortatur, velut piſcis qui per aerem, & per fluxum aquarum confortatus, in aquis ſine paſtu interdum vivit.

Quod & mare & flumina per aerem & per venas ſanguinae infuſas corpus, & per virtutes anima moveantur, quibus ſicut terra rivulis irrigata bonorum germina operum proferat.

LIX. Iſte etiam aer cum aquoſo aere mare movet, a quo flumina diviſa fluunt, quae terram irrigant, & confirmant, quod etiam venae ſibi connexae totum hominem cum ſanguine confortantes oſtendunt. Anima quoque quae aerea eſt, & per quam omnia opera hominis quemadmodum per aerem omnes fructus terrae perficiuntur, per gratiam Spiritus Sancti homini opera ſua proponit, ut per cogitationes quae velut mare mundant, utilia, & inutilia diſcernat. Idem etiam homo naufragium ſæpe patitur, cum per bonas cogitationes animae non conſentiens, de peccatis ſuis in magnam confuſionem dimergitur, & ſic in graviſſimo labore cum nave cogitationum remigat, niſi per inſpirationem Spiritus Sancti ſupra petram qui Chriſtus eſt eas ædificet. Cum enim mens hominis per varias virtutes dilatata ad laudem Dei erigitur, ſtabile fundamentum ſupra petram aedificat, quod ventis id eſt variis tentationibus diaboli moveri non poſſit, quia quemadmodum venae cum nervis humanum corpus ne diſſolvatur confirmant, ſic virtus humilitatis bona opera ne per elationem diſſipentur connectit & confirmat. Flumina namque rivulos educunt, terram viriditate ſua adjuvando, quae omnia per praedictum aerem moventur, qui calore & humiditate ſua omnia germinare facit. Ita cum anima carnis delectationem ſuperans deſideriorum ſuorum fundamentum in homine conſtituit, ipſa & corpus opera ſua unanimiter perficiunt, unde & in ſanctis operibus gaudens in dulci odore virtutum volat. Et quemadmodum majora flumina diverſos rivulos emittunt, qui terram germinare faciunt, ſic anima corpori dominans, caritatem, obedientiam, & humilitatem cum aliis fortiſſimis virtutibus in eo ſuſcitat, quibus hominem in laude Dei per exercitium bonorum operum introducat.

Quia ſicut terra calore æſtatis & frigore hyemis in lutum reſoluta ad qualibet germinanda impregnatur, ita & homo anima & carne inter ſe conſligentibus nunc virtutum nunc vitiorum fructus afferat.

Caro animae debet eſſe ſerva & ei obedire.

LX. Terra enim de calore aeſtatis, & de frigore hyemis ſemper lutulenta eſt, & lutum iſtud ad germinandum eam impregnat. Hoc modo & corpus animae velut ancilla Dominae ſubjacere debet, quae per corpus ſicut domina per ancillam multoties ſuperatur, ipſaque omnia bona in homine operatur, velut etiam aeſtivum tempus omnes fructus ad maturitatem perducit. Sed cum corpus in putredine peccatorum involutum contrarium animae exiſtit, homo intra ſe ſic dicit. Ego in tanta duritia vivere nequeo, ut carni meae quae deſiderat prorſus negare valeam, ſed idipſum quod poſſum facere mihi ſufficit. Ipſe vero in putredine peccatorum ſuorum jacens, priorum virtutum quas operatus eſt interdum reminiſcitur, & de lutulentis peccatis ſuis pœnitentiam agens ad juſta opera & ſanctas virtutes quas prius habuerat cum gaudio revertitur. Et quemadmodum lutulenta terra omnes fructus per hyemis tempus in ſe ſervat, quos aeſtivo tempore ad gaudium hominum profert, ita homo priores virtutes, quaſi pretioſis lapidibus exornat, & elegantiores reddit.

Quia ſicut pectus hominis, cor, jecur, pulmone, ſic & aer calorem, ſiccitatem, & humiditatem aurarum in ſe comprehendat, & hoc etiam modo memoria, animae cogitationes & opera ſua diſponendo contineat. V. IV.

LXI. Pectus autem hominis plenitudinem & perfectionem ejuſdem aeris oſtendit, quoniam ut pectus, cor, & jecur, ac pulmonem, & caetera interiora ventris in ſe retinet, ſic & aer iſte calorem, ſiccitatem, & humiditatem aurarum in ſe comprehendit. Tali modo & anima in pectore hominis cogitationes cujuslibet utilis vel inutilis cauſae conſiderando & velut ſcribendo diſcernit, & qualiter homo rationalis ipſam cauſam operari debeat diſponit. Ipſa quoque anima quaelibet opera hominis ſive mollia ſint, eo quod carni placeant, ſive dura quia ei contraria ſunt congregat, & in ſe diſcutienda demonſtrat. Per hoc etiam quod ignea eſt, calore ſuo illecebras carnis exſiccat, quibus deſiccatis gemitum cum humiditate lacrymarum in eo ſuſcitat, per quas anima omnia bona operando opera ſua exornat. Anima enim delectationem carnis odit, & per hoc quod aerea eſt carni ſuae mala opera & vulnera tempeſtatum diabolicae ſuggeſtionis oſtendens, hominem ad cognoſcendum opera ſua qualia ſint provocat, velut etiam cor cum omnibus appendiciis ſuis hominem confortat, qui anhelitu ſuo omnia humectat.

Quia ſicut cor jecore, pulmone & caeteris cohaerentibus ſibi inteſtinis vegetatur, & ſicut tempus diei & noctis, & aer tranquillitatis & tempeſtatum viciſſitudinibus variatur, ſic & vita hominis inter carnis & animae certamina modo vitiorum turbine quatitur, modo virtutum claritate laetatur.

LXII. Nam cor hominis calorem, jecur ſiccitatem, pulmo humiditatem illius demonſtrant, quia ut calor cordis, & ſiccitas jecoris, & humiditas pulmonis hominem vegetant, ita & calor, ſiccitas, humiditaſque aeris, & aurarum ea quae in mundo ſunt confortant. Pari ratione ſicut cor cum omnibus ſibi cohaerentibus vitalibus hominem calefacit & roborat, ſic anima cum ſibi collatis virtutibus a Deo actus hominis perficit, ſanctum deſiderium ad bona opera ei tribuens. Sed cum hoc opus deſiderii malum eſſe cognoverit, moleſte ferens, quod geſſit, hominem per compunctionem ad lacrymas rurſus impellit, taliſque tunc efficitur velut qui in bonis operibus delectatus pro gaudio lacrymatur. Ipſa quoque anima omne opus hominis ſive bonum ſive malum quocumque animo fiat ſecundum deſiderium carnis regit, & quemadmodum praedictus aer in omnem creaturam modo germinantem & florentem, modo areſcentem & deficientem ſpirat, ſic anima opera carnis modo gaudiis, nunc vero lacrymis variando commutat. Et ſicut ſol & luna curſum ſuum ſine viciſſitudine nubium nunquam perficiunt, ſic homo nullum bonum opus quod facere inchoaverit, in tali puritate ut propoſuit ad finem perducere valet, quin aliqua tempeſtas eum ſaepius perturbet. In ſimilitudine namque diei & noctis quae interdum in luce ſua clarius lucent, & interdum ex viciſſitudine nubium in luce ſua deficiunt, homo certamen corporis & animae habet. Per deſiderium enim carnis in bono deficit, ſed per deſiderium animae gaudens in ipſo proficit, quia in omnibus operibus ſuis calore ipſius vegetatur, quemadmodum praedictus aer cum omnibus creaturis volat.

Quod

Quod ſicut venter viſcera & cibos molis dentium contritos in ſe ad utilitatem totius corporis claudit & retinet, ita & anima in arcano memoriae cogitationes correctionis ſuae reponere & ſollicita diſcretione ruminare debeat.

LXIII. Et quemadmodum per guttur cibi ventri immittuntur, qui per molendinum dentium prius confringuntur, & ut pectus hominis cogitando & cognoſcendo omnia quae hominis ſunt temperat, & ſicut venter viſcera hominis continet, & claudit, ita & praedictus aer virentes vires in fructus mittit, & ſic ea quae in mundo ſunt, ad ſalutem hominis conſervat. Eodem modo anima omnia opera hominis ruminat & memoriae commendat, ita ut nullum illorum indiſcuſſum relinquat, velut eſca ventri per guttur immittitur, & ſicut eſca dentibus conteritur, ſic anima cum ſpiramine ſuo opera hominis diſcernendo ſcribit, & hanc ſcripturam per cogitationes colligit, ut homo opera ſua qualia ſint cognoſcat, quae ipſe velut aliquas formas rerum in cogitationibus ſuis in quibus formantur jugiter inſpiciat. Homo igitur operum ſuorum non poteſt oblivisci, quia in cogitationibus ſuis ſicut viſcera in ventre clauſa ſervantur, ipſeque in omnibus operibus ſuis per animam viret, quoniam ipſa aerea eſt. Cogitationes quoque cum ſcientia in pectore hominis quaſi famulatus omnium operum illius ſunt, quoniam ea praeveniendo praeparant, ſicut ſiniſtra dexterae famulatur, quia & hyems aeſtati ſervit, quoniam omnia conſervat, quae aeſtas profert. Etiam anima ſervitium cogitationum eſt, & cogitationes ſicut pugillaris in quo ſcribitur animae ſunt, quoniam ipſa omnia opera hominis cum illis limat, & quaſi ſcribendo ad id ad quod per corpus cogitur praeparat. Cum enim homo mala opera ſecundum deſiderium carnis operatur, tamen ex virtute animae interdum compunctus lacrymas fundit, quia mala opera carnis animae diſplicent, quamvis in conſenſu eorum carnis ſubjecta multotiens famuletur. Ipſa quoque mala opera quae homo per delectationes carnis commiſit, lacrymabili ſuſpirio quaſi ſcribendo ipſi in memoriam revocat, & ſicut hyems fructus aeſtatis in ſe conſervat, ſic anima delinquenti homini ſuſpirium quo ſalvetur in ſe diligenter proponit.

Anima omnia opera hominis ruminat, & in memoria inſpicit & conſervat.

Quod tumores carnium, qui in pectore eminent & ubera vocantur, & exterius aeris ubertatem, & interius hominis deſideria cordi inhaerentia ſignificent, & quia ſicut mulier viro comparata mollis & infirma eſt, ita & delectatio carnis ad vires animae nullam fortitudinem habeat.

LXIV. In pectore autem in quo omnia quae homo facere vult congregantur, quidam tumores carnium inſurgentes in ubera vertuntur, quae ubertatem ſupra demonſtrati aeris deſignant; quoniam ut ubera fortitudinem & plenitudinem hominis oſtendunt, ita & ejuſdem aeris ubertatem ad fertilitatem terrae manifeſtant. Sic & anima ſcit quae opera hominis eam deorſum trahant, & quae eam ſicut aerem ſurſum volare faciant, quia ſicut cordi mentem, ſic animae ſcientiam ineſſe conſtat. Quapropter omnia opera hominis per ipſam perficiuntur. Et ſicut humanum corpus diverſis generibus indumentorum veſtitur, ſic anima ſingulis quibuſque operibus carnis, qualiacumque ſint tamquam veſtimentis cooperitur, quae etiam in ipſa jugiter apparent, animabus tantum & ſolis ſpiritibus viſibilia, quoniam quae homo ſeminaverit haec & metet, manipulos operum ſuorum in fine reportans. Deſiderium namque hominis cordi ejus velut ubera pectori adhaerent, in quibus omnis vis pectoris conſiſtit; ideoque anima per deſiderium carni cooperari cogitur, ita ut per ipſam quia aerea, humida, & calida eſt, omnia opera perficiantur, quemadmodum ubertas totius terrae per aerem abundanter profertur. In loco enim illo vir in viribus ſuis potens eſt, ſed ibi mulier lac infantibus effundit, qui cibo refici non poſſunt. Ita & vires animae fortiſſimae ſunt, quoniam per ipſas Deum ſcit & ſentit, quamvis deſideriis carnis etiam famuletur. Quapropter cum dolenti ſuſpirio corpus macerat, dum contra voluntatem ſuam Deo ſervire contemnit, velut ſervus qui a Domino ſuo cum indignatione recedit. Delectatio namque carnis vires animae cui peccata diſplicent non habet, ſed motu ardentis ſanguinis agitur, ideo corpus per vires animae in tantum affligitur, quod gravia peccata ſine dolore ſuſpirii cum gaudio perficere nunquam valet. Ipſa quoque delectatio viribus animae comparata nullam fortitudinem ad bene operandum habet, ſed guſtu carnis paſcitur, ſicut infans cum lacte matris alitur, quia omnino debilis eſt, ſicut mulier ſi fortitudini viri comparetur. Sed deſiderium animae ſicut volans ſagitta acutum eſt, quae hominem in quem mittitur vulnerat. Unde delectatio carnis viribus animae ſive velit ſive nolit multoties ſubditur. Quapropter deſiderium animae homini in delectationibus carnis ſecure viventi ſic imperando loquitur. Attende quod opus tuum quaſi foeteus lutum eſt, ideo in confuſionem convertitur, quia omnem ſuavem odorem ſpirans a te longe factum eſt.

Motu ſanguinis concitatur delectatio carnis.

Quod mulier propter debilitatem ſuam ad viri procurationem reſpiciens ei ſubdita & ad ſerviendum parata ſemper eſſe debeat, & quid extrinſeca communis eorum converſatio in interioribus deſignet.

LXV. Unde & mulier debilis eſt, & ad virum aſpicit, ut per eum procuretur, quemadmodum luna fortitudinem ſuam a ſole recipit, ideoque & viro ſubdita, & ad ſerviendum parata ſemper eſſe debet. Ipſa enim opera ſcientiae ſuae virum operit, quia & de carne & de ſanguine plaſmata eſt, quod vir non eſt, quoniam primum limus fuit, quapropter etiam in nuditate ſua ad mulierem reſpicit, ut ab ipſa operiatur. Hoc eſt quod delectatio carnis ad deſiderium animae cum magno tremore aſpicit, quoniam ab illa ſaepe reprehenditur & ſuperatur, nec tamen a viribus animae ſuperari poteſt, quia quemadmodum mulier ad virum aſpicit, quatenus ab eo procuretur, quoniam ei cum timore ſervit, ſic ipſa ad animam ſemper reſpicit. Sed cum homo per delectationem carnis totus defecerit, per admonitionem deſiderii animae iterum excitatur, cogitando apud ſe cum in tanto honore a Deo conſtitutus ſit, cur a vitiis non deſiſtat; ſicque anima corpus ſuum ad amorem bonorum operum ſaepius retrahit. Iſtam namque diverſitatem operandi homo in ſe ſemper habet, ut etiam Angeli cum Deo in gaudio ſunt, & ut mala opera hominum cum ira judicio ejus per ipſos judicantur. Animam etiam a ſpiritu Dei ſpiraculum eſt, & in corpus hominis miſſa per ſe ipſam nihil operatur; ſed quidquid illud ab ea poſtulaverit, hoc in natura ſua cum ſcientia boni qua Deum ſentit, & cum ſcientia mali, qua ipſum timet, velut ignis accendit in bonis operibus ſemper gaudens, & in malis corpus affligens. Homo enim per vires animae ita reviviſcit, ut opera quae ſecundum deſiderium carnis operatus eſt, & quibus animam a viribus ſuis denudaverat intelligens, ad lacrymas quibus anima velut camiſia induitur moveatur.

Mutua condeſcenſio animae & corporis ad alterutrum.

Anima nihil operatur niſi cum corpore dum eſt in corpore.

Quod quiſquis per poenitentiam peccata ſua abſterſerit, ulterius de ipſis non erubeſcat, & quod qui per jejunia & orationes ſe cruciat, quaſi purpurea veſte animam ſuam exornet.

LXVI. Quapropter quicumque per lacrymas veræ poenitentiae peccata ſua ſicut Maria Magdalena, quæ ſuper pedes Domini flevit abſterſerit, de ipſis amplius non erubeſcet. Sed cum poſt lacrymas jejuniis & orationibus carnem ſuam macerat, animam ſuam quaſi

P. I. purpurea veſte exornat, per quam cicatrices vulnerum ita obteguntur, ut in ipſa nunquam appareant. Anima etiam poenitentiam ab homine ſemper quaerit, quoniam ipſe guſtum peccatorum habet; ipſaque per poenitentiam operari poſtulat, ut etiam mulier per ſubtilem ſcientiam operis ſui virum operit. Homo autem, qui a peccatis, quibus per guſtum carnis occupatus eſt, declinaverit, bona opera omni ſtudio operans, animam ſuam aureis coronis & omnibus ornamentis ornat. Unde etiam Angeli ſuper eam, quae perdita ovis erat gaudium habent, & ipſa cum illis laetatur. Vicia namque & virtutes ut mulier fertiles ſunt, quia vicium vicia, & virtus virtutes parit; virque qui ſecundum Deum fortis & potens eſt, omnia opera ſua ſcilicet bona & mala cum muliere perficit, quae prima caſum dedit, & per quam eadem mala in melius poſtmodum reparata ſunt.

Quia ſicut aer per calorem & humiditatem fructus terræ ad maturitatem perducit, ſic cor jecur & pulmo ventrem ad conficiendos, & digerendos cibos confoveat, & quod perverſas peccatorum conſuetudines igne zeli ſui conſumat Deus.

LXVII. Sed cor ventrem etiam calefacit, jecurque eum confirmat, & pulmo humectat, ita ut ille receptionem ciborum uſque ad egeſtionem conſervet, ſicut & ſupra demonſtratus aer viriditatem, calorem & humiditatem omnium germinantium fructuum uſque ad maturitatem ipſorum perducit. Sic etiam anima quae rationalis & ignea eſt, rationalitatem cum vento, ſicut & ardens ignis flammam ſuam ſine vento non emittit. In circumeunte quoque circulo ſcientiae boni & mali cum rationalitate per quam cognoſcit, quid Deo placeat vel diſpliceat, officia & nomina creaturarum diſcernit, per quam etiam intelligit, quod Deus malam conſuetudinem peccatorum in zelo ſuo comburit ſicut ſcriptum eſt.

Verba David ad idem pertinentia, & quo ſenſu accipienda ſint.

LXVIII. *Deſcendit fumus in ira ejus, & ignis a facie ejus exarſit, carbones ſuccenſi ſunt ab eo.* Quod ſic intellectui patet. Homo qui peccando in oblivionem Dei ducitur, ſuper hunc ira vindictae Dei aſcendit, & peccata illius coram eo per ignem examinantur, quia ſicut extincti carbones per ignem ſucceduntur, ſic ipſe poenas ad comburendum peccata parat. Ipſe enim per ſcientiam boni & mali pro malis factis ſuis ſe puniendum, & etiam bona opera in laude Dei volantia ſuper Cherubin aſcendere cognoſcit. Iſta vero ſcientia fiducialem ſpem quam homo ad Deum habet calefacit, eumque ad timorem & amorem Dei confortat. Per has namque virtutes humiditas lacrymarum educitur; per has etiam omnia bona in homine perficienda conſervantur, quemadmodum venter per cor, per jecur, & per pulmonem receptionem ciborum uſque ad egeſtionem ſervat. Omnia quoque opera ſive bona ſive mala per rationalitatem aeriae & rationalis animae cum viriditate ſcientiae, cum calore ſenſualitatis, & cum humiditate ſapientiae ad agnitionem hominum proferuntur, ſicut etiam praedictus aer viriditatem, calorem & humiditatem omnium germinantium fructuum uſque ad maturitatem ipſorum producit.

Quod teneritudo ventris coſtis & oſſibus vallata molliciem terræ fructiferæ & lapidibus interpoſitæ deſignet, & quid etiam per hæc in diverſa qualitate humanæ vitæ exprimatur, adhibito in teſtimonium verſu pſalmi XVI. ad idem congruente.

LXIX. Et venter qui coſtis & aliis oſſibus quae ſuccum medullae non habent, ſuſtentatur, mollem fructiferamque terram, quae lapidibus interpoſita eſt deſignat. Hoc exemplo anima guſtum peccati in natura ſua non habet, quamvis peccata cum corpore operetur, & illud ad opera quae guſtus carnis ſuae poſtulat, in ſimilitudine aerii venti qui totam terram ad germinandum movet accendat. Ipſa enim corpus in omni opere ſuo continet, ut mollis fructifera terra interpoſitione lapidum firmatur; & ſicut tener infans de peccatis quae nondum guſtavit loquitur, & velut Adam ante praevaricationem peccatum ſcivit, & non guſtavit, ſic ipſa in corpore quod peccat peccatum non naturaliter guſtat. Anima vero quae ſancta & bona opera operatur, pro meritis operum ſuorum coram Deo in coeleſti regno glorioſa eſt, ſed animae quae mala opera perpetrat magnae poenae per judicium Dei aſſunt. Beatus etiam homo de bonis operibus ſuis coram Deo & hominibus laudatur, quapropter anima ipſius gaudet, ſed homo qui lubricis peccatis involvitur, coram Deo & hominibus in magnam confuſionem ducitur. Unde ipſe cum ſudore pudoris homines propter peccata ſua fugiens, cum ſe in his culpabilem cognoverit, omni honore beatitudinis ſe mortuum & deſpoliatum plangit dicens: *Suſceperunt me ſicut leo paratus ad prædam, & ſicut catulus leonis habitans in abditis.* Quod ſic intellectui patet. Homo cum peccaverit omni beatitudine propter peccata ſua denudatur, quando per propriam voluntatem ipſius omnis ſanctitas ab eo rapitur, ſicut leo quod devorare vult rapit, & propter miſerabilem confuſionem peccatorum ſuorum ſicut catulus leonis in abditis, ſic ipſe de peccatis ſuis erubeſcens, hominibus abſconditur, ne opera ejus cognoſcantur. Sic quoque omne opus hominis aut praemium in gloria, aut poenam in judicio Dei conſequetur. Sed anima quae in ſanctitate gaudet ad Deum dicit. O altiſſime Deus omnia vota mea tibi ad laudem reddo, quia ſine te per me nihil poſſum, niſi quantum per gratiam Spiritus Sancti in me accendis. V. IV.

Bona anima.

Homo peccator.

Quia ſicut ſuccedente fructu flores excutiuntur, ita & eſuries ſubveniente ſaturitate depellatur, & quod eodem modo anima peracta pœnitentia de peccatis in quibus quaſi fame tabeſcebat juſtitia Dei in executione ſanctorum operum ſaturetur.

LXX. Eſuries quoque quae cibum poſtulat flores fructuum manifeſtat; ſed cum fructibus venter ſaturatus fuerit, eſuries ceſſat, velut cum fructus procedunt, flores corruunt. Anima ſimiliter quae ſpiraculum a Deo eſt, & cum ſcientia boni & mali veritatem ſemper quaerendo theſaurus juſtitiae exiſtit, Deum ſuper omnia diligendum eſſe in natura ſua intelligit, quoniam ab eo ſicut ſcintilla ab igne proceſſit, & etiam opera hominis ſicut ſcintillas fulminare facit, quia homo per eam quaſi per ſcintillam illuſtratur. Ipſa etiam hominem pro viliſſimis operibus ſuis, quae cum ipſa contra Deum operatur ſuſpirare facit, eumque juſtitiam Dei in ſe eſuriendo tamdiu affligit, quouſque peccata ſua cognoſcendo lacrymas cum poenitentia pro illis effundat. Cum igitur homo peccata ſua hoc modo poenitendo conculcaverit, anima juſtitia Dei ſaturatur; ſed cum poſtea flores virtutum cum bonis operibus ad ſe collegerit, ipſa bonis operibus repleta, ſtatim non eſurit, quae prius in malis operibus dolendo famem patiebatur, quoniam fames illa per fructus bonorum operum velut cum flores corruunt deficit.

Quibus congruentiis ſtomachus mundus & anima ſibi invicem confortantur, & quod Deus hominem ſine praecepti lege nunquam eſſe velit, & quid in eo & æſtatis viriditas, & hiemis ariditas, ipſiuſque mundi capacitas ampla deſignent.

LXXI. Sed ſtomachus cujus ſedes in ventre eſt, & cui cibi immittuntur, & a quo emittuntur, & qui ut ſaccus ligatus eſt cum viſceribus capacitatem mundi oſtendit, quem creaturae germinando & creſcendo replent, & quem deficiendo quaſi inanem reddunt, hoc eſt quod homo qui ſicut luna creſcit

& de-

Digitized by Google

P. I.

& deficit, per animam quae omnibus creaturis repleta eſt operatur, & ſicut ſanguis in venis eſt, ſic omnia opera hominis in anima ſunt. Quae cum bonis operibus ſecundum deſiderium ſuum repleta fuerit, in aeternam manſionem, ubi cibo vitae reficiatur aſcendit, & cum malis operibus occupatur, in fœtentem putredinem infernalium pœnarum peritura deſcendit. Deus enim qui praeceptum Adæ dedit, hominem ſub præcepto eſſe vult, in cujus obſervatione anima opera ſalvationis cum gaudio colligit, quae in exilium perditionis lacrimabiliter mittitur, cum homo deſideriis carnis ſuae praeceptum relinquendo conſenſerit. Sed ſicut ſtomachus, qui cibum recipit & emittit cum viſceribus ligatur, ſic ipſa cum omnibus creaturis vel in aſcenſione boni, vel in deſcenſione mali in homine operatur. Et ſicut creaturæ in æſtate florent, & virent, in hieme vero areſcunt & deficiunt, ita ipſa in bonis operibus gaudendo floret & viret, & in malis operibus dolendo areſcit & deficit. Stomacho etiam non prodeſt ut vacuus ſit, quemadmodum nec capacitati mundi utile eſſet, ſi diverſis creaturis evacuaretur. Capacitas quoque iſta diſpenſatrix virium fructuoſitatis terrae eſt, quia eam nec deſolatam nec vacuam in ulla re quae neceſſaria ad officium fructuum eſt dimittit, quoniam ſi mundus arctus & conſtrictus eſſet, itaut dilatatione careret, plenitudinem creaturarum quam nunc habet, ferre non poſſet. Sic & homini non prodeſſet, ſi tantum unam ſcientiam haberet, quoniam quaſi vacuus tunc eſſet, cum nullum opus incipere aut perficere, ſeu lucem diei, vel tenebras noctis diſcernere poſſet. Qui modo in duabus ſcientiis plenus eſt, & per bonam ſcientiam Deum cum bonis operibus amat, quem etiam per malam mala opera cognoſcendo timet. Anima vero cum magna ſollicitudine in corpore ſicut paterfamilias in domo ſua habitat, qui ſemper ſollicitus eſt, ne in bonis ſuis depraedetur, quoniam ipſa curam iſtam ne homo per involutionem peccatorum a ſanctis deſideriis, quae per ipſam fiunt, deſpolietur ſemper habet. Cum autem homo propter taedium peccatorum ſuorum animae aliquando conſenſerit, ipſa inde gaudens homini omnia peccata ſua in amaritudine proponit, & cœleſtia deſideria ſuper mel & favum ei dulcia faciens ipſum ſanctum ſaepiſſime efficit, & ad cœleſtia regna perducit. Sicut enim homo periret, ſi ſtomachus vacuus ſemper foret, ſic anima ſine iſtis duabus ſcientiis nequaquam eſſe poſſet, & ut mundus areſceret, ſi a bonis & malis fructibus inanis eſſet, ita anima arida & inanis exiſteret, ſi operibus quae homo per has duas ſcientias operatur careret. Ipſa namque omnia quae hominis ſunt in rectum iter dirigendo cum diſcretione recte diſpenſat & per bonitatem Dei a quo divina eſt, per ſancta etiam opera quae cum homine operatur manſionem in terra viventium ſe habituram confidit. Per ſcientiam quoque boni, qua malum cognoſcit, illud injuſtum eſſe judicat, quamvis idem malum per corpus coacta ſaepe operetur, & ſi ſcientiam iſtam boni & mali non haberet, ſicut follis cum qua faber nihil operatur eſſet. Et ſicut mundus abſque omni plenitudine fructuum eſſet, ſi non in viriditate germinaret, ſic etiam ipſa ſine honore & beatitudine bonorum operum eſſet, ſi in rationalitate ſcientiae boni & mali non floreret.

Anima omnia continet.

Homo ſub praecepto.

Scientia boni & mali neceſſaria eſt homini.

Quod in ſimilitudinem aeris terram ad fructificandum juvantis, anima quoque per vires ſuas corpus ad qualibet opera exequenda moveat, quibus ſi recta fuerint in æternum decorata, Deum & angelos & beatas animas perfecte intueatur; ſi vero perverſa velut immunda ab hac viſione repellatur.

LXXII. Prædicta autem mundi capacitas aerem in ſe habet, qui viribus ſuis viriditatem terræ immittens, eam fructiferam facit, fructuſque ipſos cum ad maturitatem pervenerint ventoſa frigiditate ad ariditatem inclinat, ſed quamvis terram frigiditate hac exterius areſaciat, ipſa tamen ex hoc interius pingueſcit, quatenus in æſtate germinare poſſit. Proinde creator omnium, qui terram ad operandum firmavit, animam per quam homo omnia opera ſua operatur, ſecundum ſe ipſum conſtituit, quæ homini qui ipſius Dei opus eſt, & uſque ad noviſſimum diem operabitur, ſicut ſancta divinitas inviſibilis exiſtit; ſed poſt noviſſimum diem cum homo totus ſpiritalis effectus fuerit, ſanctam divinitatem & omnes ſpiritus & animas perfecte intuebitur. Eadem vero anima fructifera vis eſt, quæ totum hominem movendo ſecum vivere facit, & ſicut homo panno ex filis texto induitur & veſtitur, ſic ipſa omnia opera quæ cum homine operatur, ut veſtem induens, cum illis ſive bona ſive mala ſint, ſicut corpore in quo habitat obtegitur. Bona quidem opera cum de corpore abceſſerit, ſicut veſtimentum in fulgore puriſſimi auri quod omni ornamento decoratum eſt in ipſa apparent; ſed prava opera ut veſtimentum omni immunditia pollutum, in ipſa fœtent. Ipſa etiam in ſimilitudine aeris cum homine operatur, qui vires ſuas terræ immittit, per quas fructifera eſt, & fructus ſuos perficit, & qui frigiditate hyemis totam terram areſacit, quæ tamen ad fructuoſitatem terræ calorem in ſe conſervat, quoniam per vires animae pueritia, adoleſcentia, juventus & ſenectus, fructus bonorum operum operantur & perficiunt, quæ decrepita ætas per defectum quaſi areſacit, ſed tamen in vera fide ad præmia æternæ beatitudinis poſt finem hominis conſervabuntur. V. IV.

Quia ſicut terra ſi bis in anno vireſceret & paſſim gigneret, areſcendo in pulverem verteretur, ſic & anima in opere ſuo deficeret, ſi omnibus deſideriis ſuis & voluptatibus carnis immoderate deſerviret, & quod inſtar terræ inæqualiter fructificantis ex mutabilitate ſui & conflictu carnis nunc in profectu nunc in defectu poſita, nec fidem in evangelio commendatam, nec viſionem Dei in paradiſo perditam in hac vita perfecte obtinere valeat.

LXXIII. Quod ſi terra bis in anno vireſceret, & paſſim gigneret in ariditatem verteretur, & ſicut pulvis efficeretur. Per hoc deſignatur, quia ſi anima deſideriis ſuis ac voluntati carnis ſuæ pariter conſentiret, nullum opus perficere poſſet, quoniam ipſa vivens ſpiraculum eſt, quod nobili tactu totum corpus illud vivificando pertranſit, quemadmodum etiam flatus prædicti aeris totam terram fructiferam reddit. Idem vero aer quaſi anima terræ exiſtit, cujus humiditatem flatu ſuo tangens eam vireſcere facit, & ſicut aer iſte cujus viriditas ſanguinem, & humiditas ſudorem in homine ſignificat, in terra inviſibilis & impalpabilis eſt, ſic anima in corpore impalpabilis ſanguinem calefacit, & per rationalitatem in illo inviſibiliter operatur. Homo namque ſe Deum habere per animam intelligit, ideoque ſive per ſe ipſum, ſive per alium legem ſibi ſemper conſtituit, & hoc ei naturale eſt, quoniam primus homo legem in præcepto accepit quam per conſilium ſerpentis repudiavit. Qui poſt praevaricationem præcepti Dei in exilium illud expulſus, paradiſum inhabitare non potuit, ad quam tamen in multis ſuſpiriis anhelavit, ut etiam anima cum per corpus ſuperata fuerit, plurima ſuſpiria dolendo trahit. Sed cum illud deſideriis naturæ ſuae ſubdiderit, in magno gaudio laetatur, & ſicut terra in frigore & in calore fructus ſuos non aequaliter profert, ſic etiam ipſa male & bene operando inaequalia opera habet. Ex natura namque iſta in qua anima per corpus, & corpus per animam ſaepe ſuperatur, homo illam puram fidem nequaquam habere poteſt, per quam ipſe montem elevare, & in mare mittere poſſit, ut Dominus diſcipulis ſuis de grano ſinapis dicebat, & quam Adam habuit, quando inviſibilem claritatem Dei exterioribus oculis ſuis videbat, in qua quæcumque vellet ſe poſſe facere non dubitabat. Sed poſt praevaricationem, nec Adam

Naturale eſt homini ſub lege eſſe.

Adam ante peccatum Deum videbat.

nec

Digitized by Google

P. I. nec ullus hominum hanc viſionem habere potuit. Unde fidelis homo cum interiori viſu animae ſuae in ſpeculo fidei ad Deum reſpiciat & ab eo qui omnia poteſt ſe ſalvari confidat. In qua fide multi deſideria carnis ſuae mortificando, plurima ſigna fecerunt.

Quia ſicut venæ cordis, jecoris, & pulmonis ad receptionem vel emiſſionem ciborum ſtomacho ſubvenient, & eidem ſtomacho continua vel nimia repletio aut exinanitio obeſſent, ita & anima corpori quidem in quibuſque operibus adeſt, ſed eam læderet, ſi corpus ipſum deſideriis carnis ſemper ſequi permitteret.

LXXIV. Nam & de corde, & de jecore & de pulmone, quædam venæ quaſi fiſtulæ extenduntur, quæ ad receptionem & ad emiſſionem ciborum ſtomacho ſubvenientes adſunt. In hunc modum anima, quæ magna vi corpus quod dormiens invenit exſuſcitat, in multis itineribus ſuis Deum ſentit. Et quemadmodum venæ ſtomacho adſunt, cum impletur & evacuatur, ſic ipſa in omni bono & malo homine adeſt, itaut homo cogitationes, duritiam malitiæ, & mollitiem carnalis deſiderii incipiendo & perficiendo per eam exerceat, & ſicut ſanguinei rivuli ad ſtomachum currunt, ſic ipſa viribus ſuis totum corpus pertranſit. Sicut etiam ſtomacho non prodeſſet, ſi ſemper plenus vel vacuus foret, ſic etiam animæ obeſſet, ſi corpus in deliciis deſideriorum carnis ſemper viveret, quoniam in viribus eſuriem deſideriorum naturæ ſuae habendo deficeret, ut etiam homo ſenſu & corpore ſæpe deficit, qui in pinguedine carnis ſuæ inceſſanter peccat.

Quia ſicut caro hominis læditur ſi vel ſuperflue vel minus neceſſario ciborum alimenta percipiat ſic & anima ſi plus vel minus juſto diſtrictioni vel remiſſioni inſiſtat, & quod ſtomachus mundos quidem recipiens, ſed fœtentes cibos rejiciens, hominem qui in peccatis delectatur, ſed poſtea per pœnitentiam purgatur ſignificet.

LXXV. Si igitur cibi ſuperflue accipiuntur, caro hominis ex indigno livore infirmatur, vel ſi minus neceſſario ſumuntur, caro in defectu attenuatur. Sic itaque ſtomachus recte diſpenſator receptionis & emiſſionis ciborum eſt. Cum etiam anima ignea vi ſua hominem ita ſuperaverit, ut a carnalibus deſideriis, & a propria voluntate ſua abſtinendo ſe maceret, tunc per ſuggeſtionem diaboli ſuperbia inflatus, alios ſpernendo ſæpe dicit. Sanctus ſum & ab omnibus laudari & honorari merito debeo. Sicque oculis animæ ejus per ſuperbiam obcæcatis pro nimia triſtitia gaudium & cœleſte deſiderium habere non poteſt, & ideo in ipſo homine turbata dicit. Ach, ach, ego per fœtentem ſuperbiam obcæcata caeleſtibus deſideriis, in quibus Deum vidi & intellexi deſpoliata ſum. Unde etiam homo, qui non per carnem & ſanguinem, ſed per vires animæ qua Deum ſcit, & ſentit bona operatur, elationem in bonis operibus diligentiſſime caveat, ne per illam præmia aeternae beatitudinis amittat. Sicut enim homo ſi cibos ſuperflue vel ſi minus neceſſario receperit, caro ejus infirmatur; ſic etiam anima per elationem ſuperbiae, & per nimiam abſtinentiam, quae ſine diſcretione eſt deficit. Anima vero quae corpus vivificat, & quae Deum in trinitate unitatis intelligit, humilis ſpiritus eſt, humilitatemque ſuam in pueritia hominis oſtendit, qui nec- dum ſuperbiam vel odium in guſtu peccatorum habet. In quo etiam tamdiu laetatur, quouſque idem homo per deſideria carnis ad peccata moveatur, pro quibus ipſa dolendo ſemper lamentatur. Neque enim ſecundum deſiderium naturae ſuae in fictili vaſe corporis nunquam pleniter operari poteſt, cum caro exilium & ipſam vitam quaerat, ſed corpus quo peccante ſaepe affligitur, immunda illi & fœtida peccata cum dolore proponendo affligit, atque eadem peccata in triſtitia cognoſcere facit. Stomachus enim qui cibos recipit, quos iterum in fœtore emittit, hominem qui in peccatis delectatur ſignificat, & poſtea per pœnitentiam in moleſtiam peccatorum convertitur. V. IV.

Quod ſicut umbilicus omnium interiorum ſibi adhærentium fortitudo & ambitus terrae cæterorum creaturarum retentaculum exiſtit, ſic & univerſorum quae per corpus & animam geruntur ſive bona, ſive mala ſint ad ipſam animam reſpiciunt, & quia magna diſtantia ſit inter hos qui per elationem & hos qui per negligentiam delinquunt.

LXXVI. Et umbilico omnia interiora ventris adhaerent, ſicut & ad circuitum terrae reliquae creaturae reſpiciunt, quia umbilicus fortitudo ventris eſt, ſicut & ambitus terrae receptaculum caeterarum creaturarum exiſtit hoc deſignat, quod anima, quae mediatrix omnium operum hominis eſt, in ſanctis & bonis operibus non in ſe, ſed in Deo confidendo gaudet, & in peccatis quibus vas ſuum implicitum eſſe cognoſcit erubeſcendo contriſtatur, per quam triſtitiam idem vas ſcilicet corpus quaſi ſtimulo affligit, per quod homo intra ſe coactus dicit. Quare anima mea pro peccatis in quibus natus ſum, & a quibus me continere non poſſum, me tantum contriſtat, cum ea ante finem meum emendare confidam? Sic quoque homo in peccatis ſe conſolando, in ipſis quaſi in ſono epulantium gaudet. Unde anima de cujus natura conſolatio iſta non procedit, triſtitia repletur, quoniam ipſa vita eſt de divina rationalitate procedens, quae hominem qui omnis creatura eſt movet. Deus enim qui de viliſſima natura hominis tunicam humanitatis ſuae ex virginea carne Mariae Virginis ſibi texuit, humilitatem valde diligit, per quam ſuperbiam & malignitatem diaboli ſuperavit. Anima vero hominem in bono & malo ut columna domum ſuſtentat, quia cum ipſe per elationem ſanctitatis a Deo fugerit, per eam ſe Deo & hominibus odibilem intelligit, & ipſa eum hoc modo affligendo gaudium habere non permittit. Multi enim per elationem ſanctitatis pereunt, & plurimi praemia laborum ſuorum amittunt, ita ut in fine ſuo ad Deum ſuſpirando vix ſalvari poſſint. Qui autem per negligentiam ſanctitatis & per carnalia deſideria ſine ſuperbia peccaverint, illis Deus plurima peccata cum pro ipſis in poenitentia ſuſpiraverint ignoſcit, multique ex his ſancti & columna coeleſtis Jeruſalem poſtea efficientur. Sicut enim umbilicus fortitudo omnium interiorum ſibi adhaerentium eſt, ſic omnia opera ſive bona ſive mala ſint ad animam aſpiciunt, quia ipſa fortitudo illorum omnium exiſtit.

Quod umbilicus etiam terrae lutulentas & aquoſas immunditias in paludibus emittenti comparetur eo quod calor frigus & humiditas cibum & potum ſub eo diſcoctum ad inferiora digerendum urgeant, & quod ſimiliter anima voluptatibus carnis ſuperata & in ſordidis involuta operibus ad inferiora & poenalia loca niſi ſuſpiriis poenitentiae purgetur devolvenda ſit.

LXXVII. Umbilicus quoque cum carnalibus fiſtulis cordis, jecoris, & pulmonis, omniumque viſcerum in auxilium refectionis hominis ſurgit, quae omnia ſpiramen animae movet, quemadmodum aer cunctas vires terrae perflando confortat. Idem etiam umbilicus uſque ad finem lumborum quaſi terra quae ſemper quaſdam lutulentas & aquoſas immunditias in paludibus emittit eſt, quia calor, frigus, humiditaſque hominis, quibus ille regitur, in umbilico latent, & cibus ac potus quibus homo in carne & ſanguine vegetatur, ibi ad inferiora defluentes, velut lutum eiciuntur. Homo namque qui per vires

ani-

animae cum omni creatura ſecundum Deum operatur, etiam ſecundum naturam terrae cujus pars altera mollis, altera dura eſt, durus & mollis exiſtit, in cujus duritia per ſuperbiam, & in cujus mollitie per guſtum carnis anima contriſtatur, cum idem homo per illa ſuperatus, ei non conſenſerit. Sicut enim aer omnes creaturas ad creſcendum confortat, & ut umbilicus cum carnalibus fiſtulis in auxilium ciborum ſurgit; ſic anima omnia opera hominis viribus ſuis pertranſit, continet & perficit. Ipſa etiam operibus corporis, ſicut vermis tabernaculo ſuo quod ex luto facit tegitur, & ſicut per vermes qui interdum non videntur lutum movetur, ſic homo per inviſibilem animam ad ſordida opera movetur. Et licet ipſa omnia opera hominis quemadmodum hamus piſcem ad ſe trahat, tamen per corpus ita ſuperatur, ut ei nullo modo reſiſtere valeat. Pro peccatis quoque quae per corpus coacta operatur ſe puniendam, & ad judicialia tormenta adducendam cognoſcit, quoniam omnia in ipſa quaſi ſcripta videntur. Quapropter quamdiu ipſa in corpore manſerit, ſuſpiria doloris emittit, quia ut umbilicus ad lumbos extenditur, ſic peccata in ipſam extenduntur, & etiam cum ipſa in poenas emittuntur, ſicut eſca hominis in luto emittitur, & ut terra lutulentas immunditias emittit.

Quia ſicut terra & homo, illa per aeſtatem, hic per juventutem virent & floreſcunt, itemque illa per hiemem, iſte per ſenectutem arent & marceſcunt, ſic & anima manens in corpore & illud ſibi ſervire compellens de virtute in virtutem aſcendendo in bonis operibus & exemplis filii Dei vireſcit, & poſtmodum educta de corpore velut pretioſis ornata lapidibus, & receptionem corporis in quo laborarat inhianter expectans coram Deo requieſcit.

LXXVIII. Et homo in puerili & in juvenili aetate florendo perficitur, ac poſtmodum per ſenectutem in ariditatem inclinatur, ſicut & terra in aeſtate per viriditatem florendo decoratur, & poſtmodum in hieme per frigus in pallorem vertitur. Cum enim anima corpus ſuum ita ſuperaverit, ut ſimplici corde in bona voluntate ſibi conſentiat, & bonis operibus velut dulciſſimo cibo delectetur, homo ille in coeleſti deſiderio dicit. Quam dulcia faucibus meis eloquia juſtitiae tuae, quae etiam ori meo multo dulciora melle ſunt, & ſic cum puerili ſimplicitate ſine guſtu carnis in innocentia vivit. Anima vero hominem iſtum deſideriis ſuis tamdiu imbuit, quouſque de virtute in virtutem aſcendendo vireſcat & in bonis operibus & exemplis quae filius Dei hominibus reliquit floreat, quia livore peccatorum impolluta in ipſo gaudet & decoratur. Et ſicut in frigore hiemis viriditas, floriditas, & maturitas omnium fructuum deficiunt, ſic homo per mortem in omnibus bonis & malis operibus deficit. Homo autem qui in pueritia, in juventute, & in ſenectute bona opera feliciter complevit, anima ipſius cum eiſdem operibus lucida, & quaſi pretioſis lapidibus ornata coram Deo aſcendit, & corpus quod per eam operabatur, ut in jucunda manſione ſimul habitent vix expectat.

Quid fortitudo vel petulantia renum, & pinguedo terrae, quae moderata uberes, immoderata inanes fructus producit, in diverſis animae affectibus ſignificent.

LXXIX. In renibus autem, in quibus & fortitudo & lubrica petulantia diffunditur pinguedo terrae notatur, quoniam ut in illis aliquando vires hominis, aliquando quoque ea quae incongrua ſunt exurgunt, ita etiam moderata pinguedo terrae ubertatem fructuum, immoderata vero inanes fructus quamvis plurimi appareant interdum producit. Homo namque omnia quae ſub circulo ſolis & lunae in temporibus menſium operatur, per vires animae in ſapientia, in ſcientia, & in diſcretione perficit, per eam etiam quia ignea, & aerea eſt, ſecundum lunam quae creſcit & deficit, bonum & malum facit. Per vires quoque ejuſdem animae, quae per intellectum boni coeleſtis eſt, homo quaeque cogitat & operatur, temporaque temporum, & elementa cum quibus bonum & malum facit, cum differentia rationalitatis diſcernit, & omnia quae cognoſcit nominat. Et ſicut in renibus fortitudo probitatis, & infirmitas, proſperitas, & inutilitas latent, & ut terra per ſolem, lunam & aerem, omnia per quae homo vivit utilia & inutilia germinat, ita fortitudo illa in anima eſt, quatenus homo per vires ejus bona & mala, utilia & inutilia operetur.

Quod terra in medio aeris conſtituta ſit, adverſus tempeſtates montibus & collibus partim calidis vel frigidis, partim aeſtu & gelu temperatis velut urbs turribus & propugnaculis munita, & quod hoc modo anima in multiplici qua contra deſideria carnis exercet conflictu ſanctorum operum protectione ornetur & defendatur.

LXXX. Terra enim in medio aeris ut favus in medio mellis eſt, diverſis collibus elata, ita ut in quadam parte colles nimio aeſtu, in quadam nimio frigore inhabitabiles habeat, in quadam autem parte colles aeſtu & frigore temperatos. Per colles quippe firmata eſt, ut urbs cum turribus & propugnaculis. Colles itaque valles obtegunt, & montes terram contra varias tempeſtates defendunt; quapropter & ipſa montibus & collibus velut muro circumdata & firmata eſt, hoc deſignat quod anima, quae ex praecepto Dei tota corpori infixa eſt, in illo ſe cum omni creatura operaturam coeleſtia & terrena opera cognoſcit. Intelligit etiam quia Deus qui omnia mala opera judicat in bonis operibus hominis ab omnibus angelis & ſanctis ſuis laudatur, quoniam ipſe rex & imperator omnium in coeleſtibus & liberator in infimis exiſtens, hominem mortalitate carnis aſſumpta liberavit, & quod ipſe mirabilis Deus plurima miracula in ſanctis ſuis operatur. Cum enim homo ſecundum guſtum carnis ſuae peccaverit, per animam in poenitentia ſaepe revocatur, ſed qui a peccatis nunquam ceſſando animam ſuperaverit, in illo anima lacrymabili voce plangit, eo quod eſuries naturae ſuae nunquam reficiatur, dum pene nullam ſpem ſalvationis ad Deum habere poſſit. Sed gratia Dei eumdem hominem in amara poenitentia peccata ſua tandem cognoſcere faciens, eum ad relinquendum ſaeculum confortat, per quod anima multum laetatur, ſicque opera hominis terrae, quam aer ſuper & ſubtus undique tenet aſſimilantur, & anima cum corpore ut aer cum terra, & ut favus in medio mellis eſt. Sicut enim terra colles ad habitandum aeſtu & frigore temperatos, & quoſdam intemperatos & inhabitabiles habet, ſic etiam homo bona opera quibus ad coeleſtem patriam, & mala quibus ad poenalia loca ducitur exercet. Cum autem ipſa voluntatem carnis ſuperando victrix extiterit, bonis operibus ex natura ſua quoniam ſpiritus eſt delectatur, Deoque quemadmodum angeli, qui faciem ejus inſpiciunt, in amore fidei famulatur. Corpus quoque cui deſideria carnis contraria ſunt ad bona opera & ſancta cogit, & cum illud per fortiſſima bella bonorum operum devicerit, ejuſdem bonis operibus velut urbs cum turribus & propugnaculis ornatur & firmatur. Ipſa enim humilis eſt, & per viliſſimam naturam carnis qua opprimitur, lamentabilem vocem habet, per quam hominem, qui collum ſuum in ſuperbiam erigit, nunquam plenum gaudium habere permittit. Qui etiam ex natura ejuſdem animae propter moleſtiam peccatorum in poenitentia illorum gaudere non poteſt, & ſic anima in vera aſcenſione humilitatis, hominem ne in vanis viis ſuperbiae vagari poſſit conſtringit. Anima quippe quae per ſcalam humilitatis ad altum montem, qui habitatio coeleſtis Jeruſalem eſt aſcendit, hominem a ſuperbia diſcedere, & ad humilitatem *De humilitate.*

Digitized by Google

P. I. tem ſe inclinare, ne per dolum antiqui ſerpentis dimergatus ſemper uionet, quoniam ſicut valles de incongrua pluvia per colles, ſic homines per humilitatem a malis defenduntur. Et ſicut terra per montes & colles quibus velut muro detenſa & firmata eſt, a variis tempeſtatibus defenditur, ſic anima per ſancta opera quae humiliare velut muro muniuntur, ad coeleſtem patriam a confuſione diaboli perveniet.

Quia ſicut terra ſic poſita eſt, ut undique a ſole temperetur, ita & anima Deo ſubjecta a luce ſapientiæ diſcretionis virtute illuminanda perfundatur.

LXXXI. Terra enim ad curſum ſolis ſic poſita eſt, ut in omni loco ſuo per ipſum temperetur. Sic & anima, quae cum ſapientia temperata eſt, per guttas ſalientis fontis qui Deus eſt, hominem imbuit, ut in plateis diſcretionis & ſanctorum deſideriorum, Deum cognoſcendo ambulet, & propter amorem ipſius guſtum peccatorum ſuorum relinquat. Sed homo qui ſecundum deſideria animae operatur, per eam cum ſanctis operibus quemadmodum terra in omnibus officiis ſuis per ſolem illuminatur.

Quia homo in ſimilitudine terrae factus oſſa ſine medulla lapidum vice, oſſa cum medullis vice arborum habeat, & quod ſecundum qualitatem morum ſuorum, vel duritiam lapidum, vel amenitatem horti floridi ſeu pomerii fructiferi pec ſignificationem recipiat.

LXXXII. Terra etiam cum lapidibus & arboribus firmata eſt, & ſecundum illam homo factus eſt, quia caro ejus ut terra eſt, oſſa autem ipſius ſine ſuco medullæ, ut lapides ſunt; oſſa vero cum medulla velut arbores exiſtunt. Unde & homo ædificium ſuum ſecundum ſe ex terra, ex lapidibus, & ex lignis componit. Anima quoque cui deſideria carnis contraria ſunt, & quae firmamentum totius corporis eſt, illud viribus ſuis infundens, omnia opera cum homine operatur & perficit, ipſeque homo floridus hortus, in quo dominus oculos ſuos paſcit ſecundum deſiderium animae operando efficitur; cum autem ſecundum voluntatem carnis operatur, coram oculis Dei ſicut ſol cum eclypſim patitur non lucet. Homo enim qui bona opera fecerit pomerio omnium bonorum fructuum repleto aſſimilatur, ſicut terra quae lapidibus & arboribus firmatur, & ornatur; cum autem per duritiam peccatorum mala opera perpetraverit, ſicut dura terra quae ſine fructu eſt coram Deo infructuoſus exiſtit. Caro namque hominis bonam ſcientiam, quae fructiferam mollitiem habet, & oſſa malam ſcientiam, quae contra Deum ſe indurat ſignificant, oſſa autem quae ſine medulla in eo ſunt mala opera ipſius deſignant. Anima vero ſecundum Deum in homine operans eſt, quoniam ſicut ipſe coelum in pleno gaudio coeleſtibus conſtituit, & ut terram hominibus ad habitandum dedit, ſic anima in gaudio cum homine bona opera, quae coeleſtia ſunt, & in querela triſtitiae mala opera quae terrena ſunt operatur. Scientia itaque boni & mali viſcera animae ſunt, quibus hominem humilitatem, quae materia omnium virtutum eſt, docet, & quae hominem in viribus ſuis in peccatis ita conſtringit, ut illa in gaudio nunquam perficere poſſit. Et ſicut homo omnia aedificia domus quam aedificare vult ſecundum voluntatem ſuam praevidet, ſic ipſa omnia opera in homine ſecundum quod poteſt diſponit.

Homo eſt floridus hortus.

Scientia boni & mali.

Item quod ſicut aer terram in medio ſui æquali undique menſura poſitam ſuſtentat & continet, ita corpus & anima a Deo conjuncta licet natura plurimum diſtent, in facienais communiter præceptis creatoris ſui patienter ſe invicem ſuſtentare & inſtruere debeant.

LXXXIII. In medio quoque aeris terra poſita eſt, ita ſcilicet ut aer aequali menſura ſuper terram, ac ſub terra, & in utraque parte terrae ſit. Anima etiam quae vivens ſpiraculum a Deo in corpus miſſa eſt, hominem ut cum patientia praeceptis Dei in hac laborioſa vita obediat inſtruit, in qua in tanta diſſocietate quanta coelum & terra diſtant, inhabitat manetque, ut qui ſcientia ſua quid ipſe ſit pleniter comprehendere non valet, in labore certaminis ſui cum patientia & obedientia ad creatorem ſuum tendendo reſpiciat. Sicut enim aer in medio terrae eam ſuſtentando & continendo eſt, ſic anima in medio corporis, illud totum ſuſtinendo habitat, & in illo ſecundum quod ab eo poſtulat operatur. V. IV.

Quod veſica quae potus recipit & emittit, curſus fluminum quae per terram diffunduntur oſtendit, & quod in hunc modum victrix carnis anima corpus ſuum fluentis praeceptorum Dei bona recipiendo mala emittendo irrigare debeat, appoſito in teſtimonium verſu pſalmi CXVIII. ad hoc competente

LXXXIV. Sed veſica hominis inundationem fluminum quae hac & illac per terram diffunduntur oſtendit, quoniam ut illa fluenta ventris recipit & emittit, ſic etiam & flumina nunc creſcunt, nunc vero decreſcunt, totamque terram irrigant. Anima itaque cui natura carnis & ſanguinis contraria eſt, hominem ut ab inquietis cogitationibus ſe abſtineat, & pro peccatis ſuis de gratia Dei non deſperet, ſed ut in vera humilitate ad pedes Domini pro illis ſe proſternat docet, quatenus omnipotens Deus in amara poenitentia ei peccata ſua miſericorditer ignoſcere dignetur. Cum enim ipſa hominem in humili natura ſua ita ſuperavit, ut ei in omnibus conſentiat, coelum ſic dicendo victorioſe pertranſit. *Concupivi ſalutare tuum Domine, & lex tua meditatio mea eſt.* Quod ſic intellectui patet. Ego in carne mea quae praeceptis tuis per ſe in bono non conſentit, te deſideravi & intellexi, & per vim ſalutaris tui quaſi veloci aqua ita infundebat, ut in medio virium mearum, & in medio cordis mei, mandata tua contra voluntatem ejuſdem carnis meditarer. Et quemadmodum molendinum grana ad edendum per aquas conterit; ſic ego quae torrens iter aquae in corpore ſum, omnia praecepta tua ex natura mea requirendo diligenter obſervo. Sicut enim veſica hominis aquoſam humiditatem corporis recipit & emittit, & ut flumina creſcendo & decreſcendo totam terram perfundunt, ſic victorioſa anima totum corpus bonum recipiendo & malum emittendo praeceptis Dei regit, cujus vires in bonis creſcunt, & in malis decreſcunt.

Quod ex locis corporis per quae digeſtio ciborum & potuum fit, ſecreti & ſubterranei meatus fluminum deſignentur, & querela animae lutulentis & foetidis operibus pollutae & per ſpem poenitentiae, & paſſione Chriſti in Deum reſpirantis, adducto in teſtimonium verſu pſalmi XLI. in hoc convenienti.

LXXXV. In locis autem ubi digeſtio ciborum & potuum emittitur, ſecreti & ſubterranei meatus praedictorum fluminum deſignantur, quia ut digeſtio in corpore hominis permanere non poteſt, ſed ejecta apparet, ita quoque & meatus iſti flumina ejiciunt, illaque ad apertam manifeſtationem perducunt. Cum vero anima in lutulentis peccatis a luce abſcondita eſt, ſe abſtinere non poteſt, quin lamentabili voce dicat: *Ach, ach, ego infelix quae vivens ſpiraculum adeo ſum, tanto foetore peccatorum involuta ſum, ut nullo laetitia coelum reſpicere valeam. Ach unde veni, aut quo vadam, & quid proſunt mihi omnia bona quae Deus creavit, cum in infernum dimergar?* Sed poſtea in ſe reverſa iterum dicit: *Confido in Deo meo, quia in vera poenitentia per miſericordiam ipſius de infernalibus tormentis, quae promerui liberari poſſim.*

Et

P. I. Et ſic per gratiam Dei conſolata & confortata iterum dicit: *Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me. Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi ſalutare vultus mei & Deus meus*. Quod ſic intellectui patet. Cum homo peccata ſua per naturam animae coactus emendare cogitaverit, in gaudio quod ex rivulis aquae vivae ei influxit dicit: *Quare tantum contriſtor & perturbor in anima mea, cum per gratiam Dei vulnera peccatorum meorum cum ſuſpiriis & lacrymis delere poſſim, quae per vulnera Domini mei, qui clavos & lanceam pro peccatis meis ſuſtinuit, me liberandam confido?* Omnia vero mala opera in amara poenitentia poſtea manifeſtat, ſicut etiam egeſtio ciborum & potuum emittitur. Sed & ſicut de ſubterraneis aquis flumina ſuper terram producunt, ſic de his rebus optima fama ſuper terram volat, quoniam qui in peccatis extinctus erat, in bonis operibus revelatur.

Quod per dorſum, & latera hominis planities terrae, per femora vero & loca ſeſſionis colles, & aſperitas ejuſdem terrae inferius durae & impenetrabilis, & ſuperiorem partem, quae mollis eſt, conſtringentis inſinuatur, & quod ſimiliter viribus animae mollities carnis a vitiis reſtringatur, ut virtutum margaritis decorata Angelos ſanctos & admirationem ſui & ad laudem Dei accendat.

LXXXVI. Dorſum autem & latera hominis planitiem terrae demonſtrant; anima vero quae operans ſpiritus nominatur, ſancta opera & claras virtutes, per quas Deus ab angelicis ſpiritibus laudatur, cum homine operatur, ipſaque corpori quod per omnia regit inviſibilis exiſtit, quemadmodum Deus qui totam terram creavit, hominis inviſibilis eſt. Et ſicut homo cum dorſo & latere potenter operatur, ſic etiam anima cum corpore omnia opera ſua perficit. In femoribus quoque & in loco ſeſſionis colles & aſperitas praefatae durae & impenetrabilis terrae oſtenduntur, quoniam ut femora lumbis & ventri adhaerent, & hominem portant, & ut locus ſeſſionis hominem retinet, ſic etiam haec inferior, & impenetrabilis pars terrae, ſuperiori tenerae, & molli parti ejus conjuncta exiſtit, illamque fortitudine ſua quaſi calips retinet ne diſſolvatur. Sicut enim homo totam terram artibus ſuis regit, eamque aratro aliquando profundius, aliquando levius evertit, ſic anima viribus & virtutibus corpus ſecundum guſtum carnis pertranſit & evertit, & cum fortiſſimis viribus ejuſdem animae homo gravia & criminalia peccata perficit, ſed leviora quae per cogitationes ſine opere fiunt, aliis animae tantum perficiuntur. Diabolus namque propter odium quod ad Dominum ſuum habet, delectationem homini ſuggerit, ex qua fumus quoties homo iraſcitur in corpore ejus aſcendit, quia homo nunquam iraſceretur ſi delectatione carnis careret. Anima vero quae immortalis vita eſt, in cujus diſceſſu corpus emoritur, omnia opera ſecundum deſideria corporis perficit, quemadmodum aerius ventus totam terram germinare facit, ipſaque in corpore operando, ſicut torrens aqua fluendo nunquam ceſſat. Omnes quippe Angeli ſuper hominem illum, qui ſanctis operibus velut elegantiſſima veſte induitur mirantur, quoniam ſocietatem cum illis Deum laudando etiam habebit, omniaque opera ejus anima ſuſtinet, ſicut femora & locus ſeſſionis totum hominem ſuſtentant. Et ſicut aſpera & acuta terra mollem partem terrae atque flumina portat, ſic vires animae totum hominem continent, quae ei quemadmodum femora cum lumbis ventri ſerviendo adhaerent. Ipſa etiam cum viribus ſuis opera hominis quemadmodum poſterior pars ipſum ſuſtinet, & eum in bono gaudere, & in malo contriſtari cogit, boniſque operibus & variis virtutibus velut bacis & margaritis eum circumdat. Unde & Joannes dicit.

Angeli gaudent de bono homine.

V. IV.

Verba Sancti Joannis Apoſtoli in Apokaliſi ſua decorem ſponſae Chriſti, ideſt animae ſanctae contemplantis & deſcribentis, & David in pſalmo excellentiam hominis praedicentis.

LXXXVII. *Vidi Jeruſalem deſcendentem de coelo, ornatam tamquam ſponſam viro ſuo*. Quod ſic intellectui patet. Sponſa iſta ſanctam & ornatam animam, quae Chriſto in dote ſanguinis ſui adjuncta eſt, & ad eum quemadmodum ſponſa ad ſponſum reſpicit deſignat, quia ipſe filius Dei in alvum virginis deſcendit de Coelo, in qua novam & ſanctam civitatem Jeruſalem aedificavit. Angeli namque qui faciem Dei ſemper inſpiciunt, in operibus ſanctorum, quae cum innumerabilibus ornamentis ad faciem Dei lucent, & ad coeleſtem Jeruſalem aſcendendo nova tabernacula ſemper aedificant, & etiam coram eis ut aurea ſcriptura fulgent mirantur. Unde in ſono pſalterii, cytharae, & vocis omnium laudum ſonant. Deus vero hominem ideo creavit, ut lucida opera, quae in coelo fulgerent, operaretur, quatenus angeli in operibus ejuſdem hominis, ut etiam in facie Dei mirarentur. Unde etiam ſcriptum eſt. *Minuiſti eum paulo minus ab angelis, gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum*. Quod ſic intellectui patet. Deus Angelis qui laus ejus ſunt, praeſens ſemper eſt, ideo ab eis videtur & cognoſcitur, cum homo qui opus cum anima eſt, eum in fide & non in divinitate videat, quem Deus glorificat, honorat, & multum ornat, quoniam eum ad obedientiam praeceptorum ſuorum creavit, & ſuper omnia opera quae fecerat eum conſtituit.

Item de comparatione durae & mollis vel calore vel algore inhabitabilis terrae, & unde terrae motus contingant, & quod eadem terra ſi ſubtus quaſi ferrea vel calibinea non eſſet, ab aſcenſu ſolis nimio aeſtu, & ab occaſu ejus nimio frigore diſrumperetur, & de multifaria concertatione carnis & animae ſecundum ſuprapoſita.

LXXXVIII. Nam tenerae parti terrae dura & velut ferrea pars altera terrae ſubjuncta eſt, quae in duritia ſua, quemadmodum calibinea ſit perdurat, ita ut nec confringi, nec emolliri ulla inundatione circa eum concurrentium aquarum poſſit. Homo quoque cum delectationem carnis amplectitur, anima in ſpiritali natura ſua dicit. *O ve mollitiei guſtus carnis, quam ego affligo, & a qua affligor.* Unde homo in peccatis ſuis mox ingemit dicens. *O ve mihi, quod ad tanta peccata, quae in me ſuperare non poſſum natus ſum*. Et mox ut anima moerorem iſtum ſenſerit hominem plus quam prius in peccatis puniendo ad ſe trahit, & eum propter peccata ſua triſtem reddit, quoniam vires animae in ipſo aruerunt. Poſtea namque homo ſecundum naturam animae operando, ipſam in mortificatione carnalium deſideriorum prodit, quatenus eam in coeleſti deſiderio inveniat. Sic quoque anima hominis, in quo obdurationem cordis non invenit ſuperat, quemadmodum dura, & quaſi ferrea terra mollem in poteſtate ſua ſuſtentat, ipſaque anima fortitudine fidei quaſi calibe eum firmat, ne per circumeuntia mala conſuetorum peccatorum deficiat. Pars itaque haec durae & velut ferreae terrae colles cum rupibus habet, & flumina quae in oriente in quatuor partes diviſa fluunt, eam ſcindere non praevalent, ſed eam interdum movent, nec tamen vulnerant. Motio autem illa ex nimio aeſtu ſolis ab illa parte firmamenti fit, ubi ſol aſcendit, & ſi terra ſubterius, ut ferrea ſeu quaſi calibinea non eſſet, ex nimio aeſtu hoc tota ſcinderetur. Ab altera quoque parte firmamenti ubi ſol occidit ex nimio etiam frigore rumperetur. Nam & ex immoderato fervore ſolis, & ex immoderato frigore iſtae partes terrae inhabitabiles ſunt. Proinde & anima quae humilis naturae eſt contra ſuperbiam hominis ſemper pugnat, eique dicit: *Quare in tan-*

Recte corpus ab anima increpatur.

P. I.

tam altitudinem quaſi te ipſum creaveris aſcendis? Si enim per te ipſum eſſe, vel operari deſideras, ut primus angelus cades. Ipſa etiam Deum, a quo ipſa ſpiritalis eſſentia facta eſt, ſcit, & ſentit, & quod ei nullus ſimilis eſt intelligit, ideo ſuperbiam quae ſine gaudio eſt, & per ſeipſam eſſe, & nulli obedire vult odit. Unde etiam ſuperbae menti corporis ſui dicit: *Omnia quæ quaeris vana & fallacia ſunt, & quae tu honorem nominas, haec blaſphemia ſunt, & cum te abſcendere putas, ſine adjutorio Dei & hominum cades.* Sed homo ex moerore animae ſaepe ſuſpirat, & ab omnibus operibus ſuperbia declinando, in altitudinem ſanctorum operum humilitatis aſcendit, per quam ipſe in medio peccatorum, quemadmodum dura terra collibus & rupibus tenetur & firmatur. Et tunc homo bona & ſancta opera cum elementis in alio modo quaſi reviviſcendo operatur, ne quaſi vulneribus mortis condemnatus, coram Deo & hominibus derideatur, ſicut etiam eadem terra de quatuor fluminibus in viribus ſuis non diſrumpitur.

Anima ventoſa eſt quia ſpiritus.

Anima autem quae ventoſa eſt omnem creaturam per cor & venas in homine dum peccata quae ſibi moleſta & contraria ſunt, cum eo operatur movet; ipſumque poſt gaudium peccatorum ſaepe plorare facit, & poſt ſecuritatem eorum in magnam confuſionem convertit. Homo etiam magnam infirmitatem multoties incurrit, cum omnia interiora viſcera ſua rectum iter perficiendo, quae vult non habet, ſicque anima quaſi tempeſtas in homine cum peccatis, & etiam cum poenitentia ipſum affligendo eſt, & quantum ipſa in peccatis doluit, tantum eum in poenitentia dolere facit. Ipſa quoque anima in omni fervore peccandi & poenitendi hominem quemadmodum ferrea & calibinea terra mollem ſuſtentat ne deficiat, quia ipſa vitalis virtus corporis eſt, quod nunquam cum gaudio peccata ſua operari permittit, quodque in peccatis ita ſaepe affligit, ut ab illis ſe ſurgere via ſperet. Anima vero per hoc eum iterum excitat, & ut per gratiam Dei ſe liberandum confidat, ne in diſperſionem deſperationis decidat conſolatur, quod etiam terra quae ex nimio frigore occidentis non rumpitur ſignificat. Terra enim quae pro nimio frigore & aeſtu inhabitabilis eſt deſignat quod homo qui propter expulſionem Adae parvum locum habitabilis terrae ut peregrinus inhabitat, inter praelia & bella peccatorum & poenitentiae nunquam ſecuritatem habere poſſit, quoniam in lacrymabili exilio plenum gaudium coeleſtis patriae videre non poteſt, niſi quod illuc a longe in umbra fidei tendit. Unde cum nullam ſecuritatem ſe habere videt dicit.

Verba David in pſalmo CI. *velocitatem dierum ſuorum & defectum ſuum deplorantis.*

LXXXIX. *Dies mei ſicut umbra declinaverunt, & ego ſicut fenum arui.* Quod ſic intellectui patet. Homo ex originali peccato in his quæ præterita & futura ſunt, caecus eſt. Unde ea in ſcientia ſua quaſi umbram habet. Qui etiam per hoc quod nullam ſecuritatem habet, ut fœnum areſcit, cum omnia opera ſua ei incerta ſint. Omnes enim dies hominis deficiendo in oblivionem ducuntur, ſed aeterna vita ſtabilis & nova eſt, ut etiam aeſtas omni anno novos fructus profert.

Quod terra quidem in omni ſuperficie ſua rotunda ſed non plana propter tumores collium & montium quos undique geſtat exiſtens inæqualem humanæ converſationis propter diverſa virtutum & vitiorum quæ inter animam & carnem geruntur certamina, tenorem ſignificet.

XC. Terra namque montes & colles portat, & intra rotunditatem ſuam plana non eſt; ſed tamen aer eam ubique tangit, ipſaque ſupra & ſubtus montes & colles fert, quemadmodum cervus cornua ſua Anima quae ſpiraculum a Deo eſt, frendenti moleſtia avaritiamque collum luxuriae exiſtit odit, quoniam homo per haec duo vitia pacificos & manſuetos mores, nec in ſe, nec ad alios habere poteſt.

V. IV.

Anima conjuncta eſt corpori.

Ipſa quoque anima corpori ideo immiſſa eſt, ut ad confuſionem diaboli contra ſuggeſtionem ipſius cum homine pugnet, quia luxuria per ipſam ſuggeſtionem Leviathan, qui totum mundum deglutire vult in ipſo exurgit, per quam etiam ut avarus homo pecuniam animas inquinare, & ad ſe trahere deſiderat.

Homo ſuperbus & avarus.

Homo namque qui ſuperbus & avarus exiſtit, poſſibilitate peccandi, quemadmodum terra montibus & collibus ponderata, nequaquam plana eſt, ſe ponderat, cum relicto timore Dei ac ſi per eum judicandus non ſit ſecundum deſideria cordis ſui quaecumque vult operatur. Et ſicut aer terram non communit, ſed ſecundum qualitatem tempeſtatis tangit, ſic ipſe opera iniquitatis excuſando ſecundum vanitatem cordis ſui injuſte operatur. Sed anima etiam viribus ſuis hominem illum affligendo ad Deum pro peccatis ſuis ſuſpirare facit, ac montem ſuperbiae in ipſo proſternens, eum ſuper terram in humilitate ſancta & bona opera facere cogit, qui prius peccata in ſuperbia quaſi ſub terra operatus eſt. Ipſa etiam in poteſtate ſcientiae ſuae bonum & malum operatur, & ex magna afflictione, quam in corpore ex ſuperbia habet dicit: *Ach ach, unde veni, & quid operor modo, cum ſuſpiriis plangentem vocem profero, quia ſcientiam meam cum putredine peccatorum miſceo.* Et ita lugendo hominem cogit, ut his verbis dominum adoret. *Miſerere mei Domine, quoniam animam meam in peccatis pollui, & ſana contritiones cicatricum vulnerum meorum, quia tibi ſoli peccavi. O Deus meus amplius doce me ſancta & bona operari, quibus anima mea ſanetur, quam multum perturbavi.* Poſtea namque homo ſe totum ad Deum inclinat, & eſurie animae ſuae deficiente, in convivio poenitentiae laetatur.

Quod ſicut inferior ſuperficies terræ pulſantes ſe & circumfluentes aquas quaſi ferrea repellit, ſic & vis animæ velut calips qui cætera acuit ferramenta fallaciam & immiſſiones diaboli domare & a ſe repellere debeat.

XCI. Nam ſuperficies terrae ſubtus quemadmodum ſupra rotunda exiſtit, ipſaque ad intrantes & circumfluentes aquas quaſi ferrea eſt. Anima quoque quae in corpore latitat, & in omnes ſenſus corporis cogitando, loquendo, & operando volat, ſecundum iſta cum omni creatura in homine operatur, cum alii ſpiritus laus Dei tantum ſint, nec operentur.

Nunc de homine.

Homo enim de cujus operibus angeli Deum laudando mirantur, coeleſtis & terreſtris eſt, unde in coelo glorioſe laudatur, & totam terram operando replet, & ita vis animae ipſius rotunditati terrae aſſimilatur, quae in corpore & in omnibus operibus hominis circuit, & etiam ſecundum naturam carnis, & ſecundum naturam ſuam operatur. Vis itaque animæ ut calips eſt, per quem omnia ferramenta acuuntur, & firmantur, quoniam ipſa deſideria carnis, quae naturam ipſius intrant pugnando ſuperat, ne homo pereat, ipſaque ne pondere peccatorum ſuffocetur, contra omnem fallaciam diaboli bellatrix exiſtit.

Quod flexura tam æquales quam diſpares, quæ in homine a femore per genu & talum uſque ad finem maioris arcuis pedis, & a vinctura manus uſque ad extremum medii digiti inveniuntur & in mundo oceani & fluminum incurvationes & reflexiones ſignificent: & in homine impetus & æſtus libidinum, & multiplices compaginatium naturarum carnis & animæ oppoſitiones deſignent.

XCII. A genibus vero uſque ad talum eadem menſura eſt, quae a loco egeſtionis, ſeu a femore uſque ad genu exiſtit. Et in menſura membri hujus ſcilicet quod a genu uſque ad talum eſt, oceanus, qui totam terram comprehendit, deſignatur,

quo-

Digitized by Google

P. I.

quoniam ut crura ad poſteriora recurvantur, ita & aquae iſtae omnem rotunditatem terrae circumamplectentes metam ſuam non tranſeunt. Aquae etiam iſtae extra meatum ſuum non ruunt, quia velut in ſulco, & quaſi in canalibus fluentes, eoſdem terminos non excedunt, & aquis quae ſuper firmamentum ſunt in profunditate ſua aequales exiſtunt. Sic & anima quae in omnibus membris hominis conſtituta eſt, per illum ad omnia deſideria carnis feſtinat, ut follis flare cogitur, unde & lamentando ad eumdem hominem dicit. *Ach, ach, cineroſa putredo, cur a Deo mea in te unquam miſſa ſum, quae in tua deſideria me ita involviſti, ut diabolica ſuaſione criminalia opera tecum cogat perficere?* Tunc homo licet in petulanti convivio peccatorum vivat, propter querelam animae intra ſe ſaepe dicit. *O ve mihi, quare a peccatis me continere non poſſum? qui opera mea coram Deo & hominibus polluta eſſe cognoſco, & quare non timeo Deum meum, qui omnem maculam peccatorum ſicut malitiam diaboli judicanda abicit?* Poſt ea homo in amara poenitentia a peccatis ea dinumerando declinat, & in eamdem moleſtiam, in qua anima ipſo peccante fuit, ſic dicendo ducitur. *Ach, ach, ego creatoris mei oblita ſum, quando a deſiderio carnis in ſcientia rationalitatis mea propter timorem & amorem ejus non declinavi;* ſicque in vera poenitentia ſe ad terram proſternens, ad Deum ſic orando clamat. *O Deus meus adjuva me, & per ſanguinem tuum educ me de profunditate peccatorum meorum, quibus quaſi in infernum merſus ſum, & per gratiam tuam trahe me ad te, ut ad ſalvationem ſurgere poſſim.* Sicque ſingula peccata ſua in vera poenitentia conſiderando abluit. Menſura enim quae a loco egeſtionis ſeu a femore uſque ad genu exiſtit, ſignificat quodvis libidinis in lumbis viri, & in umbilico mulieris per primam ſuggeſtionem diaboli excitatur, cum per malum ejuſdem deceptionis, pari ſtudio deſiderando & operando peccata luxuriae perficiunt. Sed homo poſt ea per animam in dolorem & in moleſtiam eorumdem peccatorum ducitur, quod etiam menſura quae a genibus uſque ad talum eſt deſignat.. Talus quidem locum exilii, in quo Adam poſitus eſt oſtendit, quod homo in omnibus operibus ſuis bonis & mali oblıviſci non poteſt, quia in malis operibus expulſionis Adae recordatur, & in bonis operibus qualiter a Deo creatus ſit reminiſcitur. Deus quippe animae rationali habitaculum in tanta plenitudine creavit, ut in illo omnes virtutes ſuas exercere poſſet, ſicut & homo domum aedificat, quatenus in illa omnia quae vult operetur, & ut etiam venti a Deo creati ſunt, ut aliquando in jucunditate, alio modo in periculo, quaeque flatu ſuo pertranſeant. Et ſicut oceanus locum in quo fluit non excedit, ſic anima modum iſtum non relinquit, quin in bonis operibus gaudeat, & in malis contriſtetur. Cum enim homo ſecundum deſideria carnis peccat, coram Deo ut tenebroſa nox eſt, cum autem ſecundum naturam animae operatur, coram Deo & angelis ejus ſicut lux diei lucet. A talo autem uſque ad finem majoris articuli ea menſura exiſtit, quae a junctura manus uſque ad ſummitatem finis digiti, qui medius dicitur, eſt, ut ſupra demonſtratur. Pedes quoque caetera flumina demonſtrant, quae ſe per totam terram dividentes, illam ubique irrigant. Et ſicut iidem pedes cruribus, & ut manus brachiis adhaerent, ſic & flumina iſta vires ſuas ab oceano ſumunt. Deus quippe elementum terrae creavit, quae per vires caeterorum elementorum germinat, ut etiam mulier per vires viri foeta exiſtit. Homo itaque per animam divinus, & per terram terrenus, plenum opus Dei eſt. Unde etiam terrena ſcit, & in ſpeculo fidei caeleſtia cognoſcit. Sicut enim a talo uſque ad finem majoris articuli, & a junctura manus uſque ad ſummitatem finis medii digiti aequalis menſura exiſtit, ſic anima per quam homo ſe Deum habere intelligit, aequali menſura ſine omni defectu corpus poſſidet,

Aquæ quæ ſuper firmamentum ſunt æquales ſunt aquis, quæ ſunt ſub firmamento.

Nunc de homine.

Flumina ab oceano fluunt.

Homo eſt plenum opus Dei quia caeleſte & terrenum.

V. IV.

illudque eam aequali menſura ſuſtinet, itaut anima in illo nullum defectum in omnibus operibus, quae cum corpore operatur habeat. Et ut etiam terra utilia & inutilia germinat, ſic pedes hominem ad utilia & inutilia opera portant, & ut ab oceano omnes aquae fluunt, ſic per corpus & animam omnia opera hominis peraguntur.

Item quod in flexuris humerorum & brachiorum, manuum, lumborum, poplitum & pedum, in quibus duodecim majores inflexiones ſunt, quatuor principalium ventorum & octo collateralium ipſorum flatus & ſpacia quibus a ſe differunt inſinuent, & quod iidem venti calore, frigore, ſiccitate & humiditate invicem temperentur.

XCIII. Sed in poplite dextri cruris, ubi crus hominis incurvatur, principalis occidentalis ventus demonſtratur; in femore autem & in talo ejuſdem cruris ſpiramina eorumdem collateralium ventorum deſignantur. In poplite quoque ſiniſtri cruris principalis ventus ſeptemtrionalis notatur; ſed in femore ac in talo ipſius collaterales venti ejus oſtenduntur; in lumbis quoque & in pede cruris illius flatus collateralium eorumdem ventorum manifeſtantur. Deus itaque ut praefatum eſt conſtitutionem ventorum in homine ſignavit, videlicet in flexura brachiorum, in ſcapulis ac in manibus, in genibus quoque, in lumbis & in pedibus, in quibus duodecim majores inflexiones ſunt, quemadmodum etiam duodecim venti exiſtunt. Flexurae etenim brachiorum cum ſibi appendentibus membris orientalem & auſtralem ventum cum collateralibus eorum, ut praedictum eſt, deſignant; genua vero cum appendentibus ſibi membris occidentalem & ſeptemtrionalem ventum cum collateralibus ipſorum demonſtrant; atque quemadmodum membra iſta omni corpori adhaerent, ita etiam & venti iſti cum miniſtris ſuis firmamento aſſiſtunt. Alter quoque per alterum calore, frigore, ſiccitate, & humiditate temperatur, officiaque ſua congrue exercent, ut etiam homo brachiis & manibus ſuis omnia operatur, quae in ſcientia ſua dictat. Et ſicut haec membra æquali menſura a ſe differunt, ita etiam venti æquali ſpatio a ſe diſtant.

Specialiter de periculoſa aſperitate, & noxio flatu aquilonis qui in æſtate interdum frigido humore fructus lædit & arbores arefacit, ſolem obfuſcat, & lunæ nitorem per diverſos colores immutat.

XCIV. Sed inter hos aquilo aſperitatem & horrorem ſuum ſæpius oſtendit, cum ventoſam alam ſuam in rotam firmamenti, & contra orientem extendit, ubi & terribilem & nocivum fumum multoties movet, frigidamque humiditatem in aeſtate emittit, quae fructum terrae laedit, arboreſque arefacit. Cum iſtud acciderit, idem horribilis flatus cum magna ferocitate ſe aggerat; nubemque per quam ſpera ſolis lucet obtegit, ita ut hominibus ſol defeciſſe videatur. Sic quoque idem flatus errorem ſub nubibus facit, unde & tenebrae in terra tunc fiunt. Sed iſtud ab hominibus videri non poteſt, niſi cum magna portenta praefigurantur, quoniam per elementa iſta moventur, velut manus per brachium flecti, ſignare, omniaque operari poteſt. Et idem flatus propter contraria opera hominum cum luna multoties ita ludit, ut ipſa eis interdum coloris nigri, interdum ferrei, & interdum quaſi per partes coloris varii diſtincta appareat. Quapropter & aſpectus ejus terribilis hominibus tunc eſt. Aquilo namque in omni parte ad quam ſe dirigit periculoſus eſt, & omni rei ſuper quam efflat nocens, calidumque flatum, qui de ſole cum humiditate roris ſuaviter volat, & omnem viriditatem, & fructus agrorum in terra perficit, frigiditate & aſperitate ſua conturbat, proſperitatemque utilitatis devitat. Alios autem ventos ſuſtinet, quemadmodum homo, qui ad parietem ſe

P. I. reclinat, & eis ſic miniſtrat, omniaque luminaria per tenebras aquilonis ornatiora & ſpecioſiora in creaturis videntur, quia lumen in ipſo non eſt. Et ſecundum hunc modum ſiniſtrum etiam brachium dextrum ſuſtentat, eique miniſtrat.

Quomodo univerſa hæc, quæ de menſuris vel inflexionibus humanorum artuum ſeu ventorum duobus ſuperioribus capitulis comprehenſa ſunt, ſed & viciſſitudo dies & noctis & horarum ad animam referenda ſunt, & quod ipſam animam Deus quatuor viribus, quas ſecundum corpus ex elementis ſcilicet igne, aere, aqua, & terra habet, & ſecundum ſe item quatuor quaſi quibuſdam alis ad regendum ſe ipſam & idem corpus ſuum inſtruxerit.

XCV. Haec omnia ad animam proſpiciunt. Quae ſcilicet anima in corpore in ſimilitudine ventorum quorum flatus non videtur ſed auditur manens, per hoc quod aeria eſt, ſufflatum & ſuſpirium & cogitationes ſuas quemadmodum aer volans dilatat, & quae etiam per humiditatem ſapientiae rori aſſimilatur, per quam bonas intentiones ad Deum habet. Sicut enim ſplendor ſolis totum mundum illuminat, & tamen in ſe non minuitur; ſic ipſa in brevi ſtatura hominis tota eſt; quamvis per cogitationes ſuas ubique volet, per ſancta quidem opera in laude Dei ad ſydera aſcendens, per mala autem opera peccatorum in tenebras deſcendens. Quod etiam ſol deſignat, qui viribus ſuis in die ſuper terram, & in nocte ſub terra lucet. Ipſa quoque bona intentione aſcendit, & mala intentione perverſe operando deſcendit, ſicut & crura cum poplitibus ſuperius & inferius, in diverſis negociis agitantur. Occidentalis enim ventus, qui aliquantum timendus eſt, bonam intentionem hominis, quae nunquam ſine timore eſſe debet, per quem homo dum adhuc in fœtore peccatorum eſt, ſicut per poplitem ſuſtinetur oſtendit, cujus talus & pes voluntatem & deſiderium, per quæ bona intentio cum operibus perficitur demonſtrant. Et ſicut vento occidentali collaterales ſui in officio ſuo aſſiſtunt, ſic voluntas & deſiderium operi aſſunt. Dexter quippe collateralis occidentalis venti deſignat, quod homo velut in dextra parte animae conſentiendo peccata in ſe ipſo devincit; ſiniſter vero quod peccatis ſuperatus, velut in ſiniſtra parte in oblivione Dei vivit, oſtendit. Aquilo autem qui flatu ſuo omnem viriditatem terrae arefacit, ad quod eum collaterales venti ſui adjuvant, oſtendit, hominem ſecundum voluntatem, & delectationem cordis ſui deſideria carnis perficientem, per quae ab omni felicitate coeleſtium bonorum deſtituitur. Sed cum idem homo velut homo ſiniſtra parte mala perpetrando animae non coulentit, vis rationalitatis ipſius quaſi in dextra parte ab hoc eum prohibet, & tamen omnia opera bona & mala per ipſam perficiuntur, ſicut per æſtatem omnes fructus terrae proferuntur. Deus etiam animam per quatuor vires quas de igne, de aere, de aqua, & de terra habet, ſapientem ad regendum vas ſuum ſcilicet corpus creavit, cum quibus etiam omnia officia ejuſdem corporis cum ipſo operando perficit. Ipſa vero antequam in corpus mittatur, nihil operata eſt, ſicut etiam cum illud exuerit, nihil amplius operabitur. In flexuris namque membrorum hominis Deus quatuor ventos cum collateralibus ipſorum ſignavit, in humeris, in ulnis, in manibus, & in lumbis, in genibus, ac in pedibus, quorum unus ſcilicet orientalis ventus fortitudini aurorae adjunctus eſt, quae de frigiditate noctis rorem habet, quem ſuper terram mittit. In mane enim aurora lucet, in prima ſol diem illuminat, in terra ardere incipit, & in ſexta plenitudinem ardoris apprehendit. Per quod deſignatur, quod homo per bonam intentionem primum ſuſpirat, poſtea lacrymatur, poſt lacrymas bona opera incipit, quae poſt ea magno ſtudio bonae intentionis complet. Homo namque qui in ſancta converſatione bonorum operum

Nota de anima qua ad ſimilitudinem hominis & venti eſt, & ſapientiam ſtillat ut ros & ut ſol in ſuo calore lucet opera ſua illuminando.

Anima dum eſt in corpore operatur ſapienter.

Quatuor venti cum eorum collateralibus deſignantur in opere hominis.

Homo procedens ad pœnitentiam.

fortiter ardet, velut auſter eſt, qui prius per ſuſpiria & bonam intentionem, velut in oriente ſancte vivere incepit; ſed poſtea velut in occidente inquieta bella, quibus anima corpus domabat ceſſant, quemadmodum aeſtus ſolis, qui in oriente incipit, & in auſtro pleniter ardet, in occidente tepeſcit. Sicut enim oriens & auſter in calore diei ſe conjungunt, ita anima virtutem virtuti adjungit, & omnia bona opera ſicut manus cum brachiis perficit. Sol autem finito die in occidente deſcendit, ſicut & genua hominum cum pedibus ſuper terram currunt. Ad veſperum etiam jocunditas diei in taedium ducitur, nec homo in luce diei tunc gaudet, ſed medium dormiendo habet. Hoc eſt quod homo ſecundum guſtum carnis operans, & carnalibus operibus occupatus, coeleſtium bonorum obliviſcens, nocturnalis efficitur; cum autem per animam in igne Spiritus Sancti ſanctas virtutes operatur, in amore Chriſti a concupiſcentia carnis refrigeſcit. Anima quippe rationalis enm ſono verba multiplicando profert, quemadmodum arbor ramos multiplicat, & ab ea omnes vires hominis ſicut ab arbore rami procedunt, ipſiuſque opera qualiacunque ſint, quae cum homine operatur, ſicut fructus arboris cognoſcuntur. Ipſa namque quatuor alas habet, ſcilicet ſenſum & ſcientiam, voluntatem & intellectum. Per alam ſenſus ſe vulneratam ſentit, & quae caro diligit, declinat, quia ſemper mobile ſpiramen eſt, per alam quoque ſcientiae corpus deſiderium operandi habet, quia ſe per animam vivere cognoſcit, per alam autem voluntatis anima cum corpore operari deſiderat, quoniam illud factum videt; ſed per alam intellectus fructus cujuſque operis ſive utile, ſive inutile ſit, quoniam ipſa in finita vita manet cognoſcit. Per iſtas itaque quatuor alas ante & retro cum ſcientia boni & mali oculos habens, per bonam quidem ſcientiam, quaſi ante cum bonis operibus; per malam autem quaſi retro malis operibus velut avis volat. V. IV.

Anima quatuor alas habet.

Item de creatione aquilonis, & quomodo ea quae ſpecialiter de aſperitate ejus & laeſionibus quae per eum exterius in creaturis fiunt, de ſuggeſtionibus vitiorum, quibus anima & corpus a diabolo interius irritantur, intelligenda ſint.

XCVI. Nam cum aquilo flatum ſuum horribiliter levaverit orientalis ventus ei reſiſtit, & occidentalis eum prohibet, ne ſuper eum flare poſſit; ſed auſter qui his duobus fortior eſt, cum illis etiam ei repugnat, ne ſuper ipſum flatum ſuum emittat. Sic quoque omnes venti ab ortu ſolis uſque in occaſum ejus aquiloni, quem lumen ſolis nec tangit nec illuminat, reſiſtunt. Aquilo enim aliis ventis pejor eſt, quoniam in caſu diaboli quando Deus illum in lacum exteriorum tenebrarum projecit, ubi in tenebris abſque omni luce manet, tenebroſus factus eſt. Ex quo enim Adam cecidit, maligni ſpiritus flatum ſuum de tenebris in quibus ſunt, in totum mundum homines in errorem urgendo emittunt, & hoc in eadem malitia qua verae luci contradixerunt faciunt. Deus autem non permittit eos horribili forma ut ſunt, hominibus, qui ſub ſole ſunt, apparere; ſed ſecundum intentionem & mores eorum in omni forma creaturarum eos decipiendo, & a bonis operibus quantum poſſunt avertendo eis apparent. Aquilo enim qui homines & fructus terrae laedit, & qui alis ſuis in calore aeſtatis contrarium frigus adverſus orientem & occidentem emittit, per quod fructus terrae arefacit, tenebroſitati & nequitiae aeriorum ſpirituum ſimilis eſt, quia ipſi peſſimi ſpiritus calorem ignis ſpiritus ſancti per oblivionem Dei in hominibus frigidum faciunt. Anima nempe quae conflictu corporis ita ſuperatur, ut illi conſentiendo in deſideria carnis velut vermis in habitaculum ſuum involvitur, per ſpumam ſerpentis peccatis inquinata, ſpiraculum a Deo ſe eſſe non recordatur. Ipſa vero in his non diu manens, ſed pro amplexione peccatorum, quibus quaſi magnis inhiabat deliciis, ſuſpirat,

Aquiloni omnes venti reſiſtunt.

Homini dæmones non apparent ut ſunt.

Venti aquiloni dæmones ſunt ſimiles.

Anima ſuperata a corpore.

Digitized by Google

rat, & gemit, & peccata ſua non in deliciis ut prius, ſed in moleſtia habens, & quaſi contra ſe rixando poſtmodum bonis operibus inſiſtit. Sed cum homo in mala ſcientia ſe ipſum vendiderit, & per fervorem libidinis Deum in oblivionem ducendo ad conſilium ſerpentis aſpexerit, eadem libido per flatum diabolicae artis in eo ferventius ardet, eumque ſic dicendo decipit. *Quomodo poſſes te continere, quin caro tua per delectationem conteretur, cum homo ſis, & iterum poenitendo mundus fieri poſſis?* Sic namque homo iſte in ſimilitudine venti qui horrorem ſuum ſub nubibus facit, per irriſionem errantis mentis in ſcientia ſua obnubilatus, in tenebris oblivionis Dei cum criminalibus peccans dormit. Et cum tali modo in peccatis ſuis Deum obliviſcendo dormierit, in ſcientia hominum illorum, qui Deum juſte vivendo vident, velut peſſimi & horribiles vermes quos homines fugiunt habetur. Unde & de ipſo dicunt. *Qualis eſt homo iſte, qui ſe in tanta immunditia vivendo, hominem eſſe non recordatur?* Sicque eum ut mortiferum ſignum fugiunt, ſe ipſos conſiderantes, omniaque opera ſua cum timore Dei ſignando, propter terrorem illum, quem in homine illo cognoverunt, ne ei ſimiles efficiantur. Hæc quoque in ſimilitudine illorum ſignorum quae ærumnas & inutilia praefigurant faciunt. Et ſicut manus per brachium omnia ſignat, & ut portenta in motu elementorum praefigurantur; ſic homo per animam utilia & inutilia in ſe ipſo conſiderando operatur. Diverſitas namque aquilonis inſtabilitatem mentium hominum illorum ſignificat, qui quaeque ſecundum voluntatem ſuam praevidendo convenientia aeſtimant in ſe, & non in Deo confidentes, per quod & ſpiſſae nubi per quam fulgur ſolis numquam perfecte videtur, ſimiles ſunt, cum omnia quae creatori ſuo contraria ſunt, eligendo, & conſtituendo theſaurizant. Unde etiam in nigredine malignitatis hominibus moleſti ſunt. Sicut enim luna vario colore diſtincta apparet, ſic ipſi cum oblivione Dei in ferream duritiam per duplicitatem doli ita convertuntur, ut ſe interdum ſuaves, & utiles ſine recta fide hominibus oſtendant, ipſique diabolica arte deluſi per odioſa & malitioſa opera ſua coram Deo & hominibus in confuſionem convertuntur. Idem enim aquilo periculoſus in parte exiſtit, & omni utilitate caret, quia illum malitioſum qui Deo contradicit, ex judicio juſtiſſimi judicis ſuſcepit. Ipſe quoque ardentem iram in qua per ſuggeſtionem diaboli ſanguis hominis effunditur, & etiam hominem, qui in odio irae ſuae cum nequitia ſua illum quem ſpiritus ſanctus inſpiravit, quantum in ſe eſt occidit, cum in dulci ſono dilectionis eum numquam laudare poteſt, deſignat. Idem namque homo in malitia ſua aquam inhoneſtatis ſuper illum quem ſapientia infuſum viderit fundit, & cum ubique conterendo proſequitur; hominemque caritatem habentem per verba mendacii ab omni honore quantum poteſt deſpoliat, & pacem cum verbis aſperitatis & perfidiae undique in omnibus quibus poteſt deſtruit. Aquilo enim qui a Deo alienatus eſt omnia vitia hominum ſuſcipit, ut in ipſo torqueantur, quia ſicut hordeum a tritico excribratur, ſic ipſe ab omni utilitate & beatitudine ac ſanctitate ſeparatus omnes virtutes quae per inſpirationem ſpiritus ſancti procedunt, & quae per eum ornatiores & lucidiores fiunt ſuſtinet, quemadmodum paries hominem ſuſtentat, qui ſe in illum reclinat. Per tenebras quoque ſuas omnia lucida quae coeleſti harmoniae adhaerent, & quae filius hominis in virginea natura ſeminavit cognoſcuntur, & ſicut ſuggeſtio diaboli homines ſeducit, ſic etiam flatus aquilonis homini nocivus eſt. Cum etiam homo, qui iniquitates, & peccata quaſi in ſiniſtra parte cum diabolo ſuſurrando operatus eſt, per poenitentiam & converſionem quaſi in dextera parte eorum reminiſcitur, & per recordationem peccatorum ſuorum fortior & ſanctior in bonis operibus efficitur, quemadmodum ſiniſtra dexterae miniſtrat.

Homo peccator eſt in opprobrium in conſpectu bonorum hominum.

Diverſitas aquilonis eſt diverſitas mentium.

Homines doloſi.

Homo malus dolo ſuo perſequitur bonum hominem.

Aquilo omni bono privatus.

Ratio quare Deus Adam de terra ſuſcitans vel erigens ita primo ſtatuit, ut in facie orientem, dextro auſtrum, levoque aquilonem haberet, & quod in brevi parvaque ſtatura ejus immenſum totius mundi inſtrumentum collegerit, & omnes creaturas dominationi viribuſque ſenſuum ipſius ſubjecerit.

XCVII. Faciem vero juſti germinis ſcilicet Adae Deus contra orientem vertit, quando eum ſuſcitavit, & erexit, ac in dextra ipſius auſtralem partem beatitudinis, & in ſiniſtra ejus exteriores tenebras, quae aquilo nominantur, ſignavit. Ipſi quoque vires elementorum caeterarumque creaturarum infixit, ut cum illis contra aquilonem operaretur, quae habitaculum perditorum angelorum eſt, qui ſe ab ipſo ſeparaverunt, quoniam in proprietate voluntatis ſuae eum negando, Deum eſſe noluerunt. Quapropter etiam Deus vult, ut homo aquilonem per ſiniſtram partem repudiet, eumque retrorſum abiciat, nec ulla imitatione ad illum aſpiciat, ſicut nequaquam facie ſua dorſum ſuum videre poteſt, & ut omnibus viribus creaturae adverſus ſerpentem in praelio Michaelis pugnet; aquilonemque omnino in oblivionem ſiniſtrae partis habeat, quemadmodum tenebrae a luce ſegregatae ſunt. Sic Deus hominem cum viribus omnium creaturarum firmavit, eumque ipſis velut omni armatura induit, ita ut per viſum creaturas cognoſcat, per auditum intelligat, per odoratum diſcernat, per guſtum ab eis paſcatur, & per tactum eis dominetur. Unde & ipſe verum Deum creatorem omnium creaturarum ſcire debet, nec adverſus eum praeliari contendet, quamvis per conſilium antiqui ſerpentis multotiens decipiatur, quia Deus ſupradictis viribus eum non ad hoc replevit, ut ullatenus mentem ſuam in ſtultitiam pravi angeli elevare tentet. Deus enim formam hominis ſecundum conſtitutionem firmamenti, caeterarumque quarumdam creaturarum formavit, quemadmodum fuſor aliquam formam habet, ſecundum quam vaſa ſua facit. Et ut Deus magnum inſtrumentum firmamenti aequali menſura menſus eſt, ſic etiam aequaliter menſus eſt hominem in parva & brevi ſtatura ſua, quemadmodum ſupra dictum eſt, eumque ſic creavit, ut membrum membro conjunctum, rectam menſuram ſuam, rectumque pondus ſuum non excedat, niſi hoc ex judicio Dei fiat, & ut in pluribus partibus corporis ſui ſe flectat, ſcilicet in collo, in humeris, in ulnis, in manibus, in femoribus, in genibus atque in pedibus, & in caeteris quibuſdam membris.

Item multiphariae rationes adjunctis interdum congruis ſcripturae teſtimoniis qualiter & tempora & menſes totius anni juxta proprietates qualitatum ſuarum & juxta aſcenſum vel deſcenſum ſolis, & incrementa ſeu detrimenta lunae hominis qualitatibus aſſignentur tam ſecundum diſtinctiones vel menſuras membrorum & aetatum, vel etiam proprietates humorum corporis, quam ſecundum diverſos & profectus & defectus affectuum mentis.

XCVIII. Sed & ſicut creaturas Deus in homine ſignavit, ſic etiam tempora anni in illo ordinavit. Nam aeſtatem in homine vigilante, hyemem in dormiente oſtendit, quoniam & hyems infra ſe abſcondit, quod aeſtas in gaudio profert; ita & dormiens per ſomnum conſortatur, quatenus vigilans in viribus ſuis ad quaelibet opera promptus efficiatur. Menſes quoque in eo diſtinxit, cum qualitates & virtutes eorum in ipſo diſcrevit. Nam menſis primus, in quo ſol ſurſum erigitur, frigidus & humidus exiſtit, & in multa diverſitate eſt, & aquam in candorem converſam exſudat. Unde & qualitates ejus cerebro conjunguntur, quoniam illud frigidum & humidum exſtans, vilem humorem per oculos, & per aures, atque per nares eiciendo emundat,

Menſis Januarii qualitates cerebro hominis & pul[illegible] [illegible] dant.

P. I.

dat. Ita & anima in pueritia hominis, quae nec dolum, nec carnalem guſtum habet, & eam contra naturam ſuam operando non concutit, in gaudio operatur; ipſaque in eadem pueritia, quae juxta deſiderium ſuum ſimplex & innocens eſt, fortis & potens exiſtit. Poſtea vero gaudio puerilis innocentiae carens, in magnam triſtitiam velut peregrinus qui ex patria ſua pulſus eſt convertitur, cum corporales humores in homine creſcunt, & ipſe per guſtum carnis maculoſus effectus, laſciviam amplectendo cum oblivione Dei in convivio peccatorum gaudet, & laetatur. Sicut enim ſol in primo menſe furſum erigitur, ſic anima in prima aetate, nec ligata nec tenebroſa guſtu & effectu peccatorum eſt, per quae homo cum diverſis moribus inſtabilitatis in duritiam ſordiditatis & vanitatis ſanctitate legitimorum operum carendo convertitur. Sed cum idem homo humiditatem lacrymarum per doctrinam, & admonitionem Spiritus Sancui effuderit, a foeditate peccatorum in ſuaviſſimo odore boni rumoris, ignorantiam & taedium bonorum operum devitando mundatur. Secundus autem in qualitate ſua purgatorius eſt, & in oculis deſignatur, quia & oculi aquoſi & lutulenti & peſtiferi eſiſtemes, purgationem aliquando in ſemetipſis faciunt. Hoc modo anima in homine velut ſuccus in arbore eſt, quia ſicut per ſuccum omnes fructus arboris creſcunt, ſic etiam per animam omnia opera hominis perficiuntur, & cum venae & medullae ipſius impletae fuerint, ſecundum deſideria carnis operari incipit, quae cum profecerint, ex ſpiritali natura ipſius animae coactus ſaepiſſime ingemit. Sic quoque cum oculo ſcientiae quomodo peccata inceperit, & qualiter ſine poenitentia illa perfecerit conſiderando ab omni pollutione mundatus, ea ulterius vitare ſtudet. Per tertium vero, qui tumultuoſus eſiſtens, tempeſtates portat, & peſtes in ſe retinet, & diverſis flatibus omnia germina terrae movet, aures intelliguntur, in quibus ſonus cunctorum utilium & inutilium ſonat, per quae totum corpus movetur. Similiter & anima in corpore quod per eam movetur & impletur, & velut venis connectitur, conflictum contra vires naturae ſuae habet, cum homo in medio juventutis ſuae ſimilis eſt arbori, quae prius groſſus, & poſtea fructus ſuos emittit. Homo enim tempeſtates inquietorum morum habet, cum intelligit quid facere poſſit, quia medulla ejus jam pinguis eſt, & venae ipſius plenae ſunt, & tunc anima in illo plangentem & querulam vocem habet, eo quod dolor ſuus de peccatis illius magis & magis augeatur, quoniam ipſa vita illa eſt, quae omnia in homine movet. Ille autem plus juſto appetentior laudis ſe ſapientem reputando magis deſipit, cum per temeritatem & ſuperbiam ſuam, quaſi putridum vulnus exiſtit, & in mendacium ducitur, cum in eo fama honeſti & boni rumoris, quam habere quaerit nunquam apparet. Unde & anima in quam omnia bona & mala revertuntur, ſicut etiam in auribus omnia utilia & inutilia ſonant, & per cujus vires omnia perficiuntur, lugendo triſtatur. Cum autem compreſſo tumore juvenilis mentis, per gratiam Dei ad meliorem partem peccata ſua emendando convertitur anima quae prius triſtis erat, & in ipſo omnia utilia & inutilia perflat, propter mala & inutilia opera eum ad poenitentiam commovet, & propter bona & utilia opera cum ſicut in paradiſiaco loco gaudere facit. Sed & per quartum, qui viridis & odoriferus eſt, & velut cum timore tonat, nares deſignantur, in quibus ſpiramen animae odorem adtrahit, & emittit omnium quae ſibi homo cum timore eligit. Huic quoque ſcilicet menſi homo qui per ſpiramen rationalitatis, in ſcientia ſua viriditatem bonorum operum ſapienter elegerit aſſimilatur, in quo omnes fructus virent, & qui odoriferus eſt, quoniam in dulciſſimo odore rumor probitatis & utilitatis in laude Dei ubique emittitur. Sed tumultus odioſorum & malorum hominum, virtutes & bona opera illius hominis ſaepe repudiat, &

Qualitates menſis Februarii oculi ſunt & aſſimilantur animae adulti hominis.

Qualitates martii aſſimilantur auribus, & anima juvenilis.

Aprilis qualitates aſſimilantur naribus & homini probo.

N. maligni homines.

V.IV.

eum injuſtum & malum vocat, quemadmodum Judaei Dominum Jeſum Chriſtum injuſtum & coinquinatum eſſe mendaciter dicebant, cum eum in omnibus operibus ſuis ſanctum & juſtum cognoſcerent. Sicut enim menſis iſte cum periculo & timore ſonat, & tamen fructus terrae non areſacit, ſic etiam vires & virtutes beati hominis per praedicta mala non areſcunt, ſed illi qui dentibus ſuis ſuper eum frendent deficiunt. Et ſicut homo in ſpiramine rationalitatis per nares quaeque dulciſſima & nobiliſſima eligendo ſibi attrahit, & foetentia & lutulenta abicit, aeterna praemia promeretur, & ab hominibus cum laude honoratur, ubi ejus perſecutor caeleſtibus praemiis carens, in terra ab hominibus nunquam in veritate laudari poteſt. Qui enim Deum timet & diligit, mentem ſuam ab omni quod malum eſt ſe cuſtodit, quemadmodum homo naſum ſuum de foetenti & immunda re avertit. Quintus autem ſuavis & lenis eſt & glorioſus in omnibus terrae eſt, ut etiam guſtus oris dulcis & delectabilis eſt, quoniam per ipſum cognoſcuntur, & ſciuntur, quibus homo cum gaudio reficitur. Sic & rationalitas columna & medulla quinque ſenſuum eſilit, qui per eam ſuſtentantur, & ad operandum diriguntur, quemadmodum terra per ararrum everſa, germinando fructuoſa efficitur. Viſus enim ſcilicet ſenſus oculorum, per quem homo omnia videt & cognoſcit, inter alios jure principatum tenet, quia ut loco ſublimior caeteris eſt, ita & remotiora magis quam alii percipit. Unde & idem viſus oculorum jucundus & glorioſus eſt, quia homo cum eo cognoſcendo & eligendo utilia ab inutilibus diſcernit. Sicut ergo quintus menſis videlicet majus ſuaviſſimum odorem florum habet, in quo corda hominum laetantur, eo quod in ipſo omnes fructus terrae, de quibus homo gaudet procedant; ſic etiam homo in viſu oculorum omnem uſum naturarum naturaliter cognoſcendo, quid inter illa quae videt differat, acumine rationalitatis diſcernit. Fructuoſitas vero iſtius menſis guſtui oris ſimilis eſt, per quem homo ea quae ad refectionem ſuam utilia ſunt cognoſcit. At ſextus cum calore ſiccus exiſtens, in proceſſu fructuum cum aere illo ſe elevat, qui maturitatem fructibus imminit, & aquas aliquando in nimietate effundit, in quo & humeri hominis notantur, qui cum calore ſiccitatem habentes, unumquemque laborem ſuſtinent, & omnia opera complent, totumque corpus retinent, & tamen interdum pro labore quietem quaerunt, velut cum avis pro laſſitudine alas ſuas remittit, & ut radix ramos ſuos continet. Eodem modo ſecundus ſenſus ſcilicet auditus ad intelligenda verba quae ſuſcipit, quaſi quaedam pennula rationalitatis eſilit. Unde fit, ut dum aures ſonum cujuſque creaturae recipiunt, qualis ſit vel ubi ſit eadem creatura cognoſcat, ideoque tunc homo magis ad inveſtigandam eam animum intendit. Vis enim animae, quae per aures ſentit, ſicut audiendo non laborat, ita nec extaediata ſatiatur, ſed potius deſiderium multa cognoſcendi & notandi habet, ut etiam ſextus menſis, qui humidus non eſt, fructibus quos cum leni calore produserat, multiplici incremento dilatat, & eis maturitatem imminere incipit. Es ſicut in menſe iſto inundationes aquarum cum periculoſis ſonis tonitruum in timore funduntur, ſic etiam inter illa quae de rebus humanis placide auditus admittit, ſunt multa quae cum horrore & triſtitia recipit. Auditus vero initium rationalis animae eſt, quia ſicut verba quae ſcribuntur prius dictantur, ſic per ipſum dictata & compoſita quaeque ſecundum hominis intentionem perficiuntur. Anima tamen omnia iſta bona & mala, utilia & inutilia ſuſtinere cogitur, quae per initium auditus in ſuſpiriis lacrymarum, quia nondum bona opera incepit, plene gaudere non poteſt. Humeri quoque qui humiditatem viſcerum & aliorum membrorum hominis, ſicut totum corpus ſuſtinent, etiam nonnullam auditus, qui initium animae eſt, ſimilitudinem habent, per quem omnia opera perficiuntur,

quem-

Bona opera ſancti hominis non areſcunt in punitionem malorum hominum.

Homo timens Deum.

Majus aſſimilatur rationalitati.

Viſus principatum tenet.

Odor latificat cor hominis.

Junius. Qualitates ipſius humeris & auribus aſſimilantur.

P. I.

quemadmodum per humeros onera cuncta portantur. Sicut enim viſcera adinvicem cohaerent ſic & opera hominis conjuncta ſunt, & per bona quibus mala arguuntur gaudium habet, & per mala quibus bona cognoſcuntur, triſtatur; & ita cum jam in gaudio manet, mox in triſtitiam convertitur. Quapropter & requiem quaerit, ut homo quietem quam habere non poteſt ſaepe deſiderat. Unde & eadem anima, quae quamdiu in corpore manet fatigatur, in aeternis tabernaculis pro bonis recipitur, & pro malis ſecundum merita ſua in poenis collocatur. Septimus quoque per ardentem ſolem magnas vires habet, fructuſque terrae maturos & aridos facit, atque per tempeſtates ariditatis & pluviae torrens eſt, quemadmodum & flexurae brachiorum per ſcapulas & per manus fortes ſunt, quibus homo omnia neceſſaria colligit. Sic & homo per odorem naturam cujuſque rei ſapit diſcernendo & cognoſcendo, quae utilis & inutilis ſit, & ea quae ad conſervationem naturae ſuae pertinent eligit, & in ſinu ſuo colligit, quatenus malis humoribus arefactis in ſanitate creſcat, quibus temperatur, ne humores per corruptum ſuccum a fortitudine ſanguinis deſtituantur. Ipſe enim ſcilicet homo in ſcientia ſua omnia iſta ad ſe trahens, ea ſub poteſtate ligat, ut livor humorum expellatur, & ipſi in fortitudine ſanitatis perſiſtant, & ſic cum diſcretione iſta fortiter diſponit, ut etiam flexurae brachiorum per ſcapulas & per manus fortes ſunt. In mente quoque ſua conſervat quae ad ſanitatem ſuam pertinent, & ſic omnia ſibi neceſſaria providet, quemadmodum omnes fructus in menſe iſto maturi jam colliguntur. Anima vero quae a Deo ſpiramen eſt, torrens iter habet, ut etiam ſapientia torrenti itinere girum coeli circuivit. Unde & ſeptem donis Spiritus Sancti cum quinque ſenſibus homo per eam incipit & perficit omnia opera ſua, ut etiam ſeptimus menſis omnes fructus terrae perficit. Quae videlicet opera vel ad laudem quaſi per dextram, vel ad confuſionem quaſi ad ſiniſtram, ac ſi in quadam maturitate & ariditate fructuum perficiuntur. Ex recordatione enim peccatorum in amara poenitentia ſaepe lacrymae effunduntur, velut in fortiſſimis viribus leonis, qui alias beſtias praecellit, omnia vitia & peccata cum magnae intentionis ſtudio conculcat, & per ſapientiam qua Deum cognoſcit, pro operibus peccatorum, quibus a Deo fugerat, luget. Anima namque cum ſuſpiriis ſuis per admonitionem Spiritus Sancti in multis viribus hominem movet & ſuſtinet, cum eum in poenitentia omnem viriditatem virtutum ad abſtergenda vulnera peccatorum colligere facit, per quod ipſa gaudium habet, ſemper deſiderando ut ad aeterna tabernacula perveniat & in ipſis ſine fine permaneat. Octavus autem velut magnus princeps in viribus ſuis eſt, qui omnia in poteſtate ſua per plenitudinem habet. Quapropter & laetitiam in ſe oſtendit, atque per fervorem ſolis ardens, rorem etiam de quadam frigiditate habet, horribiliſque in tempeſtatibus ſuis eſt, quia ſol jam ad inferiora declinavit. Qualitates itaque ipſius in manibus hominis oſtenduntur, quae plurima opera perficiunt, & poteſtatem totius corporis in ſe habent, quoniam omnia quae poſſunt ſibi adtrahunt, & theſaurizant, ita ut homo operibus manuum ſuarum ſaepe laudetur. Similiter & homo per guſtum oris vires illorum quibus reficitur prae caeteris ſenſibus perfectius cognoſcit, & eas in poteſtate ſcientiae ſuae habet, ſicut etiam menſis iſte in viribus ſuis magnus eſt. Ipſe etiam laetitiam in ſe habet, ſapienter diſcernens, quae frigidae & calidae naturae ad ſanitatem ſuam conveniant, ut etiam menſis iſte ardorem ſolis & frigiditatem roris in ſe habet. In ſcientia enim ſua ab illis quae periculoſa & inutilia ſunt declinans, bona & utilia colligit, ſicut manus laudabilia opera fortiter in probitate perficiunt, & ut aedificator in poteſtate artis ſuae omnia aedificia domus ſuae conſtruit, in qua omnem ſubſtantiam ſuam ſapienter conſervat. Anima vero praeliatrix exiſtens, deſideriis ſuis illicitas cupiditates hominis ſuperando perpetrat, & torrenti itinere circulum ſuum circumeundo, in inceptione praelii ſui ad Altiſſimum Deum aſcendit. Ipſa enim ſcuto fidei & omni armatura virtutum, contra deſideria carnis pugnat, & cum illa vicerit, velut vir praeliator, qui ſecundum voluntatem & intentionem ſuam inimicos ſuos ſuperavit gaudet, quia in calore veri ſolis ardendo, hominem ſuſpirare facit, itaut in frigiditate verae poenitentiae, quae omnia peccata areſacit, lacrymas effundat. Homo enim in poenitentia, in qua plurimae contrarietates ei occurrunt, cum humilitate ſe pro luto computando deſcendit, ita ut vix ſalvationem animae ſuae ſperet. Sed anima mox crucem, & omnes paſſiones Jeſu Chriſti, per quas peccata abluuntur ei proponit in ſpem eum elevando, & ex qua poenitentia ipſo de virtute in virtutem aſcendente floret, itaut pro ſingulis per eum perpetratis flores bonorum operum, & ſanctarum virtutum, quibus nunquam extaediari poſſit operetur. Sic enim per poenitentiam in magnis viribus quotidie proficiendo ſuſtollitur, & theſaurizat bona & ſancta opera, de quibus omnis coeleſtis turba Deum laudando gaudet. Nonus vero maturi temporis eſt, nec per tempeſtates ſe terribilem oſtendit, omnemque indignum ſuccum fructuum qui boni ad edendum ſunt aufert, quia ipſe omnia velut in ſacculo ſecure tenet. Unde & in qualitatibus ſuis ſicut venter hominis eſt, in quo ea calore jecoris, & aliorum viſcerum, quidquid ei immittitur excoquitur, quod etiam mixtum calore & frigore in ſtatuto modo recte ejicitur. Sed iſte modus per infirmitates aliquando deſtituitur, ut etiam menſis iſte per percurrentia tempora, in modo ſuo interdum commovetur. Homo quoque per ſenſum tactus, quae ad edendum matura ſint cognoſcit & comedit, ne de immaturis ejus humoribus turbatis, infirmitatem incurrat, ut etiam menſis iſte indignum ſuccum fructuum aufert. Ipſe etiam intendit, ut non immoderate, ſed recte & ſufficienter reficiatur, ne humores vili ſanie moveri poſſint, & etiam quaeque utilia caute ſibi colligit, ut quilibet rem quam diligit diligenter claudit, ne ſibi auferatur. Sic ergo homo tactu ſuo ventri ſimilis eſt, qui ea quae recipit calore & frigore temperate coacta emittit, ut etiam in menſe iſto omnia matura apparent, quorum ſuccus poſtea exſiccatur. Anima vero quae multis bellis & laboribus tribulationibuſque lapſum Adae, & etiam per praelia carnis ſuae turbatur, in bonis operibus cum gaudio ad coeleſtia aſcendit, & in malis per triſtitiam deſcendit. Ipſa enim fortiſſimam loricam, quae diligentiſſime texta & connexa eſt, ſcilicet patientiam induit, quam nulla ſagitta perforare valet, & in aſcenſione bonorum operum hominem provehit, ut in deſcenſione verae humilitatis quidquid boni fecerit illi, qui ſummum bonum eſt, & per quem illud habet attribuat. Cum vero homo in tanta triſtitia eſt, pro peccatis ſuis ut vix ſalvationem animae ſuae ſperet, tunc ejus iterum anima patienter ſuſtinens ei proponit, quod Deus pro ſalute hominis humanam formam aſſumpſerit, & eum in ſpe ab illa dubitatione ſurgere facit, ſicut ſcriptum eſt. *Si aſcendero in cœlum tu illic es, ſi deſcendero ad infernum ades.* Quod ſic intellectui patet. O Deus omnis aſcenſio ſanctorum & coeleſtium operum eorum, quos igne tuo accendis, tua eſt, qui homini in amore tuo rorem compunctionis cordis immittis, per quam caeterae virtutes poſtea virendo frondent. Cum autem in profunditatem peccatorum deſcendero per oblivionem tui infernales poenas promerendo, ſi in vera poenitentia ad te clamando ſuſpiravero, guttis ſanguinis tui me ungis & ſalvas, & ſic liberator & ſalvator meus ades. Patientia cum humilitate in altis eſt ſuperbiam ſuperando, & etiam in tenebris peccatorum eſt hominem movendo, ne pro peccatis ſuis de miſericordia Dei deſperet, & ſic omnia opera in recta moderatione quaſi in maturitate habet, illa quae in ſanctitate fiunt a vana gloria defendendo, & ea quae in putredine peccatorum perficiuntur, a deſperatione liberando ſalvat. Ipſa enim patientia in

recto

V. IV.

Julius. Qualitates ipſius flexuris brachiorum ſimiles ſunt.

Homo omnia per ſcientiam ſuam cognoſcit.

Homo per ſeptem dona Spiritus S. & quinque ſenſus omnia operatur.

Utilitas poenitentiae.

Anima admonita a Spiritu S.

Auguſtus. Qualitates ejus manibus hominis aſſimilantur.

Anima praeliatrix cui ſicut contra vitia pugnat, & hominem in poenitentia ſuſpirare facit.

Qualitates ſeptembris ventri hominis aſſimilantur & tactui.

Anima bonis operibus aſcendit, malis vero deſcendit, quibus reſiſtit cum lorica patientiae.

Anima confortat hominem ne deſperet.

Patientia & humilitas.

Digitized by Google

P. I.

recto itinere eſt, quoniam cœleſtia non relinquit, nec terrena deſpicit, ſed omnia incitamenta vitiorum fallentis diaboli, in vero lumine quod Deus eſt conculcat, & in omnibus his nec nimis laetatur, nec in triſtitiam cadit, licet interdum ea deceptione diaboli commoveantur, cui cum ſcuto fidei fortiter reſiſtit.

October homini ſedenti & ſeni aſſimilatur.

Decimus quoque quaſi homini ſedenti aſſimilatur, quoniam viribus ſuis in viriditate non volat, nec calorem parat, ſed ramos arborum expoliat, friguſque exſudat, quemadmodum & homo dum ſedet ſe complicat, ut frigus evadat, qui in eodem menſe veſtem ſibi attrahit, quia tunc calorem per veſtimentum habet. Hoc exemplo & homo cum per ſenilem ætatem frigeſcere incipit, tunc ſapientior quam prius effectus pueriles mores in tædium ducit, & viciſſitudines laſcivorum & ſtultorum morum in iſta matura aetate deſiccat, & ſtultorum ſocietatem ne cum per ignorantiam decipiant devitat, quoniam inutiles & varii ſui guſtus carnis ex frigiditate aetatis in ipſo jam deficiunt, ut etiam menſis ille ea viriditate jucundus non eſt, per cujus ariditatem cum frigore rami exſpoliantur.

Senibus refrigeſcit libido & ſapientia creſcit.

Anima vivens & prudens ſpiraculum a Deo eſt.

Anima quoque quae vivens & prudens ſpiraculum a Deo facta eſt, qui vera ſapientia eſt, hominem docet, ut firmiter teneat quae ab ipſo Deo ſunt, & per gratiam Dei cum viribus ſuis in beato homine velut domina ancillam corpus ſibi dominando ſubicit, & illi in bonis delectationem parit. Si enim aliquando caro hominis illius per guſtum delectationis mota fuerit, anima in ipſo indignando miratur, & idem venenum in venis & in medullis illius extinguendo ceſſare facit, & per gratiam Spiritus Sancti cum doctrina ſcripturarum eum conſolando, de vitiis ad virtutes ne in peccatis deficiat colligit & caute obſervat.

November ſeni complicanti genua ſua aſſimilatur.

Sed undecimus ſe inclinat, & frigus aedificat, nec gaudium de aeſtate, ſed triſtitiam de hyeme in ſe oſtendit, & frigus de ipſo ſuper terram cadit, eamque lutum ſpumare facit, quod & homo imitatur, cum genua ſua flectit, ne frigus per eum tranſeat. Unde etiam cum genua ſua in triſtitia flectit, in corde ſuo cogitationes doloris exaggerat, & ſe quaſi lutum computat, nec aſpectum ad gaudium habet, quoniam in mœrore recordatur, quod genua hominis in primordio ſuo naturaliter flexa ſunt. Non diſſimiliter enim homo ad ſenectutem pervenerit, frigiditate attenuatur, & gaudium juventutis non habens, ea defectu ariditatis ſuae in qua macie afficitur, & indignis humoribus defluit triſtatur.

Gravatur ſua natura.

Quilibet enim ſenex propter timorem frigoris ad ignem ſe calefaciens membra ſua colligit, quoniam naturaliter frigidus eſt, ut etiam menſis iſte abſque jucunditate aeſtatis omnes dies ſuos frigidos habens genibus hominis ſimilis eſt, quae ipſe in triſtitia flectit, cum primordii ſui reminiſcitur, ſcilicet quando in utero matris ſuae complicatis genibus quaſi captus ſedebat.

Puer complicatis genibus in utero matris ſtat.

Cum vero anima viribus ſuis hominem ita ſuperaverit, ut per eam a peccatis quae operatus eſt aliquantulum ceſſet, & tamen eam prohibere non poteſt quin peccare deſideret, tunc in vaſe ſuo quod eſt caro, quam inhabitat ingemit, quoniam ipſa totum corpus perfundit & movet, velut ventus qui in aliquam domum flat, cujus parietes moveri facit, & cujus cavernas ſeu feneſtras flando pertranſit.

Quomodo anima operatur in corpore ſuo.

Sed cum homo in tenebras peccatorum velut vermis in foramen luti ſe involvit, tunc anima quæ in venis & in medullis cum omnibus compaginibus membrorum ſita eſt, quoniam de igne Spiritus Sancti non calet, in viribus ſuis tunc deficit, & quia per carnalem naturam jucunda opera habere non poteſt, diurnum lumen ſanctitatis tranſiliendo, ſemper ingemiſcit, & in natura ſua quid ſit vel unde venerit, obliviſcitur. Gemitus vero animæ plenus doloribus exiſtit, cum guſtus ſpiritalis naturæ ſuæ ab ea alienatus fuerit, quia per gratiam Spiritus Sancti non accenſa opera, quæ corpus ab ea poſtulat, licet invita ad operandum ei conſentit. Unde contra voluntatem ſuam operando magnam triſtitiam habet, ſicut etiam corpus nonnumquam triſtitiam habet, cum ſecundum naturam animæ operari cogitur.

V. IV.

Decembris qualitates pedibus hominis aſſimilantur.

Duodecimus quoque cum magna potentia frigus habet, & terram cum duritia coagulat, & ipſam cum ſpuma frigoris totam obtegit, & eam tædioſam & laborioſam facit. Quapropter in qualitate ejus pedes hominis notantur, qui plurima conculcant & diſpergunt, & terram temperant, ne ſe terra in altum levare poſſit, ſed ſuper illam ſtant. Hoc modo & anima hominis illius qui in ira ſua ſanguinem proximi ſui effuderit, vel aliam injuriam rixando ei intulerit, graviter commaculatur, quia ſicut corpus poſt diſceſſum animae abſque omni calore frigidum manet, ſic ipſa ſine calore donorum Spiritus Sancti per iram indurata, naturæ ſuæ obliviſcitur, in qua coram Deo ſanguinea apparet, quoniam ipſa quemadmodum Cain in ſanguine fratris ſui a Deo abjecta eſt.

Anima ſanguinea velut Cain abjicitur.

In ira enim hominis ſanguis inundat. Unde & ipſe rectis ſenſibus ſuis deſtitutus quaſi inſanus efficitur, per irrationabiles irarum & blaſphemiæ motus corde & ore ab omni beatitudine fratrem ſuum invidendo abſcidit, & quantum poteſt cogitando & dicendo, omnia bona illius diſpergit, & ideo per malum odii in anima ſua coram Deo homicida eſt. Ipſe enim dentibus ſuis ſuper eum frendet, malitioſa verba, quae in corde ſuo cum odio dictaverat ei offundens, & per duritiam injuſtorum itinerum, nullam dulcedinem ſanctitatis in ſe habere, nec ſemen bonorum operum ſeminare poteſt, & pro illa duritia, in qua aſſidue moratur, ad cœleſtia nunquam ſuſpirat. Unde & qui hujuſmodi eſt a bonis ſanctae & purae ſcientiae operibus caecus, ſanctitatis gaudia quae in ira ſparſerat, nunquam habebit, quoniam ipſe velut camelus fœdis peccatorum ſarcinis oneratus & pollutus eſt. Hoc modo qualitates & virtutes menſium homini coaptantur. Unde & Pſalmiſta inſpiratione mea dicit.

Verba David in Pſalmo CIII. ad haec competentia.

XCIX. *Fecit lunam in tempora, ſol cognovit occaſum ſuum.* Quod ſic intellectui patet. Deus poſuit lunam eſſe temporalem, quatenus omnia tempora velut mater infantem nutriret, primo quidem lacte, poſtea cibo. In defectu enim ſuo luna debilis eſt, unde & velut lacte tempora lactat; in augmento autem ſuo, quaſi ſolido cibo illa nutrit. Solem vero Deus ſuper terram lucere, & ſe ſub terra abſcondere conſtituit. Quapropter in die ſuper terram lucet, quemadmodum homo in die apertis oculis vigil eſt, & in nocte ſub terra eſt, ut etiam homo in nocte clauſis oculis dormit. Sic homo terrenus ſecundum ima in carne eſt, & cœleſtis ſecundum altitudinem coeli in anima exiſtit, & tempora temporum novit, quia per haec omnia vivus movetur.

Quod homo ad imaginem Dei creatus, & quaſi alter Dominus ſuper tribunal terrae ſedens, omnique creaturae propter ſe factae imperans plenum ipſius Dei opus ſit, & ei valde placeat, & quod alter ſexus ad adjutorium & conſolationem alterius factus ſit, vir jue divinitatis, & mulier humanitatis Chriſti formam teneat.

C. Cum autem Deus hominem inſpexit, valde bene ei placuit, quoniam ſecundum tunicam imaginis ſuae, & ſecundum ſimilitudinem ſuam illum creaverat, quatenus per tubam vocis rationalis omnia miracula ejus pronunciaret. Homo enim plenum opus Dei eſt, quia Deus per eum cognoſcitur, & quoniam Deus omnes creaturas propter illum creavit, eique in oſculo veri amoris per rationalitatem ipſum praedicare & laudare conceſſit. Sed ipſi adjutorium ſimilitudinis ſuae defuit. Unde & Deus illi adjutorium, quod ſpeculativa forma mulieris fuit,

In

P. I. in qua omne humanum genus latuit, quod in vi fortitudinis Dei producendum erat, ſicut & primum hominem in vi fortitudinis ſuae profecerat. Vir itaque & foemina ſic ad invicem admixti ſunt, ut opus ulterum per alterum eſt, quia vir ſine foemina vir non vocaretur, nec foemina ſine viro foemina nominaretur. Foemina enim opus viri eſt, & vir aſpectus conſolationis foeminae eſt, & neuter eorum abſque altero eſſe poſſet. Et vir divinitatem, foemina vero humanitatem filii Dei ſignificat. Homo itaque ſuper tribunal terrae ſedet, omnique creaturae imperat, illaque in diſciplinatu illius exiſtens ei ſubdita eſt, & ipſe ſuper omnes creaturas eſt, ſicut David inſpiratione mea loquitur dicens.

Verba David in Pſalmo CVIII. & expoſitio eorumdem verborum quomodo de incarnatione & poteſtate Chriſti, & in ſubjectione inimicorum ejus intelligenda ſint.

CI. *Dixit Dominus Domino meo ſede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.* Quod ſic intellectui patet. Dicat ergo homo. Dixit ille qui Dominus & pater omnium eſt filio ſuo incarnato, cui a patre data eſt omnis poteſtas in caelo & in terra, itaut dominus meus ſit, qui homo peccator ſum. *Dominare ſedens a dextris meis*, ideſt dominare homini, qui dextra mea eſt, quoniam omnes creaturas ei ſubjugavi, illumque per fidem tibi ſubice, ita ut idola deſerat, & ad creatorem ſuum videlicet verum Deum ſe convertat. Hoc autem facies, quamdiu ponam rebelles, qui inimici tui per incredulitatem ſunt ſcabellum veſtigiorum tuorum, quia illos in perpetuum tibi ſubjugabo, faciamque ut adorent veſtigia pedum tuorum. Nam cum ab infidelitate ſua converſi fuerint, te verum Deum cognoſcant. Sic Deus per verbum ſuum omnes creaturas produxit, idemque verbum carnem in homine induit, qui dextra Dei eſt, quoniam comprehenſio potentiae ipſius exiſtit. Idem quoque verbum quod filius patris eſt, dominando ſuper hominem ſedet, donec impleatur numerus fratrum ſuorum, quod in noviſſimo die erit, & tunc diabolica turba cum ſequacibus ſuis velut ſcabellum quod etiam poſt ultimum tempus mundi eſt, ei ſubicietur, & tunc videbitur & cognoſcetur quis & qualis dominus ipſe eſt, quoniam ipſe ſathanas ſicut ſcabellum tunc conculcabitur, & omnino diſſipabitur.

Quia homo ſignis omnipotentiae Dei per quinque ſenſus inſignitus auctorem ſuum in trinitate unum, & in unitate trinum cognoſcere & venerari debeat, a quo ad hoc & conditus & poſt lapſum reparatus eſt, ut & dominus mundi eſſet, & decimum in caelis chorum faceret.

CII. Dominus etenim in caelo in potentia ſua potenter regnat, & ſydera quae per ipſum accenduntur, & reliquam creaturam inſpicit. Sic & homo ſuper ſedem, quae terra eſt, ſedet, & reliquae creaturae dominatur, quia ſignis omnipotentiae Dei inſignitus eſt. Signa vero haec quinque ſenſus hominis ſunt, per quos ex potentia Dei intelligit, & ſentit, quod trinitatem in unitate, unitatem in trinitate in Deo venerari per rectam fidem debet, & veneratio iſta ornamentum novem ordinum angelorum eſt, de quibus diabolica turba expulſa corruit. Homo autem decimus chorus eſt, quem Deus in ſemetipſo in prima conſtitutione perditorum angelorum reparavit, quoniam homo fieri voluit, in cujus humanitate turris eſt, in qua illi ambulant, qui in decimo choro ſunt. Itaque ut ſupradictum eſt, Deus in homine tam ſuperiores, quam inferiores creaturas ſignavit. Qui poſtquam per ſpiraculum vitae quod eſt anima inſpiratus eſt ſurrexit, omneſque creaturas cognovit, ac in animo ſuo fortiſſima dilectione illas amplexatus eſt.

Quod natura animae ignea, & multiplicis efficaciae in viribus ſuis ſit, quibus & Deum cognoſcit, & ſe ipſam intelligit, vel regit, & corpus ſuum ſenſificat, & ad operandum movet. V. IV.

CIII. Anima vero hominis ignea eſt, totumque corpus hominis calefacit ac vivificat, & quoniam ignea eſt homo ſanguineus exiſtit. Ventoſa quoque itinera habet, ſpiramen introrſum in hominem trahendo, & emittendo. Quod cum in hominem trahit, ille intus ſiccatur, idque ei valde utile eſt, quia caro hominis per ſiccitatem illam in ſanitatem creſcit, cum autem illud emittit, ignis intra hominem tabeſcit, caloremque ſuum educit. Unde & cum ſenſualitate totum corpus aedificatur, ita ut homo vivere poſſit, & omnes quinque ſenſus corporis cum officiis ſuis regat. Et ſi calor iſte non emitteretur, ignis animae corpus ſuffocaret, velut domus quae igne tota conſumitur. Per vires quoque animae homo carne & ſanguine induitur & totus perficitur, quemadmodum etiam per flatum ventorum omnes fructus terrae complentur. Sed & per hoc quod anima ignea eſt ſe Deum habere cognoſcit, & per hoc quod ſpiritale ſpiraculum eſt, ſe operari cum corpore poſſe intelligit. Quapropter & praeceptum a Deo habet ut opera ſua recte operetur, & ne in vacuum locum aquilonis aſpiciat, ubi primus angelus regnare volebat & periit. Cum enim elatio proprietatem voluntatis ſuae congregaverit, ex ea mox ſuperbia volans velociter ad aquilonem tendit eum proprietatem voluntatis ſuae perficit, quocumque modo voluerit. Elatio autem & volans ſuperbia aquis ſimiles ſunt, quas navis nequaquam pertranſire valet, quia Deo & hominibus moleſtae ſunt, & omnia deſtituunt. Unde & opera earum defluunt, nec caritas eas pertranſit, quoniam nec diligere, nec diligi a fidelibus poſſunt; ſed quae non habent capere volunt, illaque diſponendo conſtituunt ſuper quae nullam poteſtatem habent. Quapropter in interitum vadunt. Anima itaque magiſtra domus corporis ſui eſt, in qua Deus omnia habitacula, quae illa poſſeſſura erat formavit, nec eam ullus videre poteſt, ſicut nec ipſa Deum videt, quamdiu in corpore manet, niſi quantum eum in fide videt & cognoſcit, & cum omni creatura quae a Deo proceſſit in homine operatur, ita ſcilicet ut ſicut apes in vaſe ſuo favum aedificat, ſic & homo opus ſuum velut favum cum ſcientia animae quae quaſi liquor eſt perficiat. Et quoniam a Deo miſſa eſt, in corde cogitationes fundat, & pectore congregat, quae deinde in caput & in omnia membra hominis tranſeunt. Oculos quoque ipſa penetrat, quoniam feneſtrae ejus ſunt per quas creaturas cognoſcit, quia rationalitate plena in ſolo verbo vires earum diſcernit. Hinc etiam homo omne opus ſuum ſecundum voluntatem cogitationum ſuarum ad unamquamque neceſſitatem ſuam perficit, quia cum ventus ſcientiae animae in cerebro movetur, a cerebro in cogitationes animi deſcendit, & ſic opus voluntatis perficitur. Anima enim in ſcientia ſua ſeminat, quod opus cogitationum compleatur, illudque per ignem animae coquitur, & in guſtum convertitur per quem ſcienter probatur. Ipſa etiam refectionem ciborum & potuum introrſum in hominem ducit, ut caro illius refocilletur. Nam per vires ſuas quomodo homo in omnibus naturis carnis ſuae creſcat, & conſiſtat, diſponendo ordinat, viribuſque ſuis viſcera illius replet. Ipſa namque caro & ſanguis non eſt, ſed illa adimplet, ita ut eam ſecum vivere faciat, quia rationalis a Deo orta eſt, qui primo plaſmati vitam inſpiravit. Unde anima & caro in duabus naturis unum opus exiſtunt. Sed & aërem cogitando, calorem congregando, ignem ſuſcipiendo, aquam immittendo, ac viriditatem germinando corpori hominis inducit, quomodo & a prima conſtitutione confectum eſt & ſupra & ſubtus, circa & intra corpus ubique eſt. Et hoc modo eſt homo.

Digitized by Google

P. I. *Quia Deus ſecundum opera ſua ſive ad vitam ſive ad poenam hominem dijudicet, & quod ſancta anima corpore exuta Deum quem nunc impediente corruptione carnis non poteſt, plene videat, diemque judicii ad recipiendam amabilem veſtem ſuam, hoc eſt idem corpus ſuum deſideranter expectet, ut in eo cum angelis contemplatione & laudibus Dei ſine fine fruatur.*

CIV. Quando autem homo recta opera facit, elementa recta itinera habent; ſed cum injuſta opera perficit, elementa cum poenali afflictione ſuper ſe inducit. Corpus enim ſecundum deſiderii ſui voluntatem cum anima operatur, & Deus hominem ſecundum opera ſua ſive ad vitam ſive ad poenam dijudicat. Et anima in totum corpus cogitando loquendo & ſuſpirando defluit, quemadmodum ventus, qui in aliqua domo ubique flatus ſuos emittit. Sed quamdiu corpus cum anima in homine operatur ille localis & gravis eſt, nec a terra ſe levare poteſt, cum vero corpus cum vivente anima renovabitur, ſcilicet poſt noviſſimum diem, tunc levis & volatilis erit quaſi avis quae pennas habet. Ipſa quoque dum in corpore eſt Deum ſentit quoniam ab eo venit, & quamdiu in creaturis officialis eſt, Deum non videt; ſed poſtquam ab ergaſtulo corporis educta ante conſpectum Domini venerit tunc cognoſcet quid ipſa ſit, & quid ei adhaeſerit dum in corpore maneret. Et quia tunc gloriam magni honoris ſui ſciet, habitaculum ſuum repoſcet quatenus gloriam ſuam ſecum ſciat. Unde & inhianter noviſſimum diem expectabit, eo quod amabili veſte ſcilicet corpore ſuo nudata eſt, in quo cum angelis glorioſam faciem Dei pleniter videbit, videlicet cum illud receperit. Quod poſtquam evenerit, angeli denuo in laudibus accenduntur, ſicut in primo die per victoriam praelii ſui accenſi ſunt. Nam poſt noviſſimum diem in laudibus Dei perficientur, cum nova miracula operis Dei quod homo eſt laudabunt, & cum cytharam glorioſae jucunditatis exinde percutient, nec in hoc taedio afficientur, nec deficient, nec finientur. Et ſicut in vultum Dei ſine defectu ſemper aſpicere deſiderabunt, ſic etiam nunquam ceſſabunt quin opera Dei in homine ſemper mirentur. Itaque ut ſupra dictum eſt talis eſt forma hominis cum corpore & anima, opus etiam Dei cum omni creatura exiſtens, quemadmodum Joannes ſpiritu meo inſpiratus ſcripſit dicens.

Expoſitio capituli primi Evangelii ſecundum Joannem ab eo loco ubi ſcriptum eſt: IN PRINCIPIO ERAT VERBUM, uſque ad id PLENUM GRATIAE ET VERITATIS. In qua ſcilicet expoſitione tractatur de aeternitate Verbi Dei, de creaturis quomodo in arte creatoris ſine coaeternitate ipſius erant antequam eſſent in ſe ipſis. De creatione Angelorum & ultione zeli Dei in apoſtatas ſpiritus, de conſilio faciendi hominis ad imaginem Dei, & quomodo vis potentiae, & lux ſapientiae conditoris in opificio humani corporis reſplendeat. De incarnatione Dei & verbis doctrinae, & exemplis juſtitiae, quae mundo edidit. Item de reparatione lapſi hominis & felicitate ejus poſt hanc vitam.

CV. *In principio erat Verbum*. Quod ſic intellectui patet. Qui ſine initio ſum, & a quo omnia initia procedunt, & qui antiquus dierum ſum dico: Ego per memetipſum dies ſum qui a ſole nunquam proceſſi; ſed de quo ſol accenſus eſt. Ego etiam ratio ſum quae ab alio non ſonuit, ſed ex qua omnis rationalitas ſpirat. Ad intuitum igitur faciei meae ſpecula feci, in quibus omnia miracula antiquitatis meae quae nunquam deficient conſidero, ac eadem ſpecula in laudibus concinentia paravi, quia vocem ut tonitruum habeo cum qua totum orbem terrarum viventibus ſonis omnium creaturarum moveo. Haec ego antiquus dierum facio, quoniam per verbum meum quod ſine initio ſemper in me fuit & eſt, quemdam magnum lucidum, & cum eo innumerabiles ſcintillas ſcilicet angelos prodire juſſi, qui ut in lumine ſuo evigilaverunt, mei obliti ſunt, & ſicut ego ſum eſſe voluerunt. Et ideo in magno tonitru ultio zeli mei in praeſumptione quia mihi contradixerunt illos dejeci, quia ſolummodo unus Deus eſt, & alius eſſe non poteſt. Unde parvum opus quod homo eſt in me dictavi, & illud ad imaginem & ſimilitudinem meam feci, ita ut in aliquo ſecundum me operaretur, quoniam filius meus in homine indumento carnis operiendus erat. Illud quoque de rationalitate mea rationale inſtitui, & in eo poſſibilitatem meam ſignavi, ſicut rationalitas hominis in arte ſua per nomina & per numerum omnia comprehendit, quia homo nullam rem alio modo niſi per nomina diſcernit, nec multiplicitatem rerum niſi per numerum cognoſcit. Angelus etiam fortitudinis ſum, quoniam angelicis agminibus per miracula me annuncio, & quia omnibus creaturis in fide me oſtendo, ubi me creatorem eſſe cognoſcunt, ſed tamen a nullis perfecte pronunciari poſſum. Homo quippe veſtimentum illud eſt, quo filius meus circumamictus in regali potentia ſe Deum omnis creaturae, & vitam vitae oſtendit. Sed agmen angelorum qui regali potentiae illius ſpecialiter aſſunt, nemo praeter Deum dinumerare poteſt, nec illos qui eum Deum omnis creaturae ſingulariter profitentur, ullus ad finem producere valet, nec eos qui ipſum vitam omnis vitae ſpecialiter vociferantur ulla lingua ſufficit determinare. Unde beati ſunt qui cum illo habitant. Deus autem omne opus ſuum in forma hominis deſignavit ut praedictum eſt, ſicut etiam hic per quaedam exempla in ipſo demonſtratur. *Cerebrum hominis.* Nam in circulo cerebri hominis dominationem ſuam oſtendit, quia cerebrum corpus totum tenet & regit, & in crinibus capitis ejus poſſibilitatem ſuam, quae ornamentum ipſius eſt deſignat, quemadmodum crines caput ornant. *Supercilia.* In ſuperciliis quoque oculorum illius fortitudinem ſuam demonſtrat, quoniam ſupercilia tutamen oculorum hominis ſunt, ita ut quaeque nociva ab eis avertant, & decorem faciei oſtendant, & ut pennae ventorum ſunt, quibus illi ſublevantur & ſuſtentantur velut avis, quae pennis ſuis interdum volat, interdum a volatu ceſſat, quoniam de fortitudine Dei ventus flat, & flatus venti pennae ipſius ſunt. *Oculi.* Sed & in oculis hominis ſcientiam ſuam per quam omnia praevidet & praeſcit declarat, quia plurima in ſe oſtendunt, quia lucidi & aquoſi ſunt, quemadmodum umbra aliarum creaturarum in aqua apparet. Homo enim in viſu omnia cognoſcit & diſcernit, & ſi viſu careret, in his velut mortuus eſſet. *Auditus.* In auditu etiam ejus omnes ſonos laudum ſecretorum myſteriorum & angelicorum agminum, in quibus ipſe Deus laudatur aperit, quoniam indignum eſſet, ſi non niſi per ſe cognoſceretur, cum homo ab homine in auditu cognoſcatur, ubi etiam in ſemetipſo omnia intelligit, & velut inanis eſſet, ſi auditu careret. *Nares.* In naribus autem ſapientiam quae odorifera ordinatio in omnibus artibus eſt oſtendit, ita ut homo per odorem cognoſcat quid ſapientia ordinet. *Odoratus.* Odoratus enim in omnibus dilatatur illa trahendo quatenus ſciat quae & qualia ea ſint. *Os.* Sed per os hominis Deus verbum ſuum per quod omnia creavit deſignat, ſicut etiam ore omnia ſono rationalitatis proferuntur, quia homo plurima profert ſonando, quemadmodum verbum Dei creando in amplexione caritatis fecit, ita ut operi ſuo nihil neceſſarium deſit. *Genae & mentum.* Et ſicut genae & mentum ori circumpoſita ſunt, ſic eidem verbo cum ſonuit illud principium omnis creaturae afficit, cum omnia creata ſunt, & ſic *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. Quod ſic intellectui patet. In principio inceptionis illius cum voluntas Dei ad pariendum facturam creaturarum ſe jam aperuit, quae ſine initio in ipſo fuit, quatenus ſe non aperuiſſet, erat Verbum abſque V. IV.

prin-

Digitized by Google

P. I.

principio illius inceptionis, & Verbum erat apud Deum, ſicut Verbum in rationalitate eſt, quoniam rationalitas verbum in ſe habet, & in rationalitate eſt verbum, & haec a ſe diviſa non ſunt. Nam ſine principio ante principium creaturarum, & etiam in principio ipſarum erat Verbum, & idem Verbum ante principium, & in ipſo principio creaturarum erat apud Deum, & nullo modo Deo diviſum, quoniam Deus in verbo ſuo voluit ut verbum ſuum omnia crearet, ſicut ante ſaecula praeordinaverat. Et quare dicitur Verbum? Quia cum ſonante voce omnes creaturas ſuſcitavit, & eas ad ſe vocavit. Nam quod Deus in verbo dictavit, hoc verbum ſonando juſſit, & quod verbum juſſit, hoc Deus in verbo dictavit. Et ita Deus erat Verbum. Verbum enim in Deo fuit, & Deus in illo omnem voluntatem ſuam ſecreto dictavit, & verbum ſonuit, & omnes creaturas produxit, & ſic Verbum & Deus unum ſunt. Cum autem Verbum Dei ſonuit, omnem creaturam quae ante aevum in Deo praeordinata & diſpoſita fuit ad ſe vocavit, & per vocem ejus omnia ad vitam ſuſcitata ſunt, ſicut etiam in homine deſignavit, qui verbum in corde ſuo occulte dictat antequam illud emittat, quod in emiſſione ſecum eſt, & ſic dictatus verbi in verbo eſt. Quando enim verbum Dei ſonuit, idem verbum in omni creatura apparuit, & idem ſonus in omni creatura vita fuit. Unde etiam de eodem verbo rationalitas hominis opera ſua operatur, & de eodem ſono opera ſua ſonando, clamando, & cantando profert, quia per acumen artis ſuae in creaturis cytharas, & tympana ſonando ſonare facit, quoniam homo ſecundum Deum per viventem animam rationalis eſt, & anima ejus cum calore ſuo carnem ad ſe trahit, in qua prima figura digiti Dei quam in Adam formaverat apparet, & quam eadem anima vivificando, & plenitudine ſua in incremento replendo pertranſit. Caro enim ſine rationali anima ſe non movet, anima autem carnem movet & vivere facit. Nam caro rationali animae adeſt, quemadmodum omnes creaturae verbo adſunt. Quapropter hominem in voluntate Patris creavit. Sed quemadmodum homo ſine connexionibus venarum homo non eſſet, ſic etiam ſine creaturis vivere non poſſet; & quia mortalis eſt, operi ſuo vitam non praeſtat, quoniam ipſe incipiens vita a Deo eſt; Deus autem operi ſuo vitam dat, quia ipſe vita ſine inceptione vitae eſt. *Hoc erat in principio apud Deum*, ſcilicet in principio illo, de quo Moyſes ſervus meus per me inſpiratus loquitur dicens. *In principio creavit Deus cælum & terram*, quia verbum quod ſonuit *fiat*, ſicut etiam ibidem ſcriptum eſt, *dixitque Deus fiat lux*, erat in eodem in principio cum creatura a creatore initium acciperet apud Deum, ideſt in una aequalitate divinitatis, quoniam illud verbum quod apud Deum eſt illi aequale in divinitate eſt, videlicet quia verbum quod in Deo eſt a Deo inſeparabile eſt, & conſubſtantiale illi exiſtit. Sic omnia per ipſum facta ſunt, quoniam cunctae creaturae per verbum Dei ut pater voluit, factae ſunt, quia nullus creator eſt niſi ſolus Deus.
Brachia hominis. Omnia enim utilia quae res formatae & vitales ſunt, per ipſum factae ſunt. Ipſe etiam in brachiis hominis, & in juncturis illis adhaerentibus fortitudinem firmamenti cum ſignis ſuis, quae ipſum firmamentum ſufferunt & regunt, oſtendunt quemadmodum brachia cum juncturis articulorum ſuorum dominationem & operationem totius corporis manifeſtant. Nam etiam dextra ut auſter, & ſiniſtra ut aquilo ſunt, qui firmamentum ſunt ne procedat ultra quam poſitum eſt ut ſcriptum eſt. Et in his omnibus inter nos & vos chaos magnum firmamentum eſt, ſcilicet ne tenebrae lucem extinguant, & ne lux tenebras expellat.
Sine ipſo factum eſt nihil. Et ſine ipſo factum eſt nihil, quoniam ſine verbo Dei facta eſt nulla creatura, quia per verbum Dei omnis creatura tam viſibilis quam inviſibilis facta eſt, quae in illa eſſentia videlicet viventis ſpiritus, aut viriditatis aut virtutis ſubſiſtit, & ſine ipſo non factum eſt aliquid, praeter malum quod a diabolo eſt, & ideo ab oculis Dei projectum ad

nihilum deductum eſt, quoniam ſolummodo unus Deus eſt, & alius non eſt. Rationalis quoque homo, in quem poſſibilitas operandi a Deo poſita eſt peccatum fecit, quod in nihilum ducitur, quia a Deo creatum non eſt, & huic nihilo Deus inexterminabiles tenebras poſuit, quoniam fugiendo lumen recuſavit. V.IV.
Quod factum eſt in ipſo vita erat. Sed quod factum eſt in ipſo vita erat, quia omnia quae creata ſunt, in ipſius creatoris ratione apparuerunt, quoniam in praeſcientia ejus ſuerunt, non tamen illi coaeterna, ſed ab ipſo praeſcita & praeviſa, ac praeordinata. Deus enim unica vita eſt, quae non accepit initium vitae illius, quae initium habet. Quapropter omne quod factum eſt, in ipſo vita erat, quia ab eo praeſcitum fuit, & Deo vivebat, ita ut Deus nunquam recordationem illius habere ceperit, quoniam illud nunquam oblivioni tradiderat, quia in praeſcientia ejus erat, quamvis in formis ſuis nondum temporaliter fuiſſet. Nam ſicut non eſt quin Deus ſit, ſic non eſt quin per ipſum opera illa in creaturis procederent, quæ in ſapientia ejus praeſcita & præordinata fuerant. Et ſicut hoc quod in creatione factum eſt in Deo vita ſine extinctione fuit, quia creandum erat, ubi factae creaturae nihil deerat, quin plenitudinem profectus ſui in creſcendo haberet; ita etiam quae homo operatur ipſi vita ſunt ei ad vitam ſuccurrendo, quia in ipſis ſubſiſtit & perficitur. Sed & quoniam Deus ſine initio, & ſine fine plena vita eſt, ideo etiam
Pectus hominis. opus ſuum in ipſo vita eſt, quod in hoc nullo modo illuditur, quemadmodum & Deus in pectorali loco hominis deſignavit, ubi homo deſiderando, componendo, & aſcendendo unamquamque rem ſcilicet bonam & malam in cogitationibus ſuis congregat conſiderans quid ſibi placeat, vel diſpliceat, quia quod ſibi placet cum gaudio conſervat, quatenus ei vitam retineat, & quod ſibi diſplicet indignando a ſe projeit, ne vitam ejus laedat. Sic omne quod Deus fecit in ipſo vita eſt, quoniam illud a Deo vitale in natura ſua eſt. Unde & ſicut verbum Patris carnalem vitam hominibus dedit cum eos creavit, ita etiam cum tunicam ſuam induit, ſpiritalem vitam eis oſtendit, quatenus per alienam vitam, & non ſecundum carnem incedendo in turbas ſpiritalium ſe dilatarent, & ita utrumque populum in ma-
Chriſtus populum ſpiritualem & ſaecularem tenet. nu ſua tenet, quoniam ipſe filius Dei, Deus & homo eſt. Spiritalem quippe populum in amore complectitur, quia filius Dei eſt, ſaecularem autem ſecundum juſtitiam habet qua dictum eſt; *creſcite & multiplicamini*, quoniam filius hominis eſt.
Et vita erat lux hominum. Et vita erat lux hominum, quonism vita quæ creaturas ſuſcitaverat vita vitæ hominis quia per eam vivit exiſtens, ratione & ſcientia lucem hominibus dabat in qua Deum fide aſpicerent eum creatorem ſuum agnoſcentes, & ipſa luce ita perfuſi, quemadmodum luna
Scientia boni & mali in homine duae alae ſunt. diei mundum illuminat. Homo enim alas ſcientiæ per cœlum intelligit, quod ſolem & lunam producit, quia dies ſcientiam bonam, nox malam demonſtrat, velut ſol diem, luna noctem manifeſtat. Et ut homo cum creaturis ſine luminibus iſtis in officio vitae ſuae velut coecus eſſet, & ut corpus ejus ſine ſpiritu vivere non poſſet, ſic etiam homo ſine alis ſcientiae quid eſſet non intelligeret.
Lux in tenebris lucet. Unde lux in tenebris lucet, quemadmodum lux diei per lunam in nocte lucet, quatenus homo in bonis operibus mala opera cognoſcat, quae a luce ſeparata ſunt, quoniam bona ſcientia ratione ſuffulta malam reprehendit, & eam a ſe expellit.
Et tenebrae eam non comprehenderunt. Et tenebrae eam non comprehenderunt, velut nox diem obnubilare non poteſt, quia malum hoc illud quod bonum eſt nec ſcire nec intelligere vult, ſed illud fugit. Hæc
Cor hominis. Deus in corde hominis declarat, quod vita & firmamentum totius corporis eſt, & totum corpus ſuſtentat, quia in corde cogitatio hominis ordinatur & voluntas paſcitur. Unde & voluntas quaſi lux hominum eſt, quoniam ſicut lux omnia penetrat, ſic & voluntas in eo quod deſiderat abundat, atque in eodem deſiderio ſuo quod pro luce ſibi computat, in tenebras malorum operum quae perficere vult ſaepe ambulat. Sed tenebrae eamdem voluntatem ita non

P. I.

comprehendunt, ut illi ſcientiam boni abſtrahere poſſint, quin bonum ſciat, quamvis hoc non faciat. Fuit homo miſſus a Deo, qui guſtum humi non habebat, quia miſſus a ſuperno creatore, & non ab homine fuerat, quoniam calor verbi Dei ariditatem carnis illorum qui eum genuerunt, viridem fecerat, ita ut etiam caro ipſius in plurimis operibus velut aliena conſuetudine in peccatis naſcentium eſſet. Nam qui eum genuerunt per gratiam Dei attacti ipſum procrearunt, & ita per gratiam Dei proceſſit in teſtimonium filii Dei miſſus. Unde & angelus Joannem eum nominavit. Cui nomen Joannes erat, quia opera quae fecit nomini ipſius concordabant, quoniam gratia Dei ipſum praeveniendo & ſubſequendo confortaverat. Gratia enim Verbi quod Deus eſt Joannem miſit motione viciſſitudinum morum illorum, qui in viciſſitudinibus hominum in peccatis naſcentium mundavit, & ob hoc quamdam ſtabilitatem ſecundum rectitudinem ſpirituum habuit, qui nec viciſſitudinem morum hominum habent, nec peccare deſiderant. Deus autem qui mirabilis exiſtit, ad ventrem hominis miracula, quae in Joanne fecit, conformat. Venter enim vires creaturarum quas recipit & emittit poſtulat, ut de ſucco earum ſicut Deus conſtituit paſcatur. Sed tamen in omnibus creaturis ſcilicet in animalibus, in reptilibus, in volatilibus, & in piſcibus, in herbis, & in pomiferis quaedam occulta miſteria Dei latent, quae nec homo, nec alia ulla creatura ſcit aut ſentit, niſi quantum eis a Deo datum eſt. Joannes autem mirabiliter ad elementa miſſus eſt, & mirabiliter ab eis paſtus eſt, & ſicut quodam modo a conſuetudine peccati abſtractus erat, ſic quoque per abſtinentiam mirabiliter de elementis vixit. Et ipſe purus homo digne & laudabiliter nuncius ante occultum filium Dei fuit, per quem mundus cum innumerabili numero poſitus eſt, & omnes creaturae creatae ſunt. Quod etiam per ventrem deſignatur, quia ſicut mundus omnia capit, ita & venter alias creaturas in commeſſione in ſe recipit. Sed & quemadmodum omnis creatura a Deo proceſſit, ſic & Adam omnes homines in forma ſua portavit, quibus Dei filius vera paſcua ſubminiſtravit, cum hominem in humanitate ſua portavit. Hic venit in teſtimonium ut teſtimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum, quoniam Joannes in mirabilibus rebus per conſuetudinem carnalis nativitatis mirifice homo factus & mirabilis homo exiſtens, venit divina diſpenſatione in teſtimonium miſteriorum Dei, ut teſtimonium per virtutes quae in ipſo operabantur perhiberet de lumine, ſcilicet de Deo de quo omnia lumina accenduntur, ut omnes qui per Spiritum Sanctum ignei ſunt crederent Deo per teſtificationes illius, quas mirabiliter proferebat. Venit itaque teſtando divinitatem, humana forma indutam. Et ſicut ipſe in arida natura quantum ad ipſam ſine viriditate natus eſt, ſic filium meum ex Virgine Maria ſine peccato natum dixit. *Hoc ideo volui, quatenus per miraculum iſtud quod in Joanne operatus ſum, homines miraculis filii mei crederent.* Et ſicut in Joanne teſtimonium hoc apparuit, ſic etiam in ſemoribus hominis verum teſtimonium declaratum eſt, quae teſtimonium omnium naſcentium ſunt, & propago totius corporis ſui quod videt, palpat, cogitat, & optat, & in ſcientia ſua omnia computat quae operatur. Nam homo miraculum Dei eſt, & ideo juſtum eſt, ut mirabilibus Dei teſtimonium det. Non erat ille lux, ſed ut teſtimonium perhiberet de lumine, quia Joannes non fuit illa lux quae nunquam dividitur, nec mutatur, videlicet quae Deus eſt. Sed venit a Deo miſſus, quatenus teſtimonium daret de illo qui verum lumen exiſtens, omnia lumina accendit quoniam Deus abſque omni indigentia neceſſitatis ullius in ſe & per ſe eſt; quia ipſe omnia in omnibus facturus erat. Unde & in omni factura operis ſui eſt. Hinc etiam Joannes teſtificatum teſtimonium de Chriſto nunciavit, quoniam ut pomum teſtis eſt radicis qualis ſit, ſic ipſe in mirabilibus Dei ſurrexit. Quapropter & mirabilia ejus teſtificatus eſt. Homo autem deſignatum opus & lumen a Deo eſt, quod vivere incipit, & in carne quandoque deficiet, & exinde Deo teſtimonium perhibet, quia Deus ſic non eſt. Erat lux vera, quae nunquam umbra ulla obumbrata eſt, & cui nunquam tempus ſerviendi vel dominandi, minuendi, ſeu augendi datum eſt; ſed quae ordinatio omnis ordinationis & lux omnis luminis eſt, & ex ſe lucens. Deus enim nunquam in aliquo mane in ulla aurora ſurrexit, ſed ante aevum ſemper fuit. Quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quoniam haec lux cum ſpiraculo vitae perfundit omnem hominem carnem & oſſa habentem, & in praeſentem mundum creſcentis & deficientis mutabilitatis per ortum inceptionis venientem, ut quando ſol cum luminaribus ſuis eum ſuſceperit, creaturas aſpiciat & cognoſcat. Deus enim per viventem ſcintillam animae primum hominem ſuſcitavit, quem de limo formavit, ita ut ille per eamdem animae ſcintillam de limo caro & ſanguis factus ſit. Unde & in poſteris ipſius cum ſpuma per naturam hominis miſſa fuerit, per igneam ſcintillam animae caro & ſanguis pleniter efficitur, quia ſi hoc modo per calorem animae non ſuſcitaretur, caro & ſanguis pleniter non efficeretur, quemadmodum materia primi hominis limus permanſiſſet ſi per animam mutatus non fuiſſet. Nam ſicut per aquam & ignem panis ex farina efficitur, ſic etiam per ignem animae, caro & ſanguis fit. Homo enim quaſi lux aliarum creaturarum in terra commorantium eſt, quae multoties ad ipſum currunt, & qui eum multo amore lambunt. Unde etiam & homo a creatura in cujus amore ardet, ea vult, diligenter ſaepius inquirit. Creatura autem quae hominem non diligit ipſum fugit, & omnia quae ad eum reſpiciunt conculcat & diſſipat, quoniam timore ejus perterrita, ipſum eſſe moleſte fert, & ideo multoties eum invadit quatenus ei vitam exentiat. In mundo erat, cum regale indumentum de carne virginis induit, ubi ſancta divinitas in uterum illius ſe reclinavit, quia in aliena natura homo factus eſt, & non ſicut alius homo, quoniam caro ipſius per ſanctam divinitatem inflammata eſt. Quapropter poſt noviſſimum diem cum quilibet homo transfiguratus fuerit, animae electorum corpora ſua per fidem in coelum levabunt, quae prius in mundo erant. Haec Deus per ſemetipſum in virtute ſua faciet, quam nulla creatura exterminare poteſt, quia tunc homo ut praedictum eſt carne induetur, & oſſa ipſius medulla implebuntur, ſed ampli . . . . ſi cibi & potus & vita non deficiet, quoniam tunc in viribus divinitatis ſine omni viciſſitudine diverſitatis procedet, quia in bono membrum Chriſti eſt, qui in mundo multas paſſiones & plurima obbrobria ſuſtinuit, quamvis filius Dei eſſet. Quod diabolus omnis fallaciae inventor ſcire non potuit, qui initium habuit, & illum cum omnibus membris ſuis, quae Deum reſpuunt, negare feſtinavit; ſed tamen quin homo in indeficientem vitam elevaretur impedire non potuit. Et mundus per ipſum factus eſt, ita ut mundus ab ipſo, non ipſe a mundo exortus ſit, quoniam creatura per verbum Dei proceſſit, ſcilicet quidquid creaturarum tam inviſibilium, quam viſibilium eſt, quia quaedam ſunt quae nec videri nec tangi poſſunt, quaedam autem & videntur & tanguntur. Sed homo utrumque in ſe habet, animam ſcilicet & corpus, quoniam ad imaginem & ſimilitudinem Dei factus eſt. Unde & verbo jubet, ac manibus operatur. Sic Deus hominem ſecundum ſe ordinavit, quia filium ſuum de homine incarnari voluit. Et mundus eum non cognovit, quoniam filii mundi videlicet, qui mundum ſequuntur propter caecitatem ignorantiae ſuae ipſum venientem neſcierunt, nec eum operantem cognoverunt, quemadmodum infans ſcientiae & operationis neſcius eſt. Quapropter & hic in ſemore ac in genibus hominis Deus ignorantem infantiam incredulorum demonſtrat, quia ſicut infans incedere non poteſt, quoniam & medul-

V. IV.

Fuit homo miſſus a Deo. — *Cui nomen Joannes erat.* — *Venter hominis.* — *In Adam omnes homines fuerant formati.* — *Hic venit in teſtimonium.* — *Deus loquitur.* — *Homo eſt miraculum Dei.* — *Non erat ille lux.* — *Ex pomo cognoſcitur radix ſeu arbor.* — *Quae illuminat omnem hominem venientem.* — *Homo eſt ut lux in creaturis aliis.* — *In mundo erat.* — *Et mundus per ipſum factus eſt.* — *Et mundus eum non cognovit.* — *Femur & genua.*

Digitized by Google

P. I.

dullae & oſſa ejus nondum firmata ſunt, eo quod per lac, & per mollem cibum alatur, & quoniam ſine cruribus & ſine pedibus per ſemur, ac per genua adultus homo incedere non valet, ita cum ſcientia & ſenſus incredulorum ab igne ſancti ſpiritus vacui erant, per quem Deum agnoſcere debuerant, in via rectitudinis ambulare non poterunt. *In propria venit.* In propria venit, quia mundum creaverat, & quoniam humanam carnem induerat. Unde & omnes creaturae ipſum oſtenderunt, ut nummus dominum ſuum oſtendit. Nam Deus mundum creavit, quem homini tabernaculum praeparare voluit, & quia hominem induere voluit, ideirco eum ad imaginem & ſimilitudinem ſuam fecit. Quapropter omnia ipſius propria erant. *Et ſui eum non receperunt.* Et ſui eum non receperunt, ſcilicet qui ſui erant quoniam eos creaverat, quia eos ſpecialiter ad imaginem ſuam fecerat; ſed tamen eum neglexerunt, ubi eum factorem ſuum eſſe non cognoverunt, & ab ipſo ſulo ſe creatos non intellexerunt. Increduli namque humanitatem illius non receperunt, nec propter obcaecationem incredulitatis ſuae Deum in humana forma cognoverunt. *Crura hominis.* Unde & in cruribus hominis juventus ipſius deſignatur, quae ſtulta & inutilis eſt, ubi viriditates & flores & aliam creaturam attendit, & ubi ſapientiorem ſe aliis exiſtimat, quia medulla & oſſa ejus tunc pleniter firmata ſunt. Sic Judaei & Pagani fecerunt, qui vanitatem ſaeculi diligentes ſe putabant ſcire quod neſciebant, & eſſe quod non erant, & illum qui eis carnem & ſpiritum dederat, per fidem non attenderunt. Quemadmodum enim juventus in creaturis decepta delectatur, ita mundus tunc in vanitate converſabatur, & ideo neceſſarium fuit, ut Deus illis ſe ipſum oſtenderet, & eos ad ſe colligeret, ſicut etiam aſinam & pullum ejus abſolvi & ſibi adduci juſſit, ubi ſe ipſum cum lege veritatis ſuper eos poſuit. *Quotquot autem &c.* Quotquot autem receperunt eum dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, quoniam omnibus hominibus utriuſque ſexus qui eum receperunt credendo eum eſſe Deum & hominem, quia Deus primum fide capitur, deinde quod Deus homo factus eſt recipitur, dedit potentia ſua potentialiter poteſtatem hanc, ut propria voluntate ſua filii patris ſui in coeleſti regno fiant, ideſt ut participationem regni ſui haeredes haereditatis ejus facti ſecum habeant, & hoc ea poteſtate qua filius haeres patris ſui exſtitit. Nam quia eum Deum & creatorem ſuum cognoverunt, & eum caritate amplexi & fide oſculati ſunt, & omnia ſua ab eo diligenter & caute ſciſcitati ſunt; ros Spiritus Sancti in eos cecidit, itaut tota eccleſia ab eis germinare, & fructum ſupernorum gaudiorum proferre inceperit. Quapropter datum eſt eis ut per virtutem verae fidei filii Dei ſint. *His qui credunt &c.* His qui credunt in nomine ejus, qui iſtis qui fidem hanc credendo habent, quod in nomine ipſius per Baptiſmum ſalvi fiant, participatio caeleſtis regni datur, quoniam omnia opera ſua in ardenti amore quaſi Deum videant faciunt, & non in umbra fidei nomen Dei ſine operibus colendo ubi Deos alienos abiciunt, qui ſe ipſos facere non poſſunt, & a ſe ipſis non ſunt, ſed qui facti hominum ſunt. Nomen autem hoc, in quo vera credulitas eſt, tale eſt, quod initio caret, & quod per ipſum omnes creaturæ ſurrexerunt, & quod vita eſt, per quam omnis vita ſpirat. Unde & ab omni creatura ſua adoratur. Secundum autem has tres vires, quae in hoc nomine ſunt, omnis creatura quæ nomen habet ex tribus viribus ſubſiſtit. Sed & arida & putrida creatura nomine caret, quoniam vitalis non eſt. Nomini autem vitalis creaturae tres vires aſſunt, quarum altera videtur, & altera ſcitur ſed tertia non videtur. Corpus enim vitalis rei videtur, & quod gignit ſcitur; ſed unde vitalis ſit nec cognoſcitur, nec videtur. *Pedes hominis.* Sic & Deus magna mirabilia per pedes hominis manifeſtavit, quia ſicut pedes totum corpus ſuſtentant, & quo vult illud portant; ſic etiam fides nomen Dei cum mirabilibus quae & videri & non videri, & quæ cognoſci & non cognoſci poſſunt fortiter ſuſtinet, ac

V. IV.

ubique magnifice fert. Et corpus hominis & opera ejus videntur, ſed multo plus in ipſo eſt id quod nec videtur, nec cognoſcitur. Sed cum tanta obſcuritas in homine ſit, quomodo manifeſtus illi eſſet qui eum creavit? Nam hunc nullus hominum in ſæculo vivens ſcire poteſt ſicuti eſt. *Qui non ex ſanguinibus.* Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Filius enim Dei dixit quod natum eſt ex carne caro eſt, & quod natum eſt ex ſpiritu ſpiritus eſt, quoniam caro de carne in peccatis concepta nata eſt, ſed quia Deus ſpiritus eſt, per ipſum omnes ſpiritus orti ſunt, nec ſpiritus in carnem, nec caro in ſpiritum vertitur; ſed per carnem & ſpiritum homo perficitur, *Homo in mortali carne eſt.* alioquin homo nec eſſet nec nominaretur. Deus quippe Adam plaſmavit, ut æternaliter immutabilis viveret; ſed ille inobedientia prævaricatus eſt conſilium ſerpentis audiendo. Quapropter & idem ſerpens eum omnino periturum exiſtimavit, quod tamen Deus noluit, qui mundi exilium illi præparavit, in quo filios ſuos in peccatis concepit, & genuit. Sicque cum omni genere ſuo mortalis factus per conceptam ſpumam peccati in putredinem vertitur, uſque ad noviſſimum diem cum Deus hominem renovabit, itaut poſtea immutabilis vita ut Adam creatus fuit vivat. Hæc autem vita in filiis qui in peccatis concepti & nati ſunt nequaquam eſſe potuit; ſed in humanitate filii Dei exorta eſt, per quem ſupernus pater recordatus eſt ut hominem liberaret, qui perierat. Illi enim qui per virtutem bonorum operum filii Dei efficiuntur, hanc poteſtatem ut filii Dei ſint non habent ex coagulatione ſanguinis parentum in qua ſanguinei ſunt, nec ex voluntate infirmioris carnis quæ ad partum pullulat, nec ex voluntate fortioris partis illius quæ ad gignendum robuſta eſt, ſed ex remuneratione divinæ revelationis in ablutione Baptiſmi, & in ignea effuſione Spiritus Sancti hoc accipiunt quod modo ex Deo naſcuntur, & hæredes regni ejus efficiuntur. Deus enim omnia opera ſua priuſquam formarentur, præviderat, quæ poſtea in creatione formatæ formæ in ſe vacuæ non remanſerunt, ſed vitalia facta ſunt. Caro enim ſine vita caro non eſſet, quoniam cum vita ab ea receſſerit in defectu deficit. *Anima ignea eſt, & calorem caro erubeſcit.* Spiraculum autem quod Deus in Adam miſit igneum & intelligibile ac vita fuit. Unde & per calorem ejus limus terræ rubicundus in ſanguine factus eſt. Et ſicut omnis creatura in præſcientia Dei ante ævum fuit, ſic etiam & adhuc omnes naſcituri homines in præſcientia ipſius ſunt. Sed homo intelligibilis & ſenſibilis eſt; *In notitia Dei omnes creaturæ eorumque homines & a probandi & reprobandi.* intelligibilis ſcilicet quia omnia intelligit, ſenſibilis quoniam ea quæ ſibi aſſunt ſentit, quia Deus totam carnem hominis vita implet, cum in eam ſpiraculum vitæ mittit. Quapropter & præſcientiam boni & mali eligit quod ſibi placet, & reprobat quod ſibi diſplicet. Deus autem conſiderat quid ſibi homo proponat. Quod ſi homo ſibi illa propoſuerit quæ a Deo non ſunt, Deus ab eo ſe ſubtrahit, & mox illi occurrunt qui primum malum inceperunt, videlicet qui cœlum dextruere voluerunt, quod Deum non tetigit, quoniam indecens eſſet, ut Deus ſeipſum dextrueret. Si autem homo ad nomen patris ſui anhelaverit, & illum bono deſiderio vocaverit, angelica præſidia illi aderunt, ne per inimicos impediatur, & Deus per delectationem deſiderii bonorum operum quaſi lac illi ſuaviter primum imminit, ac deinde pluviam gratiae ſuae illi infundit, per quam de virtute in virtutem fortiter aſcendat. Et hoc modo ille in hujuſmodi virtutibus uſque ad obitum ſuum ſemper novus eſt. Sed qui modicum quid & non magnum facere poteſt, ſemper in impetu vadit, ut idem quod poteſt perficiat; qui vero multa & magna facere valet, moderationem in eis cum temperamento habet. Diabolus enim unum vult, ſcilicet, ut animas in mortem ſeducat, nec aliud facere quaerit nec facere poteſt, & vix ſuſtinet donec illud perficiat quod facere valet. Deus autem quia in omnibus & per omnia potens eſt, in cunctis operibus ſuis moderadera-

P. I.

deratiónem habet, & cum temperamento diſcretionis facit quatenus homo fortior & promptior in ſtabilitate bonorum fiat. Nam unuſquiſque qui in impetu vadit, multoties in ruinam ſe ponit. Sed homo ſignificatio totius honoris Dei eſt, quoniam bona ſcientia quae in ipſo eſt angelica agmina quae Deo laudabiliter ſerviunt demonſtrat; mala vero ſcientia quam habet poteſtatem Dei manifeſtat, quia Deus illam vicit cum primum hominem de paradiſo expulit. Sic in omni homine fit, quoniam in illo qui per bonam ſcientiam bonum eligendo operatur, bonitas Dei oſtenditur, & in illo qui malum arripiendo illud perficit poteſtas Dei declaratur, quia Deus illud quandoque dijudicat, quandoque remittit. Homo itaque hoc modo ut praedictum eſt vita eſt, & omnia quae ipſi adhaerent per ipſum vitalia ſunt, quoniam Deus hominem cum omnibus appendiciis ſuis ſub ſole creavit, quatenus in terra ſolus non ſit, quemadmodum ipſe Deus in coelo ſolus non eſt, ſed in omnibus coeleſtibus armoniis glorificatur. Haec autem quae in terra circa hominem ſunt, cum eo in terra perdurant, quouſque numerus ille impleatur, quem Deus impleri conſtituit. Poſt futuram autem reſurrectionem beatus homo non indigêt ut creſcat aut ab ullo paſcatur, quia in claritate illa tunc erit quae nunquam tranſibit nec mutabitur. Hac namque claritate per ſanctam Trinitatem beatus homo tunc induetur, & illum inſpiciet, qui terminum initii & finis nunquam habuit, & ob hoc ſenio & taedio nunquam afficietur, quia etiam ſemper & nova pſallendo cytharizabit. Itaque ut praedictum eſt per vitam caro vivit, & niſi per vitam caro plene non eſſet; & ita caro cum vita, & vita cum carne unum ſunt. Haec Deus attendit quando in Adam per ſpiraculum quod in illum miſit carnem & ſanguinem roboravit, quotiam carnem illam tunc inſpeah qua induendus erat, & illam in ardenti amore habuit. Et Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis. Verbum enim quod apud Deum aeternaliter ante aevum erat, & quod Deus erat, per ardorem Spiritus Sancti carnem de utero Virginis aſſumpſit, quem ita induit, quemadmodum venae compago carnis ſunt, & ut ipſae ſanguinem portant, & tamen ſanguis non ſunt. Deus enim hominem ita creaverat, ut omnis creatura ei ſerviret. Unde etiam Deum decuit, quatenus indumenmm carnis in homine acciperet. Sic etenim Verbum carnem induit, ſcilicet quod Verbum & caro unum ſunt, non tamen ſic ut alterum in alterum tranſmutatum ſit; ſed unum in unitate perſonae ſint. Sed & corpus indumentum animae eſt, & anima cum carne officia operandi habet. Corpus autem ſine anima nihil eſſet, & anima ſine corpore non operaretur, unde unum in homine ſunt, & homo ſinit, & ſic opus Dei videlicet homo ad imaginem & ſimilitudinem Dei factus eſt. Cum enim ſpiraculum hominis a Deo mittitur, idem ſpiraculum & caro unus homo efficitur. Verbum autem Dei ex intacta carne Virginis abſque omni calore incendii carnem aſſumpſit, ita ut verbum verbum ſit, & caro caro, & unum ſint, quia verbum quod ſine tempore ante tempora in patre fuit ſe non immutavit, ſed tantum carnem induit. Et habitavit in nobis, quoniam homo factus ſine peccato ut homo habitat in nobis, humanitatem noſtram non negligens ubi & nos enim ſpiraculo vitae homines ſumus ad imaginem & ſimilitudinem ejus facti. Quapropter & nos in ipſo habitamus, quoniam opus ipſius ſumus, & quia in praeſcientia ſua nos ſemper habuit, nec noſtri oblitus eſt. Et vidimus gloriam ejus; quia nos qui cum ipſo eramus ſpecialiter vidimus eum in mirabili natura abſque omni peccato venientem. Et gloriam quaſi unigeniti a patre manifeſtante, quia mirabiliter ante ſaecula a patre natus unigenitus, gloriam ſuam mirabiliter a patre veniens oſtendit, ubi eum Virgo de ardore Spiritus Sancti concepit, nec operis viri indiguit, cum alius quilibet homo a viro ſcilicet ex patre cum peccato ſeminetur. Deus enim hominem de limo formaverat, & in illum ſpiraculum vitae miſerat. Unde & verbum Dei in homine regale veſtimentum cum rationali anima aſſumpſit, & illud totum ad ſe traxit, & in eo permanſit. Nam & ſpiraculum quod in homine anima nominatur carnem perfundit, & illam pro delectabili veſtimento & decoro ornamento habet. Quapropter & eum amat, & ipſi conſentit, nec tamen in ea videri poteſt. Ex natura quoque, & ex deſiderio animae homo veſtem vitae poſtulat, & quoniam Deus nullam creaturam ſine viribus vacuam creavit, ideo homo mirabilia ſemper operatur. Et idem verbum plenum gratiae & veritatis eſt, quia in plena gratia erat omnia in divinitate creando, & in humanitate redimendo, & in plena veritate extitit, quoniam nullum mendacium iniquitatis & peccati ipſum tetigit, nec ſe ipſi aſſociavit, quia Dominus eſt qui praelio ſuo mala vicit, quae ſine ipſo nihil ſunt. Nam ipſum verbum ſcilicet verus Dei filius plenus eſt gratia, dando & remittendo ſecundum ſuam miſericordiam, qui ſe ipſum in divinitate non eainanivit, ſed humanitatem induit, & humanitas ipſius plena eſt, quoniam nulla ruga peccati humanae naturae eum tetigit. Plenus etiam veritatis eſt, quia dat, remittit, & judicat ut juſtum eſt; quod homo non facit quoniam in ruga peccatorum conceptus & natus eſt. Sic Deus rotundus, rotae ſimilis eſt, omnia creando & bona volendo, ac bona perficiendo. Voluntas enim Dei omnia praeparavit, quae Verbum Dei creavit. Omnis itaque homo, qui Deum timet & diligit, verbis iſtis devotionem cordis ſui aperiat, ac ea, & ad ſalutem corporum & animarum hominum non quidem ab homine, ſed per me qui ſum prolata ſciat.

V. IV.

Homo cum bona & mala ſcientia ſua eſt teſtificatio honoris Dei.

Homo omnibus eſt munitus in terra uſque ad finem ſaeculi.

Verbum caro factum eſt.

Et habitavit in nobis.

Et vidimus gloriam ejus.

Plenum gratia & veritatis.

EXPLICIT QUARTA VISIO.

Digitized by Google

PARS SECUNDA,

INCIPIT QUINTA VISIO

Viſio magnæ admirationis, in qua & orbis quinque diſtinctus partibus, ſed & dimenſiones, & qualitates earumdem partium tam lucis & amœnitatis quam pœnarum & tenebrarum horrore refertæ: duo quoque globi, alter ſaphirino colore circumdatus, alter luminoſis ſplendeſcens radiis cum circumſtantiis ſuis ſubtili acumine deſcribuntur.

P. II. I. „ DEinde vidi rotunditatem terrae in quinque partes diſtinctam, ita ut pars una ad orientem, altera ad occidentem, tertia ad auſtrum, quarta ad ſeptemtrionem, quinta autem in medio iſtarum eſſet. Et ambitus partis orientalis, ambituſque partis occidentalis æqualis menſurae erant; formamque extenti arcus uterque habebat. Ambitus quoque partis auſtralis, ambituſque partis ſeptemtrionalis unius menſuræ exiſtentes, longitudini & latitudini priorum duarum partium adæquabantur, excepto quod in interioribus finibus ſuis propter arcuatos interiores fines earundem priorum duarum partium quaſi troncati videbantur, formamque extenti arcus praeter ipſos truncatos interiores fines ſuos imitabantur. Nam hae utraeque partes, ſcilicet pars auſtralis, parſque ſeptemtrionalis in tres partes diſtinguebantur, quarum duæ mediæ ipſarum partium unius formæ, uniuſque menſuræ erant. Reliquae quatuor etiam, quae finetenus erant, aliam ſed tamen parem ſibimet formam, paremque diſtinctionem habebant, atque longitudini, & latitudini earumdem duarum mediarum partium aequales exiſtebant, excepto quod in interioribus finibus, ſuis conſtrictiores, in exterioribus vero latiores caeteris duabus videbantur, ſecundum quod ſupradicta pars orientalis, parſque occidentalis, in utriſque finibus ſuis ut præfatum eſt ſe incurvando hinc conſtrictius, hinc largius ſpatium illis concedebant. Quinta autem pars priorum partium, quae in medio omnium iſtarum erat, in quadrata forma apparebat, atque alibi ardore, alibi frigore, alibi autem temperamento aeris perfuſa erat. Et prædicta pars orientalis multa claritate lucebat; occidentalis autem quadam tenebroſitate obtecta tenebreſcebat; auſtralis vero, quae tribus diſtinctionibus diſtinguebatur, duas diſtinctiones, quae finetenus erant, plenas quibuſdam poenis habebat. Tertiam autem, quae medio videbatur, non quidem poenis, ſed aliis quibuſdam monſtruoſis terroribus horrendam demonſtrabat. Quod & ſeptemtrionalis pars, tres etiam ſeparationes habens, in duabus extremis ſeparationibus diverſis poenis abundantibus, & in media quam plurimis horroribus ſine poenis horrenda oſtendebat. Sed verſus orientem ſupra praefatam terrae rotunditatem, in quadam altitudine videbam globum rubeum circulo ſaphirini coloris circumdatum, a cujus dextra & ſiniſtra parte utrimque duae alae praecedebant, quarum altera earumdem duarum partium ab utraque parte ejuſdem circuli ſurſum in altum ſe extendebat, itaut ambae in ſummitate ſua ſe recurvando ad invicem reſpicerent; altera vero ab eiſdem partibus deorſum uſque ad medietatem praedictae rotunditatis terrae deſcendebat, itaut eaedem alae eamdem mediam rotunditatem extra firmamentum circumamplectendo tegerent. Et ab eadem medietate rubeus circulus in modum arcus ſe extendens, totam exteriorem partem occidentis, nec non & quaſdam diſtinctiones, quae extra rotunditatem illius erant, comprehendebat, ſcilicet a termino praefatae auſtralis alae circa occidentem, uſque ad terminum ſeptemtrionalis alae ſe retorquendo. Ab ipſa autem rotunditate verſus orientem inter praefatas alas quaſi aedificium ſurſum uſque ad ſupradictum globum aſcendens apparebat, & ab eodem globo ſurſum uſque ad medietatem praedictarum alarum velut platea extendebatur, ſupra quam quaſi ſtella candida radiabat. Et deinde inter ſummitatem earumdem alarum velut globus igneus quoſdam radios de ſe emittens videbatur, itaut a ſummitate praedictae rotunditatis terrae uſque ad praefatum globum rubeum, & ab ipſo globo uſque ad praedictam ſtellam candidam, & ab eadem ſtella uſque ad ſupradictum globum igneum aequalia ſpatia eſſent. Inter priores quoque alas ex utraque parte praefatae plateae a praedicto globo circa demonſtratam ſtellam uſque ad praefatum globum igneum, quaſi quidam radii ſtellarum diſcreti videbantur. Sed & verſus occidentem extra praedictam terrae rotunditatem tenebrae apparebant, quae ab utraque parte ejuſdem rotunditatis ad medietatem ipſius quo & praefatae alae deorſum deſcendebant, in modum arcus ſe extendebant. In quibus inter angulum occidentalem & angulum ſeptemtrionalem aliae denſiores & acriores tenebrae velut formam horribilis & devorantis hiatus oris habentes erant, aliis quibuſdam denſiſſimis, & peſſimis, infinitiſque tenebris quae extra iſtas erant, quaſi os & rictus earum eſſent adhaerentes. Has autem infinitas tenebras ſciebam, ſed eas non videbam. Iterumque audivi vocem de caelo mihi dicentem. V. V.

Quia artificis Dei ſapientia, vel potentia in hoc mirabilis eniteſcit, quod elementum terrae non anguloſum, ſed rotundum, & quinque non amplius vel minus diſtinctum partibus certae cauſa rationis in medio aliorum trium elementorum immobilem ſuſpenderit, quodque hominem inſtar quinariae diviſionis terrae, & in hac vita quinque ſenſibus dituverit, & in futuro de pulvere ſepulchri in integrum reſtituat.

II. Orbem terrae Deus in medio trium elementorum ita ſuſpendit, ut nequaquam labi nec diſſolvi poſſit, & in hoc ſe mirabilem atque potentem oſtendit, cum etiam nec carnem nec oſſa hominis in pulverem ſic redigit, quin ea in noviſſimo die ad integritatem ſuam reſtituat. Aliam quoque terrae partem lucidam, aliam tenebroſam, aliam horribilem, aliam poenalem, aliam quoque homini aptam, aliam vero ineptam fecit, cum & quaſdam animas regno ſuo conſociat, quaſdam autem juſto judicio ad tartara damnat. Vides enim rotunditatem terrae in quinque partes diſtinctam, itaut pars una ad orientem, altera ad occidentem, tertia ad auſtrum, quarta ad ſeptemtrionem, quinta autem in medio iſtarum ſit; & hoc ideo eſt, quoniam ſi terra anguloſa & non rotunda eſſet, anguli ipſius defectum & inaequalitatem ponderoſitatis ei inferrent. Et ſi quinque partibus non diſtingueretur, recto moderamine non penſaretur, quia quatuor exteriores partes eam ad rectitudinem ponderant, quinta autem quae media eſt, eam in rectitudine iſta ſolidam & ſtabilem facit, deſignans etiam quod homo quem terra demonſtrat, quinque ſenſibus qui in eo vigent, ad quaeque ſibi neceſ-

Digitized by Google

P. II. neceſſaria ſolidatur, atque ad ſalutem animae ſuae dirigitur.

Item de quinque diſtinctionibus terrae quomodo nativis mutuo qualitatibus temperentur, & qualiter quinque ſenſibus homines comptentur.

III. Unde & pars una ad orientem verſa mediae parti ſuccum bonum, viriditatemque utilem tribuit, quemadmodum & hominis viſus, quaſi, ad ortum claritatis directus ipſi qui velut in medio elementorum eſt, ſalutem corporis & animae ſuoministrat. Altera autem ad occidentem reſpiciens, humiditatem interdum bonam, interdum nocivam eidem parti dat, ut etiam auditus totum corpus hominis velut ad occidentem concutiens & penetrans, nunc proſpera, nunc adverſa, nunc animae ſalutem, nunc deſperationem illi denunciat. Tertia vero ad auſtrum vergens, calorem frigido flatu ventorum temperatum ipſi parti immittit, ſicut & odoratus quemadmodum vapor de calore ſurgens, odorem de calidis & frigidis temperamentis procedentem, odoremque de ſupernis ſuſpiriis venientem, homini infundit. Sed quarta ad ſeptemtrionem tendens, frigus a ſeptemtrione, & calorem ab oriente venientem, praedictae mediae parti inducit, velut guſtus frigida recipiens, frigidaque & calida diſcernens, diverſo ſapore, ſupernaque dulcedine hominem concutit. Quinta autem in medio illarum exiſtens, ab ipſis in ſoliditate confortatur diverſiſque infuſionibus temperatur, quemadmodum & tactus velut in medio aliorum ſenſuum vigens ab eis roboratur, cum omnes ipſi vires tribuunt, & eum ad vegetationem conſolidant, ut etiam in diſpoſitione digitorum oſtenditur, quia & per ipſos opera ad aeternam remunerationem reſpicientia perficiuntur. Et ut vides ambitus partis orientalis, ambituſque partis occidentalis, aequalis menſurae ſunt, formamque extenti arcus uterque habet, quoniam ſol oriendo & occidendo aequalia ſpatia terrarum in circuitu curſus ſui occupat. Quod etiam oſtendit, viſum per ſcientiam boni & mali in hac ſimilitudine eſſe, videlicet quod ſicut viſus per ſcientiam boni ad hoc quod bonum eſt ſurſum tendit, ita & per ſcientiam mali ad hoc quod malum eſt deorſum deſcendit; per illam quidem ſe a malo retorquendo, per iſtam autem a bono ſe recurvando. Ambitus quoque partis auſtralis, ambituſque partis ſeptemtrionalis unius menſurae exiſtentes, longitudini & latitudini priorum duarum partium adaequantur, excepto quod in interioribus finibus ſuis propter arcuatos interiores fines earumdem priorum duarum partium quaſi truncati videntur. Formam quoque extenti arcus praeter ipſos truncatos interiores fines ſuos imitantur, quia quantum terrae auſter in calore, tantum ſeptemtrio in frigore occupat, in hoc etiam longitudinem & latitudinem orientis & occidentis imitantes, praeter quod fines eorum qui ad quintam partem prædictarum partium diriguntur, per extenſionem partis orientalis nec non occidentalis aliquantum conſtringuntur; cum tamen alibi ſimilitudinem circuli imitentur. Sic & odoratus per odorem virtutum tendit ad dexteram; guſtus vero per ſaporem vitiorum ad ſiniſtram; in hoc obtentu velut par ſtudium quamvis contrarium habentes origini ſuae ſe aſſimilant, cum ille bono, hic malo ſe coaptat, ſed tamen neuter illorum in initio inceptionis ſuae plenitudinem conatus ſui habere poteſt, quia dum primitus homo ſive bonum ſive malum incipit, ſcienter in eodem facto ſe conſtringit, quoniam nondum illi ſe totum committere audet.

Quod duarum partium diviſionis terræ auſtralis ſcilicet & ſeptemtrionalis in tres unaquæque ſubdiviſiones diſtincta contemplanti iſta apparuerunt, & quomodo hæc ſecundum corpus & animam & opera hominis intelligenda ſint.

IV. Nam & hæ utræque partes, ſcilicet pars auſtralis, parſque ſeptemtrionalis in tres partes diſtinguuntur, quæ hinc pro ardore, hinc pro frigore, hinc pro ſerpentibus inhabitabiles hominibus ſunt. Hoc quoque demonſtrat, quod odoratus cum aſcendit ad odorem virtutum, guſtus vero cum declinat ad ſaporem vitiorum hominis corpus animamque ejus ac opera ipſius diverſo modo tangunt, ubi & illum quaſi inhabitabilem oſtendunt, ſi non intelligit quid corpus, quid anima, quid opera in ipſo ſint, & ſi etiam in ſemetipſo nec rectum temperamentum diſcernere novit. Quarum duæ mediæ ipſarum partium unius formæ, uniuſque menſurae ſunt, quoniam pars auſtralis, & pars ſeptemtrionalis in recta menſura exiſtentes, his etiam ſua rectitudine juſta moderamina concedunt, atque deſignant, quod anima in odore virtutum, & in ſapore vitiorum, velut media inter corpus & opera ipſius exiſtens, unius moderaminis & diſpoſitionis eſt, cum mala metuendo ad Deum ſuſpirat. Sed & reliquae quatuor, quæ finetenus ſunt, aliam ſed tamen parem ſibimet formam paremque diſtinctionem habent, quia illæ tam in auſtrali, quam in ſeptemtrionali parte ex utroque latere praefatarum mediarum partium dilatatæ, in interioribus finibus ſuis, qui verſus prædictam quintam partem reſpiciunt, aliquantum conſtrictae ſunt. In exterioribus vero finibus ſuis aliquantam latitudinem habentes, ubi aliam formam quam ſupradictæ mediæ partes habeant, videntur habere, ſibi autem invicem ſimiles & in forma & in diſpoſitione ſua exiſtentes, quod demonſtrat quia corpus hominis operaque ejus, quæ velut terminum illi imponunt, cum in ſe defectum ſentiunt, aliud officium habent, in quo tamen pariter ſibi conſentiunt, quam anima habeat, cum homini vegetationem corporis & ſenſuum pleniter infert. Nam cum corpus labitur, opera ipſius attenuantur; cum autem anima corpus ſuſtulerit, opera corporis ſublevantur. Atque longitudini & latitudini earumdem duarum mediarum partium æquales exiſtunt, excepto quod in interioribus finibus ſuis conſtrictiores; in exterioribus vero latiores cæteris duabus videntur, ſecundum quod ſupradicta pars orientalis, parſque occidentalis in utriſque finibus ſuis ut præfatum eſt ſe incurvando, hinc conſtrictius, hinc largius ſpatium iſtis concedunt. Hoc ideo eſt quoniam partes iſtæ quæ in utroque latere mediarum ſunt, longitudinem earumdem mediarum quidem habent, ſed latitudinem verſus præfatam quintam partem eiſdem mediis partibus minorem; verſus autem exteriorem terminum ſuum illis latiorem, alibi vero ipſis æqualem, quia utrique fines ſcilicet partis, quae ad orientem dirigitur, & partis quae ad occidentem extenditur, ſecundum modum arcus juxta interiores fines ſupradictarum quatuor ſimilium partium contrahuntur. Sed & omnia haec deſignant, quod corpus hominis & opera ejus ita in ipſo ad ſuſtentationem ſui extenduntur, ſecundum quod anima in illo ad confortationem excitatur, propter quod idem corpus eademque opera hominis in ſecuritate artiora, in dubio autem ampliora multotiens ſe reddunt, quam ſuſpirium animæ deſideret, quoniam illa modum rectitudinis appetit, corpus autem hominis ad immoderationem in operibus ſuis ſæpius currit.

Quod media quoque omnium quinta pars terræ quadrata apparens, & triplici etiam ipſa diſtinctione diviſa, hinc calore, hinc frigore inhabitabilis, hinc temperata habitabilis reddatur, & quid hic per hæc in hominis converſatione ſignificetur.

V. Quinta vero pars priorum partium, quæ in medio omnium illarum eſt, in quadrata forma apparet, quatenus a cæteris æqualiter contineatur, & perfundatur, deſignans etiam quod tactus perfectionem operum & non levitatem vitiorum habeat. Atque alibi ardore, alibi frigore, alibi autem temperamento aëris perfuſa eſt, quia ardor ſolis eam hic propter vicinitatem ſuam perurens, frigus vero propter remotionem ipſius eam illic conſtringens, inhabitabilem hominibus reddit. Temperies autem caloris V. V.

P. II. tis & frigoris illam iſtic habitabilem concedit, quemadmodum & digiti a ſe differentes, manum tamen fortitudine ſua continentes roborant, & ut quinque ſenſus hominis quamvis ſibi diſſimiles ſint, velut per ignem & aquam tentationem tranſeuntes, adminicula adjutorii ſibi invicem ad virtutes exhibent. Sed & hæc eadem loca habitabilia fideles homines demonſtrant, qui divinam legem ſemper ruminantes, & ſe totos ad ſupernam vitam erigentes in bonis operibus ſe habitabiles reddunt, inhabitabilia autem infideles deſignant, qui verbis Dei reſiſtere & repugnare conantes, & fidem abnegare, veritatemque & ſoliditatem ejuſdem fidei lacerare & praerumpere laborantes; his perverſitatibus ſe inhabitabiles faciunt, quia Spiritui Sancto habitaculum in ſemetipſis non concedunt.

Item de qualitatibus ipſarum quatuor partium, & quibus in locis poenae purgandis poenitentium animabus hominum collocatae ſint, alibi leves, alibi graves, alibi acerrimae ſecundum modos culparum eorum qui examinantur differentes, & quare in mediis earumdem partium finibus non poenae, ſed monſtruoſi quidam horrores habeantur.

VI. Et praedicta pars orientalis multa claritate lucet, quoniam in ipſa locus voluptatis & deliciarum eſt, refrigerium beatarum animarum in ſe habens; & ut anima interiorem viſum ad aſpectum veri luminis figat monens. Contra vitia autem multorum peccatorum, quibus homines juſtitiam praevaricantur, poenalia & tranſitoria loca in quatuor angulis terrae poſita ſunt, quibus animae ſalvandorum ſecundum quod culpae eorum exigunt, corporibus exutae examinantur. Unde occidentalis pars quadam tenebroſitate obtecta tenebreſcit, his tenebris poenas levium, minorumque peccatorum in ſe continens, ſcilicet hominum illorum qui ignorantia delinquunt, & in eis auditum hominum a clamore veritatis averſum oſtendens. Auſtralis vero pars, quae in tribus diſtinctionibus diviſa eſt, duas diſtinctiones, quae finetenus ſunt, plenas quibuſdam poenis habet, in quibus fortia peccata animarum illarum puniuntur, quae dum in corporibus ſuis eſſent, odorem virtutum neglexerunt. Nam in diſtinctione anguli hujus, qui inter orientem & auſtrum eſt, acerrimae poenae ignei & ventoſi aeris, aliorumque cruciatuum ſunt, in quibus peſſima opera homicidarum, raptorum, furum, atque quorumdam aliorum hominum exquiruntur, quoniam judicia Dei ſemper parata ſunt ſuper impietatem & infidelitatem, & ſuper peccata, & horribiles ſenſus, qui ſe Deo opponere oriuntur. In diſtinctione autem anguli illius, qui inter auſtrum & occidentem eſt, peſſimae poenae abundant, ita ut ibi in aeſtate frigus, in hyeme vero ardor, aliaeque poenae exiſtant, per quas illorum animae corporibus exutae purgantur, qui de multis & magnis peccatis ſuis vix vel in fine ſuo poenitentiam habent: Unde & odore virtutum carentes vix ſalvabuntur. Tertia autem quae media illarum eſſe videtur, non quidem poenis, ſed aliis quibuſdam monſtruoſis terroribus demonſtrat ſe horrendam, quia ſi etiam iſta quemadmodum & aliae duae poenis abundaret, eaedem poenae ſuperfluitate ſua ebullientes, habitationem hominum in terris inhabitabilem redderent, cum nunc pro multis horroribus qui in ipſa ſunt peſtilentiam hominibus & animalibus, laeſionemque fructibus multoties immittat, quoniam homines odorem virtutum animabus ſuis non inferunt. Quod & ſeptemtrionalis pars tres etiam ſeparationes habens, in duabus extremis ſeparationibus diverſis poenis abundantibus oſtendit, in quibus animae illorum purgantur, qui guſtum vitae poſtponentes, concupiſcentias carnis ſuae ſecuti ſunt. In ſeparatione enim anguli iſtius, qui inter orientem & ſeptemtrionem eſt, duriſſimae poenae frigoris & ventorum aliorumque cruciatuum ſunt,

in quibus infidelitas quorumdam incredulorum hominum examinatur, qui dum in ſaeculo manerent, incredulitatem imitantes guſtum verae fidei neglexerunt, in hora tantum mortis ſuae per poenitentiam ad fidem catholicam redeuntes, guſtum rectitudinis tandem receperunt. Et in ſeparatione anguli hujus, qui inter ſeptemtrionem & occidentem eſt, immundiſſimae poenae lutulentae humiditatis, mortiferique foetoris & fumi, necnon & aliorum cruciatuum abundant, in quibus opera adulterorum voracium, & ebrioſorum exquiruntur, qui guſtum vitae velut alienum habuerunt. Sed media quamplurimis horroribus ſine poenis horrenda oſtenditur, ut praedictum eſt, quia iſta multos horrores in ſe habens ſi poenis etiam abundaret, flatibus illarum habitatio hominum inficeretur, horroribus tantum qui in ea ſunt hominibus, & aliis creaturis pericula interdum inferentibus, cum homines ſaporem vitae in inſipientiam ducunt. Et quemadmodum in foetore ſordium vermes ebulliunt, ita etiam ex foetore peccatorum poenae in praefatis angulis aſcendunt. Unde & multoties ex eiſdem poenis fumus in terram ubi homines habitant ſe dilatans, magnam peſtilentiam in hominibus, & in animalibus parat. V. V.

Quod judicia Dei, quae ſuper terram vel homines veniunt de poenalibus locis earumdem partium effundantur, quodque contra poenas vel tenebras inferni ne mundum occupent, altiſſimi quidam & duriſſimi montes oppoſiti ſunt, & in quarum locis partium animae pro ſuorum qualitate commiſſorum examinandae conſtituantur.

VII. Judicia autem haec, quae ſuper terram & ſuper homines veniunt, de praedictis angulis procedunt, ita ut plurima mala ab eis effundantur: ſed tamen contra horribiles tenebras infernalium poenarum altiſſimi duriſſimique montes, qui per nullam tempeſtatem ſcindi poſſunt poſiti ſunt, tenebris reſiſtentes, terramque defendentes, velut parietes domum ne labatur continent. Quia autem homo in quinque ſenſibus conſiſtens ſemper peccat, idcirco in praefatis quinque partibus terrae purgationem patitur; ſed parvas poenas in ſupradicta tenebroſitate occidentalis partis illi ſuſtinent, quibus praeſens terra dum in corporibus ſuis eſſent quaſi carcer ob amorem caeleſtium fuit. Qui autem voluptati carnis ſerviunt, in aliis purgatoriis poenis, qui & in partibus auſtri & ſeptemtrionis ſunt, ut praedictum eſt, purgantur, quia quamvis peccaverint, Deum tamen & juſtam fidem non abjecerunt. Has etenim ſupradictas orientis & occidentis ſcilicet duas rotunditatis terrae principales partes, necnon & auſtri & ſeptemtrionis, ut praefatum eſt, quatuor angulares fines mortalis homo non inhabitat, quoniam pro immutabilitate caloris ſeu frigoris, ſeu pro aliis incommoditatibus illarum in eis vivere non poſſet, quemadmodum etiam ſi homo ſupra modum ſe exaltaverit, aut ſi in deſperationem ceciderit, vel ſi dextram negligens ad ſiniſtram declinaverit, Spiritum Sanctum in habitaculum cordis ſui non recipit. Itaque Deus judicia ſua multoties ſuper quatuor angulos terrae exercet, ut Joannes electus meus in Apocalypſi vidit, quemadmodum loquitur dicens.

Verba de Apocalypſi Joannis apoſtoli ad hoc conſona, in quibus per quatuor equos album, rufum, nigrum & pallidum quatuor tempora & qualitates eorum ab exordio uſque ad finem mundi ſignificatæ ſubtiliter deſcribuntur.

VIII. *Et ecce equus albus & qui ſedebat ſuper illum habebat arcum, & data eſt ei corona, & exivit vincens ut vinceret.* Hoc conſiderandum ſic eſt. Tempus primum quod in Adam incepit, ut equus albus fuit, quoniam homo per ignorantiam prævaricatus eſt, ſuper quod Deus iram animadver-

P. II. ſionis ſuæ poſuit, quæ & vindictam in ſe habuit, cui & Deus dedit poteſtatem victoriae, inimicoſque ſuperare, ita ut etiam in praelio praeliorum contra antiquum draconem dimicaret. Et vindictam hanc in defectu legis quam Adæ dederat poſuit, ut etiam in defectu diluvii, arcum in nubibus coeli fecit. Tempus autem hoc ab expulſione Adæ uſque ad diluvium perduravit, in quo Deus in ira arcus ſui cunctum populum præter illos qui in arca ſervati ſunt, per concurrentes aquas, quæ ut tonitrus ſonuerunt ſubmerſit. Et ſicut in primo tempore Deus iræ ſuae arcum in vindictam oſtendit, ſic & poſt diluvium nubibus caeli arcum in hoc ſignum dedit, ne deinceps per tonitrualem ſonum aquarum totum mundum dimergeret, ubi & per baptiſmum fideles ſalvari præſignavit. Iterumque ſubſequitur. *Et exivit alius equus rufus, & qui ſedebat ſuper illum datum eſt illi ut ſumeret pacem de terra, & ut invicem ſe interficiant, & datus eſt illi gladius magnus*. Hoc conſiderandum ſic eſt. Equus iſte tempus illud eſt, quo poſt diluvium per iram Dei juſto judicio ablata eſt pax ab illis qui ſe Deo oppoſuerunt, quoniam pacem ab ipſo non quærebant, nec illam hominibus dabant, & ideo etiam judicium Dei permiſit quod invicem ſe crudeliter occiderunt, & magnis præliis perierunt quia per infidelitatem ab eo receſſerant ſicut & anima ſe ipſam occidit cum Deo adhaerere non quaerit. Deinde iterum ſcriptum eſt. *Et ecce equus niger, & qui ſedebat ſuper eum habebat ſtateram in manu ſua*. Et ſubſequitur. *Bilibris tritici denario uno & tres bilibres ordei denario uno, & vinum & oleum ne laeſeris*. Hoc conſiderandum ſic eſt. Tempus quo poſt paſſionem filii Dei perſecutores in eccleſia ſurrexerunt, equus iſte eſt, niger videlicet per incredulitatem, ubi increduli fidem contemnentes, nigredinem infidelitatis ſibi attraxerunt; ſed ira Dei recta menſura cruciatus martyrum ponderabat, tortoribus quidem condignam pœnam, martyribus autem gloriam ſempiternam. Nam victoria martyrum pinguis radix omnium virtutum erat, quae groſſos ſuos in illis emiſerunt, quibus convivia propriae voluntatis & legis ſecundum carnem abſtulerunt; & in quibus defectus voluntatis carnis in amore æternae vitae factus eſt, fides quam in ſe continet quilibet fidelis, & iſta quoque in beata eſurie facta ſunt, qua fideles eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam. Sic & ſtatera illud eſt, quod quidem homo in ſpiritali abſtinentia fructibus terræ paſcitur, & quod in virgine a natura caeleſtem patriam amat. Quapropter tempus iſtud martyrum erat, quod nigredine aquilonis mixtum fuit, quando martyres ab injuſtis velut agni a lupis occiſi ſunt. Idcirco etiam juditio temporis hujus ſtatera data eſt, qua in bilibre libraret, hæc duo ſcilicet abſtinentiam & caeleſtis patriae dilectionem, quæ martyrum ſunt, ut praedictum eſt. Ipſi enim martyres corpus ſuum per abſtinentiam affligunt, & in caeleſte deſiderium aſpiciunt, velut aquila in ſole oculos ſuos ponit, quod bilibris tritici deſignat, denarium unum vitae comparans. Qui vero ſecundum praecepta legis per abſtinentiam a peccatis ſe continent, & conſortium viri aut uxoris ſibi abſtrahunt, & relictis divitiis ſuis ſe pauperes faciunt, quae omnia valde dura & aſpera ſunt, per tres bilibres aſperitatum iſtarum, in amore denarii unius, qui caeleſtis patria eſt ſibi conuerſi ſunt, & hoc ſapientia facit, quae omnia per miſericordiam aeque ponderavit, quia Deus ſuper omnes miſericors eſt. Iſtoque modo vinum & oleum non laeditur, cum per poenitentiam & miſericordiam homo a peccatis ſuis redimitur. Et iterum ſubſequitur. *Et ecce equus pallidus, & qui ſedebat ſuper eum nomen illi mors & infernus ſequebatur eum. Et data eſt illi poteſtas ſuper quatuor partes terræ, interficere gladio & fame & morte, & beſtiis terrae*. Hoc conſiderandum ſic eſt. Equus hic denotatus, illud tempus eſt, in quo omnia legalia & plena juſtitia Dei, velut in pallore pro nihilo computabuntur, ubi homines dicent neſcimus quid facimus, & qui haec nos facere praecipiebant, quid dicere neſciebant, atque ſic abſque timore & tremore judicii Dei omnia haec contemnent, & hoc etiam per diabolicam ſuaſionem facient. Opera autem haec ira Dei in vindicta ſua dijudicabit, eaque omnino conculcabit; quia mortem illis non poenitentibus inferet eoſque ad tartarea loca damnabit. Nam etiam in tempore illo per omnes fines terrae cum gladiis contentiones in ipſis fient, & fructus terrae auferentur, hominesque repentina morte, & morſibus beſtiarum peribunt. V. V.

Quod antiquus hoſtis cæleſtem gloriam quam amiſit homini invidens de pœnis ejus ſemper gaudeat, & propterea in eum horror odii, homicidii, ſodomitici criminis & cæterorum vitiorum contamines ardenter inſiſtat.

IX. Antiquus itaque ſerpens de omnibus ſupradictis poenis, quibus homo ſeu in anima ſeu in corpore punitur gaudet, ut quia ipſe caeleſtem gloriam amiſit, homo etiam ad illam non perveniat. Nam quando ſenſit quod homo conſilio ſuo conſenſerat, pugnam contra Deum facere ſtudebat dicens. *Nunc in homine omnem voluntatem meam complebo*. Et deinde in odio ſuo odibilem conſenſum inter homines miſit, quatenus ſe invicem interficerent. Et dicebat. *Faciam homines mori, eoſque magis perdam quam perditus ſim, quia tum ego ſim ipſi non ſunt*. In ſufflatu ſuo quoque habuit, ut proceſſio filiorum hominum interiret, ubi viri in viros exarſerunt turpia operantes. Unde & valde gaviſus clamabat. *Maxima blaſphemia illi eſt, qui hominem formavit, quod homo in forma ſua evaneſcit, naturali uſu mulierum abjecto*. Itaque in ſuggeſtione diabolica infideles & ſeductores ſunt; in odio autem homicidioque raptores & latrones; in contrario vero peccato virorum immundiſſima praevaricatio, omniaque vitia ſunt. Et cum peccata haec in populis ſe invicem commiſcuerint, tunc conſtitutio legis Dei dividetur, eccleſiaque quaſi vidua concutietur, & principes, nobiles & divites per conſimiles atque per ſuos minores de locis ſuis expellentur, & de civitate in civitatem fugabuntur, nobilitaſque generis eorum ad nihilum deducetur, & de divitiis ad paupertatem redigentur. Iſta omnia tunc fient cum antiquus ſerpens varietatem morum, varietatemque veſtimentorum in populos ſibilabit, quem ipſi imitabuntur haec abiciendo, haec adtrahendo, cum in prædictis operibus ſe ſemper novabunt & variabunt. Sed idem antiquus inimicus, caeterique nequiſſimi ſpiritus pulchritudinem formae ſuae quidem perdiderunt, non autem ſufflatum rationalitatis amiſerunt, & pro timore creatoris ſui formam perditionis ſuae nulli mortali creaturae ſicuti eſt oſtendunt; ſed ſuggeſtionibus ſuis unicuique homini ſecundum mores ipſius inſidiantur, cum & in reliqua creatura malitiae ſuae aliquid ſimile inveniunt. Deus autem contra impietatem eorum magnum prælium inſtituit, cum rationalitas hominis rationalitati illorum reſiſtit, eoſque confundit, & praelium hoc uſque ad noviſſimum diem perdurabit, ubi & confuſio eos per omnia inquinabit, ubi & homo qui eos ſuperavit, mercedem vitæ accipiet.

Quod globum rubeum & alas eum utrimque ſurſum & deorſum ambientes in hac viſione oſtenſas, & zelus Dei quo cum caritate peccata puniuntur, & defenſiones ejus quibus ſalvandi proteguntur oſtendantur.

X. Sed quod verſus orientem ſupra praefatam terrae rotunditatem in quadam altitudine vides globum rubeum circulo ſaphirini coloris circumdatum, hoc eſt quod in plaga orientis ortum juſtitiae deſignantis, humanum intellectum ſupergrediens, & in altitudine caeleſtium ſecretorum conſiſtens, zelus Dei in potentia ipſius cum juſtitia caritatis oſtenditur, quoniam cum Deus potens ſit judicia ſua perficere, ea tamen

per

Digitized by Google

P. II. per aequitatem caritatis complet. A cujus dextra, & ſiniſtra parte utrimque duae alae procedunt, quarum altera earumdem duarum partium ſe ſurſum in altum extendit, ita ut ambae in ſummitate ſua ſe recurvando ad invicem reſpiciant, quia & in proſperis & in adverſis ſcilicet & ſuavi inſpiratione atque aſpera correptione divina protectio ad tutelam hominis ſe demonſtrans, ea quae per ipſum ad ſuperiora tendunt, in celſitudine majeſtatis ſuae conſervando concludit; altera vero utrimque ab eiſdem partibus deorſum uſque ad medietatem praedictae rotunditatis terrae deſcendit, ita ut eaedem alae eamdem mediam rotunditatem extra firmamentum circumamplectendo tegant, quoniam ſicut ſuperna defenſio hæc quae in caeleſtibus ſunt defendit, ſic & illa quae in inferioribus exiſtunt protegit, ſed ad plenitudinem bonae voluntatis hominum inclinans, illamque in amplexu verae dilectionis ponens.

Quod per circulum rubeum in modum arcus circa exteriorem occidentis partem ſe extendentem, extenſio vindictæ Dei in eos qui extra integritatem veræ fidei & ambitum bonorum operum ſunt deſignetur.

XI. Et ab eadem medietate rubeus circulus in modum arcus ſe extendens, totam exteriorem partem occidentis nec non & quaſdam diſtinctiones, quæ extra rotunditatem illius ſunt comprehendit, quia a perfectione illa qua Deus ipſum colentes miſericorditer fovet, ignis zeli ſui per vindictam juſtae extenſionis, eos qui extra ambitum bonorum operum incedunt, illoſque qui extra integritatem verae fidei ſunt juſte dijudicat, atque ad loca poenalia damnat, ſcilicet a termino praefatae auſtralis alae circa occidentem uſque ad terminum ſeptemtrionalis alae ſe retorquendo, cum a proſperitate praeſentis vitae culpabilia facta projiciens, ea in aſperitatem flagellorum ſuorum minit, quoniam veritatem juſtitiæ non tenuerint. Quod autem ab ipſa rotunditate verſus orientem inter præfatas alas quaſi ædificium ſurſum uſque ad ſupradictum globum aſcendens apparet, hoc eſt quod a terrenis cauſis ſe avertens per ortum juſtitiae inter protectionem Dei civitas vivis ex lapidibus conſtructa, ad judicium Dei aſpectum ſuum dirigit ipſum glorificans, quia fideles animae Deum aſſidue laudant, quoniam omnia recte diſpenſat.

De aedificio ſupra rotunditatem terrae apparente, de platea & ſtella ſuper eam radiante, & de alio globo & radiis ſtellarum inter eaſdem alas micantibus, & de ſpatiis quibus haec omnia diſtabant, quomodo ad civitatem Dei quae eſt eccleſia & Chriſtum, & ad ſpiritum ſanctum, & munera ejus & ad angelos, quorum cuſtodia ſancti muniuntur referantur.

XII. Et ab eodem globo ſurſum uſque ad medietatem praedictarum alarum velut platea extenditur, ſupra quam quaſi ſtella candida radiat, quia a judiciis potentiae Dei ad perfectionem protectionum ejus via dirigitur, ſupra quam virginitas floret, ubi incarnatus Dei filius de virgine natus apparet, quem maxima multitudo virginitatem diligens, perfectionemque arripiens, pia devotione potenter ſubſequitur. Et deinde inter ſummitatem earumdem alarum velut globus igneus quoſdam radios de ſe emittens videtur, quoniam in altitudine ſupernarum defenſionum ſpiritus ſanctus plurima dona electis ſuis tribuens ſe manifeſtat. A ſummitate vero praedictae rotunditatis terrae uſque ad praefatum globum rubeum, & ab ipſo globo uſque ad praedictam ſtellam candidam, & ab eadem ſtella uſque ad ſupradictum globum igneum aequalia ſpatia ſunt, quia judicia potentiae Dei & virginitatis opera, necnon ſancti ſpiritus dona ſibi non diſſentiunt, ſed aequo moderamine ſibi concordant, quoniam quod gratia ſancti ſpiritus expirat, hoc opera ſanctitatis confirmant, eaque divina judicia juſte dijudicant. Inter priores V. V. quoque alas ex utraque parte praefatae plateae a ſupradicto globo circa demonſtratam ſtellam uſque ad praefatum globum igneum, quaſi quidam radii ſtellarum diſcreti apparent, ſignificantes quod in protectione illa quae ſurſum in caeleſtibus eſt, itinera virginitatis ubique circumteguntur, cum per invictam potentiam eadem virginitas, quae in filio Dei incepit, & per fortitudinem ſancti ſpiritus munita etiam cuſtodia angelicorum ſpirituum nullatenus careat, quia virginitas ſocia angelorum exiſtens, conſortium eorum promeretur. Nam filius meus per ſuavitatem humanitatis ſuae illos ad ſe colligit, qui ipſum fideli devotione caſtitatis imitantur, & qui judicia Dei metuentes, per inſpirationem ſancti ſpiritus paſſionem ejuſdem filii mei corporibus ſuis inferunt, dum concupiſcentiis carnis ſuae reſiſtunt.

De tenebris exterioribus & poenis vel cruciatibus diverſi generis, in quibus animae damnatorum cum diabolo & ejus ſequacibus torquentur, quibuſdam in partibus habeantur, & quod dira inferni tormenta nullus in corpore vivens comprehendere poſſit.

XIII. Sed & verſus occidentem extra praedictam terræ rotunditatem tenebrae apparent, quae ab utraque parte ejuſdem rotunditatis ad medietatem ipſius, quo & praefatae alae deorſum deſcendunt, in modum arcus ſe extendunt, quae in plaga illa extra mundum exteriores tenebrae ſunt; ex altera parte uſque ad mediam plagam auſtri, ex altera uſque ad mediam plagam ſeptemtrionis ſe prolongantes, ac ſic per nequitiam rebellionis contra plenitudinem protectionis Dei ſe erigentes, ubi antiquus praeliator, qui in ipſis dominatur ſuper animas oblivioni traditas, cruciamenta ſe habere gaudet. In quibus inter angulum occidentalem, & angulum ſeptemtrionalem aliae denſiores & acriores tenebrae velut formam horribilis & devorantis hiatus oris habentes ſunt, quae eiſdem partibus extra mundum acerbitate ſua os infernalis putei exiſtentes, animas damnatorum devorant, diriſque afflictionibus cruciant, quoniam illae damnationis opera magis facientes, quam Deum diligentes diabolum ſubſequuntur. Praedictae autem tenebrae aliis quibuſdam denſiſſimis & peſſimis infinitiſque tenebris, quae extra illas ſunt, quaſi os & rictus earum ſint adhaerent, quae infernalia loca ſunt, in quibus omnia genera poenarum abſque conſolatione abundant, ab aliis poenis ſeparata, quia illis acriora ſunt, & cuncta devorant, quae Deus in oblivionem mitti dijudicat, per quae animae illorum cruciantur, qui per infidelitatem incredulitatis, & per facta execrationis, creatorem ſuum oblivioni tradunt. Quapropter & has infinitas tenebras ſcis; ſed eas non vides, quoniam infernum ejuſque diros cruciatus homo per ſcientiam & intellectum eſſe quidem ſcire poteſt; ſed eos dum in corpore eſt, nullo mortalitatis intuitu perfecte videt, nec etiam quae & quanta tormenta in ipſis ſint diſcernere valet, ſicut nec animam ſuam, nec merita illius, quamdiu in ſaeculo vivit cognoſcit.

Quia Deus unica vita in ſemetipſo ſubſiſtens a nullo eſſe acceperit, ſed omnibus eſſe dederit, item de creatione angelorum, & de ruina ſuperborum, & de confirmatione beatorum ſpirituum, & quod diabolus quamvis in hoc ſemper laboret numerum ſalvandorum deſtruere non poſſit.

XIV. Deus itaque qui omnia quae praedicta ſunt fecit, unica vita eſt, ex qua omnis vita ſpirat, ut etiam radius a ſole eſt, & ignis ille eſt, a quo omnis ignis, qui ad beatitudinem reſpicit accenditur, quemadmodum ſcintillae ab igne procedunt. Et quomodo conveniens eſſet, ut huic vitae nihil vitale adhaereret, & ignis iſte nullam rem calefaceret, nec illuminaret? Et quomodo deceret, quod a deitate *Qualis eſt ignis Deus?*

 quæ

P. II. quae ante aevum vita fuit, nulla vita nec claritas ulla procederet? Et quid prodeſſet, ſi lumen per ignem accenſum nulli luceret, cum nec ignis lumen ſuum, nec ſol radium ſuum abſcondit? Deus enim vita illa eſt, per quam multitudo angelorum accenſa eſt, quemadmodum ſcintillae ab igne procedunt. Unde & indecens eſſet, ut vita haec non clareſceret. Et claritas iſta indeficiens eſt, quoniam nulla mors in ipſa eſſe poteſt. Quomodo? Deus ſolus & per ſemetipſum, & in ſemetipſo eſt, nec ab ullo alio eſſe accepit, ſed alia quaelibet creatura ab illo eſſe cœpit. Ipſe quoſdam ſpiritus magni honoris creavit, quibus magnum principem perſecit, in quem omnes aſpexerunt, ut lucerna inſpicitur, in qua ardens lumen lucet, quia in ipſo omnia ornamenta illorum quaſi lapides pretioſi fulgebant. Sed ille in vacuum locum reſpexit, ubi & ſedem ſuam ponere voluit. Quapropter cum omni agmine ſuo ſicut ſtipulam in puteum inferni projectus eſt, ita ut ad ejus caſum exteriores tenebrae, & os infernalis putei cum ipſo puteo parata ſunt, qui puteus ſine menſura eſt, ſicut & numerus perditorum angelorum numerum non habet. Nam contra ſimilitudinem illam, qua Deo ſimilis eſſe voluit, exteriores tenebrae illae paratae ſunt, & propter illicitam diſcordiam, qua inter exercitum Dei & ſuum eſſe voluit, ipſi os infernalis putei factus eſt, atque propter invidiam hanc, qua Deum nullomodo confiteri volebat, illi puteus inferni praeparatus eſt. Et Deus in fortitudine majeſtatis ſuae beatos ſpiritus ita circumdedit, ut amplius nullo ſtupore antiqui deceptoris terreantur, facieſque illorum claritate ſua ita replevit, ut faciem ejus intueri ſemper delectentur, atque potentiam ſuam hoc modo ſuper infernum extendit, quod antiquus deceptor nullo bello nec ulla arte plenum numerum ſalvandorum delinere valet, quemadmodum ille ſe ipſum ſecundum vipereos mores occidit.

Quia homini in virtute divini luminis facto, ſed fraude diaboli decepto, Deus veſtem de aere creaverit, indutumque a paradiſo in exilium hujus mundi ad luendum inobedientiæ culpam expulerit, & quod in dejectione ejuſdem hominis creatura a priſtino decore obnubilata ſit, & qualiter homo ipſe per elementa adjutus vivat & operetur.

XV. Tunc Deus in lumine virtutis ſuae hominem fecit, illumque in inextinguibilem lucem paradiſi poſuit, quae imputribilis cum fructibus ſuis manet; ſed homo inobedientiam arripuit, ac ſic nudum ſe eſſe cognovit, quod diabolo multum placuit, qui eum denudaverat, quoniam & ipſe pulchritudinem gloriae ſuae perdiderat. At Deus in pallida nube ſicut flamma quaſi illi alienus apparuit, velut etiam obtecta facie poſtmodum Moyſi & cæteris caris ſuis ſe oſtendit, eumque nudum eſſe noluit, quia ut filius ſuus veſtimentum humanitatis quandoque indueretur voluit, & ideo etiam veſtem de aere per quem animal vivit illi dedit, quoniam ipſe Adam & Eva animal audierant, ubi præceptum Dei deſeruerant. Et ſic in miſeram peregrinationem expulſi cum aliis fructibus terrae putribiles effecti ſunt, atque in caſu & egreſſu eorum omnis creatura mundi obnubilata eſt, velut ſi radius ſolis per denſam nubem fulgeat, quemadmodum etiam ingreſſus paradiſi antiquo deceptori obnubilatus eſt, itaut deinceps illuc non introeat. Deinde homo cum creatura operari cœpit, quia ſicut ignis alia quaeque accendit & perficit, ita & homo cum reliqua creatura eſt, atque creatura in igne latet, qui omnia perfundit, & probat, ipſique aqua adeſt, quae omnia mundat, & ignis in tanta vi ardet, ut nulli parceret, niſi per aquam temperaretur. Et ut aqua igni parcendo adeſt, ſic etiam humanitas divinitati adjuncta eſt, ut parcat, quoniam homini non prodeſſet, quod in tenebris jaceret, nec ullum lumen daret. Ipſe enim igne coagulatur, & aqua perfunditur, ut forma eſſe poſſit, & propterea etiam omnem formam luteam quam facit, igne & aqua perficit. Deus utique vivens lumen eſt, a quo omnia lumina clareſcunt, unde & homo per ipſum vitale lumen manet, & ipſe etiam ignis eſt. Quapropter & hominem igne coquit, & aqua perfundit, ideoque etiam aqua ex nimio calore in carne hominis rubet & manat. Et quomodo conveniens eſſet, ut homo tenebroſus maneret, qui de lumine clareſcit, & ſe non moveret, cum de igne vivat? Quod ſi homo abſque opere eſſet, & ſi habitaculum non haberet, vacuus foret. Nam Deus ignis & lux exiſtens per animam hominem vivificat, & per rationalitatem eum movet, ſic etiam in ſono verbi totum mundum creavit, qui habitaculum hominis eſt, qui ſcilicet homo cum omnibus his operatur, ſicut & Deus eum in omnibus perfectum fecit. V. V.

Quod hominem a perditione nullus poſſet eruere, neque deceptorem ejus diabolum revincere niſi ſolus Deus; & verba libri Apocalipſi Joannis Apoſtoli, & quo ſenſu accipienda ſint; de odio & perſecutione draconis in mulierem & ſemen ejus, & quo modo a terra adjuta ſit.

XVI. Et quis levaret perditum hominem, qui deceptus creatoris ſui oblitus eſt, niſi ille qui nulla caligine obumbratus ignorantiae illius condoluit? Sed cum diabolus mulierem veſtitam vidiſſet, in invida ſcientia, qua ſe de cælo projectum cognovit, intra ſe ſciſcitando ut quid Deus illi veſtitum dediſſet, ſe ipſum decerpſit, ut in Apocalipſi ſcriptum eſt. *Et poſtquam vidit draco, quod projectus eſt in terram, perſecutus eſt mulierem quæ peperit maſculum. Et datæ ſunt mulieri duæ alæ aquilæ magnæ, ut volaret in deſertum locum ſuum, ubi alitur per tempus & tempora, & dimidium temporis a facie ſerpentis.* Hoc conſiderandum ſic eſt. Antiquus draco videns quia locum illum perdidiſſet, in quem ſedem ſuam ponere volebat, quoniam in tartarea loca projectus erat, iram ſuam in mulierem exacuit, quia illam radicem omnis humani generis per partum eſſe cognovit, & in maximo odio eam habens intra ſe dixit, quod nunquam ceſſaret illam perſequendo quouſque ipſam velut in mari ſuffocaret, quia eam primum deceperat. Sed ipſa quaſi pariendo anguſtiata, fortiſſimum adjutorium conſolationis tandem arripuit, divinaque protectione ſuffulta, in omnibus modis diabolo ſe oppoſuit. Nam ipſi data ſunt duo munimenta beatitudinis, ſcilicet cœleſte deſiderium, & ſalvatio animarum, ut cum in his in ſecreta cordis ſui tenderet, ibidem nutrimenta ſalutis accipiens, per tempus, quod ante diluvium fuit, & tempora poſt diluvium, & dimidium temporis quod in circumciſione ante incarnationem filii mei erat, & perduravit uſque ad plenum tempus evangelii, in quo omnis plenitudo verae & juſtae conſtitutionis, adverſus antiquum ſerpentem ſurrexit. Ante diluvium enim, & poſt diluvium, necnon & in circumciſione Deum colentes fuerunt, qui redemptionem animarum ſuarum per effuſum ſanguinem filii mei adepti ſunt. Cum autem tempus rutilantis aurorae, ideſt plenae juſtitiae per filium meum venit, antiquus ſerpens valde exterritus obſtupuit, quoniam per mulierem videlicet virginem totus deceptus eſt. Quapropter & in furore ſuo contra illam exarſit, ut in voluntate mea ſcriptum eſt. *Et miſit ſerpens ex ore ſuo poſt mulierem aquam tamquam flumen, ut eam faceret trahi a flumine, & adjuvit terra mulierem.* Hoc conſiderandum ſic eſt. Miſit antiquus perſecutor ex nequiſſima voracitate ſua poſt rectitudinem mulieris, quae virum protulerat, incredulitatem & infidelitatem in populos Judæorum, & Paganorum, hoc intendens, ut illam plurimis perſecutionibus attritam ſibi ſubjugaret, vel omnino ſuffocaret, quemadmodum navis per naufragium ſuffocatur, quatenus nomen ipſius totum de terra deleretur, ſicut & res illa de terra deletur, quae in profundum fluminis projicitur. Sed adjutorio terrae mulier erepta eſt,

quia

Digitized by Google

P. II. quia filius meus veſtem humanitatis ſuae de ipſa ſumpſit, qui plurima obbrobria & paſſiones ad confuſionem ejuſdem ſerpentis in corpore ſuo pertulit.

Quia Deus mundum conſtituens & ſe ipſum glorificaverit, rationali creaturae oſtendendo ſe omnium creatorem & hominem ſimul ex ſubjectione eorum quae in mundo ſunt magnificaverit, & quomodo ſecundum literam intelligendum ſit initium libri Geneſis ab eo loco, quo ſcriptum eſt: In principio creavit Deus caelum et terram, uſque ad id, factumque eſt veſpere et mane dies unus.

XVII. Itaque ut ſupradictum eſt, Deus mundum coelo ornavit, terraque ipſum firmavit, ac per eum ſe ipſum glorificavit, atque per illa quae in mundo ſunt hominem ſublimavit, cum illi omnia terrena ſubjecit, velut ſervus meus ſecretorum meorum conſcius oſtendit dicens: *In principio creavit Deus caelum & terram*. Hoc conſiderandum ſic eſt. In principio, ideſt in inceptione omnium rerum, quae in ſcientia Dei erant, qualiter fieri deberent, creavit Deus, hoc eſt per ſeipſum procedere fecit, caelum & terram, ſcilicet materiam omnium creaturarum caeleſtium & terreſtrium, caelum ideſt lucidam materiam, & terram videlicet turbulentam materiam. Et hae duae materiae ſimul creatae ſunt, & in uno circulo apparuerunt, qui circulus poteſtas Dei eſt in caelo & in terra. De claritate illa, quae aeternitas eſt, praedicta lucida materia velut ſpiſſa lux fulminabat; & haec eadem lux ſuper turbulentam materiam lucebat. Ipſe quoque nec firmamentum nec terram ſtatim illuminavit, quemadmodum nec homo facit, qui quaſdam formas parat, quia unamquamque prius cum circino ſuo ſignat, & eam poſtmodum coloribus depingit. *Terra autem erat inanis & vacua, & tenebrae erant ſuper faciem abyſſi*, quoniam terra fuit inanis, ſcilicet forma carens, & inviſibilis, lumen non habens, quia needum ſplendore lucis, nec claritate ſolis, lunae, aut ſtellarum illuſtrabatur, & inculta, quoniam nulla creatura ſulcabatur; & vacua, ideſt incompoſita, quia nondum plena erat, cum needum viriditatem, germen, aut floriditatem herbarum, ſeu arborum haberet. Quod autem non eſt dictum, quod caelum inane & vacuum eſſet, hoc ideo eſt, quia nullos fructus parere debebat. Sed tenebrae quae needum per ſplendorem luminis evanuerant, quoniam nulla forma fulminabat, erant ſuper faciem abyſſi, videlicet ſuper eamdem indiſtinctam confuſionem terræ, quae facies abyſſi eſt, cum illa videatur, abyſſus vero occultetur, quia terrae abyſſum, ſicut corpus animam obtegit, ut non videatur. *Et ſpiritus Dei ferebatur ſuper aquas*. Nam ſpiritus Dei vita eſt, & vita haec aquas ad manandum movit, quatenus terra per illas firmaretur, ne per ventum velut cinis ſpargeretur, quia ut Spiritus Sanctus homini infunditur, ſic & aquae torrens iter habent & omnia immunda lavant, quemadmodum & Spiritus Sanctus ſordes peccatorum. Dixitque Deus: *Fiat lux, & facta eſt lux*. Dixit Deus ineſtinguibile lumen quod a nullo obſcuratur exiſtens, & per verbum ſuum velut tonitrus ſonuit dicens: *Fiat lux, & facta eſt lux*, quia lux indeficiens, hominibuſque inviſibilis lux, quae nunquam obſcurabitur fulminabat, cui etiam viventes ſperae ſcilicet Angeli adhaerebant, quoniam Deus vita eſt, & verbum ſuum non dormit, ſed vita apparet. Et quod illud protulit, hoc Deus ad laudem ſibi poſuit, non autem lux ſolis, quia ſol nondum erat, & quoniam ſplendor ſolis ſuper terram non ſemper apparet, ſed multoties obnubilatur. *Et vidit Deus lucem quod eſſet bona, & diviſit lucem a tenebris, appellavitque lucem diem, & tenebras noctem*. Nam Deus vidit quod lux eſſet bona, quae faciei ſuae ſplendorem redderet, & ideo illam a tenebroſitate etiam ſegregavit, ne officia ſua in invicem admiſcerent, quia ex his duobus alterum indeficiens eſt, alterum in defectu cadit. A Deo namque dies eſt, quoniam Deus per verbum ſuum lumen primum prodire juſſit, quod appellavit diem, non diem ſolis, ſed diem indeficientem, quae in ſuperioribus nulla tenebroſitate opprimitur. Et tenebras non quae luce ſolis fugantur, ſed quae indeficientem obſcuritatem habentes, nulla claritate lucis perſtringuntur; tenebras quoque quae erant ſuper faciem abyſſi, & quas nondum illuminaverat, appellavit noctem. Nox quippe carens die caeca eſt, & dies a nocte ſegregata eſt, & a caecitate noctis ſeparata in claritate eſt. Sic Deus lucem a nocturnalibus tenebris ſeparavit. *Factumque eſt veſpere & mane dies unus*. Nam factus eſt finis operis hujus, & inceptio ipſius, claritas una in perfectione, quia cum verbum Dei lucem fieri juſſit, inceptio ipſius velut mane fuit; perfectio autem illius quaſi veſpere, ubi completa apparuit. Et alio modo. V. V.

Quia ſicut filius Dei intemporaliter ex patre natus, principium eſt, in quo condita ſunt univerſa, ſic idem ipſe ex matre virgine naſcens initium ſit creationis, vel aedificationis eccleſiae, & auctor juſtificationis plenariae, ad quam nulla patrum juſtitia vel legis ſacramenta ſuffecerunt, ſed in praedicatione vel ſuſceptione baptiſmi & evangelii, & in fide Trinitatis reformata eſt.

XVIII. *In principio creavit Deus caelum & terram*. Hoc conſiderandum ſic eſt. In principio incipientis temporis, cum Deus per verbum ſuum omnia crearet, creavit caelum & terram, ideſt primam materiam, in qua omnis caeleſtis & terreſtris creatura per verbum Dei proceſſura latuit. Similiter Deus in creatione eccleſiae fecit, antequam eam conſtrueret. Ipſe incepit, incipiens in principio, id eſt in filio ſuo, quem per auream portam virginis, in clauſura pudicitiae ejus, in mundum miſit. Per ipſum omnia, ſcilicet caelum & terra creata ſunt, ſicut Joannes Evangeliſta dilectus Dei dicit, atque eodem modo omnis juſtitia caeleſtis & terreſtris in ipſo facta eſt. Et quomodo eſt ipſe principium, qui ante ſaecula in patre natus eſt? Ante ſaecula in patre ſpiritaliter non carnaliter natus eſt; ipſe autem incarnatus initium omnis juſtitiae exiſtit, quia quaeque juſtitia, quam antiqui ſancti ante nativitatem ejus habuerunt, in ſalvatione non vixit, neque hominem in eam reduxit. Illa vero juſtitia, quae in eo ſurrexit, ſcilicet baptiſmus & evangelium, & unum Deum in nomine ſanctae Trinitatis credere, ipſa hominem in paradiſum reducit. Quapropter ipſe principium ſalvationis in opere ſuo eſt, ut Adam initium perditionis in opere ſuo fuit. Et quemadmodum ipſe verbum illud eſt, quod omnem creaturam produxit, quia omnia per ipſum facta ſunt, ſic etiam in humanitate ſua principium omnis aedificationis ſanctae eccleſiae eſt. Quomodo? Ipſe in praedicatione Prophetarum, qui eum venturum eſſe praedixerunt, quaſi umbra erat, velut etiam ab Abel uſque ad nativitatem ipſius filii Dei, quaeque juſtitia umbra eccleſiae fuit, quae de latere Chriſti in ſanguine ejus orta eſt. Quae per regenerationem ſpiritus & aquae, quae nunquam ante fuit niſi quantum Joannes Baptiſta in umbra baptiſmi pronunciavit, in forma ſua tunc pleniter apparuit, quoniam ipſe Chriſtus, qui ante nativitatem ſuam quaſi umbra a Prophetis praedictus erat, homo in carne apparuit, ut pſalmiſta David in ſpiritu meo dicit.

Verba David Prophetæ in pſalmo primo, & quomodo intelliguntur, de incarnatione filii Dei & fertilitate fructificationis doctrinæ ejus per omnem mundum.

XIX. *Et erit tamquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo*. Hoc conſiderandum ſic eſt. Filius

Filius

P. II. lius Dei qui per omnia voluntatem patris ſui ſecutus eſt, lignum ſalutis fuit, conceptus de Spiritu Sancto, de quo viventes aquæ fluunt, multum fructum ſanctitatis dans, cum diſcipulos ſuos ad eccleſiaſticam doctrinam pleniter inſtruxit. Nam filius Dei ſecundum divinitatem quaſi radix in corde patris, & vis divinitatis fuit, & ſic in uterum virginis deſcendens, plenum fructum per humanitatem ſuam protulit, quia ſicut humor aquæ in viriditate ligni eſt, ita filius Dei in patre uſque ad prædeſtinatum tempus humanitatis ipſius ſemper erat, cum cibus vitæ omnibus ſpiritualibus factus eſt. Coelum etenim filium Dei tetigit, dum ipſe in coelo in ſinu patris apparuit; & terra tetigit, dum in praeſepi jacuit; & aqua ſenſit, dum ipſe ſupra mare ambulavit. Et licet illum populi corporaliter viderent, Deum tamen eſſe non cognoverunt.

Quia id quod ſcriptum eſt: terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi de incredulis a bono opere vacuis, & infidelitate tenebroſis per allegoriam intelligatur: & illud quod ſequitur: SPIRITUS DOMINI FEREBATUR SUPER AQVAS *in Apoſtolis & populo credente per gratiam Spiritus Sancti impletum ſit.*

XX. *Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.* Omnis populus ſcilicet Judæus & Gentilis, qui ſuper faciem abyſſi, ideſt terram habitabat, per irritationem ſpiritus ſui inanis fidei, & caecus & ſurdus in agnitione Dei fuit, & vacuus a bonis operibus, quoniam ea ſecundum doctrinam altiſſimi filii non operabatur, donec ipſe ad patrem aſcendit. Et ſic ſuper terram quae facies abyſſi eſt, tenebrae infidelitatis erant, in qua homines Deum non cognoſcentes quaſi caeci vivebant. *Et Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas.* Poſt aſcenſionem Domini igneus Spiritus Sanctus ſuper aquas, ideſt apoſtolos ferebatur, quod caritas filii in voluntate patris fecit, quia ut in creatione mundi ante alias creaturas aquae ortae ſunt, ſic etiam apoſtoli primi doctores prae aliis doctoribus eccleſiae fuerunt. Et ut etiam ab aquis illis quae in creatione mundi ortae ſunt, omnes aquae profluunt, ſic ab apoſtolis primis doctoribus omnes doctores eccleſiae propagati ſunt, ut Pſalmiſta David teſtificatur dicens.

Item verba David in pſalmo XXVIII. *prophetæ, apoſtoli, & doctores conſona voce & qualiter accipienda ſint.*

XXI. *Vox Domini ſuper aquas, Deus maieſtatis intonuit, vox Domini ſuper aquas multas.* Hoc conſiderandum ſic eſt. Vox primum ſonat, & vim verbi in ſe habet, ita ut quaecumque annunciat, ſcienter intelligantur. Itaque vox illius qui omnibus dominatur ſuper aquas, ideſt ſuper prophetas venit, cum eis multa ſecreta tam caeleſtia quam terrena denudavit, & idem Dominus Deus majeſtatis exiſtens, quia ſuper omnia potens eſt, potenter intonuit, cum filium ſuum in mundum miſit. Tunc quoque ille dominus omnium populorum Spiritum Sanctum ſuper apoſtolos caeteroſque credentes, qui in catholica fide multiplicati erant, miſit, ita ut doctrina ipſorum totum orbem terrae penetraret. In humana namque forma homines filium Dei aſpiciebant; ſed quomodo conceptus & natus fuiſſet neſciebant. Sed & vox aliquantum aliena eſt, nec intelligibilis, verbum autem notum & intelligibile eſt, per quod homo Deum majeſtatis in fide cognoſcit, qui prophetiam in hominem miſit, quam aqua etiam ſignificat, unde & dominus prophetarum in vocibus eorum cognoſcitur.

Quomodo verba Dei dicentis, fiat lux; & cætera uſque ad id, FACTUM EST VESPERE ET MANE DIES UNUS *in exortu fidei chriſtianæ, & prædicatione apoſtolorum, & diviſione fidelium ab incredulis ſecundum allegoricum ſenſum completa ſint.* V. V.

XXII. *Dixitque Deus, Fiat lux & facta eſt lux.* Loquutus eſt Deus per Spiritum Sanctum apoſtolis dicens. *Eſtote ardens lumen, veritatem in nomine ſanctæ Trinitatis docentes.* Qui ſtatim Spiritu Sancto accenſi, clauſuram, in qua incluſi erant, aperientes, lumen unum facti ſunt, in mundum cum doctrinis ſuis ita fulgentes. Et vidit Deus lucem quod eſſet bona, & diviſit lucem a tenebris. Appellavitque lucem diem, & tenebras noctem. Vidit Deus quoniam ipſi lumen utile mundo eſſent, & diviſit lumen, ideſt apoſtolos a tenebris, ſcilicet ab infidelitate incredulorum, & appellavit lumen iſtud diem unum, qui per verbum ſuum quod filius ejus eſt, eis in carne loquens, mundo in prædicatione eorum lucet; tenebras quoque ſcilicet infidelitatem infidelium appellavit noctem. *Factumque eſt veſpere & mane dies unus.* Infidelitate incredulorum quaſi ad veſperas ſe declinare incipiente, factum eſt hoc veſpere cum tranſitu ſuo, & mane primae lucis, ideſt initium fidei fidelium dies unus, quod unica fides eſt, per quam unus Deus creditur, quia primus ortus in Abel, bono fine in Chriſto conſummatus eſt, & ideo veſpere filium Dei cum opere ſalvationis ſenſit & tetigit, quod uſque in finem mundi dies unus perſeverat, quia Abel quaſi mane, & filius Dei quaſi veſperum diei fuit. Et iterum alio modo.

Quomodo hæc eadem, quæ de creatione cæli & terræ, vel de opere primi diei in Geneſi ſcripta ſunt in converſatione hominis ex diverſis naturis animæ & corporis conſtantis juxta moralem ſenſum accipienda ſunt.

XXIII. *In principio creavit Deus cælum & terram.* Hoc conſiderandum ſic eſt. Dum ego Deus hominem quaſi in principio cujuſdam creationis in bonis moribus formo, viventem ſcientiam boni & mali in illo creo, ita videlicet ut malum devitet, & me patrem ſuum in bono imitetur, qui diſcretionem boni & mali ad ſimilitudinem meam ipſi dedi, ad hoc ut cum ſcientia illa omnes creaturas diſcernat, eaſque cognoſcens poteſtatem ſuper eas poſt me habeat. Sed ipſe homo per magnam vanitatem diabolo ſuadente me dimittens, in lacrymabiles labores peccatorum cadit, quia in fragili natura Adæ natus, laetam ſcientiam, quae eum nullatenus vulneraret relinquit. Attamen in anima ſua habet, quod in rectis ſuſpiriis ad caeleſtia deſideria frequenter anhelat, quod quaſi caelum eſt, in carne autem habens, quod terrena deſideria ſemper requirit, quapropter de fragilitate quae ſibi de Adam orta eſt, & de conſilio inſidiatoris diaboli, ſine contagione peccati nunquam eſſe poteſt, quod quaſi terra eſt. *Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.* Homo qui in moribus ſuis nunquam ſtabilis eſſe poteſt, magna inanitas eſt, & quaſi fluctuatio maris ſemper inundat. Sed ſicut in creatione mundi creatura poſt creaturam de prima materia ordinate proceſſit, ita homo deberet per bona deſideria de virtute in virtutem aſcendere, ut eum in prima creatione inſtitui. Nunc autem per conſilium diaboli bona deſideria in magnam vanitatem ut praedictum eſt ſubvertit, & in ipſa vanitate morum a bonis operibus libenter vacat. Quapropter tenebroſis factis, quæ ad pravos mores pertinent circumdatus eſt, qui ſupra corpus ita dominantur, ut qui facit peccatum ſervus ſit peccati. Et corpus quaſi facies abyſſi, anima autem velut abyſſus eſt, quia corpus viſibile & palpabile ſicut facies abyſſi, anima vero inviſibilis & impalpabilis ſicut abyſſus terrae exiſtit. *Et ſpiritus Dei ferebatur ſuper aquas.* Dum homo fidelis in pec-

Digitized by Google

P. II. peccatis implicatur, ad Deum aliquando ſuſpirat. Quomodo? Ex compunctione quae de gratia Spiritus Sancti in ipſo ſurgit, humores lacrymarum profert, quia omne bonum opus ſuſpiria praecedere debent. Et ſicut in prima creatione, aquae prae aliis creaturis de expiratione ſpiritus Dei praelatae ſunt, Spiritui Sancto in ſignificatione ſpecialiter adjunctae, ita etiam ipſe Spiritus Sanctus ante inceptionem bonorum operum, humorem lacrymarum de corde hominis producit. Dixitque Deus: *Fiat lux, Et facta eſt lux*. Deus in admonitione Spiritus Sancti dicit. Nunc aedificatio bonorum operum poſt compunctionem cordis in homine illo fiat, & viriditas fructus in eo producatur, unde lux in anima ipſius fiat. Tunc homo cum triſtitia poenitentiae in luce bonorum operum ſurgit. Quomodo? De illicitis deſideriis voluptatum carnis ſeipſum reſtaurans, malumque ſibi abſtrahens, incipit in illa novitate lucis operari, quam prius non agnovit, dum in illecebroſis deſideriis carnis dormiret, & ſic in initio opus ipſius lucidum ſit. *Et vidit Deus lucem quod eſſet bona, & diviſit lucem a tenebris. Appellavitque lucem diem, & tenebras noctem.* Cum ergo Deus hominem illum bonum operari incipientem, & domum ejus ita fulgentem viderit, ſciens & videns initium boni in eo amando & amplectendo eum inſpicit. Et in eodem initio illa lucida opera a contagione tenebroſorum factorum quae ad tormenta pertinent ſeparat, & hoc diviſio illa eſt, quod Deus bonum in homine illo videns, malum ab eo removet, lucida quoque opera in ſe ipſo diem ſalvationis nominat, quia in ipſis bonis operibus animas ad ſe de perditione, quae in Adam fuit revocat, contraria opera noctem perditionis vocans, quae ſe in diabolo patre homicidii erexit, *Factumque eſt veſpere & mane dies unus*. Sic in homine illo veſpertina illa conſuetudo mali operis cum initio inceptionis bonorum operum, quaſi in mane unius virtutis dies unus fit, quia relinquens malum, bono ſe adjunxit, eo quod compunctio prima virtus lucis ſit.

Quomodo ea quae de conſtitutione firmamenti & diviſione aquarum leguntur ad literam intelligenda ſint & verba David ex pſalmo XVIII. ad idem ſpectantia.

XXIV. *Dixit quoque Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis.* Hoc conſiderandum ſic eſt. Deus qui inextinguibilis lux eſt per ardens verbum ſuum firmamentum fieri praecepit, ſcilicet hanc volubilitatem, quae ſuperioribus ſignis ita firmata eſt, ut labi non poſſit, & illam in medio aquarum poſuit, ſic ſeparando aquas ab aquis. Aquas enim quae in altitudinem ſicut mons aſcendebant, ita continuit, ut quemadmodum nec mons de altitudine ſua deſcendit, ſic nec illae quoquam declinent, niſi ſecundum quod eas poſuit, congregans ſicut in utrem aquas maris, qui firmamentum eſt. Ponens etiam in theſauris abyſſos, qui terra ſunt, quoniam terra theſaurus in ipſa viventium eſt, ſicut & Deus in arca Noe deſignavit, quam in medio aquarum ſuſtentavit, cum in illa creaturas clauſas teneret. Iſto modo inter ſegregatas aquas Deus firmamentum poſuit, quatenus aquas ab aquis divideret. Deus namque hanc diviſionem antequam firmamentum illuminaſſet fecit, illudque nondum illuminatum in loco ſuo abſque circumvolutione ſtetit, expectans quando a creatore ſuo illuminaretur, quia omnis creatura primum radix exiſtens, poſtea pariendo multiplicatur, velut & hiems radicem, aeſtas autem floriditatem, viriditatis tenet. Sic Deus creaturas terrae cum circulo ſuo ſignavit, quas deinde ſecundum naturas ſuas vivificavit, & ſolum hominem ſpiramine ſuo inſpiravit, reliquas vero creaturas aerio fiſtu vivificavit, qui eum nube pertranſit. *Et fecit Deus firmamentum, diviſitque aquas qua erant ſub firmamento, ab his qua erant ſuper firmamentum. Et factum eſt ita.* Deus firmamentum in diviſionem aquarum illarum, quae ſubter & ſuper illud erant poſuit, & ſic firmamentum apparuit. Vocavitque Deus firmamentum caelum, quoniam quaeque res quae aliam ſuſtentat, juſte firmamentum illius vocatur. Ideo etiam firmamentum caelum nominavit, quoniam omnia excellit, & gloriam ipſius ſemper narrat, quia dum homo inſpicit plene cognoſcere non poteſt quid ſit: quia & homo Deum perfecte non cognoſcit, quem tamen in fide videt. Caelum autem quod habitaculum Dei eſt, homo non videbit, niſi prius ſpiritalis totus efficiatur, quoniam ſenſus & ſcientiam illius praecellit. Quapropter & propheta dicit: *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciat firmamentum.* Hoc conſiderandum ſic eſt. Omnia inſtrumenta firmamenti juſte caeli dicuntur, quoniam Deus ea per ſe ſolum poſuit, nec ſcientia illius creaturae indiguit, quia nullus eſt qui ſenſu ſuo diffinire poſſit, qualiter illa fecerit. Unde & haec enarrant miracula Dei, quae per ipſum in firmamento, velut in ſpeculo ſignata ſunt, ita ut ſol divinitatem, luna vero humanitatem filii Dei oſtendunt, & ſtellæ reliqua ſecreta ipſius demonſtrent, & iſto modo Deo, qui Deus & homo eſt, tam innumerabilis turba fidelium adhaeret, ut eam nemo dinumerare valeat, quoniam & ipſe innumerabilis in gloria ſua exiſtit. Hominem quoque, qui opus manuum Dei eſt, in lucido officio ſuo annuntiat firmamentum, quia ſecundum illud aedificatus eſt. Quapropter & hominem manifeſtat, ubi ſigna ipſius in ſe aperte portat. *Et factum eſt veſpere & mane dies ſecundus*, quoniam Deus opus ſuum in firmamento eodem ſtudio finivit, quo & incepit, quia omnia opera ſua in aequitate diſponit. Item alio modo. V. V.

Quod ſecundum allegoriam firmamentum Chriſtus, vel fides Chriſti, diviſio aquarum firma interpoſitio eiuſdem fidei, qua ab infidelibus fideles dirimuntur, veſpere & mane in caſu vitii & virtutis ortu accipiatur.

XXV. *Dixit quoque Deus. Fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis.* Hoc conſiderandum ſic eſt. Dixit Deus. Fiat firmamentum fidei in medio infidelium populorum, qui intelligant prædicationem Apoſtolorum, & qui etiam cum illis verba eorum voluntarie percipiant, & dividat aquas ideſt fideles ab aquis ſcilicet incredulis Judæis, & Paganis, ut filius meus ad Judæos dixit. *Auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus.* Hoc conſiderandum ſic eſt. Vos qui infideles eſtis, hæreditatem veſtram per infidelitatem perdidiſtis. Quapropter juſto Dei juditio auferetur a vobis regnum, in quo cum Deo regnare debuiſtis, & dabitur illis qui peccata ſua deſerentes, proferunt fructus per quos regnum Dei glorificatur. Nam magna duritia in cordibus infidelium eſt, qui non ſecundum ſcientiam boni, ſed ſecundum illicita deſideria cordium ſuorum operantur. Rationalitas enim materia ſcientiæ boni & mali eſt, & quaſi faber ædificando & deatruendo exiſtit. Nam qui diem fidei diligit, domum ſuam in caeleſti Jeruſalem ædificat; qui autem illam repudiat, domum ſuam ab honore & a beatitudine ſupernae hereditatis deſtruit, & quoniam idem omnia quæ facis in noxiali pomo ſecundum concupiſcentias ſuas operatur, opera ejus obſcura ſunt, quia in tenebris fiunt lucem fugiendo. Increduli itaque veram lucem ideſt filium Dei reprobaverunt, nec eum videre, nec opera ipſius facere volebant, & ideo etiam hæreditatem ſuam perdiderunt; illi autem qui eum bona fide ſuſceperunt, & præcepta ipſius compleverunt, dote ſanguinis ejus caeleſte regnum adepti ſunt. *Et fecit Deus firmamentum: diviſitque aquas qua erant ſub firmamento ab his qua erant ſuper firmamentum. Et factum eſt ita.* Deus firmamentum fidelium auditorum in prædicatione Apoſtolorum fecit, & diviſit aquas ideſt infideles populos, qui in terrenis rebus cum ido-

lis

Digitized by Google

P. II. lis & his finitibus ſub firmamento fuerant, ab hominibus illis qui ſuper firmamentum ideſt ſuper Chriſtum erant. Vocavitque Deus firmamentum caelum, per quod intelligitur fides, quia ipſa firma & magna civitas enm caeleſtibus operibus eſt. Quomodo? Ipſa civitas omnis eccleſiaſtici ordinis eſt, & victorioſiſſimum certamen contra incredulitatem omnium incredulorum. *Et factam eſt veſpere & mane dies ſecandas*. Facta eſt illa finitio infidelium cordium cum ortu firmamenti illius diei ſcilicet rectae fidei dies ſecundus, quod quaſi in ſecunda luce fidei eſt in Chriſtum credere.

Quia ſicat dies ſecandas ſine luminaribus caeli fuit, ita & fides abſque lucidis operibus nullius laudis ſit, & ideo in opere ejuſdem diei ſicut in operibus caeterorum non eſt poſitam, vidit Deas quod eſſet bonam.

XXVI. Quod autem hic dictum non eſt, & *vidit Deus quod eſſet bonum*, hoc eſt quod hoc igneum opus fidei & cæteræ virtutes, nondum in opere ſurrexerant: ſed tantum in auditu populorum illis eas in guſtu operis nondum guſtantibus ſe formaverunt. Et ſicut homo quis cibus bonus ſit niſi per guſtum neſcit, ſic homines opera fidei operando, nondum guſtabant; ſed quaſi in umbra auditus ea tantum audiebant. Itaque ſicut firmamentum ſuper orbem terrae ſine ſplendore ſolis, lunæ, ac ſtellarum adhuc erat, ſic etiam tunc quaſi in ſecunda luce fidei, ipſa fides ſine lucido opere juſte conſtitutarum ordinationum manebat, itaut illi homines fidem tantum quaſi in umbratione perciperent. Et iterum alio modo.

Quod ſecundam moralem ſenſam firmamentum intelligatar virtas diſcretionis, quia fidelis quiſque in activa & contemplativa vita & corpori neceſſaria a ſuperfluis, ſed & animæ ſalubria a noxiis ſecernere novit.

XXVII. *Dixit quoque Deus. Fiat firmamentam in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis*. Hoc conſiderandum ſic eſt. Deus in dilatatione cordis homini interdum loquitur. Quomodo? In dulcedine Spiritus Sancti, quia in homine ipſo locus domus ſuæ fulget. Et deinde inſtrumenta virtutum ad tutelam operis illius quod incipiebat in eo facit, ita ut homini illi nulla neceſſaria ullius virtutis deſint, ſicut etiam in caelo & in terra fecit, ubi nullae creaturae homini neceſſaria deſunt. Dicente igitur Deo fit firmamentum, quod diſcretio eſt in diverſitate ſpiritalium & carnalium hominum, in eo quod homo caeleſte deſiderium, & neceſſariam curam carnis habere debet, ſcilicet ut in rebus cum diſcretione ita detineatur, ne exaltatio ruinae per bona opera in illo aedificetur, & etiam ne de aliena inſtantia diverſorum morum corrumpatur; ſed interdum cum ſuſpiriis oret, in alia hora bonis operibus occupetur; alia autem vice neceſſaria carni ne deficiat provideat. Et quaecumque dona Sancti Spiritus habuerit, illa cum diſcretione frequenter reaedificet, & ita ſemper exercendis virtutibus pro modo earum inſtat, ut per has ferventibus ſuſpiriis ad caelum anhelet, & curae carnis nonniſi ex neceſſitate deſerviat. In his quoque muneribus Spiritus Sancti, vana gloria quam Deus omnino abjecit effugetur, quia homo eam pro Deo ſe ipſum honorans habet, & radicem boni unam poſt aliam eradicat. Unde ſemper inſtabilis manens, in uno loco nullo modo ſtare valet, & ſuper talem requieſcere gratia Spiritus Sancti non poteſt. *Et fecit Deus firmamentam; diviſitque aquas quæ erant ſub firmamento ab his quæ erant ſuper firmamentum. Et factam eſt ita.* Nunc quoque facit Deus omnia inſtrumenta virtutum in homine, cum diſcretione quam in expiratione Spiritus Sancti conſtituit, propterea ut ipſe homo omnia inſtrumenta haec, quae Deus utilia eſſe videt, in ſeipſo diſcernat, ita ne ulla virtus quam incipit per vagationem mentis dimergatur. Et ſic Deus terrenas neceſſitates & caeleſtes virtutes dividit, quas Spiritus Sanctus irrigat, & quae caeleſtibus ſemper adhærent, quatenus homo cum eis ad contemplativam vitam ſemper anhelet. Has quoque virtutes diſcretio continet, quaſi ancilla quae dominam ſuam ſervitio ſuo obtinet, quia in terrenis rebus quae carni aſſunt, & quae diſcretioni ſubjacent, ipſa domina ancilla carere non vult. Sic diſcretio firmamentum eſt, terrena ideſt activam vitam ſub ſe; caeleſtia autem ideſt contemplativam vitam ſuper ſe habens, quibus ipſa ſcala eſt, in qua mentes hominum per bona opera ad caelum aſcendunt, & in qua etiam propter neceſſitatem carnis ad terram deſcendunt, velut Maria & Martha diverſa ſervitia Deo exhibuerunt, cui tamen utrumque placuit, quia ipſe conſtitutor utriuſque vitae eſt. Sicque firmamentum virtutis inter utramque vitam fit, cum ipſe homo ſibimetipſi diſcretionem facit, ita ut caeleſtia & terreſtria ſuo ſtatuto modo recte habeat, ſicut ea Deus conſtituit. *Vocavitque Deas firmamentum cælam*. Et Deus per inſpirationem Spiritus Sancti in homine diſcretionem caelum vocat, quae vere certiſſima ſignificatio caeli eſt, quia ut firmamentum omnia ornamenta quae mundum illuminant & regunt, atque continent, in ſe habet, ita diſcretio omnia inſtrumenta virtutum quae a Deo procedunt, quibus corpus & anima regitur obtinet, & ſic quae intrinſecus latent non deficiunt, & quae extrinſecus ſunt per jactantiam non obſcurantur. *Et factum eſt veſpere & mane dies ſecundus*. Sic etiam in homine illo fit, qui ipſe in bona conſuetudine veſpertinus eſt, cum omnia opera ſua in diſcretione perficit. Nam Deus in initio omnium virtutum finem earum praevidet, quoniam ipſas ſe tangentes ſentit, & etiam in fine initium earum approbat, quia bonum initium non prodeſt niſi etiam bonus finis ſequatur, ut filius meus in evangelio de ſponſo loquitur, qui ad fatuas virgines dixit.

V. V.

Teſtimonium evangelii, in quo ſponſus fatuis virginibus dicit · NESCIO VOS, *& ad quid hic aſſumptam, & quo ſenſu accipiendum ſit.*

XXVIII. *Amen amen dico vobis; neſcio vos*. Hoc conſiderandum ſic eſt. Ego qui ſum certiſſime dico vobis, qui propter guſtum carnis ſecundum concupiſcentias veſtras operantes, ex toto extincti eſtis: *neſcio vos*, quia me cognoſcendo ita non tangitis, ut virtutes juſtorum operum, quas bonae ſcientiae veſtrae propoſui faciatis, nec eas a me petatis. Animae etiam veſtrae ſuſpiria ſua prohibetis, illam ad hoc cogentes, ut voluntatem carnis perficiat, & nullum auxilium a me quaerat. Quis enim poteſt illi reſpondere, cujus vox & verba non audiuntur? Nullus. Vos enim nullum clamorem ad me dirigitis. Et quod donum illi dabitur, qui nec aliquid quaerit, nec poſtulat, ſed qui muta voce donum fugit? Vere nullum. Itaque vos a me nihil poſtulatis Nam illos qui cum ſuſpirio animae non clamant ad me, & me corde & mente non attendunt, utpote mei oblitos, quaſi ſcientiam eis non dederim neſcio, & ob hoc maxime, quia per iniqua opera me irritant. Nam propter otioſitatem fatuitatis ſuae ad me non reſpiciunt, & diſcretionem virtuoſarum mentium quae de ſpiritu ſancto accenduntur propter amplexionem carnis repudiant. Unde & ab oculis meis excluſi ſunt. Unum enim eligunt, & aliud abiciunt, quia terram cum viriditate ſua apprehendunt, & caelum propter voluptates ſuas negligunt, ſola voce pulſant, ſine opere ingredi volunt, ſed idcirco porta ejus aperiri non potest. Omnes namque virtutes per caeleſtia & per terreſtria diſcerni poſſunt, quia homo in terra ambulat, & caelum ſuſpicit, ac in his duobus eum eligere oportet, quid ſecundum Deum diligat, & quid odio habeat, ita ut in bono ad caeleſtia tendat, & a malo ſe avertat. Sic utique dicitur Deo ignotum uniuſcujuſque hominis initium,

cujus

Vana gloria idololatria eſt.

Digitized by Google

P. II. cujus etiam finem ipſe non approbat. Et ut in fine mundi qui multo utilior initio ipſius eſt, ſalvatio in filio meo ſurrexit, quia in ipſo initio perditio; in ipſo autem fine ſalvatio proceſſit, ita etiam bonus finis multo utilior quam bonum initium eſt. Tali modo diſcretio ſecunda lux boni operis ut dies ſecundus eſt.

Quare etiam juxta moralitatem opus ſecundi diei cum bonum ſit, laude bonitatis careat.

XXIX. Quod autem hic dictum non eſt, *& vidit Deus quod eſſet bonum*, hoc eſt quod diſcretio officium aliarum virtutum eſt, non operando, ſed caeteris virtutibus miniſtrando, ut etiam firmamentum quod ſuſtentaculum illorum eſt, per quae volvitur alias operantes creaturas ipſis obſequium exiſtendo continet, quae propter ſervitium hominis operariae nominantur, quoniam per illud ſingula opera ſua die ac nocte operantur. Et ut etiam idem firmamentum unumquodque quod ei impoſitum eſt ſuſtentans, illi locum dat, ita diſcretio per opus, ut caeterae virtutes quae ab opere operatrices nominatae ſunt operatrix non eſt, ſed tantum aliarum virtutum ſuſtentaculum.

Quomodo quod ſcriptum eſt congregentur aquae uſque ad id factum eſt veſpere & mane dies tertius ſecundum litteram competenter intelligendum ſit.

XXX. *Dixit vero Deus. Congregentur aquae quae ſub caelo ſunt in locum unum, & appareat arida. Factumque eſt ita.* Hoc conſiderandum ſic eſt. Per verbum quod inextinguibile eſt confluxerunt aquae quae ſub firmamento remanſerant in locum unum, quatenus terra appareret, ne eis cooperta inaniſceret, & hoc antequam firmamentum illuminaretur factum eſt ita, ut illud ſtellis elucidatum, plateis aquarum quae terra ſunt ab aquis ſegregatis luceret. Et vocavit Deus aridam terram, quae mater omnium germinantium in terra eſt, quia & primus homo ex ipſa factus eſt, congregationeſque aquarum appellavit maria, ex quibus aquae fluunt, quaſi ab eis generentur. *Et vidit Deus quod eſſet bonum & ait. Germinet terra herbam virentem & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus ſuum, cujus ſemen in ſemetipſo ſit ſuper terram. Et factum eſt ita.* Vidit Deus quia omne quod fecerat recte & bene ad officium ſuum poſitum erat, ac per vivens verbum ſuum praecepit, ut ad germinandum florentem herbam materna terra vireſceret, facientem quoque ſemen, quatenus in ſemine ſuo multiplicaretur, per quod iterum renaſceretur, quoniam omne germen ſemen in ſe habet, ne in natura ſua deficiat. Juſſit etiam ut germinaret lignum fructiferum faciens fructum ad veſcendum, in natura ſua ſemen in ſemetipſo habens, quo iterum germinet cum ſuper terram ceciderit. Et ſic adimpletum eſt, quemadmodum cum ſervus laeto animo praecepta Domini ſui perficit, cum pater familias illum vocans ei negotia ſua committit, & quid de unoquoque faciat ipſi indicat, quia & terra cum gaudio ad juſſa domini ſui movebatur, illa in omnibus adimplendo. *Et protulit terra herbam virentem & afferentem ſemen juxta genus ſuum, lignumque faciens fructum, & habens unumquodque ſementem ſecundum ſpeciem ſuam*, quoniam ut Deus praecipiebat protulit materna terra viriditatem herbarum ſemen ſuum in ſe habentium, viriditatemque lignorum congruentem fructum proferentium & in ſemine ſuo renaſcentium, quia dum ſemina illorum in terram cadunt, ſecundum ſpeciem formationis ſuae iterum alia reſurgunt. Et vidit Deus quod eſſet bonum ut omnia haec quae homini neceſſaria erant, quem facturus fuerat, ita praecederent, ne in ſequenti neceſſitate hominis deficerent. *Factumque eſt veſpere & mane dies tertius*, ſcilicet finis & initium, quibus completur tertium opus, quoniam Deus praefata tria opera cum circulo ſcientiae ſuae profecerat, quae nondum cum circuitu luminarium illuſtrata fuerant. Nam ſicut ignis ſilet antequam flatu venti excitetur, ſed flatu venti excitatus flagrat; ita opus Dei in praeſcientia ipſius ſiluit antequam prodiret; ſed virtute viventis verbi excitatum in forma ſua apparuit. Unde etiam in ſpiratione mea ſcriptum eſt. V. V.

Verba Dei in libro Iſayæ prophetæ dicentis, TACUI, SEMPER SILUI, PATIENS FUI SICUT PARIENS LOQUAR, *& in pſalmo ſecundo loquentis ad filium,* EGO HODIE GENUI TE, *& ad quid hic poſita ſint, & quomodo intelligantur.*

XXXI. *Tacui, ſemper ſilui, patiens fui, ſicut pariens loquar.* Hoc conſiderandum ſic eſt. Ego prophetia Prophetarum Spiritu Sancto imbuta, tacui in patientia, ſilui in manſuetudine, ſicut pariens poſt dolorem ſuum loquar. Nam ante incarnationem filii Dei velut muta tacui, itaut ſecreta ipſius in me ſilenter continerem, nec ea in aperto protuli, quemadmodum ignis flammam in ſe continet, quae non per ſe, ſed a vento movetur; ſed nunc poſt dolorem illum, quem idem filius Dei ſecundum carnem in cruce paſſus eſt, ſicut pariens dolore abjecto loquar, ea ſcilicet quae prius occultaveram, in gaudio aperte proferens. Prophetae etenim voces ſuas ſilenter comprimebant, quoniam quae ſcientia locutionis eorum eſſet, pleniter neſciebant. Unde & apud ſemetipſos dicebant. *O. o. o. pleniter non videmus quæ loquimur, ſcimus tamen quod Deus illa temporibus ſuis manifeſtabit.* Et ſic patienter ſuſtinebant, ſcientiae Dei illa committentes. Deus autem ad miniſterium operis ſui quod ad imaginem ſuam fecerat, illa poſtmodum illuminavit, velut mater poſt partum laetatur, cum infantem viderit, quem de ſe genuit, ad ipſum ſuſpirando dicens. *Hic eſt filius meus.* Sic etiam ſummus pater de filio ſuo loquitur; *Ego hodie genui te.* Quod hodie aeternitas illa eſt, in qua ſecundum divinitatem patri ſemper aequalis eſt; poſt cujus incarnationem prophetia in ſanctis aperte flagrabat, qui prophetiam prophetarum exponendo palam loquebantur, ſicut & Deus firmamentum lucentibus luminaribus illuminavit. Alio modo. Dixit vero Deus.

Prophetæ neſciebant plane quid loquerentur.

Hodie noſtra æternitatis.

Quia id quod Deus vocavit aridam terram, & congregationes aquarum appellavit maria juxta diverſos reſpectus allegorice de eccleſia accipiatur, quæ de pluribus populis collecta, & fidei ſoliditate fundata, a David terra viventium, & a Joanne Apoſtolo in Apocalypſi mare vitreum mixtum cum igne nominatur, & quo ſenſu hæc eadem teſtimonia accipi debeant.

XXXII. *Congregentur aquæ, quæ ſub cælo ſunt, in locum unum, & appareat arida. Factumque eſt ita.* Hoc conſiderandum ſic eſt. Deus populos chriſtianorum congregavit, qui inter paganos (ſic) cum plus & doloribus impugnati in diverſis locis erant, & eos in unam eccleſiam tulit, & ſic ipſi terra viventium apparuerunt, ſicut propheta dicit. *Credo videre bona Domini in terra viventium.* Hoc conſiderandum ſic eſt. Ego qui Deum ſequi ſtudeo, cum ea quae bona ſunt operor, credo nec dubito, quin viſurus ſim bona illa quae dominatoris omnium ſunt, in terra illa, in qua beati vivunt, nulla pericula mortis amodo metuentes. Verbum quoque Dei dormientes mentes hominum excitat, illoſque in vera viſione fidei videre facit, ita ut qui in infidelitate in inarata terra prius erant, hos poſtmodum gratia Spiritus Sancti cum aratro fidei evertat. Eos etiam terram viventium parat, quae omni fructifera viriditate florens, plenum fructum profert, ſicut & prophetae Virginem filium Dei parituram dicebant, qui terram dormientem aratro verae fidei in ſanctis ſuis ſuſcitat, itaut ipſi fluens aqua de vivente aqua Spiritus Sancti fluant.

P. II. fluant. Atque hoc ita in praecepto Dei factum eſt, ut Deus voluit. *Et vocavit Deus aridam terram, congregationeſque aquarum appellavit maria.* Itaque Deus Iſrahel eccleſiam promiſſam terram fluentem lac & mel nominavit, quia ipſa & dulcedo & candor caeleſtis regni eſt, cum fide & confeſſione Dei Patris in chriſtiano populo effulſit, ita ut idem populus Deum in vera trinitate, quam Judaei percipere noluerunt confiteretur. Iſta etiam eccleſia ab aquis, ſcilicet Apoſtolis congregata mare nominatur, quia inimicitiae diabolicae pugnae contra animas & tempeſtates malorum Chriſtianorum, & Paganorum contra corpora in magnis periculis in eccleſiam inundant, eam opprimere volentes, niſi Deus eos liberet, qui nauta & remex ſuorum ſemper eſt, quia nullus chriſtianus caeleſtem Jeruſalem intrare poteſt, niſi tempeſtates illas Deo adjuvante pertranſierit. Et eccleſia etiam hoc ipſum mare eſt, quod Joannes evangeliſta, ut vitreum mare mixtum cum igne vidit, ut in Apocalypſi dicit. *Et vidi tamquam mare vitreum mixtum cum igne, & eos qui vicerunt beſtiam, & imaginem illius, & numerum nominis ejus ſtantes ſupra mare vitreum, habentes cytharas Dei, & cantantes canticum Moyſi ſervi Dei, & canticum agni.* Hoc conſiderandum ſic eſt. Ego cui ſecreta Dei demonſtrata ſunt. Vidi in interioribus oculis eccleſiam quam Deus de communi populo Judaeorum & Paganorum vocavit, in fide puram, nec non & multis tribulationibus concuſſam, ubi fideles per Spiritum Sanctum accenſi, vivum Deum in vera fide cognoſcebant, & inſpiciebant, quia fides velut umbra divinitatis eſt, quam mortalis homo perfecte videre non poteſt. Et umbra formam quae non videtur demonſtrat, ſicut & circinus formam nondum formatam ſignat, quemadmodum & filius Dei Philippo patrem deſideranti videre dicit, quod ille qui videt eum, videat & patrem ſuum. Sancta enim divinitas in humanitate latuit, & per doctrinam qua totum mundum illuſtraverat mundo illuxit, ſicut & aqua terram, quae velut corpus ipſius eſt totam perfundit, & ad refectionem omnis creaturae fructiferam facit, quia etiam ut Deus a caeleſtibus ſpiritibus videtur, ſic quoque voluit, ut a creatura in humana natura conſpiceretur. Sed & illos attendi qui ſuperaverunt antiquum ſerpentem, ac membra ipſius & numerum angelici exercitus ejus, quoniam locus & numerus eorumdem cadentium ſpirituum per hominem implebitur, quem diabolus per invidiam de paradiſo ſeduxerat; attendi inquam, ſtantes in altitudine eccleſiae, dum carnem ſuam mortificarent cum ſanctis operibus, & cum ſignis quibus undique in laude Dei volabant. Et etiam habebant laudem illam quae ex praecepto Dei ſcripta eſt, & quam Deus per creaturas conſtituit, quia ſicut caeleſtis Jeruſalem ex impolitis lapidibus qui in terrenis jacebant primitiis fundata exiſtit; ita & vetus lex ſpiritalia in ſe occultans, tandem ſpiritalia intelligere incepit, per quae muri ejuſdem civitatis poſtea aedificabantur. Cantabant quoque canticum Moyſi in ſimilitudine cantoris, qui praeſentia & futura cantat, quae tamen ei ignora & aliena ſunt, excepto quod tantum ad ipſa ſuſpirat, ſicut & Moyſes cum veteri lege quaſi vox erat, in qua verbum ſcilicet humanitas Salvatoris latuit, qui ſcilicet Moyſes omnia mirabilia incarnationis ejuſdem filii Dei ſignificanter ſcripſit, quemadmodum Deus eum docuit. Ipſi etiam cantabant canticum agni, quod in ordine virginum eſt, quae agnum Dei in fide habent, deſponſationem carnis poſtponentes, eumque in dilectione intuentes velut ipſum praeſentem habeant, quem in carne non vident. Quapropter & ipſis valde jucundum eſt, quod ſummo regi deſponſatae ſunt, & quod cum jubilatione laudis ipſi cantant, quia etiam ad alienam vitam cum ſuſpirio animae ſemper anhelant, & omnem ſollicitudinem ſuam Deo commendant, voce & opere eum laudantes.

Quod uterus eccleſiae inſtar cujuſdam terrae, & herbam virentem in ſimplicitate fidelium parvulorum & ligna pomifera in robuſta operatione perfectorum modo germinet, & juxta ſemen laus fidei in ſucceſſione credentium uſque in finem germinativa ſit, & hoc in die tertio, ſcilicet in claritate ejuſdem fidei. V. V.

XXXIII. *Et vidit Deus quod eſſet bonum, & ait. Germinet terra herbam virentem & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus ſuum, cujus ſemen in ſemetipſo ſit ſuper terram. Et factum eſt ita.* Vivens terra eccleſia eſt, fructum juſtitiae cum doctrina Apoſtolorum pariens, ſicut ipſi filiis ſuis in initio praedicaverunt, ut quaſi herba in viriditate rectae fidei eſſent, quam in ſemine verborum Dei percepiſſent, & ut etiam fructiferae arbores ſecundum legem Dei fierent, ita ut in ſemine eorum fornicationes & adulteria non perpetrarentur, ſed in recta nativitate filios ſuper terram parerent. Et factum eſt ita, quia in ſono Apoſtolorum fidem ſuſcepit eccleſia, & unaqueque conſtitutio populorum rectae legi ſubjecta eſt. Et protulit terra herbam virentem, & afferentem ſemen juxta genus ſuum, lignumque faciens fructum, & habens unumquodque ſementem ſecundum ſpeciem ſuam. Eccleſia quae eſt terra viventium fructum bonorum operum in viriditate fidei protulit, & afferentem ſemen Verbi Dei, & fructum ita ut etiam filii ejus ſive divites ſive pauperes, ſive majores natu, ſive minores, rectum conjugium ſecundum formas ſuas exercent. *Et vidit Deus quod eſſet bonum.* Et iſtud ante Deum bonum erat. *Factumque eſt veſpere & mane dies tertius.* Tunc diviſio ſparſionis chriſtiani populi, quae ex praeliis infidelium & doloribus quos ei propter rectam fidem inferebant facta eſt, quaſi per veſperum ſe declinare caepit ad mane illius diei, ſcilicet ſtabilis fidei, in qua chriſtiani conſtitutam legem acceperunt, per quam ſcirent quid eis in eadem lege Dei faciendum eſſet, & hoc factum quaſi dies tertius cum tertia luce rectae fidei eſt. Et iterum alio modo. Dixit vero Deus.

Item quomodo ea quae eadem tertio die facta narrantur per hiſtoriam in moribus filiorum eccleſiae inveniantur, juxta tropologiam adjuncto ad hoc competenti teſtimonio evangelii & quo ſenſu accipi debeat.

XXXIV. *Congregentur aquae quae ſub caelo ſunt in locum unum, & appareat arida. Factumque eſt ita.* Hoc conſiderandum ſic eſt. Deus in compunctione cordis hominis dicit, ut omnes neceſſitates corporis, quae diſcretioni ſubjacent in placidum locum unius uſus congregentur. Quomodo? Ut homo in epulis, aut in ebrietate, aut in illecebroſis ornamentis veſtimentorum, aut in tortuoſa mente ſuperfluus non ſit, in omnibus his gloriam ſibimetipſi requirens; ſed neceſſitas corporis ibi tantummodo appareat. Quomodo? Ut corpus ita modice paſcatur, ut eo recte refecto, anima gaudium habere poſſit, & ut juſta itinera cum illo habeat, ita ut de nimia abſtinentia in praecipitium non proſternatur, & ne etiam de ſuperfluitate praedictae immoderationis prematur. Et ſic in homine omnia haec per admonitionem Spiritus Sancti fiunt, quam ipſe in hilaritate mentis ſuſcepit. *Et vocavit Deus aridam terram, congregationeſque aquarum appellavit maria.* Et Deus cum eadem admonitione homini illi per ſanctam humilitatem inſtilit, ita ut ſe ipſum miſeram aridamque terram propter diverſas neceſſitates corporis ſui nominet, unde etiam propter ſaeculares res, quae in ipſis neceſſitatibus latent, ſuſpiria habet, ſe ipſum ut fluctuationem maris exiſtimans, & ob hoc etiam in humilitate ſe deprimens, quaſi ſpiritali gaudio indignus ſit. *Et vidit Deus quod eſſet bonum & ait. Germinet ter-*

ra

P. II. *ra herbam virentem, & facientem ſemen, & lignum pomiferum, faciens fructum juxta genus ſuum, cujus ſemen in ſemetipſo ſit ſuper terram. Et factum eſt ita.* Deus in amplexione dulcis, ac profundae humilitatis videns quod homo ſeipſum propter terrena deſpiciat, quae de fragilitate ſua ſine contagione eſſe non poſſunt, per admonitionem Spiritus Sancti ait. Quia homo compunctionem cordis, & diſcretionem boni & mali ſuſcepit, & ſeipſum terram eſſe cognoſcens, ſanctae humilitati proſtratum ſubjecit, nunc in viriditate virtutum diligenter germinet, ita ut in cogitationibus, & operibus ſuis carnalibus deſideriis non ſuccumbat, quia ipſe in corpore ſuo ſuccum habet, qui eum ad hoc ſemper allicit, ut in operibus ſuis peccare incipiat. Et haec bona opera in conſuetudine habens, ſemen faciat, videlicet ut ſecundum verba doctorum ſe corrigens a praedictis deſideriis ſe abſtrahat, & deinde ad fortiores virtutes fructus faciens, ſecundum doctrinam magiſtrorum aſcendat. Quomodo? Homo a doctoribus quid bonum, quidve malum ſit ſcrutari debet, & ſecundum doctrinam eorum faciat, itaut inſtrumenta virtutum illarum quas incepit, hoc ſemen Verbi Dei in ſemetipſis habeant, & illud ſuper terram, ſcilicet ſuper hominem ſit, ſicque fiet, ut quod de admonitione Dei ardenter ſuſcepit, ex amore Dei in ipſo perficiatur. *Et protulit terra herbam virentem & afferentem ſemen juxta genus ſuum, lignumque faciens fructum, & habens unumquodque ſementem ſecundum ſpeciem ſuam.* Homo a Spiritu Sancto interius doctus, tunc de corde ſuo viriditatem abſtinentiae, delectationes carnis coercendo, & verbum correctionis profert, quando in ſe ſecundum magiſtrationem qua ſe ipſum conſtringit, ad Deum ſemper anhelat. Nam unaquaeque virtus arida eſt, ſi verbo correctionis intra hominem non radicat, ut Salvator in evangelio ait. *Aliud cecidit ſupra terram, & natum aruit, quia non habebat humorem.* Hoc conſiderandum ſic eſt. Semen verborum doctrinae Spiritus Sancti in terra ſeminatur, quatenus homo per illud in anima paſcatur. Sed quoniam multimoda dona Spiritus Sancti ſunt, aliud cadit ſupra dura corda incredulorum hominum, ita ut illi hoc interdum quaſi gementes percipiant, ſed tamen fructum pietatis non proferunt, quia humore lenitatis carent, quemadmodum nec terra ſine humore infecunda ad fructus exiſtit, fructum utilitatis non affert. Deus enim creaturas ad intellectum hominis creavit, quatenus in illis utilia eligerent, & inutilia reprobarent, ſicut & terra ubi humore perfuſa mollis eſt, fructum facit, ubi vero abſque humore dura & lapidea exiſtit, fructum afferre non poteſt. Nam homo in ſcientia boni terra bona & delicata notatur, in ſcientia autem mali terra dura & lapidea intelligitur, ita ut ros Spiritus Sancti ſuper illos qui cum delectatione Spiritalis vitae bona opera operantur, ad plurimum fructum fundatur, & illi qui per guſtum carnis quaeque peccata voluptatis ad ſe colligunt, per duritiam cordis ut petroſa terra infructuoſi permaneant, quoniam ſuccus bonae voluntatis in ipſis exaruit. Et quomodo virtus intra hominem verbo correctionis radicabit? Ut ipſe verbo cordis ſui ſe conſtringat, cum quo contra vitia pugnare debet. Et ſic altas virtutes quibus ſe per doctrinam majorum inſtruit proficiet, ita ſcilicet, ut intelligat qualiter cum timore ſe conſtringere, & a malo per abſtinentiam recedere debeat, quia homo qui in delectatione a pravis operibus ſe abſtinet, majoris virtutis eſt, quam ille qui non delectatur, opera carnis ſuae devitat. Et ſic homo per verba dictorum quaeque ſapienter perficiens, in ſemetipſo fructum ſecundum exemplum quo doctus eſt proferet, & verba eorum contra ſe cum correctione verborum ſuorum habebit. *Et vidit Deus quod eſſet bonum.* Praedictae cauſae Deum ita tangunt, ut eas acceptando ſciat, & videat, quia homo ſeipſum reſtaurans, de inſtabilitate quae ſibi

in ruina Adae orta eſt, & quam malam eſſe novit humiliter ſurrexit, & hoc valde bonum eſt, V. V.
quia Deo tunc reviviſcit, dum ad Deum pervenire deſiderat. *Factumque eſt veſpere & mane dies tertius.* Et ita fiet hoc veſpere ſcilicet bonus finis, cum initio bonum incipientis dies tertius ut praedictum eſt, in hoc quod homo ſe ipſum a malis operibus conſtringit, facta tertia virtute boni operis quae humilitas eſt.

Quomodo ad literam accipiendum ſit quod ſcriptum eſt dixit Deus: FIANT LUMINARIA IN FIRMAMENTO CÆLI & cætera, uſque ad id, ET FACTUM EST VESPERE ET MANE DIES QUARTUS.

XXXV. *Dixit autem Deus. Fiant luminaria in firmamento cæli, & dividant diem & noctem, & ſint in ſigna & tempora, & dies & annos, & luceant in firmamento cæli, & illuminent terram. Et factum eſt ita.* Hoc conſiderandum ſic eſt. Per divinam juſſionem illuminatio firmamenti opus Dei pulchrum & glorioſum oſtendebat, ut etiam anima corpus pulchrum & glorioſum faciet, quod licet poſt tranſitum illius propter primam conceptionem in putredine fœteat, tamen ſicut & ſuperiora immutabitur, cum ipſe homo denuo reſuſcitabitur. Et officia luminarium iſtorum Deus conſtituit & diviſit in diem & noctem, quia in his duabus diviſionibus, videlicet in die & in nocte omnis diſpoſitio neceſſitatis hominis pendet, quatenus ille cum rationalitate per ſigna eorumdem luminarium, quae creatura illa & illa ſit, & quomodo tempora dierum, noctium & annorum per ſingula haec ſigna nominentur, atque ut ipſa luminaria in firmamento elucidata videantur illuminantia terram, & ea quae in ipſa ſunt. Omniaque haec ita conſtituta ſunt, ut ea Deus apparere juſſit. *Fecitque Deus duo magna luminaria, luminare majus, ut præeſſet diei, & luminare minus ut præeſſet nocti, & ſtellas, & poſuit eas in firmamento cæli, ut lucerent ſuper terram, & præeſſent diei & nocti, & dividerent lucem ac tenebras.* Deus per verbum ſuum haec duo magna luminaria lucide illuminavit, majus ſcilicet in die, minus vero in nocte, quorum alterum in ordine ſuo ſtat, nec creſcit, nec minuitur, alterum per ſigna firmamenti creſcit, & defectum accipit. In his quoque duobus luminaribus Deus quomodo opus ſuum quod homo eſt, in duabus naturis perficeret praevidit. Unde & ille in bona ſcientia cæleſtis, & in mala ſcientia terrenus eſt. Bona enim ſcientia ex Deo cæleſtis eſt, nec ullus rationali animæ abſtrahere poteſt, quin per bonam ſcientiam reptilia terræ malæ ſcientiæ aſſimilata præcellat, quæ de terra roborata in nocte ſuper ea audacius reptant, & in ſordibus gaudent. Mala vero ſcientia cum ſordibus peccatorum eſt, bonæ ſcientiæ ſubjacet, eamque juſtam cognoſcit, quamvis ipſam abhorreat. Sed bona ſcientia fortiſſimum bellatorem malæ ſcientiæ reſiſtere facit, illumque ſi ceciderit per pœnitentiam erigit, & ne in guſtum peccati recurrat praemunire non deſinit, quoniam bona ſcientia ut dies, mala autem ut nox eſt. Quapropter & iſta in malo delectatur, malumque perficit, cum delectatio peccatum præcedit, atque per has duas ſcientias omnis homo mundas & immundas res cognoſcit. Dies namque noctem ſcit, & ab ea ſecedit; nox vero diem novit, & ab illa fugit, eodemque modo bona ſcientia a mala declinat; mala quoque a bona ſe ſeparat, quoniam altera alteram abhorret. Sic homo cæleſtis & terreſtris eſt, quia cum cælum in primo caſu angeli motum eſt, Deus cum vili natura terræ illud reparavit, atque hoc modo terra fundamentum cæli eſt, cælumque cum majoribus miraculis, quam in primo angelo fuiſſet, ſuper terram aedificatum eſt, quoniam homo de terra factus, plenum opus Dei eſt. Stellae quoque de luna ut flamma de igne flagrant, & per totum firmamentum lucenti lumine infuſae ſunt, velut ſi flamma per cribrum luceat,

Digitized by Google

P. II. & ſic totam terram illuminant, atque ut poſitæ ſunt, uſque ad noviſſimum diem praeſtabunt. Ipſe etiam in defectu lunae lucidiores, quam in augmento illius videntur, quia in augmento ejus prae fortitudine ſerenitatis ipſius perfecte videri non poſſunt, ſolique occurrunt diem oſtendentes, & lunae ſubveniunt noctem illuminantes, & ſic dividunt lucum a tenebris, ubi diem & noctem cum miniſterio ſuo oſtendunt. Et vidit Deus quod eſſet bonum, ſcilicet approbans quod per ſpiramem ſperam luminis opus ſuum plenum, & ad miniſterium paratum & elegans eſſet tenebris ſugatis. *Et factum eſt veſpere & mane dies quartus*, quia quatuor elementa, videlicet ignis, aer, aqua, & terra per gratiam Dei parata & occultata in omnibus rebus apparuerunt, in quibus conſtituta erant. Item alio modo.

Quia ſecundum allegoriam firmamentum firmitas chriſtianæ fidei, per duo magna luminaria duæ poteſtates ſpiritualis in ſacerdotibus, & ſecularis in regibus, per ſtellas minores qui ſub illis ſunt, prælati, vel iudices deſignantur, qui omnes poſiti ſunt ut illuminent terram eccleſiam per diem & noctem inſtruendo ſpiritales doctrinæ & exemplorum lumine, & coercendo carnales cenſura juſtitiæ.

XXXVI. *Dixit autem Deus. Fiant luminaria in firmamento coeli, ut dividant diem & noctem, & ſint in ſigna, & tempora, & dies, & annos, & luceant in firmamento cæli, & illuminent terram. Et factum eſt ita.* Hoc conſiderandum ſic eſt. Deus per Spiritum Sanctum in cordibus diſcipulorum ſuorum dixit. *Fiant ſacerdotes, & doctores in filio meo, qui eccleſiam quæ ſupra firmam petram ideſt Chriſtum ædificata eſt illuminent, de quo lapide juſtitia rectæ fidei emanavit.* Ipſi quoque ſacerdotes in omnem eccleſiam mittantur, eam ita illuminantes, ut populo per verba ſua diem ideſt ſalutem fidei dividant, & felicitatem illam quam per eamdem fidem conſequantur, ſi ea obſervaverint annuncient. Et etiam populo noctem ſcilicet aeterna tormenta quae ad infidelitatem pertinent inſinuent, & hoc eia ipſi doctores etiam cum variis ſignis probent, ita ut illa quae ipſis obſervanda ſunt annuncient, ſcilicet feſta quae celebranda ſunt, & tempora jejuniorum quae conſtricta ſunt, & dies qui in lege Dei remiſſibiles ſunt, ut annum cum inſtitutis praeceptis obſervent. Et praecepta illa per fidem in coelo ideſt in filio meo luceant, quia laudem angelorum ſequuntur, & etiam eccleſiam terram viventium cum laude Dei illuminent. *Et factum eſt ita. Fecit itaque Deus duo magna luminaria, luminare maius ut præeſſet diei, & luminare minus ut præeſſet nocti. Et ſtellas. Et poſuit eas in firmamento cæli ut lucerent ſuper terram, & præeſſent diei & nocti, & dividerent lucem ac tenebras.* Fecit Deus duo magna luminaria, quae eccleſiae neceſſaria erant; luminare majus ut praeeſſet diei, videlicet principales & ſpiritales magiſtros, qui praepoſiti eccleſiae, lumen fidelium oculorum exiſtunt, itaut reliqui ſpiritales magiſtri ideſt minores perſonae, ſub praecepto eorum ſicut bos ſub jugo ſubditi & ligati ſint, ne ſine paſtore errando ambulantes, ab aeri volucre ſcilicet diabolo arripiantur. Et etiam luminare minus ſcilicet reges, & alias ſeculares poteſtates, ut terrenis rebus & ſaecularibus populis tamquam nocti praeſint, qui cum tenebroſitate multarum illicitarum rerum frequenter obſcurantur, quia ſenſibilis voluptas carnis, quae in Adam orta eſt, in illis multotiens ſurgit. Unde in ſemetipſis quid facere poſſint computant, & a juſto judicio ſe non recte dijudicantes abſcondunt. Fecit etiam ſtellas videlicet eos qui in minori poteſtate majoribus principibus ſubjecti ſunt, ut viventi terrae ideſt eccleſiae luceant, ubicumque ipſa in firmamento petrae, ideſt in Chriſto fuerit, itaut lucidis ideſt recte viventibus, & umbroſis ideſt in malo rixantibus praeſint, lucidos ſecundum opera eorum, & malos ſecundum nequitiam ipſorum judicantes. Et vidit Deus quod eſſet bonum, hoc eſt in beneplacito ſuo diſpoſuit, ut in eccleſia diverſis diſtincta gradibus, & ſimplices ſapientum doctrina illuminarentur, & delinquentes rectorum diſciplina corrigerentur. *Et factum eſt veſpere & mane, dies quartus.* Ordinante Deo eccleſiam inſtabilitas illa quae in ea erat quando chriſtiani ſpiritales paſtores, & ſaeculares rectores non habebant, quaſi quarto die ab obſcuritate confuſionis illius ſe declinare coepit ad ortum ſtabilis diei, qui in eadem eccleſia refulſit, cum in verae fidei & caeterarum virtutum luce ſanctae operationis ſtudio confirmata eſt. Et iterum alio modo. V. V.

Item quia ſecundum tropologiam per firmamentum diſcretio rationis per duo magna luminaria duo præcepta caritatis, per ſtellas rectæ cogitationes intelligantur, ut per iſta quiſque fidelis illuminatus ſollicite diſcernat quid honoris & gratiæ Deo, quid & ſuæ & proximorum neceſſitati ſecundum ſalutem animæ, & utilitatem corporis debeat.

XXXVII. *Dixit autem Deus: Fiant luminaria in firmamento coeli, & dividant diem, & noctem, & ſint in ſigna, & tempora, & dies, & annos, & luceant in firmamento coeli, & illuminent terram. Et factum eſt ita.* Hoc conſiderandum ſic eſt. Deus in admonitione Spiritus Sancti dixit. Fiant ex dono Spiritus Sancti in diſcretione luminaria, ut homo Deum & proximum ſuum ſicut ſeipſum diligat. Quomodo faciet hoc? Tota viriditate animae ad Deum firmiter anhelet, itant alienum Deum in infidelitate quaſi extraneus non quaerat, ſed in virili animo ad me reſpiciat. Proximum quoque ſuum ſicut ſeipſum diligat, itaut quaeque neceſſaria quae ad formam ſuam pertinent, illi diligenter provideat, quia ipſe forma & frater ejus ſecundum humanitatem eſt. Et eum indignum non habeat, quo ſicut vilis illi creatura ſubjectus ſit, ſed in ſocietate ſua voluntarie ſuſcipiat, quia Deus qui juſtum, ipſe etiam & illum in eadem forma conſtituit. Caveat quoque ne in morte animae illius ullam communionem peccatis ipſius conſentiendo habeat, ita ne animam ipſius ſicut nec ſuam occidat. Et illa luminaria in firmamento caeli ideſt in diſcretione rationis luceant, ita ut ipſe homo cum diſcretione diem recte diſcernat, ſcilicet quali honore me Omnipotentem Deum in deſiderio animae ſuae habeat, & in gemitibus ſuis ad me libenter ſuſpiret. Noctem quoque ideſt illud obſcurum quod in corpore latet, & ad terrena pertinet, ſcilicet neceſſitatem ſui ipſius & proximi, ita cum eadem diſcretione illuminet, ut nec propter inferiora a ſpe ſuperiorum avocetur, ſed in his etiam ad caeleſtia deſideria ſemper ſuſpiret. Ipſa quoque luminaria ſint ei in inferiora ſigna, quomodo ſuſpirare, orare & flere ad Deum & Spiritum Sanctum in adjutorium ſuum advocare debeat, ſint ei & in tempora, videlicet qualiter in proprio & in proximi ſui uſu exerceatur; ſint ei etiam in dies fidei, ut omnia opera ſua in aedificatione boni operis in me reluceant. Et ſint ei in annos, ita ut annuale tempus obſervet, bonum in his omnibus per ſancta opera cum Deo & proximo ſuo incipiens, & in omni lege Dei bene ſiniens, itaut per omne tempus vitae ſuae bona exempla proximo ſuo praebeat, in omnibus conſtitutis rebus, quae in duobus praeceptis pendent. Et haec luminaria in praedictis praeceptis in firmamento caeli, ideſt in diſcretione mentis luceant, atque omnia lumina operis hujus terram videlicet hominem illuminent, ut ante Deum mente & corpore refulgeat. Et hoc in homine ita ſiet per compunctionem ardentis amoris Dei & proximi ſui, ut haec omnia in Deo diſcernat. *Fecitque Deus duo magna luminaria, luminare majus ut præeſſet diei, & luminare minus ut præſſet nocti. Et ſtellas. Et poſuit eas in firmamento caeli ut lucerent ſuper ter-*

P. II. *terram, & praeſſent diei & nocti, & dividerent lucem ac tenebras*. Facit Deus in homine per inſpirationem Spiritus Sancti, ut totis viribus ipſum amando inſpiciat, ut hoc lumen diei ideſt verae fidei quae ante oculos Dei lucet praeſint, quia homo Deum exterioribus oculis videre non poteſt, ſed eum per fidem in anima interius tangit. Et luminare minus, ſcilicet dilectionem proximi ſui, quae minor dilectione Dei eſt, quia homo toto deſiderio Deum intra animam ſuam aſpicit, proximum autem palpando & videndo cum exterioribus oculis facie ad faciem videt, & ideo ipſa nocti praeeſt, quia viſio hujus mundi nocturna eſt, quae ſine contagione peccati eſſe non poteſt. Et ſtellas ideſt rectas & bonas cogitationes quas Deus in firmamento ideſt in diſcretione hominis ponit, ut in omnibus rebus quid bonum & utile ſit deprehendat, ne tenebris ignorantiae in ſcientia ſua obſcuretur, & ut ipſe ſuper infirmitatem corporis illud regendo vigilet, & cogitationibus ſuis agenda quaeque praevideat. Ipſae quoque cogitationes lumini juſtitiae & neceſſitati corporis ita praeſint, ut eas recte diſponant, & ut lumen juſtitiae Dei a tenebroſa neceſſitate ſaeculi & corporis illam iſti praeponendo diſcernant. Et vidit Deus quod eſſet bonum, approbans ſcilicet domum ſuam in homine ſecundum juſtitiam ſuam recte diſpoſitam, & gaudens illum praecepta ſua quibus ei reconciliatus eſt, operibus adimpleviſſe. *Et factum eſt veſpere & mane dies quartus*. Ipſe Deus in homine bonum finem cum initio praedictae legis facit, quia omnibus virtutibus bonum finem providet. Quod ſi finis bonus non eſt, operatio initii etiam obtruncatur, ſicut inutilis arbor peribit, cujus rami vireſcunt, & florere incipiunt, ſed tamen fructum non proferunt. Et quemadmodum arbor illa ſi ſic perſeveraverit abſcindetur, ita & homo ille a Deo eradicabitur, qui bene operari incipit, & ceptum ad finem non perducit, quia Deus initium bonorum operum ſine bono fine non reſpicit. Et in credentibus populis, qui quatuor elementis utuntur, quaſi dies quartus fiet haec quarta virtus ſcilicet dilectio Dei & proximi, quae ſpiritalibus & ſaecularibus ad obſervandum communis eſt.

Quomodo ad literam intelligendum ſit, & quomodo homini coaptetur quod ſcriptum eſt: PRODUCANT AQUÆ REPTILE ANIMÆ VIVENTIS, ET VOLATILE SUPER TERRAM *uſque ad id: & factum eſt* VESPERE ET MANE DIES QUINTUS.

XXXVIII. *Dixit etiam Deus. Producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile ſuper terram ſub firmamento cæli*. Hoc conſiderandum ſic eſt. Per vivens verbum ſuum imperavit Deus ut producerent aquae reptilia & volatilia viventis animae, velut flores, qui de ramis arborum procedunt, quia Deus creaturas primitus creavit, deinde alias ex aliis produxit, quoniam praevidit quid unicuique conſtitutioni in firmamento & ſub firmamento quae per ipſum tangitur adeſſet, ſicut etiam forma primum conſtituitur, & poſt ad unumquodque opus ſuum movetur. Et proceſſerunt quae in aquis natant, & quae in aere volant, ne aqua vacua ſuret opus illud adimplere, quod per ipſam perficiendum erat, & ne etiam aer corporalibus & viventibus volatilibus careret, quae ex aere replentur & vivificantur. Unde & piſces ex natatu natabiles; volucres vero ex volatu volatiles dicuntur; homo autem nec natare ad perfectum, nec volare poteſt, ſed pedibus ſuis ſuper terram incedit, de qua creatus eſt. Sed piſces & volucres mundioris geniturae genitura caeterorum animalium ſunt, quia Spiritus Sanctus aquas prae caeteris elementis ſanctificavit, & ſicut aqua omnia munda & immunda ſuperat, ita & anima omnia penetrat, atque carnem ſuperexcellit. Anima etiam humana ad imaginem Dei facta eſt, & cum omnibus creaturis in homine operatur; ſed Deus in omnibus creaturis eſt, omneſque creaturas excedit, quoniam nec initium nec finis in eo reperitur. *Creavitque Deus cete grandia, & omnem animam viventem, atque motabilem, quam produxerant aquæ in ſpecies ſuas, & omne volatile ſecundum genus ſuum*. Deus in aquis genera piſcium formavit, ac de ventoſa flagrantia viventem animam eis induxit. V. V.
Quapropter & ipſi motabiles vivunt de aquis generati, & inter omnia reptilia primi apparuerunt. Et quia vivens ſpiramen formas corporum excellit, ideo & aqua primum viventia produxit, quoniam aqua & ſanctificata & ſpiritalis eſt. Genitura quippe in aquis quae ſit genitura illa quae per primam fraudem antiqui ſerpentis decepta eſt, mirabilior exiſtit, quia in dilectione carnis guſtus peccati exoritur; ſed quoniam diabolus regenerationem in aquis deſtruere non poteſt, aquas odio habet. Deus autem ſquamam concepti peccati in filio ſuo per lavacrum abluit, quo diabolus hominem denudare non poteſt, quoniam neſcit unde virgo hominem illum conceperit, qui omnem guſtum peccati per aquam diluit. Et quia diabolo partus Virginis occultus eſt, quæ viſcera ſua non vulnerata, ſed integra eſſe cognovit, idcirco & genituram hanc ſpiritus & aquæ diſſipare non valet. Per piſces autem Deus deſignavit, quod homo per viventem animam mobilis eſt, quemadmodum & piſces in aquis agiles ſunt, per volatilia vero oſtendit, quod per rationalitatem ubique volat, velut etiam volatilia in aere feruntur. Quapropter & ſpiritalibus hominibus, qui communem populum fugiunt, ſpiritales cibi ſecundum genus ſuum convenientes adhibendi ſunt, ſicut & piſces & volucres a cæteris animalibus ſegregati in aquis & in aere vivunt. *Et vidit Deus quod eſſet bonum, benedixitque eis dicens: Creſcite & multiplicamini, & replete aquas maris, aveſque multiplicentur ſuper terram*. Vidit Deus, ideſt approbavit, eſſe bonum, ut prædicta genera piſcium & volatilium aerem in ſe haberent unde viverent, & benedicendo eis ne deficerent, juſſit unamquamque earum ſecundum genus ſuum creſcere in formatione, multiplicari in numero velus germina & fructus agrorum creſcunt, & proficiunt, quatenus & piſces replerent aquas, quia in ipſis verſantur, & aves in multitudinem exurgerent, quæ propter paſcua ſibi convenientia terræ immorantur. *Et factum eſt veſpere & mane dies quintus*, qui finis & ortus operi hujus hoc idem opus oſtendit, quod Deus ad quinque ſenſus hominis poſuit, quos anima in homine perluſtrat. Quod enim anima videt hoc ſpiritale eſt, quoniam ex ſpiritali ſpiraculo viſum lucis habet, diſcernens quid viſibile, & quid inviſibile ſit, quia & per rationalitatem ſocietatem angelicorum ſpirituum ſe habere intelligit. Ipſa quoque inviſibilis ut angelus exiſtit, formamque corporis ſui movet, quod quaſi tunica ipſius eſt, per quam obtegitur ne videatur, licet omnis creatura eam intelligat, quia vivens motus eſt. Alio modo.

Quia Deus unicum filium ſuum mundo deſtinaverit, cujus praedicatione ſublimia caeleſtis converſationis praecepta data ſunt, quibus ſpiritales a carnalibus diſcernerentur, & verba evangelii de relinquendis omnibus cum eleganti expoſitione ad inſtructionem evangelicae diſciplinae pertinente.

XXXIX. *Dixit Deus. Producant aquae reptile animae viventis, & volatile ſuper terram ſub firmamento caeli*. Hoc conſiderandum ſic eſt. Deus per praedicationem diſcipulorum ſuorum eccleſiae dixit. Nunc ſubtiliora praecepta per abſtinentiam producamus, quae cum vigiliis, & jejuniis, ac orationibus in Chriſto fideliter vivendo terrenis rebus non adhaereant, & quae ſub firmamento caeli quod Chriſtus eſt, cum altioribus pennis virtutum quaſi virgines & viduae in eccleſia volent, & caeleſtia ſequantur. *Creavitque Deus cete grandia, & omnem animam viventem atque motabilem, quam produxerant aquae in ſpecies ſuas, & omne volatile ſecundum genus ſuum*. Oſtendit ſcilicet unicum filium

ſuum

Digitized by Google

P. II. ſuum in carne in quo ortum eſt evangelium, in quo dicitur. *Omnis qui reliquerit domum vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam aeternam poſſidebit.* Hoc conſiderandum ſic eſt. Omnis fidelis qui reliquerit domum, ideſt propriam voluntatem, vel fratres, ſcilicet carnales concupiſcentias, aut ſorores, ideſt guſtum peccatorum, aut patrem videlicet delectationem carnis, aut matrem ideſt amplexionem vitiorum, aut uxorem ſcilicet avaritiam, aut filios videlicet rapinam & furtum, aut agros ideſt ſuperbiam pro gloria nominis mei ita me inſpiciens qui filius Dei & ſalvator hominum ſum; centies tantum in quiete mentis ſuae corporaliter accipiet, quia omnem ſollicitudinem ſaeculi a ſe projecit, & me ſubſequutus eſt. Unde ei & omnia haec in miniſterio occurrent. Nam primitus relinquenda eſt domus, videlicet propria voluntas, in qua homo pro libitu ſuo requieſcit, velut ille, qui in domo ſua in quiete manet. Deinde fratres, ideſt carnales concupiſcentiae, quae propriae voluntati conjunguntur, & poſtea ſorores ſcilicet guſtus peccatorum, qui carnales concupiſcentias ubique ſubſequitur. Dehinc autem pater per quam delectatio carnis notatur, quae in carnalibus concupiſcentiis valde delectatur, & poſt haec mater, ideſt amplexio vitiorum, quae delectationem carnis per omnia amplectitur, & deinde uxor videlicet avaritia, quae amplexionem vitiorum imitatur, ita ut illis non ſaturetur, ſicut & vir cum uxorem duxerit, in avaros quaeſtus labitur. Et poſtmodum filii ideſt rapina & furtum quae avaritiam ſubſequitur, quemadmodum homo filiis ſuis divitias congregare nititur, & tandem agri ſcilicet ſuperbia, quae rapinam & furtum defendere conatur, quoniam cum homo injuſte acquiſita impune ſibi attraxerit, ſuperbire per jactantiam incipit. Sed cum quilibet fidelis iſta omnia a ſe abjecerit, & meliora ſuperabundanter recipit, ut praedictum eſt; vitam quoque aeternam in beatitudine indeficientem poſſidebit, eoquod ſe ipſum pro Deo temporaliter neglexerit, & ad coeleſtia anhelaverit. Iſte enim qui ſeipſum & genus ſuum & natos ſuos propter Deum relinquit, quemadmodum Abraham fecit, pro unoquoque quod oculis videt & corde attendit, praemium centupli accipiet, velut etiam de Maria dicitur, *dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, quia & illa a vertice uſque ad plantam pedis ſe totam dimittens de ſingulis mercede remunerata eſt. Quapropter & iſte cum omnibus ſupradictis laboribus decorabitur, ut etiam faber opus ſuum cum eleganti decore exornat, & ad caeleſtia gaudia tandem tranſibit. Haec vetus lex neſciebat, quoniam humanitas Salvatoris illa nondum tetigerat, ſed ova haec in ſe fideliter colligebat. Filius namque Dei qui in igne ſpiritus ſancti a matre genitus eſt, cui & humana genitura omnino ablata & abſtracta eſt, rectam genituram ſpiritalis vitae docuit, ita ut homo ſe ipſum conſtringat & ſanctificet, & ſic vivendo angelicam converſationem habeat, quia idem filius Dei humanitate ſua hominem liberavit, & ad ſuperna gaudia reduxit. Deus etiam omnem vitam virtutum creavit, quae in viventibus mentibus hominum, qui ſe de terra elevant manent, & qui etiam in hoc mobiles ſunt, quod de malo ad bonum ſe ſemper convertunt, & de virtute in virtutem proficiunt. Et has virtutes illae aquae ſuper quas ſpiritus ſanctus venit, iidem Apoſtoli produxerunt, cum in bonis exemplis populum praeibant, & etiam coeleſtem converſationem oſtenderunt, quae quaſi nubes volat omnia terrena ſecundum poſſibilitatem ſuam in genere virtutum tranſiens, ſicut filius meus in evangelio dicit.

Item verba evangelii de multis manſionibus, quae in domo patris ſunt, & de duplice genere filiorum eccleſiae ſpiritalium ſcilicet & ſaecularium. V. V.

XL. *In domo patris mei manſiones multae ſunt.* Hoc conſiderandum ſic eſt. Filius Dei fidelibus ſuis vitam aeternam promittens dixit. In caeleſti habitaculo, quod patris mei eſt receptacula quam plurima ſecundum merita hominum ſunt, ita ut unuſquiſque manſionem ſibi illic faciat, quemadmodum in corporali vita Deum diligendo quaerit. Nam in homine qui ſe ipſum abnegat, quaſi homo non ſit, & tamen ſenſibilem guſtum peccatorum in corporali vaſe ſuo per omnia delerere non poteſt; ſed hoc modo victoriam corporalium deſideriorum propter amorem Chriſti, & propter ſpem verae fidei in paſſione habet, Deus valde delectatur, quoniam ſpiritui magis quam carni conſentit. Hujus quoque tabernaculum cum innumerabilibus ornamentis propter ſtudium victoriae quo contra ſemetipſum pugnat ornatur, atque pro ſingulis hujuſmodi laboribus ſingula praemia recipiet, in quibus etiam viventibus cytharis gaudebit, quia Deus nullorum fulgentium laborum obliviſcitur. Unde & omnis armonia Deum laudando miratur, quod terrenus homo qui de terra eſt in altitudinem illam, in qua Deus eſt in fide aſpiciat, & eadem laus cum omni genere muſicorum ſupra caelos ſonat propter miracula, quae Deus in illo operatur. Ipſe enim ex illis eſt, qui ſaeculum reliquerunt, cum rore Spiritus Sancti totum mundum bona opinione replentes, & cum gratia ejuſdem Spiritus multitudinem hominum ad ſe trahentes; ita ut per verba & opera eorum quamplurimi in Deo regenerati ſint. Iſte namque homo omnibus jucundus exiſtit, & quemadmodum aqua quae hominibus neceſſaria eſt, omnem neceſſitatem eorum ſublevat, ſic & per iſtum reliquus populus ſuſtentatur. Sed & ſicut terra germinando foecunda exiſtit, ita etiam Deus homines alterum ab altero procreari conſtituit. Et ut ipſe Deus in prima creatione terram creavit, & aquam produxit, ſic etiam homines in duas partes ſeparari praevidit, alteram ſcilicet, ut filios procrearent, alteram vero ut in tunica filii Dei a procreatione deſiſterent. Saeculares autem homines, qui propter Deum magiſtros ſuos audiunt, qui eos ut angeli homines cuſtodiunt, in caeleſti gaudio Deus ſecundum merita illorum eleganter exornat. Quapropter & ſpiritales populi ſuper eos multum gaudent, quemadmodum etiam angeli ſuper ipſos laetantur, quoniam in ſocietate eorum ſunt.

Quod benedictio piſcibus & avibus ad incrementum a Deo data in ſpiritali generatione baptizatorum, & in foecunditate virtutum cujuſque fidelis impleatur, & cur iſta quinto diei aſcribantur.

XLI. *Et vidit Deus quod eſſet bonum, benedixitque eis dicens. Creſcite & multiplicamini & replete aquas maris, aveſque multiplicentur ſuper terram.* Vidit Deus quod bonum erat ut juſti populi ſibimetipſis & propriis voluntatibus renunciarent, & hoc cum interiori benedictione cordis in filio ſuo, qui etiam hoc exemplum dedit, benedixit dicens. Iſtae virtutes in Deo creſcant, & in bono multiplicentur, & repleant viventes & torrentes aquas ideſt Apoſtolos, qui rivulos ſcripturae Dei per ſcientiam ſuam in eccleſia, quae vitreum & igneum mare eſt perducant, ut recordatio incarnationis Domini cum contemptu hujus ſaeculi in hominibus fiat. Et volatilia ſpiritalium populorum ſuper terram eccleſiae, quae figura coeleſtis Jeruſalem eſt multiplicentur, quae replebitur cum eccleſia, dum noviſſimus dies pertranſierit. *Et factum eſt veſpere & mane dies quintus.* Illa ſcilicet importunitas cum chriſtianus populus non haberet niſi communem vitam, in ſaecularibus operibus tantum vivens, quaſi per veſperum declinare ſe coepit ad initium fortis diei, in qua ſingularis vita in abſtinentia, in jejunio, & in contemptu hujus ſa-

Digitized by Google

P. II. ſaeculi pullulavit, quod in quinta luce verae fidei per Chriſtum confirmatum, ad aedificationem eccleſiae cum benedictione Dei ut dies quintus eſt. Et iterum alio modo.

Qualiter ea quae opere quinti diei & benedictione Dei ſuper idem opus ſuum data ad inſtructionem mortalitatis referri debeant, adhibito teſtimonio Iſaiae prophetae dicentis, qui ſunt iſti qui ut nubes volant, & quaſi columbae ad feneſtras ſuas, & quomodo hoc quoque intelligendum ſit.

XLII. *Dixit etiam Deus: Producant aquae reptile animae viventis, & volatile ſuper terram ſub firmamento cœli.* Hoc conſiderandum ſic eſt. Deus in admonitione Spiritus Sancti dicit, ut ſpiritalia dona in mentibus hominum aedificentur, & in praedictis cauſis ſe conſtringentes, a ſaecularibus curis removeantur, & ut homines iſti qui aquae ſunt, omne reptile virtutum producant, ideſt animas in contemplativa vita viventes, & etiam volantes virtutes commune praeceptum ſaecularis vitae excellentes, ut propter amorem Dei ſupra conſtitutam juſtitiam ſeminis ſui ſuperabundanter aſcendant, ſicut bonus ager qui de ſemine quod in ſe ſeminatum eſt, ſuperabundantem fructum profert, ut ſervus meus Iſaias dicit: *Qui ſunt hi qui ut nubes volant, & quaſi columbae ad feneſtras ſuas.* Hoc conſiderandum ſic eſt. Qui ſunt iſti, qui terrena reſpuentes, ſe ipſos abnegant, & mentibus ſuis ad caeleſtia properant & velut columbina ſimplicitate ſemetipſos conſiderant, & ſic Deum aſpiciunt. O quam magna merces eorum apud Deum eſt, cum illum retrorſum non abiciunt, ſed ipſum omni devotione colunt. Deus enim opus ſuum ante omnem creaturam praeſciverat, & caelum & terram creavit, atque inter haec duo reliquam creaturam conſtituit, quemadmodum eidem creaturae neceſſarium fuit. Nam in aqua ſpiritalia, & in terra corporalia ſignificavit, omneque quod immundum eſt, in aqua mundatur, ſicut etiam corpus ex anima vivit, & ut homo corporalia tangit, quamvis animam tangere non poſſit, ſed ab ipſa ſe vivere ſcit, & tamen quae & qualis ſit ignorat, atque in hoc ſcientia ipſius debilis eſt, terraque cum viriditate ſua per aquam ſubſiſtit, quam etiam portat, & ex ipſa perfunditur. Et Deus quaſdam creaturas ad fortitudinem facti operis ſui, ideſt hominis conſtituit, quoniam homo cum ipſis operatur, & ideo etiam in creaturis ſignavit, ſed quantam poſſibilitatem homo deſideria animae operari habeat, quae numquam deficiet, & cujus ſuſpiria per ventoſitatem ipſius ad caelum volat. Quicumque enim aſcendit, ille quaerit ad quem aſcendat. Sic etiam anima cum deſideriis ſuis pulſat, quatenus ei Deus virtutem ad operandum det; & quia Deus eam in hoc approbat, ipſi concedit quae ab eo poſtulat; ſed cum ipſa deſcenderit, tunc concupiſcentias carnis ſecundum quod guſtus illius cupit operatur. Unde & ſic duobus modis affligitur, ita ſcilicet ut ſupplicia de carne patiatur cum ad Deum aſcendit, & multam afflictionem per ſcientiam caeleſtis deſiderii habeat, cum concupiſcentiam carnis perfecerit. Quapropter etiam Deus homini creaturam diſcernit, alteram videlicet viſibilem, & alteram inviſibilem, quemadmodum & corpus viſibile eſt, & anima inviſibilis, ut per hanc quoque conjunctionem quod bonum eſt eligat. Corpus autem per creaturas paſcitur, animaque guſtum carnis ad edendum movet, atque per ſuſpiria ſua ad hoc tendit, ne ex ſuperfluitate ciborum corpus ita ſuffocetur, ut ſuſpirare non poſſit. In hoc namque commixto opere anima ita operatur, ut corpus in ſpiramine ſuo cibis recto modo paſcatur, quoniam ſi illud ſupra modum paſcitur, vires animae dilabuntur; ſi autem congrui cibi per nimiam abſtinentiam illi ſubtrahuntur, ſuperbus diabolus hominem ita extollit, velut in caelum aſcenſurus ſit, quatenus illum ſic per ſuperbiam ruere faciat. Itaque Deus hoc modo crapulam odit, atque irrationabilem abſtinentiam reprobat, ideoque fidelis homo in utroque juſtum modum ſibi imponat. V. V. Et omnes praedictae virtutes ſub diſcretione quaſi ſub firmamento caeli eſſe debent, ut ipſa eas ita regat, ne propter favorem aut elationem mentis altius aſcendant, quam ferre poſſint, nec etiam in iteratione ſaecularium rerum profundius cadant, quam illa conſtitutio, quam a Deo acceperint habeat. *Creavitque Deus cete grandia, & omnem animam viventem atque motabilem quam produxerant aquae in ſpecies ſuas, & omne volatile ſecundum genus ſuum.* Deus magnas virtutes ſcilicet integritatem carnis, & continentiam in hominibus per inſpirationem Spiritus Sancti creat, ipſis omnem pompam, atque delicias carnis cum deſiderio ardentis amoris Dei abſtrahens, ita ut in delectatione carnali ſe ipſos tamquam mortui ſint conculcent, & omnes virtutes viventis animae, quae inſtabili vita perſiſtunt, ita in eis confirmat, ut de humanae naturae conjugiis non maculentur. Et hae ſunt viventes virtutes, quae agnum ſequuntur, qui nunquam nulla macula iniquitatis maculatus eſt, atque motabiles ad meliora, cum a negotio conjugii, cui ſaecularis ſollicitudo adeſt deſiſtunt. Hae quoque illuſtres virtutes in populis iſtis diverſa varietate ſpecierum producuntur, quarum altera caſtitas, altera continentia eſt, quibus caeterae virtutes adhaerent, quae ad ſuperiora quaſi palma in multitudine generis ſui aſcendunt. *Et vidit Deus quod eſſet bonum, benedixitque eis dicens: Creſcite & multiplicamini & replete aquas maris, aveſque multiplicentur ſuper terram.* Vidit Deus has virtutes valde bonas eſſe, quia in eis magna dulcedine delectatur, cum ipſae virtutes verbum Dei illud imitando tangunt. Quia namque Deus hominem, ut bonum operaretur, creavit, ſed ipſe bonum deſerens, malum operatus eſt; voluit Deus verbum ſuum hominem fieri, qui in bonitate ſua omnem juſtitiam quam Adam reliquerat plenius proferret. Et idcirco etiam populus iſte cum ipſo filio Dei exempla ipſius profert, quae ſancta divinitas in eo oſtendit, ideoque virtutes iſtae benedictae, quia in ipſo ſurrexerunt. Et tunc virtus Deus dicit: Iſtae virtutes quae me imitati per me inceperunt, creſcant, & germina bonorum operum in eis multiplicentur, & homines qui in inſtabilitate carnis fluctuant ita repleant, ut in ipſis de vi divinitatis fortiores virtutes, quam humana fragilitas carnis ſit, appareant, & ſic volantes ſuper terram ideſt hominem multiplicentur, ut infirmitas carnis earum fortitudini ſubiciatur. *Et factus eſt veſpere & mane dies quintus.* Ita ut praedictum eſt in Deo fiet bonus finis, cum initio quintae virtutis, quae contemptus mundi eſt ut dies quintus.

Quomodo hiſtoria quae de opere ſexti diei in productione jumentorum & reptilium terrae, & formatione hominis ſcripta eſt, ad literam intelligenda ſit, & quod homo ſecundum corpus ad imaginem humanitatis filii Dei quam ab aeterno ex Virgine aſſumpturum praeſciverat, & ſecundum animam per ſcientiam vel imitationem boni ad ſimilitudinem divinitatis factus ſit.

XLIII. *Dixit quoque Deus. Producat terra animam viventem in genere ſuo, jumenta & reptilia & beſtias terrae ſecundum ſpecies ſuas.* Hoc conſiderandum ſic eſt. In inextinguibili verbo ſuo juſſit Deus ut terra animalia viventia in genere ſuo, ideſt diverſa genera animalium in formis ſuis produceret, ſcilicet jumenta, quae homini ſervirent, reptilia in quibus homo timorem Dei habere diſceret; beſtias etiam, quae illi honorem Dei demonſtrarent, unumquodque animal ſpeciem generis ſui habens. Quod & ſic impletum eſt, quatenus homo omnem plenitudinem in eis haberet, ita ut illud eligeret quod ad neceſſitatem ſuam ſibi prodeſſet, illud-

que

P. II. que negligeret quod ſibi contrarium foret, & hoc modo honor ejus plenus foret. Jumenta enim homini ſe adjungent, reptilia autem eum abhorrent; beſtiae vero eum fugiunt, & omnibus his donantur. *Et fecit Deus beſtias juxta ſpecies ſuas, & jumenta; & omne reptile terrae in genere ſuo*, videlicet beſtias quae ferocitate ſua timorem homini incutiunt, jumenta quae illi ſerviunt; reptilia quoque quae ſe coram eo abſcondunt ut praefatum eſt. *Et vidit Deus quod eſſet bonum & ait. Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, & praeſit piſcibus maris, & volatilibus caeli & beſtiis, univerſaeque creaturae, omnique reptili quod movetur in terra*. Vidit intuitu bonitatis ſuae quod eſſet bonum & utile, ut totus orbis terrarum plenitudinem honoris hominis haberet, & ait quaſi hominem ad prandium vocans, qui una vis unius ſubſtantiae divinitatis in tribus perſonis ſumus faciamus hominem ad imaginem noſtram, ideſt ſecundum tunicam illam, quae in utero Virginis germinabit, quam perſona filii pro ſalute hominis induens, de utero illius ipſa integra permanente exibit, & a qua tunica divinitas numquam recedet; ſed humana anima pro redemptione ejuſdem hominis corpus per mortem exuet, illudque per potentiam divinitatis ſuſcitatum, iterum reſumet. Faciamus quoque eum ad ſimilitudinem noſtram, ut ſcienter & ſapienter ea intelligat & diſcernat, quae in quinque ſenſibus ſuis operaturus eſt, ita ut etiam per rationalitatem vitae ſuae, quae intra ipſum abſcondetur, & quam nulla creatura in corpore manens videre poteſt, praeeſſe ſciat piſcibus qui in aquis natant, & volatilibus in aere ſuſpenſis & beſtiis indomitis, univerſaeque creaturae ſuper terram commoranti, omnique reptili ſe moventi in terra, quia rationalitas hominis omnia haec praecellet. *Et creavit Deus hominem ad imaginem ſuam, ad imaginem Dei creavit illum, maſculum & foeminam creavit eos, benedixitque illis Deus & ait. Creſcite & multiplicamini & replete terram, & ſubicite eam, & dominamini piſcibus maris & volatilibus caeli, & univerſis animantibus quae moventur ſuper terram*. Creavit Deus hominem ſecundum formam humanae carnis, qua filius ejus ſine peccato induendus erat, ſicut & homo tunicam ſuam ad ſimilitudinem ſui facit, ſecundum formam utique illam quam Deus ante ſaecula praeſciebat. Creavit hominem, maſculum ſcilicet majoris fortitudinis, foeminam vero mollioris roboris, faciens & in recta menſura longitudinem, & latitudinem in omnibus membris illius ordinans, quemadmodum etiam altitudinem, profunditatem, & latitudinem reliquae creaturæ, in rectum ſtatum poſuit, ne aliqua illarum alteram inconvenienter tranſcendat. Sic & Deus omnem creaturam in homine ſignavit, & intra ipſum ſimilitudinem angelici ſpiritus hoc eſt animam ordinavit, quae in forma hominis operatur, nec ab ulla creatura dum in corpore eſt videtur, ſicut nec divinitas ab ulla mortali creatura videri poteſt. Anima enim de caelo, corpus autem de terra eſt, & anima per fidem, corpus vero per viſum cognoſcitur. Maſculum nempe & foeminam Deus creavit; ſed maſculum prius, foeminam vero poſtea de viro tollens, illaque parit, ſicut & maſculus per fortitudinem virium ſuarum generat, quae in ipſo abſconditae ſunt. Per hyemem enim & aeſtatem fructus creſcunt, & proferuntur, & abſque illis nulli perficiuntur. Per radicem quoque arboris, quae viriditatem in ſe continet, flores & poma enutriuntur & ab uno ſunt; ita per maſculum & foeminam multi procreantur, qui tamen ab uno creatore procedunt. Nam ſi maſculus ſolus, vel ſi foemina ſola eſſet, nullus homo generaretur. Unde etiam vir & foemina unum ſunt, quoniam vir eſt quaſi anima, foemina vero velut corpus. Benedixitque eis ille in quem angeli ipſum cognoſcendo & laudando aſpiciunt, & praecepit ut in augmentatione creſcerent, & in multitudine proficerent, & imperio ſuo terram replerant,

& eam ſibi ſubicerent, quatenus dum ab homine colerctur in fructus prorumperet. Et ut etiam dominarentur in aquis natantibus, & in aere volantibus, quia ea cum expanſione quinque ſenſuum praecellerent, & omnibus animantibus motionem vitalis aeris ſuper terram habentibus, quoniam illa gloria rationalitatis ſuperarent. Cum enim homo in plenum numerum ſicut Deus eum conſtituit perficietur, ad terram illam quae ex terrenis hominibus terra viventium nominatur proveniet, & deinde ſocietatem cum agno in caelis habebit. O quam magnum gaudium eſt, quod Deus homo fieri dignatus eſt, exiſtens in angelis divinus, in hominibus humanus. Quapropter vere Deus & homo credendus eſt. Et ideo etiam Deus hominem ad tunicam ſuam, & ad plenum numerum qui nunquam ab homine ſecedit poſuit, quia & illi velut pater filio ſuo fecit, qui ei hereditatem, quae ad ipſum reſpicit diſtribuit, cum ei piſces, & volatilia, omniaque viventia quae ſine rationalitate vivendo ſuper terram moventur ſubjecit. *Dixitque Deus. Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & univerſa ligna quae habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, ut ſint vobis in eſcam, & cunctis animantibus terrae, omnique volucri caeli & univerſis, quae moventur in terra, & in quibus eſt anima vivens, ut habeant ad veſcendum, & factum eſt ita*. In inextinguibili verbo ſuo dixit Deus, quod dederit homini herbam ſeminariam, ligna quoque in ſemetipſis ſementem emittentia, ut ſint illi in cibum, non quod homo omnibus herbis & lignis veſcatur; ſed quod illis animantibus paſcatur, quae & herbis & lignorum fructibus veſcuntur, & quod etiam ei conceſſerit, ut in animantibus terram inhabitantibus, volucribuſque & omnibus hac & illac in motibus ſuis in terra feruntur, & in quibus vitalis aer continetur habeat paſtum, Omnia enim quae in terra vivunt viriditatu illa quae de terra prorumpit veſci noſcuntur; non ita, quod omne animal herbis aut lignorum frugibus utatur; ſed quod cum alterum alteri eſcam in ſemetipſo exhibet, praedictarum herbularum, & virentium ramuſculorum uſu nutriatur. Et praeceptum Dei hoc modo adimpletum eſt, quoniam omne quod eſt, voluntati Dei ſubjectum eſt; cunctaque ordinatio Dei propter hominem in creaturis patrata eſt. Nam homo qui indeficiens in anima eſt, poſt noviſſimum diem Deum qui nunquam incepit, nec finem accipiet videbit, quia quamdiu homo ut luna creſcit & deficit, ſcilicet dum mortalis eſt, Deum non videbit, niſi quantum ipſe in umbra prophetiae ſe hominibus ut ſibi placet oſtendit. Cum enim Deus initium hominis fecit, tunc & noviſſimum tempus ipſius praevidit, & etiam tempus hoc, quo ex utero matris ſuae egrediens, per aquam denuo in Spiritu Sancto regenerandus eſſet. Viditque Deus cuncta quae fecerat, & erant valde bona, quoniam omnes creaturas in plena perfectione abſque omni defectione creaverat, illudque bonum erat, ut nullum defectum habitura eſſent. *Et factum eſt veſpere & mane dies ſextus*. Finito principio illo quod Deus in praefatis creaturis & in homine fecerat, quem in locum perditi angeli praedeſtinaverat, dies ſextus perfecto homine fulminabat, qui etiam eumdem hominem per ſex aetates mundi, diverſa opera facturum praemonſtrabat. Alio modo. V. V.

Quomodo juxta allegoriam per verbum Dei loquentis per Apoſtolos de terra eccleſiæ in fide catholica jumenta, & reptilia & beſtiæ homo quoque qui cunctis praeeſſe deberet ſecundum differentias aetatum, intellectuum, vel graduum in eccleſia viventium, & illa producta, & iſte formatus; & in quo vel ad quid creſcere & multiplicari intelligantur.

XLIV. *Dixit quoque Deus. Producat terra animam viventem in genere ſuo, jumenta & reptilia & beſtias terræ ſecundum ſpecies ſuas. Et factum*

eſt

P. II. *eſt ita*. Hoc conſiderandum ſic eſt. Terra ſcilicet eccleſia mea omnes viventes virtutes producat, quas per doctrinam Apoſtolorum in omnibus generibus virtutum conſtitui. Conjugati namque, qui ſub jugo legis ſunt recte vivant, illi etiam qui in abſtinentia carnalium deſideriorum reptant, corpora ſua in vigiliis, in jejuniis, & in orationibus macerent. Qui autem omnem ſubſtantiam ſuam Deo offerunt, etiam animas ſuas pro ipſo ponant, omnia illicita in operibus ſuis ſic dimittentes, ut Deo Salvatori per ſubjectionem præceptorum ejus quæ eis conſtituta ſunt placeant. Et ſicut beſtiae terrae naturam ſecundum ſpecies ſuas ſibi conſtitutam non tranſeunt, ita etiam ipſi conſtitutam ſibi formam, ſecundum vires ſuas obſervent; & ſic in virtutibus illis abſtinentia ſæcularium rerum perfecta erit. *Et fecit Deus beſtias juxta ſpecies ſuas, & jumenta & omne reptile terræ in genere ſuo*. De gratia Dei in Spiritu Sancto omnes illae magnae virtutes ſpiritalium inſtitutionum, & omnes iſtae ordinationes ſaecularium, atque omnes hae vires abſtinentium in catholica fide factae ſunt. *Et vidit Deus quod eſſet bonum & ait. Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram & præſit piſcibus maris, & volatilibus caeli & beſtiis, univerſæque creaturæ, omnique reptili quod movetur in terra*. Et ſimiliter vidit Deus omnes virtutes iſtas bonas eſſe, & ait in ſemetipſo. *Nunc faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, ad ædificationem eccleſiæ*. Quomodo? Faciamus enim ad inſtructionem eccleſiae, ut ipſa cum homine ad omnem aedificationem ejus erigatur, & ut ipſe in forma ſua ornatus in rationalitate, ideſt ad imaginem noſtram, & in ſcientia ac in ſapientia, ideſt ad ſimilitudinem noſtram formetur, itaut ipſe cum divino opere & humanis juſtis operibus eccleſiam aedificet, ut ei lex in filio meo detur, qui de corde meo natus eſt, quae etiam in Spiritu Sancto accenditur. Et homo in eccleſia cum ſcientia ſua terrenis rebus cum obſervationibus evangelii quod Deus dedit, & cum virtutibus ad bonum volantibus praeſit; ipſe etiam ſubſtantiam & animam ſuam cum ſubjectione praeceptorum Dei, & cum omnibus caeteris virtutibus cœlorum pro Deo ponat, atque in abſtinentia carnalium corpus ſuum maceret; ita ut ipſe homo virtutes iſtas perficiat. Ipſae quoque virtutes in obſervatione omnium praeceptorum Dei hominem ipſum perficiant, ſic ut de virtute in virtutem aſcendendo, ipſis nunquam ſaturari poſſit, & ſemper in hoc mobilis ſit, ut a malo recedat, & bonum faciat. *Et creavit Deus hominem ad imaginem ſuam, ad imaginem Dei creavit illum, maſculum & foeminam creavit eos, benedixitque illis Deus & ait. Creſcite & multiplicamini & replete terram & ſubicite eam, & dominamini piſcibus maris & volatilibus caeli, & univerſis animantibus quæ moventur ſuper terram*. Deus hominem in eccleſia ad agnitionem divinitatis ſuae creavit, ut in anima ſua caeleſtes virtutes operari cum ſuſpiriis animae poſſit, cum quibus eccleſia gemmis virtutum ornata eſt. Creavit eum etiam ad imaginem Dei quae filius eſt, ut cum ardenti amore circumdatus ſit, omnia bona in caſtitate cum excellentioribus virtutibus perficiendo, & ut eccleſia Dei cum operibus Dei perficiatur. Sic ergo Deus populos creavit, ut viriles quae maſculina perſona ſunt in caeleſtibus virtutibus haberent, & ut etiam in timore Dei in anguſtia animae in ſæculari vita ſub naſcentium cura filiorum viverent, quae foeminea perſona eſt, ut & eccleſia cum ea aedificaretur. Et in his praedictis cauſis Deus ea cum plena benedictione ſanctae incarnationis benedixit; in hoc ſcilicet, quod filius Dei humanitate indutus eſt, atque ideo omnia genera virtutum in ſpiritalibus, & in ſaecularibus quae propter amorem Dei proficiunt, fortiter ſtillare debuerunt, quia Deus, Deus & homo eſt, de quo omnis viriditas pullulat. Et in admonitione Spiritus Sancti ait, ut populi in eccleſia in affluentibus juſtis deſideriis creſcentes, in unaquaque vita ſe-

cundum timorem Dei procederent, & in his multiplicarentur, ut in ſtudiis ſuis fructuoſi eſſent, & virtutes in ſe ipſis ſemper innovando, non areſcerent. V. V.
Et ſic replerent illam terram ſcilicet eccleſiam, & ſubicerent eam Chriſto & dominarentur in ea, ita ut evangelium ſequerentur, & cum volantibus atque viventibus virtutibus, quae ſe a terrenis rebus removent, & in bono ſtabiles ſunt, ſe ad caeleſtia erigerent. *Dixitque Deus. Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & univerſa ligna quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, ut ſint vobis in eſcam & cunctis animantibus terræ, omnique volucri caeli, & univerſis quæ moventur in terra, & in quibus eſt anima vivens, ut habeant ad veſcendum. Et factum eſt ita*. Deus in omni conſtitutione eccleſiae dixit. Ecce jam dedi & miſi vobis rectam fidem per filium meum, quem vos in viriditate inaratae terrae, ideſt in utero Virginis ſuper terram natum vidiſtis, ut intacta terra flores germinat. Filius autem meus ſemen verbi Dei attulit, ut ſuper promiſſionis terram ſcilicet ſanctam eccleſiam, qua caeleſtis Jeruſalem conſtruitur ſeminaretur, attulitque legem conjugatorum, qui propagationem ſeminis ſui in nationibus habent, quomodo ſecundum timorem praeceptorum meorum vivere debeant, itaut data lex mea vobis in cibum ſit, nuum in conſtructione animae, ſicut corpus cum cibis paſcitur paſcimini, quia filius meus dixit. *Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem patris mei*. Hoc conſiderandum ſic eſt. Meus cibus qui filius Dei ſum, ille eſt, ut paſſioni me corporaliter ſubjiciam, per quam hominem ad paradiſum unde ejectus fuerat devicto diabolo ſecundum voluntatem patris mei reducam, quia pater meus ad hoc me miſit in mundum, ut ſalvum faciam illum. Nam ego a patre miſſus, in maternis viſceribus carnem ſine virili humiditate ſuſcepi. Cibus ergo ille in quo patri meo abſque aetate aequalis ſum, melior cibo illo eſt, quo ad horam ſecundum carnem paſcor, ubi caeleſtis pater me ad tempus in ſaeculo iſto eſſe, & cum hominibus converſari voluit, quatenus per verba mea in ſalvationem redeant, cum eos mecum ad caeleſtia ſurſum retraxero. Sic enim opus meum eſt, cum in humanitate mea hominem redemi, ut & illo ſecundum me operetur. Vos ergo cum lege mea paſcamini, ut animæ veſtræ non deficiant, quia vobis tempus eſcarum in lege Dei conſtitui, in qua paſcua vitæ invenietis, in quibus omnibus non deficietis, ſi ea ſervaveritis, ſed in æternum vivetis. Hominibus quoque per virtutes præceptis Dei vivi ſubditis & in caeleſti militia imitatoribus Chriſti effectis, qui a terrenis rebus ſe removentes, omni devotione ad juſtitiam anhelant, & de virtute in virtutem quæ ad bonum mobiles ſunt, in terra repromiſſionis aſcendunt, & illis ſunt ciborum differentiæ, & tempora temporum, quae eis a magiſtris conſtituta ſunt. Tempora etiam iſta populus ex inſtitutione legis obſervare debet, in quibus feſtivitates celebrandae ſunt, & jejunia peragenda. De ipſis quoque cibis iſta diſtinctio tenenda eſt, ut non ad ſuperfluitatem, ſed ſicut opportunitas neceſſitatis exegerit aſſumantur, & unicuique ſecundum menſuram illam qua ipſe in Spiritu Sancto confortatus & inſtructus eſt, recte diſpenſentur. Illud Chriſtianus homo qui ædificatio eccleſiae eſt audiat, ut capiti ſuo recte conſentiat. Et hoc ita factum eſt, quia verba Dei & virtutes in chriſtiano populo, cibus vitae in eccleſia factae ſunt. Viditque Deus cuncta quae fecerat, hoc eſt approbavit omnia haec propoſita & praecepta, & data tempora omnium praedictarum virtutum, & erant valde bona, quia in plenitudine exoptabilis gratiae omnipotentis Dei peracta ſunt, ita ut eis nihil deeſſet, unaquaque virtute ſolum bonum prius exiſtente, ſed hic pariter omnia bona erant, cum omnia pariter apparerent, ut convivium plenum eſt, cum in omnibus juſtitiis ſuis perficitur. *Et factum eſt veſpere & mane dies ſextus*. Illa mutatio inſtabilitatis quod in eccleſia nondum firmitas

Ggg con-

P. II. conſtitutorum praeceptorum erat, coepit ſe declinare pro mane fortis juſtitiae omnis conſtitutae legis, quemadmodum dies cum viribus ſolis confortatur, dum ſol in ordine ſuo ſtat, ut hinc fieret dies ſextus, & ut quaſi in ſexta luce fortis fidei, populis praecepta Dei ſecundum voluntatem ejus, & ſecundum doctrinam magiſtrorum ſuorum in eccleſia adimpleret. Et iterum alio modo.

De diverſitate victualium homini & jumentis in Geneſi conceſſorum, qualiter modo ſpiritualiter in eccleſia ſecundum diſtributionem vel perceptionem ſpiritualis alimoniæ, quod eſt verbum Dei teneatur, & quomodo appoſitum Chriſti teſtimonium dicentis, MEUS CIBUS EST, UT FACIAM VOLUNTATEM PATRIS MEI: *ſed & hoc quod ſcriptum eſt*, ET FACTUM EST VESPERE ET MANE DIES SEXTUS *accipiendum ſit.*

XLV. *Dixit quoque Deus. Producat terra animam viventem in genere ſuo, jumenta & reptilia & beſtias terræ ſecundum ſpecies ſuas. Et factum eſt ita.* Hoc conſiderandum ſic eſt. Deus in admonitione Spiritus Sancti hominibus dicit, qui ſe omnibus praedictis cauſis ſubdunt, ſcilicet quomodo ſe Deo in deſiderio animae ſuae diligenter adjungant. Nunc haec terra ideſt homo viventes virtutes animae producat, ita ut exterior homo negotium animae tenens, ad Deum ſemper ſuſpiret, ut anima & corpus Deo in genere fortiſſimae virtutis obedientiae, quae morti vim ſuam in Deo occulte abſtulit obediant, quemadmodum jumenta per ſubjectionem homini ſubdita ſunt, & ut etiam reptile in officio vilitatis illi ſubjacet, & ſicut beſtiae terrae ei ſerviunt, & ut homo propter ſubjectionem humilitatis homini ſe ſubdit, quia obedientia poena ſuperbiae eſt omnino eam confundens. Et fecit Deus beſtias juxta ſpecies ſuas, & jumenta, & omne reptile terrae in genere ſuo, ab omnipotente Deo in homine qui prius per ſuperbiam libere peccaverat, timor ſurgit, ita ut ipſe homo Deum requirere incipiat, ut primus homo praeceptum obedientiae a Deo ſuſcepit. Et ſic Deus in homine facit, quod ſeipſum ſua propria voluntate in ſubjectionem hominum propter amorem Dei proſternit, ut beſtiae ab hominibus comprehenduntur, a quibus etiam nutriuntur & inſtituuntur, ſicut ipſi volunt. Similiter homines in illam ſubjectionem magiſtrorum ſecundum ſpeciem ſanctae humilitatis computantur, mancipati obedientiae in forma jumentorum, ac etiam in illa vilitate reptantis naturae, ita ut in propria voluntate ſua ſecundum voluntatem magiſtrorum ſuorum conculcentur, ſicut vilis natura reptilis in genere ſuo conculcatur.

Repetitio omnium quae de opere ſexti diei ſcripta ſunt in Geneſi, quomodo ſecundum moralitatem intelligi vel teneri debeant, & appoſitio duorum teſtimoniorum pſalmi & evangelii, & quo ſenſu ipſa quoque accipienda ſint.

XLVI. *Et vidit Deus quod eſſet bonum, & ait. Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, & praeſit piſcibus maris, & volatilibus cæli & beſtiis terrae, univerſaeque creaturae, omnique reptili, quod movetur in terra.* Videt Deus hoc bonum eſſe, & multum cum ſuperiori dulcedine in hoc delectatur, quod homo in prima juſtitia quam ipſe in homine conſtituit eum requirit, & in ſemetipſo dicit. Iſte homo eum omni inceptione juſtitiae ſe ipſum in illicitis deſideriis ſuis ſuperando tangit me, & cum lucido deſiderio primae conſtitutionis meae, quam in primo ortu dum homo mihi debuit obedire conſtitui per bona opera erigit. Nunc nos tres perſonae, illa vis unius ſubſtantiae, quae primum hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam creando erigit. Faciamus ut homini illi magnus honor de ſanctitate & cognitione divinarum rerum detur, ita ut ſicut patronus habeatur, & dilectionem ſanctae incarnationis in imagine Dei ad proximum ſuum habeat, & in ſcientia ſua honorem divinitati in ſimilitudine Dei exhibeat, quatenus per inſtitutionem evangelii, & per virtutes temporalibus rebus praelatus, ſe ipſum etiam Deo ſacrificet, ita ſcilicet ut corpus ſuum per abſtinentiam affligat, & ſe a terrenis ad caeleſtia promoveat, quatenus cum ipſis virtutibus quae in eo impletae ſunt operetur, & ipſae virtutes cum eo, atque in hac praelatione ipſe Deum timeat & diligat. *Et creavit Deus hominem ad imaginem ſuam, ad imaginem Dei creavit illum, maſculum & foeminam creavit eos, benedixitque illis Deus, & ait. Creſcite & multiplicamini & replete terram, & ſubicite eam & dominamini piſcibus maris, & volatilibus caeli, & univerſis animantibus quae moventur ſuper terram.* Et nunc Deus hominem ad honorem ſibi creat ita ut ipſe omnino in deitate & in humanitate ſua in illo cognoſcatur. Quomodo? Potentia deitatis omnia creantis & regentis in magiſtratione hominis ad imaginem ejus ſecundum rationem facti, qua caeteris creaturis praeeſt apparet, miſeratio ejus qua mundo ex humanitate ſubvenit, in compaſſione ipſius hominis qua proximo ſuo ſecundum poſſibilitatem ſuam parcere & miſereri debet agnoſcitur, & haec bona exempla Verbi Dei ſunt, ut Pſalmiſta David ait: *Ego dixi Dii eſtis, & filii excelſi omnes.* Hoc conſiderandum ſic eſt. Ego vobis hominibus dixi, in hoc Dii eſtis, quod homo omni creaturae dominatur, eam ad omnem neceſſitatem ſuam ſicut deſiderat ſibi ſubiciens, quoniam quemadmodum omnipotentem Deum in fide & timore & amore habet, ſic creatura hominem velut Deum per magiſterium timoris inſpicit, & diligit, cum ab ipſo paſcitur. Sed & filii illius qui in excelſis altus eſt, vos homines dicimini, quia per gratiam viventis Dei rationales creati eſtis, quaſi ab ipſo nati ſitis, & quoniam omnem ſcientiam quae vobis neceſſaria eſt ab ipſo habetis; irrationale autem animal nihil aliud ſcit, niſi quod ſenſu capit. In homine quoque, ideſt in vivente ſcientia hominis, vim & fortitudinem perſpicuae juſtitiae creat, ita ut nec in ſe ipſo, nec in aliis iniquitati ullatenus prave cedat, quod quaſi virile eſt. In eo etiam creat, ut per donum divinae gratiae homini in peccatis vulnerato, eum miſericordia parcat, & ut miſerias ipſius ita adtendat, quatenus vinum poenitentiae ei infundat, ipſumque oleo miſericordiae ungat, ſic ne ipſe homo propter excedentem menſuram, & in remiſſibilem poenitentiam cadat, & ne tepidus in vanitatem pravorum operum involvatur, quod quaſi foemineum eſt. Et illud Deus benedicit, quia humanitatem filii ejus tangit, ut idem filius Dei in evangelio dicit. *Quicumque fecerit voluntatem patris mei qui in cælis eſt, ipſe meus frater, ſoror, & mater eſt.* Hoc conſiderandum ſic eſt. Omnis homo gratia Dei ſuffultus, qui fecerit bona intentione voluntatem patris mei, qui per divinitatem pater meus eſt in caelis habitans, quia filius virginis ſum, ita ut hoc in quo natus eſt repudians, ad Deum cum interiori homine volet; iſte in alia natura quam conceptus ſit, Deum imitando, & in veneratione perfecti timoris ipſum ſemper inſpiciendo frater meus eſt. Deum quoque fideliter in amplexione caritatis aſſidue habendo ſoror mea in hac devotione eſt, atque in omnibus operibus ſuis cum voluntate perfectionis ad eumdem patrem meum aſcendendo; & in corde, & in corpore eum frequenter portando, mater mea exiſtit, quoniam ſic me generat, ubi toto ſtudio ſanctitatis in patre meo per plenitudinem beatorum virtutum floreo. Tunc Deus in ſemetipſo dicit. Iſte homo in viribus fortiſſimarum virtutum creſcat, & multiplicatio earundem virtutum in eo colatur, ut illa terra ſcilicet cæteri homines pretioſa pigmenta bonorum operum de eodem homine audiendo & intelligendo repleatur, & præceptis ejus ſe ſubdant, atque ipſe homo cum ſuperabundanti felicitate deſideriis ſuis dominetur, in eiſdem virtuti- V. V.

P. II. entibus omnem pompam ſeculi, quæ quaſi mare eſt ſibi abſtrahens, & ut in virtutibus & in his quæ in viribus ſuis ad bonum mobiles ſunt ſuperno deſiderio ad caeleſtia currat, ſicut hæ virtutes homini illi illicita deſideria quae quaſi terra ſunt abſtrahant. *Dixitque Deus. Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & univerſa ligna quae habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, ut ſint vobis in eſcam & cunctis animantibus terræ, omnique volucri cæli, & univerſis quæ moventur in terra, & in quibus eſt anima vivens, ut habeant ad veſcendum. Et factum eſt ita.* Et nunc etiam in Spiritu Sancto dicit. Ecce omnia germina virtutum, quæ ſupra dicta ſunt, ſemen verbi mei afferentia ſuper deſideria carnis hominis iſtius, qui ſe ita conſtringit, & omnes fortiores virtutes ad majora praecepta aſcendentes poſui, ut in ſemetipſis recto deſiderio bonum ſemen generis ſui in verbo meo habentes, ſint ei in cibum refectionis animæ; ita ut etiam omnes virtutes per humilitatem Deo ſubjectae, & in caeleſti militia volantes, & quae hominem a terrenis rebus ad caeleſtia removent, & in quibus viventes vires de plantatione Spiritus Sancti ſunt, cum eo in anima ipſius paſcantur, & ipſe etiam cum illis in his omnibus alatur. Et hæc omnia in homine illo ita fiunt, qui ſic in Deo proficit. *Viditque Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Vident & nunc Deus quod omnia quæ Spiritus Sanctus tribuit, valde bona ſunt, quia in plenitudine omnium virtutum perfecta ſunt, cum prius unaquæque virtus in ſemetipſa tantum unum bonum eſſet, hic autem omnia pariter bona ſunt, quia in homine ſimul apparendo impleta ſunt. *Et factum eſt veſpere, & mane dies ſextus.* Et nunc a Deo in homine fit, ut bonus finis cum bono initio ſextae virtutis quæ obedientia eſt, tamquam dies ſextus reſplendeat.

De perfectione cæli & terræ, & omnis ornatus eorum, & completione operum Dei, quæ ſeptimo diei adſcribitur, & de ſanctificatione ejuſdem diei, & de requie ipſius Dei quomodo ad literam intelligenda ſint.

XLVII. *Igitur perfecti ſunt cæli & terra, & omnis ornatus eorum.* Hoc conſiderandum ſic eſt. Superiora & inferiora elementa cum omnibus ſibi adjacentibus viribus tanta plenitudine & perfectione perfecta ſunt, ut omni penuria ablata, in abundantia convenientis utilitatis gaudeant. *Complevitque Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecerat, & requievit die ſeptimo ab omni opere quod patrarat.* Completio ſex diſtinctionum præfatorum operum dies ſeptimus appellata eſt, cum Deus omnia quæ creare præordinaverat ad perfectum duxit. Ac ſic requievit die ſeptimo operari ceſſans, quoniam omne opus ſuum in formis ſuis perfecerat. Et benedixit diei ſeptimo, & ſanctificavit illum, quia in ipſo ceſſaverat ab omni opere ſuo, quod creavit Deus ut faceret. Deus benedixit diei ſeptimo cum laude, atque eum cum honorificentia ſolemnitatis ſanctificavit, quoniam omnis creatura in illo pleniter creata exiſtit, quam Deus praeordinaverat fieri, de qua alia genita procedit. Unde & omnis angelica turba, omniaque occulta myſteria divinitatis, de perfectione operis Dei Deo benedicebant, ipſumque laudabant, quia cum ſeptem donis Spiritus Sancti omne opus ſuum perfecerat. Item alio modo.

Qualiter hæc ſecundum allegoriam per incarnationem filii Dei & prædicationem evangelii & operationem Sancti Spiritus compleantur in filiis eccleſiæ, & ſubjectis fidei chriſtianæ.

XLVIII. *Igitur perfecti ſunt cæli, & terra, & omnis ornatus eorum.* Hoc conſiderandum ſic eſt. Perfecta ſunt cuncta caeleſtia opera, quae in tranſitu terrenarum rerum ad caelos tendunt, cum terrenis rebus quas neceſſitas naſcentium filiorum hominum habet, & ita omne illud perfectum decus caeleſtium operum in eccleſia conſtitutum eſt. *Complevitque Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecerat, & requievit die ſeptimo ab omni opere quod patrarat.* Completa eſt omnis conſtitutio haec in omnibus his; & hoc ita ſcilicet, quod ego in filio meo die ſeptimo, ideſt in plenitudine totius boni omnem operationem meam ſic definivi, ut omnis eccleſiaſticus populus videndo, audiendo, & per doctrinam ſcrutando, bene noverit, quid ſibi in praeceptis meis faciendum ſit. Et omnis conſtitutio mea ita feſtiva fuit, ut eam in nullo alio niſi in filio meo a me miſſo oſtenderem, qui omnes ordinationes meas per doctrinam ſuam, & per apoſtolos ſuos cum manifeſto opere complevit, quas prophetae prius in umbratione viderunt. Tunc etiam ſeptimus dies requiei meae in eccleſia refulſit, ita ut poſtea in aperto opere nihil aliud nec in praedicatione, nec cum ſignis miraculorum, nec cum viſione antiquorum ſanctorum operarer, niſi ut in filio meo opera vitae, & quam plurima ſecreta tam futura quam praeterita, & praeſentia manifeſtarem; & electos meos tam benigne monerem, ut incarnationem ejuſdem filii mei, quae in primo germine floruit, imitarentur. *Et benedixit diei ſeptimo, & ſanctificavit illum,* quia in ipſo ceſſaverat ab omni opere, quod creavit Deus ut faceret. Iſtum ſeptimum diem in ſalvatione animarum benedixi, & ſanctificavi, dum filium meum in utero Virginis miſi incarnari. Et benedixi ac ſanctificavi eum, quia in iſto die meo multum delector, ſcilicet in illis qui quaſi flores roſarum & liliorum jugo legis emancipati, tantum me inſpirante ſe conſtringere libere incipiunt, ut etiam incarnatio filii mei quam in propheta ante promiſeram, praecepto legis obnoxia non eſt. Ceſſavique operari tali modo in eccleſia, quae jam in opere ſancto ſicut nunc lucet, in plena conſtitutione perfecta eſt, quia filius meus, qui meum ſeptimum opus eſt, ex utero Virginis per humanitatem procedens, omnia haec in Spiritu Sancto mecum perfecit, ſecundum hoc quod in evangelio dicit. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra.* Hoc conſiderandum ſic eſt. A Deo Patre data eſt mihi qui filius Virginis ſum, omnis poteſtas haereditario jure in caelo facere, & in terra dijudicare, quae facienda & dijudicanda ſunt, non tamen ut voluntatem patris mei tranſcendam; ſed illam in omnibus inſpiciam, quia ego in patre, & ipſe in me eſt. Et iterum alio modo.

Item quomodo hæc eadem juxta tropologiam in profectu & perfectione uniuſcujuſque fidelis conſumentur.

XLIX. *Igitur perfecti ſunt cæli & terra, & omnis ornatus eorum.* Hoc conſiderandum ſic eſt. Illæ caeleſtes & terrenae virtutes, & omnis ornatus eorum, in juſtitia & veritate cum bonis operibus in homine perficiuntur. *Complevitque Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecerat, & requievit die ſeptimo ab omni opere quod patrarat.* Et Deus per ſeptimum diem qui filius ejus eſt, in quo omnis plenitudo boni operis orta eſt, in homine bonum opus cum omnibus perfectis virtutibus complet, ut faber pretioſos lapides operi ſuo quod facturus eſt imponit, quia omnia bona opera in homine, qui eam per gratiam Sancti Spiritus operatur pleniter ornantur. Tunc etiam Deus in filio ſuo ab omni opere requieſcit, ſcilicet ab opere illo, in quo homo jam perfectus eſt, quia ipſe juſta opera in filio Dei qui ſeptimum opus erat, in utero Mariae Virginis operari coepit. *Et benedixit diei ſeptimo & ſanctificavit illum, quia in ipſo ceſſaverat ab omni opere quod creavit Deus ut faceret.* Benedicit Deus ſeptimum diem in perfectione bonorum operum, hoc eſt hominem, qui membrum filii ejus eſt in ipſo. Quomodo? Scilicet ut interiorem benedictionem, ideſt eundem filium e- V. V.

Digitized by Google

P. III. jus, qui de corde ipſius exivit, imitetur, quatenus per exempla ejus qui Deo Patri obediens factus eſt, ad vitam revertatur. In ipſo quoque homine praefata caeleſtia opera ſanctificat, cum illi ſecum gloriam & honorem hunc concedit, ut proximo ſuo unumquodque debitum cum voluerit dimittat. Atque ab hac pater operum ſeveritate jam ceſſat, qua ante incarnationem filii ſui nullum caelaſte regnum intrare permittebat; nunc autem in eodem filio ſuo introitum ſupernorum gaudiorum patefacit, cum unumquodque debitum homini quod ex corde confitetur, per eumdem filium ſuum remittit. Haec ergo fidelis fideliter intelligas, nec in his illum, qui verax eſt contemnat. V. VI.

EXPLICIT QUINTA VISIO.

PARS TERTIA.

INCIPIT SEXTA VISIO

Miſtica viſio de ædificio in modum civitatis oſtenſo, de monte quoque & ſpeculo in illo reſplendente, de nube ſuperius candida, inferius nigra, & cæteris in eadem viſione apparentibus.

I. „ ET iterum vidi quaſi cujuſdam magnae civitatis inſtrumentum quadratum, velut quodam ſplendore, & quibuſdam tenebris, quaſi muro hinc & hinc circumdatum, ac etiam quemadmodum quibuſdam montibus, & imaginibus exornatum. Vidi quoque in medio orientalis plagae ejus, quaſi montem magnum & excelſum, duri albique lapidis, ſicut ejus, de quo ignis eicitur, formam habentem, in cujus ſummitate velut ſpeculum tantae claritatis & puritatis reſplenduit, ut etiam ſplendorem ſolis axcellere videretur, in quo etiam velut columba aspanſis alis apparuit, quaſi ad volandum praeparata. Idem quoque ſpeculum quamplurima occulta miracula in ſe habens, quemdam ſplendorem magnae latitudinis & altitudinis da ſe emittebat, in quo multa myſteria, & plurimae formae diverſarum imaginum apperebant. Nam in eodem ſplendore ad auſtralem plagam, quamadmodum nubes ſuperius candida, ſubterius autem nigra apparebat, ſupra quam velut plurima multitudo angelorum ſulgebat, quorum quidam ignei, quidam clari, quidam ut ſtellaa videbantur, qui & omnes a quodam vanto ut ardentes lampades volante movebantur, qui etiam plenus vocum erat, quae ut ſonus maris ſonabant. Et ventus idem voces ſuas in zelo ſuo axtendebat, atque per ipſum in praefatam nigredinem praedictae nubis ignem miſit; unde illa in nigredinem ſina flamma exarſit; ſed & mox in illam flavit, eamqua ut denſum fumum avaneſcere & corruera fecit. Sic quoque illam corruentem ab auſtro retro ſupra dictum montam ad aquilonem in quandam infinitam profunditatem projecit, ita ut ſa deinceps erigere non valeret, praeter quod nebulam quamdam aliquando ſuper terram mittit. Audivique quaſi tubas de caelo vociferantes. Quid aſt hoc quod fortis in viribus ſuis cecidit? Et ſic candida pars praefatae nubis clarior effulſit quam prius feciſſet, nec vento qui tribus modis vocum ſuarum praedictae nubis nigredinem dejecerat, ullus amodo raſiſtere potuit. Iterumque audivi vocem de caelo dicentem.

De præſcientia & prædeſtinatione & ordinatione Dei ab æterno omnia prænoſcentis, & in tempore cuncta creantis, & opera rationalis creaturæ diſtricto judicio examinantis.

II. Deus in praeſcientia ſua omnia novit, quoniam antequam creaturae in formis ſuis fierent eas praeſcivit, nec quicquam eum latuit, quod a principio mundi uſque ad finem ejus procedit. Quod & praeſens viſio declarat. Vides enim quaſi cujuſdam magnae civitatis inſtrumentum quadratum, quod deſignat divinae praedeſtinationis opus ſtabile & firmum, velut quodam ſplendore, & quibuſdam tenebris quaſi muro hinc & hinc circumdatum, quia fideles ad gloriam, infideles autem ad poenas juſto judicio ab invicem ſeparati deputantur, ac etiam quemadmodum quibuſdam montibus & imaginibus exornatum, ideſt magnis prodigiis miraculorum & virtutum munitum & exaltatum, quoniam Deus omnia opera ſua vera & juſta faciens, ea tanta fortitudine corroboravit, ut nullo impulſu ullius defectus exterminari poſſint. Quod autem velut in medio oriantalis plagae vides, quaſi montem magnum & excelſum, duri albique lapidis, ſicut ejus de quo ignis deicitur formam habentem, hoc deſignat quod in fortitudine juſtitiae Deus eſt, magnus in poteſtate, axcelſus in gloria, durus in ſeveritate, albus in lenitate, quoniam omnia judicia ſua in ardore aequitatis perficit. Ipſe anim juſtus eſt, & injuſtitiam omnino conterit, quia caelum & terra ſuper eum fundata ſunt, firmamentumque cum omnibus creaturis ſuſtinet, quemadmodum lapis angularis totum aedificium continet. In cujus ſummitate ſicut ſpeculum tantaa claritatis & puritatis reſplendet, ut etiam ſplandoram ſolis axcellare videatur, quia in excellentia Dei praeſciantia ipſius tam lucida tamque perſpicua exiſtit, ut omnem fulgorem creaturarum excedat. In quo etiam velut columba expanſis alis apparet, quaſi ad volandum praeparata, quoniam in eadem praeſcientia divina ordinatio ſe expandens, ad manifeſtationem ſui proceſſit. Nam cum Deus voluit, omnem creaturam prodira fecit. Et ut alibi duae alae ad volandum aſſunt, & ut ſupra montem ſedens conſiderat, quo volare velit, ita & divina ordinatio duas alas in angelis & hominibus habens, in poſſibilitate ſua velut in monte omnia ordinando ſedet; quemadmodum etiam vir qui ſilendo omnia quae vult ordinat, atque in praeſidiis angelorum hominem muniens, ipſi cum voluntate & opere quaſi alas ad volandum dedit, & in veteri lege velut tacens ſiluit, quoniam lex tota ſignificativa fuit. Ipſa enim in omnibus praeviderat, quod figura in qua vivens ſpiraculum & ſcientia erat, noſſet quid operari deberet, cum per viventam ventum, ideſt animam, ſeu ad dextram ſeu ad ſiniſtram reſpiceret, & ſi ad dextram volaret, mercedem vitae acciperet; ſi vero ad ſiniſtram tenderet, debitis poenis ibidem ſubjaceret. Ordinationem itaque illam Deus ſub velamento alarum ſuarum habet, itaut illum, qui ad eum volat ſic dicendo: *in te exultabo quoniam feciſti me, unde & anima mea hæret poſt te*, ipſius dextera protegens ſuſcipiat, plurimaque ornamenta illi tribuat; hunc vero, qui ei adhaerere recuſat, perire permittat, ut praefatum eſt. Sed & cum filius Dei indumentum carnis aſſumpſit, quod ſanctae divinitati adhaerit, per quam ipſa opus ſuum quod nondum perfectum erat, in humanitate ſua proficeret, mox virtuoſe cum homi-

P. III. hominibus, de quo angeli mirabantur voluit, quod nullus alius hominum niſi unicum verbum Dei incarnatum facere potuit, illoſque per idem indumentum ſuum ſanctificavit, quatenus in eum aſpicientes, ſeipſos abnegarent, atque ut in expanſis alis ſuis cum eo ad ſuperna deſideria volarent.

Quod ſcientia Dei multa incognita & ſecreta in ſe habens, oſtenſionem mirabilium ſuorum ſecundum placitum ſuum producat, & quid ſignificet trimoda angelorum qualitas in hac viſione apparentium.

III. Praefatum quoque ſpeculum quam plurima occulta miracula in ſe habens, quemdam ſplendorem magnae latitudinis & altitudinis de ſe emittit, ſignificans quod ſcientia Dei multa & incognita ſecreta in ſe habens, oſtenſionem mirabilium ſuorum dilatando & elevando, ſecundum placitum ſuum producit. In quo multa myſteria, & plurimae formae diverſarum imaginum apparent, quia cum oſtenſio mirabilium Dei ſe aperuerit, ea quae prius incognita & non viſa fuerant, in apertam manifeſtationem procedent. Nam in eodem ſplendore ad auſtralem plagam quemadmodum nubes ſuperius candida, ſubterius autem nigra apparet, deſignans quod in oſtenſione ardentis juſtitiae Dei intentio beatorum ſpirituum laudabilis, reproborum vero execrabilis denudatur. Supra quam velut plurima multitudo angelorum fulget, quorum quidam ignei, quidam clari, quidam ut ſtellae videntur, quoniam qui ignei apparent, in fortiſſimis viribus ſunt, itaut nullo modo moveri poſſint, quia ad faciem ſuam Deus eos fieri voluit, ut ipſam ſemper inſpiciant. Qui autem clari demonſtrantur, in officiis operum hominum, qui opus Dei ſunt nunc moventur, quorum opera officiorum in conſpectu Dei coram eiſdem angelis ſunt, quoniam illa ſemper conſiderant, eorumque bonum odorem Dei offerunt, utilia eligentes, inutiliaque abicientes; qui vero ut ſtellae videntur, naturae hominum condolent, eamque ut ſcripturam Deo repraeſentant, hominesque comitantur, verbiſque rationalitatis quomodo Deus vult eis loquuntur, atque de bonis operibus illorum Deum laudant; a malis autem ſe avertunt.

De ſpiritu Dei zelum ſuum per beatos angelos ad repellendam & comprimendam praeſumptionem reproborum angelorum excitante, & de ſymphonia bonorum angelorum infatigabili, & ultra hominum intellectum ineſtimabili & ſemper nova admiratione Deum laudantium.

IV. Qui & omnes a quodam vento ut ardentes lampades volante moventur, quia angelicos ſpiritus illos ſpiritus Dei vivens & in veritate ardens, ad zelum ſuum contra inimicos ſuos movet. Qui etiam plenus vocum eſt, quae ut ſonus maris ſonant, quoniam plenitudinem & perfectionem omnium laudum habet, quibus & angelica & humana creatura ad laudem Dei infunditur. Et ut vides ventus idem voces ſuas in zelo ſuo extendit, quia ſpiritus Dei voces rectitudinis judiciorum ſuorum ad vindictam reproborum convertit. Atque per ipſum in praefatam nigredinem praedictae nubis ignem miſit, unde illa in nigredinem ſine flamma exarſit, cum beati ſpiritus inceptionem perditorum angelorum videntes ad honorem Dei properabant. Ignem quoque ultionis ſuper peſſimam infidelitatem intentionis eorumdem inimicorum ſuorum ardenter fundebant, illis non ad correctionem, ſed ad majorem execrationem abſque omni luce ſalutis aeſtuantibus, nec creatori ſuo debitum honorem exhibere volentibus. Nam quia ſine fulgore laudis creatoris ſui eſſe volebant, pro nihilo computati ſunt, quemadmodum pergamenum non ſcriptum vacuum eſt, honorem ſcripturae non habens. Sed & mox in illam flavit, eamque ut denſum fumum evaneſcere & corruere fecit, quoniam idem zelus per beatos ſpiritus conatum reproborum adnihilavit, ſurſumque aſcendere volentem, attenuavit & depreſſit. Multitudines enim bonorum angelorum in Deum aſpiciunt, atque cum omni ſymphonia laudum eum cognoſcunt, & cum mirifica ſingularitate myſteria ipſius quae ſemper in eo fuerunt & ſunt laudant, & nequaquam hoc omittere poſſunt, quia nullo terreno corpore gravantur. V. VI.
Divinitatem quoque cum virentibus ſonis excellentium vocum enarrant, quae ſuper numerum arenae maris ſunt, ſuperque numerum cunctorum fructuum, qui in terra germinantur, atque ſuper numerum ſonorum, qui per omnia animalia proferuntur, & ſuper omnem fulgorem, qui per ſolem & lunam & ſtellas in aquis fulget, & ſuper omnes ſonos aetheris, qui per flatus ventorum qui quatuor elementa elevant, & ſuſtinent fiunt. Sed in omnibus his vocibus laudum ſuarum beati ſpiritus divinitatem nullo fine capere poſſunt. Quapropter & ipſi in vocibus ſuis novitatem ſemper faciunt. Praefatus quoque zelus ſic illam corruentem ab auſtro retro ſupra dictum montem ad aquilonem in quandam infinitam profunditatem projecit, ita ut ſe deinceps exigere non valeat, praeter quod nebulam quamdam aliquando ſuper terram mittit. In quo oſtenditur, quod ipſe per virtutem ſanctitatis angelorum, intentionem malignorum ſpirituum jam vacillantem, a loco beatitudinis retro aſpectu ſemper viventis ad infelicitatem perditionis, & indeficientis calamitatis repulit, cum illos ad tantam contritionem redegit, ut deinceps rebellare Deo non poſſint, quamvis peſſimis ſuggeſtionibus ſuis homines attemptare non negligant.

Quod aliqua pars beatorum ſpirituum arcana in cælo manens, & vultui ſui creatoris ſemper aſſiſtens raro ad exteriora mittatur, aliqua vero quae angelorum nomine cenſetur, ad diverſa officia ſemper exiens cum neceſſe eſt hominibus appareat, & quod omnis rationalis creatura non ſuam, ſed creatoris gloriam ſemper debeat quaerere.

V. Eſt etiam multitudo quaedam angelorum cum Deo arcana in caelo, quam divinitas lumine ſuo perfudit, & quae humanae creaturae obſcura eſt, praeter quod illa perlucida ſigna cognoſcitur. Et multitudo iſta cum Deo magis quam cum homine rationalis eſt, raroque hominibus apparet, cum angeli qui cum hominibus officiales ſunt, quando Deo placuerit illis quibuſdam ſignis ſe oſtendunt, quoniam Deus quoſdam ad diverſa officia conſtituit, & cum creaturis eos officiales eſſe fecit. Qui tamen quamvis diverſa officia habeant, omnes unum Deum colendo & ſciendo venerantur. Quod ſi ſcientia cum ſono laudis ad illum de quo eſt non volaret, ſed a ſe ipſa eſſe vellet, quomodo ſtare poſſet, cum per ſe ipſam non ſit? Rationalitas enim ſonum laudis in alium ſemper praetendit, indeque jucundatur, quoniam ſi a ſe ipſa ſonare vellet, glorificari non poſſet, quod Satan fecit, cum vivere incepit, quia cum laude ad creatorem ſuum non reſpexit, ſed per ſeipſum eſſe volens corruit, a divinitate abſciſſus & conculcatus, quemadmodum ſtipula a grano abſciſſa conculcatur. Quapropter quaelibet creatura quae vivit, ad creatorem ſuum reſpiciat, nec gloriam a ſeipſa habere quaerat. Plenum namque gaudium utilitatis ex ſe ipſo homo habere non poteſt, niſi illud ab alio percipiat, & cum per alium utilitatis gaudium intellexerit, exultationem magnam in corde ſuo exinde habebit. Hinc etiam anima ſe a Deo creatam recordatur, & in fide ad illum reſpicit, ſicut & homo faciem ſuam in ſpeculo conſiderat, quomodo formata ſit. Omnipotens enim Deus opus ſuum hoc modo conſtituit, ut cum laudibus ad ipſum reſpiciat, quoniam in magno honore illud perfecit, diſponens etiam quod beati ſpiritus verae beatitudini contrarios abicerent dicentes. *Iſtos a nobis abiciamus, qui volunt terrere nos.* Unde in voluntate Dei ſcriptum eſt.

Ver-

Digitized by Google

P. III. *Verba Pſalmiſtæ ex pſalmo* XCII. *ad idem ſpectantia, & quo ſenſu intelligenda ſint.*

VI. *Elevaverunt flumina Domine, elevaverunt flumina vocem ſuam. Elevaverunt flumina fluctus ſuos a vocibus aquarum multarum.* Hujus ſententiae intellectus hoc modo accipiendus eſt. In zelo tuo erecti ſunt angelici Spiritus o Domine omnium creaturarum, extuleruntque quaſi fluctus vires ſuas in ſubmerſione hoſtium tuorum, ac iterum in altum tetenderunt exercitus eorumdem ſpirituum fortitudinem ſuam voces ſonorum quam plurimarum laudum Deo offerentes, quia angelica agmina quaſi flumina aquae vivae ſunt, quae ventus Spiritus Dei, ad gloriam laudis ſuae movet, cum eaedem voces contra nigrum draconem praeliarentur. Nam Michael in vocibus tubarum occulti judicii Dei eumdem ſerpentem percuſſit, quoniam claritatem divinitatis cognoſcere voluit, eumque per virtutem Dei in puteum inferni projecit, qui abſque obſtaculo fundi eſt, ubi & ſequaces ejus qui ipſi conſenſerunt eum velut magiſtrum habentes, cum ipſo ceciderunt. Sed tamen idem omnibus illis plus poenarum recepit, quia in ullum alium, quam in ſeipſum aſpicere voluit, cum iſti in illum reſpicerent. Poſt ruinam autem hujus antiqui hoſtis, caeleſtes chori Deum laudabant, quod accuſator eorum cecidiſſet, & quod locus ejus in caelo amplius non eſſet inventus. Et tunc etiam majori fulgore mirabilia Dei cognoſcebant, quam ea prius vidiſſent, intelligentes quoque quod in caelo tale praelium amodo non fieret, & quod nullus de caelo ulterius caderet. Sed & in pura divinitate cognoſcebant numerum cadentium ſpirituum fictilibus vaſis impleri. Unde & pro gaudio iſto quod numerum illorum qui ceciderant hoc modo reſtaurari ſciebant, eumdem caſum in hujuſmodi oblivionem ducebant, quaſi non fuiſſet. Omnipotens quippe Deus caeleſtem militiam in diverſos ordines conſtituit, ſicut eum decuit, ita ut ſinguli ordines officia ſua teneant, & quiſque ordo ſpeculativum ſigillum alii ordini ſit, & in unoquoque ſpeculo divina myſteria ſunt quae idem ordines nec pleniter videre, nec ſcire, nec capere, nec finire poſſunt. Quapropter admirantes de laude in laudem, de gloria in gloriam aſcendunt, & ſic novi ſemper ſunt, quoniam omnia haec ad finem perducere non valent. Ipſi quoque a Deo ſpiritus & vita ſunt. Unde etiam in divinis laudibus nunquam deficiunt, igneamque claritatem Dei ſemper inſpiciunt, atque ex claritate divinitatis velut flamma coruſcat. Verba autem haec fideles devoto cordis affectu percipiant, quoniam per illum qui primus & noviſſimus eſt, ad utilitatem credentium edita ſunt.

EXPLICIT SEXTA VISIO.

INCIPIT SEPTIMA VISIO.

Viſio myſtica de lapide marmoreo inſtar montis in orientali parte ædificii præmonſtratæ civitatis conſiſtente, de innumera quoque multitudine hominum tam in orientali quam in auſtrali plaga ejuſdem ædificii apparentium; ſed & de forma & habitu mirabili duarum imaginum juxta angulum orientalem conſtitutarum.

I. „ POſt haec in angulo orientali, ſcilicet ubi o-
„ riens incipiet, quaſi marmoreum lapidem
„ ſicut montem magnum, & altum, ac integrum
„ aſpiciebam, in quo tantum porta velut magnae ci-
„ vitatis exciſa videbatur, quam ſplendor quidam
„ lucidus ab ortu ſolis veniens totam perfundebat,
„ nec ultra ſe extendebat. Et ab eodem lapide fere
„ uſque ad alterum orientalem finem qui verſus au-
„ ſtrum erat, quaſi imagines hominum videlicet pue-
„ rorum, juvenum, ac ſenum, quemadmodum ſtel-
„ lae per nubem apparebant, ſonum uſque ad occi- V.VII.
„ dentem dantes, velut mare cum inundando per
„ ventum movetur. Quos etiam quidam ſplendor
„ de ſupernis veniens, omnemque pulchritudinem
„ humanae aeſtimationis excedens, quodam radio
„ ſuo perfundebat, quem iterum deinde ad ſe retra-
„ hebat. Juxta iſtum autem praefatum orientalem
„ finem, aliae duae imagines ſibi vicinae ſtabant,
„ quarum altera quae prior erat, caput & pectus
„ quemadmodum leopardus habebat; brachia vero
„ ut homo; ſed manus ejus urſi pedibus aſſimila-
„ bantur; aliam autem formam in ea non videbam.
„ Tunica autem lapidea induebatur, nec hac, nec
„ illac movebatur: ſed viſum ſuum ad aquilonem
„ retorquebat. Sed altera imago quae praedicto an-
„ gulo vicinior erat, faciem manuſque hominis ſibi
„ invicem complicatas habebat; & pedes accipitris in ſe
„ oſtendebat. Et quaſi tunica lignea induebatur, quæ
„ a ſummitate ſua uſque ad umbilicum illius appare-
„ bat candida, ab umbilico autem uſque ad lumbos
„ ejus ſubrubea; a lumbis vero uſque ad genua ipſius
„ ſubgriſea; & a genibus uſque ad finem pedum il-
„ lius turbida. Gladium quoque velut ſupra lumbos
„ ſuos in tranſverſum poſitum tenebat, atque immo-
„ bilis permanens, aſpectum ſuum ad occidentem
„ verterat. Deinde autem quaſi alias innumerabiles
„ hominum imagines per totam auſtralem plagam ſi-
„ cut nubem in aere fluentes videbam, quarum alii
„ in capitibus ſuis velut coronas aureas ferebant, alii
„ ut palmas valde ornatas in manibus ſuis tenebant,
„ alii ut fiſtulas, alii ut cytharas, alii ut organa, ſo-
„ nuſque eorumdem inſtrumentorum, quemadmo-
„ dum dulcis ſonus nubium intonabat. Et iterum
„ vocem de caelo audivi dicentem ad me.

Quia Deus omnipotens nulla ſibi mutabilitate diverſus, juſto judicio ſuperbientes angelos damnaverit, & pia miſeratione decepto homini ſubveniens, multis & miris in veteri teſtamento futuræ ſalutis ejus nunciis præmiſſis in novo demum teſtamento per plurima miracula liberationem ejus compleverit, & quod prophetia ad inſtructionem & correctionem divinitus data, nulli nunquam mundi ætati defuerit, vel defutura ſit.

II. Poſtquam exercitus perditorum angelorum cecidit, Deus hominem in gloriam illorum quam perdiderant ordinavit; ſed eo etiam corruente, ipſum magno pretio beatae ereptionis redemit, multis & admirandis nuntiis quibus eum ad vitam revocaret, in veteri teſtamento multoties promiſſis; in novo quoque teſtamento quam plurimis per liberationem illius miraculis perpetratis. Quapropter in angulo orientali ſcilicet ubi oriens incipit, quaſi marmoreum lapidem ſicut montem magnum & altum ac integrum aſpicis, qui deſignat quod a principio creaturarum cum mundus creatus eſt, Deus firmiſſima petra potens & excelſus in integritate ſtabilitatis extitit; nullam mutabilitatem in ſe habens. In quo tantum porta velut magnae civitatis exciſa videtur, quam ab ortu ſolis lucidus ſplendor quidam veniens, totam perfundit, nec ultra ſe extendit; quia voluntas Dei quemadmodum porta ad quaelibet bona patens, puriſſimae divinitatis ordinatione tangitur, quae ſupra id quod ordinatum eſt non procedit, quoniam voluntas & ordinatio Dei hoc modo ſibi conveniunt, ut neutra aliam tranſcendat. Nam Deus in locum quem antiquus ſerpens perdidit, pia bonitate voluntatis ſuae hominem ordinavit, ipſumque in perverſa vacillantem, aquis diluvii expiavit, & mundum in Noe juſta examinatione renovavit. Unde & ab eodem lapide fere uſque ad alterum orientalem finem qui verſus auſtrum eſt, quaſi imagines hominum videlicet puerorum, juvenum, ac ſenum, quemadmodum ſtellae per nubem apparent, ſonum uſque ad occidentem dantes, velut mare inundando per ventum movetur, quoniam a divina fortitudine uſque ubi vetus lex cum ſeveritate apparens, finem ardore juſtitiae & veritatis

ve-

Digitized by Google

P. III. V. VII.

veniente accepit, prophetia in primo opere Dei, videlicet in Adam incepit. Quae ita a generatione in generationem per diverſas aetates hominum, ut lumen per tenebras lucebat, nec a ſono ſuo uſque ad terminum mundi ceſſabit, voces multimodarum ſignificationum proferendo, cum inſpiratione Spiritus Sancti, diverſis myſteriis imbuitur. Prophetia enim in homine velut anima in corpore eſt, quia ſicut anima in corpore obumbrata eſt, & ut per eam corpus regitur, ita & prophetia a ſpiritu Dei veniens, qui omni creaturae præeminet, inviſibilis eſt, atque per eam quaeque declivia corripiuntur, & ad viam rectitudinis deviantes reducuntur, ſicut etiam inſpiratione mea David ſervus meus loquitur dicens.

Verba David ex primo verſu Pſalmi XLIIII. *ideſt Eructavit cor meum verbum bonum, ad idem & ad utramque Chriſti generationem pertinentia, & quomodo intelligenda ſint.*

III. *Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Regi.* Hujus quoque ſententiae intellectus hoc modo accipiendus eſt. Ego qui pater omnium ſum manifeſte oſtendo, quod ante omnem creaturam eructavit interior vis mea verbum bonum, ſcilicet quem genui filium meum per quem omnia valde bona facta ſunt. Quapropter etiam dico in diverſa non mutans me, ego qui ſum propalans opera mea illi, qui per orbem terrarum regnaturus eſt. Omnia enim opera mea quae ab initio facta ſunt, filio meo nota ſunt. Prophetia quoque eructavit in virtute ſua verbum bonum, eum idem verbum, per quod omnia facta ſunt, carne induendum dicendo mirabilia opera pronunciavit, & eum illud tegem regum futurum demonſtravit, atque juſtum germen hoc integra terra proferre deberet, quae per opus viri contrita non eſſet. Iſtud propheta per infuſionem Spiritus Sancti cognovit, ſcilicet in quibuſdam ſenibus, in quibuſdam quoque juvenibus, atque in quibuſdam pueris, qui in plurimis ſignis de eodem germine, quod Verbum Dei eſt, per inſpirationem Spiritus Sancti loquebantur. Deus namque maſculum de terra creavit, & illum in carnem ſanguineam mutavit; ſed mulier de eodem viro ſumpta, caro de carne in aliud non mutanda permanſit. Et iſti in ſpiritu prophetiae cognoverunt, mulierem per inſpirationem Spiritus Sancti filium Dei parituram, quemadmodum flos de ſuaviſſimo aere creſcit, & ut etiam in virga Aaron praeſignatum eſt, quae ab arbore abſciſa Mariam Virginem oſtendebat, de cujus mente vir ita abſciſus eſt, ut nunquam delectatione copulationis alicujus tangeretur, ſed per ardorem Spiritus Sancti virum unum procreavit, quem omnibus creaturis circumdedit, quoniam illæ ab ipſo procedendo, guſtum perceperant, quapropter etiam omnes voci ipſius obediebant. Prophetae namque dixerant, quod ex opere caritatis mulier paritura procedere deberet, ſicut virga de ſtirpe Jeſſe, omneſque virginalem hunc partum Regi ſcilicet filio Dei adſcripſerunt. Cum enim mulier haec filium Dei circumdedit, homines qui ipſum in ſimilitudine imaginis ſuae videbant & audiebant, plus eum diligebant, quam ſi ipſum non viderent, quia quod homines in umbra vident, ad plenum ſcire non poſſunt. Unde & prophetae eum in ſono umbrae loquerentur, haec aliquando velut umbra ipſos pertranſierunt; quae tamen omnia in hominibus poſtea formata ſunt, quoniam ſonus prophetiae de occultis myſteriis divinitatis procedit.

Quia prior duarum imaginum in orientali fine oſtenſi ædificii conſiſtentium, tota fere ferino habitu apparens, tempus quod ante diluvium fuit ſignificet, in quo homines ſine lege & cognitione veri Dei crudeli & magis beſtiali, & quam humano ritu vivebant.

Expoſitio prima ima-

IV. Quemadmodum autem vides juxta praefatum orientalem finem, aliae duae imagines ſibi vicinae ſtant, ſignificantes quod in ortu juſtitiae qui in Abel demonſtratus eſt, jam titubante, duo tempora diverſorum morum hominum ſibi in vicinitate conjuncta, Deus propalavit, aliud quidem ante diluvium ſine lege, aliud vero poſt diluvium ſub lege: Quarum altera quae prior eſt caput & pectus quemadmodum leopardus habet, brachia vero ut homo, ſed manus ejus urſi pedibus aſſimilantur; aliam autem formam in ea non vides, quia tempus illud quod ante diluvium ſine lege fuit, in moribus hominum poteſtatem & fortitudinem diverſarum beſtialium naturarum oſtendebat, quoniam tunc homines per primam diabolicam deceptionem omnibus vitiis implicati erant, Deum oblivioni tradentes, & ſecundum guſtum voluntatis ſuae viventes; interdum vero quaſi in brachiis ſuis ut homo operantes, interdum autem in operibus manuum ſuarum crudelium beſtiarum naturam & rapinam imitantes. Quapropter & honeſtatem morum homines negligebant, nec ſecundum humanam diſciplinam vivere ſtudebant; ſed tantum informes ſic remanebant. Tunica autem lapidea induitur, nec hac nec illac movetur, ſed viſum ſuum ad aquilonem retorquet, quia idem homines, qui in praefato tempore fuerunt, duritiam & gravedinem peccatorum ſibi circumdederant, nec ſe a malo ad bonum convertebant, in ſcientia ſua quidem videntes, quod mala & turpia opera, quibus antiquus ſerpens congaudet faciebant, nec tamen ea deſerere volebant. Cum enim Deus caelum & terram creavit, terram diviſit ita, ut quaedam pars terrae immutabilis, quaedam vero mutabilis ſit, ex qua etiam Deus hominem plaſmavit. Homo quoque vigilando & dormiendo mutabilis eſt. Quando enim vigilat, ſecundum curſum ſolis lumine oculorum ſuorum videt, & quando oculorum ſuorum lumen non habet, ſic eſt quaſi ille qui in anima ſua velut in nocte obtenebratur.

ginis continet hinc uſque ad VII. capitulum incluſive.

De fortitudine, crudelitate & impuris moribus hominum ante diluvium, & quomodo arte diaboli præter paucos a cultu Dei receſſerunt.

V. Et Deus hominem in terra viventium poſuit, quæ per ſperam ſolis non illuminatur; ſed quæ vivente luce æternitatis perfunditur; ſed ille divinum præceptum tranſgreſſus, iterum in terram mutabilitatis miſſus eſt. Ipſe autem duos filios generavit, quorum alter Deo immolavit, alter vero fratrem occidens, reus mortis factus eſt, & qui Deo immolavit, & vocem Dei audivit, interemptus eſt. Unde & planctus magnus exortus eſt. Nam in illa prima creatione homines tantae fortitudinis, tantarumque virium erant, ut etiam fortiſſimas beſtias ſuperarent. Unde ut cum illis jocularentur multoties delectati ſunt, ipſæque beſtiae homines timentes, ferocitatemque ſuam cohibentes, illis ſubiciebantur; ſed tamen ob hoc naturam ſuam non mutabant. Homines autem pulchram formam rationalitatis ſuae mutantes, beſtiis ſe admiſcebant, & quod ſic generabatur, ſi homini magis quam bruto animali aſſimilaretur, illud odio habentes negligebant; ſi vero magis formam bruti animalis, quam formam hominis haberet, oſculo dilectionis amplectebantur. Mores quoque eorumdem hominum in duobus modis tunc erant, ſcilicet nunc ſecundum homines, nunc ſecundum pecora, quemadmodum leopardus & urſus, ſecundum mores hominum & beſtiarum ſunt, ideoque etiam pulcherrimas pennas rationalitatis non habebant, quibus ad Deum recta fide & ſpe anhelarent, quoniam propter prædicta peccata eædem pennæ in ipſis defecerant. Iſtud antiquus ſerpens eis ſuggeſſit, quatenus gloria rationalitatis eorum periret, quam in homine magno odio laniabat. Diabolus enim intra ſe dicebat. Quid eſt hoc quod altus fecit? Illud quippe conſilio meo pluſquam ſuo conſentit. Quapropter in plaſmatione ipſius eum ſuperabo. Sic homines in primo ſæculo per ſpumam ſerpentis polluti,

ſecun-

Digitized by Google

P. III. ſecundum guſtum terreni vaſis ſui, & non ſecundum ſpiramen animae operabantur, nec quicquam cognoſcere volebant, praeter quod formatum videbant dicentes. *Quid prodeſt mihi ventus, qui nec formatus eſt, nec mihi loquitur? Quod mihi loquitur, & quod mihi accurrit, illud tenebo.* Nam diabolica ars quaedam magna animalia inſufflavit, atque per illa hominibus dicebat. *Ego ſum qui vos creavi.* Et hoc modo ſuggeſſit hominibus, ut per illa polluerentur, quatenus ſonum vocis rationalitatis quo Deum laudare deberent, in eis everterent, ne Deum laudarent, ſicut nec ipſe voluit, nec velle quaerit. Quidam autem pauci qui prothoplaſtum audierant, qui ipſis retulerat, quomodo a Deo formatus, & quomodo in locum voluptatis poſitus fuiſſet, & quomodo inde exiſſet, naturam ſuam humanam guſtantes, nec ſe pecoribus commiſcentes, ut Deus eos conſtituit, in eadem natura ſua recte & ſobrie vivebant, atque propter moleſtiam & gravedinem communis plebis, quae hoc modo ut praedictum eſt polluebatur, ad alios montes fugiebant, ibique ex ſpiramine animae ita confortabantur, ut eos peccare non liberet; ſed ſemper ſuſpirabant dicentes. *Ubi quaeremus illum qui nos creavit?* Unde a praedictis populis deludebantur dicentibus. *Quid eſt, quod iſti ſolunt, quod nec oculis ſuis vident, nec manibus palpant?* Sed & aedificium Noe deludebant. Et Deus iſtis in miſticis miraculis ſuis loquebatur, ſicut etiam Abel filio primi hominis locutus eſt.

Quia Deus iniquitates & crimina hominum aevi illius non ſufferens, omne genus humanum & cuncta viventia exceptis his quae arca concluſerat aquis diluvii exterminaverit, & de mutatione ſolis, lunae, ſyderum, & terrae ab eis qualitatibus, quas ante diluvium habuerant, & quod in fine mundi tanta terram profunditate ignis conſumpturus ſit, quanta altitudine aquarum infuſione penetrata eſt.

VI. Poſtquam autem terra hoc contrario populo repleta eſt, ego, qui ſum haec criminalia peccata diutius non ſufferens, decrevi hoc, ut genus humanum in aquis ſuffocaretur, exceptis paucis qui me cognoverant. Terra vero nequaquam exſiccata eſt, donec deluſus populus totus ſubmerſus eſt. Aquae enim totam terram ita perſiderunt, ut velut lutum fieret, & huic cadavera hominum ita immergebantur, ut poſtea inveniri non poſſent, quibuſdam tamen cadaveribus pecorum ex levitate ſua in ſuperficie aquarum apparentibus. Nec terra etiam exſiccata eſt, antequam ſol cum itineribus lunae, & ſtellarum, & cum omnibus officiis ſuis ortum & occaſum compleret, nec antequam omnia haec aquas in conſtituta loca ſua ut primum poſitae fuerant ad ſe retraherent. Et ſic terra per calorem ſolis in alium modum cocta eſt, quam prius apparuiſſet. Sol quippe, & luna ac ſtellae, caeteraque ſydera, poſt caſum Adae ante diluvium ex nimio & valido calore, aliquantum turbulenta fuerunt, hominesque tunc in corporibus ſuis tam fortes erant, ut eumdem calorem tolerare valerent. Quod etiam nunc fervor magni caloris interdum oſtendit, cum praefata ſydera ab illo turbida aliquando exiſtunt, quoniam poſt diluvium aquis ita perfuſa ſunt, ut in frigore & in calore ſuo lucidiora quam ante diluvium fuiſſent exiſtant, terra vero & hominibus in majori debilitate & infirmitate poſtmodum permanentibus, quam prius eſſent. Nam aqua in diluvio totam terram uſque ad fundum penetrabilis terrae perfundens, in lutum mutavit, ſicut & in noviſſimo die ad eamdem profunditatem ardebit, quoniam homo ea deinceps non indigebit. Judicia enim ſua Deus per aquam & ignem ſuper hominem exercet, ut quoniam per haec hominem compoſuit, per eadem etiam homo comprimatur. Et ſicut Deus humiditate aquae totam terram perfundit, & calore ignis eam componit, & firmat, ita & hominem humiditate corporis humectat, atque calore ignis animae eum confortat. Illi autem quos Dominus poſt diluvium ad procreationem novi generis ſervaverat, terribili judicio Dei quod viderant perterriti in timore Dei ardebant, atque ſacrificia ſua ad honorem Dei immolare coeperunt. V. VII.

Quia ex mutatione elementorum vires quoque hominum poſt diluvium imminutae ſint, & de correctione eorum ad tempus terrore ejuſdem judicii praeteritorum, & de arcu tunc primum pro foedere vel ſignum inter Deum & homines poſito.

VII. Sed deinde genus in genus in minoribus viribus proceſſit, quam homines ante diluvium fuiſſent, ut praefatum eſt, quoniam cum terra immutata eſt, vires etiam hominum immutatae debiliores factae ſunt, quia antiquum inſidiatorem ſubſecuti fuerant, qui gloriam ſuam in ſerpentinos mores mutaverat, quoniam ſerpens aſtutus eſt ad decipiendum illum quem decipere vult, & ad fugiendum ab illo a quo fugere quaerit. Sic & antiquus hoſtis facit, cum illum quem ſuperat per dolum mortiferi veneni infidelitatis decipit, & cum ab illo quo devincitur velociter fugit, quia per illum conculcatur, quemadmodum de caelo projectus eſt. Illud enim tempus in timore Domini ita floruit, quod antiquo ſerpenti reſtitit, ne per ſufflatum ſuum oblivio Dei ſicut ante diluvium fecerat homini infunderetur. Poſt diluvium namque Deus novam terram cum novo populo fecit, arcum pro ſigno in nubibus ponens, ne aquae omnem terram & omnes populos amplius ſuffocarent; oſtendens etiam quod omnes inimici ejus cognoſcerent quam magnam poteſtatem in tremendo judicio ſuo ſuper eos haberet. Judicium quippe Dei magnam fortitudinem inimicos ejus ad percutiendum habet, qui veritatem divinitatis deſtruere volunt, atque cum igne magniſque tempeſtatibus poſt caſum filii perditionis, finem omnium mortalium hominum faciet; ita ut poſtmodum nullo modo quicquam mortale appareat.

Arcus in nubibus.

Quod altera imago tempus illud quod poſt diluvium ſub lege fuit deſignet, & varietates diverſi habitus ejus, diſtinctiones temporum ab ipſo diluvio uſque ad adventum Domini, vel finem ſaeculi, & qualitates morum hominum qui in eis ſunt, vel futuri ſunt ſignificent.

VIII. Sed altera imago, quae praedicto angulo vicinior eſt, faciem manuſque hominis ſibi invicem complicatas habet, ſed pedes accipitris in ſe oſtendit, deſignans tempus illud, quod poſt diluvium ſub lege in moribus hominum erat, ita uſque ad terminum illum procedens, ubi tam auſteritas ejuſdem legis claudicabat, in quo intentio & opera eorumdem hominum ad carnalia magis quam ad ſpiritalia ſpectantium, abſque labore vacabant, in quo etiam gradiendo, acerbitatem & non lenitatem ſanciebant, quoniam lex nulli pepercit, ſed delinquentem acriter punivit. Et quaſi tunica lignea induitur, quia praefatum tempus veterem legem ſpiritales fructus negligentem ſibi attraxerat. Quae a ſummitate ſua uſque ad umbilicum illius apparet candida, quoniam tempus quod ante Noe fuit, qui creatorem ſuum cognovit, & ſe hominem eſſe ſcivit, & aedificium ſanctitatis primum incepit, & oblationes Deo obtulit, quaſi candidum uſque ad Abraham, qui velut umbilicus fortitudinis erat ſurrexit, quia per voraginem aquarum homines in tantum exterriti fuerant, ut deinde per aliqua tempora timorem Dei per rectitudinem ad ſe colligerent. Ab umbilico autem uſque ad lumbos ejus ſubrubea eſt, ſignificans tempus quod ab Abraham uſque ad Moyſen in circumciſione ardens ſe extendit, quoniam ut aurora

Explicatio ſecundae Imaginis.

ſolem

ſolem praevenit, ſic Abraham per ſignum circumciſionis, in qua luxuriam contrivit, humanitatem filii Dei praeceſſit. A lumbis vero uſque ad genua ipſius ſubgriſea eſt, oſtendens quod tempus illud quod a Moyſe legislatore, uſque ad Babylonicam tranſmigrationem fuit, in duritia & aſperitate legis, ſecundum carnem proceſſit, quod & ibi ad multas vanitates incurvari cepit. Et a genibus uſque ad finem pedum illius turbida eſt, ſignificans tempus quod a Babylonica tranſmigratione uſque ad exterminium ejuſdem legis ſe extendit, ubi filius Dei venit, qui ipſam in ſemetipſo totam complevit. Quod ſcilicet tempus turbidum in negligentia, & in torpore apparuit, quia eadem lex jam tunc pro dedecore computata, & quaſi turbulenta aqua pro nihilo habita, ad caſum ſuum carnaliter tendebat. Nam qui eo tempore ſub lege eſſe videbantur, ſolem juſtitiae orientem ſcire nolebant, ſed ſolas litteras in tabulis ſcriptas ſe inſpicere velle dicebant, nec aliud quicquam in eis intelligendum eſſe affirmabant. Unde ego qui omnia juſte dijudico, judicia mea quae in Ægypto & in aliis locis ſuper eos extenderam, quando in ſe ipſis confidebant, faciendo quod volebant, nunc ſuper eos per quoſdam populos miſi, qui eos caperent, & in regiones longinquas dividerent. In hac autem duritia infidelitatis tamdio durabunt, quouſque antiquus ſerpens in quodam errante & perdito homine oculum ſuum movebit, quem occulta divinitas ita occidet, ut ictum illum nec angelus nec homo noverit, & tunc idem legalis populus cum magnis aerumnis ad me reſpiciet, lugens & plangens, quod tamdiu deceptus ſit. Sed quamdiu homines deinde in tranſitorio ſaeculo permanſuri ſint, angelo & homini ignotum eſt. Et praedicta imago gladium velut ſupra lumbos ſuos in tranſverſum poſitum tenet, quoniam circumciſione velut in carnali tranſitu ſe habuiſſe demonſtrat, ubi tamen ab umbilico vitalium uſque ad lumbos homo per motionem eorum peccat, cum mens hominis ea ad peccandum movet. Et etiam judicia Dei puram juſtitiam habentia declarat, ita ſcilicet quod Deus ſuper illum qui membra hominis dividit, ſanguinem ejuſdem inciſoris fundit, & etiam illum qui ſe ab eo in aliis malis avertit, juſto examine dijudicatum conterit. Atque immobilis permanens aſpectum ſuum ad occidentem vertit, quoniam homines qui in eodem tempore fuerunt, cum vetus lex vigebat, ad ſpiritalem intelligentiam ſe non movebant, caſum quidem antiqui ſerpentis ſcientes, multaque pericula videntes; ſed tamen animarum ſuarum ſalutem in torpore, & in negligentia habentes. Nam igneus dracho videns, quod Deus quoſdam ſervaverat, quos inundatio aquarum non devoraverat, magnam iram per flatum ſuum emiſit, intra ſe furibunde dicens: *Omnes artes meas excitabo, illaſque ſigillatim exercitabo, quatenus iſtos quos diluvium non ſubmerſit, in aliquibus impedimentis decipiam, & ſic eos iterum mihi ſubjugabo.*

De ſignificationibus hoſtiarum & circumciſionis & legis quae per prophetiam in Patribus incarnandum Dei filium praeceſſerunt, & de praedicatione prophetarum, & quod homo ſalvari non poſſet niſi verbum caro fieret, & de ſuggeſtionibus diaboli, quibus homines illudendo decipit, & de modis ſubventionum quibus ſemper Deus reſiſtit.

IX. Itaque tempus hoc poſt diluvium a Noe uſque ad filium meum incarnatum ſe extendit, qui in ſe credentes ad ſpiritalem intellectum convertit, ubi & aliud tempus non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum ad vitam proceſſit. In Noe enim multa miracula oſtendi, ſicut etiam in prima apparitione in Adam quamplurima miracula perfeci, quoniam ut in Adam omnes naſcituros homines praevidi, ita etiam in Noe novum ſaeculum reſurrectum praeſignavi. De germine namque iſto fortiſſimi & velociſſimi prophetae ſurrexerunt, qui linguam ſuam acuentes, ea quae in ſpiritu ſancto videbant, fiducialiter protulerunt; ſcilicet quia Deus Verbum ſuum quod in ipſo ante aevum fuit, in mundum miſſurus eſſet. Et hoc ſic incarnatum eſt, ut totus mundus inde miretur, atque ad hoc miraculum linguae ipſorum velociter mundum tranſibant, cum ſpecioſum pro filiis hominum ad terras venturum affirmarent. Sed & rationalitas dictat, & ſecundum dictatum opus exercetur, quia ſi dictatus non procederet, opus non ſubſequeretur. Mundum enim & hominem Deus in Verbo ſuo dictavit. Nam Verbum quod ſine initio eſt, opus quoddam dictavit, de quo mundum indumentum ſibi induit, ut, quando homo peccaſſet, ſi Deum confiteretur cum eodem indumento eum ad ſe retraheret, & ideo ſi idem Verbum indumentum hoc non induiſſet, homo non ſalvaretur, ſicut nec perditus angelus ſalvabitur. Et unde eſſet hoc, quod Deus non haberet poſſibilitatem illum loco ſuo reſtituere qui ab eo receſſerat, cum eum poenitens confiteretur? Quemadmodum enim Omnipotenti Deo placuit, ut hominem faceret; ita & ipſi placuit, ut illum redimeret, qui in eum confidit. Quapropter prophetiam occulte exſpiravit, & eam obumbratam miſit, uſque dum opus ſuum perficeret; ſed antequam illud ad profectum duxiſſet, per praecurrentia ſigna ipſum demonſtravit. Nam Noe arcam oſtendit, Abrahae circumciſionem dedit, Moyſen autem legem docuit, quatenus motio libidinis, quae ſicut ſerpentis lingua movetur per iſtos confunderetur, & ut diabolus per animalia hominem deceperat, ante, quam ſanctus ſanctorum veniret, per animalia in cerimoniis Dei idem diabolus conculcaretur. Et haec tria ſigna, videlicet hoſtia, circumciſio, & lex, filium Dei praecurrebant, eaque ipſe pati & finiri in ſe voluit ſecundum verba inſpirationis Prophetarum, qui & de Deo & de omnibus malis aquilonis loquebantur, quia quamdiu antiquus ſerpens contra Deum pugnare vult, ſicut etiam in caelo contra eum pugnavit, homines invadit, eis ſuadendo, ut & ipſi Deo ſe opponant, & illud quod oculis & manibus palpant pro Deo colant, quemadmodum in Baal & in aliis idolis eis oſtendit. Sed ut Deum nemo comprehendere valet, nec opus ipſius quiſquam ad finem perducere poteſt, ita nec diabolus hominem cognoſcere valet, niſi prius per ſuggeſtionem ipſius homo ad eum anhelet, & tunc in nequitia ſua multum gaudet, quod opus Dei ſic deludendo vincat. Nam cum hominem operari poſſe ſentit, needum cognoſcit quid ille operari velit, & cum eum ad Deum anhelare intellexerit, ita ut ipſe opera ſua in Deo ponat, quia per illum creatus eſt, mox ſuggeſtione ſua ad ipſum accedit dicens. *Cum tu poſſibilitatem faciendi quae volueris habeas, quare opus tuum ab alieno quaeris? Et quid nocebit te, quod opera quae operari potes facis, cum ille quem creatorem tuum eſſe dicis, opus ſuum ut voluit, fecit?* Et ſic ſuggerendo eum decipit. Ventus itaque aquilonis ſuggeſtionem & perſuaſionem iſtam deſignat, quia ſicut ille domum totam deſtruit & evertit, ita & haec diabolica ſufflatio rectos ſenſus hominis in hanc oblivionem ducit, ut inſpirationis Dei obliviſcatur, & ad Deum inſpirare non poſſit. Spiramen quoque animae illius quod ad Deum anhelare deberet abſcidit, atque ad peccata quae per corpus ſuum perpetrare poteſt ipſum accendit. In ſufflatu etenim hujus foetidae ſuggeſtionis confidit, quod animas etiam rationalium hominum ad ſe trahere poſſit, quemadmodum & vermis in luto jacens, ex ſuco immunditiae ſuae alios vermes procreat. Ipſe namque homines in haec prava & foetentia opera perduxit, quod genua ſua ad Baal, & ad reliqua idola flexerunt; ex quorum ore immundus ſpiritus ſonuit & loquebatur, inceſta opera eos docens. In initio enim a generatione in generationem populi proceſſerunt, quorum horribiles mentes propter guſtum carnis ſuae a Deo receſſerunt. Sed tamen,

Hoſtia, circumciſio, & lex praeceſſerunt Chriſtum.

P. III. men, ut praedictum eſt, per arcam Deus juſtitiam protulit, per circumciſionem quae velut calips erat mortem vulneravit, ita ut etiam libido quam ſerpens exſufflaverat, per illam denudata ſit; per legem vero quam digito ſuo ſcripſit, illam confudit, hoc revolvens, quod hominem digito ſuo fecerat, miniſterio hominis, ſcilicet creatura quam Deus illi dedit prius praecurrente, de qua homo munda animalia ſumens, hoſtiam omnipotenti Deo primum obtulit. Quod autem Abel incepit, hoc lex totum perfecit, ſignificans quod homo qui hoſtiam de animali, de quo alitur, offert, ſe ipſum hoſtiam Deo offerat. Et ut ſol lunam ſibi ſubditam tam creſcentem quam deficientem habet, ita & filius Dei verus ſol legem in ſe habuit, quae in ipſo crevit, cum eam complevit, & quae in ipſo finem accepit, cum ſe ipſum Deo patri immolavit. Et ut per mortem ejus eclipſis ſolis facta eſt, qui iterum per totum mundum effulſit; ſic idem filius Dei voluit, ut homo ſecundum ipſum luceat, mortem ejus inſpiciendo, & in illa conſiderando quid facere debeat. Quemadmodum etiam aratrum cum jumentis terram evertit, in quam ſemen magnum fructum faciens ſeminatur, de quo homines paſcuntur; ita etiam ſcriptas literas in praeceptis Dei legalis populus tenuit, ſed fructu illorum ſaturatus non eſt, quia quod in literis abſconditum fuit non cognoſcebat. Filius autem Dei per ſemina verborum ſuorum credentibus revelavit, quod carne & ſanguine ipſius ſaturati vitam habeant, & hoc idem in divinis ſecretis abſconditum, per ſeipſum manifeſtavit.

De innumerabili multitudine fidelium diverſis modis in hac vita tam in exercitiis, quam in mortificatione vitiorum pro honore Dei & ſua ſalute viriliter obcertantium & diverſa pro meritis praemia munere Dei percipientium.

Explicatio Imaginis apparentium poſt ſecundam imaginem.

X. Quod autem quaſi alias innumerabiles hominum imagines per totum auſtralem plagam ſicut nubem in aere fluentem vides, hoc eſt quod multitudo credentium qui filium Dei in ardenti juſtitia imitati ſunt & imitantur, mentes ſuas ad caeleſtia elevantes, de virtute in virtutem aſcenderent & aſcendunt. Quorum alii in capitibus ſuis velut coronas ferunt, quoniam iſti cum mentes ſuas ſurſum erigunt, juſtis & ſanctis deſideriis cordium ſuorum animabus ſuis ornatum supernorum praemiorum imponunt, quia bona deſideria initium bonae inceptionis ſunt, alii ut palmas valde ornatas in manibus ſuis tenent, quoniam victoriam boni certaminis in operibus ſuis oſtendunt; alii ut fiſtulas, ideſt mercedes, quas in timore & amore Dei per doctrinam ſuam promeruerunt; alii, ut cytharas, videlicet praemia durae & anguſtae viæ, quae ad vitam ducit; alii ut organa, quia multiplices virtutes, quae in laudibus ad Deum tendunt, in eis apparent; ſonuſque eorumdem inſtrumentorum quemadmodum dulcis ſonus nubium intonat, quoniam laudes quae in praedictis virtutum dignitatibus & remunerationibus reſonant, exoptabili merito in virtutibus operantium, menteſque ſuas ad caeleſtia extollentium conſonant, quia ſecundum quod homines bona in rectitudine facientes promerentur, mercedes eorum in remuneratione erunt. Mentes itaque fidelium ut praefatum eſt velut nubes diſcurrunt, cum in deſiderio animae in quo beatus homo quærit a Deo opus quod operetur, nunquam ſaturatur, ſicut nec rivuli de mari fluentes, ab inundationibus ſuis deſiſtunt. Et quoniam ſancta deſideria, quæ initium omnium bonorum exiſtunt, ipſis hoc modo ut praefatum eſt inſita ſunt, Deus cum caeleſti militia eos coronat, quia ipſi ita adhaerent, quod nullo modo ab eo ſeparabuntur. Ordinatio enim Dei in creaturis primum deſignavit, quod homo in ſpirituali vita revivificari debuit, quia cum in lege quaedam pecora ligari, occidi, ac comburi, eorumque ſanguinem ſpargi praecepit, quoſdam homines ſicut nubes currentes, & ad ipſum reſpicientes, in amore ejus torqueri, & occidi, atque ſic immolari praemonſtravit. Et quoniam illi ubera virtutum ſugunt, quatenus luxuriam aliaque vitia fugiant, victoriam palmarum ferunt, cum etiam ſanguinem ſuum effundunt, antequam per opera infidelitatis ex reti juſtitiæ cadant, ſic duobus modis ſe cruciantes, videlicet contra corpus ſuum pugnando, atque per ordinationem Dei ſanguinem ſuum effundendo. Unde etiam angelis qui Deo ſemper aſſiſtunt aſſimilantur. Qui autem per doctrinam omnipotentis Dei officium ſuum exercent, alios docendo, fiſtulis ſanctitatis reſonant, cum per vocem rationalitatis juſtitiam in mentes hominum canunt, ſicut etiam verbum dictat, & ſonus reſonat, & ut per ſonum verbum auditur, & circumdatur, quatenus audiri poſſit. Et ut per fiſtulam vox multiplicatur, ita in timore & amore Dei vox doctoris in hominibus multiplicari debet, ubi fideles congregat, & infideles fugat. Hoc modo & alii exurgunt, qui ſe ipſos contemnunt & abiciunt, in virginitatis pudore ſe conſtringentes, voluptatemque ſaeculi pro poena habentes, atque in angelicis laudibus perſeverant, & ſicut aquila in pleno deſiderio cordium ſuorum ad Deum volant, ſimiles aurorae quae ſolem praecedit exiſtentes, & cum oculis columbinae ſimplicitatis Deum ſemper intuentes. Quapropter & in cytharis Deum cui hoc modo adjuncti ſunt, hujuſmodi laudes referunt, quas humana ſcientia nequaquam explicare poteſt. Sed & alii ſunt qui innumerabiles virtutes quemadmodum manipulos in praeceptis Dei ad ſe colligunt, atque humiliati reginae virtutum in organis militant, cum ſe ipſos quaſi ad terram pro Dei timore & amore proſternunt. Humilitas enim ipſam imitantibus caelum aperit, eamque negligentibus illud claudit, ita ut nulla perſecatione inimicorum reſerari poſſit, ſuperbiamque in infernum deicit, qui haereditas hominum elatarum mentium eſt. Atque cum his, qui cum ea militant, in caelo dominatur, quia ſicut cum generibus vocum organa ad ſonum laudis convertuntur, ita Deus laudes hominum ad ſimilitudinem angelorum conſtituit, quoniam ut caeleſtis exercitus in conſpectu Dei ſuperbiam ſuperavit, ita & homines qui ſe a malis continent, ſuperbiam in ſemetipſis ſemper ſuperant. Homo namque opus dexterae omnipotentis Dei, quod ipſa operata eſt exiſtit, chorumque perditorum angelorum implebit, & ideo etiam in defenſione bonorum angelorum eſt. Et in his duobus ordinibus angelorum & hominum Deus valde delectatur, videlicet in laudibus angelorum, ac in ſanctis operibus hominum, quia cum his ſecundum voluntatem ſuam omnia perficit, quae ſic in æternitate praeſcita fuerant. Angelus autem coram Deo ſtabilis eſt, homo vero inſtabilis, & ideo convenienter opus hominis deficit; laudes autem angelorum non deficiunt. Caelum quoque & terra Deum tangunt, quoniam per ipſum facta ſunt, & ad gloriam Dei ſunt; ſed quia homo mortalis eſt, divinae revelationes quæ prophetis & ſapientibus aliquando manifeſtantur, velut umbra multoties obnubilantur. Cum autem homo ex mutabilitate immutabilis fuerit, tunc claritatem Dei cognoſcendo videbit, & cum Deo permanebit, quemadmodum David ſervus meus in voluntate mea dicit. V. VII.

Verba David ex Pſalmo LXII. *ad idem pertinentia, & quo ſenſu accipi debeant.*

XI. *Et in velamento alarum tuarum exultabo: adhæſit anima mea poſt te, me ſuſcepit dextera tua.* Hujus ſententiae intellectus hoc modo accipiendus eſt. In defenſione protectionum tuarum o Deus gaudebo, cum a gravedine peccatorum liberatus fuero; & quia deſideravit anima mea in bonis operibus venire poſt te, idcirco me alta ſuſpiria trahentem, & ad te vociferantem collegit potentia fortitudinis tuae, quatenus amodo ab inimicis meis ſalvus ſim. Nam ego opus ſum quod operatus es, quoniam ante antiquitatem dierum in ordinatione tua habuiſti, quod me

P. III. me hoc modo faceres, ut omnis creatura mihi adeſſet; & cum me creares mihi ſecundum te operari dediſti, ſicut etiam tu me feceras, unde tuus ſum, carnemque immaculatam ſicut te creatorem decuit induiſti, & ſic fimbriam veſtimenti tui dilataſti. Quapropter etiam cum laudibus caelum moviſti, illudque cum varietate omnis ornatus in circumcinctione angelorum circumdediſti, qui ad plenum mirari non poſſunt, cum ſe velut in circumcinctione cinguli laudum circumdant, quod hominem ſic feciſti, quia cingulo laudis illius qui caeleſtem gloriam recuſavit, cum ab ipſo evanuit, hominem circumcinxiſti, eumque indumento tuo ita firmaſti, ut amodo in laude non evaneſcat. Sed & angeli mirantur, quia de mortali Adam veſtimentum tuum tuliſti, quod tamen ideo feciſti, quatenus idem tranſgreſſor reviviſceret, & ut divina claritas quae nulla ſciſcitatione experimenti finiri poteſt, caeleſti angelo clareſceret dicens. Tu in conſpectu meo ſemper es, & ideo revocatione non indiges, ſicut ille qui per indumentum meum inventus es, quoniam ad plenum me non negaverat, cum per alium ſeductus fuerat. Cum enim ſimilitudinem meam quaeſivit mortalis factus eſt, unde & per cruciamenta indumenti mei revocandus erat, ne ſocietas fraternitatis tuae in ipſo periret, quia quamvis te ſine carne, & eum cum carne creaverim, utrumque tamen virum feci. Tali modo occulta divinitas, quae tota juſta eſt, & quae a nullo perfecte videtur, niſi quantum ſe ipſa revelare dignatur, angelo qui in caeleſtibus ſine caſu permanſerat ſe oſtendit. Ipſa namque in comprehenſione dexterae ſuae plenitudinem hanc habet, ut nullus, qui cum pupilla oculi fidei ipſam inſpicit pereat, quoniam illi qui eam oculo fidei non inſpiciunt, ab aſpectu ipſius evaneſcunt, ſicut & perditus angelus & ei conſentientes perierunt. Cum enim Deus omnia creaſſet, omnia etiam bene ordinavit, illis videlicet praemia meritorum, qui ad eum aſpiciunt; illos autem dijudicando, qui in eum reſpicere nolunt, ut praedictum eſt.

Quia per verbum ſine initio ex Patre ortum omnia creata, & per idem Verbum in Virgine carnem factum, homo redemptus ſit.

XII. Et haec omnia per filium Dei incarnatum revelata ſunt, quia qui in eum credunt ſalvabuntur, qui vero ſe ab illo avertunt condemnabuntur, quoniam ipſe non de radice terrae, ſed de integra virgine, per voluntatem Patris proceſſit, ante incarnationem ſuam cum patre omnia creans, poſt incarnationem vero ſuam hominem quem plaſmaverat ſalvans, quia formam hominis abſque peccato induit, & per eam hominem quem creaverat redemit; quod nullus alius facere potuit, quam ille qui hominem creaverat. Nam cum Adam ſimplex & lucidus filius eſſet, vigilans & dormiens extitit, quatenus per ſpiritum ſaperet, & per ſomnum caro illius requieſceret, & ſic in immutabilem terram voluptatis ductus eſt, ut per ſpiritum immortalitatem cognoſceret, & ne per exteriorem viſum oculorum inviſibilia negaret. Immortalis quidem vita nullam nebuloſam lucem habet, quemadmodum formatus oculus, qui per modicum tempus videt, quia illi tenebrae iterum accendunt, & hoc homo patitur, quoniam oculus ipſius nebuloſa pelle obductus eſt. Et pupilla oculi vitium interiorum oculorum qui carni ignotus eſt oſtendit; palpebra vero vitium carnis qui exterius funditur demonſtrat. In duobus itaque modis ſcientiae, omne opus hominis perficitur. Scientia namque interioris viſus hominem divina docet, ſed hoc caro prohibet, ſcientia autem obcaecata nocturnalia opera ſecundum viſum ſerpentis operatur, qui lumen non videt. Unde & ab operibus lucis quoſcumque poteſt avertit, ſicut & in Adam fecit, cum in ipſo lumen vitalis ſcientiae diſturbavit. Scientia quoque in Adam velut prophetia fuit, & haec uſque ad filium Dei hominem factum perduravit, ita quod ipſe

illam per ſe illuſtraret, quemadmodum ſol totam terram illuminat, & quod omnia quae praedicta ſunt, ſcilicet quae ante legem, & ſub lege facta dinoſcuntur, ſpiritaliter in ſe complevit, cum ſe totum ſuperno patri obtulit, ut etiam ſcriptum eſt. V. VII.

Verba David ex Pſalmo CIII. ad hoc ipſum ſpectantia, & quomodo intelligenda ſint.

XIII. *Qui ponis nubem aſcenſum tuum, qui ambulas ſuper pennas ventorum.* Hujus ſententiae intellectus hoc modo accipiendus eſt. Domine Deus tu es ille qui facis juſta & recta deſideria fidelium eſſe aſcenſum tuum, ita ut regnes in cordibus illorum, & qui etiam itinera tua dirigis ſuper verba & ſcripta doctorum, ubi illos excellis, quia ſine macula incedis, nullum delictum in te ſentiens. Quapropter & nubes aſcenſus tui ſunt, quas velut ſcalam tibi feciſti, cum per indumentum tuum o fili Dei eas aſcendiſti, quod de unica & integerrima Virgine, cujus clauſtrum nullus umquam aperuit, nec tetigit, aſſumpſiſti, quia velut ros in terram, ita in eam intraſti, nec de radice viri, ſed de divinitate radicatus es, quemadmodum radius ſolis terram confovet, ut germen ſuum proferat. Ex ipſa quoque ſicut in ipſam abſque omni corruptione & dolore, quaſi in ſomno exiſti, ſicut etiam Eva a dormiente viro ſumpta eſt, quam idem vir ſine vulnere cum gaudio inſpexit, & ita etiam unica Virgo filium ſuum in ſinu ſuo, cum gaudio amplexa eſt. Et Eva non ex ſemine, ſed ex carne viri creata eſt, quoniam Deus illam in eadem vi creavit, qua & filium ſuum in Virginem miſit, nec Evae virgini, & matri, nec Mariae matri, & virgini aliae poſtmodum ſimiles inventae ſunt. Hoc modo Deus forma hominis ſe induit, deitatemque ſuam cum illa obtexit, quæ angelis in caelo viſibilis eſt, quod habitaculum ejus exiſtit. Unde etiam & homo quem in altitudine & latitudine, ac in profunditate formaverat, habitaculum ejus eſt.

Quia filius Dei in his quæ per carnem geſſit vel pertulit, univerſa quæ & ante legem & in lege de ipſo vel typicis factis ſignificata, vel myſticis verbis prænuntiata ſunt compleverit, & quod poſt aſcenſionem ſuam inſtar duodecim ventorum, ſeu duodecim ſignorum cæli, miſſo ſpiritu duodecim apoſtolos roborans, & per prædicationem eorum mundum illuſtrans omnia in melius converterit.

XIV. Iſte filius Dei incarnatus, omnia praeterita miracula, quae eum praeceſſerant, in ſemetipſo complevit, ut ſupra dictum eſt. Nam in infantia ſua cum Herodes illuſus eſt a Magis, quaerens eum perdere, caſum antiqui ſerpentis oſtendit, qui caeleſtis ſtudebat perturbare. In pueritia autem ſua tempus quod ab Adam uſque ad Noe erat demonſtravit, cum contra ignorantiam Adae magnam ſapientiam in ſe habuit, ita ut eum nulla macula peccati tangeret, ubi etiam aeſtimatio diaboli qui hominem ex toto perditum eſſe putabat, per hoc decepta eſt, cum neſciret quod Deus humana forma indutus fuiſſet. Omnes enim qui eum tunc videbant & audiebant admirabantur dicentes. *Talia nunquam vidimus nec audivimus qualia in hoc puero ſunt*, ſcilicet quod in ſimplici & in indocta pueritia, magnae profunditatis ſapientia apparet. Haec dicentes neſciebant eum radicem eſſe ſcientiae angelorum & hominum, nec illum de quo angeli & homines radicati ſunt. Ipſe quoque in humanitate ſua texit illud quod per Adam defecerat, videlicet revelationem juſtitiae, quoniam omne opus ſuum patri ſuo adſcripſit, & ſicut arbor de viriditate radicis groſſos ſuos profert, ita & ipſe in divinitate de qua in humanitate radicavit, univerſa opera ſua perfecit, quia ab illa venit, & cum illa abſque omni diviſione eſt. Sed & in carne ſua in melius ſordida opera hominum reparavit, & doctrina ſua cum inſpiratione Spiritus

Digitized by Google

P. III. ritus Sancti, ſanctitatem eos induit, atque tali modo velut quodam diluvio dimerſos & peccatis mortuos, ad vitam juſtitiae revocavit, quemadmodum & ſub Noe praeſignatum fuerat. Idem autem filius Dei in carne juvenis apparens, tempus a Noe uſque ad Abraham cui circumciſio injuncta eſt in ſe declaravit, quoniam ipſe in aquam ſe mittens, illamque in corpore ſuo ſanctificans, magnas quoque virtutes faciens, oſtendit, quod homines poſt diluvium ſanctius quam ante diluvium viventes, atque inceſta quae prius dilexerant repudiantes, ab injuſtitia oblivionis Dei ceſſabant, itaut nuditas inceſti operis, in confuſionem duceretur. Caſtitas quippe in eodem filio Dei luxuriam conculcavit, atque fune magiſterii eam ligavit; ipſamque per abſtinentiam peccatorum ſibi ſervire coegit, quia ipſe filius Dei omnem juſtitiam per ſe oſtendens, & docens, eam per abſciſionem peccatorum in humanitate ſua perfecit, quemadmodum etiam circumciſio quae in uno loco ad confuſionem ſerpentis facta eſt manifeſtavit. Sed cum deinde carnalia praecepta quae per Moyſen data ſunt, in ſemetipſo compleſſet, ligaturam vinculorum, caeteraque opprobria paſſus, vivaque hoſtia in cruce pro ovibus ſuis factus, a ſaeculo declinavit, velut dies a nocte ſeparatur, quia poſtquam plurima ſigna fecerat, & per ſemetipſum multa occulta miracula oſtenderat, de terra ablatus eſt. In paſſione & in morte quoque ſua manifeſtavit Babilonicam poteſtatem, cum filii Iſrael in captivitatem ducti ſunt, ſicut & ipſe gentibus ad crucifigendum traditus eſt. Et tunc diſcipuli ejus triſtes effecti ſunt, ſicut & praefati captivi laetitiam deponentes, organa ſua in lugubres voces mutaverunt. Qui tamen a morte reſurgens, diſcipuliſque in quampluribus argumentis apparens, reverſionem praefatorum captivorum per hoc notavit. Atque ubi eoſdem diſcipulos ire in orbem univerſum juſſit, quatenus credentes baptizarent, & eos poſt aſcenſionem ſuam infuſione Spiritus Sancti confortavit, ne diverſis tribulationibus adverſariorum victi ſuccumberent, ſed ut illos glorioſis miraculis ſuperarent, veterem legem carnaliter finitam, ipſamque in ſpiritalem vitam eſſe converſam demonſtravit. Eos quoque quantum capere potuerunt docebat, quia eum nondum ut in divinitate ſua eſt, videre valebant, quemadmodum homo qui formam alterius inſpicit, ſed tamen animam ejus intueri non praevalet. Nam cum pater eum in cor ſuum unde exierat, & ubi nunquam deerat retraxiſ, ſicut homo anhelitum ſuum in ſe reducit, omnes exercitus angelorum, omniaque caeleſtia arcana eum Deum & hominem palam videbant. Unde & ipſe diſcipulos ſuos illo igne tangebat, de quo in ventre matris ſuæ conceptus eſt, fortiſſimamque vim ſuper vim leonis, qui beſtias non timet, ſed capit, in igneis linguis illis infudit, ne homines vererentur, ſed ut eos caperent. In aliam enim vitam quam prius non cognoſcebant Spiritus S. eos mutavit, ipſiramineque ſuo eos ita ſuſcitavit, quod ſe homines eſſe neſciebant. Atque in majore & fortiore parte ipſos viſitavit, quam ullum antea ſeu poſtea viſitaret, quoniam prophetæ plurima per Spiritum Sanctum loquebantur, multique plurima miracula poſt eoſdem diſcipulos faciebant; nullus tamen eorum igneas linguas videbat. Per hoc etiam quod exterioribus oculis igneas linguas videbant, interius ſic confortabantur, ut omnis timida motio periculorum eis ita in venis auferretur, quatenus in nullo periculo terrorem aut timorem haberent; quam fortitudinem divina vis ipſis in igneis linguis infixerat. Omnipotentem enim patrem decebat, ut hunc duodenum numerum quem filio ſuo conjunxerat conſervaret, quatenus iidem diſcipuli alios docerent, quæ ab eo audierant. Et ſic etiam Deus firmamentum conſtituit, & firmitatem ipſius cum flatibus duodecim ventorum, & duodecim ſignis currentium menſium compoſuit, & ut idem firmamentum omnia officia ſua cum igne perficit, ita & iſti in omnibus miraculis igne Spiritus Sancti firmati ſunt, quoniam doctrina eorum ut flatus ventorum in omnem terram exivit, & ut ſol illuxit, V. VII.
atque martyria ipſorum velut cum auſtro ardebant. Menſes enim curſum ſuum cum omnibus illis quae firmamentum ſuſtentant perficiunt, & Deus cum veridicis hominibus iſtis, omnia ſigna ſua in catholica fide complevit, ac decimum numerum qui homo eſt, quem dragma illa ſignificat, quam ſapientia invenit, per filium ſuum ad caeleſtia reduxit. Sic unigenitus Dei, & filius virginis cujus nomen eſt *Stella maris*, de quo omnia flumina exeunt, & ad quod iterum redeunt, quemadmodum & de eodem unigenito Dei omnes ſalvationes animarum venientes, iterum in ipſo manent, omnia quæ prædicta ſunt, quæ ante eum in lege, ſeu ante legem fuerunt, per ſemetipſum perfecit. Omnia quoque in meliorem ſtatum convertit, ita ambulans ſuper pennas ventorum, ideſt in præfatis mirabilibus excellens facta Patriarcharum, & verba Prophetarum, ac documenta, ſcriptaque omnium doctorum, atque in humanitate ſua ſuper omnem creaturam quæ homo eſt volans; omnemque creaturam a patre ſuo in hæreditatem accipiens, ut etiam diſcipulis ſuis loquebatur dicens.

Verba Chriſti in evangelio de poteſtate a Patre ſibi tradita loquentis & quomodo intelligenda ſint.

XV. *Omnia tradita ſunt mihi a Patre meo.* Hujus ſententiae intellectus hoc modo accipiendus eſt. Ego qui verbum, & filius Dei ſum a Patre meo exivi, a quo mihi tradita ſunt omnia quæ ipſe prædeſtinaverat, producens in formas, quemadmodum verba proferunt cogitationes quæ in corde latent. Ad quem iterum vado incarnationis meae diſpenſatione completa, opere ſcilicet quod mihi commiſit in eadem aeternitate, qua ſemper ante ævum cum ipſo eram inſeparabiliter manens, qui me propter numerum ſupplendum quem conſtituerat miſit. Et ſicut in excelſis creandi poteſtatem, ſic etiam in inferioribus mundi partibus quod creatum perierat, ab eo reparandi poteſtatem accepi. In vera namque Dei praeſcientia omnia ut futura erant aeternaliter latuerunt, quae poſtea per Verbum ſuum ſcilicet filium ſuum creavit; cui etiam liberandi quae creaverat, ac regendi poteſtatem commiſit, & ſic omnia filio ſuo tradita ſunt, qui ante aevum in deitate Patri coaeternus erat, & conſubſtantialis.

Quia Prophetarum verba ante incarnationem Domini obſcura & ignota intelligi non poterant; ſed Chriſtus ſecundum ea vivens in mundo, & haec adimplens intelligibilia reddiderit, & quod per aquam baptiſmi & originale, & actualia peccata in fide Trinitatis abluantur.

XVI. Filius namque Dei ambulabat ſuper pennas ventorum, quoniam Prophetae pennae verborum Spiritus Sancti fuerunt, quia ut Spiritus Sanctus eos inſpiraverat, ſic ipſa loquendo prophetabant. Atque in hoc exemplum eidem filio Dei dederant, quoniam ſecundum quod ipſi de eo praedixerant, ita & ipſe in mundo manens faciebat, hominemque humero ſuo ad caelos & ad paradiſiaca loca ut praefatum eſt reportavit. Supernam autem manſionem, & paradiſiacum locum Deus hoc modo conſtituit, ſicut homo qui aedificia ſubditis ſuis aedificat. Atque in haec eadem loca filius Dei animas fidelium in praecepto patris ſui a tartareis locis ereptas ſecum tulit, ut homo ille facit, qui civitatem ſuam cum paucis hominibus primum comprachendit, quam poſtea magna multitudine implet. Omnipotens itaque Deus ante incarnationem filii ſui haec omnia praeſignaverat, hominique creaturam ad operandum conceſſerat; ſed ſolus homo erectus viſu ſuo ſurſum ad caelum aſpicit, caetera autem animalia ad terram prona, & homini ſubdita ſunt, & ſic homo per rationalem ſpiritum inextinguibilis eſt; per carnem vero cum vermibus putribilis. Et pro-

propheta verbis infantium ſimilis erat quorum verba intelligi non poſſunt, ſed poſtquam maturiores fuerint, tunc verba ipſorum intelliguntur, & ſic ante incarnatum Dei filium prophetia ignota fuit, nec intelligebatur, in Chriſto autem aperiebatur, quia ipſe radix ramorum omnium bonorum exiſtit. Radix enim primum gramen profert, & gramen germen, deinde germen ramos, rami vero flores, & flores fructum, & ſic etiam & radix Adam oſtendit, gramen Patriarchas, germen Prophetas, rami Sapientes, flores vero legalia praecepta, fructus autem filium Dei incarnatum, qui per aquam fideles & credentes in remiſſionem peccatorum reduxit. Per aquam enim omnem blaſphemiam peccatorum mundavit, quae in Adam ſurrexit, & quemadmodum ignis per aquam extinguitur, ita & originale crimen ac caetera peccata in lavacro baptiſmi abluuntur, & quoniam Spiritus Sanctus in aquam venit, hominem per circumciſionem peccatorum mundavit. Animam quoque ejus, quae per deceptionem antiqui ſerpentis venenoſa fuit ſanctificavit, ita ut illa in communione verae fidei deinceps tabernaculum ipſius exiſtat. Quapropter de illo qui in baptiſmo remiſſionis peccatorum non abluitur, David inſpiratione mea loquutur dicens.

De radice & ejus operatione.

Verba David ex Pſalmo CIII. & de his qui in baptiſmo per infidelitatem remiſſionem delictorum non percipiunt, & de his qui in eo per fidem mundantur.

XVII. *Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox, in ipſa pertranſibunt omnes beſtiae ſylvae.* Hujus ſententiae intellectus hoc modo accipiendus eſt. O Deus & rector qui omnia juſte diſpenſas, tu poſuiſti recto juditio tuo tenebras poenarum ad vindictam malorum, de quibus etiam erecta eſt nox, quod perditio eſt reproborum, quia dum increduli in tenebris infidelitatis ſunt, tenebras mortis incurrunt. Et ſic deinde aeternaliter in perditionem ruunt, & in ipſa nocte fidei luce carente pertranſeunt omnes qui feroces ſunt in tyrannide, & infructuoſi in incredulitate, quoniam dum infidelitatem non deponunt, & ad te Deum per gratiam baptiſmi non currunt, quaſi nunquam fuerint, in oblivionem ibunt. Sed fidelis ille eſt, qui depoſita tenebroſitate incredulitatis, & fugata nocte aeternae damnationis pertranſit univerſos mores beſtiales, atque infructuoſas actiones, ſe ad vitam convertens, quam ille qui vita eſt attulit, diabolo quoque renuntians, & in lavacro baptiſmi ſe mundans. Filius enim Dei diſcipulis ſuis hominem in aqua regenerandum eſſe evangelizavit, alioquin in caelum non levaretur, niſi prius per aquam & Spiritum Sanctum a peccatis mundaretur, quia cum homo ſeminatur ex patre in matrem miſſus, & ex ea generatus, in baptiſmo inſpirationem Spiritus Sancti recipit, & ſic etiam particeps ſanctitatis fit; infidelis autem a ſanctitate proicitur, & in poenalia loca mittitur. Verba autem haec fideles devoti cordis affectu percipiant, quoniam per illum qui primus & noviſſimus eſt, ad utilitatem credentium edita ſunt.

EXPLICIT SEPTIMA VISIO.

INCIPIT VISIO VIII.

Viſio brevis de tribus imaginibus, & deſcriptio ſtatus, vel habitus earum, & de ordinibus ſanctorum coram eis apparentibus.

„ I. Vidi etiam quaſi in medio praefatae auſtralis
„ plagae tres imagines, duas videlicet in quo-
„ dam puriſſimo fonte ſtantes, circumſepto & ornato
„ ſuperius rotundo & perforato lapide, velut in ipſo
„ radicatae eſſent quemadmodum arbores in aqua
„ interdum creſcere videntur, alteram quidem pur-
„ pureo, altera autem candido fulgore ita circum-
„ data, ut eas perfecte intueri non poſſem. Tertia
„ autem extra eumdem fontem ſupra praefatum la-
„ pidem illius ſtabat, candida veſte induta, ejuſque
„ facies tanta claritate fulgebat, ut ipſa claritas fa-
„ ciem meam reverberaret. Et coram eis beati or-
„ dines ſanctorum velut nubes apparuerunt, quos
„ diligenter intuebantur.

Verba primae imaginis virtutis ſcilicet caritatis, magnificentiam operum ſuorum in angelis & hominibus, & in doctrina prophetarum & apoſtolorum enarrantis, & excellentiam virtutum ſapientiae & humilitatis ſumma laude extollentis.

II. Prima autem imago dicebat. Ego caritas viventis Dei claritas ſum, & ſapientia mecum opus ſuum operata eſt, atque humilitas quae in vivo fonte radicavit adjutrix mea extitit, ipſique pax adhaeret. Et per claritatem quae ego ſum vivens lux beatorum angelorum fulminat, quoniam ſicut radius a lumine fulget, ita claritas haec beatis angelis lucet, nec eſſe debuit quin luceret, ſicut nec lux abſque fulgore eſt. Ego enim hominem ſcripſi, qui in me velut umbra radicatus fuit, quemadmodum umbra cujuſque rei in aqua conſpicitur. Unde & vivus fons ſum, quia omnia quae facta ſunt velut umbra in me fuerunt, & ſecundum umbram hanc homo factus eſt cum igne & aqua, quemadmodum & ego ignis & aqua viva ſum. Quapropter & homo in anima ſua habet, ut quaeque ſecundum quod vult ordinet. Omne autem animal umbram habet, & quod in ipſo vivit, ut umbra in eo hac & illac vadit, & cogitationes in rationali animali ſunt, in brutis autem animalibus non, quoniam illa tantum vivunt & ſenſus habent quibus cognoſcunt quid fugere, vel quid appetere debeant; ſed tantum anima a Deo ſpirata rationalis eſt. Claritas quoque mea prophetas obumbravit, qui per ſanctam inſpirationem futura praedixerunt, ut in Deo omnia quæ facere voluit antequam fierent umbra fuerunt; ſed rationalitas cum ſono loquitur, & ſonus velut cogitatio eſt, & verbum quaſi opus. De umbra autem hac, ſcriptura *Scivias* proceſſit per formam mulieris, quæ velut umbra fortitudinis & ſanitatis erat, quoniam vires illae in ea non operabantur. Vivens itaque fons ſpiritus Dei eſt quem ipſe in omnia opera ſua dividit, quae etiam ab ipſo vivunt vitalem vitam per eum habentia quemadmodum umbra omnium in aqua apparet, & nihil eſt quod manifeſte hoc videat unde vivit; ſed tantummodo illud ſentit per quod movetur. Et ut aqua illud quod in ipſa eſt fluere facit, ſic & anima vivens ſpiraculum eſt, ſemper in homine manens, eumque ſciendo, cogitando, loquendo & operando quaſi manare facit. In umbra quoque hac ſapientia æquali menſura omnia metiebatur, ne aliud pondere ſuo aliud excederet, & ne etiam aliud ab alio in contrarium moveri poſſet, quoniam ipſa ſuperat & conſtringit, omnem diabolicæ artis malitiam, quia ante initium omnium initiorum fuit, & poſt finem eorum in fortiſſima vi ſua erit, nec ullus reſiſtere valebit. Nam nullum in auxilium ſuum vocavit, nec ullius eguit, quoniam prima & noviſſima fuit, nec ab ullo reſponſum accepit quia prima cunctarum rerum inſtitutionem operata eſt. Et in ſe ipſa, & per ſe ipſam conſtituit omnia pie & leniter, quae etiam a nullo inimico deſtrui poterunt, quoniam inceptionem & finem operum ſuorum excellenter vidit, quae omnia pleniter compoſuit, ita ut etiam omnia per ipſam regantur. Ipſa quoque opus ſuum inſpexit quod in umbra aquae vivæ in rectam conſtitutionem ordinavit, cum etiam per hanc prædictam & indoctam muliebrem formam quaſdam diverſarum rerum naturales virtutes, quaedamque ſcripta vitæ meritorum necnon & quædam alia profunda myſteria aperuit, quae illa in vera viſione videns valde debilitata eſt. Sed ante omnia

Scivias.

omnia

P. III. mnia hæc ſapientia verba prophetarum, verbaque aliorum ſapientium, nec non & evangeliorum in vivo fonte hauſerant, aeque diſcipulis filii Dei commiſerat, quatenus flumina vivae aquae per illos in totum orbem diffunderentur, quibus homines velut in rete ducti ad ſalvationem reducerentur. Fons utique ſaliens viventis Dei paritas eſt, & in ipſa claritas ejus reſplendet, in quo ſplendore Deus cum magno amore omnia complectitur, quorum umbra in ſalienti fonte apparuit, antequam Deus ea in formis ſuis prodire juſſiſſet. Et in me caritate omnia reſplenduerunt, ſplendorque meus formationem rerum oſtendit, ſicut umbra formam indicat, atque in humilitate quae adjutrix mea eſt, per juſſionem Dei creatura proceſſit, in eademque humilitate Deus ad me ſe reclinavit, quatenus arida folia quae ceciderant, in ea beatitudine relevaret, qua omnia quae vult facere poteſt, quoniam illa de terra formaverat, unde & poſt caſum ea liberavit. Nam homo pleniter factura Dei eſt qui caelum reſpicit & terram dominando conculcat, & omnibus creaturis imperat, quia per animam altitudinem caeli aſpicit. Quapropter & per illam caeleſtis eſt, ſed per viſibile corpus terrenus exiſtit. Deus itaque hominem in imis jacentem in humilitate collegit contra illum qui in confuſione de caelo projectus eſt, quoniam cum antiquus ſerpens per ſuperbiam ſcindere vellet angelorum concordiam Deus ipſam forti potentia ſua tenuit, ne per rabiem illius laceraretur. Sathan enim in altis gloriam magnam habens in ſe computavit ſe poſſe facere quaecumque vellet, ne ob hoc gloriam ſyderum perdere, ſed omnia habere volebat, & ideo cum ad omnia inhiaret, perdidit totum quod habebat.

Omnia perdidit omnia cupiens.

Quod quaecumque Deus operatus eſt in caritate humilitate & pace perfecerit, & expoſitio præſcriptæ viſionis ſub imaginibus harum trium virtutum oſtenſæ.

III. Iterumque vocem de caelo ad me dicentem audivi. Omnia quaecumque Deus operatus eſt, ea in caritate, in humilitate, ac in pace perfecit, quatenus etiam homo caritatem diligat, humilitatemque apprehendat, pacem quoque teneat, ne cum illo in interitum vadat, qui virtutes iſtas in primo ortu ſuo ſubſannabat. Nam vides etiam quaſi in medio praefatae auſtralis plagae tres imagines, duas videlicet in quodam puriſſimo fonte ſtantes, circumſepto & ornato ſuperius rotundo & perforato lapide, velut in ipſo radicatae ſint, quemadmodum arbores in aqua interdum creſcere videntur, quae in fortitudine ardentis juſtitiae tres virtutes in nomine Sanctae Trinitatis ſunt, quarum prima eſt caritas, ſecunda humilitas, tertia pax. Caritas quidem & humilitas in puriſſima divinitate, de qua flumina beatitudinis fluunt exiſtunt, quia hæ duae virtutes ad liberationem & erectionem hominis, qui in imis peccatorum depreſſus jacebat, unicum Dei filium per totum orbem terræ diffamatum demonſtrant, cum corpus ejus in cruce perforatum & ſepultum mirabili potentia divinitatis ſurrexit, lapidemque fortitudinis & honoris ſe eſſe oſtendit, quoniam omnia miracula quae idem filius Dei in mundo geſſit ad gloriam patris ſui reduxit. Nec eaedem virtutes a divinitate ſeparatae ſunt, ſicut nec radix ab arbore ſecernitur, quia Deus caritas exiſtens, in omnibus operibus & judiciis ſuis humilitatem tenet. Caritas enim & humilitas cum eodem Dei filio ad terras deſcendentes, eum ad caelos redeuntem reduxerunt. Altera quidem purpureo, altera autem candido fulgore ita circumdata, ut eas perfecte intueri non poſſis, quod deſignat caritatem in caeleſti amore velut purpuram ardere, humilitatem vero terrenas ſordes in candore rectitudinis de ſe excutere. Quod quamvis mortali homini difficile ſit per omnia imitari quamdiu vivit in carne, Deum tamen ſuper omnia diligere, & ſe in omnibus humiliare propter mercedem aeternorum non negligat. Quod autem tertia imago extra eumdem fontem ſupra præfatum lapidem illius ſtat, hoc eſt quod pax V.VIII.
quæ in caeleſtibus manet etiam terrena negotia, quæ extra cæleſtia ſunt defendit, quia ipſam filius Dei verus angularis lapis exiſtens attulit, cum totum mundum nativitate ſua illuminavit, & cum ipſum angeli in laudabili carmine ſuo Deum & hominem cognoverunt. Ejuſque facies tanta claritate fulget, ut ipſa claritas faciem ſuam reverberet, quoniam pax quae per filium Dei ſurrexit non ita ut in ſupernis eſt, in terrenis teneri poteſt, quia cum caeleſtia in ſtabilitate unanimitatis ſemper ſint, terrena in titubatione hac & illac projecta multotiens immutantur. Sed tamen homo qui opus Dei eſt ipſum laudabit, quoniam anima hominis in ſede erit, ut angelus eſt, quia dum homo in ſæculo vivit terram colit quomodo vult & quomodo deſiderat, Deumque oſtendit, quoniam ſecundum illum ſignatus eſt. Et coram eis beati ordines ſanctorum velut in nube apparent, quos diligenter intuentur, quia per caritatem & humilitatem ad gloriam ſupernae celſitudinis pervenitur, cum mentes fidelium quaſi nubes de virtute in virtutem fluunt, ubi etiam illos caritas & humilitas diligenti examinatione & tuitione conſiderantes, ad deſideria ſupernorum ſtrenue & leniter accendunt. Nam caritas ornatrix operum Dei eſt, quemadmodum anulus per nobilem lapidem ornatur; humilitas autem in humanitate filii Dei aperte ſe manifeſtavit, qui de integra ſtella maris ſurrexit. Et ipſe caſum primi hominis non extimuit, nec expulſio primi hominis eum exterruit, quoniam nullum peccatum ipſum tetigit, quia totus in divinitate radicatus fuit, ſed quidam qui eum videbant & cum eo ibant exaruerunt, & velut arida folia ceciderunt. Ipſe tamen in locum eorum alios germinare fecit, nec ullius hominis conſilium habuit, quomodo inimicos ſuos ſuperaret, qui ab eo voluntate propria ceciderant. Sed & otioſus non erat ſicut primus homo in caſu ſuo a bonis operibus vacabat, quoniam in glorioſiorem vitam, quam prius poſitus fuiſſet, hominem renovabat, nec in ſedem ſuperbiæ ſe reclinavit, quemadmodum diabolus qui hominem cum peſtilentia inobedientiae decepit, timoremque non habuit, quomodo hominem illi auferret, quia caput ejus valida fortitudine conterendum præſcivit. Praedictis quoque virtutibus eccleſia exornata & dotata in cubiculum regis ducebatur, ut ſcriptum eſt.

Verba David ex Pſalmo XLIIII. eccleſiam vario virtutum cultu decoratam commendantia.

IV. *Aſtitit regina a dextris tuis in veſtitu deaurato circumdata varietate.* Hujus ſententiæ intellectus hoc modo accipiendus eſt. O fili patris in deſponſatione catholicae fidei aſtitit eccleſia proſperitati ſupernorum deſideriorum dotata humanitate tua, quae rubore ſanguinis tui perfuſa eſt, circumamicta quoque multiplicibus virtutibus, quas de domo patris tui tulit, cum in amplexus dilectionis tuæ ſe poſuit. Iſta quippe deſponſatio per voluntatem omnipotentis Dei proceſſit, qui illam cum fulgenti opere perfecit, ubi a ſummo uſque ad imum hominem collegit, quem indumento juſtitiæ decoravit, cum filius Dei pro redemptione hominis in carne pati voluit. Homo enim opus dextrae Dei eſt, per quem ipſe veſtitus, & vocatus ad regales nuptias eſt, quas humilitas fecit, cum Deus altiſſimus in ima terrae reſpexit, & eccleſiam de communi populo collegit, quatenus ille qui ceciderat per pœnitentiam reſurgeret, ſeque in ſanctis moribus renovaret varietate virtutum quaſi viriditate florum adornatus. Superbia autem ſemper corrupta eſt quia unamquamque rem comprimit, dividit & abſtrahit, humilitas vero nulli quicquam rapit ſeu abſtrahit, ſed omnia in caritate retinet, & in ipſa Deus ad terras ſe reclinavit, atque omnes virtutes per ipſam collegit. Virtutes namque ad filium Dei tendunt, ſicut virgo virum repudiando Chriſtum ſponſum ſuum vocat, ipſæque humilitati adjunctae ſunt, cum eas ad nuptias regis perducit. Verba hæc

fide-

fideles devoto cordis affectu percipiant, quoniam per illum qui primus & noviſſimus eſt, ad utilitatem credentium edita ſunt.

EXPLICIT OCTAVA VISIO.

INCIPIT NONA VISIO.

Viſio de duabus imaginibus mirabili claritate fulgentibus, & deſcriptio habitus earum & de tenebris totum occidentalem aedificii plagam occupantibus, & de igne cum ſulphure & aliis tenebris uſque ad medium ſeptemtrionalis plagae ſe incurvante.

I. ,, DEinde prope ſeptemtrionalem angulum qui
,, verſus orientem reſpiciebat vidi imaginem
,, cujus facies & pedes tanto fulgore radiabant, ut
,, idem fulgor viſum meum reverberaret. Veſtem
,, autem quaſi ex albo ſerico induerat, & viridis co-
,, loris deſuper tunicam habebat, quae diverſis mar-
,, garitis ubique ornata apparebat, atque velut in au-
,, ribus inaures, in pectore monilia, in brachiis ve-
,, ro armillas portabat, quae omnia velut ex puriſſi-
,, mo auro erant, pretioſis lapidibus ornata. Sed qua-
,, ſi in medio ejuſdem ſeptemtrionalis plagae vidi a-
,, liam imaginem erectam ſtantem, formamque mi-
,, rabilem habentem, in cujus ſummitate ubi locus
,, capitis ejus eſſe debebat, tanta claritas fulgoris ra-
,, diabat, ut idem fulgor viſum meum repercuteret.
,, In medio autem ventris ipſius caput hominis ca-
,, pillos canos, barbamque habens apparebat, & pe-
,, des ejus ſimilitudinem pedum leonis imitabantur.
,, Sed & ſex alas habebat, quarum duae ab humeris
,, ſurſum aſcendentes, & ſe recurvantes adinvicem
,, ſe conjungebant, praedictamque claritatem tege-
,, bant; duabus autem a praefatis humeris uſque ad
,, verticem ſupradicti capitis deorſum ſe extendenti-
,, bus; duabus vero a lumbis ejuſdem imaginis uſ-
,, que ad talum pedum ipſius deſcendentibus, & ſe
,, aliquantulum quaſi ad volandum expandentibus,
,, reliquo corpore velut piſcium & non volatilium
,, pennulis per totum velato. Et in duabus alis quae
,, ſe ad verticem praefati capitis extendebant, quin-
,, que ſpecula apparebant, quorum unum in ſummi-
,, tate dextrae alae erat, in quo ſcriptum videbatur,
,, *Via & veritas*, & unum in medio ejus in ſe ſcri-
,, ptum habens, *ego oſtium omnium arcanorum Dei*
,, *ſum*, unumque in fine ipſius in quo ſcriptum con-
,, tinebatur, *oſtenſio omnium bonorum exiſto*, atque
,, in ſummitate ſiniſtrae alae unum erat in ſe ſcriptum
,, continens, *ſpeculum ſum in quo intentio electo-*
,, *rum conſideratur*, & unum in fine ejuſdem alae
,, ſcriptum habens, *nuncia nobis ſi tu es ipſe qui re-*
,, *gnaturus es in populo Iſrael*. Et imago haec dor-
,, ſum ad aquilonem verterat. Per totam autem oc-
,, cidentalem plagam velut teterrimas tenebras fumi-
,, gantes aſpiciebam, ſed prope angulum eidem pla-
,, gae qui verſus ſeptemtrionem erat, nigerrimus ignis
,, cum ſulphure & denſiſſimis tenebris ebulliens fere
,, uſque ad medietatem ſeptemtrionalis partis ſe re-
,, curvando extendebat. Audivique vocem de caelo
,, mihi dicentem.

Quia prima duarum imaginum ſapientiam inſinuet, & multipharia pulchritudo habitus ejus univerſa creaturae genera quam Deus in diverſis, rerum naturis & ſpeciebus condidit ſignificet.

II. Omnipotens Deus qui per ſapientiam omnia condidit, mirifica opera ſua diverſis ſignificationibus aperit, atque in donis ſuis mirabilis exiſtens, ea unicuique creaturae ſecundum quod vult dividit. Hominem quoque ad beatitudinem ſupernorum reducere volens, ei in mirabilibus figuris haec quae in caeleſtibus, & quae in terreſtribus, & quae in infernalibus manſionibus ſunt, prout vult congrue demonſtrat. Unde prope ſeptemtrionalem angulum qui verſus orientem reſpicit, vides imaginem cujus facies & pedes tanto fulgore radiant, ut idem fulgor viſum tuum reverberet, quoniam ubi ſtultitia finitur & juſtitia oritur, ſapientia verae beatitudinis manifeſtatur, cujus initium & finis humanum intellectum ſuperant, quia eadem luce praeſcientiae qua principium operis ſui inſpexit, eadem & finem ejus praevidit. Veſtem autem quaſi ex albo ſerico induit, quoniam hominem in candore & ſuavitate dilectionis amplectens, etiam filium Dei in decore virginitatis incarnatum oſtendit & quomodo hoc fieret homini ignotum eſt, ſed ſola divinitas hoc novit. Et viridis coloris deſuper tunicam habet, quae diverſis margaritis ubique ornata apparet, quia etiam exteriores creaturas ſcilicet in aere volantes, & in terra ambulantes, ſeu reptantes, ac in aquis natantes, quorum ſpiritus cum carne deficiunt, ſapientia non abicit, ſed eas vegetat & retinet, quoniam ſervitium homini impendunt, & ab eis paſcitur, & etiam ipſe velut ornatus in margaritis ejuſdem ſapientiae exiſtunt, cum naturam ſuam non excedunt, ut homine multoties rectam ſibi inſtitutam viam tranſgrediente. Atque velut in auribus inaures, in pectore monilia, in brachiis vero armillas portat, quae omnia velut ex puriſſimo auro ſunt, pretioſis lapidibus ornata, quoniam omnes creaturae illi obediunt, praeceptorumque ipſius recordantur. Unde etiam opera ejus comprehenſione plenitudinis ita muniuntur, ut nulla creatura ita imperfecta ſit, quod ei quicquam in natura ſua deſit, quin plenitudinem totius perfectionis & utilitatis in ſe habeat, & ſic omnia quae per ſapientiam proceſſerunt in illa quemadmodum puriſſimus & elegantiſſimus decor ſunt, ſplendidiſſimo quoque fulgore eſſentiae ſuae lucentia. Homo etiam complens praecepta mandatorum Dei, veſtis candida & ſuavis ſapientiae eſt, virideque indumentum per bonam intentionem & viriditatem operum multimodis virtutibus ornatorum, auriumque illius decor, cum ſe ab auditu malarum ſuſurrationum avertit, pectoris ejus munitio, cum illicita deſideria negligit, brachiorum quoque ipſius honor fortitudinis eſt, cum ſe a peccato defendit, quia omnia haec ex puritate fidei oriuntur, profundiſſimis donis Sancti Spiritus, juſtiſſimiſque ſcripturis doctorum decorata, ubi fidelis homo bonis operibus illa perficit.

Quod altera imaginum omnipotentem Deum deſignet, & quid claritas in loco capitis, quid hominis caput in medio ventris ejus apparens, quid etiam pedes ejus ſimilitudinem pedum leonis habentes exprimant.

III. Sed quaſi in medio ejuſdem ſeptemtrionalis plagae vides aliam imaginem, erectam ſtantem, formamque mirabilem habentem, quae contra fortitudinem injuſtamque aeſtimationem antiqui ſerpentis, omnipotentem Deum deſignat, in majeſtate ſua invincibilem, & in virtutibus ſuis mirabilem, quoniam profunditatem myſteriorum ejus nullus ad finem perducere poteſt. In cujus ſummitate ubi locus capitis ejus eſſe deberet, tanta claritas fulgoris radiat, ut idem fulgor viſum tuum repercutiat, quia excellentiam divinitatis, quae omnia illuminat, nullus dum mortali corpore gravatur videre poteſt, cum nec angeli aſpectui ejus ſemper aſſiſtentes ipſum ad finem perducere valeant, cum inſpicere aſſidue deſiderantes, quoniam Deus claritas illa eſt, quae nec eſſe incepit nec finietur. In medio autem ventris ipſius caput hominis capillos canos barbamque habens apparet, ſignificans quod in perfectione operum Dei antiquum conſilium ad ſalvationem hominis fuit, magnam dignitatem rectitudinis in ſe oſtendens, quam nemo dinumerare nec comprehendere poteſt, quemadmodum initium & finis rotae quae aequalem circulum habet, ab homine diſcerni non praevalet. Nullus enim homo illud finire poteſt, quod angeli comprehendere nequeant, quia aeternitas ante ipſos ae-

qua-

P. III. qualiter volendo & perficiendo fuit, nec ullius rei eguit, quoniam ſemper plena fuit. Unde & idem caput formam humani capitis habet, quia Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam fecit, & poteſtatem operandi illi dedit, quatenus quod bonum eſt operaretur, creatoremque ſuum laudaret, nec illius oblivisceretur. Deo etenim nullus ſimilis eſt, nec eſſe poteſt; ſed qui illi aſſimilari voluit deletus eſt, quia hoc eſſe non debuit. Cum autem Deus virtutem ſuam potenter oſtendere voluit, in alvum virginis reſpexit, & ſicut in die ſeptimo ab omni opere ſuo requievit, hominemque deinde operari inſtituit, ita & filium ſuum in utero virginis requieſcere fecit, cui & omne opus ſuum commiſit. Nam Spiritus Sanctus leni calore ſuo carnem virginis abſque omni incendio motus carnalis viri tetigit, quemadmodum ros ſuper gramen leniter cadit, ita ut flos ſcilicet filius Dei in carne ejuſdem virginis formam hominis aſſumeret, qui etiam multa tolerantia propter hominem crimina ejus ſuſtinuit. Nam in circumciſione ſua per baptiſmum hominem purgandum deſignavit, & in paſſione, ac in morte ſua illum de criminalibus peccatis redimendum, ac in aſcenſione ſua ipſum caeleſti regno aſſociandum demonſtravit, atque his modis numerum beatorum uſque ad tremendum tempus judicii complebit. Et pedes praedictae imaginis ſimilitudinem pedum leonis imitantur, deſignantes quod Deus divinitatem ſuam hominibus quamdiu mortales ſunt abſcondit, quibus tamen in legalibus praeceptis, & in aliis creaturis plurima bona oſtendit. Quae tandem omnia per filium ſuum velut cum pedibus leonum ad ſe trahet, & examinabit, ita ut tota terra concutiatur, & firmamentum evertatur, & mortalis homo ſic finem habens, rationem de operibus ſuis reddat, ubi & filium Dei immortalem videbit.

Quomodo ſex alis eadem imago circumamicta apparuerit, & quid figurent eaedem alae.

IV. Sed & ſex alas habet, quae ſex dierum opera ſunt, in quibus homo Deum invocando laudat, & ſeipſum adjutorio Dei procurat, quarum duae ab humeris ſurſum aſcendentes, & ſe recurvantes ad invicem ſe conjungunt, praedictamque claritatem tegunt, quae dilectionem Dei & proximi oſtendentes, & ſe per fortitudinem bonorum operum ſurſum erigentes, rigore depoſito, neceſſitati proximorum condeſcendunt. Myſteria etiam arcanorum Dei comprehendunt, quoniam & eaedem alae etiam caeleſtem militiam ſupernorum ſpirituum manifeſtant, quos Deus ad vultum ſuum poſuit, eos ſpecula miraculorum ſuorum conſtituens, cum vultum ipſius inſpiciunt, quem tamen nulla celebritate laudis, nec ullo termino ad finem perducere valent. Duabus autem alis a praefatis humeris uſque ad verticem ſupradicti capitis deorſum ſe extendentibus, vetus & novum teſtamentum ſignificatur, quae fortitudinem praeceptorum Dei portant, & ſe ad antiquum conſilium declinando extendunt, cum in veteri teſtamento prophetae filium Dei praedixerunt, quem in novo filii eccleſiae per devotionem fidei ſuſceperunt. Ipſe etiam poteſtatem Dei declarat, quae poſſibilitatem creandi & faciendi quae vult habet, quemadmodum & avis expanſis alis ſuis in altitudinem, in latitudinem, & in profunditatem volat, quoniam & Deus omnia caeleſtia ſecreta in recto itinere conſtituit, ita ut eorum ſplendor nunquam ceſſet, & in veritate ipſius nunquam finem habeant, ſicut nec veritas umbram falſitatis habet. Alis vero duabus a lumbis ejuſdem imaginis uſque ad talum pedum ipſius deſcendentibus, & ſe aliquantulum quaſi ad volandum expandentibus, praeſens ſaeculum & futurum oſtenditur, ubi in praeſenti generatio praeterit, & alia ſuccedit, & ubi in futuro ſtabilitas indeficientis vitae adveniet, cum circa finem mundi idipſum manifeſtabitur, terroribus & prodigiis quampluribus eamdem finem velut volando procurrentibus. Et V. IX.
lumbis ingluvies gutturis diabolici guſtum peccatorum & carnalium deſideriorum immittit, ubi cibi deſcendunt & emittuntur, & ubi carnis concupiſcentia in peccatis creſcit; ſed divina protectio eos defendit, & caſtitatem cum erectione bonorum operum ipſis tribuit. Nam Deus inceſtos actus qui per motum linguae ſerpentis in primis hominibus ſurrexerunt, poſtea per hominem unum conſtrinxit, qui potentibus alis virgineae naturae, officium luxuriae in mentibus hominum contra carnis jura contrivit.

Quid ſignificet, quod haec eadem imago toto corpore pennulis piſcium & non pennis volucrum velata videtur, & quod Dei filius diabolo neſciente mundum per carnem intraverit, & ad quid pater illum tantas paſſiones ſuſtinere voluerit.

V. Unde & reliquo corpore velut piſcium & non volatilium pennulis per totum velato deſignatur quod ſicut forma piſcium formae volatilium diſſimilis exiſtit, & ut occultum eſt quomodo piſces naſcantur, & qualiter creſcant, & aquae in quibus vivunt feſtinum curſum habent, & piſces etiam cum ipſis feſtinanter fluunt, ita quoque & filius Dei totus in ſanctitate natus eſt, & in aliena natura ſcilicet ab aliis hominibus ſeparatus, in juſtitia totus ſanctus fuit, in qua & hominem expanſis alis omnium bonorum operum in caelum reportavit, ſicut & in antiqua lege per ſigna ſacrificiorum multotiens praeſignatum fuerat, & ut per ipſum in virginea natura deinde completum eſt. Mox enim ut Adam noxiale pomum comedit, guſtum in peccatis concepit, ita ut peccare poſſet. Quapropter & paradiſiaca gloria ab ipſo receſſit, & in exilium miſſus eſt. Statim quoque diabolus luxuriam adverſus Deum protulit, & nativitatem hominum cum impudica confuſione evertit, atque in dolo ſuo cogitabat, quod homo qui in tantis ſordibus eſſet, regnum caelorum intrare non poſſet, quoniam fornicationis non eſſet populus Dei, nec ipſe Deus eorum. In ſpurcitiis namque motus carnis diabolus valde gaudebat, & intra ſe dicebat. Ego hominem de glorioſo loco ſuo dejeci, eumque in maximas ſordes miſi, & ideo nulla pars Deo in illo eſt, quia ipſe totus mundus nullam ſorditatem vult nec recipit. Quapropter & homo in loco meo remanebit. Sed Deus antiquum ſerpentem celavit, quomodo hominem liberare vellet, & ſpurcitias quae per dolum illius ebullierant, per filium ſuum abluit, & vulnera quae homini luxuria inflixerat per illum delevit. Iſtud Deus in medio potentiae ſuae in qua ante omnia initia fuit, & in medio noctis infernalis putei fecit, ſicut & in medio noctis per angelum percutientem ſignaverat, in medio videlicet potentiae ſuae, quoniam potens erat facere quaecumque voluit; atque in medio noctis, cum antiquus inimicus ſuperba opinione putabat, quod homines cepiſſent ſicut vellet, & ita tantam multitudinem hominum poſſediſſet, quaſi eos in medio cordis ſui haberet. Tunc filius Dei, ut praefatum eſt, diabolo neſciente occulte venit, atque humanitate ſua hamum illius quo homines capiebat confregit, quem etiam devictis hoſtibus ſuis pro ſigno triumphi in vexillum crucis ſuſpendit, & patri ſuo cum omni militia caeleſtis exercitus oſtendit. Unde & idem exercitus canticum novae laudis elevabat, gaudens quod tam magna multitudo beatarum animarum a tam truculenta captivitate liberata eſſet, quia praedictus Dei filius eas in locum beatitudinis collocaverat. Et quare omnipotens Deus unicum filium ſuum, qui nullum debitum in peccatis habuit, tantas paſſiones pati permiſit? Idcirco videlicet, ne antiquus deceptor ullam occaſionem adverſus Deum haberet, quia homo illi libenter conſenſerat, & quoniam praecepta illius per omnia ſecutus fuerat. Si enim homo peccator pro aliis hominibus occideretur, malignus ſpiritus diceret, quod ille

Nota de Chriſto, & ejus paſſione.

P. III. ille nullum liberare poſſet, quoniam de propriis peccatis arguendus eſſet, in quibus ei conſenſiſſet. Quapropter & nullam poſſibilitatem haberet, ut & ſibi & aliis funem captivitatis abſtraheret. Unde vivens Deus filium ſuum dedit, cujus forma ſimilis formae Adae fuit, quatenus per indumentum humanitatis ſuae hominem redimeret.

De quinque ſpeculis in diverſis locis duarum mediarum alarum ejuſdem imaginis apparentibus quid deſignent, & quomodo ſcriptura quae in eis oſtenſa eſt intelligenda ſit.

VI. Et in duabus alis, quae ſe ad verticem praefati capitis extendunt, quinque ſpecula apparent, quia in veteri & novo teſtamento, quae ad dignitatem antiqui conſilii reſpiciunt, quinque luminaria diverſorum temporum oſtenduntur; primum videlicet in Abel, ſecundum in Noe, tertium in Abraham, quartum in Moyſe, quintum in filio Dei, quae omnia hominibus ad viam veritatis lucent; cum etiam ipſe filius Dei clauſuram caeleſtium gaudiorum per paſſionem ſuam aperuit. Quorum unum in ſummitate dextrae alae eſt, in quo ſcriptum videtur: *via & veritas*; quod alta myſteria miraculorum Dei deſignat, quae nullus hominum per ſcientiam ſuam plenarie comprehendere valet, niſi quantum in circulo fidei capit, ſicut nec umbra in ſpeculo quicquam plus operatur, quam ei per formam demonſtratur, & quae ad ſalutem populorum viam juſtitiae ac veritatem rectitudinis oſtendunt, quatenus homo Deum timens, ad coeleſtia perveniat; velut etiam opera & finis Abel declarant. Et unum in medio ejus in ſe ſcriptum habet: *Ego oſtium omnium arcanorum Dei ſum*; quoniam in perfectione ſalutaris defenſionis manifeſtatio ſecretorum Dei declaratur, oſtendens quod omnipotens Deus in latitudinem totius creaturae miraculis ſuis ſe expandit; ſicut etiam a primo homine uſque ad noviſſimum multiplicia ſigna miraculorum perficit, videlicet prophetando, nunciando, & faciendo, nec in his ceſſabit, donec omnia quae facturus eſt compleat, quemadmodum nec in prima creatione creaturae requievit, antequam ex toto eam compleret, ſicut & in Noe variis ſignis praefiguravit. Unumque eſt in fine ipſius, in quo ſcriptum continetur, *oſtenſio omnium bonorum exiſto*, quia in fine illo finis diabolicae irriſionis eſt praemonſtratus, atque ortus cunctorum bonorum praefiguratus, deſignans etiam quod filius Dei formam hominis de ſimplici virgine eſſet aſſumpturus, & omnia bona per ſe completurus. Quod & liber vitae denuntiat, qui nunquam delebitur, in quo etiam caeleſtis Jeruſalem cum omnibus virtutibus ſuis deſcripta eſt, quas nullus enarrare valet; ſicut nec mirabilia Dei quiſpiam ad finem perducit, quae etiam omnia Abraham in circumciſione quam praecepto Dei complevit, fideliter praemonſtravit. Atque in ſummitate ſiniſtrae alae unum eſt in ſe ſcriptum continens: *ſpeculum ſum, in quo intentio electorum conſideratur*, quoniam in initio juſtitiæ cum ſuperna defenſio per virtutem electorum ſuorum iniquitatem opprimeret, tam ſimplex & pura devotio illorum apparuit, ut diabolicis artibus reſiſterent, & ſe vivum holocauſtum Deo offerrent. Quapropter & Sathan retrorſum projectus, Deum tam fortem ſuper inimicos ſuos cognovit, ut etiam in profundo inferni exterritus, eum per omnia contremiſceret. Unde & multi, qui in parte aquilonis per mortiferum pomum dormiebant, in ſpeculo timoris Dei per poenitentiam evigilaverunt, ſcilicet homicidae, adulteri, raptores, mendaces, ac alii quique peccatores Deum exorantes, quatenus eos ab antiquo hoſte liberaret. In poenitentia namque iſtorum Deus valde laudatur, quoniam omnes ordines poenitentium & fidelium hominum Deum in poteſtate ſua magnum cognoſcunt, qui eos ſic liberat, & peccata eorum delet. Quapropter & in eis valde delectatur, quia cum velut nox in peccatis mortales fuiſſent, quaſi purum diem per poenitentiam illos fecit. Unde & multo plus V. IX.
eum diligunt, a diabolo ſic erepti, quam ſi ereptione per poenitentiam non indiguiſſent, nec deinceps ab amore ejus torpeſcent. Itaque timor Dei omnibus tam electis ſimplicibus & innocentibus quam peccatoribus neceſſarius eſt, quoniam eos oportet timorem Dei prius habere, quam amorem ejus guſtent, & ideo etiam in praefato ſpeculo intentiones ipſorum velut ſcriptum apparent, quas Deus ſemper inſpicit. Et unum in fine ejuſdem alae ſcriptum habens: *nuncia nobis ſi tu es ipſe qui regnaturus es in populo Iſrael*, quia ubi vetus teſtamentum finitum eſt, & novum incepit, unigenitus meus apparuit, qui Sathan in inferiorem puteum inferni velut lapidem ſubmiſit, ita quod in nullo ventoſo flatu voluntatis ſuae ſpirare poterit, ut prius fecit, in quo facto idem filius meus electis ſuis aeterna praemia demonſtravit, quemadmodum ad Moyſen locutus ſum dicens.

Verba Dei in Exodo loquentis ad Moyſen OSTENDAM TIBI OMNE BONUM, *& quomodo de incarnationis Dominicae myſterio accipienda ſint.*

VII. *Oſtendam omne bonum tibi, & vocabor in nomine Domini coram te, & miſerebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit.* Rurſumque ait: *Non poterit videre faciem meam, non enim videbit me homo & vivet.* Et iterum: *Ecce inquit eſt locus apud me ſtabis ſuper petram. Cumque tranſibit gloria mea ponam te in foramine petræ, & protegam te dextera mea donec tranſeam, tollamque manum meam, & videbis poſteriora mea.* Hujus ſententiae intellectus hoc modo accipiendus eſt. Ego qui Dominus cunctorum ſum, quoniam per memetipſum ſum, tibi qui puro corde me colis, æternæ vitae beatitudinem quae omne bonum eſt oſtendam. Vocaborque Dominus coram te, qui creator omnium creaturarum ſum, cum tu Iſrael tunicam filii mei videris, quam Adae promiſi, quando eum nomine ſuo vocavi, & quando tenebroſam veſtem illi dedi, quia tenebroſus erat. Ob hoc etiam nullus hominum peccatis hominum gravatus vultum meum videre poteſt, quamdiu mortalis exiſtit, quoniam per ſuggeſtionem diaboli de nigredine aquilonis niger eſt, & ſicut quaeque lucida ab aquilone averſa ſunt, ſic claritas verae lucis ab Adam receſſit, cum per conſilium antiqui ſerpentis ad aquilonem reſpexit. Proinde quia mortalium nemo gloriam meam perfecte intueri potuit, per Prophetas meos loquendo miracula mea oſtendi, qui in umbra loquebantur, quae de luce formabatur, quae etiam obſcurior luce ſua erat, ſicut omnis umbra obſcurior ſubſtantia ſua eſt de qua procedit. Sol quoque & luna atque omnia ſydera homini obnubilata erant, itaut nudam claritatem illorum videre non poſſet; atque omnia ventorum ſpiramina illi ad videndum obtecta erant, & ideo quaſi in umbra dicebatur, ut praedictum eſt; *nuncia nobis ſi tu es ipſe qui regnaturus es in populo Iſrael*. Nam Spiritus Sanctus in populo ſuo prophetando protulit, quod per primam vocationem qua Adam vocatus eſt praefiguratum erat, quod liberator hominum venturus eſſet. Tunc filius Dei humanitate indutus venit, cujus claritatem divinitatis homines videre non poterant, cum eum quaſi alium hominem inſpicerent; ſed tamen ipſe in alia via quam homines viverent, ſcilicet ſine guſtu peccati eis ſe oſtendebat, ſic autem ut comederet, biberet, dormiret, & ſe veſtiret, nullam maculam delictorum habens. Judaei vero aliique multi ipſum videntes, filium Dei eſſe dubitabant, atque in hoc ſcientiam ſuam obnubilabant, nec mirabilia ipſius in fide capiebant; ſed in duritatem ſaxorum converſi ſunt, quemadmodum coluber in caverna petrae latet. Sed tamen ipſe dextra ſua quampluriمos Judaeorum & Paganorum cum innumerabili exercitu ſalvandorum obtinebit, donec omnia mirabilia ipſius pertranſeant, & tunc manum magni operis ſui levabit, omnibuſque amicis & inimicis ſuis poſteriora ſua demonſtrabit,

Adam cum ſplendidus eſſet obſcuratus factus eſt propter caſum.

P. III. bit, quatenus omnes cognoſcant, qualiter cum diabolo dimicaverit. Et tunc o Iſrael in illo fiducialiter confides, cujus miracula, ut Adam claritatem æternæ vitae fugiſti in ipſum non credendo; ipſeque tunc tibi erit ſub lingua tua, ut favus mellis, & ut cibus lactis in oſtenſione operum ſuorum, quae ad te colliges, & brachio tuo apprehendes querula voce dicendo: Ach, ach, *quam diu decepti ſumus*, & ſic adimplebitur quod me inſpirante ſcriptum eſt.

Item verba David ex Pſalmo XCII. ubi loquitur: MIRABILES ELATIONES MARIS MIRABILIS IN ALTIS DOMINUS. *& quomodo intelligi debeat.*

VIII. *Mirabiles elationes maris, mirabilis, in altis Dominus.* Hujus ſententiae intellectus hoc modo accipiendus eſt. Deus qui via & veritas eſt, ſub arcanis rectae conſtitutionis ſuae omnia ornamenta firmamenti cum mirabilibus elationibus maris poſuit, & cum mirabili elatione maris ornamenta firmamenti perfudit, eaque in aliqua parte ſecundum cæleſtia arcana in ſimilitudine ſpeculi poſuit; ſed ſicut umbra in ſpeculo nihil abſque forma ſua poteſt, ſic nec ornamenta firmamenti quidquam per ſe niſi per ſuperna ſecreta operari prævalent. Ornamenta quippe firmamenti de ſupremis arcanis reſplendent, quemadmodum fulgor ab igne procedit, quia ignis materia fulguris eſt, & fulgur pertranſit, ignis autem permanet; ita & ornamenta firmamenti pertranſeunt, cæleſtis autem armonia manendo perdurat. Quapropter & mirabilis in altis cælorum Dominus eſt, quoniam nulla tranſitoria res perfecte poteſt ea reſpicere, quæ nunquam tranſibunt, quia illa in deficiente perfectione ſunt. Sed Deus in ornamentis & in ſignis firmamenti hominibus cæleſtia demonſtravit, quatenus in ſpeculo fidei miracula ſua per hæc cognoſcant; & ſi prædicta ornamenta videre non valerent, ſcientia eorum caeca eſſet; ſicut etiam aquilo omni luce privatus, poſt ruinam diaboli nunquam claruit, qui quoniam honorem Altiſſimi ſubſannavit, ideo & ipſe nullum lumen retinuit. Mirabiles quoque elationes maris ſunt, cum homines qui in inſtabilitate hac & illac inundant, Spiritu Sancto accenſi a terrenis ad caeleſtia ſe elevant; & ſic etiam mirabilis in altis virtutibus Dominus, cum illos ad quaeque bona ita confortat, ut ſordibus vitiorum deinceps ſe ſuodere recuſent. Unde etiam Scriptura habet.

Item verba ejuſdem ex eodem pſalmo ubi dicit: ETENIM FIRMAVIT ORBEM TERRÆ QUI NON COMMOVEBITUR.

IX. *Etenim firmavit orbem terræ qui non commovebitur.* Hujus ſententiæ intellectus hoc modo accipiendus eſt. Deus cum pleno opere replevit orbem terræ, & ideo non commovebitur, quoniam ſi creaturis repletus non eſſet, quadam inanitate concuſſus moveretur. Omnis enim creatura locum ſuum qui ipſam miniſtrando portat replet; ſed Deus miracula ſua in homine operatur, orbemque terræ illi ad neceſſitatem corporis ſui commiſit. Ipſe etiam firmavit eccleſiam toto orbe terrarum diffuſam, quæ nulla tempeſtate adverſariorum conteretur, quamvis plurimis tribulationibus multotiens fatigetur. Nam miracula ſua Deus in illa aſſidue perficit, nec in hoc ceſſabit, quo uſque numerus electorum ſuorum cum caeleſti armonia compleatur. Vultus autem divinitatis ſuper armoniam iſtam eſt, nec ipſa ullo fine terminari poterit, nec quicquam per ſe ſed per oſtenſionem vultus divinitatis facere valet, ſicut nec umbra in ſpeculo apparens aliquid per ſe facit, ſed per formam ſuam de qua procedit. Et cæli dicuntur qui Deum inſpiciunt, cælique qui eum prophetant, cælum quoque fuit, quod filius Dei in humanitate ſe oſtendebat. Caeli autem illi nominantur, qui de ſplendore vultus Dei quemadmodum ſcintillæ ab igne reſplendent, & in quibus Deus omnes inimicos ſuos ſuperavit. Sed cum Deus caelum & terram creavit, in medio eorum hominem poſuit, quatenus eis dominando imperaret, & hoc medium ſecundum medium illud eſt, quo filius Dei in medio corde patris eſt, quia ut conſilium a corde hominis, ita & filius a Patre Deo exivit. Nam cor conſilium habet, & conſilium in corde eſt, & unum ſunt, nec ulla diviſio ibi eſſe poteſt. V. IX.

Homo eſt in medio cæli & terræ ut verbum in corde Patris.

Quia in eo quod præſcripta imago dorſum ad aquilonem verterat hoc deſignetur quod Deus conſilium incarnationis filii ſui & redemptionis humanæ a diabolo & omnibus ſpiritibus malignis abſconderit.

X. Et imago hæc dorſum ad aquilonem verterat, quoniam omnipotens Deus cunctos aquilonis amicos celavit, quod cum filio ſuo facere voluit, & ſicut illos retrorſum dejecit, ne ullum lumen viderent, ita in nulla ſcientia opus filii Dei videbant, & quoniam haec omnia Deus per antiquum conſilium ordinaverat, idcirco illis abſcondita erant. Per vim enim zeli Dei diabolus in abyſſum dimerſus eſt, omnemque lumen illi ablatum eſt, itaut jam nullum fulgorem beatitudinis videat, quia omnino excaecatus eſt, quoniam ſimilitudinem illius qui de nullo, ſed qui per ſemetipſum eſt habere voluit, & licet inutili timore judicia Dei nunc ſentit & eis reſpondet, illa ſcilicet quae ad ipſum pertinent puniendo. Nam in timore judiciorum Dei novit, quod Deo nequaquam reſiſtere poteſt; ſed tamen ramos operis illius abſcindit, ſicut in primis hominibus fecit, illos videlicet ſeducendo, qui ei ex toto corde conſentiunt. Propter quod etiam in perditionem vadunt, quia idem hoſtis ſemper rugit ut animas devoret, nec ab hoc furore ullo taedio ceſſat. Deus autem in magnis præconiis & multis ſignis occultam divinitatem ſuam hominibus oſtendit, atque per ſapientiam in creaturis multa eis demonſtravit, in quibus ſecreta divinitatis ipſius cognoſcant, quemadmodum homo multas formas per ſcientiam ſuam coloribus depingit. Sed & ſicut antiquus ſerpens in caſu ſuo Deo reſiſtere non potuit, ſic etiam nec contradicere valuit, quin Deus ſupernum chorum in majore laude per filium ſuum cum animabus juſtorum reſtitueret, de quo illi ceciderunt, qui opus ejuſdem filii Dei ante noviſſimum diem pleniter ſcire non poterunt, & qui tunc de caeleſti exercitu magnam confuſionem ſuſtinebunt, quia locus eorum in majore benedictione replebitur, quam ante fuiſſet. Filius enim Dei ut prædictum eſt in aliena via præ aliis formoſus proceſſit, proles virgineæ naturæ exiſtens, quoniam prima virgo per ſerpentinum conſilium corrupta eſt; Virgo autem Maria tota ſancta fuit, quæ de Spiritu Sancto filium concepit, & virgo peperit, virgoque permanſit. Hæc nativitas per antiquum conſilium prædeſtinata erat, & tota ſpiritalis in divinitate occultata latebat, nec in ſcientiam hominum volavit, eo quod non multiplex, ſed unica in divinitate eſſet, ubi idem Dei filius ante antiquitatem dierum ex patre natus extitit, quoniam pater eum hominem fieri in voluntate ſua ſemper habuit. Qui in aliena natura humanitatis veniens, ſiniſtram partem Leviathan evertit, cum mille vitia peccatorum de gutture illius per opera caſtitatis abſtraxit, quia abſtinentia, & contritio peccatorum alae caſtitatis ſunt, in quibus virgines & poenitentes propter dimiſſa peccata carnalium deſideriorum ad deſponſationem agni volant, quoniam & filius Dei virginis filius virginitate coronatus, poenitentes ad ipſum currentes ſuſcepit. Ab initio enim indumenti humanitatis ſuae omnia ſpiritalia in homine operabatur, quae etiam uſque ad noviſſimum diem perficiet, & haec in medio potentiae ſuae ſunt, non per numerum dierum, ſed per vim operis ſui, ac ea in recta ſtatera habet, ita ut per nullam illuſionem ſuperari poſſit. Nam in humanitate ſua ſuper pennas ventorum volavit, & ſicut aquila in ſolem, ſic ipſe in faciem

Nota de Virgine Maria.

patris

Digitized by Google

P. III. patris abexit, quia ſicut Abraham circumciſionem carnis acceperat, per quam ſpiritalis vita quam aqua ſignificat intelligitur, ut piſces in aqua vivunt, ita etiam anima hominis per baptiſmum circumciditur, atque in aqua ſpiritaliter ad vitam regeneratur, in qua in aeternum in ſede beatitudinis vivet, quemadmodum etiam de ſede majeſtatis Dei dicitur.

Verba David ex Pſalmo CI. ubi ſcriptum eſt: Dominvs in caelo paravit sedem svam, & quo ſenſu accipienda ſint, & brevis recapitulatio de incarnatione Domini.

XI. *Dominus in caelo paravit ſedem ſuam, & regnum ipſius omnibus dominabitur.* Hujus ſententiae intellectus hoc modo accipiendus eſt. Filius Dei qui dominus hominum, dominus angelorum, dominuſque omnium virtutum eſt, in caelo beatitudinis paravit ſedem ſuam, quemadmodum cogitatio hominis inſtrumentum operis ſui ſecundum deſiderium ipſius operatur; & ut omne opus ſecundum voluntatem eius perficit, nec in ulla re idem filius a patre ſuo receſſit ut Adam fecit, qui in lacum mortis cecidit. Unde etiam regnum ipſius omnibus videlicet in caelo & in terra dominabitur, ubi inimicos ſuos ut ſcabellum pedum ſuorum conculcabit, quia caro ipſius per guſtum peccati in terra nunquam tacta eſt, ac ideo etiam nullus dolor eum evicit; ſed per durum & aſperum paſſionem omnia terrena ſuperavit. Quem autem deceret liberare hominem, niſi igneum filium Dei, qui de caelo ad terras deſcendit, & de ipſis ad caelos aſcendit, & qui rore divinitatis ſicut guttam mellis ſupernam gratiam ſuper populum ſuum ſtillat, ita ut fideles nunquam ab invicem ſuperari poſſint? Omnia enim opera bona pater in filio ſuo operatus eſt, quod in nullo alio fieri potuit, quoniam ipſe ut praefatum eſt a patre nunquam receſſit, ſicut nec ſplendor ſolis a ſole ſeparatur. Ipſe itaque pro liberatione hominis ad terras venit, hominemque redemit, quem nemo alius redimere potuit, quia pater eum ſic venire diſpoſuit, velut propheta David Spiritu Sancto inſpirante dicit.

Docuit Christum liberare hominem.

Ad idem.

Item verba ejuſdem ex Pſalmo LXXI. ubi legitur: Descendit sicvt plvvia in vellvs, & quod hoc quoque ad incarnationem Domini referendum ſit.

XII. *Deſcendet ſicut pluvia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram.* Hujus ſententiae intellectus hoc modo accipiendus eſt. Adam in conſilio diaboli per tranſgreſſionem praeceptorum Dei mortalis fuit, & ideo filius Dei deſcendit, velut ros ſuavitatis in alvum virginis, quae ſuavis, mitis, & humilis, ut ovis in moribus ſuis erat, quatenus hominem de morte ſuſcitaret, ſicut & per everſionem terrae per aratrum fructus in pluvia ſuſcitatur. Aratrum quippe praeceptum legis eſt, quod in humanitate ſua idem filius Dei hominibus dedit, ut in cognitione praecepti hujus ad vitam reſuſcitarentur, & ſecundum exemplum ſuum quaſi cum aratro carnalia deſideria in ſemetipſis everterent, & etiam ſic per exempla ſanctorum operum fructuoſi fierent, de die in diem perficiendo, quemadmodum ipſe eos praeceſſerat. Et hoc modo ſtillicidia ſuper eos mittebat, agrumque virtutibus plenum ex ipſis faciebat, quem benedixit, & fructibus omnium bonorum ſcilicet caſtitate, continentia, & patientia, & caeteris beatitudinibus replevit.

Quia tenebrae ad occidentalem plagam viſae itemque ignis cum ſulphure aliiſque denſioribus tenebris ad ſeptemtrionalem praeſcripti aedificii partem oſtenſus, ubi in exteriori mundo poenalia loca ſint, in quibus peccatorum animae crucientur demonſtrent, & etiam interiorem eorumdem peccatorum caecitatem, qua per infidelitatem obſcurantur ſignificet. V. IX.

XIII. Per totam autem occidentalem plagam velut teterrimas tenebras fumigantes aſpicis, quoniam ibi poenalia loca ſunt, quae diverſa genera tormentorum in ſe habent, quia cum homo per declivia peccatorum ad occidua tendit, caecitatem infidelitatis per nequitiam malum vaporem emittentem ſibi attrahit; & ſic etiam earumdem tenebrarum poenas incidens, ſe ipſum in confuſionem mittit, cum creatorem ſuum negligit. Sed prope angulum ejuſdem plagae, qui verſus ſeptemtrionem eſt, nigerrimus ignis cum ſulphure & denſiſſimis tenebris ebulliens, fere uſque ad medietatem ſeptemtrionalis partis ſe recurvando extendit, quia idem locus eſt poenalis profunditas, & lacus perditionis animarum illorum, qui Deum contemnentes eum bonis operibus ſcire noluerunt. Quapropter & ibi acer ignis cum amaritudine ſulphuris, & inextricabilibus tenebris evaporat, & ad deſtinata loca ſe dilatat, ita ut diverſitatem earumdem poenarum humana ſcientia ad perfectum ſcire non poſſit, quamdiu homo in mortali ſaeculo vivit. Homo quoque cum ad occaſum infidelitatis pervenerit, quae ad perditionem reſpicit, ita ut nec juſta opera nec Deum diligat; ignis perverſitatis cum acerbitate & caecitate morum illi occurrens, ad plenitudinem infelicitatis & ſubmerſionis eum perducit, ita ut ſpem vitae non habentem, perditio ipſum per omnia in ſe trahat. Nam homo qui ſtultitiam ſequitur, & ſapientiam per quam Deus omnia creavit abominatur, ſe ipſum condemnat, cum nullam moderationem in malis habens, de futura vita nihil cogitat, nec ſi alia vita ſit ſcire deſiderat, nec quomodo mutabilis ſit perſpicaciter perpendit. Infantiam enim ſuam & pueritiam, juventutem & maturam aetatem homo capere valet, quid vero in decrepita aetate de ipſo fiat, nequaquam comprehendere poteſt, aut quomodo mutandus ſit. Per rationalitatem quippe animae ſe initium habere cognoſcit; ſed quomodo ſit quod anima non moritur, & quod finem non habet, nequaquam ſcire aut capere poteſt.

Infernus eſt in Septemtrionali parte.

Quia Deus omnia per ſapientiam ad confutandam diaboli malitiam fecerit, & ut cum ſit inviſibilis ab homine per fidem intelligeretur, & per opus ſuum cognoſceretur; & quid ordinationem totius operis ſui ante aevum in ſe ipſo habuerit quod temporaliter condidit, in hoc quoque hominem ſecundum ſe conſtituens ut prius in ſe cogitando diſponeret, quidquid poſtmodum operando exerceret.

XIV. Deus itaque per ſapientiam firmamentum poſuit, & hoc cum viribus ſyderum velut cum clavis compilavit, ſicut & homo domum ſuam cum clavis firmat ne cadat. Sydera etiam lunae aſſunt, quae de ſole accenditur, & in defectu ſuo lumen ſyderibus ſtillat, & quam utique ſapientia in antiquo conſilio foecundam cum ſole homini fecit, qui omnis creatura eſt, cum illa ſuccum terrae infundit, ſed ſol divinitatem, luna vero innumerabilem numerum humani generis deſignat, & haec omnia ornatus ſapientiae ſunt. Firmamentum quoque ſedes omnium ornamentorum ſuorum eſt, ſicut & homo ſedem habet, quae terra eſt, quae illum ſuſtinet; illudque Deus cum ornatu ſuo ad laudem ſuam poſuit, ſicut ſapientia hoc praeordinaverat. Unde & creatura ipſi ſapientiae quaſi veſtis fuit, quoniam opus ſuum tetigit, ſicut & homo veſtem ſuam ſentit. Si autem homo ſic creatus eſſet, ut veſtibus carere poſ-

Digitized by Google

P. III. ſet, tunc opere non indigeret, nec ullo miniſterio honoraretur, niſi quod tantum corpus tegimen animae eſſet, & per animam moveretur. Deus quoque videri non poteſt, ſed per creaturam cognoſcitur, quemadmodum etiam corpus hominis propter veſtes videri non poteſt. Et ſicut interior claritas ſolis non cernitur, ita nec Deus a mortali creatura videtur, ſed per fidem intelligitur, velut etiam exterior circulus ſolis vigilantibus oculis aſpicitur. Et omne opus quod ſapientia inſtituit, hoc contra malitiam diaboli fecit, quia ille omne opus ipſius ſemper odio habuit & odit, uſque in finem pleni numeri, cum ipſe in tanta fortitudine percuſſus peribit, ut deinceps adverſus Deum praeliari non tentet. Omnis quoque ordinatio ſapientiae ſuavis & lenis exiſtit, quoniam ipſa tunicam ſuam in ſanguine agni qui miſericors eſt lavat, cum ſordibus aſperſa fuerit; quapropter & ſuper omnia ornamenta creaturarum amanda eſt, omnibuſque ſanctis animabus amabilis videtur, quia in amplexione aſpectus ejus nunquam extaediari poterunt. Quemadmodum etiam ſapientia ordinavit ſpiritus in homine vivit & vigilat, nec ullatenus finietur, ſed quamdiu homo in corpore vivit, cogitationes ipſius ſupra numerum in eo multiplicantur, ſicut etiam ſonus laudis in angelis innumerabilis eſt. Cogitatio quoque in juventute hominis vivit, & ipſe illam verbo rationalitatis emittit, ac per eam opus ſuum operatur, quod tamen in ſe nequaquam vivit, quoniam ille initium habuit. Sed aeternitas in ſemetipſa vivit, nec unquam in defectu apparuit, quia ante aevum aeternaliter vita fuit. Cum autem anima in immortalitatem mutatur, poſtmodum anima non vocatur, quoniam per cogitationes cum homine tunc nihil operatur, ſed deinceps in laudibus angelorum eſt qui ſpiritus ſunt. Unde & ipſa etiam tunc ſpiritus vocabitur, quia cum corpore carnis deinceps non laborabit. Merito autem homo vita dicitur, quoniam cum per ſpiraculum vivit vita eſt, ſed & cum per mortem carnis in immortalitem mutatur, in vita erit; poſt noviſſimum quoque diem cum corpore & anima in aeternitate vita eſt, quoniam cum Deus hominem plaſmavit, occulta myſteria ſua in ipſo clauſit, quia ſciendo, cogitando, & operando ad ſimilitudinem Dei factus eſt. Divinitas enim ordinationem omnis operis ſui in ſemetipſa habuit, quemadmodum illud fieri deberet, & ſecundum hoc hominem ut cogitare poſſet conſtituit, ita ut ille omnia opera ſua in corde ſuo primitus dictet, quam faciat quia clauſura mirabilium Dei eſt. Deus namque ordinat, homo autem cogitat, angelus vero ſcientiam habet, in qua ſemper cum voce laudis & cum dilectione honoris Dei ſonat, nec aliud quam in Deum perſpicere & ipſum laudare deſiderat. Et Deus ante aevum abſque omni ceſſatione operis quod facturus erat in ſe habuit, & ſic homo qui clauſura miraculorum ejus eſt, cum oculo fidei ipſum cognoſcit, eumque cum oſculo ſcientiae amplectitur, quem oculis carnalibus videre non poteſt, atque ſecundum ipſum operatur. Angelus etiam electa opera ejus Deo cum odore bono offert, quae ille ad ſuperna per bonam voluntatem mittit, viliaque opera quae in aliam viam magis quam ad Deum aſpiciunt, etiam idem juſto judici demonſtrat. Verba autem haec fideles devoto cordis affectu percipiant, quoniam per illum qui primus & noviſſimus eſt, ad utilitatem credentium edita ſunt.

Anima & Spiritus Dei ſunt.

EXPLICIT NONA VISIO.

V. X.

INCIPIT DECIMA VISIO.

Viſio extrema, in qua rota multa amplitudinis oſtenſa, qualis eſſet diligenter deſcribitur; iterumque imago caritatis ſub alio ſchemate conſpicitur.

„ I. DEinde juxta montem quem velut in medio orientalis plagæ conſpexi, ut prædictum eſt, quaſi rotam mirae amplitudinis ſimilitudinem candidae nubis habentem, & ad orientem verſam vidi, quam in medio in tranſverſum, ſcilicet a ſiniſtro latere uſque ad dextrum latus ſuum linea obſcuri coloris velut halitus hominis eſt diſtinguebat, ita ut etiam ejuſden rotæ medietatem quæ ſuper eamdem lineam erat, alia linea quemadmodum aurora rutilans, a ſummitate ipſius rotae uſque ad medietatem præfatæ lineæ deſcendens oſtenderet. Superior autem pars medietatis ejuſdem rotae a ſiniſtro latere uſque ad medietatem ſui quaſi viridem colorem emittebat, & a dextro latere uſque ad medietatem ſui velut rubens color fulgebat, ita ut hi duo colores æquali menſura ſpatiorum inter ſe dividerentur. Medietas vero ejuſdem rotæ, quæ ſub prædicta linea in tranſverſum ducta erat, colorem pallidum quadam nigredine intermixtum demonſtrabat. Et ecce in medio ejuſdem rotae in praefata linea iterum vidi imaginem, quae caritas mihi prius denominata eſt ſedentem; alio tamen ornatu eam tunc apparentem, quam prius vidiſſem. Nam facies ejus ut ſol lucebat, tunica autem ipſius ut purpura fulgebat, & torquem auream pretioſis lapidibus decoratam circa collum ſuum habebat; calciamentis claritatem fulguris ex ſe reddentibus induta. Sed & ante faciem ejuſdem imaginis quaſi tabula ut criſtallus perlucida apparebat, in qua ſcriptum erat. *Pulchram formam argentei coloris manifeſtabo, quia divinitas quæ initio caret magnam claritatem habet*; ſed unumquodque quod initium habet ambiguum in terroribus eſt; nec ſecreta Dei in plena ſcientia capere poteſt. Et imago haec prædictam tabulam inſpiciebat. Unde & linea in qua ſedebat movebatur, & mox ubi eadem linea prædictæ rotæ in ſiniſtra ejus parte conjuncta videbatur, exterior pars ipſius rotæ per breve ſpatium aliquantulum aquoſa, & deinde aliquantulum ultra medietatem medietatis ejuſdem rotæ, quæ ſub præfata linea in tranſverſum ducebatur rubicunda, & poſtmodum pura & lucida, & tandem velut turbida & procelloſa tempeſtas efficiebatur, ſcilicet prope finem ejuſdem medietatis, ubi præfata linea ejuſdem rotæ affixa erat. Audivique vocem de caelo mihi dicentem.

Quia Deus vere unus dici non poſſet ſi ſibi ſimilem ex natura haberet, & quod præmonſtrata rotæ qualitas ipſum Deum initio & fine carentem ad omnia bona paratum oſtendat, & quomodo tota ejuſdem rotæ deſcriptio ad æternitatem vel poteſtatem Dei ſeu animarum ſalutem referatur.

II. O Homo audi & intellige verba illius qui erat, & qui eſt abſque officio mutabilitatis temporum, quia in ipſo hoc antiquum conſilium fuit, quod diverſa opera facere voluit; & hoc quaſi radium ſolis ante antiquitatem dierum inſpexit, quoniam futura erant. Nam Deus unus eſt, & huic unitati nihil ſe conferre poteſt, ſed ipſe praeſcivit, quia quoddam opus quod facturus erat, ſimilitudinem hujus unitatis ſibi uſurpare tentaret. Unde & illi obſtaculum repercuſſionis oppoſuit, quoniam ipſe illa unitas eſt, quae nullum ſibi ſimilem habet, alioquin unitas nominari non poſſet; Et ideo etiam illum a ſe abicit, qui ſimilitudinem hanc perverſe appetit, & ſic quaelibet rationalis anima in homine quae de illo qui verus Deus eſt exiſtit, ut quod ſibi placet

P. III. cet eligat, & quod ſibi diſplicet abiciat, quia quid bonum ſeu quid nocivum ſibi ſit cognoſcit. Sed quamvis Deus unus ſit, in vi tamen cordis ſui opus quoddam praeſcivit, quod magniſice multiplicavit; ipſeque Deus ille vivens ignis eſt, per quem animae ſpirant, & ante initium fuit, & etiam initium & tempus temporum exiſtit. Hæc omnia praeſens viſio manifeſtat. Nam juxta montem, quem velut in medio orientalis plagae conſpicis ut praedictum eſt, quaſi rotam mirae amplitudinis ſimilitudinem candidae nubis habentem, & ad orientem verſam vides, quae Deum initio & fine carentem, ſed mitem in operibus ſuis exiſtentem, & ad omnia bona paratum oſtendit. Quam in medio in tranſverſum ſcilicet a ſiniſtro latere uſque ad dextrum latus ſuum linea obſcuri coloris velut halitus hominis eſt diſtinguit, quia perfecte per principium caduci mundi, & per finem ejus ad aeternitatem tendentem voluntas Dei apparet, cum temporalia ab his quae aeterna ſunt ſequeſtravit; ita ut etiam ejuſdem rotae medietatem quae ſuper eamdem lineam eſt, alia linea quemadmodum aurora rutilans a ſummitate ipſius rotae uſque ad medietatem praefatae lineae deſcendat. Per hoc oſtenditur quod perfectionis Dei plenitudinem quae in caeleſtibus per voluntatem ipſius temporalia excellens exiſtit, divina ordinatio ad quaelibet bona directa, & quaſi quodam fulgore indeficiente, ante principium mundi, & poſt finem ejus, & in ipſis mundi temporibus mirabiliter apparens, ad omnem juſtitiam paratam eſſe manifeſtat. Unde ſuperior pars medietatis ejuſdem rotae a ſiniſtro latere uſque ad medietatem ſui quaſi viridem colorem emittit, quoniam Deus quando creaturas quemadmodum ab ipſo praeſcitae erant in formis ſuis ad laborem prodire faceret, quaſi in viriditate voluntatis ſuae habebat. Et a dextro latere uſque ad medietatem ſui velut rubens color fulget, quia Deus poſt finem mundi ea quae a tranſitorio ſaeculo ad vitam ſunt in melius commutans; animabus quoque fidelium mercedem fulgentium laborum ſuorum reddens, nullum laborem, nullumque defectum eis ultra dominari permittit; „ itaut ii duo „ colores aequali menſura ſpatiorum inter ſe dividantur, „ quoniam ſicut aeternitas ante principium mundi initio caret, ſic etiam finito mundo finem non habet; ſed principium & terminus mundi quaſi uno circulo comprehenſionis concluduntur. „ Medietas vero ejuſdem rotae, quae ſub praedicta „ linea in tranſverſum ducitur, colorem pallidum „ quadam nigredine intermixtum demonſtrat, „ quia caduca tempora mundialium rerum initium & finem habentia, quibus indeficiens aeternitas nullo fine concluſa dominatur deſignat; atque nunc pallorem anguſtiarum, nunc nigredinem tribulationum, quamdiu mundus durat multoties graviter portat. Sed & haec omnia, quae praedicta ſunt, alio modo ad ſalutem animarum hominum reſpiciunt, itaut ad ſummam fortitudinem, quae in perfectione fulgentis juſtitiae conſiſtit, poteſtas Dei conjuncta ſit, quoniam poteſtas & fortitudo Dei ſibi adhærentes ſunt. Poteſtas quidem Dei rotunda aequalitate temperantiae eſt, quia initio caret & fine, & ampla poſſibilitate omnia quae vult facere poteſt: candidaque in lenitate caeleſtium judiciorum fulget, quoniam nulla mutabilitas, nulla viciſſitudo incrementi ſeu detrimenti Deum tangit, nec ullum tempus eum umquam dividit, ſed ſemper abſque initio illaeſus, & immutabilis permanet, omnibus quae ſunt vitam tribuens, & ſe ipſum pure colentes, ad ſummam beatitudinem colligens. Plenitudo quoque poteſtatis ejus juſta moderatione cuncta diſponens, atque in altitudine, & in profunditate ſua incognita homini exiſtens, aeterna & temporalia quaſi in circulo nec initium nec finem habentem demonſtrat. Itaque & poteſtatis Dei perfectio, quae aeternitatem divinae ordinationis manifeſtat, & providentia ejus in his quae aeterna ſunt fulgens, ab aeternitate ipſius poteſtatis ad plenitudinem divinae ordinationis ſe extendens, in operibus ſuis ſe ipſam declarat, animaſque beatorum in ſuperna gloria permanſuras denunciat. Æternitas quoque perfectionis poteſtatis Dei in his diſpoſitionibus quae futurae erant, cum plenitudine creaturarum, velut viriditatem venturi & proceſſuri germinis oſtendit, cum caelum & terra nondum fuiſſent, ſicut & dona Sancti Spiritus cordi hominis viriditatem inferunt, ut bonum fructum afferat. In his vero quae poſt finem mundi ad ſtabilitatem immutabilitatis pervenient, quaſi rutilantem fulgorem demonſtrat, quia tunc omnia perfecta erunt, nec ullum deinceps defectum ſentient, animabus quoque ſanctorum ad ſuperna ſublatis; itaut etiam aeternitas Dei ſicut ante principium mundi initium non habuit, ſic quoque poſt finem illius nullo termino claudatur, ubi & tunc beati ſine fine in caeleſtibus gaudebunt. Sed & perfectio poteſtatis Dei ſub aeternitate omnia temporalia diverſos modos habentia concludens, omnia Deo ſubjecta eſſe oſtendit; eoſque, qui Deum negligunt, ad infernalia loca mitti depromit, quoniam omnia examinabuntur, quae Deo repugnare videntur. V. X.

Quare virtus caritas alio in hac quam in ſuperiori viſione cultu adornata conſpiciatur.

III. Quod autem in medio ejuſdem rotæ in præfata linea iterum vides imaginem, quae caritas tibi prius denominata eſt ſedentem, alio tamen ornatu eam nunc apparentem quam prius vidiſſes; hoc eſt quod in perfectione illa qua poteſtas Dei omnia ſibi ſubicit, voluntati Dei caritas quaſi quieſcendo conjuncta eſt, quoniam caritas omnem voluntatem Dei adimplet, nunc iſto, nunc illo ornatu decorata, quia virtutes quae in hominibus operantur, caritatem velut quodam decore ornatam demonſtrant, cum omnia bona per caritatem fiant. Nam facies ejus ut ſol lucet, monens ut homo omnem intentionem cordis ſui in verum ſolem figat; tunica autem ipſius ut purpura fulget, quatenus homo cum viſceribus miſericordiae indumentum ſibi faciens, unicuique petenti quantum potuerit ſubveniat. Et torquem auream pretioſis lapidibus decoratam circa collum ſuum habet, innuens ut homo jugum ſubjectionis ſibi imponens, cum beatis virtutibus illud adornet, ita ut in omnibus humiliatus Deo ſe veraciter ſubjectum eſſe oſtendat, quemadmodum & filius Dei patri ſuo uſque ad mortem carnis per omnia obedivit. Calciamentis quoque claritatem fulguris ex ſe reddentibus induta eſt, quatenus omnia itineris hominis in lumine veritatis fiant, & ut homo veſtigia Chriſti ſequens aliis exempla rectitudinis fideliter præbeat.

De tabula inſtar criſtalli perlucida ante imaginem caritatis apparente & quid ſignificet, quod ipſa imagine eamdem tabulam inſpiciente, linea ſeſſionis ejus movetur, & brevis repetitio de creatione caeli, terrae, angelorum & hominis.

IV. Sed & ante faciem ejuſdem imaginis quaſi tabula ut criſtallus perlucida apparet, ſcriptumque habens, quod divinitatem quae initio caret, nihil initio ſubjacens, ad plenum capere poſſit, quoniam coram caritatis intuitu praeſcientia Dei oſtenditur, quia caritas & praeſcientia Dei in unum conſentiunt. Praeſcientia enim abſque omni offenſione perlucida, nec initio aut fine concluſa, nec etiam a mortali creatura determinata, oſtendit quod homo qui caritati ſubjectus eſſe vult, cum ea quae in Deo ſunt diligit, & Deum in puritate fidei inſpicit, nec quidquam ipſi quod caducum eſt proponit, in ſuperioribus gaudiis ſedem ſibi ponit, quoniam Deus eum illo venturum praevidit. Et imago hæc praedictam tabulam inſpicit, unde & linea in qua ſedet movetur, quia cum caritas Dei praeſcientiam ipſius intueatur, in qua omnia quae in creaturis futura erant apparuerunt, cum creaturae quae creandae erant nondum fuiſſent, voluntas Dei ad quam caritas quaſi quie-

ſcen-

Digitized by Google

P. III.

ſcendo conjuncta eſt, ad formationem creaturarum ſe movn, & ſic caelum & terra, caeteraeque creaturae, quae in eis ſunt, per juſſionem Dei ſurrexerunt. Nam cum angeli praeceſſerunt, quidam ex ipſis creatorem ſuum negligentes, irrevocabiliter corruerunt, quidam vero in ſervitute & dilectione illius perſliterunt. Deus itaque poſt alias creaturas hominem creavit, quatenus omnia quibus indigeret ſibi praeparata inveniret, eumque viventi ſpiramine illuminavit, atque mirifice factum duobus modis munivit, ſcilicet ut ignis & flamma eſſet, ignis quidem in anima, & flamma quae de ipſa flagrat in rationalitate. Flamma autem rationalitatis novit ubi cum oſculo electionis operetur, quod ſcientia boni & mali eſt, per quam non ardet in illo quod ad opus ſuum non eligit, ſed cum moleſtia ab illo fugit, quod operari non vult, niſi faber eam percutiat, quatenus aliquantulum ibi ardeat, quo ipſe eam vertere voluerit, & ubi illa etiam per electionem interdum ardet, ibi eam faber multoties ceſſare facit, Et has duas vires Deus in fictili vaſe poſuit, quatenus illud quod ſibi utile eſſet operaretur. Sed & ſicut ignis flammam in ſe continet, ſic & rationalis homo vires ad operandum habet, & iſtae duae praefatae vires in fictili vaſe ſunt, ipſumque fictile vas cum illis exiſtit. Si autem ignis & flamma in nulla re arderent, ardor eorum ubi videri poſſet? Unde & praedictas vires oportet opus habere, quo fictile vas eſt, in quo anima & rationalitas opera ſua exercent. Ventus quoque aerius eſt, reliquaſque creaturas implet, cum quibus homo operatur, ita ut etiam homo non eſſet, ſi reliquae creaturae non fuiſſent. Et Deus ignis & vivens ſpiritus eſt, magnumque opus fecit, de quo filius ejus indumentum tulit, per quod deitatem ſuam occultans, quamplurima miracula perpetravit, cum quo etiam mundum pertranſivit quouſque decimum numerum, qui perditus erat, ſibi attraxit. Idem etiam opus contra illum qui aquilonem concupivit Deus conſtituit, eumque per illud omnino ſuperavit, in maxilla ipſum ita percutiens, ut caput ſuum ulterius levare non poſſit, ſicut prius fecit. Divinitas enim bonos angelos claritate ſua veſtivit, & apud ſe ordinavit, ut opus ſuum quod in ſe ipſum aſpiceret, & propriam voluntatem ſuam ſequendo a creatore ſuo recederet, zelo ſuo caſtigando comprimeret, quia rationalitas cum ſecundum voluntatem carnis operatur, ultionem Dei ſibi attrahit; quod autem ad creatorem ſuum reſpiceret dicens: *Deus meus es tu*, illud igne Sancti Spiritus laudes ſuas ad multiplicandum accenderet, quemadmodum ſcintillae ignis multiplicantur. Sed & rationalitas in duabus partibus electionis conſiſtit, & quod eligit hoc ad ſe colligit, & aliud reprobat, quoniam in una electione duo quae ſibi diſſentiunt habere non poteſt, quia qui alii miniſtrat, ſe ipſum deſpicit, & qui ſibimetipſi operatur, per ea quæ facit alii non miniſtrat, & ideo in unum hæc non conſentiunt. Rationalis enim homo primum optat & deſiderat, & poſtea in aliquo idem operatur. Irrationale vero animal vivit ſicut ei conſtitutum eſt, nec plus valet, quia oculum ſcientiæ in rationalitate non habet; ſed ad materiam naturæ ſuæ ſe vertit; homo autem per fidem cum Deo habitat.

Nota pulchra de homine quomodo poſt omnia creatus eſt & quomodo dotatus.

De ultione Dei in tranſgreſſores naturalis legis per aquam diluvii & diverſo ſtatu temporum ab initio uſque ad incarnationem Domini.

V. Quod autem ut vides mox ubi eadem linea prædictæ rotæ in ſiniſtra ejus parte conjuncta videtur, exterior pars ipſius rotæ per breve ſpatium aliquantum aquoſa fit, hoc eſt quod poſtquam voluntas mea poteſtati meæ ad procreationem creaturarum conjuncta creaturas produxerat, judicia ejuſdem poteſtatis meae ad effuſionem aquarum in diluvio apparuerunt, quoniam primo homine filios generante, progenies eorum de malo in malum ſe immerſit. Adam namque & filii ejus propter timorem meum ſecundum naturam hominis juſte germinaverunt; ſed poſteri eorum contra naturam hominis ſe nequiſſime violaverunt, quod ego diutius ſuſtinere nolens per diluvium eos ſuffocavi. Quapropter & diabolus exteritus contremuit, quia fortitudinem meam per quam homo ſic diſſipatus eſt invincibilem vidit. Et deinde aliquantum ultra medietatem medietatis ejuſdem rotæ, quae ſub praefata linea in tranſverſum ducta eſt rubicunda, ac poſtmodum pura & lucida exiſtit, quoniam a diluvio uſque ad incarnationem filii mei, quem tranſacta fortitudine temporum in fine eorum potenter ſub ſilentio voluntatis meæ miſi, judicia poteſtatis meae in ruborem juſtitiæ tranſierunt, quia etiam poſt diluvium per diverſas ætates dierum homines in operibus ſuis ſulgorem timoris mei arripuerunt. Nam ædificatio juſtitiae in Noe ſurrexit, circumciſio in Abraham, legalis propoſitio in Moyſe, prophetia vero in Prophetis, iſtaque omnia ydolatriam compreſſerunt, velut dies noctem fugat, in quibus omnia tempora currunt, quemadmodum opera hominum in hominibus apparent. Cum autem omnia hæc ad occaſum tenderent, velut cum ſol occidit, & cum ſic populus generando procederet, plenitudinem numeri illius inſpexi, de quo inſpiratione mea ſcriptum eſt.

V. X.

Nota quomodo ſurrexit juſtitia, circumciſio, propoſitio legalis & prophetia, & quibus temporibus.

Verba Pauli de plenitudine temporis, in quo miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, qui & in adventu ſuo myſtice dicta vel facta veterum implendo abſolvit & doctrina ſua & prædicatione apoſtolorum vel magiſtrorum eccleſiæ mundum illuſtrans omnia in melius convertit.

VI. *Ubi venit plenitudo temporis miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, ut eos qui ſub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.* Hujus ſententiae intellectus hoc modo accipiendus eſt. Deus pater qui caret initio & fine in plenitudine temporis ab æterno praeordinati, filium ſuum pro redemptione perditi hominis ad terras miſit ſignis & miraculis quamplurimis præfiguratum. Quod bene per arcam Noe nobis inſinuare videtur. Significat enim eccleſiam in præſenti ſæculo tentationum variarum impulſibus fluctuantem, quam filio ſuo nunc in reſtaurationem filiorum ejus per fidei gratiam conjunxit. Quae etiam in vertice montium conſtituta Dei omnipotentis aeternitatem figurare poteſt, qui omnes creaturas antequam fierent tales longe ante praeviderat, quales in praeſenti per verbum ſuum diſtincte per ſpecies ſuas apparent. Caclellis etiam illa civitas, quae Dei filiorum habitaculum eſt, opere turrim elegantiſſimo conſtructam profert, per cujus ornatum pulcherrimum Abrahae ſumme fidelis obedientia ſignificatur, Dei filium nobis, & infinita miraculorum ejus inſignia repraeſentat. Lex namque data per Moyſen obedientiam indefeſſam poſtulavit, ſine qua nullo modo, ſicut nec domus abſque columnis, quibus ſuſtentetur, nec homo ſine corde, quo regatur, valeret ſubſiſtere. Obedientia etenim quidam ignis eſt, & lex ſplendor ejus eſt. Et ſicut Abraham ad Domini praeceptum domum ſuam patriamque relinquens, primus per circumciſionem immutatus eſt; ſic Dei filius abſque omni contagione ſanguinis, ex integerrima Virgine Sancti Spiritus igne conceptus & genitus legem per Moyſen datam in meliorem ſtatum per ſemetipſum ſpiritaliter convertit. Quos enim de peccatorum ſanguine procreatos hoſtiarum legalium ſanguis liberare nequivit, decebat conditoris ſui clementiam, ut ſui ſanguinis inaeſtimabili pretio ſolus ipſe eos liberaret. Et velut homo de creatura ſibi conceſſa Deo ſacrificium offerre conſuevit; ſic Dei filius carne de homine ſumpta, quam Deo patri pro ipſo offerret indutus eſt. Filius itaque Dei in mundum veniens, puram & lucidam doctrinam hominibus propoſuit, & omnia quae praedicta ſunt perluſtrans, ea in alium modum permutavit, ita ut idola in Deum vivum, & prophetia in ſpiritalem viam con-

Arca Noe eccleſiam ſignificat.

Vel in vertice montium conſtituta Dei omnipotentiam.

Obedientia & ignis & lex ſplendor ejus.

Decebat Dominus ſui ſanguine hominem liberare.

Digitized by Google

P. III. converſa ſint, quoniam ſicut verbum hominis in inſpiratione Spiritus ejus emittitur, ita & unigenitus Dei de patre in aulam Virginis miſſus, & de Spiritu Sancto conceptus eſt. Atque ſic carne aſſumpta ex eadem Virgine natus omnia praeterita & futura per ſemetipſum manifeſtavit, & quaeque narrata & audita hominum geſta in meliora convertit, inutilia ſcilicet delendo, utiliaque conſervando; quemadmodum in exercitu bonorum angelorum fecit, quos poſt ruinam perditorum plus clarificavit. Nam ante nativitatem ejus omnia velut in tenebris erant, quae poſt aſſumptam carnem ſicut ſol illuminavit, quia ipſe lex fuit eam complendo, & in id quod melius erat convertendo, praeceptiſque patris ſui obediendo, quod Adam facere neglexerat. In eodem quoque filio Dei juſtitia & pax conjunctae ſunt; atque in juſtitia, de qua mundus cum ſpuma ſerpentis in peccatis obſcuratus eſt, per humanitatem illius compreſſa, eſt, quoniam ipſe praeliator cum juſtitia & pace injuſtitiae reſtitit, juſtitia ſcilicet quae divinis praeceptis circundata eſt, pace autem quae gratia Dei homini parcente munita exiſtit, atque electos ſuos in ſimilitudine illa, qua beati angeli cum Deo perſtiterunt ad ſe collegit. Qui cum in caelos corporaliter aſcenderet, Spiritus Sanctus igneis linguis ita accendit, ut in interiori ſcientia ſic perluſtrarentur, ut etiam alios hoc modo ſibi conjungerent, quatenus ipſi quamplurima miracula & ſigna facerent, catholica fide decorati, & bonis operibus ſanctificati. Sic doctrina filii Dei multum fructum afferens, & de virtute in virtutem aſcendens in puritate proceſſit; plurimuſque populus in luce fidei fulgens ei ſe ſubdidit, ita ut multi qui per oblivionem & infidelitatem in caſu Adae obnubilati erant, cum vera fide & ſanctiſſimis operibus elucidati ſint. Et neceſſe fuit ut filius Dei in fine temporum veniret, quia antiquus ſerpens deceptione & irriſione ac blaſphemia totum hominem violaverat. Sed & hoc neceſſe erat, ut praeſentia humanitatis corporis ejuſdem unigeniti Dei opus ſuum operaretur, quod operari incepit per ſummos rectores eccleſiam regentes, & per alios eidem eccleſiae praelatos, & deinde cum ſacerdotibus eorumque ſubditis, atque cum heremitis virgineum ordinem habentibus, & cum acie ſpiritalium hominum, qui ſecundum angelicam aciem ſunt, & qui etiam in tuba laudum ſecundum angelicam laudem Deum colunt, & cum poenitentibus, qui per imitatores Dei ad ipſum clamant, atque cum bonis conjugatis, magiſtrorum ſuorum praeceptis obedientibus, & cum continentibus, qui ſe ipſos repudiantes mundum relinquunt. Sic enim filius Dei a regalibus ſedibus veniens operatus eſt, & ut cum praeſentia corporis ſui ad patrem ſuum rediit ſe illi oſtendens; ita & recta opera horum omnium colligens, ea patri ſuo oſtendit. Iſti autem praedicti ordines qui per doctrinam filii Dei conſtituti ſunt, in magno ſtudio de virtute in virtutem aſcendendo arſerunt, quemadmodum dies poſt primam horam per ardorem ſolis uſque ad nonam ferventius ardet.

Nota quomodo Dei filius ab eo procedens in aulam Virginis intravit.

Nota utilitatem incarnationis filii Dei, & de ſanctitatibus.

Quod tempora iſta a priſtina apoſtolicae diſciplinae fortitudine quaſi in muliebrem debilitatem deficiant, & univerſa tam in elementorum conturbatione quam in morum depravatione in deterius promittuntur.

VII. Et poſtmodum per doctrinam Apoſtolorum, & per virtutes caeterorum Sanctorum puri & lucidi facti ſunt uſque ad dies iſtos, qui quaſi in muliebri debilitate a fortitudine ſua deſcenderunt, quia tunc in eis omnis bona conſuetudo, quae per gratiam Spiritus Sancti a temporibus apoſtolorum in hominibus plantata primitus erat, in caliginem jaculorum, quibus antiquus ſerpens mundum deceperat ducebatur. Apoſtoli enim doctrinam ſuam quaſi calibe firmaverant, atque cum clauſura caeli illam clauſerant, & in timore Dei fraena ipſi impoſuerant, ne in irriſionem duceretur; ſed ut in quotidiana ſtrenuitate haberetur, & quia doctrinam ſuam ſecundum curſum ſolis conſtituebant, ipſam per abſtinentiam ciborum, & per laudem & orationem ſanctificabant. Antiquus autem ſerpens in ſemetipſo ſcrutando ſciſcitabatur quomodo legem iſtam deſtrueret, & extingueret, quoniam ſe ex toto deceptum videbat, & quia etiam ſe bellandi tempus contra filios hominum per hoc cognovit habere, quod conceptionem hominis in peccatum verterat. Unde & quendam regalis nominis judicem aeſtuanti libidine praevaricationis inflammavit, ita ut plurimas nefandas vanitates ſibi advocaret, quaſi eas coleret, qui etiam hoc tam diu fecit, quouſque manus Domini eum percuſſit, ſicut Neronem necnon & alios tyrannos in omni honore ipſorum conculcavit. Tunc viriditas virtutum aruit, atque omnis juſtitia in defectum declinavit, & ideo etiam viriditas terrae in omni germine ſuo deſcendit, quoniam ſuperior aer in alium modum quam prius conſtitutus fuiſſet mutatus eſt, ita ut aeſtas contrarium frigus, & hyems contrarium calorem poſtmodum multoties habuerit, & tanta ariditas, ac tanta humiditas cum aliis quibuſdam praecurrentibus ſignis, quae filius Dei ante diem judicii diſcipulis ſuis perquirentibus ventura praedixerat in terra multoties fuerint, ut multi dicerent diem judicii imminere.

V. X.

Verba quaedam arcana filii ad patrem interpellantis eum pro vexatione quam in corpore ſuo quod eſt eccleſia a quibuſdam membris ſuis deſerentibus juſtitiam ſuſtinet, & pro completione numeri electorum ab aeterno diſpoſiti, & quomodo eadem verba intelligenda ſint ſecundum diverſas qualitates temporum ab exordio mundi uſque in praeſens.

VIII. Unde & filius ad patrem loquitur dicens: *In principio omnes creaturae viruerunt, in medio flores floruerunt, poſtea viriditas deſcendit.* Et iſtud vir praeliator vidit & dixit: *Hoc tempus ſcio. Sed aureus numerus nondum eſt plenus. Tu ergo paternum ſpeculum aſpice. In corpore meo fatigationem ſuſtineo; parvuli etiam mei deficiunt. Nunc memor eſto quod plenitudo quae in primo facta eſt areſcere non debuit. Et tunc in te habuiſti, quod oculus tuus nunquam cederet, uſque dum corpus meum videret plenum gemmarum. Nam me fatigat, quod omnia membra mea in irriſionem vadunt. Pater vide: vulnera mea tibi oſtendo. Ergo nunc omnes homines genua veſtra ad patrem veſtrum flectite, ut vobis manum ſuam porrigat.* Hujus ſententiae intellectus hoc modo accipiendus eſt. In principio ſcilicet ante diluvium tanta fuit terrae viriditas, ut illa fructus ſuos abſque labore hominum produceret, & tunc etiam homines nec diſciplinam ad ſaeculum, nec devotionem ad Deum perfecte habentes, terrenis tantum & voluptatibus ſuis inſudabant. Poſt diluvium autem velut in medio temporis, ſcilicet quod medium inter diluvium & filium Dei in mundum venientem fuit, flores cum novo ſuco, & cum omni germine in alia vice quam prius feciſſent floruerunt, quoniam terra humiditate aquarum, & aeſtu ſolis tunc cocta fuit. Et ſicut flores fructuum tunc plus quam prius multiplicati aſcendebant, ita etiam ſcientia hominum in ſapientia per Spiritum Sanctum accenſa perficiebat uſque ad novam ſtellam, quae regem regum oſtendebat; itaque ſapientia de igne Spiritus Sancti ardebat, per quem Verbum Dei in utero Virginis incarnatum eſt, quod etiam praedicta ſtella demonſtrarat, in qua Spiritus Sanctus hoc opus gentibus manifeſtavit, quod in utero Virginis perfecerat; clariſſque flammae Spiritus Sancti ſonus Verbi eſt, quod omnia creavit. Nam Spiritus Sanctus meatum Virginis foecundavit, atque in igneis linguis ſuper diſcipulos filii Dei venit, & poſt eaſdem igneas linguas cum eiſdem diſcipulis & cum ipſorum ſequacibus multa miracula operatus eſt. Quapro-

Interpellatio filii ad patrem.

Digitized by Google

P. III. propter & idem tempus de virtute in virtutem aſcendens tempus virile dictum eſt, & ſic per plurimos annos in forti curatione perduravit. Poſtmodum viriditas a fortitudine ſua deſcendit, & in muliebrem debilitatem verſa eſt, omnem juſtitiam poſtponens, & ſtultitiae morum hominum ſubiciens, quia in diebus iſtis quiſque hominum quod ſibi placet facit. Unde & in eis eccleſia deſolata eſt, quemadmodum vidua quae ſolatio ſollicitudinis viri ſui caret; quemadmodum tectum baculum magiſtrationis non habet, ſuper quem homines ſe inclinent. Sed perverſi mercenarii propter avaritiam pecuniae parvulos meos in valles proſternunt, eoſque ad colles & ad montes aſcendere prohibent; ipſiſque nobilitatem, haereditatem, praedia, & divitias abſtrahunt, & hoc ut lupi rapaces faciunt, qui veſtigiis ovium inſidiantes, oves quas rapiunt laniant, & quas laniare non poſſunt fugant, atque doloſa deceptione parvulos meos per majores judices, & per iniquos tyrannos devorant. Quapropter dies iſti diabolicae artis carcer ſunt, quia diu ſuſtinui populum meum per tyrannidem inimicorum derideri, quoniam ipſis funes dimiſſi ſunt, quatenus diverſis poenis homines affligans, velut etiam in veteri teſtamento mihi rebelles ſaepius caſtigavi. Ego etiam quoſdam aerios ſpiritus multa tempeſtate aliquos homines in his eiſdem diebus terrere permiſi, & ſic eos percuſſi, ipſiſque plurimis plagis poenarum & plurima imbecillitate ac infirmitate corporis afflixi, quoniam ab inquietis moribus ſuis non ceſſant. Invidiam quoque & odium in ſinum ſuum collocant, damna aliorum in ſemetipſis computantes, atque pallium honeſtatis & utilitatis eis auferentes, & omnem nequitiam & ſanguinis effuſionem ſuper illos inducentes. Sed & per creaturam, quam ad utilitatem hominis feci, multoties judicantur, ita ut per ignem & per aquam ſuffocentur, & per ventum & aerem fructus terrae ipſis auferatur, & ſol & luna ipſis inconvenienter oſtendantur, quia curſus ſuos ut a Deo conſtituti ſunt non peragunt, ſed eos excedunt. Unde etiam terra aliquando movetur, velut currus qui aliquo impulſu diſſolvitur. Hoc modo dies iſti curſum ſuum qui ſqualidis moribus hominum complebunt, ſanguinem effundendo, omnemque honeſtam conſtitutionem eccleſiae deſtruendo, atque auream juſtitiam cum aere & plumbo iniquitatis contaminando, & omnem voluntatem hominum in diverſitate nequitiae librando. Ante finem autem dierum horum muliebris ſcilicet debilitatis, juſtitia quam filius Dei cum anulo deſponſationis diſcipulis ſuis in omnem terram eos mittendo commiſerat ſurget, veſteſque ſuas quas ab Apoſtolis ſuſceperat, per iniquitatem populorum contaminatas & ſciſſas demonſtrabit.

Miſtica deſcriptio quomodo apoſtoli juſtitiam quam a Domino per mundum prædicandam ſuſceperant, & ſecundum diverſitatem naturalium morum ſuorum, & ſecundum diſtributionem gratiarum cælitus ſibi infuſarum multiplici veſtitu gloriæ decoraverunt, & de excellentia doctrinæ Pauli apoſtoli, & quare ſublimitate revelationum elevatus, & pondere infirmitatis depreſſus ſit.

IX. Nam Matthaeus mitis in moribus ſuis exiſtens, nec profundum ingenium habens, blande & leniter homines, docuit; doctrinamque apoſtolorum utique affirmans, eam doctrinae ſuae quaſi magiſtram praetulit. Et ſic plurimum populum cum praedicatione quae ut favus mellis dulciter ſtillavit, in vera fide ad Deum convertit, quoniam propter ſuavitatem morum ipſius doctrinam ejus populi lambebant, quemadmodum infans lac ſugit, & ideo etiam Spiritus Sanctus eum tetigit, ſtaut de incarnatione filii Dei fideliter ſcriberet. Ipſe utique ex ſerico piae intentionis camiſiam ideſt bene ordinatam contritionem, & ut lux diei lucidam paravit, illaque juſtitiam induit, ubi pro juſtitia a martyrio non declinavit. Sed Thomas fortes, ſtrenuoſque mores ad uſus hominum habuit, nec leviter ad quamque cauſam ſe convertit, nec ulli rei facile conſenſit, ſed quod vidit hoc credidit, & quidquid interius inviſibile erat, hoc nonniſi per oſtenſionem ſignorum capiebat. Unde enim eſt ut ſigna per opera cognoſcantur, quoniam corporalia corporaliter videntur, & ſpiritalia ſpiritaliter capiuntur; & per ſanctitatem operum homo ſpiritalis eſſe ſcitur. Sic iſte plurimum populum ad Deum convertit, juſtitiamque eum veſte ex viridi ſerico, & prolixa ſuper camiſiam veſtivit, quae ut radius ſolis fulſit, ubi cum rectitudine bonae intentionis illam ornavit, & per omnia lucere fecit, corda incredulorum ab ydolis ad Deum convertens, ſeque martyrio ſuo rectori omnium offerens. Petrus autem tunicam ex byſſo & purpura contexuit, cum rectitudinem, lenitatem, & ſtrenuitatem propalavit, illaque juſtitiam cum eccleſiaſticis ordinibus induit, ubi & ſe multis tribulationibus corpore & anima ſubjecit. Matthias vero mitis & humilis exiſtens, columbinoſque mores habens, ac diverſitatem morum hominum, invidiamque & odium fugiens vas Spiritus Sancti fuit, qui in illis habitat, qui mentes ſuas in plateis diſcutere, & diverſa ſciſcitare non permittunt; atque coram fidelibus & infidelibus multa ſigna & mirabilia in humilitate quaſi neſciens fecit, martyriumque velut epulas deſideravit. Unde juſtitiae regalem ſedem ſuper quam honeſte ſederet paravit, capita aquilatum, & leoninos pedes in quatuor columnis ſuis continentem, quia per quatuor partes mundi in humilitate volavit, & a nulla injuria vinci potuit. Praedicationem quoque ſuam late diffundens, & quamplurima opprobria patienter ſuſtinens, omne opus ſuum viriliter ad perfectum perduxit. Quapropter & homines eum libenter audierunt, eumque quamplurimum dilexerunt, juſtitiamque ſuper ſedem quam paraverat per humilitatem ſuam ſedere fecit. Deus namque duodecim apoſtolos in viciſſitudine diverſorum morum elegit, ſicut etiam duodecim prophetas elegerat, quoniam mirabilis Deus eſt. Et deinde ſcintillam unam invenit, eamque igne ſuo accendit, ſcilicet Paulum, in quo etiam multa mirabilia fecit, quia & in ferocibus & in ſtrenuis ſigna ſua complet, quemadmodum & in mitibus, ne populus eos abiciat dicendo, quod tantum in bonis miracula ſua operetur. Spiritus enim Sanctus omnem doctrinam Apoſtolorum per Paulum decoravit, qui montem altae mentis portavit, & ferox ut leopardus fuit, ſuper omnia ſtendens, quae ſuperare voluit, quoniam omnia quae voluiſſet ſe poſſe perficere putavit; ſcintillamque fidelitatis Spiritus Sanctus in illo invenit, quia perſecutionem non propter invidiam & odium, ſed propter amorem veteris legis agebat. Et Deus beſtias prius quam hominem creaverat; hominemque ad imaginem & ſimilitudinem ſuam praecedentibus beſtiis fecerat. Veterem quoque legem ſecundum beſtias primum dedit, quam per humanitatem filii ſui in ſpiritalem intellectum ſecundum exercitium laudis angelorum poſtea convertit. Nam ſicut hominem primum plaſmavit, & ut deinde ſpiraculum vitae in illum miſit, ita & veterem legem praemiſit, quam poſtmodum nova lege in melius commutavit. Sic & Paulum in nimio zelo inveniens, in vetere lege ipſum proſtravit, atque per hoc illi oſtendit, quod nomen filii ſui in nova lege portaturus eſſet. Spiritum quoque illius in altitudinem elevans demonſtravit ei mirabilia quibus contra ipſum pugnavit; ſed tamen intra illum anima ejus latuit, itaut vix ſentiret ſe vivere, quemadmodum anima in corpore manens cogitationes ſuas emittit. Si enim Deus illi miracula ſua leviter manifeſtaſſet, propter ferocitatem animi ſui ad priorem zelum reverſus fuiſſet. Quapropter Deus eum valde conſtrinxit, totumque corpus illius labore perfudit. Infirmitas quippe illius in duobus modis erat, itaut omnes venae corporis ejus languore perfunderentur, & ignea jacula diaboli quadam dul- V. X.

cedi-

P. III. cedine carnis ipſum fatigarent. Sed quia mirabilia Dei in ſpiritu viderat, idcirco etiam fortiſſimam vim in ſpiritu ſuo habebat, & quoniam plurima arcana & occulta myſteria ultra quam homini licitum ſit loqui inſpexerat; ideo etiam verba & praedicatio ipſius velut clavi in altum fixi, qui domum ſuſtinent, fuerunt, quoniam & filius Dei, quem Maria Virgo genuit, illum de tribu Beniamin elegit. Unde & caeteris omnibus qui cum ipſo corporaliter manebant, praedicando plus laboravit. Mulier quoque ad honorem & ad gloriam mariti ſui ſe ornat, & ut ipſi tanto pulchrior eſſe videatur. Et per hoc homo cognoſcat, qualiter animam ſuam coram ſummo rege ornare debeat, quia cum homo caritatem habuerit, veſtem auream ſibi induit; atque cum caſtitatem amat faciem ſuam cum pretioſis margaritis ornat, & cum abſtinentiam ciborum ad ſe colligit, purpura & byſſo ſe veſtit. Quapropter etiam homo qui a peccatis ſe abſtinere vult, carnes devitet, quae tamen ob reparationem ſanitatis manducentur, quoniam carnes ſaepe carnem hominis ad peccata trahunt. Paulus autem praeceptum virginitatis in lege non habuit, unde & illam hominibus non indixit, ſed conſilium dedit, quia praeceptum timorem, conſilium vero amorem habet; & ideo praeceptum timoris quod exterius auditur, multoties praevaricatur; conſilium vero amoris, quod omnes venæ hominis in deſiderio percipiunt firmiter tenetur. Sed quoniam primitus per ſerpentem conſilium diſturbatum eſt, ex antiquo conſilio Deus homo factus eſt, in quo caritas ita ardebat, ut totum mundum illuminaret. Et ideo etiam Paulus ex occulto conſilio de virginitate conſilium, & non imperium dedit, quam nemo hominum per imperium conſtituere debet, quoniam Deus illam in ſemetipſo ad perfectum duxit. Unde & caſtitas legale praeceptum ſervitii ſeu timoris non habens, ſola libera in Deo abſque omni timore ſtat. Rota itaque currus juſtitiae Paulus eſt, quia ſicut rota currum, currus vero omne pondus portat; ita doctrina Pauli legem Chriſti fert, quoniam nova lex de veteri lege texta eſt, in qua Moyſes circumciſionem & oblationes concluſit, quae omnia Spiritus Sanctus in novam ſanctitatem renovavit, & quae Paulus cum novo igne in ſubſcripta catenula monilis juſtitiae conglutinavit. Quaeque enim opera in recta honeſtate ſanctificavit, ita videlicet ut conjugium in timore Dei fieret, & recte viventes continentes eſſent; & ut homo per abſtinentiam ſe non plus affligeret, quam per gratiam Dei ſufferre poſſet; & ut virginitas cum corona ſummi regis ſe ornaret, quia a Deo ſumpta eſt, quoniam ſicut Deus primum hominem abſque omni ſucco carnis plaſmavit, ita & ipſe indumentum ſuum ſine omni ſudore peccati a virginitate tulit. In his enim tribus modis ſcilicet conjugio, continentia, & virginitate Paulus omnes virtutes, omnemque vitam ſanctorum collegit, atque doctrinam apoſtolorum eleganti colore decoravit. Ipſe quoque calciamenta juſtitiae ex purpureo ſerico faciebat, cum ſaeculum per omnia relinqueret, & cum plus omnibus condiſcipulis ſuis per vias eccleſiarum diſcurrendo laboraret; ſtaque puriſſimo auro velut ſtellis lucentibus exornavit, cum per bona opera quibuſque credentibus exempla in ſanctitate lucentia propoſuit, ubi etiam corpus ſuum ad paſſionem dare feſtinavit. Jacobus autem qui frater Domini dictus eſt ſuaves mores habens mitis fuit, doctrinamque ſuam ſoli Deo intrinſecus obtulit, nec vanam gloriam quaeſivit, ſed in magno ſtudio rectas vias currens lutulentas plateas infidelitatis purgavit. Populum quoque ad veram fidem converteret, atque dulciter dictavit, quomodo doceret filium Dei de Virgine natum, quod etiam dulcibus verbis oſtendens, ſanctis quoque operibus ac plurimis ſignis affirmavit. Per ſuavem itaque auditum verborum ſuorum in aures juſtitiae paravit. Siniſtra enim auris ex jacincto fuit, coloremque purae nubis habuit, ſignificans quod filius Dei abſque peccato in mundo converſatus eſt peccata hominum delens & abluens; dextera autem ex rubicundo jacinto fuit, paſſionem ejuſdem filii Dei demonſtrans, per quem diabolus devictus eſt. Unde & ipſe martyrio ſe ſubdidit. Symon vero ſapiens & ſtrenuus fuit, atque de innumerabilibus peccatis infidelium amara tormenta praedicavit, magnaque ſigna in firma fide fecit. Unde & homines eum libenter audierunt, ac torrens iter ad fidem paravit, quia timorem mortis eis propoſuit. Hoc modo per magnum praeconium ex ſmaragdo & rubeis lapillis, & ex bacis atque margaritis monile juſtitiae fabricavit, cum per munimentum ſtrenuorum morum monile fecit, cui ſmaragdum per viriditatem praedicationis, ac rubeos lapillos cum caeteris bacis & margaritis per timorem poenarum impoſuit, nec tormentum martyrii metuit, ſed illud patienter ſuſtinuit. Cui Paulus ſuccurrit, & quamvis calceamenta juſtitiae feciſſet, ad idem monile elegantiſſimam catenulam ſuſpendit ex puriſſimo auro factam duodecimque lapidibus & pretioſiſſimis margaritis ſine defectu firmiſſime ornatam. Quae uſque ad pedes ejuſdem juſtitiae deſcendens in fine ſuo formata duo capita habebat, ſcilicet ad dextram partem ſuam ex rubicundo ſardio velut caput capricorni, ad ſiniſtram vero ut ex auro quaſi caput leopardi, itaut etiam caput capricorni capiti leopardi reſiſtere videtur. Nam munimento doctrinae caeterorum apoſtolorum doctrinam ſuam adjunxit, eamque bonis operibus, & tam apoſtolicis doctrinis quam caeteris virtutibus irreprehenſibilem adornavit, ita ut ad finem rectitudinis perdurans non deficiat, quouſque mundus finiatur. Ubi etiam circa eumdem finem velut in duobus capitibus duae poteſtates apparebunt, altera ſcilicet ad ſalvationem in laborioſa conſtrictione per Enoch, & Eliam ſurſum aſcendens; altera vero ad perditionem in ſimulatione glorioſorum miraculorum & virtutum per Antichriſtum frendendo properans, ſic etiam oſtendentes, quod hii qui ad caeleſtia tendunt, illos qui ad diabolicam ſeductionem feſtinant opprimunt. Jacobus autem frater Joannis muliebre velamen ex albo ſerico & aurifrigio incarnationem paſſionemque filii Dei praedicando contexuit, dum idola per plurima miracula deſtrueret, quo caput juſtitiae circumdatum ita ornavit, ut omnis Eccleſia Deo laudem daret, ubi & ipſe ad martyrium capitis ſe inclinavit. Joannes vero per miracula quae Deus illi oſtendit cingulum ex viridi ſerico caſtitatem viridi & ſuavi intentione producens fecit, cui duodecim lapides propheticarum virtutum cum plurimis margaritis bonae voluntatis inſeruit. In cujus oris viridem colorem ramo de quo balſamum ſudat ſimilem poſuit, quia perſeverantiæ caſtitatis viriditatem & odorem virtutum adjunxit, illoque juſtitiam circumcinxit, quando per preces populi *In principio erat verbum* edidit. Sed Philippus mitis exiſtens, ac in doctrina ſua humilis apparens, plurimum populum ſibi adtraxit. Unde etiam hoc modo armillas ex auro fabricavit, quibus ſmaragdos, rubicundoſque jacinctos, ac nobiliſſimas margaritas impoſuit, ita ut etiam aurum pro multitudine lapidum iſtorum vix videri poſſet, quoniam in doctrina, & in operibus ſuis viriditatem, laborem & innocentiam virtutum demonſtrans bonam voluntatem ſuam quantum potuit intrinſecus celavit, armillaſque iſtas brachiis juſtitiae circumdedit, cum martyrio ſuo bona opera ſua complevit. Bartholomaeus autem in magno ſtudio praedicationis nec fatigari potuit, nec etiam ab hoc ceſſare voluit. Quapropter ex auro, & ex alia pulcherrima materia electrum cum clara celatura, & cum pretioſis lapidibus intermixtum fecit, quod de praefatis armillis uſque ad ulnas brachiorum juſtitiae dilatando extendit, & etiam ab eiſdem armillis uſque ad praedictas ulnas in tribus locis dividendo diſtinxit; eaſdemque diviſiones cum quibuſdam gracilibus & aureis catenulis connexuit. Nam ipſe ex bona voluntate quam in fide habuit, verba praedicationis ſuae cum occultis ſecretis myſteriorum Dei, & cum electis virtutibus extulit, eaque uſque ad ſanctam operationem V. X.

P. III. dilatavit, cum in uno Deo tres perſonas recte diſtinguens, veram trinitatem inviſibiliter & ineffabiliter ſibi connexam fideliter & decentiſſime aſſeruit; ſic quoque mentes hominum ad ſe trahens, corpuſque ſuum paſſioni totum ſubiciens, brachiaque juſtitiae mirabili ornatu circumponens. Andreas quoque anulum ex auro puriſſimo faciens, optimum topazium illi inſeruit; filiumque Dei ſponſum juſtitiae eſſe manifeſtavit, quando ſinceram fidem per pulchritudinem virtutum in eccleſia ornavit; anulumque illum digito juſtitiae impoſuit, cum in crucem ſe ſuſpendi permiſit. Sed & Thaddaeus prudens & ſubtilis fuit, moreſque hominum inveſtigare ſtuduit, & ideo etiam, quamplurimos ad utilitatem fidei convertit, quia ipſum ſuperare non poterant, dolumque ſerpentis vincens per ſancta opera coram populo multa miracula oſtendit. Pallium quoque ex rubicundo ſerico fecit, illudque diligenter adornare ſtuduit; ornatumque juſtitiae circumdedit, quoniam cum caritatis opera in fulgore caeterarum virtutum compoſuit, & illa ad verum decorem perduxit, juſtitiamque cum eis obtexit, ubi etiam ſe paſſioni corporali ſubjecit. Petrus vero eam ſic veſtitam videns, & quamvis ipſam tunica induiſſet, coronam tamen ex auro optimo fabricavit, quam etiam pretioſiſſimis lapidibus & gemmis decoravit, illamque capiti juſtitiae impoſuit, quia per hoc quod gloriam filii Dei fideliter & intrepide praedicavit, & omnibus virtutibus & occultis myſteriis ornatam demonſtravit, cum corona ſanctitatis & honoris juſtitiam exornavit; ipſamque in cruce pendens, martyrio ſuo ſuper caput illius decenter dedit. Tali modo juſtitia ab apoſtolis veſtita erat.

Brevis ſuperiorum repetitio; quomodo in diebus iſtis virilem fortitudinem non habentibus omnia eccleſiaſtica inſtituta in deterius concedant & teſtimonium Pſalmiſtæ ubi dicit: JUSTUS ES DOMINE. *Et ad quid appoſitum, & qualiter intelligendum ſit.*

X. Sed ipſa faciem velut ſolis ſplendorem fulgentem habens, quoniam ſemper coram Deo ſplendida & immutabilis eſt, forti clamore ſupernum judicem invocat, veſteſque ſuas a ſceleratis hominibus pollutas eſſe ut praefatum eſt demonſtrat. Nam dies iſti muliebris debilitatis virilem fortitudinem non habent, ita ſcilicet ut omnia eccleſiaſtica inſtituta, ſive ſaecularia, ſive ſpiritalia ſint, in deterius deſcendant, & nunc in alio modo, quam apoſtoli ſeu caeteri antiqui patres ea conſtituerint, conſiſtant, per quae omnia primitus eccleſia velut ſol lucebat, & juſtitia coronata erat, quemadmodum propter dominationem regni rex nominatur, & ut propter diadema & regales veſtes ſuas honoratur. Juſtitia enim Dei per eccleſiaſticas diſpoſitiones, & per omnia ad illas ſpectantia coronata & ornata eſt; ipſaque materia eſt omnium legalium juſtificationum, quae ab omnipotente Deo conſtitutae, & igne Spiritus Sancti accenſae ſunt, quemadmodum domus per inhabitantes eam ſublimatur. Unde ſcriptum eſt: *Juſtus es Domine, & rectum judicium tuum.* Hujus ſententiae intellectus hoc modo accipiendus eſt. Juſtus es in omnibus judiciis tuis o Domine qui omnibus dominaris; quoniam tu juſtitia illa es, quae unquam ab ulla iniquitate obnubilatur: ſed quae opus ſuum oſtendit, ſicut vexillum conſtitutum ducem praecedit. Opus quoque juſtitiae caelum & terra cum reliqua creatura eſt, & juſtitia Deus eſt, qui veritatem oſtendit, cum bonis rumoribus ſanctorum operum, quae eidem juſtitiae, velut rami arbori infixa ſunt. Quapropter & rectum in aequitate judicium Dei eſt, quia nullam obſcuritatem falſitatis habet; quoniam illa velut immundiſſimum lutum conculcat, quod in putredine foetet. Juſtitia itaque Dei ſuper montes clamat, & vox ipſius ad caelum ſonat, atque conqueritur, quod primum facta mons ſanctitatis in eccleſia, modo in monte ſanctitatis deſtructa jacet. Nam ego juſtitia Dei lugubri voce dico.

Querimonia ſive clamor juſtitiæ ad Deum judicem adverſus ſceleratos & impios, & diverſis criminibus contaminatos, qui antiquis Patrum inſtitutionibus repudiantes ornamentis gloriæ ſuæ eum deſpoliando deſtituunt. V. X.

XI. Corona mea ſciſmate errantium mentium obnubilata eſt, quoniam quiſque ſecundum voluntatem ſuam legem ſibi conſtituit, & qui magiſtrum deberent habere, ac virgam illius pati, magiſtri eſſe volunt, atque petulanti conſtitutione ſemetipſos regentes, & utile dicentes quidquid eligunt; ſicque infideles exiſtentes, quia in ſe confidunt, nec a ſe ipſis, nec ab aliis hoc modo ſalutem vitae conſequuntur, quam nemo praeter Deum dare poteſt. Nam per omnia haec corona mea obnubilata eſt, quoniam iſta facientes in claritate illa me non inſpiciunt, qua a Deo proceſſi. Tunica quoque mea pulvere terrae aſperſa eſt, quam illi contaminant, qui ſancta & bona converſatione ſaeculo relicto tunicam filii Dei induunt, quoniam meretricibus ſe admiſcent, quemadmodum de juniore evangelico filio ſcriptum dinoſcitur. Jugo namque Chriſti per imitationem circumciſionis & legalis conſtitutionis ſacerdotum jugati ſunt; ſed praevaricando fornicatores exiſtunt, nec cum juniore filio clamant, qui ad patrem ſuum recucurrit dicens: *Pater peccavi in cælum & coram te*, malumque adulterii velut eis conſtitutum ſit in conſuetudine habent. Quapropter & tunicam meam pulvere peccatorum maculant, nec ab ea eundem per poenitentiam pulverem excutiunt, ſed quaſi vermes in putredine peccatorum ſe fovent. Hinc etenim caeci, ſurdi & muti ſunt, officium meum non clamantes, nec judicium meum judicantes; ſed avaritiam deglutiunt, & vulnera non ſanant, quia vulneribus pleni ſunt, & ad ſcripturam quae eis loquitur ſurdi ſunt, eam nec audiendo, nec eam alios docendo. Et his modis taedium in omnibus conſtitutis ordinibus eccleſiae eſt, ipſaque velut ſine baculo incedit, quoniam omnes conſtitutiones ſuae jam pene defecerunt. Cum enim ſol in nube obnubilatus fuerit, gaudium jucunditatis in creaturis non eſt, nec etiam in populis, cum ſine rege ſunt. Conſtitutiones namque eccleſiaſticorum ordinum obnubilatae ſunt, quia conſtitutiones abſque opere nominari ſolummodo volunt, ideoque etiam verum gaudium in ipſis non eſt, ſicut nec in fide quae ſine operibus eſt. Vere iſtud ſic non perdurabit, nec permanebit, quoniam judicium Dei his minatur, qui omnes voluntates ſuas in proprietate ſua quaſi abſque Deo ſint complent. Ego enim quae in antiquo conſilio ſurrexi ad judicium Dei clamo de his querimoniam faciens, qui pallium meum a me abſtraxerunt, & qui omnibus ornamentis meis me deſtituerunt; judiceſque eorum adverſum ipſos in adjutorium mihi advoco, in eadem vocatione qua creator cunctorum mulierem vocavit, quando illam de viro tulit, quatenus faceret ei adjutorium ſimile ſibi. Quemadmodum enim mulier viro ſubdita eſt, & ut filios producit, ſic etiam homines praecepta Dei per me deberent audire, eiſque obedire. Et quia hoc non faciunt, ſed me negligunt; idcirco quoties ab eis percutior, toties judicium Dei ipſos vallat, velut in antiquo tempore per diluvium accidit; & ut in veteri lege, & in nova lege multoties factum eſt, ſicut & adhuc ſaepius fit. Ego quippe juſtitia nominor, & eccleſia per regenerationem ſpiritus, & aquae de me orta eſt, & unum ſumus, ſicut etiam Deus & homo unus ſunt. Igitur ferociſſimis judicibus clamabo, qui me vindicabunt de furioſis morſibus illorum, qui me ut lupi agnos perſequuntur. Ipſi quoque peccatores exiſtentes cum ſaginato vitulo non epulantur, ſed Samaritanis ſimiles ſunt, qui in duabus legibus eſſe volebant. Quapropter & in irriſionem Elyae prophetae convertentur, qui illis qui Baal colebant, quaſi illudendo dicebat, quod clamarent voce majore. Deus enim ſi eſſet Baal, & forſitan loqueretur, aut in diverſorio eſſet, aut in itinere, aut certe dormiret ut exci-

P. III. excitaretur. Et ideo etiam decepti ſunt, quoniam gratia Dei longe ab eis eſt, quia praecepta quae ſuſcipiunt non ſervant; ſed illa retrorſum proiciunt dicentes: *Cum voluerimus praecepta Dei noſtri obſervabimus, quia modicum tempus in correptione ipſi placet.*

Quia Deus iſta juſtitiæ detrimenta in indeficienti lumine claritatis ſuæ conſiderans, quamvis peccata hominum propter pœnitentiam diſſimulet oblivioni non trudat, & verba ipſius ſuper hoc idem.

XII. Et iſtos incongruentes dies detrimenti totius aequitatis vir ille qui contra diabolicas acies, & contra omnem nequitiam fortis praeliator exiſtit, in indeficienti lumine claritatis ſuae videt, nec oblivioni tradit, quamvis diſſimulet peccata hominum, quatenus poenitentiam agant, & dicit: *Hoc tempus quod a bono declinat, & in malum cadit, in occultis judiciis meis ſcio; quoniam iniquitates hominum quæ per diverſa curricula ſuccedentium ſibi temporum diſcurrunt, ita tranſitorie non negligo, quin illas flagellis juſtæ correctionis examinem. Sed aureus numerus, ſcilicet martyres illi, qui in rubore ſanguinis ſui velut aurum fulgentes, in primitiva eccleſia propter veram fidem occiſi ſunt, nondum eſt plenus, quia martyres illos expectant, qui in noviſſimo tempore perditi erroris ob confuſionem nominis mei corpora ſua ad paſſionem martyrii trudent, quemadmodum Joannes dilectus meus teſtatur dicens.*

Teſtimonium de Apocalypſi Joannis apoſtoli ad iſtu competens, & quo ſenſu accipienda ſint.

XIII. *Et dictum eſt illis, ut requieſcerent tempus adhuc modicum, donec complenutur conſervi eorum, & fratres eorum, qui interficiendi ſunt ſicut & illi.* Hujus ſententiæ intellectus hoc modo accipiendus eſt. Divina inſpiratione oſtenſum eſt illis, qui propter amorem Dei temporali morti ſe ſubjecerant, ut corpora eorum requieſcerent in pulvere reſolutionis tempus adhuc modicum, ideſt ad prædeſtinationem illam donec compleantur in omni perfectione qui ſervi Dei erunt, videlicet Deo in omni veritate ſerrituri, ſicut & ipſi & fratres eorum, quia etiam in corporibus ſuis quemadmodum & ipſi paſſibiles erunt, ita quoque ut propter filium Dei quamplurimis tribulationibus attriti, mortem corporalem ſubeant. Sanguinea etenim vox martyrum, qui nec peccata, nec quare occiderentur ſciebant, ad Deum aſcendit; ſed ſplendor divinitatis eis reſplendet, itaut in eodem divinitatis ſplendore innumerabilem multitudinem futuram prævideat. Nam claritas æternæ vitæ illis datur, in qua coguoſcunt reſponſum quod ipſis oſtenditur; clamorque eorum cum ſqualidis operibus peccatorum obnubilatus non eſt, quoniam innocentes fuerunt, & quia ſanguis ipſorum propter incarnationem filii Dei effuſus eſt, ubi & agnum ſanguinem ſuum effuſurum proteſtati ſunt. Et horum conſervi dicuntur, qui propter fidem & juſtitiam occiduntur; fratres autem, qui in noviſſimo tempore per Antichriſtum conſumentur, ſicut infantes per Herodem conſumpti ſunt, qui filium Dei negavit, quemadmodum & Antichriſtus eum negabit. Nam vox effuſi ſanguinis hominis per animam ejus ſurſum aſcendit clamando & conquerendo, quod illa de ſigillo corporis, in quo eam Deus poſuerat, expulſa ſit; ac deinde mercedem operum ſuorum ſive in gloria, ſive in poenis eadem anima recipit. Prima nempe vox ſanguinis in Abel ad Deum clamare coepit, quoniam Cain conſtructionem operis Dei praecipitanter & proterve dextruxerat. Quapropter filius Dei iterum dicit.

Item querimonia filii ad patrem pro tribulatione, quam in corpore ſuo patitur ab his qui per malitiam contra eum calcitrant, & pro parvulis qui vanitatem amplectendo a bono deficiunt, & quod angeli licet ex immenſa claritate refulgeant, ſanctorum tamen opera hominum quaſi ſpeculum laudis approbando inſpiciant. V.X.

XIV. Tu ergo paternum ſpeculum, quod claritas divinitatis eſt, in qua exercitus angelorum fulget, quemadmodum formae illae, quae in ſpeculo oſtenduntur, quia idem ſpeculum ipſis angelis ſemper reſplendet, aſpice & oſtende quantas injutias patior ab his qui me negligunt. In corpore meo ſcilicet in membris meis quae contra me per malitiam calcitrant, cum mihi in rectitudine adhaerere deberent, fatigationem perverſitatis ſuſtineo, quoniam ubi in eis per viriditatem bonorum operum quieſcere poſſim non invenio. Parvuli etiam mei qui in humilitate deberent incedere, & omnem pompam ſæculi abicere, in eo quod nihil eſt deficiunt, quia vanitatem ſuperbiæ amplectuntur ſanctos ſe eſſe putantes, operaque ſua in laudibus humanae gloriæ portantes. Et quoniam in hac tranſitoria laude a caeleſti laude deficiunt, laudem angelorum non attendunt, quia angeli ſanctam divinitatem frequenter laudant, in Deo novam laudem ſemper invenientes, quoniam illum ad finem perducere non poſſunt. Ipſe enim clariſſimum lumen eſt, quod nullo modo extinguetur, itaut angelica turba ab ipſo clareſcat, quia angelus ſine opere carnali laus eſt; homo autem cum opere carnali laus exiſtit, ejuſque opera angeli laudant. In laudibus enim quibus Deum laudant, ſancta etiam opera hominum approbant, illaque quaſi ſpeculum laudis inſpiciunt, quoniam Deus hominem mirifice ex anima & corpore compoſuit, nec claritate angelorum caret, cum in illorum ſocietate ſit, quia Deus etiam ordinavit ut divinitas & humanitas in uno Deo glorioſe laudetur. Hinc autem diabolus illuditur, qui angelus exiſtens Deus eſſe voluit; ſed Deus illum quaſi decepit, cum de limo terræ hominem creavit, qui anima & corpus in uno eſt, nec anima ſine corpore, nec corpus ſine anima homo exiſtit; animaque cum corpore, & corpus cum anima operatur. Corpus namque clauſura eſt, in qua anima clauditur, & animam multoties conſtringit, ita ut ipſa corpori cedat, nec illud cohibere valeat, quin opus ſuum quod quaerit faciat, quoniam cum illo occupata eſt, guſtuſque carnis ipſi diſplicet, qui tamen contra voluntatem ejus per venas ſaepius perficitur, in quibus ipſa operatur. Sed cum homo alienam vitam deſiderat, quae contra concupiſcentiam carnis eſt, anima celeri itinere illam apprehendit & perficit, quia toto deſiderio illam in ſemetipſa guſtat.

Quod juſtitia & morum honeſtas & dignitas virtutum a diebus diluvii uſque ad adventum Domini per Prophetas roboratae, & deinde per Apoſtolos & Doctores in Eccleſia longo tempore refulgentes, ſed modo depravatae poſt dies iſtos qui ex injuſtitia torpent, iterum ante finem poſt multas tribulationes in hominibus reformabuntur.

XV. Dies autem iſtos qui injuſtitia torpent, ut praefatum eſt, canis igneus, ſed non ardens in libro *Scivias* deſignat, aliis in fortitudine fortioribus *Canis:* eos ſubſequentibus, in quibus homines quidam rectitudinem inſpicientes ſupradictamque levitatem deponentes ad juſtitiam ſe convertent. Juſtitia itaque ab incarnatione filii Dei per plurima curricula dierum ad excelſa ſanctitatis velut per quaſdam ſcalas in fide catholica aſcendit, & quaſi puriſſimo auro bonorum operum perfuſa & perlucida in eadem fide effulſit, nec ulla indignitate pravorum operum ſorduit, ſed invincibilis perſtitit. Diebus autem illis, inquam, plurima longitudine uſque ad ſupradictos muliebris levitatis dies tranſactis, in eadem fi-

P. III. de per quaſdam deſcenſas indignationes coepit inclinari, & quibuſdam tenebris injuſtitiae obtenebrari. Nam juſtitia & honeſtas morum, caeteræque dignitates virtutum a diebus diluvii in hominibus paulatim creverunt, & ad faſtigia ſua paulatim aſcenderant uſque ad dies prophetarum, qui illas ita corroboraverunt, ut maximum ſplendorem uſque ad filium Dei darent. Et deinde in Apoſtolis, caeteriſque doctoribus per plurimam longitudinem dierum in eadem dignitate, & ſplendore duraverunt uſque fere ad ortum praefati ſaecularis judicis mechiae magis quam timoris Dei cultoris, ante cujus initium paulatim decreſcere, & ad deteriora inclinari coeperunt, ſicut etiam a diluvio uſque ad Prophetas paulatim ſurſum aſcenderant. A diebus autem ejuſdem judicis radix iniquitatis ac oblivio juſtitiae & honeſtatis ortae ſunt, quae ita ſe dilatando, & propagando quaſi in muliebri debilitate proceſſerunt uſque ad alium rectorem ſpiritalis nominis geſtatorem, qui prudentiam & malitiam ſerpentis habuit, quem judicium Dei occidit. In cujus diebus praefata iniquitas, atque ſuperfluae conſuetudines vitiorum hominum per divinam examinationem ad purgationem ceperunt incaleſcere, & fervere, atque ſpumas eicere. Unde & tam acriter & acerbe nunc colantur, & a ſpumis ſuis purgantur, ut homines in periculis iſtis magno moerore & triſtitia commoveantur. Sed dies moeroris & triſtitiae nondum adſunt.

Quia ſupernus judex querimoniam juſtitiae interim ſuſcipiens, vindictam ſuam ſuper praevaricatores aequitatis, & maxime ſuper iniquos Eccleſiae praelatos per multa incommodorum judicia inducet, donec debita examinatione purgati per poenitentiam reſipiſcant, & ſic ordo quiſque in rectitudine reſtitutus ad honorem dignitatis ſuae revertetur.

XVI. Juſtitia enim poſtquam ad ſupernum judicem querelam ſuam ut ſupra dictum eſt direxerit, illa voces querimoniae ejus ſuſcipiens, juſto judicio ſuo vindictam ſuam ſuper praevaricatores rectitudinis atque tyrannidem inimicorum eorum ſuper eos graſſari permittet ſic ad invicem dicentium: *Quamdiu rapaces lupos iſtos patiemur & tolerabimus, qui medici eſſe deberent & non ſunt?* Sed quoniam poteſtatem loquendi, ligandi, & ſolvendi habent, idcirco ut ferociſſimae beſtiae nos capiunt. Scelera quoque eorum ſuper nos cadunt, omniſque eccleſia per eos areſcit, quia quod juſtum eſt non clamant, legemque deſtruunt, quemadmodum lupi agnos devorant, atque in crapula voraces ſunt, adulteriaque quamplurima perpetrant, & propter talia peccata abſque miſericordia nos judicant. Raptores etiam eccleſiarum ſunt, & per avaritiam quaecunque poſſunt deglutiunt, atque cum officiis ſuis nos pauperes & egenos faciunt, ac ſe ipſos & nos contaminant. Quapropter juſto judicio dijudicemus, & dividamus eos quia ſeductores magis quam doctores exiſtunt, & hoc etiam idcirco faciamus ne pereamus, quoniam ſi ſic perſeveraverint, totam regionem ſibi ſubiciendo diſturbabunt. Nunc autem dicamus eis, quod ſecundum juſtam religionem habitum & officium ſuum compleant, quemadmodum antiqui patres illa conſtituerunt, vel a nobis recedant, & ea quae habent relinquant. Haec & his ſimilia divino judicio excitati illis acriter proponent, atque ſuper eos irruentes dicent: *Nolumus hos regnare ſuper nos, cum praediis, & agris, & reliquis ſaecularibus rebus, ſuper quas principes conſtituti ſumus.* Et quomodo decet ut tonſi cum ſtolis & caſulis ſuis plures milites & plura arma quam nos habeant? Sed & num conveniens eſt, ut clericus miles ſit, & miles clericus? Unde abſtrahamus eis quod non recte ſed injuſte habent. Diligenter autem conſideremus quid cum magna dilectione pro animabus defunctorum oblatum ſit, &

illud eis relinquamus, quoniam hoc rapina non eſt. V. X.
Omnipotens enim pater recte diviſit omnia, caelum ſcilicet caeleſtibus, terram vero terreſtribus; atque hoc modo juſta diviſio inter filios hominum ſit, videlicet quod ſpiritales homines ea habent, quae ad ipſos reſpiciunt; ſaeculares autem illa quae eis conveniunt, ita ut neutra pars iſtorum aliam per rapinam opprimat. Deus quidem non praecepit, ut tunica & pallium alteri filio daretur, & alter nudus remaneret, ſed juſſit ut illi pallium, illi tunica tribueretur. Pallium itaque ſaeculares propter amplitudinis ſaecularis curae, & propter filios ſuos qui ſemper creſcunt & multiplicantur habeant; tunica vero ſpiritali populo concedatur, ne in victu aut in veſtitu deficiant, & ne pluſquam neceſſe ſit poſſideant. Quapropter judicamus & eligimus ut omnia quae praedicta ſunt recte dividantur; atque ubicumque pallium cum tunica in ſpiritalibus invenitur, ibi pallium ſubtrahatur, & indigentibus detur, ne per inopiam conſumantur. Et ſic tandem per hanc judicialem ſententiam omnia iſta ſecundum voluntates ſuas perficere conabuntur. Sed pontificales dignitates, omneſque in ſpiritali habitu ſub eis degentes, illis cum clauſura caeli primitus reſiſtere multum laborabunt. Sed cum tandem praeſcuſerint, quod nec poteſtate ligandi, nec ſolvendi, nec confirmatione oblationum ſuarum, nec ſtrepitu armorum, nec blanditiis, nec minis, ipſis reſiſtere poterunt, divino judicio territi inanem ſuperbamque fiduciam quam prius in ſemetipſis ſemper habuerant deponentes & in ſe redeuntes, coram illis humiliabuntur, atque ululando clamabunt, & dicent: *Quia omnipotentem Deum in ordine officii noſtri abjecimus, idcirco ſuper nos confuſio haec inducta eſt, videlicet ut ab illis opprimamur & humiliemur, quos opprimere & humiliare debueramus.* Nam illis ſuper quos principes conſtituti eramus, & his qui nobis per diſciplinatum ſubiciebantur, Deus funem ſubjectionis abſtraxit, nobiſque eos dominari permittit. Quapropter conſideremus quod juſta judicia Dei patimur, quoniam regna mundi nobis ſubjugare voluimus, ſicut & nos ſub jugo Dei eſſe debebamus, & quia voluptatem cujuſque carnalis concupiſcentiae perfecimus, ne ob hoc ullus nos arguere audebat. Deus enim genti Judaeorum praecepit, ut ſacrificia de animalibus creatori ſuo offerrent; ſed illi juſſa ejus contemnentes, in omnes carnales ſenſus ſe convertebant. Unde & gentes alienigenarum ſuper eos inducti ſunt. Nobis autem ut vivum & ſpiritale ſacrificium offerremus indixit; ſed nos illud pollutis manibus tractare non pertimuimus, & cum diademate ſceptri ſui nos coronaret, ſuper omnia nos exaltavimus, atque concupiſcentias carnis noſtrae omnibus modis complevimus; & ideo inimici noſtri ſuper nos graſſantur, quemadmodum prioribus praevaricatoribus inimici eorum dominati ſunt. Et tunc tam majores quam minores utriuſque populi, clerum ita ordinabunt, & ea quae illi neceſſaria ſunt hoc modo diſponent, ut nec in victu aut in veſtitu defectum habeant; & a ſaecularibus hujuſmodi opprobria deinceps non ſuſtineant. Haec autem tam in ſpiritali quam in ſaeculari populo quaſi in prima hora diei incipientur, & deinde velut in tertia in plenum opus perducentur, & tandem quemadmodum in ſexta ex toto perficientur, & omnes gradus hominum quaſi poſt ſextam conſiderabuntur, & in alium modum quam modo ſint diſponentur, ita ſcilicet, ut quiſque ordo in rectitudine ſua conſiſtat, & etiam liberi ad honorem libertatis ſuae, & famuli ad debitam ſervitutem ſubjectionis ſuae redeant.

Omnia praedicta quaſi ab hora prima uſque ad ſextam incluſive complebuntur.

Quod

Digitized by Google

P. III. *Quod ultione Dei per correctionem praevaricatorum ſedata, ordinatio juſtitiæ, & pacis tranquillitas ante ſæculum fient & ante primum Domini adventum reſplendeat, Judæorum etiam aliqua parte converſa & gaudente & illum adveniſſe fatente quem modo negant.*

Leo, XVII. Sed tamen inter hæc omnia velut leo in libro *Scivias* notatus oſtendit, dura etiam crudeliaque bella timore Dei abjecto multoties exurgent, & plurimi hominum in occiſione cadent, plurimæque civitates per deſtructionem ruent. Sicut enim vir fortitudine ſua fœmineam mollitiem vincit, & ut leo reliquas beſtias ſuperat, ita & crudelitas quorumdam hominum quietem aliorum in diebus illis per divinum judicium conſumet, quoniam Deus crudelitatem pœnarum ad purgationem iniquitatum inimicis ſuis tunc concedet, ſic etiam a principio mundi ſemper fecit. Cumque homines praedictis afflictionibus purgati fuerint, tædium praefatorum praeliorum incurrent, atque juſtitiam in cunctis eccleſiaſticis conſtitutionibus, quae Deo placitae ſunt per timorem Dei apprehendent, illique plurima bona ſuperaddent, & hoc tam in diebus pacis quam belli & cujuſque laboris facient. Et tunc juſtitia recte ſponſa nominabitur, quae in lectum veri regis relicta concubina ducetur, cujus ſtudium fuit, ut interdum quaedam legalia praecepta per ſimulationem ſervaret, & interdum conſuetudinem pravae ſodalitatis ſibi conjungeret, unde & rex illam abiciet, quia praedicti dies velut concubina erant, hominibus in quibuſdam conſtitutionibus eccleſiaſtica mandata obſervantibus; in quibuſdam vero illa omnino relinquentibus. Omnipotens namque Deus, qui verus Salomon eſt, ſponſam ſuam videlicet juſtitiam cum omnibus ornamentis ideſt cum omnibus eccleſiaſticis ordinibus ornabit, ita ut ornamenta ipſius palam appareant, quae concubina hoc modo in illa obſcuraverat, ut aliquando videri non poſſent. Unde & dies illi dextructionem inutilium dierum demonſtrabunt, & conſolatio deſolationem evacuabit, quemadmodum nova lex veterem legem immutavit, & ut tempus curationis tempus caſus ad meliora perduxit, quoniam ſi praedicta mala in levitate & in ſcandalo conſuetudinis ſuae inconcuſſa perdurarent, veritas ita obnubilaretur, ut turres caeleſtis Ieruſalem moverentur, & omnis eccleſiaſtica inſtitutio contaminaretur velut homines abſque vero Deo eſſent. Nam praevaricatores juſtitiae in tali opprobrio tunc erunt, quaſi mulier quae juſto conjugio relicto adulterium facit, quia eccleſiaſtica praecepta praevaricando quaſi adulterium perpetrarant, & ideo etiam afflictionem & deſpectionem ſuſtinebunt, quemadmodum fœmina quae a viro ſuo relicta conſolatione illius caret. Sed & tam novae & incognitae ordinationes juſtitiae & pacis tunc advenient, ut homines inde admirentur dicentes, quoniam talia prius nec audierint, nec cognoverint; & quis pax ante diem judicii ipſis data ſit, ſicut etiam pax primum adventum filii Dei praecucurrit, pro timore tamen ſuperventuri judicii pleniter gaudere non valentes, ſed omnem juſtitiam in catholica fide ab omnipotente Deo quaerentes, Judaeis etiam gaudentibus, & illum jam adeſſe dicentibus, quem veniſſe modo negant. Pax enim illa quae adventum incarnationis filii Dei praeceſſerat, illis diebus pleniter perficietur, quoniam fortes viri in magna prophetia tunc ſurgent, ita ut etiam omne germen juſtitiae in filiis & in filiabus hominum tunc florebit, velut per prophetam ſervum meum in voluntate mea ſic praedictum eſt. *In die illa erit germen Domini in magnificentia & gloria & fructus terræ ſublimis, & exultatio his qui ſalvati fuerint de Iſrael.* Hujus ſententiae intellectus hoc modo accipiendus eſt.

Verba Iſayæ prophetæ primum Domini adventum teſtificantia, quæ in ſæculo maxime complebuntur per illuminationem Judæorum, qui ſcandalo Chriſti obcæcati in paſſione ipſius a viriditate fidei & bonorum operum exaruerant. V.X.

XVIII. In die hac cum angeli pacem hominibus datam canerent, fuit filius meus de Virgine natus, ab eiſdem angelis magnificatus, a paſtoribus quoque, qui eum pia devotione quaerebant, glorificatus, & fructus terrae cui pax reddita erat, & cui aer ſuavitatem adminiſtrabat, ſuperabundans, & gaudium illis qui de praeterita tribulatione malorum liberati erant in filiis Jacob, quia multis tribulationibus juſto juditio prius conterebantur. Sed & cum lux verae fidei corda fidelium illuſtrabit, filius meus in ipſis magnificabitur, quoniam illum de me exiſſe credent, atque glorificabunt, ubi eum ad me in gloria rediſſe confitebuntur. Quapropter & ipſis fructus bonorum operum ſublimabitur. Exultatio quoque in eis augebitur, cum de diabolica poteſtate erepti, & de tartareis poenis liberati inter filios Dei computabuntur. Floriditas autem vineae Sabaoth, quae de flore virgae Aaron proceſſit, quae per ſpumam ſerpentis non incaluit quando filius meus in cruce paſſus eſt exaruit, quia oculi Judaeorum in umbra mortis gravati fuerunt, ubi verba prophetiae audientes, ea cum vero flore abjecerunt, quem tota terra cognovit, cum in cruce expiravit. Et ideo etiam ſeipſos occiderunt, ac ſic tam in veteri quam in novo teſtamento exaruerunt, quoniam vetus teſtamentum eſt ſicut hyems, quae omnem viriditatem in ſe abſcondit; novum vero quaſi aeſtas, quae gramina & flores producit.

Loquitur Deus pater de ſuo filio

Et hic filius:

Verba ejuſdem Chriſti Domini, quae dum ad mortem duceretur, de viridi & arido ligno lamentantibus ſe reſpondit, & quomodo intelligi debeant.

XIX. Quapropter ipſe etiam lamentantibus ſe dicebat: *Si in viridi ligno haec faciunt, in arido quid fiet?* Hujus ſententiae intellectus hoc modo accipiendus eſt. Ipſe viride lignum fuit, quia omnem viriditatem virtutum protulit; ſed tamen ab incredulis abjectus eſt, Antichriſtus autem aridum lignum eſt, quia omnem viriditatem juſtitiae conculcans ea quae in rectitudine viridia ſunt arida facit, unde etiam ad nihilum deducetur. Viride quoque lignum illi dies fuerunt, in quibus homines reſpectum reparationis omnium dolorum habebant, & in quibus nullum timorem futuri judicii noviſſimi temporis metuebant; aridum vero lignum cum diſceſſio de qua Paulus electum vas meum loquitur, ante filium perditionis apparebit, ubi etiam omnis dolor ſuperveniens caelum & terram commovebit. Caelum quippe & terra in futuro judicio movebuntur, quemadmodum in viridi ligno praeſignatum eſt, cum rota firmamenti quae plurima ſigna in ſe habet, illo occumbente ſplendorem lucis ſubtraxit, ſicut etiam in praedictis verbis Prophetarum oſtenditur.

Quanti diverſis gaudiis in eccleſia propter recuperatum juſtitiae ſtatum, & temporalium rerum copia & ſpiritualium bonorum abundantia in diebus penultimis per aliquantum temporis perfruentur, ea Judaeorum & Haereticorum parte qui in malo perſtiterunt de proximo Antichriſti adventu perniticioſa praeſumptione exultante.

XX. In diebus itaque ſupradictis ſuaviſſimae nubes cum ſuaviſſimo aere terram tangent, illamque viriditatem fructuoſitatis exſudare facient, quia homines ad omnem juſtitiam tunc praeparabunt, quemadmodum in praefato tempore foemineae debilitatis fructuoſitas terrae defecit, quoniam elementa peccatis hominum violata, in omnibus officiis ſuis deſtituta tunc fuerunt. Principes quoque cum reliquo populo juſtitiam Dei recte ordinabunt, omniaque ar-

ma,

Digitized by Google

P. III. ma, quae ad necem hominum parata erant interdicent, illa tantum ferramenta conſervantes, quibus terra colitur, & quae ad neceſſitatem uſus hominum reſpiciunt; & ſi quis haec tranſgredientur ferro proprio necabitur, atque in deſertum locum abicietur. Et ut nubes ſuavem & rectam pluviam ad fructum juſti germinis tunc emittent, ſic & Spiritus Sanctus rorem gratiae ſuae cum prophetia, ſapientia, & ſanctitate in populum fundet, ita ut ille tunc appareat quaſi in alium modum bonae converſationis mutatus ſit. Vetus namque lex umbra ſpiritalis vitae fuit, quoniam illa tota per creaturam ſignata erat, velut in hyeme omnis fructus in terra abſconditus nequaquam cernitur, quia nondum formatus eſt, nec eadem lex aeſtatem habebat, quoniam filius Dei nondum incarnatus apparuerat; ſed ipſo veniente illa tota in ſpiritalem ſignificationem mutata fructus aeternae vitae in praeceptis evangelii oſtendit, quemadmodum etiam aeſtas flores & fructus producit. In diebus etenim illis vera aeſtas per virtutem Dei erit, quia tunc omnia in veritate conſiſtent, ſacerdotes ſcilicet & monachi, virgines quoque & continentes & reliqui ordines in rectitudine ſua ſtabunt, juſte & bene viventes, omnemque ſublimitatem & ſuperfluitatem divitiarum abicientes, quoniam ſicut per temperiem nubium & aeris neceſſaria utilitas fructuum tunc producetur; ita & germen ſpiritalis vitae per gratiam Dei tunc propalabitur. Prophetia quippe ut praefatum eſt tunc aperta erit, ſapientiaque jocunda & robuſta, omneſque fideles in his velut in ſpeculo conſiderabunt ſe, & tunc etiam veri angeli hominibus familiariter adhaerebunt, novam & ſanctam converſationem in eis videntes, cum nunc propter foetentia peccata eorum ab ipſis ſaepius declinent. Sed & tunc juſti gaudebunt ad terram repromiſſionis tendentes, ac ſpem aeterni praemii expectantes, & tamen pleniter non laetabuntur, quia futurum judicium adeſſe videbunt, & hoc in ſimilitudine peregrinorum facient, qui ad patriam ſuam tendunt, plenum gaudium non habentium cum adhuc in peregrinatione ſunt. Judaei autem & Haeretici tunc valde laetabuntur dicentes: *Gloria noſtra in proximo eſt, illique conculcabuntur, qui nos fatigaverunt & expulerunt.* Attamen quamplurimi Paganorum Chriſtianis ſe tunc adjungent copiam honoris & divitiarum eorum videntes; atque baptizati cum ipſis Chriſtum praedicabunt, quemadmodum in tempore Apoſtolorum factum eſt; Judaeiſque & Haereticis dicent: *Quod vos gloriam veſtram dicitis, hoc mors aeterna erit, & quem vos principem veſtrum nominatis, illius finem cum maximo horrore & periculo videbitis, atque tunc ad nos convertemini diem illum inſpicientes, quem nobis ſtirps aurorae videlicet ſtellae maris Mariae oſtendit.* Dies utique illi fortes & laudabiles in pace & ſtabilitate erunt, ſimileſque armatis militibus qui in rupe jacentes hoſtibus ſuis inſidiantur, & quos ad internitionem perſequuntur, adventumque noviſſimi diei annunciabunt, quia quidquid Prophetae boni ſeu gratiae praedixerant, in ipſis complebitur. Sapientia quoque, religioſitas, & ſanctitas in eis confirmabitur, quoniam ſi filius Dei a Prophetis praedictus non fuiſſet, & velut in ictu oculi veniſſet cito oblivioni traderetur, ſicut & perditus homo qui quaſi latenter veniens citiſſime deſtruetur.

Quod eamdem pacis quietem & fructuum redundantiam hominibus ſibi & non Deo tribuentibus & circa religionem denuo torpere incipientibus iterum tantæ ſubſequentur tribulationes quantæ nunquam ante in mundo efferbuerunt.

XXI. Attamen in eiſdem diebus praefata juſtitia & religio ad fatigationem debilitatis in eiſdem diebus interdum in hominibus inclinabuntur, ſed vires ſuas cito reſument; interdum etiam iniquitas ſurget & iterum cadet, interdum quoque bella, fames, peſtilentia, ac mortalitas graſſabuntur, & iterum evaneſcent, nec omnia iſta in uno ſtatu ac tenore diu V. X. tunc ſtabunt, ſed hac & illac movebuntur, ita ut nunc appareant, nunc autem elabantur. Sed & in ipſis diebus inter omnia haec quemadmodum equus in libro *Scivias* demonſtrat, petulantia morum, atque jactantia animorum, nec non plenitudo voluptatum & aliarum vanitatum abſque reverentia in hominibus multoties exurgent, quia illi in quiete pacis quieſcentes, & abundantia frugum redundantes nullo incurſu bellorum terrebuntur; nec penuria frugum conſtringentur. Sed haec ſibimet tribuentes, Deo a quo omnia bona procedunt debitum honorem in his non exhibebunt. Quapropter & tanta pericula praefatam quietem & abundantiam ſubſequentur, quanta prius viſa non ſunt. Nam cum homines in hujuſmodi quiete ut praedictum eſt reſidebunt, nulla pericula metuentes, alii dies omnium dolorum advenient, in quibus lamentabilis vox Prophetarum, atque vox filii Dei adimplebitur, hominibus prae timore continuarum afflictionum mortem deſiderantibus & dicentibus: *Ut quid nati ſumus*, & optantibus ut montes decidant ſuper eos. Priores namque dies dolorum & calamitatum aliquam refocillationem & reparationem interdum habebant, iſti autem omnium dolorum & iniquitatum pleni a malis non ceſſabunt, ſed dolor dolori, iniquitas iniquitati in eis accumulabitur, omnique hora homicidium & injuſtitiam pro nihilo computabunt, & quemadmodum animalia ad manducandum occiduntur, ita & homines in furore aliorum in eiſdem diebus interficientur. Cum enim gentes Paganorum Chriſtianos in pace reſidere, & in ſubſtantia locupletes eſſe viderint, crudelem fiduciam in fortitudine ſua habentes dicent. *Chriſtianos armis noſtris invadamus, quoniam ſine armis, & ſine robore ſunt, eoſque velut oves occiſionis capere & occidere poſſumus.* Et ſic de longinquis regionibus ferociſſimam & immundiſſimam gentem convocabunt, cui & ſe in fornicatione & in immunditia atque in omni malo adjungent; populumque chriſtianum ubique raptis & praeliis invadent, & plurimas regiones & civitates deſtruent. Eccleſiaſticas quoque diſciplinas quamplurimis vanitatibus & immunditiis polluent, & omnes quos poterunt eodem modo contaminabunt. Unde & dies illi alios peſſimos dies futuros manifeſtabunt, adventum quoque perditi hominis denudabunt, quoniam ut immundus, qui in immunditia ſe ſemper polluit inde non ſaturatur, ſic & idem dies immunditiarum pleni erunt, nec his ſaturari valebunt. Quod & David praevidens clara voce dixit.

Equus.

Verba David ex Pſalmo XXI. in perſona Chriſti & eccleſiæ perſecutiones iniquorum denunciantis, & quomodo intelligenda ſint.

XXII. *Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.* Quod quamvis ob certitudinem futurorum ad literam de praeteritis ſonet, de futuris tamen ſic accipiendum eſt. Increduli per multam ſtragem infidelitatis divident ſecundum voluntates ſuas ordinationes ſaecularium dignitatum & operationum quibus velut veſtimentis in eccleſia indutus fueram; atque ſuper hos qui quaſi veſtis mea in ſpiritali vita mihi viciniores erant mittent quamplurimas vanitates, cum eos a rectitudine viarum ſuarum averterunt, & omnia jura eccleſiarum per deſtructionem ad nihilum redegerunt, atque cum ſuper eos dederint leges iniquitatis, ut ipſos omnino conterant. Sed his malis etiam idem David reſpondet dicens: *Tu autem Domine ne elongaveris auxilium tuum, ad defenſionem meam conſpice.* Hujus ſententiae intellectus hoc modo accipiendus eſt. Ego eccleſia quae ſponſa filii tui o coeleſtis pater eſſe debui, quamvis modo debilitata ſim, ad te o pater omnium vociferor petens ne differas mihi auxiliari, quoniam membra mea, qui membra filii tui ſunt, in deſtructionem & diſperſionem vadunt, ac ideo quantotius ad defendendum & me & illos inclina

ocu-

P. III. oculos miſericordiae tuae, ne a te neglecti omnino conteramus.

Item interpellatio filii ad patrem pro liberatione corporis ſui quod eſt eccleſia.

XXIII. Sed & filius eiſdem verbis ad patrem loquitur. *O Pater ego ſemper tecum fui, & tu me miſiſti carne veſtiens me, & ſic in terra ambulavi, & quidquid mihi juſſiſti hoc perfeci, quia veritas tua ſum, & ideo etiam omnes inimicos meos ſub pedibus meis poſuiſti, & ſuper ipſos ſta, quoniam in ſiniſtra parte ſunt, & ad te non pertinent, quia verum opus tuum ad dextram tuam eſt. Illud quoque tecum operor quemadmodum ante exordium dierum praeordinaveras, atque inimicos meos judico, velut Dominus ſcabellum pedum ſuorum comprimit. Itaque adjutorium tuum ad me inclina me vindicans de inimicis meis, quoniam ego filius tuus ſuper aſpidem & baſilicum ambulo. Quapropter etiam ad protectionem meam membrorumque meorum conſpice, quia omne opus quod voluiſti, & mihi impoſuiſti ad profectum duxi, & ita ego ſum in te, & tu in me, & unum ſumus. Iterumque idem filius ad patrem dicit. Nunc memor eſto quod plenitudo quae in primo facta eſt areſcere non debuit, quia in principio mundi finem mundi ſuſpendiſti, nec oblivioni tradidiſti, ſicut illorum obliviſceris, qui in perditionem vadunt, & quod plenitudo generationis hominum quae in primo tempore & in primo homine praeviſa & facta eſt, nondum areſcere in defectione debuit, quoniam in te non fuit, quod homines ante praeordinatum tempus in generationibus ſuis omnino deficerent. Et tunc etiam cum hominem creaſti in te ſcilicet in antiquo conſilio habuiſti, quod oculus tuus videlicet ſcientia tua omnia pleniter praevidens, omniaque recte diſponens nunquam cederet ab illo quod in te praeordinatum erat, ideſt quod homo propter ullam intemperantiam ſuam ex toto periret, aut quod mundus deficeret, uſque dum corpus meum in membris ſuis, quia fideles membra mea ordinatione tua ſunt, videres plenum gemmarum, ideſt perfectum in omnibus illis, qui per me in te confidunt, & te colunt, quaſi gemma in virtutibus coruſcantes.*

Quia tunc temporis chriſtiano popula in poenitentiam redacto, & multis afflictionibus pro peccatis ſuis macerato, gratia eis divina per multa miracula, ſicut & antiquo populo ſuo fecit ſubveniet, & hoſtibus ſubactis plurimam Paganorum multitudinem fidei ſuae adiciet.

XXIV. Denique cum incredulae & horribiles gentes, ut ſupradictum eſt, facultates ac poſſeſſiones eccleſiarum circumquaque invadentes, ad internitionem delere ſtuduerint, velut vultures & accipitres ea quae ſub alis & ſub unguibus ſuis habent conſtringunt, & cum eis chriſtianus populus omnibus modis in poenitentia peccatorum ſuorum maceratus, nec morte corporali perterritus reſiſtere in armis tentaverit, fortiſſimus ventus ab aquilone cum maxima nebula, & cum denſiſſimo pulvere veniens, flatos ſuos divino juditio contra illos emittet, itaut guttura eorum nebula, & oculi ipſorum pulvere hoc modo impleantur, quatenus ferocitatem ſuam deponentes in maximum ſtuporem convertantur. Sancta enim divinitas ſigna & miracula in chriſtiano populo tunc faciet, ſicut etiam cum Moyſe in columna nubis fecit, & ſicut Michael Archangelus ad defenſionem chriſtianorum contra Paganos pugnavit, itaut fideles filii Dei in protectione ipſius euntes ſuper inimicos ſuos irruant, & victores illorum per virtutem Dei exiſtant, alios quidem morti tradentes, alios vero de finibus ſuis ejicientes. Quapropter quammaxima turba Paganorum Chriſtianis in vera fide tunc addetur ipſis dicentibus: *Deus Chriſtianorum Deus verus eſt, qui talia ſigna in ipſis fecit*. Sed & victores quos Deus in defenſione ſua habebit; Deum V. X.
laudabunt dicentes: *Laudemus Dominum Deum noſtrum; vere enim magnificatus eſt in nobis, quia in nomine ipſius victores exiſtimus. Unde etiam & fortitudo noſtra laus ipſius eſt, quoniam per eum tam inimicos ipſius quam noſtros ſuperavimus, cum in eum fideliter credidimus.* Et iterum dicent: *Attendamus quoque Dominica verba in evangelio. Exurget gens Paganorum contra gentem Chriſtianorum, ſicut in nobis factum eſt. Quapropter adjacentes nobis civitates & villas deſtructas reaedificemus, ac fortiores, & munitiores eas faciamus quam prius fuiſſent, ne amodo per hujuſmodi mala conteramur, ut nunc contriti ſumus. Et hoc totis viribus ſuis, omnique ſubſtantia ſua fortiter & largiter complebunt.*

Quod in diebus illis Romanis imperatoribus a priſtina fortitudine decidentibus imperium in manibus eorum paulatim decreſcet & deficiet, & etiam infula apoſtolici honoris dividetur, & alii aliis magiſtri vel archiepiſcopi in diverſis locis ſuperponentur.

XXV. In illis autem diebus imperatores romanae dignitatis a fortitudine qua prius romanum imperium ſtrenue tenuerant deſcendentes, in gloria ſua imbecilles fient, itaut imperium in manibus eorum divino juditio paulatim decreſcat & deficiat, quoniam ipſi ſqualidi & tepidi & ſerviles & turpes in moribus ſuis exiſtentes, in omnibus inutiles erunt, & a populo quidem honorari volent; ſed proſperitatem populi non quaerent, & ideo etiam honorari & venerari non poterunt. Quapropter etiam reges & principes multorum populorum, qui prius romano imperio ſubjecti erant, ſe ab eo ſeparabunt, nec ulterius ei ſubici patientur. Et ſic romanum imperium in defectum diſpergetur. Nam unaquaeque gens & quiſquis populus regem ſibi tunc conſtituet cui obediat, dicens quod latitudo imperii romani magis ſibi oneris prius fuerit, quam honoris. Sed poſtquam imperiale ſceptrum hoc modo diviſum fuerit, nec reparari poterit, tunc etiam infula apoſtolici honoris dividetur. Quia enim nec principes nec reliqui homines tam ſpiritalis quam ſaecularis ordinis in apoſtolico nomine ullam religionem tunc invenient, dignitatem nominis illius tunc imminuent. Alios quoque magiſtros & archiepiſcopos ſub alio nomine in diverſis regionibus ſibi praeferent, ita ut etiam apoſtolicus eo tempore dilatatione honoris priſtinae dignitatis attenuatus, Romam, & pauca illi adjacentia loca vix etiam tunc ſub infula ſua obtineat. Haec autem ex parte per bellorum incurſionem evenient, ex parte quoque per communem conſilium & conſenſum & ſpiritalium & ſaecularium populorum perficientur, illis hortantibus ut quiſque ſaecularis princeps regnum & populum ſuum muniat & regat, ut quilibet archiepiſcopus ſeu alius ſpiritalis magiſter ſubditos ſuos ad rectitudinem diſciplinae conſtringat, ne deinceps malis illis affligantur, quibus divino nutu prius afflicti ſunt.

Quod iterum tunc temporis iniquitate repreſſa, & juſtitia revaleſcente diſciplina honeſtatis & antiquarum jura conſuetudinum repullulabunt & obſervabuntur, & Prophetae multi erunt, & occulta ſcripturarum ſapientibus patebunt, plurimis interim haereſibus paſſim ebullientibus, quae Antichriſti vicinum denuncient adventum.

XXVI. Et tunc iterum iniquitas aliquantulum debilis jacebit, interdum quoque ſurgere attentabit; ſed juſtitia in rectitudine ſua interim ſtabit, ita ut homines illorum dierum ad antiquas conſuetudines & diſciplinas antiquorum hominum in honeſtate ſe convertant, & eas teneant, & obſervent, ſicut antiqui illas tenere & conſervare conſueverant. Sed etiam tunc unuſquiſque rex & princeps, ac epiſcopus eccle-

P. III. eleſiaſticae dignitatis ſe ipſum in alio caſtigabit, cum alium juſtitiam obſervare & honeſte vivere videbit, atque unaquaeque gens correctionem ab alia ſumet, cum illam ad bona proficere, & ad rectitudinem ſurgere audiet. Aer quoque tunc iterum ſuavis erit, & fructus terrae utilis, homineſque ſani & fortes fient. In ipſis etiam diebus multae prophetae, ac plurimi ſapientes erunt, ita ut etiam occulta prophetarum & aliarum ſcripturarum ſapientibus tunc ad plenum pateant, & filii, & filiae eorum prophetent, velut ante multa tempora praedictum eſt, & hoc in tali puritate veritatis fiet, ut aerei ſpiritus irriſionem in illis tunc facere non poſſint. In eodem quoque ſpiritu illi prophetabunt, quo prophetae ſecreta Dei olim annunciaverunt, & in ſimilitudine doctrinae apoſtolorum, quorum doctrina ſuper omnem humanum intellectum fuit. Interim etiam tam multae haereſes & tam plurimae turpitudines cum aliis malis ebullient, quae etiam Antichriſtum in proximo adeſſe oſtendent, ita ut homines eorumdem dierum dicant, quod tanta crimina & tantae immunditiae prius non fuerunt, ſicut in diebus eorum apparuerint. Quod & *Porcus,* porcus in libro *Scivias* deſcriptus manifeſtat, quia dum juſtitia aliquando regnat, iniquitas illam oppugnat: & dum aliquando iniquitas viget, juſtitia illam confundit, quoniam mundus in uno ſtatu nunquam permanet.

De qualitate judiciorum divinae poteſtatis circa finem mundi manifeſtandorum, & quia tunc plurima pars hominum ſinceritatem catholicae fidei deſerens ad filium perditionis convertetur,

Ultima pars rota quae nigra eſt.

XXVII. Nunc autem o homo quod vides, quoniam praedicta exterior pars ſupradictae rotae tandem velut turbida & procelloſa tempeſtas, ſcilicet prope finem ejuſdem medietatis ubi praefata linea eidem rotae affixa eſt apparet, hoc demonſtrat quod judicia poteſtatis Dei turbida & procelloſa in diebus illis erunt, cum nec puritatem nec quietem catholicae fidei in cordibus incredulorum hominum circa finem fortitudinis illius in qua mundus modo viget inveniant, videlicet ubi voluntas Dei poteſtati ipſius ita conjungitur, quatenus in voluntate Dei ſit, quando mundus & ea quae in mundo ſunt per potentiam ejus finiantur, quia homines temporis illius ſinceritatem atque ſtabilitatem verae fidei fugient, & a vero Deo recedent ad filium perditionis ſe convertentes, qui omnia eccleſiaſtica inſtituta conturbans, maximas procellas adverſitatis fidelibus ipſi reſiſtentibus inducet. Nam cum poſt multas tribulationes, quas homines in invaſionibus alienarum gentium, & in ſemetipſis cum diviſione imperii perpeſſi erant, jam velut in quiete reſederint, iterum repente multae haereſes, multaeque contrarietates eccleſiaſticae dignitatis ebullient.

De conceptione & ortu Antichriſti, & quod ab exordio diabolico ſpiritu repletus, & in abditis locis occultatus & nutritus, omnibus magicis artibus uſque ad virilem aetatem imbuetur, & quanta in diebus illis rerum vel temporum in mundo, vel in eccleſia perturbatio & incertitudo futura ſit.

Antichriſtus.

XXVIII. Immunda quoque mulier in eodem tempore immundum filium concipiet, quoniam antiquus ſerpens qui Adam abſorbuit, illum hoc modo cum omni turba ſua inſlabit, ut nec aliquid boni in ipſum intret, nec in eo eſſe poſſit. In abditis enim & in diverſis locis nutrietur, ne ab hominibus cognoſcatur, omnibuſque diabolicis artibus imbuetur, & uſque ad plenos dies aetatis ſuae occultabitur, nec perverſitates, quae in ſe erunt, manifeſtabit, uſque dum ſe plenum & ſuperabundantem in cunctis iniquitatibus cognoverit. Ab initio autem ortus illius multa certamina, multaque contraria rectarum ordinationum ebullient, & ardens juſtitia a rectitudine ſua obtenebrabitur, & caritas in hominibus extinguetur. In eis quoque amaritudo & aſperitas orietur, ac tantae haereſes fient, ut etiam haeretici errores ſuos aperte & indubitanter praedicent; tantaque dubietas & incertitudo in catholica fide Chriſtianorum erit, ut homines in dubio habeant quem Deum invocent; atque plurima ſigna in ſole, & luna, & in ſtellis, & in aquis, & in caeteris elementis & creaturis apparebunt, ita ut etiam velut in pictura in portentis ſuis futura mala praenuncient. Unde etiam tanta triſtitia illo tempore homines occupabit, ut mori quaſi pro nihilo ducant. Qui autem in catholica fide tunc perfecti erunt, in magna contritione expectabunt, quid Deus ordinare velit. Et hae tribulationes hoc modo procedent; uſque dum filius perditionis os ſuum ad contrariam doctrinam aperiat. Sed cum ille verba falſitatis, & deceptionum ſuarum protulerit, caelum & terra contremiſcent, catenaque monilis juſtitiae quam Paulus uſque ad pedes ejuſdem virtutis deſcendentem fecit ut ſupra dictum eſt, velut magno ſtatu venti tacta tunc primum movebitur, quoniam uſque ad idem tempus inconcuſſa & inconvulſa permanebit. Paulus quippe doctrinam ſuam multis miraculis tam fortiter corroboravit, ac illam profundiſſimis verbis tam honeſte decoravit, ut etiam uſque in finem mundi ſic perduret, quemadmodum & haec eadem catena ad pedes ejuſdem juſtitiae quaſi ad finem mundi deſcendens demonſtrat. Ipſe quoque per veritatem in elevatione ſpiritus ſui de ſecundo adventu filii Dei, ac de mortifero incurſu filii perditionis credentibus loqutus eſt dicens. V. X.

Teſtimonium epiſtolae Pauli ad Theſſalonicenſes finem mundi & adventum & opera & judicium Antichriſti denunciantia, & quomodo intelligi debeant.

XXIX. *Neque terreamini, neque per ſpiritum neque per ſermonem, neque per epiſtolam tamquam per nos miſſam, quaſi inſtet dies Domini. Ne quis vos ſeducat ullo modo, quoniam niſi venerit diſceſſio primum, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adverſatur, & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, itaut in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tamquam ſit Deus.* Hujus ſententiae intellectus hoc modo accipiendus eſt. Vos qui Dei eſtis, & qui verbis ejus creditis cauti eſtote ne in cordibus veſtris ullo terrore quatiamini, neque ſpiritali ſcilicet deceptione, neque verboſa ſeductione, neque per ſcripta velut ad vos veraciter ſint directa, quaſi adſit dies ille, quo conditor cunctorum abſcondita cordium denudabit. Cavete etiam ne quis per illuſoria & fantaſtica facta vos inclinet ulla occaſione in ſeductionem, quoniam niſi venerit tempus illud, quo eccleſiaſtica ſublimitas diſſipabitur, & quo vera fides conculcabitur, quod diſceſſio intelligitur, quae fiet in tempore ſcelerati filii cujus mater immunda exiſtit, neſciens a quo conceperit, & manifeſtus fuerit ille qui homo peccati erit, quia per initium ſuum totus peccatis infundetur, unde & ſic peccator exiſtet, omnia peccata recitando & recolligendo, ac filius crudeliſſimae perditionis quoniam totus in perditione manebit, ea quae contraria Deo ſunt homines docens, quem etiam ſeductor humani generis ita inflammabit, quemadmodum ipſe furere primitus incepit, cum Deo ſimilis eſſe voluit; quapropter etiam adverſabitur omnibus Deum colentibus, & efferet ſe ultra omnem creaturam Deum ſe nominans, & ut quaſi Deus colatur praecipiens, non credatis, quaſi adſit dies Domini, ſcilicet quo judicabit orbem terrarum cum mundus finem accipiet. Iterumque idem Paulus Spiritu Sancto infuſus dicit: *Nam myſterium jam operatur iniquitatis, tantum ut qui tenet nunc teneat, donec de medio fiat.* Hujus ſententiae intellectus hoc modo accipiendus eſt. Occulta ſuggeſtio jam in operibus haereticorum manifeſtatur, in quibus perſuaſor iniquitatis jacula praemit-

Digitized by Google

Donum plenitudinem fulgoris ut ſol in meridie conſequitur.

mittit, veritatem verae fidei opprimere volens; ideoque recta intentione, ac bono conamine ſtudium hoc in fideli homine tantum ſit, ut qui fidem apoſtolicam & vere catholicam tenet, nunc firma ſtabilitate teneat illam inconvulſam, donec de medio illo quod inter ortum & defectum ſui eſt fiat, quoniam circa tempora filii perditionis fides a fortitudine ſua declinans, jam incurvata debilitabitur. Nam qui eccleſiaſticam in Deo ſublimitatem & fidem rectam habet aliquid magni tenet, quia per illam caeleſte regnum intrabit; qui vero fidem non habet nihil tenet, quoniam in perditionem ibit; & ſic etiam homo in medio poteſtatis Dei exiſtit, quia antequam homo formatus fuiſſet Deus erat, & poſtquam homo corporaliter finietur Deus in virtute ſua perdurat.

Quod antiquus hoſtis, qui primum hominem ſeducendo devicit, & per hominem Chriſtum revictus per alium hominem iterum ſe putans poſſe vincere Antichriſtum: juſta Dei permiſſione tota malignitate ſua infundet, ut ad impugnandam fidem catholicam & doctrinam Chriſti dextruendam innitatur.

Praedicatio Antichriſti.

XXX. Antiquus enim hoſtis quem fortitudo divinitatis in lacum abyſſi projecit, quemadmodum in vehementes aquas plumbum decidit, quoniam iniquitatem conſtituere voluit, cum Deus juſtus & verax ſit, & nullum ſibi ſimilem habeat, quia per ſe ipſum aeternaliter ſubſiſtens cuncta ex nihilo fecit, quoniam hominem primum ſuperaverat, per alium hominem ſcilicet Antichriſtum aeſtimat ſe poſſe perficere quod olim inceperat, cum adverſus Deum pugnare tentavit. A diabolo quippe Antichriſtus infuſus, cum os ſuum ad perverſam doctrinam ut praedictum eſt aperuerit, omnia quae Deus in antiqua, & in nova lege conſtituerat deſtruet, inceſtumque & alia ſimilia non eſſe peccata affirmabit. Dicet enim quia peccatum non ſit, ſi caro carnem calefaciat, ſicut nec hoc ſi homo ab igne calefiat, affirmans etiam quod omnia caſtitatis praecepta per ignorantiam facta ſint, quoniam cum homo alter calidus, alter frigidus ſit, calore & frigore oporteat eos invicem temperari. Et iterum ad fideles dicet: *Veſtra lex continentiae contra modum naturae conſtituta eſt, ſcilicet quod homo calidus eſſe non debeat, in cujus ſpiramine ignis eſt, qui totum corpus hominis incendit. Et quomodo iſte contra naturam ſuam frigidus eſſe poſſit? Sed qua ratione homo omitteret, quin carnem aliam calefaceret? Homo enim ille, quem magiſtrum veſtrum eſſe dicitis, legem quae ſupra modum eſt vobis dedit, quia ſic videre vos juſſit. Ego autem dico: Vos in his duobus modis videlicet caloris & frigoris eſtote, atque in invicem vos fovete, & praedictum hominem injuſta praecepta vobis dediſſe conſiderate, quoniam quamvis juberet ne homines ſe mutuo foverent, ipſi tamen naturam ſuam carnaliter coluerunt. Videte ergo ne injuſta doctrina a modo ſeducamini, quoniam in me eſt quid facere poſſitis vel non, nec magiſter veſter rectas propoſitiones vobis propoſuit, qui vos eſſe voluit ſicut ſpiritum qui carne coopertus non eſt, & qui non operatur, cum nata caro hominum ſic creata non ſit, quae per ignem infunditur & formatur, quia ſi filii hominum ſic non crearentur, poſſibilitatem operandi non haberent. Unde & vos quid ſitis ſcitote. Nam ille qui vos primum docuit vos decepit, & in nullo vos adjuvit: ego autem vobis infundo, ut voſmetipſos cognoſcatis, & ut quid ſitis ſciatis quoniam creavi vos, & totus in omnibus ſum; ille vero omnia opera ſua alii aſſignans a ſe ipſo nihil loquebatur, quoniam de ſe nihil potuit; ſed ego a meipſo loquor, atque per me ipſum omnia poſſum.* His verbis & aliis ſimilibus iſte infelix filius perditionis homines ſeducet, docens eos ut ſecundum igneum carnis guſtum vivant, & omnem voluntatem carnis ſuae perficiant, cum

Flumen Jordanis.

tam vetus quam nova lex homines ad caſtitatem invitent, ita ſcilicet ne caſtitas modum ſuum tranſcendat. Et hoc modo lucifer per illum juſtitiam Dei abnegabit, atque omne quod facere inceperit, per ipſum ſe poſſe perficere putans, Jordanem in os ſuum fluere aeſtimabit, ita ut baptiſmus deinceps non nominetur, ſed illum retrorſum abiiciat, quemadmodum ipſe per baptiſmum abjectus eſt. Unde ſic dominando tantum numerum populi ſibi ſubjugare putabit, ut filius Dei parvum numerum fidelium ad comparationem numeri ſui habeat.

Quare Antichriſtus homo peccati, & filius perditionis ab Apoſtolo vocetur, & teſtimonium ex Apocalypſi Joannis ad hoc competens, & quomodo intelligendum ſit, & quod diabolus & in veteri & in novo teſtamento ſectatores habuerit, alios per idola, alios per haereticos decipiens.

XXXI. Praefatus quoque homo peccati homo dicitur, quoniam omnia mala perficiet, & quia illa omnia ſuper ipſum fundentur, filiuſque perditionis vocatur, quoniam mors & perditio ipſi dominabuntur, atque, ut praedictum eſt, perverſis & nefandiſſimis modis multitudinem populorum ſeducendo, ſibi attrahet, ſeque ut Deum adorari faciet, videlicet etiam ut Joannes ſub imagine beſtiae feritatem ejus deſcribens per oſtenſionem veritatis dicit: *Et adoraverunt eam omnes qui habitant terram, quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitae agni.* Hujus quoque ſententiae intellectus hoc etiam modo de futuris accipiendus eſt. Proni corpore & mente adorabunt beſtiam iniquitatis, qui habitationem cordium ſuorum terrenis rebus infigent, quorum non ſunt exarata ſignis ſanctitatis nomina in aeternitate vitae illius, in cujus ore dolus inventus non eſt. Quapropter in perditione erit quicumque ſcripta hujus perditi hominis ipſum colendo adorabit, & qui ſcripta ſathan in corde ſuo geret, qui a Deo expulſus eſt, quoniam a ſe ipſo Deus eſſe voluit. Unde & mors nominatus eſt, quia vitam fugit, in qua nulla mortalitas invenitur, ſed quae omnia vivificat. Et iſti omnes qui huic perditionis filio adhaerebunt opera illius facientes, in libro vitae agni non ſcribentur, quoniam agnus iſte verbum Dei eſt per cujus verbi *fiat* omnis creatura proceſſit. Diabolus autem in veteri & in novo teſtamento ſequentes ſe aſſidue habuit; in veteri quidem per Baal; in novo autem per Saduceos, qui nervi ipſius in ſciſmate ſunt, quia legem Dei, quae radix juſtitiae eſt, in qua Patriarchae & Prophetae latebant, cum ſordibus Baal primum violaverunt; ſed & illos qui poſtea in novo teſtamento cum Saduceis in reſurrectionem in afflictione juſtitiae abnegaverunt, quia praedictae radicis rami evangelium eſt, fructuſque ramorum Chriſti teſtimonium exiſtit, quod idola Baal & Saduceos fortiter contrivit. Sed tamen deinde ab iſtis haeretici procedent, qui conditioni primae pullulationis contradicent, errorque iſtorum pejor priore erit, quoniam Deum in creatione ſua, & in viventibus animabus ex toto negabunt. Omnes autem iſti infelicem beſtiam videlicet perditum hominem adorabunt, fidemque omnipotentis Dei deſerentes dicent, quod nihil eis obſit, ſi praecepta Dei negligant.

De ſignis vel portentis & tempeſtatibus quas per magicas artes facturus eſt, & quomodo mori & reſurgere ſe ſimulans quandam ſcripturam fallacia diaboli inventa in frontibus ſequentium ſe deſcribi faciet qua decepti ulterius ab eo develli, & ſeparari non poterunt.

Caput Antichriſti.

XXXII. Et ſic infidelitas eorum ad praefatum aureum caput leopardi in praedicta catena monilis apparens deſcendit, quod Antichriſtum deſignat, qui ſe Deum velut aureum caput nominans per diabolicas artes & per ſciſcitationem elementorum hor-

P. III. renda portenta maximaſque tempeſtates faciet, quod Deus ita fieri permittet, quatenus omne genus humanum caſum illius cognoſcat. Nam & ideo quaſi pro redemptione populi ſui per occiſionem ſe mori, & per reſuſcitationem ſe reſurgere ſimulabit, quamdamque ſcripturam in frontibus ſequentium ſe ſcribi faciet, per quam omne malum eis immittet, ut etiam antiquus ſerpens hominem decipiens, eum quoque in captione ſua poſtmodum habens, libidine incendit, atque per eamdem ſcripturam contra baptiſmum, & contra chriſtianum nomen, magica arte eos ita infundet, ut ab illo diſcedere non cupiant, & ut ſecundum ipſum quemadmodum chriſtiani ſecundum Chriſtum omnes vocentur. Hanc autem ſcripturam lucifer in ſe diu habuit, nec eam ulli hominum revelavit, excepto huic ſoli, quem in utero matris ſuae totum poſſidebit. Quapropter etiam omnem voluntatem ſuam ſe confidit per illum poſſe perficere. Sed idem perditus homo animam, & quod vivit non a diabolo ſed a Deo habebit, cum & ipſe infeliciſſimus inquiſitor antiquae ſeductionis, qui omnia bona odit, vivere ſuum a Deo acceperit. Nam Deus ſolus vita eſt, omniſque anhelitus, & omne quod vivit per illum movetur, quoniam ipſe ſolus initium ſine initio eſt. Et ſicut lucifer in caelo contra Deum pugnavit, ita etiam per hunc perditum hominem in terra adverſus humanitatem filii Dei certare tentabit. Et hoc per ſcripturam hanc faciet, qua Deum & creatorem omnium negabit, ſe majorem illuſtrationem donorum ſuis conferre confidens, quam Chriſtus filius Dei in ſe credentibus contulerit. Scriptura autem haec in nulla lingua prius viſa aut invenia eſt, quia lucifer eam in ſemetipſo primum invenit, illamque eo dolo proferet, quo homines ſeducit ne creatorem ſuum cognoſcant; atque per ipſam infideles hoc modo deludet, ut nequaquam aliud colere, quam quod illi videbunt placere ſtudeant. Dicet enim idem filius perditionis quod ſicut lignum abſciſſum deponitur, quo uſque pictor illud componat & ornet, ut ab omnibus veneretur, ita quoque homo natus honore caeat, quouſque ſcriptura iſta extollatur, quoniam major ſalus & virtus in ipſa ſit quam in creatione hominis fuerit. Sed Deus omnes conatus ejuſdem ſcripturae cum auctore ſuo deſtruet; ſcriptura autem quam Spiritus Sanctus dedit non pertranſibit. Eumque his falſis ſignis ex omni genere hominum ad ſe colligere inceperit, ſancti & juſti in timore magno concutientur.

Scripto Antichriſti in frontibus ſuorum.

Antichriſtus animam & vivere a Deo habet.

Promiſſio Dei de reſtitutione Enoch & Helyae, & quomodo interim cum eis agatur, & qualiter cum reſtituti fuerint ſe in adverſis inter homines habebunt, & quanta adverſus Antichriſtum praedicationis & miraculorum poteſtate eniteſcent, a quo tamen martyrizati cum innumeris aliis e mundo migrabunt, & beatorum numerus martyrum ad plenitudinem debitae perfectionis perducetur.

XXXIII. Sed ego qui ſum recordabor quomodo primum hominem formaverim, & quali modo omnia opera quibus lucifer contra me per hominem pugnaturus eſſet praeviderim, atque quomodo ſanctas virtutes adverſus illum pugnando ſignaverim, quemadmodum in Enoch & Helya feci, quos de germine hominum, qui toto deſiderio mihi adhaeſerant, elegi. Et circa noviſſimum tempus hominibus oſtendam, quatenus teſtimonium iſtorum duorum teſtium homines confidenter recipiant. Nam in myſterio meo eos doceo, operaque hominum eis manifeſto, ita ut illa ſciant, quaſi ea corporaliter viderint; ſapientioreſque ſcriptis & ſermonibus ſapientium ſunt. Cum enim ab hominibus corporaliter ſublati ſunt, omnis timor & tremor eis ablatus eſt, ita ut æquanimiter omnia quae circa ipſos ſunt ſufferant, egoque in ſecretis locis abſque omni laeſione corporis eos ſervo. Et cum filius perditionis perverſam doctrinam ſuam evomet, iſtos eadem vis per quam prius de medio hominum ablati fuerant, quaſi in vento reducet, & V. X. quamdiu cum hominibus in terra morabuntur, ſemper poſt quadraginta dies reficientur, quemadmodum etiam filius meus quadraginta diebus tranſactis eſurivit. Illos autem fortes & ſapientes caput capricorni in praefata cathena monilis juſtitiae demonſtratum ſignificat, quoniam ſicut capricornis fortis eſt, & in altum aſcendit, ſic ipſi in potentia mea fortes erunt, in altitudinem miraculorum meorum velociter elevandi. Tantam enim virtutem in miraculis meis habebunt, quod majora ſigna in firmamento & in elementis, ac in caeteris creaturis filio perditionis facient, ita ut fallacia ſigna illius veris ſignis iſtorum deludantur. Unde & ob nimiam virtutem miraculorum eorum ex omnibus populis homines ad ipſos current verbis eorum credentes, atque ad martyrium, quod eis filius perditionis inferet cum ardenti fide velut ad convivium properantes, ita ut etiam occiſores ipſorum pro nimia multitudine occiſos dinumerare taedeat, quia multitudo ſanguinis eorum ſicut rivus aquarum effundetur. Sed tandem cum filius perditionis hos duos verae ſanctitatis viros, nec blanditiis, nec minis potuerit ſuperare, nec ſigna, nec miracula eorum obfuſcare, jubebit eos crudeli martyrio conſummari, memoriamque ipſorum de terra penitus deleri, quatenus nec ullus hominum in tota terra ſit, qui ei deinceps audeat reſiſtere. Tunc, ut ſupra dictum eſt, aureus numerus beatorum martyrum, qui in primitiva eccleſia propter veram fidem occiſi ſunt, in martyribus illis, qui in errore noviſſimi temporis occidentur, ad plenitudinem perfectionis ſuae perducetur, quoniam tempus hoc omnia conculcans, omniaque devorans, lupus, qui in libro *Scivias* deſcribitur, deſignat, quia ut lupus in rapacitate ſua quaecumque poteſt devorat, ita & in tempore illo fideles qui in filium Dei credunt, abſorbebuntur. Quapropter & idem filius Dei ad patrem iterum dicit ut praefatum eſt.

Lupus.

Item interpellatio filii ad patrem in oſtenſione vulnerum ſuorum ipſis hominibus ut eis pareat commendantis, & eoſdem homines ut genua ſua patri flectant, quod ipſorum miſereatur exhortantis.

XXXIV. *Jam me fatigat, quia ordinatione tua carne indutus ſum, quod membra mea videlicet illi qui ſacramento baptiſmatis mihi adhaeſerant, nec a me recedunt, & quod in irriſionem diabolicae illuſiones vadunt, eum filium perditionis audientes colunt, ex quibus tamen lapſos recolligo, rebelles autem & in malo perſeverantes abicio. Pater quoniam ego filius tuus ſum vide ea caritate, qua me in mundum miſiſti, & conſidera vulnera mea, quibus praecepto tuo hominem redemi, illaque tibi oſtendo, quatenus & tu illorum miſerearis quos redemi, neque permittas eos de libro vitae deleri; ſed per ſanguinem vulnerum meorum ipſos in poenitentia ad te recollige, ne ille qui & incarnationem ac paſſionem meam illudit, eis in perditione dominetur. Ergo nunc omnes homines, qui antiquum ſerpentem deſerere, & ad creatorem veſtrum redire deſideratis, attendite quod ego filius Dei & hominis patri meo vulnera mea oſtendo pro vobis. Unde etiam vos genua veſtra quae multoties ad vanitatem iniquae contrarietatis inclinaſtis, ad patrem veſtrum qui vos creavit, & qui vobis ſpiraculum vitae dedit, in puritate fidei flectite, peccata veſtra ex corde pleniter confitentes, ut vobis qui in afflictione tam corporis quam animae eſtis, manum ſuam fortem & invincibilem porrigat, quatenus a diabolo & ab omni malo vos eripiat.* Sic filius ad patrem loquitur, membraque ſua ſibi commendat, ac illa caſtigat, ut vero capiti ſuo adhaereant, ne perditio primi & noviſſimi proditoris ea abſorbeat. Quotieſcumque enim omnipotens pater pravis operibus hominum irritatur, filius ejus ipſi vulnera ſua oſtendit, videlicet ut propter illa hominibus parcat, quoniam ipſe corpori ſuo non

peper-

Digitized by Google

P III. pepercit, quatenus ovis quae ei ablata fuerat, in ſanguine ſuo retraheretur; ideoque etiam eadem vulnera ipſius tamdiu aperta permanebunt, quamdiu homo in mundo manens peccat. Quapropter & idem filius Dei ab hominibus requirit, ut genua ſua ad omnipotentem patrem ſuum flectant, quoties judicia ejus promerentur, quatenus propter vulnera ſua quae in carne paſſus eſt, & quae pater ipſius ſemper inſpicit, eos ab omni malo liberet.

Quod Enoch & Ælyas in oculis omnium a morte ſuſcitatis & ad nubes ſublatis, & reſurrectio mortuorum omnimodis confirmabitur, & antiquus ſerpens per filium perditionis adverſus Deum & ſanctos in maximum furorem excitabitur.

XXXV. Poſtquam autem Enoch & Helyas per filium perditionis mortem corporalem ſubierint, ſequaces illius multum gaudebunt, quoniam eos defeciſſe videbunt; ſed deinde cum ſpiritus vitae eos ſuſcitaverit, ac ſurſum in nubes ſuſtulerit, gaudium illorum in timorem & in triſtitiam atque in magnam admirationem vertetur. Nam per reſuſcitationem & ſublevationem illorum ego omnipotens probabo, quod reſurrectio & vita mortuorum nulla repugnatione incredulorum contradici poſſit, quin eo die cum elementa, cum quibus homo peccaverat, purgabuntur; homo quoque de morte reſuſcitetur, atque in majorem claritatem, quam prius creatus ſit, per poenitentiam, quae Deo placet, reſtituatur; quia ſicut omnis compago hominis per poenitentiam movetur, ita & ipſe cum lugubri voce poenitentiae caelum movet, ac Deum cum Cherubin ex toto laudat. Tunc antiquus ſerpens propter reſuſcitationem illorum in maximam iram commovebitur, & perditum hominem in aeſtimationem illam ducet, ut thronum ſuum de quo expulſus eſt, poſſideat, quatenus per hoc reſuſcitatio praefatorum virorum & memoria filii Dei in hominibus omnino deleatur, & in ſemetipſo loquetur dicens: *In hoc filio meo majus prælium nunc faciam quam dudum in cælo fecerim, omnemque voluntatem meam per ipſum complebo, nec huic voluntati meae Deus aut homo reſiſtere valebit, ſcioque & cognoſco quod ſuperari non potero. Unde & in omnibus victor ero. Et deinde idem filius perditionis multitudinem populi convocabit, ut gloriam ſuam manifeſte videat, cum ſuper cælos ire tentabit, ita etiam ut ſi quid catholicæ fidei in eccleſia inconvulſum remanſerit, per aſcenſionem ipſius ex toto tabeſcat. Sed cum adſtante populo audiente ſuperioribus elementis praeceperit, ut eum ſuſcipiant ad cælum euntem, verba Pauli fidelis mei implebuntur, qui ſpiritu veridico repletus dicit.*

Homo creator eſt in calamitate.

Quod ille iniquus in præſumptione ſua revelatus dum multitudine populi adſtante & audiente ſuperioribus elementis præceperit, ut eum in cælum euntem ſuſcipiant juxta teſtimonium apoſtoli a ſpiritu oris Domini Jeſu interficietur, & quod hæc videntes ad veram fidem relicto errore convertentur, & ſic tota diaboli elatio ſubruetur.

XXXVI. *Sed tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jeſus interficiet ſpiritu oris ſui.* Hujus ſententiae intellectus hoc modo accipiendus eſt. Eo tempore denudabitur ille filius iniquitatis, cumque mendacem fuiſſe omni populo apparebit, cum praeſumptionem ad caelos aſcendendi arripuerit, quoniam ipſum in praeſumptione iſta damnator & ſalvator populorum qui filius Dei eſt occidet, & hoc fortitudine illa faciet, qua ipſe verbum patris exiſtens, totum orbem terrarum juſto juditio judicabit. Cum enim ille filius perditionis diabolica arte ſe ſurſum extulerit, divina virtute dejicietur, atque fetor ſulphuris & picis eum ſuſcipiet, ita ut etiam adſtantes populi ad praeſidia montium fugiant. Tantus quippe terror haec videntes & audientes occupabit, ut diabolo filioque ejus abrenunciantes ad veram fidem baptiſmi convertantur. Quapropter antiquus ſerpens attonitus in ſemetipſum frendens dicet. *Et nos confuſi ſumus. Amodo homines nobis ita ſubjugare non valebimus, quemadmodum hactenus fecimus.* V. X.

Quia poſt ruinam Antichriſti gloria filii Dei amplificabitur, & omnes credentes in eum humili voce laudabunt eum, & teſtimonium ex Apocalypſi Joannis ad iſta competens, & quo ſenſu intelligendum ſit.

XXXVII. Sed & omnes in filium Dei fideliter credentes flebili atque laudabili voce Deum laudabunt, velut per dilectum & veridicum teſtem meum ſcriptum eſt. *Nunc facta eſt ſalus, & virtus, & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti ejus, quia projectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri die ac nocte, & ipſi vicerunt illum propter ſanguinem agni, & propter verbum teſtimonii ſui, & non dilexerunt animas ſuas uſque ad mortem.* Hujus ſententiae intellectus hoc modo accipiendus eſt. Nunc diabolo devicto, filioque ejus Antichriſto proſtrato, facta eſt ſuperna diſpoſitione ſalus, nulla diabolica pericula metuens, & virtus illa omnino conterens, & regnum omnibus dominans, qui ſub regimine Dei noſtri ſunt, & poteſtas invincibilis Chriſti ſcilicet filii ejus, quem verum ſacerdotem ſuper ſalutem animarum conſtituit. Nam projectus eſt in aeternam damnationem accuſator pertinaciſſimus & inſidiator inquietiſſimus illorum videlicet qui filii Dei ſicut & nos exiſtentes ſupernam haereditatem nobiſcum habebunt, qui accuſabat illos diverſis ſuggeſtionibus ipſius conſentientes, coram intuitu ſummi creatoris & judicis, & hoc tam in ſpiritali quam in ſaeculari transgreſſione omni tempore faciebat, quoniam homo ſemper peccat. Primum enim praelium perditi angeli, quo contra Deum pugnavit, volens ſe Deum eſſe, Deus vicit, & in illo etiam ultimum praelium, quod cum illo facturus erat, praevidit, cum filium ejus eum dejecit, & cum ipſum per illum omnino tam confudit. Et ipſi qui veraciter Deum confitentur vicerunt illum cum ei non conſenſerunt propter ſanguinem agni, per quem redempti ſunt, & per quem ipſi etiam plurimas adverſitates in corporibus ſuis ſuſtinentes victores extiterunt, & propter verbum ideſt doctrinam quam teſtificatus eſt in catholica fide, quae etiam ab illo verbo ſe extendit, per quod omnes creaturae proceſſerunt, nec dilexerunt animas ſuas eas in corporibus ſuis retinentes, ſed ad mortem corporum ſuorum praecedere fecerunt, cum corpora ſua temporali morti in plurimis paſſionibus ſubjecerunt, ubi & caſdem animas ſuas omnipotenti Deo reddiderunt. Martyres enim uſque ad mortem cucurrerunt, & priuſquam filium Dei negarent paſſionibus ſe ſubjecerunt, & ideo etiam Abel, & Prophetae, caeteriſque martyres qui uſque in noviſſimum diem pro Deo occiſi ſunt, teſtimonium filio Dei perhibent, quod etiam ipſe in voluntate patris ſanguinem ſuum pro ipſis ſuderit. Itaque bellum filii perditionis hoc modo finitum eſt, nec ipſe deinceps in ulla cultura apparebit. Unde gaudete qui in caelo & in terra habitationem habetis. Poſt caſum autem Antichriſti gloria filii Dei amplificabitur.

Epilogus libri ipſius, in quo pro opere ſuo, ſcilicet pro reparatione hominis Deo laus caeleſti voce exſolvitur, & opuſculum iſtud cum auctore ſuo eidem Deo & fidelibus ejus ſtudioſe commendatur.

XXXVIII. Et iterum de caelo vocem verba iſta me docentem audivi. Nunc laus Deo ſit, in opere ſuo homine videlicet, pro cujus reparatione maxima praelia in terra fecit, quemque ſuper caelos elevare dignatus eſt, ut ſimul cum angelis faciem ipſius in unitate illa qua verus Deus & homo eſt laudet. Sed ipſe omnipotens Deus pauperculam foemineam formam per quam hanc ſcripturam edidit, oleo miſericor-

P. III. ricordiae ſuae ungere dignetur, quoniam ipſa abſque omni ſecuritate vivit, nec etiam ſcientiam aedificationis ſcripturarum, quas Spiritus Sanctus ad inſtructionem eccleſiae propoſuit, & quae velut murus magnae civitatis ſunt habet. A die enim nativitatis ſuae in doloribus infirmitatum, quaſi reti illaqueata eſt, ita ut in omnibus venis, medullis, & carnibus ſuis, continuis doloribus vexetur, nec dum tamen eam diſſolvi Domino placuit, quoniam per cavernam rationalis animae quaedam myſtica Dei ſpiritaliter videt. Haec autem viſio venas ejuſdem hominis ita pertranſivit, ut ipſa propter eam multa fatigatione ſaepe commoveatur, aliquo tamen tempore levius, aliquo depreſſius, in fatigatione infirmitatis laborans. Unde etiam mores a diverſis moribus hominum alienos habet, quemadmodum infans, cujus venae nondum ita plenae ſunt, quatenus mores hominum diſcernere poſſit. Ipſa enim cum inſpiratione Spiritus Sancti officialis exiſtit, & complexionem de aere habet; ideoque de ipſo aere, de pluvia, de vento, & de omni tempeſtate infirmitas ei ita infixa eſt, ut nequaquam ſecuritatem carnis in ſe habere poſſit, alioquin inſpiratio Spiritus Sancti in ea habitare non valeret. Sed ſpiritus Dei magna vi pietatatis ſuae ea interdum ab hac infirmitate quaſi rore cujuſdam refrigerii a morte ſuſcitat, quatenus officialis cum inſpiratione Spiritus Sancti in ſaeculo vivere poſſit.

Omnipotens autem Deus, qui omnem fatigationem paſſionis ejuſdem hominis veraciter cognovit, gratiam ſuam in ipſa ita perficere dignetur, ut pietas ejus in hoc glorificetur, & illius anima cum de hoc ſaeculo migraverit ad aeternam gloriam ab eo clementer ſuſcipi & coronari gaudeat. Sed liber vitae qui ſcriptura verbi Dei eſt, per quod omnis creatura apparuit, & quod omnium vitam ſecundum voluntatem aeterni patris velut in ſe praeordinaverat expiravit; hanc ſcripturam per nullam doctrinam humanae ſcientiae, ſed per ſimplicem & indoctam foemineam formam ut ſibi placuit mirabiliter edidit. Unde nullus hominum tam audax ſit, ut verbis hujus ſcripturae aliquid augendo apponat, vel minuendo auferat, ne de libro vitae, & de omni beatitudine quae ſub ſole eſt deleatur, niſi propter excribrationem literarum, aut dictionum, quae per inſpirationem Spiritus Sancti ſimpliciter prolata ſunt fiat. Qui autem aliter praeſumpſerit in Spiritum Sanctum peccat. Unde nec hic nec in futuro ſaeculo illi remittetur. Nunc iterum laus ſit Omnipotenti Deo in omnibus operibus ſuis ante aevum, & in aevum, quia ipſe primus & noviſſimus eſt. Verba autem haec fideles devoto cordis affectu percipiant, quoniam per illum, qui primus & noviſſimus eſt, ad utilitatem credentium edita ſunt. V. X.

FINIS.

MONITUM AD LECTORES.

POſt duos *S. Maximi Epiſcopi Sermones depromptos ex MS. Codice* 159. *Bibliothecæ Canonicorum Majoris Eccleſiæ Lucenſis, publicâ meritâque luce donantur hic* SERMONES HIERONYMI EPISCOPI ARETINI, *eâ mente conſilioque editi, uti idem Auctor ait, ut* audientium mentes ædificarentur, & Sacræ Scripturæ ſacramenta breviter aperirentur. *Ejuſmodi Sermonum membraneum Codicem MS. initio Seculi XIV. nobis commodavit humaniſſimus atque eruditiſſimus P. Magiſter Aloyſius Ordinis Servorum B. M. V. & filius noſtri Cl. V. Bernardini Baroni, quibus non parum debet hæc Baluzii Miſcellaneorum editio. De noſtro autem* Hieronymo *inter alios verba facit Ughellius to. 1. in Epiſcopis Aretinis n°. 55.:* Hieronymus Canonicus Regularis Priorque S. Frigdiani Lucenſis, Epiſcopus fuit anno 1144. .... Scripſit Hieronymus Sermones Dominicales totius anni ad Hubaldum Epiſcopum Hoſtienſem, qui fuit inde Lucius III. Extat in Vaticana Bibliotheca MS. n. 1248. *Præterea Pennottus in Hiſtoria tripartita Canonicorum Regularium L. 3. cap. 39. ait:* D. Hieronymus Prior, quem Innocentius II. licet invitum, & excuſationes prætendentem, Aretinum Epiſcopum ordinavit; cujus virtutem idem Innocentius in quadam Epiſtola ad Canonicos S. Frigdiani teſtatur. *Cum verò Hieronymus legatur Aretii Epiſcopus anno* 1144. *ejuſmodi* ordinatio *facta fuerit oportet poſtremo anno Pontificatus Innocentii II. qui Eccleſiam rexit ab anno* 1130. *ad annum* 1143. *Hubaldo Alucingoli Lucenſi, Epiſcopo Hoſtienſi (deinde anno* 1140. *Cardinali creato ab Innocentio II. demum anno* 1181. *Pontifici M.) hos Sermones ſuos dedicat Hieronymus, ſtatim ab ſua electione, ut opinantur quidam, compoſitos. Nec deſunt qui per conjecturas ſaltem aſſequi ſibi videantur, Hieronymum iſtum fuiſſe origine Lucenſem, cum Regularis Canonicus fuerit, ac Prior etiam S. Frigdiani Lucenſis; atque peculiari aliqua ratione attigiſſe Hubaldum ipſum, cum præſertim legant opus ſuum inſcriptum, ſive nuncupatum* exiguum filii tui munus. *Verum de his aliunde certius judicium extabit. Hieronymi profecto ſapientiam, munificentiam, caritatem, ceteraſque virtutes jure meritoque Aretinæ* Hiſtoriæ *commendant. Ex ejus tamen oratione facilius erit videre ac noſcere Scriptoris indolem, ingenium atque optimos mores.*

SERMONES.

SERMO SANCTI MAXIMI EPISCOPI.

Ex Cod. 159. Bibliotheca Canonicorum majoris eccleſia Lucenſis.

SÆpe intimatum eſt auribus veſtris tam de ſcripturis divinis quam ex prædicationibus noſtris, primam in Adam fuiſſe peccandi culpam ventris illecebram, & cauſam delinquentiæ extitiſſe eſcæ cupidinem. Dum enim inter tot paradiſi epulas pretioſas unius arbuſculæ noluit obſervare jejunium, cunctarum deliciarum perdidit *voluntatem*, & amiſit conceſſa, dum concupivit illicita. Qui utique ſi unius cibi abſtinentiam toleraſſet, non tantorum bonorum jejunus *extiterat*. Unde nos fratres cognoſcentes in auctore noſtro delicti cauſam, amputemus a nobis occaſionis offenſam. Et cupiditatem quam ille extra mandati extendit lineam, nos intra præcepti terminum teneamus. Nec patiamur propter

f. voluptatem

f. extitiſſet

peter breviſſimi temporis indicta jejunii, totius vitæ nos perdere ſuavitatem. Si ille peccavit guſtando, cur non ego placeam jejunando? Si illa eſca extitit ad mortem; cur non mihi abſtinentia proficit ad ſalutem? Inſipiens plane eſt, qui nec inſtruitur præceptis, nec docetur exemplis. Videte igitur, ſi non tale præceptum nobis datur cum renaſcimur, quale Adæ eſt poſitum cum creatus eſt. Dicitur enim nobis, tanquam in deliciarum paradiſo conſtitutis, & ſuper Dominici fontis amoenitatem quieſcentibus, ut ex omnium virtutum fructibus accipiamus cibum, de ſola ſciendi boni & mali arbuſcula non guſtemus. Quis non tali lege contentus ſit, uno abſtinere, ut plurimum delectemur? Arbuſcula inquam ſciendi boni & mali abſtinere præcipimur, quæ arbuſcula ſit debemus intelligere. Nam utique ſi ſancti diſciplinarum fructibus ſaginantur; quæ eſt arbuſcula interdicta juſto niſi indiſciplinatio ſæcularis? Quiſque poſt acceptam gratiam guſtaverit de laſcivia ſæculari, accipit boni malique diſcrimen. Incipit enim ſcire & quid ſanctitatis amiſerit & quid perditionis inciderit. Non quod ipſam noxiam homini ligni præſtet guſtus, ſed quod conſcientiæ innocens erat, poſteaquam polluta eſt, & bona defiet perdita, & mala ingemiſcit amiſſa. Immaculata autem vita ac ſcientia non tenetur; ſemper enim ſancta vel ſimplex putat hoc ſolum in homine eſſe quod purum eſt. Cæterum laſcivia male peritum reddit plurimum per experientiam peccatorum. Bonum eſt igitur Chriſtiano ruſticitatem habere ſanctam, quam notitiam criminoſam. Arbuſcula in qua ſciendum bonum & malum, nolo talem peritiam. Quid enim prodeſt ſcire, quod ſcire non prodeſt, quod noſſe poeniteat? Talem enim Dominus in eccleſiæ tabernaculo homini legem inſtituit, qualem in paradiſi poſſeſſione mandavit. Paradiſus enim eſt eccleſia diverſarum virtutum ſicut arborum amoenitate protecta, cujus e gremio tanquam lucidiſſimus fons Chriſtus egreditur, & ad inſtar paradiſi veluti in quatuor evangeliſtarum flumina derivatur. Fluviis enim comparandi beati apoſtoli & evangeliſtæ ſunt, quia doctrinæ eorum ſpiritu totius plebis facies irrigatur. Nulla eſt enim anima Chriſtiana, quæ de evangeliſtarum ſancto fonte non hauriat. Velut flumen plane eſt evangelium, de quo & ſanctus David dicit: *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei.* Lætificatur enim civitas Chriſti, cum in ea doctrinæ evangelicæ curſu populus purificatus invehitur; & quodam prædicationis impetu repletur aula ejus commercio ſanctitatis. Lætificat inquam Dei civitatem evangelici fluminis impetus, qui aliquanta in ea invehit, aliquanta purificat. Invehit juſtitiæ margaritas, ſorde nequitiæ circumpurgat. Ergo fratres tamquam in paradiſo eccleſiæ conſtituti, mandatum accipimus, ut legem jejunii conſervemus. Nec quadraginta dierum conſecratum numerum vel guſtu tenui violemus, quia Dominus non ſaturitate læditur, ſed tranſgreſſione legis offenditur. Denique Adam ab immortalitatis gratia, mox contra vetitum guſtavit & cecidit.

SERMO SANCTI MAXIMI EPISCOPI.

Ex eodem codice.

SAnctam & deſiderabilem, glorioſam ac ſingularem ſolemnitatem, hoc eſt nativitatem Domini Salvatoris fratres dilectiſſimi, devotione fideliſſima ſuſcepturi, totis viribus nos debemus cum ipſius adjutorio praeparare, & omnes latebras animae noſtrae diligenter aſpicere, ne forte ſit in nobis aliquod peccatum abſconditum, quod & conſcientiam noſtram confundat ac mordeat, & oculos divinae majeſtatis offendat. Nam licet Chriſtus Dominus noſter poſt paſſionem ſuam reſurrexerit & in caelos aſcenderit, conſiderat tamen ut credimus & diligenter attendit, qualiter ſe unuſquiſque ſervorum ejus, ſine avaritia, ſine ira, ſine ſuperbia atque luxuria ad celebrandam ejus nativitatem debeat praeparare atque componere. Secundum quod unumquemque ornatum bonis moribus viderit, ita illi gratiam ſuae miſericordiae diſpenſabit. Si enim viderit caritatis luce veſtitum juſtitiae vel miſericordiae margaritis ornatum, caſtum, humilem, miſericordem, benignum & ſobrium; ſi talem agnoverit; corpus & ſanguinem ſuum ei non ad judicium ſed ad remedium per ſacerdotum ſuorum miniſterium diſpenſabit. Si vero aliquem viderit adulterum, ebrioſum, cupidum & ſuperbum; timeo ne hoc illi dicatur, quod in Evangelio Dominus ipſe praedixit. *Amice quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem.* Et quod Dominus avertat, fiat illud quod ſequitur. *Ligate illi manus & pedes, & projicite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & ſtridor dentium.* Ecce qualem ſententiam in die judicii excipiet, qui ſine remedio poenitentiae, ad feſtivitatem Domini vitiorum ſordibus inquinatus acceſſerit. In natale Domini fratres cariſſimi, quaſi in nuptiis ſpiritualibus ſponſae ſuae eccleſiae Chriſtus adjunctus eſt. Tunc veritas de terra orta eſt; tunc juſtitia de caelo proſpexit; tunc proceſſit ſponſus de thalamo ſuo, hoc eſt verbum Dei de utero virginali. Proceſſit enim cum ſponſa ſua eccleſia, ideſt humanam carnem ſuſcepit. Ad iſtas ergo tam ſanctas nuptias invitati, & ad convivium patris & filii & ſpiritus ſancti intraturi; videte qualibus indumentis debeamus ornari. Et ideo mundemus quantum poſſumus cum Dei adjutorio corda ſimul & corpora noſtra, & caeleſtis ille invitator, nihil in nobis ſordidum, nihil foetidum, nihil obſcurum, nihil oculis ſuis deprehendat indignum: haec ergo fratres dilectiſſimi, non tranſitorie, ſed cum ingenti tremore debemus attendere. Invitati enim ſumus ad nuptias, ubi nos ipſi ſi bene agimus ſponſi erimus. Cogitemus ad quales nuptias, cogitemus ad qualem ſponſum, vel ad quale convivium invitati ſumus. Invitati enim ſumus ad menſam, ubi non invenitur cibus hominum; ſed panis ponitur angelorum. Et ideo videamus, ne forte intus in anima, ubi debemus bonorum operum margaritis ornari; ibi appareamus vitiorum pannis veteribus involuti. Et quando eos qui boni ſunt in oculis Dei caſtitas reddet candidos, tunc eos qui mali ſunt reddat luxuria ſordidatos. Et ideo quotienſcumque aut dies natalis Domini aut reliquae feſtivitates adveniunt, ſicut frequenter admonui, non ſolum ab infelici concubinarum conſortio, ſed etiam a propriis uxoribus abſtinete, & ab omni iracundia vos alienos efficite, ut peccata praeterita per helemoſynam & poenitentiam redimantur. Contra nullum hominem odium in corde teneatur. Quod ſolebat vanitas per gulam perdere, incipiat juſtitia per miſericordiam pauperibus erogare. Quod luxuria vel gula diſſipavit in mundo; pietas reponat in caelo. Et licet hoc expediat ut ſemper helemoſynas facere debeamus; praecipue tamen in ſanctorum ſolemnitatibus ſecundum vires noſtras, abundantius erogare debemus. Pauperes ante omnia frequentius ad convivium revocemus. Non eſt enim juſtum, ut in ſancta ſolemnitate in populo chriſtiano ad unum Dominum pertinente, alii inebrientur, alii famis periculo crucientur. Et nos & omnis populus unius domini ſervi ſumus; uno pretio redempti ſumus. Pari conditione in hunc mundum intravimus; ſimili etiam exitu migraturi ſumus. Et ſi bene agimus, ad unam beatitudinem pariter veniemus. Et quare pauper tecum non accipiat cibum; qui tecum accepturus eſt regnum? Quare pauper non accipiat vel veterem tunicam, qui tecum accepturus eſt immortalitatis ſtolam? Quare pauper non mereatur panem tuum; qui tecum meruit accipere baptiſmi ſacramentum? Cur indignus ſit accipere reliquias ciborum tuorum, qui tecum ad convivium invitatus eſt angelorum? Audite fratres, audite, non meum ſed Domini commune praeceptum. Sic enim ait in Evangelio. *Cum facis prandium aut cœnam, noli invitare divites qui te iterum reinvitent, & fiat tibi*

retri-

Digitized by Google

retributio. Sed voca pauperes & claudos, & beatus eris, quia non habent unde retribuant tibi. Retribuetur autem tibi in retributione juſtorum. Sed dicit aliquis. Ergo amicos & parentes non debeo ad convivium vocare? Vocandi ſunt & parentes & vicini, ſed rarius vocandi ſunt; & non nimis ſumptuoſa & delicioſa, ſed tam parva & ſobria vel honeſta debent illis convivia praeparari, ut remaneant unde poſſint pauperes refici; unde poſſit aliquid indigentibus erogari, ut cum dies judicii venerit, non cum impiis qui nunc pauperes deſpiciunt audiamus. *Diſcedite a me maledicti in ignem aeternum*: ſed cum juſtis & miſericordibus audire mereamur: *Venite benedicti percipite regnum. Quia eſurivi & dediſtis mihi manducare. Sitivi & dediſtis mihi bibere.* Simul etiam ad vos illa vox deſiderabilis dirigatur: *Euge ſerve bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui*. . . . .
. . . .

Sic animae cum carne aderunt, quas judicat ipſe,
Cum jacet incultus denſis in vepribus orbis;
Rejicient ſimulacra viri, cunctam quoque gazam,
Exuret terras ignis, pontumque polumque,
Inquirens tetri portas effringet averni.
Sanctorum ſed enim cunctae lux libera carni
Tradetur, ſontes aeterna flamma cremabit,
Occultos actus retegens, tunc quiſque loquetur
Secreta, atque Deus reſerabit pectora luci.
Tunc erit & luctus, ſtridebunt dentibus omnes.
Eripitur ſolis jubar & chorus interit aſtris;
Volvetur caelum, lunaris ſplendor obibit.
Dejiciet colles, valles extollet ab imo.
Non erit in rebus hominum ſublime vel altum.
Jam aequantur campis montes & caerula ponti
Omnia ceſſabunt; tellus confracta peribit.
Sic pariter fontes torrentur fluminaque igni.
Et tuba tum ſonitum triſtem dimittet ab alto
Orbe, gemens facinus miſerum, variosque labores
Tartareumque chaos monſtrabit terra dehiſcens.
Et coram hic domino, reges ſiſtentur ad unum.
Recidet o caelo ignisque & ſulphuris amnis.

Haec de Chriſti nativitate, paſſione & reſurrectione, atque ſecundo ejus adventu ita dicta ſunt: ut ſi quis in graeco capita horum verſuum diſcernere voluerit, inveniet:

IHCOTC. OXPHCTOC. TOS. ΦHB, SωTHR.

ideſt: Jeſus Chriſtus filius Dei Salvator. Quod & in latinum translatis eiſdem verſibus apparet, propter quod graecarum literarum proprietas non adeo potuit obſervari. Credo jam vos o inimici Judaei tantis teſtibus ita obrutos confutatoſque eſſe ipſa veritate, ut nihil ultra repugnare, nihil quaerere debeatis.

SERMONES
HIERONIMI EPISCOPI ARETINI.

Domino Ubaldo pro hac Venerabili Patri Dei gratia Hoſtienſi Epiſcopo. Jeronimus Dei gratia Aretinus Epiſcopus dictus. Devotam in Domino cum oratione ſalutem.

Ex MS. Codice P. M. Aloyſii Zaroni Lucenſis Ord. Servor. B.M.V.

PLacuit Paternitati Veſtrae mihi jungere, ut de ſententiis novi & veteris Teſtamenti aliquos ſermones ederem, in quibus audientium mentes edificarentur, & ſacrae ſcripturae ſacramenta breviter aperirentur, & quidem ad hoc me nimis idoneum, & penitus inſufficientem agnovi. Et ſi non obedirem, verebatur de inobedientia damnari. Aggreſſum ſum itaque opus in ſe quidem modicum, ſed intra meas vires arduum, ſperans quod quid imperitia denegat obedientia ſubminiſtret. Et licet plura modo ſpecialiter exponere propoſuiſſem, quaedam tamen allegorice, & poſtea moraliter, & quaedam ab aliis audita, quaedam jam aliorum opuſcula reperta, quaedam vero ex parvitate mei ingenii Domino revelante inventa ponere curavi. Suſcipe Reverendiſſime Pater exiguum filii tui munus ex nimia ſcientiae paupertate delatum, ſed ex longa cordis devotione collatum. Et licet ſermo ineptus, ſtylus incultus tibi diſpliceat, verborum tamen brevitatem, & ſententiarum novitatem credo tibi placere: Perlege ergo, & quod male dicta videris corripe, quod vero minus dictum agnoveris ſupple, ſuperflua vero dele. Quatenus me dictante, & te ſapienter emendante opus congruum fiat, & utile.

INCIPIUNT SERMONES
IN PRIMIS DE ADVENTU DOMINI.

Aſpiciens a longe ecce video Dei potentiam venientem, & nebulam totam terram tegentem; ite obviam ei &c.

QUia Domini noſtri Jeſu Chriſti adventum iſtis diebus celebramus, non incongruum videtur, ſi de ejus adventu aliquid breviter dicamus. Tres itaque, Fratres, adventus Domini notantur. Primus fuit in Mundum per noſtrae incarnationis ſus. . . . . . II. eſt in homine per internam compunctionem. III. erit ad judicium per diſtrictam examinationem. De primo adventu dicitur, *venit enim filius hominis quaerere, & ſalvare quod perierat*. De ſecundo dicit Dominus. *Si quis diligit me ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Et iterum. *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo, ſi quis aperuerit tantum intrabo ad illum, & cenabo cum illo, & ille mecum.* De tertio idem Dominus. *Sicut fulgor exit ab oriente, & paret uſque ad occidentem, ita erit adventus Filii hominis.* Primus adventus eſt praeteritus; Secundus eſt praeſens; Tertius eſt futurus. Primus fuit, Secundus eſt, Tertius erit. In primo adventu homo judicavit Dominum. In ſecundo homo judicavit ſeipſum. In tertio Dominus judicabit hominem. In primo adventu, ſicut diximus, homo judicavit Dominum, utpote Pilatus Chriſtum, & Judaei qui clamaverunt dicentes, Crucifige, Crucifige eum. In ſecundo homo judicat ſeipſum, quia quando Dominus viſitat peccatorem per internam compunctionem, tunc peccator judicat ſeipſum reum; imo, & ſeipſum coram Sacerdote, tanquam coram Judice, accuſat. & reum ſe clamat, de quo dicit Apoſtolus. *Si noſmetipſos judicaremus, non utique judicaremur.* In tertio Dominus judicabit hominem, ſicut ſcriptum eſt. *Judicabit orbem terrae in aequitate, & populos in juſtitia.* Ipſe quippe reddet unicuique ſecundum opera ſua. Rurſus primus adventus fuit in dulcedine; Secundus eſt in ſapientia; Tertius erit in ſapientia, & in fortitudine. Quae enim major dulcedo in hac vita poteſt eſſe, quam fuit illa, quam Chriſtus in primo adventu oſtendit hominibus, quando eorum animas primus mundabat ab iniquitate, & poſtmodum corpora ſanabat ab infirmitate. Sicut de quodam paralitico legitur, cui cum Dominus diceret, *dimittuntur tibi peccata tua*, continuo ſubjunxit, *tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Magna quoque dulcedo erat in doctrina, & verbo

Jeſu

Jeſu Chriſti, quibus etiam Maria intenta eſſet, audire meruit; *Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea.* De quibus profecto verbis pſalmiſta loquitur dicens: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel, & favum ori meo*; & iterum: *dulcis, & rectus Dominus*; dulcis apparuit in primo adventu, rectus & juſtus apparebit in ultimo, quando reddet unicuique ſecundum opera ſua. Secundus adventus eſt in ſapientia, quia quando Dominus viſitat peccatorem per internam compunctionem, tunc peccator, qui primus fuerat ſtultus, ſeipſum per peccatum vulnerando efficitur ſapiens, ſemetipſum per poenitentiam ſanando, & qui primus tanquam fatuus peccata ſua ignorabat, poſtmodum peccata ſua recognoſcit dicens cum Propheta. *Iniquitatem meam ego cognoſco, & delictum meum contra me eſt ſemper.* Tertius adventus erit in fortitudine, ſicut ſcriptum eſt. *Ecce Dominus in fortitudine veniet.* His tribus modis ideſt dulciter, ſapienter, & fortiter jubemur Dominum diligere, cum dicitur nobis: *diliges Dominum Deum tuum ex tota corde tuo*, ideſt dulciter, *& ex tota mente tua*, hoc eſt ſapienter, *& ex omnibus viribus tuis*, ideſt fortiter. Multi enim ſunt, qui alios diligunt; alii ſunt qui non diligunt dulciter, ſed ſapienter, utpote ſi quis infirmus eſſet, quem aliquis ſuavibus medicamentis, & delicatis non poſſet leviter ſanare, & ipſe aſpera, & multum amara medicamina apponens curat. Ille quidem non videtur dulciter diligere eum, ſed ſapienter. Similiter eſt qui puerum erudit, non videtur dulciter diligere eum ſed ſapienter. Sunt & alii qui diligunt alios dulciter, ſed non ſapienter. Veluti ſi quiſquam haberet filium vulneratum, quem ſanari nullo modo poſſet niſi iterum incideretur, quia dolor eſt medicina doloris, & ipſe pro nimio amore filium ſuum nullatenus vulnerari permitteret. Hic ſiquidem filium ſuum dulciter diligit, ſed non ſapienter. Beatus Petrus Chriſtum diligebat quem eum monens Dominus diſcipulis ſuis paſſionem praediceret dicens. *Ecce aſcendimus Jeroſolimam &c.* & dicens. *Propitius eſto tibi Domine ne fiat iſtud.* Non enim decet ut Filius Dei guſtet mortem, & imo audire meruit. *Vade retro Sathana quia non ſapis ea, quae Dei ſunt.* Verum quod in dulcedine, & ſapientia poteſt homo minus habere, & debilis eſſe, imo additum eſt tertio, *& omnibus viribus tuis*. I. fortiter, ut tam in dulcedine, quam in ſapientia fortiſſimus, ut utraſque pro viribus habeamus. His itaque de adventu Domini breviter decurſis ad propoſitam materiam redeamus, dicit quippe Daniel. *Aſpiciens a longe ecce video Dei potentiam venientem.* Longe quippe aſpiciebat, quia quod poſt multa tempora futurum erat, prævidebat. Per Dei potentiam Chriſtus intelligitur, de quo dicit Apoſtolus. *Virtus, & ſapientia Dei Dominus noſter Jeſus Chriſtus.* Qui merito venire dicitur, quia Chriſtus in hunc mundum venit. Sequitur, *& nebulam totam terram tegentem.* Per nebulam Doctrina Chriſti, & Apoſtolorum intelligitur, quae vere nebula dicitur quia obſcura eſt, unde expoſitione indiget, & terrena corda irrigando fructificare facit. Quae mundo tota terra tegere dicitur, quia ſicut ſcriptum eſt. *In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terrae verba eorum.* Poteſt hoc idem intelligi. De ultimo adventu Chriſti, quia ſicut diximus. In fortitudine venturus eſt, & in potentia. Unde Dominus ait. *Cum venerit filius hominis in majeſtate ſua, & omnes angeli ejus cum eo.* Si ergo in fortitudine, & in majeſtate venturus eſt, utique & in potentia, & ideo dicit. *Ecce video potentiam Dei venientem*; hoc eſt Dominum in potentiam venientem. Unde alibi ait. *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna, & majeſtate.* Unde & ſubditur. *Et nebulam totam terram tegentem*, ſicut Aſcenſio Chriſti in Caelum fuit in nube, quemadmodum dicitur; *& nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum*; de quo & Pſalmiſta loquitur dicens. *Ponis nubem aſcenſum tuum Domine.* Sic & ejus ultimus adventus in nube futurus eſt: Sicut paulo ante Dominum dixiſſe oſtendimus, *& videbitis filium hominis venientem in nube.* Unde Angeli apparentes Apoſtolis Chriſti Aſcenſionem aſpicientibus, dixerunt. *Viri Galilei quid ſtatis aſpicientes in Caelum, hic Jeſus qui aſſumptus eſt a vobis in Caelum ita veniet, quemadmodum vidiſtis eum venientem in Caelum.* Hoc eſt ſicut aſcendit in nube, ita veniet in nube. Unde Apoſtolus ait. *Occurramus in nubibus obviam Domino in aera*, & ideo hic ſubditur, *ite obviam ei.* Et nos itaque Fratres qui in futuro adventu ituri ſumus obviam Chriſto in aera, concurramus ei obviam modo venienti ad nos, ut habitet in nobis, & ſuum templum faciat de nobis. Occurramus itaque non in inceſſu pedum, ſed greſſibus morum, actibus bonorum operum, ut cum illo aſcendere mereamur, ita & intrare in gaudium ſempiternum.

ALIUS SERMO

DE ADVENTU DOMINI.

DOminus noſter Jeſus Chriſtus, Fratres mei, duos de ſe voluit celebrari Adventus, unum ſiquidem in redemptionem omnium populorum, alterum vero in redemptionem multorum. Si ſicut ad utilitatem omnium erant celebrandi, ita omnibus hominibus ſeculorum erant prænuntiandi. Prænuntiati ſunt ergo aliquando rebus, aliquando verbis. Primus igitur Chriſti adventus adnuntiatus eſt ipſis rebus, ut in creatione primi hominis, qui ex humo terræ factus fuit, & poſtea ſoporatus; in ſopore de illius latere uxor formata eſt, in quo Redemptor noſter praefiguratus eſt, qui ex limo terrae carnem ſuſcepit pro noſtra redemptione mortem guſtavit, & in ſomno primo ex ejus latere fluxerunt Sacramenta, quibus ſalvatur Sancta Eccleſia. Praenuntiatus eſt idem adventus primi hominis, cum de illa Eſtaſi evigilans ait. *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhaerebit uxori ſuae, & erunt duo in carne una.* Homo, Chriſtus videlicet relinquebat patrem, quia in ea forma nobis apparuit, quis idem erat cum patre. Reliquit matrem quia illa legalis ſinagoga carnaliter obſervabat in ſpiritualem intellectum convertit, & ſpiritualiter obſervanda tradidit, & ſic uxori ſuae, Sanctae videlicet Eccleſiae adhaeſit, quia ad ſpirituales filios procreandos, & ad ſimilitudinem populorum in novam vitam generandam, eam quaſi ſociam ſibi copulavit, & ſic Petra, Chriſtus, & Eccleſia, quia prius a ſe invicem erant diſtincti, in una carne ſunt adſociati, & in uno caritatis affectu ſunt conjuncti, ut ſint in una, Petra Chriſtus, & Eccleſia, & in conjunctione carnis ibi caritas ſignificatur juxta illud. *Auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum.* Inde & illud Apoſtoli. *Epiſtola Chriſti vos eſtis ſcripta in cordibus veſtris, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis carnalibus cordis.* Ecce quomodo primus adventus rebus, & verbis eſt praenuntiatus in principio ſaeculorum. Secundus ejus adventus eſt praenuntiatus poſtea verbis per Henoch ſanctiſſimum dicentem. *Ecce Dominus veniet cum Sanctis militibus ſuis, facere judicium, & arguere omnes impios, & reddere unicuique ſecundum opera ſua.* Verba hæc ſanctiſſimi Henoch ſunt de adventu prophetantis, & dicentis. *Dominus qui primo ſolus inter homines apparuit, & contemtus fuit, verum veniet, & ſine deſpectu, & non ſolus veniet, ſed cum militibus*, ideſt cum exercitibus ſuis, ideſt angelorum: veniet autem non ut per mortem, ut tunc humanum genus redimat, quod jam factum eſt, ſed ut judicium faciat, & arguat, ideſt accuſet, & judicet, & damnet omnes impios, & unicuique tam juſto, quam impio reddat ſecundum opera ſua. Ecce quomodo ſecundus adventus per Henoch ſanctiſſimum eſt propheta-

ta-

Digitized by Google

tatus; Accedente poſtea tempore prophetatus eſt idem adventus rebus iſtis, & verbis, quia dum diluvio humanum genus deletum eſt, ſolus Noe in Arca cum ſuis filiis, & uxoribus ſalvatus eſt. Hoc generale Judicium praeſignificabat futurum, in quo omnis qui extra Arcam, ideſt extra Sanctam Eccleſiam invenientur, perituri ſunt. Solus Noe cum familia ſua, Chriſti videlicet, cum omni multitudine ſanctorum ab hoc diluvio erit intactus. Quod autem per Noe diluvium futurum intelligatur judicium. Teſtatur Propheta dicens. *Veruntamen in diluvio aquarum multarum ad Dominum non approximabunt*. Ecce quomodo ſecundus adventus praenuntiatus eſt rebus, & verbis. Secundus eſt poſtea Habraam utrumque adventum rebus praenuntians, praeceptum namque ſibi eſt ut ſuum filium immolaret Domino, quod cum ad immolandum duceretur, non ipſe, ſed aries, pro eo jugulatus eſt, & immolatus. Hæc primi adventus figura fuit, in quo Chriſtus ad occiſionem ductus eſt, ſed non Divinitas, imo ejus humanitas pro omnibus mortem guſtavit. Item legitur quod ipſe obtulit Sacrificium Domino offerens vaccam trinam, & arietem trinum, & capram trinam, quæ omnia diviſit & eorum attrinſecus partes poſuit, ultimo conſtituit, obtulit quoque turturem, & columbam. Veſpere autem facto irruit horror ſuper ea, & ecce caminus ignis tranſiens inter diviſa conſumpſit carnes Sacrificii. Hoc ſignum fuit ſecundi adventus. Jacob poſtea ſecutus verbis, utrumque Chriſti adventum praenuntiavit, qui in benedictionibus quas moriens filiis dedit, unde ait. *Juda te laudabunt fratres tui*, te laudabunt, ideſt te adorabunt filii patris tui, *ligans ad vineam pullum ſuum, & ad vitem o fili mi Aſinam ſuam*. Judas qui interpretatur confeſſor ſignificat Chriſtum, ut cum patri gratias ageret dixit. *Confiteor tibi pater cæli, & terræ*. Hunc laudant fratres ſui. Fratres ſui ſunt illi de quibus mulieribus ipſe poſt reſurrectionem apparens ait. *Ite nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me videbitis*; & de quibus per Prophetam dicitur. *Narrabo nomen tuum fratribus meis*. Hi Filii ſunt patris ejus, quos optavit heredes, utque unicum habeat Filium in majeſtate æqualem, multos habeat filios per gratiam adoptionis, quos ſuæ beatitudinis ipſe faceret participes. Unde eis dicitur. *Ego dixi dii eſtis, & fratres eſtis omnes*. Ii omnes adorant Chriſtum, & a laudibus ſui Redemptoris non ceſſant, & ſic adimpletur illud quod dicitur. *Juda te laudabunt fratres tui, te adorabunt filii patris tui, ligans ad vineam pullum ſuum, & ad vitem o fili mi aſinam ſuam*. Per pullum gentilis populus, per Aſinam judaica plebs figuratur. Unde ad paſſionem veniens, miſtice utrique inſedit, ut per Sacramenta paſſionis, quæ tunc erat impleturus utrique populo ſe inſeſſurum oſtenderet. Per vineam eadem judaica plebs deſignatur. Unde ei in perpetuum dicitur. *Ego te plantavi vinea mea ſpecioſiſſima*. Per vitem ipſe noſter Salvator intelligitur, qui de ſe ipſo ait. *Ego ſum vitis vera, & pater meus agricola eſt*. Ligavit itaque pullum ſuum ad vineam, quia populum nationum judaeis in filios ſociavit, & ad vitem aſinam ſuam, quia ipſam judaicam plebem ſibi ab Apoſtolis, & aliis credentibus ſummo amore ſibi complacuit. Secutus idem Jacob & in benedictionibus addidit dicens. *Beniamin lupus rapax mane comedit prædam, & veſpere dividit ſpolia*. Beniamin qui filius dexteræ interpretatur ſignificat Chriſtum, cui dictum eſt. *Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Hic lupus rapax dicitur, quia dum humanum genus de faucibus Diaboli eripuit quaſi oves ſuo paſtori utiliter rapuit. Diabolus paſtor erat humani generis juxta illud pſalmiſtæ. Sicut oves in inferno poſiti ſunt, & mors ducit eos. Hic mane comedit praedam, quia in principio temporis gratiæ praedam humani generis, quam Diabolus rapuit, ſibi per fidem incorporavit. Veſpere dividit ſpolia, quia in finem mundi ad judicium veniens, homines, quos Diabolus eripuit dividet ſecundum differentiam meritorum, differentem eis tribuens beatitudinem. Ecce quomodo praenuntiatus eſt uterque Chriſti adventus in verbis Jacob. Primus in benedictionibus Judae. Primus, & Secundus in benedictionibus Beniamin. Mortuo Jacob, mortuo Joſeph, mortuis etiam omnibus Patriarchis, utriuſque adventus praedicatio, & nunciatio ceſſavit, & factum eſt primum ſilentium, quia omnia tacebant verba, & opera, queis nec verbis, nec operibus Chriſtus prænuntiabatur, aut in humilitate naſciturus, aut in majeſtate judicaturus, dum autem hoc ſilentium haberet finem, miſſus eſt Moyſes, data eſt lex, miſſi ſunt Prophetæ, ut per omnia, uterque Chriſti adventus prænuntiarent; Moyſes filios Iſrael de Egypto eduxit, iter maris rubri aperuit, legem eis tradidit, & eos uſque ad promiſſionis terram perduxit. Sic & noſter Moyſes, ideſt Chriſtus, videlicet Egyptum hujus mundi tranſgreſſus eſt, populum ad promiſſionem praedeſtinatum de tenebris infidelitatis adduxit, iterum baptiſma nobis aperuit, legem Evangelii nobis tradidit, corpore ſuo nos refici voluit, ut ſic tandem ad æternam vitam nos perducat. In ſuis verbis praenunciavit *eum* Moyſes dicens; *Prophetam ſuſcitavit vobis Dominus de fratribus veſtris, tamquam me ipſum audietis*. Secutus eſt Elias praenuncians ejus ſecundum adventum dicens. *Ecce Dominus veniet, Spiritus ejus grandis, & fortis, conterens ſaxa, ſubvertens montes, & poſt eum commotio: ſed non in commotione Dominus, & poſt commotionem ignis, ſed non in igne Dominus, & poſt ignem ſibilus auræ tenuis*. Verba hæc Prophetæ ſunt, ſecundum adventum praenunciantis, & dicentis. *Dominus qui primus venit occultus, & humilis, ecce iterum veniet manifeſtus, & terribilis*, & quia primus venit ut benignitatem, & patientiam erga impios exerceat. Spiritus ejus, ideſt ira ejus grandis erit, ad portandum grande onus, velut grave pondus pœnarum imponens Filiis Adæ. Et erit fortis, cui reſiſtere nemo poterit. Nomine Spiritus ejus ira intelligitur. Juxta quod in Geneſi legitur. *Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum*, ideſt in æternum non iraſcar ſuper hominem, quia caro eſt, ideſt fragilis, & ex propria fragilitate ad peccandum trahitur. In hac ira conteret ſaxa, & ſubvertet montes, quia corda eorum, qui in eum hic credere contempſerant, tunc metu pœnarum cogentur credere ipſum eſſe Dominum, & montes, ideſt immundi Spiritus ſubvertentur, quoniam a ſua poteſtate privabuntur. Dominum vero ad judicium venientem ſequetur commotio, quia cum ad judicium venerit, omnes impii commovebuntur ſeparati a bonis, ſed in hanc commotionem videbitur Dominus quia in ipſa ſeparatione non formam divinitatis ſuæ, ſed formam ſumptæ humanitatis omnibus videndam exhibebit. Poſt commotionem vero ignis ſequentur gehennæ, quia malos a bonis ſeparatos involvet, ut in æternum cruciet. Sed in hoc igne non videbitur Dominus, quia qui ſua ſponte paſſi ſunt tenebras mentis, quibus excæcati Deum videre noluerunt, ibi damnabuntur obſcurioribus tenebris, ut nec ſecundum formam humanitatis, nec ſecundum formam divinitatis Dominum cernere valeant. Hunc vero ignem ſequetur Sibilus auræ tenuis, quia cum mali accepta ſententia fuerint devoluti in baratrum, tunc boni audient. *Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine Mundi*. Quæ tunc erit eis recreatio, & refocillatio, unde ſibilus auræ tenuis comparatur. Hanc vocem audientes ſtatim tranſibunt ad viſionem Divinitatis, quæ erit æterna eorum felicitas. Secutus eſt alius Propheta praenuntians, & dicens primum adventum Chriſti. *Aperi libane portas tuas, & conſumet ignis cedros tuos, ulula abies, quia cecidit cedrus, & magnifici vaſtati ſunt*. Dominus in Evangelio cauſam ſui adventus exponens ait. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut accendatur*. Ignis iſte Spiritus Sanctus eſt, ignis caritatis eſt, quem Dominus venit mittere in terram. In nos igitur

Digitized by Google

tur fratres qui ejus terram eſſe debemus, utinam ſuæ caritatis ignem dignetur mittere, atque omnem rubiginem peccati ardendo delere, quatenus cum Sanctis ſuis æternam vitam poſt hanc mereamur poſſidere. Quod nobis parare dignetur.

ALIUS SERMO.

Hora eſt jam nos de ſomno ſurgere, nunc enim propior eſt noſtra ſalus, quam cum credidimus. Tria fratres mei Apoſtolus ponit, videlicet hora, ſomnum, & ſurgere. Unde ſciendum eſt, quod tres fuerunt vigiliae, in quibus homo prudenter debuit vigilare, ſed ipſe obdormivit miſerrime. Prima ergo fuit in Paradiſum ante peccatum, ſecunda extra Paradiſum poſt peccatum, tertia vero fuit Moyſi tempore. Prima ergo vigilia fuit prima lex, quam Dominus homini in Paradiſo dedit, cum ei dixit, *de omni ligno Paradiſi comede, de ligno autem ſcientiae boni & mali ne comedas, in quacumque die comederis morte morieris.* Secunda vigilia fuit lex naturalis, cum ei a Domino naturaliter praeceptum eſt, *quod tibi non vis alii ne feceris, & quaecumque vultis ut faciant vobis homines, & vos eadem facite illis.* Tertia vigilia, quaſi tertia lex data fuit tempore Moyſi. Prima data fuit divina inſinuatione, ſecunda ratione naturae, tertia manifeſtatione ſcripturae. In prima vigilia fuit pugna, & homo ſuccubuit, in ſecunda eſt victus, in tertia eſt mortuus. In prima vigilia homo arma abicit, in ſecunda non pugnat, in tertia deſperat. Sequitur ergo quarta vigilia, quae eſt Evangelium, de qua dicitur. Quarta vigilia venit ad eos Dominus, quando Chriſtus tempore gratiae venit ad nos, & de Deo legitur, quia quarta aetate regnavit. Prima namque fuit ab Adam uſque ad Noe; ſecunda a Noe uſque ad Abraham; tertia ab Abraham uſque ad David; quarta a David uſque ad tranſmigrationem Babylonis. Sic Chriſtus qui per David ſignificatur quarta hora ideſt tempore gratiae regnat, quia omnes nos a Chriſto Chriſtiani dicemur, & de hac quarta hora dicit Apoſtolus: *ora eſt jam nos de ſomno ſurgere*; ac ſi dicat. Tempus eſt quo convenit nobis de ſomno torporis, & negligentiae ſurgere. Unde & alibi dicit: *Surge qui dormis & exurge a mortuis, & illuminabit te Chriſtus.* Et eam reddidit cum ſubjungit: *Nunc enim propior eſt noſtra ſalus, quam cum credidimus.* Sive dicatur propior apparere, ſive proprior appareat, utrumque bene convenit. Salus enim noſtra, ideſt vita noſtra, quae eſt vita aeterna tanto eſt nobis propior quanto magis morti appropinquamus, quoniam ipſa nobis nonniſi poſt mortem datur, ſicut ſcriptum eſt: *Cum dederit dilectis ſuis ſomnum, hoc eſt haereditas Domini.* Si autem dicatur proprior, ideſt magis propria, & hoc bene convenit, quia cum credebamus ſalvari, merebamur ſolummodo per fidem, nunc vero propter fidem, & propter opera, & ideo bene dicitur: Proprior eſt noſtra ſalus, quam cum crodidimus. Nox praeceſſit, ideſt nox infidelitatis & peccati praeceſſit in nobis antequam crederemus. Poſtmodum vero dies fidei, & lumen juſtitiae appropinquavit in nobis: abiiciamus ergo opera tenebrarum, ideſt vitia & peccata, quae merito dicuntur opera tenebrarum, ſive quia in obſcuro & in tenebris fiunt dicente Domino. Omnis qui mala agit odit lucem, ſive quia ad tenebras inferni homines deducunt. Et induamus nos arma lucis, ideſt virtutes, & bona opera, cum quibus nimirum homo ſemper adorare debet. Hoc praecipue tempore, quo Domini adventum celebramus, & ejus nativitatem cum magno deſiderio expectamus, & ſtudere debemus Dei ſervitium ita facere, ut in die Nativitatis ejus ſuum corpus & ſanguinem ad vitam aeternam valeamus percipere. Quod ipſe parare dignetur.

SUPER MATTHEUM.

Erunt ſigna in ſole, luna, & ſtellis, & in terris preſſura gentium.

Duo fratres mei ſunt Jeſu Chriſti adventus. Primus occultus, ſecundus manifeſtus & terribilis. Similiter autem duo ſunt judicia, duo adventus familiari ſimilitudine comitantia. Primum namque occultum, ſecundum vero manifeſtum, ſed tamen utrumque juſtum. Primo adventu, & primo judicio occulte judicat occulta, quia omnis voluntas ei loquitur, & nulla latent eum ſecreta. Secundo adventu, & ſecundo judicio manifeſte judicabit manifeſta, quia unicuique patebit manifeſta uniuſcujuſque conſcientia. Namque primo adventu paucos informavit Dominus ad amorem, ſecundo adventu per ſigna judicii omnes movebit ad terrorem, ut quem primo adventu non amaverunt humilem, ſecundo adventu metuant quem venturum ad judicium audiunt terribilem. Dicit ergo, Erunt ſigna in ſole & luna. Quae! Quia regnum adverſus regnum jam ſæpe vidimus, per loca terræmotus magnos audivimus, ſuis implenda temporibus conſtanter expectamus. Erunt ergo ſigna in ſole & luna, Judicii ſigna, & ea cujus modi? Sol obtenebreſcet, & luna vertetur in ſanguinem, videlicet quando haec erunt. Antequam veniat dies Domini magnus & terribilis, de quo dictum eſt: *Dies illa dies irae calamitatis & miſeriae, dies magna & amara valde.* Sed haec de littera, quae per ſigna principaliter incutit timorem, per timorem erigit ad amorem. Erunt autem, & poſt judicium ſigna in ſole & luna, & luna & ſol poſt judicium erunt in ſigna, non quia modo ſint deformia, ſed tunc fulgebunt proprietate alia. Sicut enim empyreum non ab ardore, ſed igneum dicitur a ſplendore, ita ſol depoſito omni fervore, luna evacuato omni humore, uterque miro radiabuntur ſplendore. Unde Iſaias: *Et erit lux lunae, ſicut lux ſolis ſeptempliciter lucet ſeptem dierum.* Quibus inſuper haec accidet, & quaſi peracto fideliter officio de caetero non laborent, ſed ſol in oriente, luna fulgebit in occidente, nil poſtea diſtinguentes ſua viciſſitudine, quia nox diei non ſuccedet in aeternitate. Sed haec de litera quae ſicut primus excitat imperfectos ad timorem, ita nunc perfectos in culmen amoris ædificat. Iterum autem in ſole conſiderantur tria, & in luna quoque per contrarium alia tria. Sol enim deſiccat, radiat, & ignit. Fervore exſiccat, ſplendore radiat, calore ignit. Luna vero per contrarium humet, pallet, & friget. Humet quia aquoſa, pallet quia nebuloſa, friget quia humoroſa. Sol igitur in ſe lumen habet, Chriſtum miſtice ſignificat. Luna frequenter defectum patiens, Eccleſiam proprie deſignat. Tria namque Deo proprie conveniunt. Potentia, ſapientia, benevolentia. Ab his tribus procedunt omnia, in his tribus conſiſtunt omnia, & per haec tria reguntur omnia. Potentia creat, ſapientia gubernat, benevolentia conſervat. Quae tamen tria ſicut in Domino ineffabiliter unum ſunt, ita in perfectione omnino ſeparari non poſſint. Potentia enim per benevolentiam ſapienter creat. Sapientia per potentiam benigne gubernat, benevolentia per ſapientiam potenter conſervat. Potentiam manifeſtat creaturarum immenſitas, ſapientiam decoris majeſtas, benevolentiam multiplex humilitas. Tria quoque conveniunt Eccleſiae per proprietatem lunae, quae humida, obſcura, & frigida. Humida eſt Eccleſia abundanti iniquitate, obſcura latenti veritate, frigida deficienti veritate. Sed ecce Sanſon qui interpretatur eorum Sol, Chriſtus videlicet illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. Potentia agnoſcitur in humidam, ſapientia in obſcuram, benevolentia in frigidam. Per potentiam illuminans ignorantiam veritatis in obſcura. Per ſapientiam igniens negligentiam caritatis in fri-

gida. Per benevolentiam exſiccans abundantiam iniquitatis in humidam. Confert enim ex potentia remiſſionem peccatorum, ex ſapientia illuminationem, ex benevolentia dilectionem. Sed quod dictum eſt exſiccans abundantiam iniquitatis in humidam, refertur ad opus tertii diei, cum dividens aquas ab aquis apparuit arida, & creata ſunt animalia. Quod dicitur illuminans ignorantiam veritatis in obſcura refertur ad opus quarti diei, cum remotis tenebris creata ſunt luminaria. Quod dicitur igniens negligentiam caritatis in frigidam refertur ad opus quinti diei, cum piſces creati ſunt faecunditate aquarum, & volatilia. De hac autem operatione quotidiana, quae quotidie fit in Eccleſia praeſenti dicetur alibi: Pater meus uſque modo operatur, & ego operor. In primo ergo opere animamur, in ſecundo illuminamur, in tertio ſublevamur. Animarum ad bene operandum, illuminamur ad praedicandum, ſublevamur ad contemplandum. Sic ergo ab opere tertii diei ſumus animales, ab opere quarti ſpirituales, ab opere quinti caeleſtiales. Jam ordo circa pueros obſervatur in Eccleſia. Prius eram Catechiratus, ideſt inſtructus de fide Catholica, de qua dicitur: Juſtus autem ex fide vivit. Ecce animalia. Poſtea vero exorcizantur, ideſt daemones per adunationem quaſi quaedam tenebrae effugantur, ubi igne adhibito clamat ſpiritus immundus ardeo. Ecce luminaria. Poſtea vero baptizamur in aqua, unde cum emerguntur fiunt quaſi volatilia.

DOMINICA SECUNDA

SERMO SUPER MATTHEUM.

Cum audiſſet Joannes in vinculis opera Chriſti, mittens duos de diſcipulis ſuis ait illis. Tu es qui venturus es, an alium expectamus?

IN hoc loco Fratres humaniſſimi Joannes, qui in tempore gratia Domini ſignificare videtur. Cætera enim dona, utpote filios, divitias, poſſeſſiones, & alia frequenter dat Dominus. His, qui non diligunt eum, ut ſaltem per beneficia recognoſcant benignitatem, & miſericordiam dantis, & ſic ad ipſum convertantur; & ſi non, durius damnentur. Unde Apoſtolus ait. *An divitias, & bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis. Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit. Secundum autem duritiam tuam, & cor impoenitens theſaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis juſti judicii Dei*. Cæterum religionem nunquam parat Deus non his qui habent ſuam gratiam. Unde religio inutilis ſignificatur per Joannem qui Domini gratia interpretatur. Herodes vero, qui interpretatur pelliceus ul . . . verſipellis Ipocritas ſignificat. Qui merito vocantur pellicei, ideſt peccatis pleni. Peccata enim per pelles ſignificantur. Unde & primo homini continuo poſt peccatum fecit Deus tunicam pelliceam. Hic Herodes, ſicut Evangeliſta refert, metuebat Joannem, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat. Quia Ipocritae metuunt, & non diligunt religionem, ſed audita ea, multa faciunt, quia multum jejunant, latis orant, Eleemoſinas faciunt, & ſeipſos aſtringunt, & religionem libenter audiunt, ut ſic juſti videantur. Sed tamen religioni auferunt caput, ſicut Herodes Joanni, quia Chriſtum, qui eſt caput religionis in ſuis actibus non attendunt. Hic itaque Herodes Joannem tenet in vinculis, quoniam Ipocritae religionem non liberam, ſed ligatam tenent. Vincula autem quibus religio ligatur ab Ipocritis ſunt timor, & amor Mundi. Quia ex timore, & amore mundi procedit, quod Ipocritae mala dimittunt, & bona faciunt. Joannes ergo dum eſſet in vinculis mittit duos de diſcipulis ſuis ad Chriſtum, & religio duos diſcipulos ſuos, timorem videlicet, & amorem Dei ad Chriſtum mittit, quia quando aliquis timet, & diligit Dominum; hoc profecto de religione procedit. Quod autem Joannes Chriſtum interrogat dicens. *Tu es qui venturus es, an alium expectamus*, non ideo interrogabat, ut non crederet Chriſtum veniſſe in mundum, de quo primus dixerat. *Poſt me veniet vir, qui ante me factus eſt*, & iterum, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Sed quaeritur ab eo, utrum debeat adventum ſuum annuntiare in Inferno, quem annuntiavit in mundo. Tamquam diceret. Ego Joannes ab Herode decollandus, & ad inferna deſcenſurus. Manda itaque mihi ſi debeam annuntiare adventum tuum Inferis, quem annuntiavi ſuperis, & ſi debeam annuntiare adventum tuum mortuis, quem annuntiavi vivis, & ſi debeam annuntiare adventum tuum in Inferno, quem prædicavi Mundo. Magna obedientia Joannis, paratus eſt ſervire Deo in Inferno, quem ſervierat in Mundo. Infernus autem proprie eſt locus tormentorum doloris, & poenarum, & ideo merito per Infernum tormenta, dolores, & pœnæ ſignificantur. Unde per Pſalmiſtam dicitur. *Diſſipata ſunt oſſa mea ſecus Infernum*; quia firmi, & fortes in fide, qui per oſſa ſignificantur, cum viderint ſibi pœnas imminere & tormenta parata, quae per Infernum ſignificantur, diſſipant recedentes a fide. Unde & Dominus ait. *Stellæ cadent de Cælo*, quia in ultima tribulatione Antichriſti illi qui ſunt docti, & fulgentes, tamquam ſtellae in firmamento cadent a fide eccleſiae. Sic ergo Joannes, qui annuntiaverat Chriſtum in Mundo, paratus erat annuntiare in Inferno. Sic religio, quae per Joannem ſignificatur prædicat Chriſtum, non tamen tantum in mundo, ideſt in proſperis, ſed etiam in Inferno, ideſt in adverſis, in tormentis, videlicet pœnis, & doloribus, & licet intervenientibus, & mediantibus duobus diſcipulis, ideſt timore, & amore Dei. Unde & Apoſtolus ait. *Quid nos ſeparabit a charitate Chriſti tribulatio, an anguſtia, an fames, an nuditas, an gladius*, & iterum. *Laborabo uſque ad vincula, quaſi malo operans, ſed verbum Dei non eſt alligatum*. Quid autem reſpondit Dominus diſcipulis Joannis audiamus. *Euntes dicite Joanni, quæ audiſtis, & vidiſtis. Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, mortui reſurgunt, pauperes evangelizantur*. Ac ſi diceret. Si ego cæcos illumino, claudis greſſum reddo, leproſos mundo, mortuos reſuſcito, ſi tanta beneficia præſto ſuperis, non eſt credendum, quod mea beneficia negem inferis, cum utique illorum, & iſtorum Dominus ſim. In quibus verbis quidam ordo notandum eſt. Prius enim dixit, cæci vident, deinde claudi ambulant. Poſtmodum leproſi mundantur, deinde mortui reſurgunt, tandem pauperes evangelizantur. Quia primum unicuique neceſſaria eſt intelligentia bona, deinde operatio ejus. Quoniam intellectus bonus eſt, ſed omnibus facientibus eum. Quiſquis intellectus lumine caret, caecus profecto eſt. Qui autem bona intelligit, ſed recta, quae intelligit non operatur caecus quidem non eſt, ſed claudus eſt. Unde oportet, ut primus caecus illuminetur recte intelligendo, deinde claudus ambulet bona, quae intelligit operando. Sed quoniam difficile eſt alicui bene operanti, quod non peccet. Sic ſcriptum eſt. *Nemo vivit, quod non peccet*, & Jacobus: *In multis quidem offendimus omnes*; & iterum Joannes. *Si dixerimus, quod peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*. Peccatum aliud eſt manifeſtum, aliud occultum. Manifeſtum vero per lepram, occultum autem per mortem ſignificatur. Lepra namque eſt vitium coloris, non valetudinis, aut integritatis ſenſuum, atque membrorum, & ideo non ſanari, ſed mundati dicuntur, qui ea caruerunt, idcirco recte per lepram manifeſta peccata deſignantur. Sicut per mortem, quae non videtur occulta, & quoniam quicumque manifeſte velut occulte peccat, per confeſſionem mundari, & per poenitentiam reſurgere poteſt, ideo ſubditur, leproſi mundantur, mortui reſur-

ſurgunt. Quia verò quicumque recte intelligit, & bona, quae intelligit operatur, & ſi forte in aliquo peccato leproſus fuerit, vel lapſus fuerit, publicum, vel occultum per confeſſionem, & poenitentiam reſurgit, ita iſte talis verbum Dei meretur, recte in fine ſubditur. *Pauperes evangelizantur*. Sicut de David, & Petro legitur, qui cum graviter peccaſſent, unus adulterium, & homicidium perpetrando, alter Chriſtum negando. Poſtquam unus poenitentiam egit. Unde dictum eſt ei, *Dimiſſum eſt tibi peccatum tuum*, & alter amare flevit, & ideo reſpexit eum Dominus, ita quod ſicut David in veteri teſtamento fuit eximius Prophetarum, ita Petrus in novo factus eſt a Domino Princeps Apoſtolorum. Ubi notandum eſt; quia non dixit Dominus divites evangelizantur, ſed pauperes. Quia illi ſoli verbum Dei digne annuntiare, & prædicare poſſint, quia pauperes ſunt ſpiritu, ideſt ſuperbia, & ira, & omni mala voluntate. De qua profecto paupertate Dominus dicit. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*. Si itaque Fratres verbum Dei digne prædicare cupitis, & ſi in regnum Caelorum intrare deſideratis habetote paupertatem ſpiritus, repellite a corde veſtro omnem ſuperbiam, iram, & omnem malam voluntatem, ut per defectum vitiorum, & augumentum virtutum, ad divitias mereamur pervenire regni caelorum.

ALIUS SERMO.

Eximius Prophetarum Iſaias prudens, humanum genus ſine Chriſti incarnatione a diabolica poteſtate liberari non poſſe, ejus adventum ſuppliciter exorans, & multipliciter deſiderans ait: *Emitte agnum Domine, dominatorem terræ de petra deſerti ad montem filiæ Syon*. Per agnum Chriſtus intelligitur, de quo per Joannem Baptiſtam dicitur. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollis peccata mundi*, & Iſaias. *Sicut ovis ad occiſionem ductus eſt, & ſicut Agnus coram tondente ſe obmuteſcet, ſic non aperiet os ſuum*; & Eccleſia quotidie dicit Chriſto, *Agnus Dei qui tollis peccata mundi miſerere nobis*. Sicut in primo adventu Chriſtus apparuit Agnus, ideſt humilis, ſic & in ſecundo Dominator terrae. Quoniam judicabit orbem terrae in aequitate, & populos in juſtitia, & ideo merito poſtquam dixit agnum, addidit Dominatorem terrae, ut his duobus nominibus duos adventus Chriſti perſonaliter deſignaret. Primum videlicet, & ſecundum, & unde mitti debeat, dicitur de petra deſerta. Petra deſerta intelligitur Ruth Moabitis, de cujus ſtirpe natus eſt Chriſtus. Sic per Evangelium dicitur *Booz autem genuit Obed ex Ruth*. Haec quidem fuit Petra deſerti, quia de gentilitate, quae deſerta, & derelicta adeo fuit, nata eſt, & ſicut de petra naſcitur fons, ſic ex hujus ſtirpe natus eſt Chriſtus; qui eſt fons totius Sapientiae. Poteſt enim incongrue Virgo Maria deſertum appellari, quoniam in deſerto non eſt habitatio hominum, & in Virgine Maria non fuit carnalis acceſſus alicujus hominis. Unde ipſa angelo reſpondit dicens. *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Et ſicut deſertum dicitur derelictum, ſic Virgo Maria derelicta fuit, quoniam ab omnibus intacta, & inviolata manſit. De hoc deſerto dicit Propheta. *Ecce Dominus adducit de deſerto ventum urentem, qui exſiccabit venas mortis, & deſolabit fontes ejus, & diripiet theſaurum omnis vaſis deſiderabilis*. Sicut per deſertum Virginem Mariam intelleximus, ſic & per ventum urentem Chriſtum. Ventus namque alta petit, & Chriſtus in Caelo aſcendendo ventus fuit, immo pluſquam ventus, quia de illo ſcriptum eſt: *Volavit ſuper pennas ventorum*. Sicut ergo in primo adventu in caelo aſcendendo ventus fuit, ſic in ſecundo deſcendendo de Caelo erit urens, quando omnes impios comburet dicens illis. *Ite maledicti in ignem æternum*. Iſte quoque exſiccabat venas mortis. Venas mortis originale peccatum eſt, quia ex eo mors primi hominis, & omnium noſtrum proceſſit. Sic enim adeo dictum eſt Adae. *De omni ligno Paradiſi comede, de arbore ſolum boni, & mali ne comedas, in quacumque die comederis, morte morieris*. Et quoniam Peccatum quod in primo homine fuit actuale, in omnibus nobis factum eſt originale, ideo non venam, ſed venas dixit. Chriſtus igitur mortis venas exſiccat, quando peccatum Originale in baptiſmate delet. Verum quia non ſolum in baptiſmate dimittitur originale, ſed etiam in poenitentia dimittitur actuale, ideo ſubjunctum eſt. Et deſolabit fontes ejus, ideſt mortis: fons mortis peccatum eſt actuale, quoniam ſicuti in fonte eſt aqua, ſic in peccato actuali eſt mors animae. Scriptum eſt quippe. *Anima quæ peccaverit*, ideſt.... Chriſtus ergo fontem mortis deſolat, quando peccatum actuale per poenitentiam delet, ſequitur, & diripiet Theſaurum omnis vaſis deſiderabilis. Vaſa deſiderabilia electi fuerunt, qui merito dicuntur vaſa, quoniam in eis Dominus manebat, & dicuntur deſiderabilia, quoniam ipſi deſiderabant ad Dominum pervenire, & cum eo regnare; & Dominus deſiderabat illos de Inferno abſtrahere, & ſecum in caeleſti regno collocare. Theſauri iſtorum vaſorum animae fuerunt Electorum: Chriſtus itaque theſaurum omnis vaſis deſiderabilis diripuit, quando animam uniuſcujuſque electi de Inferno abſtraxit. Sicut ipſe ait. *Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipſum*. Omnia videlicet electa. Ut ergo ad propoſitum noſtrum redeamus, dicamus Agnum miſſum, ideſt Chriſtum natum de petra deſerti, ideſt de firmitate Fidei Beatae Mariae. Sicut enim dictum eſt ei ab Elizabeth: *Beata quæ credidiſti, quoniam perficientur in te ea, quae dicta ſunt tibi a Domino:* ſed quod autem iſte Agnus mittendus eſt, propheta oſtendit cum ſubjungit: ad montem Filiae Syon. Videamus itaque, quae ſit Syon vel ejus filia, aut quis ejus mons, ad quem iſte agnus mittendus eſt. Quantum ad literam Syon quaedam turris erat altiſſima, de qua ſpeculabantur homines de longe venientes, & ideo merito vocabatur Syon; quae interpretatur Specula. Syon ergo eſt caterva prophetarum, quae Chriſtum de longinquo venientem ſpeculati ſunt. Unde de ejus adventu multa praedixerunt. Filia Syon turba fuit Apoſtolorum, quoniam Apoſtoli filii prophetarum dicuntur. Sicut per Pſalmiſtam Chriſto dicitur. *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii*; patres Chriſti fuerunt Prophetae, quia de illa ſtirpe ſecundum carnem natus eſt. Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii, ideſt Chriſti, quoniam loco prophetarum ſucceſſerunt Apoſtoli ſibi, quorum Chriſtus pater eſt; Sicut ipſe ait: *Et patrem nolite vocare vobis ſuper terram. Unus eſt enim pater veſter qui in caelis eſt*. Mons ergo hujus filiae, altitudo eſt bonae vitae Apoſtolorum, de quo per Iſayam dicitur. Super montem excelſum aſcende tu qui evangelizas Syon, quia quicumque in Sancta Eccleſia prædicat, ad altitudinem virtutum, & bonae vitae aſcendere debet; ut ſicut bene praedicat, ita bene vivat, & quos docet verbo, ædificet exemplo. Ad montem ergo Filiae Syon mittendus erat Agnus, quoniam ad hoc venturus erat Chriſtus, ut diximus, ideſt ut diſcipulos ſuos, & eorum ſucceſſores bona vita inſtitueret, & ad altitudinem virtutum, & bonae operationis, & vitae eos perduceret, & ab altitudine bonae vitae ad altitudinem caeleſtis patriae conſcendere faceret. Ad quam nos perducat.

ALIUS SERMO.

Leva oculos tuos Jeruſalem, & vide potentiam regis, ecce Salvator tuus venit ſolvere te a vinculo. Jeruſalem, quae interpretatur viſio pacis fidelem animam deſignat, quae pacem non ſolum videre, ſed etiam habere deſiderat, non unam pacem tantum, ſed triplicem. Ante peccatum namque primi hominis triplicem pacem habebat homo. Quoniam pacem cum Deo, pacem cum proximo, pacem habebat ſecum. Sed poſt peccatum de triplici pace, in tripli-

cem devenit diſcordiam, quoniam diſcordiam cum Deo, diſcordiam cum proximo, diſcordiam quoque coepit habere ſecum. Hanc triplicem diſcordiam, tria vitia faciunt, ſuperbia, invidia, ira. Superbia ſiquidem auſert homini Deum, invidia proximum, & ira auſert ei ſeipſum. Quia igitur fidelis anima praedictam pacem videre, & habere deſiderat, merito Jeruſalem, ideſt viſio pacis appellatur. Haec autem habet duos oculos, quorum uno conſpicit poenam Inferni, altero gloriam intuetur Paradiſi. Hi ſunt timor, & amor. Nam ſicut naturale eſt, ut homo timeat poenam inferni, ita naturale eſt, ut diligat gloriam Paradiſi. Hos autem oculos praecipitur levare. Tunc ſiquidem anima oculos praecipitur levare, ideſt timorem, & amorem levat, quando ad illum, qui ſupra omnes eſt, ideſt ad Deum refert; dicitur itaque ei: Leva oculos tuos, hoc eſt time, & dilige Deum. Tale aliquid reperitur in Salomone, qui ait: *Ocuus ſapientis in capite ejus*. Si ad literam reſpiciamus. Non ſolum ſapiens, ſed etiam ſtultus ſuos oculos in capite habet. Sed quia Caput noſtrum Chriſtus eſt, de quo ait Apoſtolus. *Caput mulieris vir, caput viri Chriſtus*, caput autem Chriſti Deus, merito ſapiens oculos in capite habere dicitur, quia timorem, & amorem ſuum refert ad Chriſtum. Quod utique ſtulto non contingit, qui Chriſtum nec timet, etiam nec diligit. Dicitur ergo ſicut diximus. Leva Jeruſalem oculos tuos, ideſt dilige, & time Deum. Quare autem illum timere debeat ea ſubdens manifeſtat. Quia potens eſt, & potentem Dominum timore colemus. Unde ſubjunxit. Et vide potentiam regis. Rurſus cur illum amare debeat, cauſam ſubjiciens manifeſtat. Ecce ſalvator tuus venit ſolvere te a vinculo. Tria ſunt vincula. Eſt vinculum mortalitatis, eſt vinculum iniquitatis, & eſt vinculum mutabilitatis. Vinculum mortalitatis eſt in corpore, vinculum iniquitatis eſt in anima. Vinculum vero mutabilitatis eſt in anima, & corpore. A vinculo iniquitatis ſolvimur a Deo in hac vita per poenitentiam, & veram confeſſionem; a vinculo mutabilitatis, & mortalitatis ſolvemur a Deo in ſutura vita. Cum ſcriptum eſt; *mortale hoc induet & immortalitatem*, & corruptibile in corruptionem, ideſt omnes immutabiles efficiemur. Quia ſicut boni non mutabuntur a gloria, quae erit eis aeterna, ita mali non mutabuntur a poena. Unde dicitur. *Ibunt impii in ſupplicium aeternum, juſti autem ita vitam aeternam*. Vos itaque Fratres, qui eſtis Jeruſalem levate oculos veſtros ad Deum ut timeatis eum, & diligatis ipſum. Quia ſicut timore declinamus a malo, ut caveamus culpam, & cavendo culpam evadamus poenam, & ſic amore Dei operamur bonum, ut faciamus juſtitiam, & faciendo juſtitiam acquiramus gloriam. Quae ſiquidem non temporalis, ſed eternalis erit, & perpetua. Ad quam nos perducat.

ALIUS SERMO.

Mediator Dei, & hominum Dominus noſter Jeſus Chriſtus. In omnibus creaturis ſunt duae extremitates, & duae diverſitates, corporeum, videlicet, & incorporeum. Omnis enim Creatura aut corporea eſt, aut incorporea eſt, haec autem duae extremitates conveniunt in homine, ideſt corpus, & anima. Unde homo dicitur omnis creatura. Sicut in Evangelio Dominus apoſtolis ait. *Praedicate evangelium omni creaturae*, ideſt homini, quia in homine omnis Creatura corporea, & incorporea, omnis namque creatura aut corporea, aut incorporea. Rurſus autem ſunt duae aliae extremitates, Creator videlicet, & creatura. Quae ſiquidem in ſe conjunguntur, Filius quippe Dei factus eſt homo, & ſic aſſumpſit quod non erat, ut non dimitteret quod erat. Unde Iſaias ait: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emanuel*, quod interpretatur nobiſcum Deus. *Butyrum, & mel comedet*. Ubi notandum eſt, quod tres ſunt ſpecies hominum, peccatores, ideſt in peccato perſeverantes, peccatores, & juſti. Peccatores ſignificantur per ſanguinem. Sicut ſcriptum eſt. *Si non annuntiaveris iniquo iniquitatem ſuam; ſanguinem ejus de manu tua requiram*, ideſt peccatum ſuum de manu tua requiram: & iterum. *Libera me de Sanguinibus*, ideſt de peccatis. Hae duae extremitates, quae ſunt in homine, ideſt corpus, & anima. Poenitentes intelliguntur per Butyrum. Sicut enim ex Sanguine fit, lac, & butyrum, ſic ex peccatoribus fiunt poenitentes. Mel vero, quod de Caelo venit, juſtos ſignificat, quoniam juſtitia de Caelo venit. Sicut ſcriptum eſt. *Juſtitia de Caelo proſpexit*. Chriſtus itaque ſanguinem non comedit, quia peccatores ſibi non incorporat, ſed magis a ſe eos repellit dicens: *Diſcedite a me omnes, qui operamini iniquitatem*. Butyrum vero, & mel comedit, quia poenitentes, & juſtos ſibi incorporat. Unde per Pſalmiſtam dicitur. *Quia cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu temperabam*. In cinere poenitentes intelliguntur, quia ſicut in cinere eſt ignis mortuus, ſic & in poenitentibus fomes, & incentiva vitiorum extincta ſunt. Unde Dominus ait. *Hodie egiſſent poenitentiam in cinere, & cilicio*. Panis, qui durus eſt cibus, juſtos ſignificat; dicitur ergo cinerem tanquam panem manducabam, quia ſic ſibi incorporat, ſicut juſtos poenitentes. Et ita conjunxit ſibi David Deus, qui adulterium, & homicidium commiſit, & Petrum, qui Chriſtum negavit, & Paulum, qui Dei Eccleſiam perſecutus eſt, quia digne atque perfecte poenituerunt; ſicut Joannem Evangeliſtam, quem virgo eſt electus a Domino, & virgo permanſit. Sequitur, *& potum meum cum fletu temperabam*; diſtat inter potum, & fletum, potus quippe ab exterioribus interius trahitur, & fletus ab interioribus exterius emanat. Per potum ergo videtur ſignificare poenitentes, & per fletum Apoſtatas. Quoniam ſicut potus primus ſeparatus ab homine ſibi conjungitur, ita poenitentes prius a Deo ſequeſtrati per peccatum, poſtmodum junguntur ſibi per poenitentiam; & ſicut fletus ſeparatur ab homine, ſic Apoſtatae a Deo. An non potus fuit latro, qui per latrocinia ſeparatus eſt a Deo, per poenitentiam vero poſtea ad Dominum converſus audivit: *Hodie mecum eris in Paradiſo*. An non fletus fuit Judas, qui per miniſterium Apoſtolatus Chriſto conjunctus fuit, per perditionem vero ab ipſo eſt ſeparatus. Potus itaque cum fletu miſcetur, quia in ſancta Eccleſia, tanquam in aliquam Arcam Chriſti, triticum, & Zizania grana cum palea, vinum, & vinaria, oleum, & murca miſta ſunt, boni videlicet, & mali. Sed veniet dies ille Judicis, in quo Chriſtus ſumet ventilabrum ſuum, & purgabit aream ſuam ſeparando malos a bonis, & tunc boni audient. *Venite benedicti Patris mei percipite regnum*. Ad quod regnum.

DOMINICA TERTIA

SUPER JOANNEM.

Miſerunt Judaei ab Jeroſolimis Sacerdotes, & levitas ad Joannem &c.

SIcut tunc Judaei naturaliter miſerunt Sacerdotes ſuos, & levitas ad Joannem, ſic & noſtri Judaei mittunt Sacerdotes, & levitas ad gratiam Dei. Judaei namque, qui interpretantur confidentes, illi ſunt qui peccata ſua Deo, & Sacerdotibus confitentur. Sacerdos dicitur, qui Sacrificium offert. Sacrificium autem noſtrum contritio cordis eſt noſtri; dicente Propheta: *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non ſpernit*. Levita interpretatur aſſumptus, operis ſatisfactionem ſignificat, quam ille qui peccata confitetur aſſumit; & a quo aſſumit, a Sacerdote, qui ſibi eam ponit. Jeruſalem interpretatur viſio pacis, ſacram Scripturam ſignificat, de qua,

& per

& per quam Chriſtum videmus, & intelligimus, & quantum etiam noſtra fragilitas permittit cognoſcimus. Quia ſicut dicit Apoſtolus, *ipſe eſt pax noſtra*. Ergo ſicut diximus Judei, ideſt peccata ſua confitentes, mittunt Sacerdotes & Levitas, ideſt cordis contritionem, & operis ſatisfactionem ad Joannem, qui Dei gratia interpretatur, ideſt ad gratiam Dei. Quoniam pœnitentes qui corde, & ore confitentur, & opere ſatisfaciunt, non ſibi, ſed Dei gratiae imputant. Et hoc ex Jeroſolymis, ideſt ex ſacris Scripturis, quae illos talia facere admonent. Ait enim Dominus diſcipulis ſuis: *Sine me nihil poteſtis facere*. Et Apoſtolus: *Quid habes*, inquit, *quod non accepiſti*. Et Jacobus: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt*. Vide qualiter Apoſtolus Paulus hoc agebat, qui peccata ſua confitens, totum ſe Dei gratiae adſcribebat: *Ego ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei. Gratia Dei ſum id quod ſum*. Sed Judaei mittunt Sacerdotes ſuos, & Levitas ad Joannem, videamus qualiter mittant, videlicet ut interrogarent eum: *Tu quis es*? Qui aliquem interrogat tu quis es? non videtur cognoſcere eum; & pœnitens non videtur cognoſcere gratiam Dei, ideſt vitam aeternam, quae de gratia Dei datur. Ait enim Apoſtolus: *Non ſunt condignae paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis*. Nam per poenitentiam peccata dimittuntur, & per peccatorum remiſſionem evacuamus a culpa, & liberamur a pœna. Addenda ſunt ergo bona opera, ut ſicut per pœnitentiam evadimus pœnam inferni, ſic per bona opera mereamur habere gloriam Paradiſi. Sed quid Joannes quaerentibus reſponderit audiamus: *Ego vox clamantis in deſerto, dirigite viam Domino, ſicut dixit Iſaias Propheta*. Qualiter autem Joanni, ideſt gratiae Dei haec omnia conveniant videamus. Deſertum, pravum cor intelligitur. In deſerto namque non ſolet eſſe habitatio hominis, ſed ſunt ibi beſtiae, ſerpentes, ſpinae, & tribuli. Sic & in pravo corde non habitat ratio, quae per hominem qui eſt animal rationale ſignificatur. Quoniam pravum cor nihil ſecundum rationem vult, nihil rationabiliter cogitat, numquam rationabilia concupiſcit. Sed ſunt ibi beſtiae, ſerpentes, atque ferae, ideſt beſtiales cogitationes, ſerpentium motus, & venenata deſideria, ſpinaeque peccatorum, & tribuli vitiorum. In hoc ergo deſerto Joannes, qui per gratiam ſignificatur, clamat, quando Dei gratia pravo cordi, ut ad Dominum per pœnitentiam convertatur inſpirat. Quid autem clamet videamus, *Dirigite viam Domini, ſemitas Dei noſtri, Iſaias Propheta*. Quatuor ſunt, quae viam malam faciunt, lutum, lapides, mons, tortuoſitas. Per lutum, quod tangentes ſoedidat, luxuria intelligitur. Per lapides qui ſunt duri, cordis duritiam, de qua per Prophetam dicitur: *Auferam a vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum*. Per montes ſuperbiae altitudo. Per tortuoſitatem injuſtitia. Sic ergo in primo notatur luxuria, ſic in ſecundo ira, vel invidia, in tertio ſuperbia, in quarto avaritia. Dirigamus itaque viam Domini ad cor noſtrum, ut in nobis caſte vivamus, proximum noſtrum diligamus, Domino mente & corpore humiliemur, & aliena non concupiſcamus. Sequitur: *Et qui miſſi fuerant, erant ex phariſaeis*. Qui fuerant miſſi? Sacerdotes, & Levitae, ideſt contritio cordis, & operis ſatisfactio. Ergo merito dicuntur ex phariſaeis, qui interpretantur diviſi, quoniam haec duo, ideſt contritio cordis, & operis ſatisfactio hominem a peccato dividunt, & ſeparant. Sequitur, & interrogaverunt eum, & dixerunt ei: *Quid ergo baptizas ſi tu non es Chriſtus, neque Elias, neque Propheta*? Et reſpondit eis Joannes dicens: *Ego baptizo in aqua, medius veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis*. Videamus ergo quomodo gratiae Dei conveniat, quod Joannes de ſe ipſo dixit: Ego baptizo in aqua: baptiſmus magnum ſacramentum eſt Sacramentum eſt ſacrae rei ſignum, ideſt quando unum videtur, & aliud intelligitur. Sicut in corpore Domini videtur panis, intelligitur corpus Chriſti, ſic & in baptiſmo videtur aqua, & intelligitur gratia Dei. Nam ſicut aqua lavat ſordes exterius corporis, ſic & gratia Dei mundat peccata animae interius. Recte ergo gratia Dei, quae per Joannem ſignificatur dicere poteſt. *Ego baptizo in aqua*. Sequitur: *Medius autem veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis*. Iſte medius Chriſtus eſt qui in medio Judeorum commorabatur. Iſte ſemper adeſt in aquis baptiſmatis. Nam ſicut in baptiſmate Chriſti fuit tota ſancta Trinitas, Pater videlicet qui de caelo clamavit dicens: Hic eſt Filius dilectus; filius qui baptizabatur, & Spiritus Sanctus, qui in ſpecie columbae apparuit; ſic & in noſtro ſanctam Trinitatem adeſſe credimus. Unde in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizamus. Sed quid eſt dicere, ego baptizo te in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti, amen. Si dicamus, ego baptizo te in fide, vel in notitia Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut per nomen Patris, & Filii, & Spiritus Sancti fidem, vel notitiam intelligamus, non videtur convenire. Sed videndum eſt, quia nomen Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Deus eſt, ſic enim habet fides catholica: Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus: Dicitur ergo homini accedenti ad baptiſmum: Ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ideſt ad hoc ut taliter vivas, quatenus merearis habere nomen Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, quod eſt Deus. Sicut ſcriptum eſt: *Ego dixi Dii eſtis, & fratres eſtis omnes*: & ſicut in baptiſmo Chriſti aperti ſunt caeli, ſic & in noſtro aperitur nobis caelum, unde merito non in alio liquore, niſi in aqua. Aqua enim duo facit, ſordes mundat, & ignem extinguit. Et in baptiſmate ſordes peccatorum a nobis lavantur, & ignis, qui Paradiſi prohibebat ingreſſum extinguitur. Sic enim habetur: *Ejecit Dominus Deus Adam de Paradiſo &c.* Ante Paradiſum poſuit Cherubim, & flammeum gladium. Sequitur: *Ipſe eſt, qui poſt me venit, qui ante me factus eſt, cujus non ſum dignus corrigiam calceamentorum ſolvere*. Calceamenta pedes muniunt, & ex mortuis animalibus fiunt. Videamus itaque prius, qui ſunt pedes Chriſti, & poſtea melius poterimus videre, quae ſint eorum calceamenta. Pedes Chriſti Apoſtoli fuerunt, qui fidem, & nomen ejus per totum mundum portaverunt praedicando. Sicut ſcriptum eſt: *In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terrae verba eorum*. De iſtis ſcriptum eſt. *Quam ſpecioſi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona*. Nam cum Chriſtus ſit caput noſtrum, noſque membra illius, jure illi vocantur pedes, qui terram tangunt, & tangendo conculcant, atque Chriſti nomen, & doctrinam currendo praedicant; & ſicut pedes totum corpus ſuſtinent, ſic Apoſtoli, & Apoſtolici ſucceſſores viri Dei Eccleſiam regunt. Iſtorum pedum calceamenta ſunt Fides, Spes, & Caritas, quae nimirum Sanctos Dei a perſecutorum anguſtia, & malorum perſecutione quotidie muniunt. Quoniam ſancti per fidem, & ſpem, & caritatem Dei quam perfecte habent, malorum tormenta pro nihilo ducunt: audi Apoſtolum Paulum dicentem: *Quis nos ſeparabit a charitate Chriſti tribulatio, an anguſtia, an perſecutio, an fames, an nuditas, an gladius*. Et ſicut calceamenta ex mortuis animalibus fiunt, ſic, & iſtas tres virtutes a Sanctis Patribus habemus. Quia illud credimus, ſperamus, & diligimus, quod Sancti Patres crediderunt, ſperaverunt, & dilexerunt. Oportet igitur ut in Deum credamus recte, indubitanter ſperemus, & perfecte diligamus. Ecce habemus, quod iſtarum trium virtutum una ſine altera non ſalvat. Unitas ergo, & concordia iſtarum virtutum eſt corrigia calceamentorum, quam Joannes, ideſt quiſquis gratiam Dei habere deſiderat, eam violare non debet. Sequitur: *Haec in Bethania facta ſunt trans Jordanem Galileae*

Digitized by Google

lilea. Quid per Bethaniam quae domus obedientiae interpretatur, melius accepimus, quam mentem alicujus pœnitentis, & Dei, atque ſui Sacerdotis praeceptis obedire cupientis. In qua haec omnia, quae ſupra dicta ſunt de Sacerdotibus & Levitis miſſis ad Joannem facta ſunt, & quotidie fiunt. Sed additum eſt, *trans Jordanem Galilea*. Jordanis, in quo Chriſtus baptizatus fuit, ſignificat noſtrum baptiſmum qui fuit in aqua; ſed poſtea ſequitur alius baptiſmus, qui fit in pœnitentia, quem praedicabat Joannes, ſicut Evangeliſta dicit: *Praedicans baptiſmum pœnitentiae in remiſſionem peccatorum:* & haec merito dicitur eſſe in Galilaea quae tranſmigratio interpretatur, quoniam qui vere pœnitet de malo ad bonum, de vitiis tranſmigrat ad virtutes.

FERIA QUARTA
QUATUOR TEMPORUM.
SUPER LUCAM.

Miſſus eſt Gabriel Angelus ad Mariam Virginem deſponſatam Joſeph.

QUod hic legimus factum in beata Maria hiſtorialiter, hoc quotidie in unaquaque fideli anima fieri videmus moraliter. Angelus namque græce, latine nuntius dicitur. Qui merito ſanctæ eccleſiæ prædicatores ſignificat, quod verbum Dei Beatæ Mariæ, ideſt alicui fideli animæ nuntiare non ceſſant. Maria enim aliquam fidelem animam ſignificat, quæ merito Virgo dicitur. Duæ ſunt namque virginitates. Alia eſt enim carnis, & alia eſt mentis. Virginitas carnis corpus intactum, virginitas mentis fides incorrupta. Anima ergo, quæ recte credit jure Virgo dicitur, & deſponſa Joſeph. Joſeph qui interpretatur accreſcens, ſive augmentum Chriſtum ſignificat, cujus fama, & doctrina uſque adeo crevit, ut univerſum mundum repleret, ipſe namque, ſicut ait Daniel, *Lapis ille magnus, qui abſciſſus eſt de monte ſine manibus*, qui tantum crevit, ut totum mundum repleret. Quoniam Chriſtus natus eſt de monte, ideſt de ſuperbo populo Judaico, ſine manibus, ideſt ſine opere virili. Unde Beata Maria Angelo reſpondit dicens. *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Hic lapis totam terram replevit. Quoniam Chriſtus fama, & doctrina ſua totum mundum adimplevit, & ideo merito per Joſeph ſignificatur, qui accreſcens, vel augmentum interpretatur. Huic ergo Maria, ideſt aliqua fidelis anima deſponſatur per fidem. Unde Beata Agnes ait. *Annulo fidei ſuæ ſubbarravit me Dominus meus Jeſus Chriſtus*. Mittitur igitur angelus ad Mariam, quoniam aliquis prædicator venit ad aliquam fidelem animam, cui Chriſtum, ideſt Verbum Dei annuntiat; quia ſi fortiter hoc faciat, fortaſſis Gabriel poterit appellari, quoniam Gabriel Dei fortitudo appellatur. Maria, ideſt fidelis anima concipit Chriſtum, ideſt propoſitum religionis, & ſerviendi Deo. Sed Maria cum concepit Chriſtum, non ſtatim peperit, ſed Chriſtum novem menſibus portavit in ventre; ſic & fidelis anima poſtquam concipit in ſe propoſitum ſerviendi Deo, non ſtatim parit, ideſt extra hominibus per operis effectum non oſtendit, ſed novem menſibus portat. Videamus itaque qui ſint iſti novem menſes, quibus Maria, ideſt fidelis anima Chriſtum, hoc eſt propoſitum religionis in ſe portat. Menſis dicitur diſtinctio temporum. Poſtquam igitur aliqua fidelis anima Deo ſervire proponit, cogitat quod ſervitium ejus faciat, an eat Jeruſalem, vel ad ſanctum Jacobum, aut tale aliquid faciat, & videt quia iſta tranſitoria ſunt, & momentanea, ideo proponit converſionem vitae. Ecce prima diſtinctio, tanquam primus menſis. Rurſus cogitat, an debeat facere, dicit enim, uxorem, & filios parvulos habeo, ſi ipſos dimiſero, & vitam mutavero, forte uxor fornicabitur, & filii fame peribunt. Reducit autem ad memoriam, quod Dominus ait. *Qui diligit patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios pluſquam me, non eſt me dignus*, & ideo converſionem eligit. Ecce ſecunda diſtinctio, tanquam ſecundus menſis. Poſtquam perpendit, quod debeat facere, iterum cogitat, an poſſit facere, dicit namque intra ſe: In converſione ſunt magnae vigiliae, crebra jejunia, ſilentium, & alia difficilia: Si forte coepero, & perſeverare non potero, ero filius gehennae duplo, quam prius; ſed cernens alios ſe multo debiliores, omnia, quae in ordine percipiuntur, facile obſervare, firmiter ſe converſurum ſtatuit. Ecce tertia diſtinctio, quaſi tertius menſis. Rurſus cogitat, quare hoc facit, an propter Deum, vel propter ſæculum, ſicut multi, qui magna paupertate conſtricti monaſteria petunt; & ſtatuit uno ſolum modo propter Dominum, & religionis intuitu facit. Ecce quarta diſtinctio, ſeu quartus Menſis; & Chriſtus, hoc eſt propoſitum religionis in mente, velut in aliquo ventre latet. Poſtquam igitur ſtatuit ad religioſam vitam ſe ipſum convertere, oportet ut diſtinguat, & eligat, quam velit, ſive canonicam, ſive monaſticam, vel eremiticam, aut aliam quamlibet, & ſic eligat ſibi unam. Ecce quinta diſtinctio, quaſi quintus menſis. Sed ſi forte aliquam eligit, neceſſarium eſt ut diſtinguat ubi, ideſt in qua congregatione ſeipſum convertat, ſive apud Claravallenſes, ſive apud Camaldulenſes, vel alibi. Ecce Sexta diſtinctio, velut Sextus menſis. Sed ſi forte malæ vitae, & peſſimarum conſuetudinum dudum fuit, adeo ut exinde Abbas, & alii Fratres tantum illum nullomodo recipere velint, opus eſt ut cogitet quibus auxiliis hoc faciat, & quorum auxilio ad hoc faciendum requirat. Ecce Septima diſtinctio, tamquam ſeptimus menſis. Item neceſſe eſt ut diſtinguat quomodo hoc faciat publice, vel privatim. Ecce octava diſtinctio, quaſi octavus menſis. Poſtremo diſtinguere, quando hoc faciat. Ecce nona diſtinctio quaſi nonus menſis. Completis autem novem his diſtinctionibus, quaſi novem menſibus, Maria, ideſt aliqua fidelis anima parit Chriſtum, ideſt propoſitum religionis, & quod diu in mente ſervaverat, foris omnibus oſtendit per boni operis effectum. Sed ubi hoc fit utique in Bethelem, quae domus panis interpretatur; hoc eſt in aliqua religioſa congregatione, quae utique domus illius eſt, qui dixit. *Ego ſum panis vivus, qui de caelo deſcendi*. In ea namque Chriſtus manet, ſicut ipſe ait, *ubi duo, vel tres congregati in nomine meo; ego ſum in medio eorum*. Sed Chriſtus natus pannis involvitur, quia aliquis fidelis poſtquam in aliqua religioſa congregatione prædicto modo naſcitur, Sanctorum Patrum exemplis circumdatur, & in eis qualiter converſari debeat, perfecte inſtruitur, & ponitur in praeſepio, ubi animalia reficiuntur, quoniam apponitur ei Sacra Scriptura, quae per Praeſepium ſignificatur. Ibi namque reficiuntur animalia Dei, de quibus ſcriptum eſt. *Animalia tua inhabitabunt in ea*; apponitur ſiquidem ei regula beati Benedicti, & Auguſtini, & qualiter timere debeat inſtruitur, deinde octavo die, ideſt finita ſeptimana circumciditur, quoniam finito tempore probationis profitetur; profeſſio namque idcirco circumciſioni comparatur, quia ſicut in circumciſione ſuperfluitas pelliculae aufertur, ſic & in profeſſione ſuperfluitas propriae voluntatis vel facultatis abiicitur, quando ſub obedientia ſine proprio vivere promittitur. Hoc videtur ſignificare raſura capitis in clerico, cum aliquis Clericus efficitur, capilli ejus a capite abſcinduntur. Caput autem mentem ſignificat. Capilli vero temporalia illa, quoniam capilli abſciſſi non dolent, evulſi vero dolent, ſic & temporalia, ſi ſuperflua auferantur non opus eſt dolere, ſi autem neceſſaria ideſt quod intra carnem eſt tollatur, utique dolet; neceſſarium eſt victus, & veſtitus, & quidquid ultra hoc eſt, ſuperfluum eſt. Capilli a Capite abſcinduntur, quoniam ſuperflua a mente Clerici tolluntur; ut non ſolum

ſuper-

Digitized by Google

ſuperflua non habeamus, verum etiam nec habere mentem concupiſcamus.

FERIA SEXTA

SUPER LUCAM.

Exurgens Maria abiit in montana cum feſtinatione, & intravit in domum Zachariæ, & ſalutavit Elizabeth.

POſtquam Maria, ideſt aliqua fidelis anima per annunciationem Angeli, ideſt alicujus prædicatoris Chriſtum, ideſt propoſitum religionis in ſe ipſa concipit, non manet otioſa, non jacet in imo vitiorum, ſed exurgit a corpore negligentiae, ſequens illum, qui dixit: *Surge qui dormis, & exurge a mortuis*; & vadit in montana, ideſt ad altiora virtutum conſcendit, ut vadens de virtute in virtutem videre mereatur Deum Deorum in Syon. Et hoc non cum tarditate, aut aliqua dilatione, ſed cum feſtinatione propter illud, quod ſcriptum eſt. *Ne tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem*. Sequitur. *Et intravit in domum Zachariæ, & ſalutavit Elizabeth*. Zacharia, interpretatur memoria Domini, divinum Sermonem ſignificat. Ipſe enim Deum nobis ad memoriam ſemper reducit, & in ipſo eſt memoria Domini. Hic merito Propheta dicitur qui futura prædicit. Haec domus ſacra ſcriptura eſt. In hac itaque Maria, ideſt fidelis anima intrat, dum in ipſa die ac nocte meditatur, in ea intrando ſalutat Elizabeth, quae interpretatur Dei mei ſaturitas, & ſignificat intelligentiam, qua de Deo noſtro ex parte nunc reficimur, & in futuro perfecte ſatiabimur. Sicut per Pſalmiſtam dicitur. *Satiabor dum apparuerit gloria tua*. Haec non incongrue dicitur uxor Zachariae, ideſt divini ſermonis, quoniam intelligentia divino ſermoni ſemper conjuncta debet eſſe. Nihil enim valet divinum ſermonem audire, vel legere, niſi ipſum intelligamus. Haec autem Elizabeth, ideſt intelligentia prius quidem ſterilis, poſtea in ſe concepit Joannem, quoniam noſtra intelligentia ab omni errore prius vacua, & ſterilis eſſe debet, ut poſtmodum concipiat in ſe Joannem, qui interpretatur gratia Dei, hoc eſt caritatem. Caetera enim omnia, utpote temporalia dantur hominibus a Deo; ſed non de Dei gratia. Charitas vero nonniſi per gratiam Spiritus Sancti nobis datur. Maria igitur, ideſt fidelis anima Zachariae domum intrans Elizabeth ſalutat, quia in ſacra ſcriptura jugiter meditans, intelligentiam exinde recipit, & in ea poſtea propriam ſalutem invenit, & de qua ſalutatione exultat Joannes, quia Deus caritas eſt de noſtra ſalute laetatur. Vos itaque dilectiſſimi Fratres, tanquam altera Maria, ſi fortè in vitio carnalis concupiſcentiae jacetis, ſi negligentia mandatorum Dei dormitis, ſurgite feſtinanter, & ad montana, ideſt ad virtutum altitudinem properate, domumque Zachariae intrate ut in lege Domini meditemini die, ac nocte. Tria nobis ſunt neceſſaria, lectio, oratio, operatio. Lectione inſtruimur, oratione mundamur, operatione beatificamur. Sicut ſcriptum eſt. *Labores manuum tuarum manducabis, beatus es, & bene tibi erit*. Omnipotens Dominus concedat nobis in ſacrae ſcripturae lectione nos ipſos ſtudere, ita & orationibus vacare, atque operationibus bonis ſic exercere, ut per ſtudium divinae lectionis Dominum cognoſcere, & per aſſiduitatem ſanctae Orationis a peccatis mundari, & per exercitium boni operis mereamur beatificari. Ipſo adjuvante.

SERMO SUPER ISAYAM.

Egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet.

SAlvo miſtico intellectu, quo egreditur, quod de radice, ideſt de ſtirpe Jeſſe egreſſa eſt virga, ideſt virgo Maria, & flos, ideſt Chriſtus, qui dicit. *Ego flos Campi, & lilium convallium* de radice, ideſt de ſtirpe ejus aſcendit. Moraliter ſic exponi poteſt. Jeſſe libamen, ſive ſacrificium interpretatur: ſacrificium triplex. Eſt enim ſacrificium contritionis, & eſt ſacrificium laudis, & eſt ſacrificium juſtitiae. De ſacrificio contritionis dicitur: *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum non ſpernit Deus*. De ſacrificio vero laudis dicitur: *Immola Deo ſacrificium laudis*; & iterum *ſacrificium laudis honorificabit me*. De ſacrificio juſtitiae ſcriptum eſt: *Sacrificate ſacrificium juſtitiæ*; & iterum: *Tunc acceptabis ſacrificium juſtitiæ*. Item, & ſacrificium contritionis eſt in corde. Sacrificium laudis in ore. Sacrificium vero juſtitiæ in opere. Rurſum ſacrificium contritionis eſt incipientium; ſacrificium laudis perficientium; ſacrificium autem juſtitiae perfectorum. De Jeſſe ergo, ideſt de ſacrificio contritionis & de ipſa contritione, quae ſacrificium eſt egredietur virga, ideſt confeſſio oris, de qua per Iſaiam dicitur. *Virga labiorum ejus interficiet impium*; quia confeſſione oris extinguimus in nobis peccatum. Sequitur, *& flos de radice ejus aſcendet*. Per florem bona voluntas intelligitur; de arbore namque prius flos, deinde folium, poſtea fructus procedit; ſic & de homine prius bona voluntas oritur, deinde folia verborum, poſtmodum fructus operum. Hinc quoque ſponſus in canticis canticorum dicit: *En lectulus noſter floridus eſt*. Lectulus Dei anima fidelis eſt. Nam aliter eſt Deus in mundo, aliter in Eccleſia, aliter in unaquaque fideli anima. In mundo eſt ſicut imperator in regno; in Eccleſia, ſicut Pater familias in domo; in anima velut ſponſus in thalamo ſuo. Iſte lectus floridus eſt, quia unaquaeque fidelis anima ſemper bona voluntate plena eſſe debet; unde in Dei Nativitate ab Angelis dictum eſt. *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Iſte ergo flos, ideſt bona voluntas aſcendet de radice, ideſt de contritione cordis, quae radix eſt bonorum operum. Sequitur. *Et requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ, & intellectus, Spiritus conſilii, & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ, & pietatis, & Spiritus timoris Domini*. Propheta, quia de adventu Domini loquebatur, de caeleſtibus ad ima deſcendebat, & ideo coepit a ſapientia, & deſcendit ad timorem. Nos vero, qui a terrenis ad caeleſtia aſcendere cupimus, ejuſdem gradus aſcendendo numeremus, ut a timore ad ſapientiam aſcendere valeamus, quia non ſapientia timoris, ſed timor dicitur eſſe initium ſapientiae. In mente etenim noſtra primus aſcenſionis gradus eſt timor Domini, ſecundus pietas, tertius ſcientia, quartus fortitudo, quintus conſilium, ſextus intellectus, ſeptimus ſapientia. Eſt enim timor Domini in mente; ſed qualis eſt timor iſte, ſi in eo pietas non eſt. Qui enim proximo miſereri ignorat; qui compati ejus tribulationibus diſſimulat, hujus timor ante Omnipotentis oculos nullus eſt, quia non ſublevatur ad pietatem. Sæpe pietas per inordinatam miſericordiam errare ſolet, ſi fortaſſe parcit, quae parcenda non ſunt. Peccata enim, quae perire poſſunt ignibus & gehenna, diſciplinae ſunt corrigenda verberibus; ſed inordinata pietas, eum ſpiritualiter parcit, ad aeternum ſupplicium pertrahit. Ut ergo vera, & ordinata ſit pietas ad gradum eſt alium ſublevanda, ideſt ad ſcientiam, ut ſciat aliquis, quid ex ſententia puniat, vel ex miſericordia dimittat Sed quid prodeſt, ſi ſciat quid agere debeat, virtutem vero non habeat. Scientia ergo noſtra creſcat ad fortitudinem, ut cum videt quid agen-

gendum ſit, hoc agere per mentis fortitudinem poſſit, cum in pavorem lapſa non valeat bona defendere quae ſentit. Sed ſaepe fortitudo ſi improvida fuerit, & minus contra vitia circumſpecta, ipſa ſui præſumptione in caſſum ruit. Aſcendat ergo ad conſilium, ut praevidendo praemuniat omne quod agere poteſt fortiter. Sed eſſe conſilium non poteſt, ſi intellectus deeſt; quia qui non intelligit malum, quod agentem gravat, quomodo poteſt bonum ſolidare quod adjuvat. Itaque a conſilio aſcendamus ad intellectum; ſed quid ſi intellectus magno acumine vigeat, & moderari ſe neſciat per maturitatem. Ab intellectu ergo aſcendamus ad ſapientiam, ut quod acute intellectus invenit ſapientiae maturitate diſponat. De his ſeptem donis duo geminata, & connexa inveniuntur, quorum unum ſignificat vitam, aliud doctrinam. Sapientia eſt primum, & intellectus ſecundum. Sapientia pertinet ad vitam, intellectus ad doctrinam. Conſilium ad doctrinam, fortitudo ad vitam. Scientia pertinet ad doctrinam, pietas ad vitam. Haec duo vita ſcilicet & doctrina ſignificantur in Chriſmali unctione, in qua Spiritus Sanctus dari creditur. In Chriſmate namque eſt oleum, & balſamum; In oleo, quod aliis liquoribus ſupereminet, vita ſignificatur. In balſamo quod odorem ſuum longe lateque ſpargit, doctrina figuratur. Et haec duo, ideſt vita & doctrina ſignificantur per alia duo, in quibus Sanctus Spiritus deſcendit ſuper Apoſtolos ignem videlicet, & linguas. In igne caritas intelligitur. Sicut ſcriptum eſt. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut ardeat*. Caritas autem bonam vitam facit. Quemadmodum Dominus ait: *Si quis diligit me ſermonem meum ſervabit*. In linguis doctrina innuitur. Conferamus autem haec ſeptem dona cum ſeptem beatitudinibus, de quibus Dominus in Evangelio memoriam facit, & videamus qualiter cum illis conveniant. Prima namque beatitudo eſt paupertas Spiritus, ideſt humilitas, de qua Dominus ait. *Beati pauperes ſpiritu*, ideſt humiles, de quibus Pſalmiſta ait. *Et humiles ſpiritu ſalvabit*, cui bene convenit timor Domini, qui eſt primum donum. Nam qui perfecte Deum timet, utique eſt humilis. Secunda beatitudo eſt manſuetudo, unde Dominus ait: *Beati miſericordes*; Cum iſta convenit pietas, quod eſt ſecundum Donum. Tertia eſt luctus, de quo Dominus dicit *Beati qui lugent*; huic comparatur ſcientia, quod eſt tertium donum de quo Salomon ait. *Qui apponit ſcientiam apponit dolorem, & dolor flere facit*. Quarta beatitudo eſt juſtitia de qua Dominus dicit. *Beati qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam*, huic convenit fortitudo, quae eſt quartum donum, quoniam ad juſtitiam faciendam maxima fortitudo opus eſt. Quinta beatitudo eſt miſericordia, unde Dominus ait: *Beati miſericordes*, quae convenit cum conſilio, quod eſt quintum donum, quia conſilium bonorum eſt, ut aliis miſericordiam praeſtet, quatenus a Deo miſericordiam conſequantur. Sexta beatitudo eſt munditia cordis, de qua Dominus ait. *Beati mundo corde quoniam ipſi Deum videbunt*; huic convenit intellectus, qui eſt ſextum donum, quia de munditia cordis ſequitur viſio Dei, ſicut dicitur: *Beati mundo corde quoniam ipſi Deum videbunt*, & in hac vita viſio Dei non eſt nobis alia, niſi ſolus intellectus. Septima beatitudo eſt pax, de qua dicitur. *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*, cui bene comparatur ſapientia, quae eſt gravitas morum, de qua homines efficiuntur Filii Dei, & de pacificis dicitur, quia filii Dei vocabuntur. Poſſunt haec ſeptem doni nihilominus ſeptem petitionibus, quae ſunt in Dominica oratione comparari. Prima namque petitio eſt *ſed libera nos a malo*, cui convenit primum donum, quod eſt timor Dei, quia qui timet pro aliquo imminenti ſibi malo timet, & ideo ab illo ſemper liberari petit. Secundum donum eſt pietas, cui convenit ſecunda petitio, quae eſt, *& ne nos inducas in tentationem*; quia qui pius eſt, ideſt perfecte Deum colit, ſemper rogat, ut in tentationem non inducatur, ideſt ut tentationi non incumbat, tentationi non conſentiat, ut a tentatore non ſuperetur, quod eſt in tentationem induci. Tertium donum eſt ſcientia, quae bene convenit cum tertia petitione, quae eſt, *dimitte nobis debita noſtra ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*, quia qui perfecte peccatum ſuum recognoſcit dicens cum Propheta: *Iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper*; libenter dimittit aliis, ut Deus dimittat ſibi. Quartum donum eſt fortitudo, cui convenit quarta petitio, quae eſt *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*. Panis animae noſtrae juſtitia eſt. Nam niſi juſtitia panis eſſet, nequaquam Dominus diceret: *Beati qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam*; ad quam faciendam opus eſt magna fortitudine. Quintum donum eſt conſilium, cui convenit quinta petitio, quae eſt *fiat voluntas tua, ſicut in Cælo, & in terra*; quoniam hoc eſt conſilium bonorum virorum ſanctorum Deo pro viribus ſervire, ſemper autem ad bonam voluntatem ſe habere: unde quotidie rogant Dominum, ut ſicut voluntas ejus in Caelo, hoc eſt in Angelis, ita fiat, & in terra, ideſt in hominibus. Sextum donum eſt intellectus, qui convenit cum ſexta petitione, quae eſt *adveniat regnum tuum*. Quia qui intellectus acumine viget, & de Deo ſubtiliter intelligit, tam bona & ſalutifera res ſibi Deus videtur, ut ſemper optet, quatenus Deus in eo maneat, & in eo regnet. Unde quotidie Deo dicit: Adveniat in nobis regnum tuum. Septimum donum eſt ſapientia, quae bene convenit cum ſeptima petitione, quae eſt *ſanctificetur nomen tuum*. Quoniam ſapientia, ſicut diximus, eſt maturitas morum, pro qua homines efficiuntur Filii Dei, & ideo ſemper rogant Dominum ne hoc nomen quo filii Dei vocantur auferatur ab eis, ſed potius ſanctificetur; hoc eſt firmetur in eis quoniam ſancire firmare eſt. Et haec de ſeptem Donis pro modulo noſtrae capacitatis dicta ſufficiant.

ALIUS SERMO.

Non auferetur Sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus eſt. Judas confeſſio interpretatur. Per ſceptrum, quod eſt regalis, virga juſtitiae intelligitur, quae eſt regalis virtus, propter quam faciendam reges conſtituuntur: unde dicitur; *diligite juſtitiam, qui judicatis terram*. De Juda ergo ſceptrum non auferetur, quia de confeſſione peccati juſtitia non tollitur. Sicut ſcriptum eſt; *dic tu iniquitates tuas ut juſtificeris*; & iterum, *veritas de terra orta eſt, & juſtitia de Cælo proſpexit*. Per terram peccator intelligitur, ſicut Deo in oratione dicitur. Fiat voluntas tua ſicut in Caelo, & in terra, ideſt in juſtis, ita & in terra, hoc eſt in peccatoribus: cum peccator habet ſe juſtum, bonum, & ſanctum, quod non eſt, tunc de terra, ideſt de peccatore veritas non oritur. Cum vero ſe ipſum accuſat, & peccatorem ſe clamat, quod verum eſt, tunc de terra veritas oritur, & juſtitia de caelo proſpexit. Quia ſicut dictum eſt, qui ſeipſum accuſat juſtificari meretur. Unde per Joannem dicitur. *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt Dominus, & juſtus, & dimittet nobis*. Sequitur. *Et dux de femore ejus*. Per ducem ratio videlicet intelligitur, quoniam ſicut bonum ducem ſequi debemus, ſic in actibus noſtris rationem debemus imitari. Per femur autem de quo filiorum propago procedit filii intelliguntur. Sicut alibi ſcriptum eſt. *Ecce apparebit Dominus ſuper nubem candidam, & cum eo Sanctorum milia, & habebit in veſtimento, & in femore ſuo ſcriptum Rex regum, & Dominus dominantium*. Sicut Dominus in primo adventu, in nube caelum aſcendit, ita in ſecundo adventu deſcendit in nube. Unde Angeli Apoſtolis dixerunt: Sic veniet quemadmodum vidiſtis eum euntem in Caelum. Dicitur ergo de ſecundo adventu: Ecce apparebit Dominus ſuper nubem candidam, & cum eo Sanctorum millia. Quia non ſolum Sancti viri ſecte Apoſtolo occurrent Domino in nubibus obviam in aera,

ſed

ſed omnes Angeli venient cum eo, ſicut ipſe ait. *Cum venerit filius hominis in maieſtate ſua, & omnes Angeli cum eo*. Et habebit in veſtimento, & in femore ſuo ſcriptum, rex regum, & Dominus dominantium. Per veſtimentum Chriſti humanitas ejus intelligitur, quam divinitas induit. Sicut per Apoſtolum dicitur. *Et habitu inventus ut homo*. Per femur vero, ut diximus filii intelliguntur. Chriſtus vero in veſtimento, & in femore ſuo habebit ſcriptum Rex regum, & dominus dominantium. Quia non ſolum in humanitate ſua, ſed etiam in Filiis ſuis hoc eſt in Sanctis viris evidenter apparebit; quod ipſe ſit rex regum, & Dominus dominantium. Quoniam fulgebunt juſti ſicut ſol. Sicut igitur ibi per femur Filii intelliguntur, ſic & hic. Et qui ſunt Filii Judae, niſi opera confeſſionis? Satisfactio videlicet operis, quae de confeſſione peccati imponitur; de hoc itaque femore, ideſt de operis ſatisfactione, dux, ideſt ratio non auferetur. Quoniam rationabile eſt, ut ei qui peccata confitetur, operis ſatisfactio imponatur. Sed hoc non ſemper fiet, niſi uſque dum veniet qui mittendus eſt, ideſt uſque ad adventum Chriſti, ideſt in finem ſaeculi. Tunc quippe auferetur ſceptrum de Juda, ideſt juſti de confeſſione peccati. Quia non merebuntur tunc juſtificari, qui peccata ſua noluerunt ante confiteri, potius audient: Ite maledicti in ignem aeternum. Nunc quidem per confeſſionem peccati ſequetur indulgentia, tunc vero ſequetur poena, & tunc auferetur dux de femore Judæ, ideſt ratio de operis ſatisfactione, quia ſatisfactio poenitentiæ tunc rationabilis non erit. Erit enim tunc poenitentia ſed infructuoſa, ideo nobis per Iſaiam dicitur. *Quærite Dominum dum inveniri poteſt, invocate eum dum prope eſt*. Unde Apoſtolus ait: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis*. Et Dominus in Evangelio: *Cavete ne fiat fuga veſtra hyeme, vel ſabbato*; in hyeme pro difficultate temporis; in ſabato exhibitione legis fuga tollitur. Noſtra autem fuga poenitentia eſt, per ipſam enim iram Dei fugimus, & evadimus. Dicit itaque Dominus. Cavete ne fiat fuga veſtra hyeme, vel ſabato. Ne tunc velitis poenitentiam ducere, quando nec licebit, nec proderit. Sequitur. *Pulchriores ſunt oculi ejus vino, & dentes ejus lacte candidiores*. Qui ſunt oculi ejus Judæ ideſt confeſſionis, niſi dolor de præterito, & cautela de futuro, quoniam qui peccata ſua confitetur, & de præterito debet dolere, & de futuro cavere. Iſtorum duorum oculorum cum uno retro, cum altero ante reſpicimus, quoniam per dolorem præterita mala reſpicimus, & per cautelam nos a futuris cuſtodimus. Sicut faciebat Propheta qui dicebat. *Iniquitatem meam ego cognoſco, & delictum meum contra me eſt ſemper*. Per vinum vero operis ſatisfactio intelligitur. Vinum ſi de eo vulnus lavetur, coquit, & etiam purgat. Dicit ergo pulchriores ſunt oculi ejus vino, quia dolor de præterito, & cautela de futuro ſunt pulchriores apud Deum oculi, quoniam per iſta ſine ſatisfactione operis multi ſalvantur, per ſatisfactionem vero ſine iſtis nemo ſalvatur. Sequitur. Et dentes ejus lacte candidiores. Quid per dentes, niſi crebræ meditationes peccati intelliguntur, ſicut enim aliquis volens comedere, ſumit buccellam, & poſtmodum terit dentibus, tandem deſcendit ſaliva a capite, & traiicit in ventrem, ſic aliquis volens exponere dictum alicujus Prophetæ ſumit ſibi buccellam, ideſt aliquam particulam, utpote verſus alicujus Prophetæ, & ponit in ore cordis, & crebris meditationibus, quaſi quibuſdam dentibus terit, deinde ſaliva deſcendit a capite, hoc eſt intelligentia deſcendit a Deo, qui eſt caput noſtrum, & ſic deducit in ventrem memoriæ. Sicut ergo ibi per dentes crebræ meditationes intelliguntur, ſic & hic. Per lac autem, quod dari pueris ſolet, compaſſio intelligitur, quæ pueris, ideſt debilibus & delicatis, atque infirmis mentibus dari debet: dentes itaque ideſt crebræ meditationes peccati, quando homo peccatum ſuum ad mentem frequenter reducit, unde compungitur, & cordis contritio naſcitur. Candidiores ſunt lacte, ideſt compaſſione miſericordiæ quoniam per compaſſionem infirmitati parcimus carnis, per contritionem vero iniquitatem abolemus mentis; & quoniam ſcriptum eſt. *Nemo vivit ſuper terram, qui non peccet*: & Jacobus. *In multis quidem offendimus omnes*: ſi de peccatis noſtris volumus juſtificari non erubeſcamus ea Sacerdotibus confiteri. Quatenus per malorum confeſſionem, & bonam operationem æternæ vitæ, mereamur a Domino conſequi retributionem. Quod nobis parare dignetur.

IN NATIVITATE

DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

H*Odie nobis de Cælo pax vera deſcendit*. *Hodie veritas de terra orta eſt*, quia Chriſtus, qui eſt veritas, & vita de Maria natus eſt. Maria, quidem de terra dicitur, quia per propagationem a primo homine deſcendit, cui a Domino dictum eſt. *Terra es, & in terram ibis*. Unde Abraham. *Loquar* inquit *ad Dominum noſtrum, cum ſim pulvis, & cinis*. De hac iterum terra per pſalmiſtam dicitur. *Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum*. Dominus ſiquidem benignitatem dedit, quando filium ſuum incarnari conſtituit. Et terra noſtra dabit fructum ſuum: quoniam Virgo Maria peperit Chriſtum, de quo beatæ Mariæ dixit Elizabeth. *Benedictus fructus ventris tui*. Rurſus de terra hac per Iſaiam dicitur; *Rorate cæli deſuper, & nubes pluant juſtum, aperiatur terra, & germinet Salvatorem*. Per Cælos Angeli intelliguntur, de quibus per Pſalmiſtam dicitur *Cæli enarrant gloriam Dei*, & iterum: *Annuntiaverunt Cæli juſtitiam ejus*. Unde in Oratione Deo dicimus: *fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terra*, ſicut in Angelis, ita in hominibus. Per nubes Prophetæ intelliguntur, quoniam ſicut nubes aquam emittit, & obſcura eſt, ſic & Prophetæ doctrinam nobis dederunt, & in ſuis eloquiis obſcuri fuerunt. Unde alibi per pſalmiſtam dicitur: *Tenebroſa aqua in nubibus aeris*, ideſt obſcura ſententia in prophetis. Et nota ordinem. Prius enim ponuntur Cæli rorantes, deinde nubes pluentes; poſtmodum terra germinet Salvatorem. Quia prius Angeli Chriſtum annuntiaverunt dicentes Abrahæ: In Yſaac vocabitur tibi nomen. Quod quia non de Yſaac filio Abrahæ, ſed de Chriſto intelligendum ſit, Apoſtolus exponit dicens. *Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini ejus, non dicit ſeminibus, quaſi in multis, ſed quaſi in uno, & ſemini tuo qui eſt Chriſtus*. Deinde nubes pluerunt juſtum quando prophetae prophetaverunt Chriſtum: tandem aperta eſt terra, quando Virgo Maria aperuit aurem ad verba Angeli dicentis. *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi*, Et iterum clamans Virgo Maria cum propheta dixit: *Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico*, quia Virginis Mariae non cor dixit, ſed verbis angelicis conſentiens dixit. *Ecce Ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum*. Unde poſtmodum ipſa ſalvatorem germinavit, quia hodierna die Chriſtum peperit, de cujus nativitate Pſalmiſta dicit, *deſcendit Dominus ſicut pluvia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram*. Vellus recipit pluvias vel quando compreſſum aquam emittit, nullatenus corrumpitur; ſic etiam Virgo Maria cum concepit Chriſtum, & quando peperit, nullo modo corrupta fuit. Quia Virgo fuit ante partum, virgo in partu, virgoque inviolata permanſit poſt partum. Sequitur. Et ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram. Stillicidium proprie eſt pluvia, quae de Caelo deſcendit in tectum, de tecto vero in terra. Domus tres ſunt partes. Inferius eſt fundamentum, ſupra quod eſt paries, deſuper ponitur tectum. Homines igitur tanquam terra dicitur fundamentum, angeli vero quaſi quaedam paries ſu-

per homines ſunt; ſuper homines autem, & ſuper angelos quaſi quoddam tectum eſt Virgo Maria. Ipſa namque exaltata eſt ſuper choros angelorum. Sicut ſtillicidium Dominus de Caelo in tectum deſcendit, ideſt in uterum virginis, de quo venit in terra, ideſt ad homines. Sic etiam legitur in veteri Teſtamento; quod cum Moyſes paſceret oves Jethro cognati ſui & minaſſet gregem ad interiora deſerti, vidit rubum ardere, qui non comburebatur, & dixit. *Ibo, & videbo viſionem hanc magnam, quare non comburatur rubus*. Vocavitque eum Dominus de rubo dicens. *Moyſes, Moyſes ne appropies huc; ſolve calceamenta pedum tuorum, locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt*. Per Moyſen namque, qui aquaticus interpretatur, Sancti prædicatores intelliguntur, qui ex aquis baptiſmatis ſunt renati, & aquis ſanctarum ſcripturarum repleti. Jethro ſignificat Chriſtum: hujus ergo oves, ideſt populum Chriſti, Moyſes, ideſt ſancti praedicatores tunc oves paſcunt, quando divini verbi pabula ſubjectae plebi annuntiant. Quam etiam ad interiora deſerti quandoque minare debent. Per deſertum quippe ſacra Scriptura intelligitur, quia ſicut in deſerto diverſi ſunt flores, alii quidem rubei, ut roſa, alii quidem purpurei ut viola, alii vero candidi ut lilia, ita in ſacra Scriptura diverſae ſunt ſententiae. Quarum aliae martyrum, & ſanguinis effuſionem, cum opus eſt propter Dominum ſubire ſuadent, aliae purpureæ virginitatis continentiam monent, aliae ſanctae converſationis candorem praedicant. Moyſes itaque oves ad interiora minavit deſerta, & ſancti praedicatores ad interiorem intellectum ſacrae ſcripturae producere debent, adeo ut rubum ardentem, & incombuſtum videre, ideſt dominicae incarnationis miſterium intelligere valeant. Per rubum vero Virgo Maria intelligitur. Sicut enim rubus ille circumdabatur ſpinis, ſic Virgo Maria Judaeis, inter quos habitabat. Et ſicut de rubo naſcitur roſa quae rubea eſt, & candida, ſic de Maria natus eſt Chriſtus, qui rubeus fuit in paſſione, & candidus in reſurrectione. Ignis in rubo, Spiritus Sanctus in Maria. Unde Angelus ait: *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*. Sicut enim ignis cum eſſet in rubo rubus non comburebatur, ſic Spiritus Sanctus cum deſcendiſſet in Maria, ipſam non violavit, ſed ejus virginitatem illaeſam cuſtodivit. Unde dicitur Moyſi. *Solve calceamenta pedum tuorum*. Calciamenta, quae ex mortuis animalibus fiunt Philoſophorum intellectum ſignificant, qui merito mortua animalia dicuntur, quoniam fidem Dei non habentes, beſtialiter, & non rationabiliter vivebant ut homines. Philoſophorum autem intellectus fuit ſi peperit, cum viro concubuit. Talia igitur calceamenta, ideſt talem intellectum ſolvere, & a mentibus noſtris procul abicere jubemur, ut Chriſtum non de virili ſemine, ſed ex virgine natum credamus. Quia igitur Fratres humaniſſimi Nativitatem Domini hodie celebramus, debemus imitari quod colimus, ut anima noſtra ſemine verbi Dei foecundata bonorum operum fructum pariat, quatenus bene operando, ad vitam, quae finem non habet pervenire valeamus. Ipſo auxiliante.

AD MISSAM IN NOCTE

SUPER LUCAM.

IN *illo tempore, exiit edictum a Caeſare Auguſto, ut deſcriberetur univerſus orbis*, & reliqua. Quia Dominus, ac Redemptor noſter ad hoc venit in mundum, ut inter hominem, & Deum, inter nos, & Angelos pacem reformaret, idcirco in tempore pacis naſci voluit. Nam in tanta pace natus eſt Chriſtus, quod totus mundus ab uno homine regebatur, in nullo ei contradicebatur. Sed totus orbis ad reddendum tributum deſcribebatur. Sicut per Evangeliſtam dicitur. *Exiit Edictum a Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur univerſus Orbis*. Et quod per Iſayam dicitur ad literam adimpletum fuiſſe videtur. *Conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces. Non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad praelium*, & Pſalmiſta. *Orietur in diebus ejus juſtitia, & abundantia pacis*. In deſcriptione quoque Orbis, ideo Dominus naſci voluit, ut oſtenderet, quia ideo venerat, ut electos ſuos ſcriberet in aeternitate. Quo contra dictum eſt de reprobis per Prophetam. *Deleantur de libro viventium, & cum juſtis non ſcribantur*. Sequitur, *& ibant omnes ut profiterentur ſinguli in ſuam Civitatem*. Et nos omnes eamus non tantum greſſibus pedum, quantum greſſibus morum, & cenſum noſtrae fidei, quae regi noſtro, ideſt Chriſto debetur, profiteamur in noſtram Civitatem, ideſt in Sanctam Eccleſiam. Sequitur. *Aſcendit autem Joſeph a Galilea de Civitate Nazareth in Judæam Civitatem David, quae vocatur Bethelem*. Et nos ſimiliter euntes de virtute in virtutem, de Nazareth, quae interpretatur munditia, vel ſanctitas, ideſt de munditia cordis, & ſanctitate boni operis, quae eſt in Galilaea, ideſt in tranſmigratione de vitiis ad virtutes aſcendamus in Bethelem, quae domus panis interpretatur, ideſt ad caeleſtem beatitudinem quae eſt domus illius, quae dixit. *Ego ſum panis vivus, qui de caelo deſcendi*, & ſi non corpore, tamen & converſatione. Sicut faciebat Apoſtolus, qui dicebat. *Noſtra autem converſatio in Caelis eſt*; haec autem Bethelem eſt in Judaea, quia Beatitudo Caeleſtis ſemper eſt in Confeſſione laudis Dei. Sicut ſcriptum, *Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te*. Et qualiter faciebat hoc Joſeph, eo quod eſſet de domo, & familia David; & nos ſupradicta faciamus, eo quod ſumus de domo, & familia Chriſti, qui ſignificatur per David. David namque interpretatur manu fortis. Et de Chriſto Pſalmiſta dicit. *Dominus fortis, & potens, Dominus potens in praelio*; Chriſti manus adeo fortis eſt ut extenſa omnia mala fugabat. Nam tangendo leproſos mundabat, caecos illuminabat, mortuos ſuſcitabat. Vis audire fortitudinem Chriſti, audi Evangeliſtam dicentem. *Virtus de illo exibat, & ſanabat omnes*. Interpretatur etiam viſu deſiderabilis, & de Chriſto dicit Propheta: *Specioſus forma prae filiis hominum*; & beatus Petrus ait: *In quem deſiderant Angeli proſpicere*. Quare autem in Bethelem Joſeph cauſam ſubdendo manifeſtat cum ait: *ut profiteretur cum Maria deſponſata ſibi uxore praegnante*; & nos cum Maria, ideſt anima noſtra ſemine verbi Dei gravida profiteamur, ideſt praenuntiamus cenſum bonae fidei, & ſanctae converſationis. Et quia non ſufficit bene promittere, niſi promiſſa etiam opere compleamus; ideo ſequitur. *Factum eſt autem cum eſſet ibi: impleti ſunt dies ut pareret, & peperit filium ſuum Primogenitum*; & nos cum ſimus ibi, ideſt in promiſſione boni faciamus, ut noſtra Maria, ideſt anima noſtra pariat Chriſtum, ideſt bonum propoſitum, quod intus geſtabat, opere complendo demonſtret. Maria Chriſtum pannis involvit, & nos bonum opus noſtrum Sanctorum exemplis circumdando muniamus, & reclinemus in Praeſepio ubi animalia reficiuntur, ideſt in Sancta Scriptura in qua reficiuntur animalia Dei. Quibus dicitur. *Animalia habitabunt in ea*. In hoc ergo praeſepio, ideſt in Sacra Scriptura filium noſtrum, ideſt opus noſtrum reclinare debemus, ut cum Sacra Scriptura concordet, & cum ea conveniat. Et notandum quod Dominus non in pretioſa camera, aut nobili loco naſci voluit, ſed in praeſepio ubi ponitur foenum, & ubi beſtiae ligantur, & hoc tribus de cauſis. Primo ut exemplum humilitatis nobis daret, ſecundo, ut oſtenderet, quia foenum noſtrae carnis ſuſceperat. Caro namque foenum dicitur; dicente Iſaya. *Omnis caro foenum*; & iterum. *Vere foenum eſt populus*; & Propheta. *Homo ſicut foenum dies ejus*. Tertio, ut innueret, quod pro-

pter

pter beſtias ideſt propter peccatores venerat. Sequitur. *Et paſtores erant in regione eadem vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctis ſupra gregem ſuum.* Paſtores praedicatores, nox ſaeculum, grex populum ſignificat. Sicut ergo tunc Paſtores in nocte vigilantes cuſtodiebant gregem ſuum, ſic & ſancti praedicatores in nocte hujus ſaeculi gregem ſuum, ideſt populum ſibi commiſſum cuſtodire, & ſuper ipſum vigilare debent. Scriptum quippe eſt: *Beatus ſervus, quem cum venerit Dominus invenerit vigilantem.* Et quoniam paſtoribus Dei praecepta ſervantibus divinus ſermo per intellectum innoteſcere ſolet, & miraculorum claritas in eis fulgere; ideo ſubjunctum eſt: *Ecce Angelus Domini ſtetit juxta illos, & claritas Dei circumfulſit illos.* Angelus Domini, qui latine nuntius interpretatur, divinus ſermo eſt, & hic ſemper juxta paſtores, ideſt ſanctos praedicatores ſtare debet, ut ſancti praedicatores divinum ſermonem, & ſacram ſcripturam juxta ſe, & ante ſe ſemper habeant, quatenus in lege Domini meditantur die ac nocte. Et ſi hoc fecerint claritas miraculorum circumfulgebit eos, ut per Dei gratiam miracula etiam facere mereantur quandoque in corpore, ſemper autem in ſpiritu; & timebunt timore magno, quia ſcriptum eſt: *Beati omnes qui timent Dominum*; & *Beatus vir qui timet Dominum.* Sequitur, & dixit illis Angelus: *Nolite timere, ecce annuntio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo.* Semper paſtoribus Dei praecepta ſervantibus ſermo divinus magnum gaudium annuntiavit. Sicut ſervo illi paſtoris typum tenentis, qui de quinque talentis alia quinque lucratus fuerat, ait: *Euge ſerve bone, & fidelis intra in gaudium Domini tui.* Et quoniam de noſtro provectu Angeli ſemper gaudent; ſicut ſcriptum eſt: *Gaudium eſt Angelis Dei ſuper uno peccatore poenitentiam agente.* Idcirco ſequitur. Et ſubito facta eſt cum Angelo multitudo militiae caeleſtis laudantium Deum, & dicentium: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonae voluntatis.*

IN FESTIVITATE S. STEPHANI

PROTOMARTYRIS.

Super Actus Apoſtolorum.

Stephanus plenus gratia & fortitudine faciebat prodigia, & ſigna magna in populo. Stephanus interpretatur coronatus. Significat aliquem Dei fidelem, qui pro bono opere, & Dei ſervitio incentiva carnis edomando contra diabolum viriliter reſiſtendo coronari meretur. Corona autem duplex eſt. Eſt enim caritatis, & eſt corona claritatis vel beatitudinis. De corona caritatis ſcriptum eſt: *Poſuiſti Domine ſuper caput ejus coronam.* De corona vero claritatis dicitur: *Magnificavit eum in conſpectu regum, & dedit illi coronam gloriae.* Prima corona videlicet caritatis dat nobis ſecundam coronam. Quia pro eo, quod homo habet hic caritatem dilectionem videlicet Dei & proximi, in futuro habebit coronam claritatis, ideſt beatitudinem vitae aeternae. Sed videamus, quod promiſſum teſtimonium dicat: *Poſuiſti Domine ſuper caput ejus coronam de lapide pretioſo.* Caput uniuſcujuſque fidelis mens eſt. Sicut enim a capite omnia membra reguntur, ita, & a mente cogitationes diſponuntur. Super caput ejus ponitur corona, quando in mente alicujus caritas invenitur. Caritas namque merito coronae comparatur, quia ſicut corona undique circumdat, ſic & caritas, ideſt dilectio Dei, & proximi ex omni parte ſubvenit. Utpote ſi eſuris dat tibi cibum, ſi ſitis, dat tibi potum, ſi nudus es dat veſtimentum, ſi infirmus es miniſtrat tibi,

ſi in carcere es viſitat te; haec autem corona, ideſt dilectio Dei eſt de lapide pretioſo, ideſt de Chriſto; quod autem Chriſtus lapis vocetur, Apoſtolus dicit: *Petra autem erat Chriſtus*; & Propheta: *Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus eſt in caput anguli*; hanc autem coronam, ideſt caritatem beatus Stephanus habuit, quia Deum dilexit, & proximum, pro cujus amore mortem ſuſtinuit, non ſolum pro amicis, ſed etiam pro inimicis, & perſecutoribus ſuis oravit dicens: *Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Implens illud Evangelii: *Diligite inimicos veſtros, & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos.* Hic fecit ſicut per Salomonem dicitur: *Ad menſam potentis aſcendiſti fili mi.* Conſidera, quae apponuntur ibi, quoniam talia te praeparare oportet. Menſa ergo potentis, menſa eſt altaris, in qua corpus & ſanguis Chriſti in ſpecie panis & vini, quotidie comeditur & bibitur. Ad hanc menſam beatus Stephanus aſcendit, quando Diaconus circa altare Sacerdoti miniſtrabat. Ibi invenit fercula poſita, ideſt commemorationem paſſionis Chriſti factam, & qualia vidit, talia praeparavit, quia ſicut Chriſtus pro eo, ita & ipſe pro Chriſto mortem ſuſtinuit. Et ideo merito inter feſtivitatem nativitatis Chriſti, & ſolemnitatem beati Stephani nulla alia interponitur feſtivitas, quia inter Chriſti mortem, & paſſionem Sancti Stephani, nulla paſſio alicujus Sancti fuit. Mortem enim quam Salvator noſter dignatus eſt pro omnibus pati, hanc ille primus reddidit Salvatori; & ideo merito vocatur protomartyr, ideſt primus martyr, quia primus pro Chriſto paſſionem ſuſtinuit. Hunc primum martyrem ſignificavit ille primus piſcis de quo in Evangelio legitur. *Quod acceſſerunt illi, qui didragmam accipiebant ad Petrum dicentes. Magiſter veſter non ſolvit didragmam.* Et cum rediret domum, pervenit eum Jeſus dicens. *Reges terrae a quibus accipiunt tributum a filiis, an ab alienis, & ait Petrus ab alienis. Reſpondit Jeſus. Ergo liberi ſunt filii*, videlicet Regum, & ſic liber ſum ego, qui ſum Rex Regum, & dominus dominantium. *Ut autem non ſcandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piſcem, qui prius aſcenderit tolle, & aperto ore ejus invenies ſtaterem, illum aſſumens da eis pro me, & te.* Mare ergo ſeculum ſignificat, de quo per pſalmiſtam: *Hoc mare magnum, & ſpatioſum manibus.* Piſces in mari martyres ſunt in mundo. Sicut enim piſces in aquis naſcuntur; ſic & martyres in aquis baptiſmatis regenerantur. Et ſicut, piſcis quanto amplius ab undis alliditur, tanto amplius creſcit, ſic & martyres quanto in hoc mundo majora tormenta patiebantur, tanto magis in Dei amore creſcebant. Si ergo piſces martyres ſunt. Primus piſcis, eſt primus martyr, ideſt beatus Stephanus, in cujus ore inventum eſt Stater, ideſt Chriſtus. Quoniam beatus Stephanus ſemper habebat Chriſtum in voce, Chriſtum in clamore, Chriſtum in omni ſua praedicatione, & ſermone. Hic ſtater datus eſt pro Chriſto, & Petro, quando Chriſtus paſſus eſt, & morti traditus non ſolum traditus pro ſe, quoniam *propter hoc exaltavit illum Deus, & dedit ei nomen, quod eſt ſuper omne nomen*, ſed etiam pro Petro, ideſt pro Eccleſia, cujus princeps, & paſtor Petrus fuit. Quia igitur Fratres chariſſimi Solemnitatem Sancti Stephani celebramus, debemus imitari quod colimus, ut ſicut ille dilexit Deum, & proximum, ita & nos faciamus. Quatenus ſicut ille in caelum intuens caelos apertos, & Jeſum a dextris Dei ſtantem meruit videre, ſic & nos pro perfecta Dei, & proximi dilectione, ad viſionem illius lucis pervenire mereamur. Ipſo adjuvante.

IN SANCTI JOANNIS APOSTOLI, ET EVANGELISTÆ.

Incipit Sermo.

QUoniam qui vitia carnis fortiter edomant, & diabolo viriliter reſiſtunt ſapientes veraciter dici poſſunt. Ideo ſacra ſcriptura loquitur, & dicit. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in paradiſo Dei mei.* Sicut ſacra ſcriptura dicit, *militia eſt vita hominis ſuper terram.* Ut enim oportet hominem pugnare dum eſt in militia, ſic & nos dum ſumus in hac vita oportet pugnare cum tribus inimicis; cum carne videlicet, ac Diabolo, & Angelis ejus, & cum fratribus falſis. De pugna carnis dicit Apoſtolus. *Caro enim concupiſcit adverſus Spiritum; Spiritus autem adverſus carnem*; de ſecunda pugna dicit idem Apoſtolus. *Confortamini in Domino, & in potentia virtutis ejus. Quia non ſolum eſt nobis colluctatio adverſus carnem, & ſanguinem, ſed adverſus principes, & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum contra ſpirituales nequitias in cæleſtibus.* Reſtat tertia pugna, quae eſt cum falſis fratribus. Qui ſunt tales, quales erant illi, de quibus dicit Dominus. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt a me.* Illi tales ſimiles dicuntur apibus quae in ore mel portant, ſed retro pungunt. Sic & hujuſmodi homines cum ſint ante nos, blandiuntur nobis, ſed retro detrahunt, & blaſphemant. Quia tales Judaei erant, qui Domino dicebant. *Magiſter ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces. Non enim reſpicis perſonam hominis.* Retro autem dicebant. *In Beelzebub principe Dæmoniorum ejicit Dæmonia.* De quibus dicitur per Prophetam. *Circumdederunt me ſicut apes, & exarſerunt ſicut ignis inter ſpinas.* Quoniam Judaei, qui erant ſicut apes, circumdederunt Chriſtum dicentes. *Quouſque animam noſtram tollis; ſi tu es Chriſtus dic nobis palam.* Has tres pugnas beatus Joannes Evangeliſta vicit. Pugnam namque carnis vicit, quia virgo eſt electus a Domino, virgo in aevum permanſit. Pugnam vero Daemonum vicit quia eos de obſeſſis corporibus, ſicut caeteri apoſtoli ejiciebat. Pugnam vero falſorum fratrum vicit, ſicut illam, quam habuit cum Ariſtodemone, qui dedit ei bibere venenum, & bibit, & incolumis permanſit; poſtmodum tactu ſuae tunicae illos qui ex veneno mortui fuerunt reſuſcitavit, & ideo de beato Joanne, qui omnes iſtas pugnas vicit loquitur ſacra Scriptura, & dicit. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in paradiſo Dei mei.* In quibus verbis mirabile videtur, quod dicitur. *Dabo edere de ligno vitæ.* Cum homo lignum non ſoleat comedere, ſed panem, & caetera, quae ad cibum pertinent. Sed per lignum vitae ſapientia ſignificatur. De qua per Salomonem dicitur. *Lignum vitæ eſt his, qui apprehenderint eam, & qui tenuerit eam Beatus.* Sapientia itaque cibus dicitur, & potus. Cibus in obſcuris, & potus in apertis. Sicut enim qui comedit non totum panem ad edendum ſumit, ſed frangit buccellam, & ponit in os, deinde terit dentibus, tandem deſcendit ſaliva a capite, & trajicit in ventrem. Sic & ſacra ſcriptura ubi obſcura eſt non totum tractum ſumit homo ad intelligendum, ſed frangit quandam buccellam, ideſt ſumit ſibi quendam verſiculum, & ponit in ore cordis, & terit dentibus, ideſt crebris meditationibus, tandem deſcendit ſaliva a capite ideſt intelligentia a Deo, qui eſt caput noſtrum, & trajicit in ventrem, ideſt in memoriam. Quae merito dicitur venter, quia ſicut venter cibum retinet, & ſervat, ſic & memoria ea, quae intelliguntur. Ubi autem ſapientia aperta eſt dicitur potus, quia ſicut potus totus, & non particulatim bibitur, ſic & ſcriptura ubi aperta eſt, tota inſimul intelligitur. Ubi notandum eſt, quia hic non dicitur Vincenti dabo potare, ſed edere de ligno vitae. Quia qui praedictas pugnas vicit obſcura Sacrae ſcripturae intelligere meretur. Et quoniam Sacra ſcriptura in ſancta eccleſia locum habet praecipue atque ſedem, & ideo ſequitur, quod eſt in paradiſo Dei mei. Paradiſus ſancta eccleſia eſt. Paradiſus namque hortus deliciarum interpretatur. Et ſancta eccleſia divina verba, quae ſunt deliciae animarum in ſe habet, & praecipue unum quod omnes delicias ſuperat, panem videlicet, qui de caelo deſcendit, hoc eſt corpus, & ſanguinem Domini. De paradiſo fluunt quatuor flumina, & de ſancta eccleſia quatuor Evangelia. ideſt Matthaei, Marci, Lucae, Joannis, cujus hodie feſtivitatem colimus. Iſte quippe de ligno praedicto ſuper omnes comedit, quia Dei ſapientiam ſuper omnes intellexit, adeo ut uſque ad divinitatem verbi Dei aſcenderet dicens. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum.* Qui merito ſimilitudinem Aquilae tenere dicitur. Quoniam ſicut Aquila caeteris avibus altius volat, ſic & iſte caeteris Sanctis de Divinitate Verbi Dei altius intellexit. Et ſicut per Pſalmiſtam dicitur. *Et volavit ſuper pennas ventorum*, & non immerito, quoniam ſicut ille, qui ad fontem accedit, aquam haurire ſolet, ſic Beatus Joannes ſupra pectus Domini, ubi eſt fons ſapientiae, & ſcientiae recubans, aquam ſapientiae ſuper omnes mirabiliter potavit. Veneremur itaque Fratres chariſſimi ſolemnitatem beati Joannis, quia ſicut illum Dominus prae caeteris dilexit, ſic & nos ſi ejus feſtivitatem devote celebramus diliget nos, & exaltabit, & inter Sanctos ſuos honorabit, & tandem in regno ſuo collocabit. Ad quod regnum.

IN NATALE SANCTORUM INNOCENTIUM.

Sermo.

QUorum Sanctorum animae Chriſtum ſequuntur, & a Chriſto proteguntur, ideo beatus Joannes Evangeliſta in Apocalypſi ſua loquitur, & dicit. *Vidi ſub altare Dei animas interfectorum propter verbum Dei, & teſtimonium quod habebant, & clamabant voce magna dicentes. Vindica Domine ſanguinem noſtrum qui effuſus eſt.* Dominus noſter Jeſus Chriſtus Fratres chariſſimi, Dominus, & magiſter noſter eſt. Sicut ipſe ait. *Vos vocatis me magiſter, & Domine, bene dicitis, ſum etenim.* Eſt inſuper & Pater noſter ſicut ipſe ait. *Et patrem nolite vocare vobis ſuper terram: unus eſt enim pater veſter qui in Caelis eſt.* Cui orationem fundentes dicimus. Pater noſter qui es in Caelis, ſanctificetur nomen tuum. Et haec tria eſt ipſe propter alia tria, ideſt propter potentiam ſapientiam, & benignitatem. Nam per potentiam eſt Dominus, per ſapientiam Magiſter, per benignitatem Pater. Propter quae debemus ei alia tria, ideſt timorem, amorem, & obedientiam. Deum namque timere debemus ſicut potentem Dominum, diligere ut benignum Patrem, obedire velut ſapienti magiſtro. Ideoque beatus Joannes ait: Vidi ſub altare Dei animas interfectorum. Altare Chriſtus eſt; & Chriſtum ſignificat, cui tamquam Chriſto genuflectimus, proſternimus, preces fundimus, & adoramus. De quo per Paulum dicitur: *habemus altare de quo edere non habent poteſtatem, qui tabernaculo deſerviunt.* Altare iſtud Corpus Chriſti eſt; de quo non habent poteſtatem edere, qui deſerviunt deſideriis carnis, & voluptati corporis, quod eſt tabernaculum animæ, quia *qui manducat Corpus Chriſti, & bibit ſanguinem ejus indigne, judicium ſibi manducat, & bibit.* Sub hoc Altare, ideſt Chriſto ſunt animae Sanctorum, quia ipſum timent, ipſum diligunt, ipſi obediunt, ipſum ſequuntur, & imitantur, & ab ipſo proteguntur, ſicut ſervi a Domino, & diſcipuli a magiſtro, filii a patre. Iſtae animae dicuntur clamare voce magna dicentes. Vindica Domine ſangui-

nem

nem ſanctorum tuorum qui effuſus eſt. Animae dum corporibus junctae ſunt habent vocem, ſed per corpus, quia per corpus loquuntur, & clamant. Separatae vero a corporibus non loquuntur. Unde mirum videtur, ad quod Beatus Joannes dixerit, quod animae ſanctorum clamabant dicentes. Vindica Domine ſanguinem ſanctorum tuorum qui effuſus eſt. Sed voces animarum ſanctorum ſunt tormenta perſecutorum. Nam ſicut homo per vocem, & loquelam ſuam voluntatem demonſtrat, ſic & animae ſanctorum per tormenta, quae ſanctis illata ſunt, crudelitatem perſecutorum oſtendunt, & ſicut per vocem hominis voluntas manifeſtatur, ſic & per tormenta ſanctorum perſecutorum impietas demonſtratur. Unde Dominus ad eum qui fratrem ſuum Abel interfecerat ait: *Ecce vox ſanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra*. Sed quid animae ſanctorum dicant audiamus. Vindica Domine Sanguinem Sanctorum tuorum qui effuſus eſt. Animae ſanctorum junctae Deo nihil volunt niſi quod Deus; Deus autem miſericors eſt, & juſtus; ſic & animae ſanctorum per miſericordiam rogant Deum, vt vindicet ſanguinem ſanctorum, non ut inimici confundantur, & pereant, ſed convertantur, & vivant, ac ſalventur; per juſtitiam vero ſi converti noluerint confundantur, & pereant in æternum. Omnium autem martyrum iſtorum, quorum Solemnitatem celebramus, merito dicuntur flores, quoniam ſicut arbor antea profert flores, quam folia, vel fructus, ſic & Sancta Eccleſia ante protulit iſtos quam Apoſtolos, vel martyres. Et ſicut flos antea naſcitur in arbore, quam producat folia, vel fructus, ſic & iſti prius nati ſunt in vita æterna, quam ſcirent proferre folia verborum, vel fructum operum. Et ſicut in magno frigore pruina flores decoquere ſolet, ſic & in magna crudelitate Herodis, ejus perſecutio iſtos interfecit. Qui etiam merito dicuntur innocentes, quia nec ſibi nocuerunt per malam voluntatem, nec aliis per malam operationem; & ſicut nec bona noverant ſperare, ita nec mala formidare, & ſicut neſciebant diligere amicos, ita nec timere inimicos. Imitemur ergo iſtos fratres chariſſimi in quantum poſſumus, ut ſi forte non ſumus innocentes, ſaltem ſimus poenitentes, & ſi non poſſumus dicere Deo, te numquam offendimus, poſſimus etiam dicere, quod offendimus, ſed per poenitentiam emendamus. Et ſicut animas Sanctorum diximus eſſe ſub Altare, ſic & nos ſimus cum Chriſto ſerviendo, miniſtrando, & obediendo illi, ut tandem non ſolum ſub Chriſto, ſed etiam cum Chriſto mereamur: Sicut ipſe ait, *Volo pater, ut ubi ego ſum, illic ſit & miniſter meus*. Et ſicut Chriſtus cum ſuis Sanctis regnat in æterna beatitudine, ita & nos cum eo, & Sanctis ejus regnare valeamus.

IN OCTAVA NATALIS DOMINI.

SERMO.

QUia circumciſionem Domini Fratres hodierna die celebramus, dignum eſt ut de circumciſione aliquid dicamus. Circumciſio quidem triplex eſt. Eſt enim circumciſio corporis, & eſt circumciſio animae, & eſt circumciſio utriuſque ideſt corporis, & animae. De prima circumciſione ſcriptum eſt. *Maſculus cujus præputii caro circumciſa non fuerit delebo illum de populo meo quia pactum meum irritum fecit*. De ſecunda vero dicitur. *Circumcidite corda veſtra, & non corpora*. De tertia dicit Apoſtolus. *Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, & corruptibile hoc induerit incorruptionem*. Prima circumciſio fuit Judaeorum. Secunda eſt Chriſtianorum. Tertia erit omnium bonorum. Prima fuit bona, ſecunda melior, tertia erit optima. In prima circumciſione abſcidebatur corporis pellicula. In ſecunda cavetur animae culpa. In tertia auferetur corporis, & animae poena. Prima circumciſio eſt figura ſecundae. Secunda eſt figura tertiae. Nam ſicut prima circumciſio ſignificat ſecundam, ſic & ſecunda ſignificat tertiam. Hanc triplicem circumciſionem habuit Chriſtus; circumciſionem namque corporis habuit, qua circumciſus eſt hodierna die; circumciſionem mentis habuit, quia ſicut dicit Petrus apoſtolus. *Peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus*. Tertiam circumciſionem habuit in reſurrectionem, qui reſurgens ex mortuis jam non moritur, & mors illi ultra non dominabitur. Circumciſio autem fiebat octava die, quia tertia circumciſio, qua mortale hoc induerit immortalitatem, & corruptibile hoc induerit incorruptionem, pro qua aliae duae circumciſiones fieri juſſae ſunt, non datur in hac vita, quae per ſeptem dies volvitur, ſed in futura tantum, quae per octavum diem ſignificatur. Cum autem dicit Evangelium. *Poſtquam conſummati ſunt dies octo ut circumcideretur puer*.. Secutus adjunxit, *Vocatum eſt nomen ejus Jeſus*. Quare hoc quia octava die tantum nomen imponebatur. Sicut in futura vita tantum nomen firmabitur. In praeſenti namque vita qui hodie dicitur bonus, cras vocabitur malus, & qui hodie vocatur malus, cras vocabitur bonus, ſic enim variatur vita, & ideo mutantur nomina. In futura autem qui ſemel erit bonus, numquam erit malus, & e converſo. Et ſicut aeterna vita bonis, ita & aeterna ſupplicia malis. Sic nomina erunt firma, & immutabilia bonis, & malis. Unde in oratione Dominica dicimus Deo. *Sanctificetur nomen tuum*. Sanctificare eſt ſanctum facere. Sanctus autem dicitur a ſancio ſancis. Sancire autem firmare eſt. Rogamus ergo ut nomen Dei quod eſt Deus ſanctificetur in nobis, & ita firmetur in nobis, ut ulterius non mutetur nec auferatur a nobis, ut ſicut ipſe Deus vocatur; ita & nos Dii vocemur, & ſimus. Scriptum quippe eſt. *Ego dixi dii eſtis*. De hoc nomine praecepit Dominus diſcipulis ſuis dicens. *Ite docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Et quid eſt dicere. Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Niſi ego baptizo te, ut habeas nomen Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Nomen autem Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Deus eſt. Et ego ad hoc te baptizo ut Deus voceris, & ſis. Si ergo Dii vultis vocari Fratres, ſtudete, ut ſitis Filii Dei, quia conſuetudo eſt, ut Filii comitis, comites vocentur, & ſi vultis eſſe Filii Dei, ſtudete ut faciatis ejus opera. Quia ſicut dicit Scriptura. *Cujus opera facis, ejus filius appellaberis*. Studete itaque opera Dei facere, ut ejus filii ſitis, & cum eo regnare valeatis. Ipſo adjuvante.

IN EPIPHANIA DOMINI.

SUPER ISAYAM.

SERMO.

S*Urge, illuminare Jeruſalem quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt, & ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in ſplendore ortus tui*. Jeruſalem aliqua fidelis anima intelligitur. Cui merito dicitur: Surge quoniam & ipſa in primo homine decidit per peccatum originale & in ſe ipſa quotidie cadit per peccatum actuale. Unde bene dicitur ei a Propheta. *Elevare, elevare, & conſurge, conſurge*, ut prius elevetur a peccato originali per Baptiſmum, deinde ab actuali per poenitentiam. Sed cur dicitur dupliciter cadere tantummodo, cum ſcriptum ſit: *Septies in die cadit juſtus*, quia per ſeptem vitia labitur. Sed qui cadit per ſuperbiam ſurgat per humilitatem. Qui cadit per vanam gloriam ſurgat per mentis abiectionem. Qui cadit per invidiam, ſurgat per internum amorem. Qui cadit per iram, ſurgat per patientiam. Qui cadit per triſtitiam ſurgat per laetitiam. Qui cadit per

av-

Digitized by Google

avaritiam ſurgat per largitatem. Qui cadit per luxuriam ſurgat per caſtitatem. Unde legitur in veteri Teſtamento, quod cum Joſue contra muros Jerico ſeptem diebus arcam Domini elevaret, & tubis ſonaret, corruerunt muri Jerico. Arca quippe mens noſtra eſt, ſicut Apoſtolus dicit: *Circumtecta erat ex omni parte auro*, quia mens noſtra auro Sapientiae, & ſcientiae ſplendere debet. In hac erant duae Tabulae teſtamenti, quia in mente noſtra debent eſſe duo praecepta caritatis. In his duabus tabulis ſcripta erat lex, quia in gemina dilectione univerſa lex continetur. Sicut Dominus ait: *In his duobus mandatis univerſa lex pendet, & Prophetæ*. Et Apoſtolus: *Plenitudo legis eſt dilectio*. In arca rurſus erat manna. Quod ſic dicitur: Omnem ſaporem, quem quiſque cupiebat, in ejus palato ſapiebat. Unde ſcriptum eſt. *Panem dediſti nobis Domine habentem omnem ſaporem*. Similiter in mente noſtra debet eſſe magna miſericordia, quae ſapores diverſos miniſtrat. Quae eſurienti ſapit cibum, ſitienti potum, algenti veſtimentum, & unicuique prout opus habet. In arca iterum erat virga Aaron, quia in mente noſtra debet eſſe rectitudo juſtitiae. Joſue itaque ſeptem diebus elevavit Arcam & corruerunt muri Jerico, quia unuſquiſque fidelis mentem ſuam, quae ſepties ideſt per ſeptem praedicta vitia ceciderat. Septem diebus, ideſt per ſeptem præfatas virtutes elevare debet, & ſic muri Jerico cadent. Jerico interpretatur luna; nitotem vanegloriae ſignificat. Luna enim in nocte fulget, in die non, quia mundi gloria in nocte, ideſt in tenebris peccatorum commorantibus ſplendida apparet, & videtur; in die vero non, quia filiis lucis, non ſplendida, ſed tenebroſa apparet. Hujus muri carnales affectus ſunt, qui nimirum in nobis corruunt, ſi arca, ideſt mens noſtra ſeptem diebus, ideſt praedictis ſeptem virtutibus elevetur. Sed quia non ſufficit abſtinere a malo niſi faciamus quod eſt bonum. Poſtquam dictum eſt ſurge. Secutum eſt, & illuminare. Lampades enim noſtrae, quibus illuminamur, bona opera ſunt, de quibus Dominus dicit: *Luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in Cælis eſt*. Et quia ſine divino, & ſpiratione auxilio bene operari nullatenus poſſumus, ipſe quippe ait. *Sine me nihil poteſtis facere*. Sequitur. *Quia venit lumen tuum*, lumen noſtrum Chriſtus eſt. Sicut ipſe ait. *Ego ſum lux mundi*, & iterum; *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Hoc autem lumen prius venit in mundum per noſtræ carnis ſuſceptionem naſcendo de virgine, quotidie autem venit in hominem per internam inſpirationem. Sicut ipſe ait. *Si quis diligit me ſermonem meum ſervabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*: & iterum. *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo. Si quis mihi aperuerit intrabo ad illum, & cenabo cum illo, & ille mecum*. Sequitur. *Et gloria Domini ſuper te orta eſt*. Gloria Dei filius ejus eſt, quia per ipſum Pater clarificatur. Unde ipſe ait: *Ego honorifica Patrem meum*. Si enim ſicut ait Salomon. *Filius ſapiens gloria patris eſt*, quanto magis iſte filius gloria patris appellari debet? qui non non ſolum ſapiens, ſed etiam Sapientia patris appellatur. Hæc autem gloria orta eſt, quia filius Dei de virgine natus eſt. Hic autem ortus, & hæc Nativitas non fuit in nobis, ideſt in capacitate noſtri ſenſus, & intellectus, ſed ſuper nos, ideſt ſuper rationem noſtram, ſupra intellectum quoque mentis humanæ, & ſupra capacitatem ſenſus noſtri. Quis enim capere, aut intelligere, aut cogitare valeat, qualiter ſummus, & vivificator ille Spiritus incarnatus ſit, qualiter virgo quoque pariat, & poſt partum virgo inviolata permaneat. Unde Joannes Baptiſta ait. *Non ſum dignus corrigiam calceamenti ejus ſolvere*, ideſt miſterium Dominicæ incarnationis revelare. Quia igitur Fratres cariſſimi hodierna die Epiphaniam Domini, ideſt manifeſtationem, vel apparitionem celebratis, imitamini quod colitis, ut ipſe hodierna die tribus miraculis ſeipſum manifeſtavit mundo, ita & vos per bona opera filios Dei eſſe manifeſtetis, ut cum illo æternaliter regnare valeatis; quod ipſe parare dignetur.

IN EPIPHANIA DOMINI.

Cum natus eſſet Jeſus in Bethleem Judæ in diebus Herodis regis. Ecce Magi ab Oriente venerunt Jeroſolymam quærentes, & dicentes: ubi eſt, qui natus eſt Rex Judæorum?

SERMO SUPER MATTHEUM.

DOminus noſter Jeſus Chriſtus magiſter ſiquidem noſter, ſicut ipſe ait: Vos vocatis me magiſter, & bene dicitis, ſum etenim, non ſolum verbis, ſed etiam factis nos inſtruere voluit. Natus eſt quippe ſicut evangeliſta ait in Bethelem, quæ domus panis interpretatur; quatenus nos in Sancta Eccleſia, quæ domus illius eſt, qui dixit, *Ego ſum panis vivus, qui de Cælo deſcendi*, per aquam baptiſmatis renaſcamur. Unde ipſe ait. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non intrabit in regnum Cælorum*. Eſt & alia nativitas, qua cum ſimus filij Diaboli per malam operationem, efficiamur filij Dei per vitae melioris converſationem; utpote quando aliquis ad Monaſterium, vel ad aliam regularem congregationem tranſit: haec autem meritò in Bethelem eſſe dicitur, quia omnis ſancta congregatio domus Dei eſt, quoniam in ea ipſe habitat ſicut dixit. *Ubi ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum*. Sed nato Domino, ecce magi ab Oriente venerunt. Iſti tres Magi ab Oriente venerunt, quia tres virtutes a Chriſto deſcendunt, ideſt timor, & amor, & ſpes. De quo dicit Zacharias, *Viſitavit nos oriens ex alta*, & iterum. *Ecce vir oriens nomen ejus*. Nato itaque Domino magi ab Oriente venerunt, quia ex quo aliquis praedicto modo in aliqua congregatione tanquam in Bethelem naſcitur, continuo magi, ideſt praedictæ virtutes ab oriente, ideſt a Chriſto veniunt Jeroſolimam, ideſt in Bethelem anima ejus. Nunc autem videamus qualiter unuſquique illorum trium magorum tria munera offerat, ideſt aurum, thus, & myrrham. In auro ſapientia intelligitur, ſicut ait Salomon. *Theſaurus deſiderabilis requieſcit in ore Sapientis*, & iterum. *Accipite ſapientiam, velut aurum*. In thure oratio. Unde pſalmiſta ait. *Dirigatur oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo*. Incenſum namque niſi in igne ponatur, fumum non emittet, nec ejus fumus ſurſum aſcendit. Sic & oratio niſi igni caritatis immiſceatur numquam fumum, ideſt compunctionem eminit, nec ſurſum aſcendit, quoniam a Deo non exauditur. Sicut ſcriptum eſt. *Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo non exaudiet Deus*, & alibi. *Qui obturat aures ſuas ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis*. In mirrha quoque bona operatio. Sicut enim mirrha amara eſt, ſic & bona operatio. Jejunare namque, & vigilare, vivere quoque in fame, & ſiti, in frigore, & nuditate, omnia propter Deum relinquere, carni noſtræ amarum eſt. Primus itaque Magus, ideſt timor offert aurum, ideſt ſapientiam. Sicut ſcriptum eſt. *Initium ſapientiæ timor Domini*. Offert quoque thus, ideſt orationem, quia tunc attentius oramus, cum de aliquo imminenti periculo timemus. Unde & Dominus morti appropinquans prolixius orabat. Offert etiam mirrham, ideſt bonam operationem. Sicut ſcriptum eſt. *Qui timet Deum facit bona*. Secundus Magus, ideſt amor offert aurum ideſt ſapientiam, quia ſcriptum eſt. *Plenitudo legis eſt dilectio*. Si ergo dilectio habet plenitudinem legis, habet utique ſapientiam. Offert quoque thus, ideſt orationem, quia quanto quiſque circa Dei amorem cor habet ardentius,

Digitized by Google

tius, tanto illum orat frequentius. Offert & Mirrham, ideſt bonam operationem, quoniam amor Dei otioſus eſſe non poteſt; aut enim magna operatur ſi eſt, aut ſi operari negligit, amor dicendus non eſt. Unde Dominus. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit*, & rurſum. *Si diligitis me mandata mea ſervate*. Tertius Magus, ideſt ſpes offert aurum, ideſt ſapientiam, quia ſcriptum eſt. Qui confidunt in illum intelligunt veritatem; & qui perfecte veritatem intelligit, ille utique ſapiens eſt. Offert etiam Thus, ideſt orationem, quanto qui inſtantius orat, tanto certius ſe exaudiri ſperat. Offert quoque mirrham, ideſt bonam operationem, quia ſcriptum eſt. *Spera in Domino, & fac bonitatem*; & nota ordinem; prius enim ponitur aurum, deinde Thus, tertio loco mirrha, quia prius debet homo habere ſapientiam, ut cognoſcat quid bonum, & quid malum ſit, quid tenendum, quidve dimittendum ſit. Et quia bonum, quod per ſapientiam cognoſcimus ſine divino auxilio operari non poteſt; nam Deus dixit, *Sine me nihil poteſtis facere*, ſecundo loco debet orare, ut bonum quod cognoſcit valeat operari. Tertio loco ſequatur bona operatio. Attende autem quod intrantibus ad Herodem Magis ſtella non apparuit, recedentibus vero continuo ab eo apparuit. Quia ſicut plerumque fit in viris, qui videntur religioſi, quod iſti tres magi, ideſt timor, & amor, & ſpes tranſeunt ad Herodem, ideſt ad mundum, ut timeant minas tirannorum, unde plerumque juſtitia occultatur, & veritas ſiletur, & ut diligant divitias hujus mundi, ſperent quoque in incerto divitiarum. Non attendentes quod ſcriptum eſt. *Nolite ſperare in iniquitate, & in rapinis nolite concupiſcere*. Et ideo ſtella, ideſt Dei gratia continuo ſubtrahitur eis. Recedentibus autem ab Herode, ideſt a mundo, ut non timeant minas Tirannorum, attendentes quod Dominus ait. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus*; neque divitias hujus ſaeculi diligant, neque ſperent in incerto divitiarum, protinus ſtella, ideſt divina gratia eos illuminat, & perducit uſque ad Cæleſte regnum, ubi eſt Chriſtus cum Virgine Matre. Ad quod nos perducat.

OCTAVA EPIPHANIAE.

SERMO.

CAput draconis Salvator contervit in Jordane flumine, & ab ejus poteſtate omnes eripiemur. Si per draconem diabolus intelligitur, quia in figura ſerpentis primo homini peccare ſuaſit; per caput draconis peccatum Adae ſignificatur, quod illi quidem fuit actuale, nobis vero eſt originale. Quod nimirum merito dicitur caput draconis, quia principium fuit omnium eorum, quæ diabolus per hominem committit, & hoc caput Salvator noſter quotidie conterit in Jordane flumine, ideſt in baptiſmate, quia non ſolum actualia, ſed etiam criminalia nobis peccata ibi dimittuntur. Flumen Jordanis, in quo Chriſtus baptizatus eſt ejus baptiſmum ſignificat. Unde per Job de diabolo dicitur: *Abſorbebit fluvium, & non mirabitur, ſed habet fiduciam, quod influat Jordanis in os ejus*. Per fluvium pagani ſignificantur, & Judaei, qui in luxu vitiorum, & laſcivia carnis quotidie volvuntur, & ſicut fluvius ab ortu ſuo decurrit in mare, ſic & iſti in nativitate ſua decurrunt ad mortem, & ad infernum. Hos diabolus abſorbet, quia tales deglutit, & devorat, & non miratur, quia non pro magno habet ſi tales devorat, ſed habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus. Jordanis in quo baptizatus eſt, baptizatos ſignificat, hoc eſt Chriſtianos. Et de his habet fiduciam, ut influant in os ejus, quia hos etiam devorare confidit, & ab ejus poteſtate omnes eripuit videlicet electos, & ſanctos. Poteſt autem per caput draconis principium diabolicae ſuggeſtionis intelligi, de quo Dominus ad ſerpentem de muliere loquens ait: *Ipſe conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo mulieris*. Mulier fidelis eſt anima, quae caput ſerpentis, ideſt initium diabolicae ſuggeſtionis conterit, quoniam in nullo conſentit, ſed in omnibus contradicit, & ſerpens inſidiatur calcaneo ejus. Per calcaneum, quo frequenter homo labitur noſter lapſus ſignificatur. Unde Dominus per Prophetam de Judaeis dicit: *Ipſi calcaneum meum obſervabunt*. Quoniam Judaei Chriſtum obſervabant, ut invenirent, unde illum accuſare poſſent. Serpens itaque calcaneo inſidiatur quoniam diabolus ad hoc ſtudet, laborat, & nititur, ut homo labatur & cadat in peccatum & mortem. Poteſt etiam per calcaneum, qui finis eſt corporis, finis noſtrae bonae operationis intelligi. Diabolus namque ſuggerit quotidie, ut mala faciamus. Quod ſi non prodeſt, ſuggerit ut de bonis, quae facimus, tandem ſuperbiamus. Superbia namque, & vanagloria dicuntur vermis boni operis. Quia ſicut vermis naſcitur de ligno, & corrodit lignum, ita ſuperbia & vanagloria de bono opere quandoque naſcuntur, & ipſum bonum corrodunt & deſtruunt. Unde Joannes Evangeliſta dicit: *Omne quod in mundo eſt, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitae*. Ubi notandum eſt, quia non ſimpliciter dixit ſuperbia, ſed addidit vitae, quia de bona vita homo ſuperbire ſolet, & quia hoc totum non de ſua virtute facere poteſt, ſed de gratia Salvatoris qui dixit. Sine me nihil poteſtis facere, ideo Salvatori adſcribitur, & dicitur Salvator contervit. Ubi autem hoc fiat. Sequitur, & dicit: In Jordane flumine. Jordanis qui deſcenſus interpretatur, humilitatem ſignificat. Nam ſicut ſuperbia ſemper alta petit aſcendere, ſic e contra humilitas ad ima deſcendere. Unde per Pſalmiſtam dicitur: *A me ipſo anima mea turbata eſt, propterea memor ero de terra Jordanis, & Hermoniim a monte modico*. Dicit ergo Propheta: A me ipſo anima mea turbata eſt. Quoniam anima hominis conſiderans iniquitates, ſcelera quoque & peccata, turbatur, & propterea homo debet eſſe memor Dei de terra Jordanis, ideſt de ſtabilitate humilitatis, ut ſe coram Deo humiliet, dicens cum Propheta: humiliatus ſum uſquequaque: quod autem terra ſtabilitatem ſignificet audi Salomonem dicentem: *Generatio advenit, generatio præterit, terra autem in aeternum ſtat*. Haec autem ideſt humilitas recte terra dicitur, quia dat nobis fructum trigeſimum ſexageſimum, atque centeſimum. Trigeſimus numerus conſtat ex denario & ternario. Per denarium, qui limes eſt numeri perfectio deſignatur, per ternarium fides ſanctae Trinitatis. Sexagenarius conſtat ex denario, & ſenario. Per ſenarium opera ſignificantur Sex enim diebus operatus eſt Deus, ſeptima vero requievit. Centenarius, qui de leva tranſit ad dexteram, contemplationem ſignificat, ad quam nimirum de activa tranſit. Terra ergo Jordanis, ideſt ſtabilitas humilitatis affert prius fructum trigeſimum, ideſt perfectionem fidei ſanctae Trinitatis, poſtea ſexageſimum, ideſt perfectionem bonorum operum, tandem centuplum, ideſt ſtabilitatem divinae contemplationis, & quia non ſufficit homini ſe humiliare, niſi ſeipſum a malis omnibus ſepararet, diabolo quoque, & pompis ejus abrenuntiaret. Ideo ſubjunctum eſt. Et Hermon a monte modico. Hermon namque anathema, ideſt ſeparatio interpretatur, & quoniam haec ſeparatio ſicut diximus de virtute humilitatis procedit; ideo ſubjunctum eſt a monte modico. Quia enim virtus eſt, mons eſt, quia humilitas modica. Superbia namque ſemper magna, humilitas vero ſemper modica videri appetit. Sed notandum eſt, quod ſcriptura non ſimpliciter dicit in Jordane, ſed addidit flumine, quoniam fluvius ſemper ad inferiora deſcendit, & deorſum ſe reclinat, quod ſicut diximus proprium humilitatis eſt. Ut itaque fratres caput magni draconis conterere valeamus, nos ipſos ſub potenti manu Dei humiliemus,

mus, ut tandem tempore tribulationis, ideſt in die juſti judicii Dei exaltari, & cum eo regnare valeamus ipſo auxiliante.

SERMO.

Cum factus eſſet Jeſus annorum duodecim aſcendentibus illis Jeroſolymam ſecundum conſuetudinem diei feſti &c.

Hinc Sacra ſcriptura refert, & nos credere debemus, duae vitae ſunt una activa, altera contemplativa. Activa eſt in actione, contemplativa in contemplatione, & divinae legis jugiter meditatione. Activæ autem opus duplex eſt. Unum agit homo ad afflictionem ſui; ſecundum ad proximi conſolationem. Primum ad juſtitiam, ſecundum ad miſericordiam pertinet. Jejunare namque, vigilare, & exilium pati, carnem quoque macerare ad noſtram afflictionem pertinet. Eſurientem vero reficere, ſitientem potare, nudum veſtire ad proximi conſolationem; de primo dicit Apoſtolus. *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo*; de ſecundo ait propheta. *Frange eſurienti panem tuum, & egenos vagoſque induc in domum tuam &c.* Cum itaque actione vitae gemina opera ſunt, opus autem per ſenarium numerum ſignificetur; ſex namque diebus operatus eſt Deus; ſenarius vero duplicatus duodenarium perficit. Merito activae vitae opus per duodenarium ſignificatur. Sicut igitur Chriſtus cum eſſet duodecim annorum aſcendit Jeruſalem ad diem feſtum ſic & nos peractis temporibus activae vitae aſcendere debemus in Jeruſalem caeleſtem ad diem feſtum, ideſt ad ſanctam contemplationem, qui per diem feſtum ſignificatur. Unde Pſalmiſta dicit. *Conſtituite diem ſolemnem in condenſis uſque ad cornu Altaris*. Dies ſolemnis ſancta contemplatio eſt; hanc debemus conſtituere in frequentationibus, hoc eſt ita facere, ut frequentius quam poſſumus ei vacemus, quouſque perveniamus ad cornu Altaris, ideſt ad divinitatem Chriſti. Chriſtus namque altare dicitur; de quo Dominus ait. Altare de terra facieris mihi. Sed per terram Virgo Maria accipitur. De qua pſalmiſta ait: Veritas de terra orta eſt. Altare de terra facere eſt Chriſtum de Maria natum credere. De hoc quoque Altari Apoſtolus dicit. Habemus Altare, de quo edere non habent poteſtatem, qui tabernaculo deſerviunt. Quoniam qui tabernaculo, ideſt corpori; de quo dicit Apoſtolus Petrus *Velox eſt depoſitio tabernaculi mei*; & qui voluptati carnis deſerviunt, non habent poteſtatem edere de hoc Altari, ideſt corpus, & ſanguinem Chriſti ſumere. Verum quia in contemplatione diu eſſe nullatenus poſſumus; unde legitur in Apocalypſi: *Factum eſt ſilentium in Cælo, quaſi fere media hora*. Si per Cælum anima juſti intelligitur, ſilentium fit in Cælo, quando contemplatio eſt in anima juſti. Sed quia ſicut diximus in contemplatione diu eſſe non poſſumus, non dixit fere per horam aut integram, vel mediam horam, ſed quia fere media hora. Inde eſt quod Virgo Maria in Jeruſalem non diu ſtetiſſe, ſed cum Joſeph domum rediſſe legitur. Quia fidelis anima cum in contemplatione diu eſſe non poſſit, domum ideſt ad diſponenda temporalia revertitur. Et Jeſus in medio Doctorum remanet, quia bonum propoſitum noſtrum, quod per Jeſum ſignificatur, in medio Sanctorum remanere debet, ut ſemper audiat, & interroget quæ Sancti loquuntur. Hæc autem mora tribus diebus eſſe debet ſpecialiter. Primus dies eſt bona cogitatio. Secundus bona locutio. Tertius eſt bona operatio. In his ergo tribus diebus propoſitum noſtrum ſemper debet eſſe ſpiritualiter: & vos itaque Fratres in his diebus ſemper eſſe in domum ſtudete, ut ſemper quae Deus jubet cogitetis, loquamini, & operemini. Iſti ſunt namque dies illi, de quibus Moyſes filiis Iſrael in Egypto manentibus ait. *Viam trium dierum ibitis, & ſic ſacrificabitis Deo veſtro*. Quia ſi de hujus mundi Ægypto, ideſt de tenebris vitiorum exire volumus neceſſe eſt, ut cogitatione, locutione, & operatione Deo placere ſtudeamus, ut tandem noſmetipſos ſacrificare poſſimus, & ſic ad aeternam beatitudinem mereamur pervenire. Ipſo auxiliante. Qui cum Patre, & filio.

SERMO.

In illo tempore. Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galileæ, & erat ibi Jeſus & Maria mater ejus; & deficiente vino, juſſit Jeſus implere ydrias aqua &c.

In nuptiis poteſt intelligi profeſſio regularis. Sicut enim mulier, quae nuptura eſt viro relinquit Patrem, & matrem, & cognatos ſuos, ſic perſona illa, quae regulariter vivere, & regularem profeſſionem facere, atque ſeipſam Deo, tamquam ſponſo ſuo tradere deſiderat, patrem ſuum diabolum, matrem ſuam quoque carnalem videlicet concupiſcentiam atque ſuos cognatos, ideſt vitia, & peccata relinquere debet. Cognati enim quaſi ſimul nati dicuntur, & qui ſunt ſimul nobiſcum naſcuntur. Audi Prophetam dicentem. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea*; & iterum: *Oblivriſcere populum tuum & domum patris tui*. Domus patris ejus eſt mundus iſte, cujus princeps Diabolus eſt. Sicut Dominus ait. Venit enim princeps mundi hujus: hanc ergo domum, ideſt mundum iſtum relinquere debet perſona illa, quæ profeſſionem factura eſt, & ire ad domum viri ſui, ideſt ad aliquam Sanctam congregationem, quæ eſt domus Chriſti, & ibi Deo in thalamo mentis ſuæ ſe per caritatem debet copulare, atque ibi ex ſemine verbi Dei concipere, & bonorum operum filios procreare. In nuptiis illis fuit Jeſus, & Maria Mater Jeſu, quia in tali profeſſione eſt ſalus illius, qui profeſſionem facit; ideoque merito ſignificatur per Jeſum, qui Salvator interpretatur. Fuit quoque ibi Maria, ideſt virginitas, vel caſtitas, quia qui profeſſionem facit caſtitatem ſervare promittit. Item hæ nuptiæ factæ ſunt in Cana Galileæ. Cana zelus, Galilea tranſmigratio interpretatur. Nuptiæ iſtæ factæ ſunt in Cana Galileæ, quia qui profeſſionem regularem facit, & Deum debet toto corde, tota mente, & tota virtute diligere, & de vitiis tranſmigrare ad virtutes. Sequitur. Et deficiente vino juſſit Jeſus implere ydrias aqua. In nuptiis prius defecit vinum, quam aqua mutaretur in vinum, quia in profeſſione regulari oportet quod deficiat vinum noſtrum, ſi volumus, quod aqua noſtra vertatur in vinum Dei. Vinum autem noſtrum eſt ſuperbia noſtra, carnalis quoque concupiſcentia, quae utique in praedictis nuptiis noſtris deficere debent. De hoc vino ſcriptum eſt: *Fel draconum vinum eorum, & vinea eorum Sodomorum vitis eorum*. Erant autem ibi ſex ydriae. Prima ydria eſt pœnitentia. Secunda eſt obedientia. Pœnitentia quippe eſt incipientium, obedientia proficientium. Et quia frequenter propter obedientiam bona facimus, & ex bonis operibus, quandoque ſolet oriri ſuperbia, ideo tertio loco, quaſi tertia ydria ponitur humilitas. Rurſus namque quandoque nimia humilitas puſillanimem reddit hominem & remiſſum; ideo quarto loco, quaſi quarta ydria ponitur fortitudo; & quia nimia fortitudo quandoque iram parit, & impietatem; ideo quinto loco quaſi quinta ydria ponitur miſericordia. Verum quia multoties nimia miſericordia fatuitas vocatur, praeſertim cum per eam malis parcitur, & in eis nullatenus vindicatur, idcirco ſexto loco quaſi ſexta ydria ponitur ſapientia. Notandum autem ſummopere eſt, quia virtutes ſupradictae niſi modos habent, & menſuram, virtutes non ſunt. Nam ſi ſapientia, quae inter caeteras principatum obtinet modum excedat, ut quis ſapiat non ad ſobrietatem, ſed pluſquam oportet ſapere ſapiat, errorem generat, & haereſim parit. Ideoque de ydriis dicitur: Capientes ſingulae metretas, ideſt menſuras, metron grece latine menſura

ſtra dicitur; binas videlicet, vel ternas: homo, & proximus duo ſunt. Homo vero, proximus, & Deus tres. Cum igitur aliqua virtus, utpote miſericordia ad ſalutem hominis pertinet qui facit eam, & ad utilitatem proximi qui recipit, quoniam per eam, & peccatum facientis dimittitur, & neceſſitatibus proximi ſubvenitur. Et tunc haec ydria binas metretas capit. Cum autem in his honor etiam, & amor Dei conſideratur, tunc capit ternas. Has nimirum ydrias miniſtri Eccleſiae haurientes aquas de fontibus Salvatoris, ideſt ſuſcipientes doctrinam de libris Jeſu Chriſti implent, cum eas praedicant. Caeterum miniſtris implentibus ydrias, aqua verſa eſt in vinum, quia praedicatoribus has virtutes praedicantibus ſcientia vertitur in caritatem: caritas non immerito ſignificatur per vinum, quia ſicut vinum calefacit, & nimium potatum inebriat hominem, ſic caritas accendit hominem ad bene operandum, & perfecte guſtata inebriat. Qui ebrius eſt omnium obliviſcitur, ſic perfecta caritas hominem terrenorum oblitum reddit. Unde per Prophetam dicitur: *Obliviſcere populum tuum, & domum patris tui*. De hac quoque dicitur: *Calix inebrians quam praeclarus eſt*; hinc rurſus in Canticis canticorum dicitur: *Bibite amici, & inebriamini chariſſimi*. Amici Dei ſunt qui caritatem bibunt, ideſt qui Dei amorem in ſe recipiunt, & Deum diligunt, & a Deo diliguntur; ſed cariſſimi ſunt qui inebriantur. Sequitur: *Vocat ſponſum Architriclinus, & dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit, & cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius eſt. Tu autem ſervaſti bonum vinum uſque adhuc*. Si ſponſus Chriſtus accipitur, Architriclinus non immerito Deus pater intelligitur; qui recte dicitur Architriclinus, ideſt princeps triclinii, quoniam Dominus eſt horum trium, caeli videlicet, mundi, & inferni. Sponſo itaque ideſt Chriſto, Architriclinus ideſt Deus pater dicit: Omnis homo, ideſt peccator & carnalis; quemadmodum dicitur: Vos autem ſicut homines moriemini, ideſt ſicut peccatores & carnales; primum bonum vinum ponit, ideſt carnalem jucunditatem, & ſuavitatem; & poſtea id quod deterius eſt, quia in futura vita recipient poenam. Sed ſponſus noſter, ideſt Chriſtus ſervat vinum bonum in poſterum, quia licet in praeſenti vita ſuos affligi permittat, in futura tamen illis vinum bonum reſervat, quoniam aeternam jucunditatem illis parat, & perpetuum gaudium donat. Ad quod.

SERMO.

Poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariae ſecundum legem Moyſi, tulerunt Jeſum in Jeruſalem, ut ſiſterent eum Domino. Sicut ſcriptum eſt in lege Domini. Qui omnem maſculinum adaperiens vulvam ſanctum Domino vocabitur, & ut darent hoſtias par turturum, aut duos pullos columbarum. Omnipotens Deus ſicut per Moyſen dedit legem, ita per ſe ipſum confirmavit dicens: *Non veni ſolvere legem, ſed adimplere*. Praeceptum fuerat in lege, ut ſi mulier pareret filium maſculum, octavo die circumcideretur puer, ipſa vero triginta & tribus diebus maneret in purificatione ſui ſanguinis. Quadrageſimo vero die veniret ad templum, & offerret puerum, & ſi dives eſſet offerret agnum; ſi vero pauper par turturum, aut duos pullos columbarum. Quod praeceptum tunc fuit fieri ſecundum literam, nunc præcipitur ut fiat ſecundum figuram. Mulier namque iſta quælibet fidelis anima eſt, quae tunc fæminam parit, quando mala opera facit. Mala filia eſt ſuperbia, vanagloria, ira, invidia, avaritia, luxuria. Iſtae omnes malae filiae ſunt. Maſculus vero paritur, quando bona facit. Bonus namque filius eſt timor, & amor Dei, contemptus vitiorum, & appetitus virtutum. Iſti omnes boni filii ſunt, & ſi dives eſt offerat agnum. Agnus innocens beſtia eſt, neminem lædit, neminem offendit, neminem mordet, neminem percutit, ideſt a nemine ſe ipſum defendit. Per agnum ergo merito innocentia ſignificatur, quae oblatio eſt divitum; apud Deum namque dives eſt, qui innocens eſt, & qui Deo dicere poteſt, te nunquam offendi, numquam aliquid contra mandatum tuum feci. Quod ſi hoc dicere non poteſt, poſſit tamen dicere, ſi offendimus, per poenitentiam tibi ſatisfacimus, & hoc eſt quod dicitur, & offerat par turturum, aut duos pullos columbarum. Turtur, & columba pro cantu gemitum habent, & ideo ſignificant gemitum, & luctum, atque triſtitiam poenitentium. De quibus Dominus dicit. *Beati qui lugent &c.* diſtat autem inter turturem, & columbam. Quoniam turtur ſi comparem ſuum perdiderit, ſola volat, ſola manet. Columba vero gregatim in multitudine volat. Per turturem ergo poenitentia ſignificatur eorum, qui ſoli in carceribus, vel in cellulis poenitent, ſicut Sancti Eremitae, & ſunt multi alii; quod ſi forte gravat aliquem mundum ita derelinquere, uxorem, & filios, & omnia ſua poſtponere, in ſolitudine poenitere. Offerat ſaltem columbam, ut cum multis, ideſt in congregatione, ſive manendo cum uxore, & filiis, conſanguineis, & amicis, atque fidelibus, & vicinis manendo poenitentiam agat. Ubi notandum eſt quia non dixit turturem, vel columbam, ſed par turturum, aut duos pullos columbarum. In pari turture duae virtutes ſunt, & in duobus pullis columbarum, duae columbae ſunt, quia poenitentia in duobus debet eſſe, corde videlicet, & corpore, ut homo corde poeniteat, & corpore ſatisfaciat. Et quoniam utraque poenitentia Domino placet, non eſt diſtinctum, utrum par turturum, aut duos pullos columbarum pro Chriſto parentes ejus obtulerunt. Et ſicut Beata Maria quadraginta diebus ab ingreſſu templi abſtinuit, quadrageſimo vero die ad templum venit, & in templum intravit, filium obtulit cum pari turture, aut duobus pullis columbarum. Sic &, fidelis anima quamdiu durat vita iſta ab ingreſſu Caeleſtis templi, & aeternae beatitudinis ſe abſtinet. Solet namque praeſens vita per quadraginta dies deſignari. Unde ſcriptum eſt. Adhuc & quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur, ut per Niniven mundus iſte, per quadraginta dies vita praeſens ſignificatur; finitis ergo quadraginta diebus Ninive ſubvertetur, quia praeſenti vita finita Mundus deſtruetur. Et ſicut beata Maria quadrageſimo die ſicut diximus ad templum venit, ſic & fidelis anima finita praeſenti vita in templum aeternae vitae beatitudinis cum filio ſuo ideſt cum bono opere ſuo praeſentabitur. Et ecce homo erat in Jeruſalem, cui nomen Simeon; homo iſte juſtus, & timoratus, vetus teſtamentum, & antiquam legem deſignare videtur. Unde merito dicitur fuiſſe ſenex. Quoniam hæc tria nomina, vetus, antiquus, & ſenex ſatis convenire videntur. Et congrue poteſt appellari homo; homo namque animal rationale, mortale, & antiqua lex, omniaque illius praecepta ſane intellecta rationabilia erant; ſicut per Apoſtolum dicitur. *Scimus quoniam bona eſt lex, ſi quis ea legitime utatur*. Sed mori debebat, hoc eſt in Chriſto finiri, dicente Apoſtolo. *Finis enim legis Chriſtus ad juſtitiam omni credenti*; & iterum Auguſtinus. Lex, inquit, & Prophetae uſque ad Joannem. Hic homo erat in Jeruſalem, quoniam antiqua lex fuit in Judaico populo, cui principalis Civitas erat Jeruſalem. Cui nomen erat Simeon. Simeon interpretatur auditio, quoniam illos ſpecialiter, & principaliter audiebat Deus, qui ejus legem, & mandata ſervabant. Et homo juſtus, & timoratus expectabat redemptionem Iſrael, quod totum antiquae, legi ſatis convenire videtur, quae ſicut diximus ſane, intellecta bona erat, & juſta, & timorata, quia timorem incutiebat dicens. Si quis hoc, vel illud fecerit morte moriatur; & ex magna parte pro ſolo timore obſervabatur. Unde & in monte Moyſi & in terrore data fuit. Haec expectabat redemptionem Iſrael, ideſt adventum Chriſti, qui pro redemptione humani generis veniebat, quoniam uſque ad Chriſtum duratura erat, & in ipſo finem acceptura. Et Spiritus

Sanctus erat in eo. Et in antiqua lege Spiritus Sanctus, ideſt ſpiritualis intellectus fuit. Sive Spiritus Sanctus fuit in ea quia in digito Dei, & Spiritu Sancto fuit ſcripta. Quod autem per digitum Spiritus Sanctus ſignificatur, oſtendit Dominus eum ait. *Si in digito Dei ejicio Dæmonia, profecto perveniet in vos regnum Dei*. Sequitur. *Et reſponſum acceperat a Spiritu Sancto non viſurum ſe mortem niſi videret Chriſtum Domini*. Et antiqua lex nequaquam debebat mori, ideſt finiri, niſi prius Chriſtus veniret. Et venit in Spiritu in templum. Templum Chriſti corpus ejus fuit. De quo Dominus ait. *Solvite templum hoc, & in tribus diebus ædificabo illud*. Quod exponens Evangeliſta ſubjunxit; *hoc autem dicebat de templo corporis ſui*. Si ergo Templum Dei corpus Chriſti fuit, tunc Simeon venit in templum, quando lex venit, ideſt quando Chriſtus corporaliter legem ſervavit. Unde ſecundum ritum legis octava die eſt circumciſus, & quadrageſima in templo eſt praeſentatus. Unde notandum eſt, quod Evangelium non ſimpliciter dixit de Simeone venit in templum, ſed addidit in ſpiritu. Quoniam ſi Chriſtus corporaliter legem ſervavit, ſpiritualem intellectum in ea ſemper attendit. Sequitur. *Cum inducerent puerum Jeſum parentes ejus, ut facerent ſecundum conſuetudinem legis pro eo, & ipſe accepit eum in ulnas ſuas*. Si per Simeonem antiqua lex deſignatur, brachia Simeonis opera ſunt ejuſdem legis. Tunc ergo Simeon Chriſtum in ulnis ſuis accepit, quando lex Chriſtum in ſuis operibus invenit, ideſt quando legis opera faciebat. Unde ſubjunctum eſt, ut facerent ſecundum conſuetudinem legis pro eo. Sequitur. *Et benedixit Deum Simeon dicens. Nunc dimittis Domine ſervum tuum in pace, quia viderunt oculi mei ſalutare tuum*; Ecce quomodo evidenter apparet, quod per Simeonem lex antiqua ſignificatur: ait enim Simeon. Nunc dimittas Domine ſervum in pace. Tanquam lex antiqua dicat. Dimitte me Domine, quoniam tu qui es finis meus jam adveniſti. Non enim dicit, ut praeſente veritate maneat figura, ſed accedente veritate ceſſet umbra. Unde Dominus in caena ſua, & agnum comedit, & corpus, ac ſanguinem ſuum diſcipulis tradidit, ut oſtenderet antiquam legem in ſe faciendam, & Evangelium a ſe inchoatum. Ideoque merito vocatur Alpha, & Omega ideſt principium, & finis, quia principium fuit novi teſtamenti, & finis veteris. Verum quia in Sancta Eccleſia antiqua conſuetudo inolevit, fideles Dei hodierna die luminaria in manibus portant. Quid ſignificet lumen, quare hoc fiat, videndum eſt: hodie ſiquidem Simeon Chriſtum qui eſt lumen verum in manibus portavit, & nos ſimiliter in manibus noſtris lumen portamus, ut oſtendamus quoniam in manibus, ideſt in operibus noſtris Chriſtum portemus, quatenus per boni operis exhibitionem ad ſui præmii magnitudinem pervenire valeamus. Ipſo auxiliante.

SERMO.

Plantaverat autem Dominus Deus Paradiſum voluptatis a principio, in quo poſuit hominem, quem formaverat. Paradiſus qui interpretatur ortus deliciarum, rationem videtur ſignificare, in qua ſunt omnes deliciae, jucunditates virtutum. Hanc nimirum rationem creavit Deus a principio, quia utique ſemper eam habuit. In hac utique ratione poſuit hominem, quem formaverat, quia eum rationabilem fecit, & hoc ideo, ut operaretur ſecundum rationem, & in ſuis operibus cuſtodiret, & ſervaret rationem. *Produxitque Deus de Paradiſo omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuave. Lignum etiam vitæ in medio Paradiſi, lignumque ſcientiæ boni, & mali*. Diverſa ligna, ſive poma, quæ de Paradiſo producuntur, diverſae ſcientiae ſunt; utpote Gramatica, Dialectica, Rethorica, & his ſimilia. Quae nimirum, & pulcrae ſunt ad videndum, hoc eſt ad intelligendum, & ſuaves ad veſcendum, & ad memoriam retinendum. Nam qui comedis cibum in ventrem traicit, ſic eſt qui bene recolit memoriae mandat, qui per ventrem ſignificatur; hoc itaque lignum de Paradiſo, vel de humo Paradiſi producuntur, quia prædictæ ſcientiæ de ratione, & de ejus fertilitate procedunt: lignum etiam vitæ in medio Paradiſi. Per lignum vitae ſapientia intelligitur, de qua Salomon ait. *Lignum vitæ eſt his qui apprehenderint eum*. Hoc autem lignum pulchra habet folia, ſed pulcrior fructus, quia ſapientia pulcra habet verba, ſed pulcriora ſunt ejus opera. In Paradiſo eſt lignum vitae, quia in ratione, & circa rationem ſemper manet, & verſatur ſapientia. Sequitur. Lignumque ſcientiæ boni, & mali. Per lignum hoc praeceptum prohibitionis intelligitur, ut eſt: non occides, non mœchaberis, non furtum facies, & his ſimilia. Videndum eſt enim quia illud lignum non ideo vocatur lignum ſcientiæ boni, vel mali, quod in eo eſſet ſcientia boni, vel mali, ſed quia per guſtum illius homo cognovit quantum bonum eſſet Dei præcepta obſervare, & quantum malum illa violare. Nunquam enim melius aliquid cognoſcitur, quam per ſuum contrarium. Utpote quantum bonum ſit ſanitas, nunquam melius cognoſcit homo, quam cum ægrotat. Sic itaque cum aliquis prohibita facit, & exinde pœnam ſuſtinet, intelligitur quia bonum eſt Dei præcepta ſervare, & malum prohibita perpetrare. Hoc autem lignum in paradiſo eſt, quia ſicut de ratione procedit boni perceptio, ita & mali prohibitio. De hoc ligno dictum eſt homini. Quacumque die comederis ex eo, morte morieris. Quia quacumque die prohibita perpetrat homo, mortem incurrit, cum peccatum committit, quod eſt mors animæ. Sicut ſcriptum eſt. Anima quæ peccaverit ipſa morietur. Dicitur ergo homini. *De ligno Paradiſi comede, de ligno autem ſcientiæ boni, & mali ne comedas*; ac ſi dicatur. Omnia præcepta imple, a prohibitis vero penitus cave.

Et ſiquidem moraliter expoſita ſunt, nunc autem quid allegorice iſta ſignificent videamus. Paradiſus qui ortus deliciarum interpretatur ſicus diximus ſanctam Eccleſiam ſignificat, in qua nimirum multae ſpirituales deliciae ſunt, ſed unum eſt ibi, quod ſuperat omnes delicias, corpus videlicet & ſanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti. In hoc Paradiſo poſuit Deus hominem, quem formaverat, per quem ordo praedicatorum intelligitur; hominem namque ſicut creavit Deus ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, ſic & in praedicatoribus debet expreſſius apparere imago & ſimilitudo Dei. Imago dicitur cognitio veritatis, ſimilitudo vero dilectio bonitatis. Multi namque cognoſcunt veritatem, qui non diligunt probitatem. Sicut illi de quibus dicitur: *Sapientes ſunt ut faciant mala, bene autem facere non noverunt*. Praedicatores vero quia per homines ſignificantur, utrumque debent habere, ideſt cognitionem veritatis, & dilectionem probitatis. Quarum prima pertinet ad ſapientiam, ſecunda ad caritatem; haec namque duo perfectum faciunt hominem: unde in Apocalypſim legitur: *Suadeo tibi emere aurum ignitum*. In auro ſapientia intelligitur. In igne vero caritas. Aurum vero ignitum ſcientia eſt cum caritate, quaſi ille emit, qui poſitis omnibus illas ſequitur. Item in Paradiſo poſuit Deus hominem, quia in ſancta Eccleſia ponit ordinem prædicatorum. Sed quare poſuit? Numquid ut otioſe ibi viveret, & otioſitati vacaret? non: ſed ut operaretur, & cuſtodiret illum. Quia ſancti Praedicatores adhuc in ſancta Eccleſia ponuntur, ut in ea, quae Deus jubet operentur; & bonum, quod operantur per humilitatem cuſtodiant, ne forte per ſuperbiam amittant. Unde praeceptum eſt in veteri teſtamento, ut ſacerdotes in Altari foſſam facerent, ut pulverem ſacrificiorum abſconderent, ne a vento aſportaretur. Sic & praedicatores in altare cordis ſui foveam humilitatis debent facere, ut pulvis ſacrificiorum, ideſt virtutum abſcondatur, ne a vento elationis aſporterur. In hoc Paradiſo, ideſt in ſancta

Ec-

Digitized by Google

Eccleſia eſt lignum vitae, corpus videlicet, & ſanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti. De quo Dominus ait. *Si in viride ligno hoc agitur, in arido quid fiet?* & Joannes in Apocalypſim. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in Paradiſo Dei mei*. Sed videamus quis eſt qui vincat, ut poſſit edere de ligno Paradiſi. Vincere nemo poteſt, niſi prius pugnet. Pugna noſtra triplex eſt. Prima cum carne; ſecunda cum Diabolo; tertia cum Mundo. Quoniam iſta tria contra nos pugnant, & quotidie nos tentant. Sicut dicit Apoſtolus. *Non ſolum eſt nobis colluctatio adverſus carnem, & ſanguinem, ſed adverſus principes, & poteſtates*. Tentat nos quippe caro per concupiſcentiam ſuam. Tentat nos mundus per ſpeciem ſuam. Tentat nos Diabolus per malitiam ſuam. Horum trium tentatorum primus eſt in homine; ſecundus extra hominem; tertius quandoque extra, quandoque intra. Caro namque intra hominem eſt. Mundus vero extra. Diabolus quandoque extra, quandoque intra. Extra cum ei non conſentimus, intra poſtquam conſentimus. Vincenti itaque, ideſt illi, qui corpus domat, mundum contemnit, diabolum vero ſuperat, datur edere de ligno vitae, quia ille dignus eſt corpus, & ſanguinem Domini ſuſcipere, qui praedictos vincit inimicos: de hoc iterum ligno, ideſt de Chriſto; dicit Pſalmiſta. *Et erit tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum*. Chriſtus quidem non fuit in curſu aquarum, ideſt in fluxu vitiorum, quia ſicut dicit Petrus Apoſtolus. *Peccatum non fecit &c.* Sed ſecus decurſus aquarum, quia etſi non habuit carnem peccatricem habuit tamen carnem ſimilem carni peccatrici. Lignum autem ſcientiae boni, & mali, ut praediximus præceptum eſt prohibitionis. Sicut ergo praeceptum eſt homini, ne de ligno ſcientiae boni, & mali comedat, ita interdicitur ei, ne prohibita faciat. Sed homine comedente de ligno ſcientiae boni & mali, de Paradiſo eiectus eſt, quia faciente prohibita, hoc eſt peccante, de paradiſo eicitur, quia de eccleſia expellitur. Poſt comeſſionem ligni vetiti, & expulſionem Paradiſi dictum eſt de homine: *Videte ne forte ſumat de ligno vitæ*, quia poſtquam aliquis peccat, & de eccleſia pellitur, interdicitur ei Corpus, & Sanguis Chriſti. Sequitur. *Et fons egrediebatur de Paradiſo*, hoc eſt doctrina Evangelica, quæ manat de ſancta Eccleſia: hic fons in quatuor dividitur flumina, quia doctrina Evangelica in quatuor libros dividitur. Et vos itaque Fratres, qui in Paradiſo Dei poſiti eſtis, nolite otioſi manere ſed operamini non cibum qui perit, ſed qui dicente Domino permanet in vitam aeternam. Operamini etiam ſicut Dominus ait; *dum dies eſt, quia veniet nox, in qua nemo poterit operari*; & Apoſtolus. *Dum tempus*, inquit, *habemus operemur bonum ad omnes*. Quia qui parce ſeminat, parce, & metet & qui ſeminat in benedictione, quando Deus reddet unicuique ſecundum opera ſua, de benedictionibus & metet vitam æternam. Ad quam nos perducat.

S E R M O.

In illo tempore dixit Jeſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: ſimile eſt regnum Cælorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam ſuam.

Pater familias Chriſtus eſt; cui in oratione Dominica dicitur. Pater noſter, qui es in Caelis. Iſte Pater familias ſuam Sanctam videlicet Eccleſiam regit, atque gubernat; hujus vinea juſtitia eſt, cujus tot ſunt palmites, quos ſunt & opera juſtitiae. Ad hanc vineam colendam pater familias operarios ducit quando ad juſtitiam faciendam fideles ſuos invitat dicens. Primum quaerite regnum Dei, & juſtitiam ejus, & iterum. *Beati qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam*, & pſalmiſta. *Beati, qui cuſtodiunt judicium, & faciunt juſtitiam in omni tempore*. Quod autem hujus vineae cultoribus pro labore dari debeat manifeſtatur cum ſubiungit. *Conventione facta cum operariis ex denario diurno, miſit eos in vineam ſuam*. Denarius conſtat ex ſeptenario, & ternario; ſeptem namque, & tria decem fiunt. Per ſeptenarium intelligitur homo qui conſtat ex quatuor elementis pertinentibus ad corpus, ideſt igne, aere, aqua, & terra, & ex tribus virtutibus pertinentibus ad animam, ideſt intellectu, memoria, & voluntate. Per ternarium intelligitur Deus, qui eſt trinus in perſonis, & unus in Deitate. Tunc ergo denarius nobis convenitur, quando noſtrum ſeptenarium cum Dei ternario coniungendum fieri promittitur. Vis audire denarium, audi quid Dominus dicat. Volo pater ut ubi ego ſum, ibi ſit & miniſter meus. Sed vinea juſtitia eſt. Sciendum eſt, quia alia eſt juſtitia fidei, & alia operum. De juſtitia fidei ſcriptum eſt. *Credidit Abraam Deo, & reputatum eſt ei ad juſtitiam*. & Apoſtolus. *Corde enim creditur ad juſtitiam*; & iterum. *Juſtificati igitur per fidem acceſſum habemus ad Deum*. Hujus autem juſtitiae principium credere Deum eſſe, & unum eſſe. Deus namque primo dixit ſe eſſe, quando Moyſi loquens ait. *Ego ſum, qui ſum*: & iterum, *Sic dices filiis Iſrael. Quod eſt miſit me ad vos*; poſtmodum dixit ſe unum eſſe quando per Moyſen filiis Iſrael locutus eſt dicens. *Audi Iſdrael Dominus Deus tuus unus eſt Deus*. Et hoc principium fidei eſt, quaſi prima hora diei. Ille ergo primum mane in vineam mittitur, qui ad hoc quod ſupra diximus credendum invitatus convertitur. Sed credere Deum unum eſſe non ſufficit, niſi etiam credamus, & trinum eſſe. Unde & Dominus diſcipulis ſuis ait. *Ite docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Et haec fides ſanctae Trinitatis eſt, quaſi hora tertia. Ille ergo tertia hora ad excolendam Domini vineam mittitur, qui ad fidem ſanctae Trinitatis tenendam invitatus convertitur. Sed quia fides ſine operibus mortua eſt. Nam ſicut homo mortuus, membra quidem habet, ſed eorum officium non habet, quia licet habet oculos, aures, os, nares, & manus, & pedes, neque tamen videt, neque audit, neque loquitur, neque odorat, neque tangit, neque ambulat, ita fides ſi non operatur, mortua dicitur. Accedendum eſt igitur ad opera, quae per ſenarium ſignificantur. Sex namque diebus operatus eſt Deus, ſeptimo vero requievit. Ille namque ſexta hora ad vineam mittitur, qui ad opera Dei facienda invitatur. Nona ſiquidem hora defectus eſt juſtitiae, bonaeque operationis. Per denarium namque numerum adimpletio legis ſignificatur, quia decem ſunt ejus praecepta, adimpletio legis perfectio juſtitiae eſt. Nonus vero numerus non pervenit ad decem. Illi ergo ſunt in hora nona, qui in ſua pigritia manentes, atque inertiam ſectantes, ſicut forte mala non faciunt, ita bona operari omnino negligunt. Illi tales invitandi ſunt, ut ad colendam vineam, ideſt ad operationem juſtitiae veniant. Sed ſicut nonus numerus non pervenit ad denarium, ſic undenarius numerus greditur denarium. Tranſgreſſio autem undenarii eſt legis tranſgreſſio, praevaricatio autem legis eſt peccatum. Quoniam peccatum nihil eſt aliud niſi dictum vel factum, ſeu concupitum contra divinam legem. Illi autem in undecima hora exiſtunt, qui in legis tranſgreſſionem, ideſt in peccatis infeliciter vivunt. Et illi tales ſunt admonendi, ut ſua peccata relinquant, ac de illis digne ſatisfaciant, atque vineam Domini excolere, ideſt juſtitiae opera facere ſtudeant. Sequitur. *Cum autem ſero factum eſſet dixit Dominus vineæ procuratori ſuo*. Voca operarios, & redde illis mercedem ſuam. Sero, quod eſt finis diei mortem ſignificat, qui finis eſt vitae noſtrae; in qua operatoribus Vineae, ideſt cultoribus juſtitiae Deus dat retributionem ſuam, dicente pſalmiſta. *Cum dederit dilectis ſuis ſomnum: hæc eſt hæreditas Domini*, & hoc per procuratorem ſuum, ideſt per Angelorum miniſterium. Incipiens a noviſſimis uſque ad primos. Noviſſi-

viſſimi fuerunt, qui ad excolendam vineam undecima hora venerunt; hii videlicet, qui de ſuis tandem peccatis digne ſatisfacientes converſi ſunt ad opera juſtitiæ. Talis fuit latro, qui de latrocinio reus, & ferion ſanguine cruentus in crucis eſt ſuſpenſus patibulo, poſtmodum vero iniquitatem ſuam confitendo ſatisfecit; dicens conlatroni ſuo. *Nos quidem juſte. Nam digna factis recipimus*; deinde ad fidei juſtitiam recurſus quæ in eo libera remanſerat, ideſt cor, & linguam ad juſtitiam convertit, ut ſecundum Apoſtolum. *Corde creditur ad juſtitiam, ore confitetur ad ſalutem*; & quem ſecum in cruce pendentem videlicet in Cælo regnantem credidit. Quod quidem lingua confeſſus eſt dicens. *Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum*. Cui protinus reddidit denarium dicens. *Hodie mecum eris in paradiſo*. Quando latro cum Chriſto fuit in Paradiſo, tunc ei redditus eſt denarius, qui in conventione cultoribus vineæ ideſt in prædicationibus operatoribus juſtitiæ eſt promiſſus, quia ejus ſeptenarium cum Chriſti ternario fuit conjunctum. Tunc enim denarium ſumimus, quando noſtrum ſeptenarium cum ternario Dei jungit. Notandum eſt autem quod eiſdem horis ad orationem convenimus, quibus in ſupradictæ vineæ cultura operarii miſſi leguntur. Prima, videlicet, tertia, ſexta, nona, & undecima. Quare magis in his, quam in aliis ratio eſt. In prima namque diei hora Chriſtus reſurrexit, & ideo dignum eſt, ut qua hora Chriſtum reſurrexiſſe credimus, ipſum ad noſtrum adjutorium invitemus dicentes. *Deus in adjutorium meum intende*. Tertia hora crucifixus vocibus judaeorum clamantium, *crucifige, crucifige eum*; & ideo dignum eſt, ut qua hora ipſi clamaverunt Pilato *crucifige*, nos dicamus Chriſto, *Deus in adjutorium meum intende*. Sexta hora crucifixus eſt Jeſus manibus militum, & ideo dignum eſt, ut qua hora milites praeſumpſerunt Chriſtum crucifigere, eadem hora nos conveniamus eum adorare. Hora nona emiſit ſpiritum, & ideo dignum eſt ut qua hora pro nobis ſuſtinuit mortem, eadem hora ab ipſo petamus æternam vitam. Undecima hora ſepultus eſt, & ideo dignum eſt, ut qua hora fuit clauſus in ſepulcro, eadem hora petamus ab eo, ut januam cæleſtis regni nobis aperiat, & in æterna beatitudine nos recipiat. Ad quam.

SERMO.

Dixit Dominus ad Noe, fac tibi Arcam de lignis levigatis, manſiunculas in ea facies. Noe qui interpretatur, requies, ordinem prædicatorum ſignificat, qui & a malo quieſcere, ſicut eis dicitur. Quieſcite agere perverſe, & bene operando æternam requiem didicerunt ſperare. Iſtis dicitur a Deo ut per ſuam bonam prædicationem, & dignam converſationem aedificent Arcam, ideſt Sanctam Eccleſiam. De qua per Pſalmiſtam dicitur. *Surge Domine in requiem tuam, tu, & Arca ſanctificationis tuæ*. Hanc Arcam, ideſt Sanctam Eccleſiam de lignis levigatis, ideſt de Sanctis viris aedificant onere peccatorum per pœnitentiam alleviatis. De quo onere dicit Pſalmiſta. *Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me*. Manſiunculae, quas in Arca Noe facere jubetur, baſilicæ ſunt, vel ſingulorum electorum animae per univerſum mundum diffuſae, quas Noe, ideſt Sancti praedicatores quotidie aedificare non ceſſant. Bitumen talis naturae dicitur, quod ligna illaeſa conſervat, & ea indiſſolubiliter conglutinet, ideo per bitumen caritas intelligitur, quae ligna, hoc eſt, Sanctos viros apud Deum illaeſos conſervat, & ad invicem inſeparabiliter conjungit. Hoc autem bitumine, Arcam, ideſt Sanctam Eccleſiam intrinſecus, & extrinſecus linire debemus. Intrinſecus, ut corde diligat, extrinſecus ut opere ipſam dilectionem oſtendat. Trecentorum cubitorum erat longitudo Arcae, quadraginta cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo ejus. Longitudo arcae fides eſt Sanctae Eccleſiae, quae nimirum longa eſt, quia durat a creatione mundi uſque ad finem ejus. Quoniam qui narrantur facta de creatione mundi, & qui praedicantur futura de fine illius Sancta Eccleſia indubitanter credit; haec autem fides bene dicitur eſſe tercentorum cubitorum. Numerus iſte conſtat ex centenario, & ternario. Centenarius qui perfectus eſt numerus, perfectionem ſignificat. Ternarius ſanctam Trinitatem. Quia ergo perfectio noſtrae fidei ad Sanctam Trinitatem refert, merito longitudo Arcae trecentorum cubitorum fuiſſe perhibetur. Latitudo Arcae Charitas eſt, de qua per Prophetam dicitur: *latum mandatum tuum nimis*; haec nimirum a Deo lata eſſe debet, ut non ſolum uſque ad amicos, ſed etiam uſque ad ipſos inimicos extendatur. Dicente Domino. *Diligite inimicos veſtros, & benefacite his, qui oderunt vos*. Haec autem, ideſt caritas cum quinquagenario numero plurimum convenit, quia quinquaginta dies poſt Domini reſurrectionem Spiritus Sanctus datus eſt Apoſtolis, qui caritatem in eorum cordibus infudit: dicente Paulo. *Caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum qui datus eſt nobis*; & ideo in igne apparuit, quia ignis caritatem ſignificat: dicente Domino: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut ardeat*. Quia ergo ſicut dictum eſt. Caritas convenit cum quinquagenario numero, merito latitudo quinquaginta cubitorum fuiſſe deſcribitur. Altitudo autem Arcae ſpes eſt Sanctae Eccleſiae, quae jure dicitur altitudo ejus, quoniam de altis, & ſublimibus, hoc eſt de Cæleſtibus habent, imo de illo qui ſupra Cælum eſt, hoc eſt de Deo: de quo per Prophetam dicitur. *Altiſſimus patiens redditor eſt*. In hoc ſpem noſtram ponere debemus; ſicut faciebat Propheta qui dicebat. *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam*, & alibi. *Spera in Domino, & fac bonitatem*, & iterum. *In Deo ſperabo non timebo quid faciat mihi homo*. Quia ergo ſpes Sanctæ Eccleſiæ ſic alta eſt, & uſque ad altiſſimum extendatur, bene per altitudinem Arcæ ſignificatur, quae triginta cubitorum fuiſſe narratur. Trigeſimus numerus conſtat ex duplici quindenario. Quindecim autem ex ſeptem, & octo conſtat. Septem praeſentem vitam, octo vero futuram ſignificat. Unde per Salomonem dicitur. *Da partem ſeptem, nec non & octo*. Partem ſeptimam dare eſt in hac vita, quæ per ſeptem dies volvitur bene operari. Octo vero partem dare eſt in futura vita de bono opere praemii retributionem ſperare. Et quoniam ſicut in praeſenti vita duplex eſt operatio, quia operatur anima bene volendo, & operatur corpus bene faciendo, ſic & in futura vita duplex debet ſperari retributio. Sicut in Apocalypſim dicitur. *Date illis binas ſtolas*. Et quindenarius geminatus triginta facit. Merito ergo altitudo Arcæ per quam ſpes Sanctæ Eccleſiæ figuratur triginta cubitorum fuiſſe narratur; feneſtram in Arca facies; feneſtra in Arca ordo prædicatorum eſt in Eccleſia, quoniam per eos lumine doctrinæ, atque ſcientiæ illuſtratur, & verbo, atque exemplo illorum illuminatur. Qui licet ſint multi, una tantum dicitur feneſtra propter unitatem fidei, & doctrinæ, & quia lumen, quod tribuunt ab eo ſolummodo habent, qui dixit. *Ego ſum lux mundi*. De hujuſmodi feneſtris dixit Ezechiel. *Terra uſque ad feneſtras, & feneſtræ clauſæ ſunt*. Quia quando terrena cogitatio, vel operatio, vel terrenus amor ſupra modum in prædicatoribus creſcit, tunc feneſtræ clauduntur, & lumen reddere non poſſunt. Non enim poteſt aliquis bene docendo alios illuminare, qui male vivendo tenebras emittit. Et in cubito conſummabis ſummitatem ejus. Arca in inferioribus quidem ampla fuit, ſi in ſuperioribus anguſta, & quanto amplius in altum crevit, tanto anguſtior fuiſſe dicitur, adeo ut in uno cubito conſummaretur. Sic & Sancta Eccleſia in inferioribus, ideſt in laicis ampla eſt, minus ampla in Clericis, quia ſunt minus numero, anguſta in Sacerdotibus,

Digitized by Google

tibus, quia ſunt pauciores Clericis, & diſtrictioris vitae, anguſtior in Epiſcopis, magis in Archiepiſcopis, & plurimum in Patriarchis, in ſummitate vero ita anguſtiſſima quod in uno ſolo homine, ideſt in Romano Pontifice conſumetur. Oſtium autem Arcae pones ex latere deorſum. Oſtium Chriſtus eſt. Sicut ipſe dicit in Evangelio. *Ego ſum Oſtium per me ſi quis introierit ſalvabitur*. Et iterum. *Qui non intrat per oſtium in ovile ovium, ſed aſcendit aliunde ille fur eſt, & latro*. Duo latera Sanctae Eccleſiae, duo ſunt tempora. Primum a creatione mundi, uſque ad adventum Chriſti, ſecundum ab adventu ejus uſque ad finem mundi. Et quoniam Chriſtus per incarnationis miſterium in ſeculo tantummodo illo tempore venit, idcirco non in lateribus, ſed in latere Arcae oſtium poni videtur deorſum, quoniam Chriſtus de ſinu Patris, ac de altitudine ſuae majeſtatis per noſtrae carnis ſuſceptionem ad ima noſtra deſcendit. Caenacula, & triſtega facies in ea; alia translatio habet bicameratam; Sancta Eccleſia bicamerata eſt in dilectione Dei, & proximi, tricamerata vero per fidem Sanctae Trinitatis. Quod vero in Arca munda, & immunda ſunt animalia conſervata, ſignificat, quod in Sancta Eccleſia boni cum malis, grana cum paleis, frumentum cum zizaniis permixta ſunt. Sed de mundis ſeptena, & ſeptena. De immundis vero bina, & bina mitti juſſa ſunt. Ideo de mundis ſeptena, quia Sancti viri qui per ea ſignificantur ad ſeptiformem gratiam Spiritus Sancti pertinent. De immundis autem ideo bina, quia in duobus ſemper ſolet eſſe diviſio. Unde & Deus operibus ſecundae diei benedixiſſe non legitur. Notandum autem, quia in Arca ſeptem ſolummodo animae ſalvae factae ſunt, quia in Sancta Eccleſia illi tantummodo ſalvantur, qui reſurrectionem quod octava die futura eſt credunt, & ſperant.

Poteſt hoc quod de Arca miſtice in eccleſia eſt expoſitum, moraliter de ſacra Scriptura exponi. Ipſa enim eſt Arca, in qua theſauri ſapientiae, & ſcientiae Dei ſunt reconditi; haec quippe conſtat de lignis levigatis, ideſt de libris, & ſententiis ſanctorum Patrum, nullo erroris incurſu, aut ſciſmatis pondere gravatis. Diverſae in arca manſiunculae, diverſa ſunt in ſacra Scriptura librorum volumina. Sequitur. Et bitumine linies eam. Tunc ſacra Scriptura extrinſecus bitumine linitur, quando ſecundum literam, vel hiſtoriam exponitur. Intrinſecus vero, quando ſecundum allegoriam, vel moralitatem interpretatur. Sequitur. Trecentorum cubitorum erit longitudo Arcae, quadraginta latitudo, & triginta altitudo illius. Longitudo Arcae promiſſio eſt ſacrae Scripturae, quoniam longa promittit, ideſt aeterna, & in longum, ideſt ſemper duratur. Haec ſiquidem promiſſio non perfecte adimpletur, niſi a Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, & ideo merito dicitur eſſe trecentorum cubitorum, ut per centenarium numerum qui eſt perfectus numerus perfectio deſignetur; & per ternarium Trinitas intelligatur. Latitudo autem Arcae perceptio eſt ſacrae Scripturae; quae nimirum oportet, ut amplo, & lato corde perficiatur. Scriptum quippe eſt. *Voluntarie ſacrificabo tibi*, & iterum *ſervite Domino in timore, & in laetitia*. Quinquageſimus annus dudum Jubileus, ideſt remiſſionis vocabatur, & quoniam per impletionem praeceptorum datur nobis remiſſio peccatorum, ideo merito latitudo Arcae dicitur eſſe quinquaginta cubitorum. Notandum eſt autem, quod major eſt longitudo Arcae, quam latitudo, quia majora ſunt quae a ſacra Scriptura promittuntur, quam quae jubentur. Nam quod percipit breve eſt, quod promittit magnum, quod jubet temporale eſt, quod promittit aeternum. Unde dictum eſt Zachariae. *Quod tu vides Zacharia*, & dixit. *Ego vidi volumen volans*. Longitudo ejus viginti, & latitudo ejus decem cubitorum. Quid eſt volumen volans, niſi ſacra Scriptura? Quia dum illa quae promittit ſuper nos eſſe aſpicimus, una attendere, ideſt concupiſcere devitamus quae latitudinem decem cum longitudine viginti habere perhibetur; quia latitudo operationis noſtrae ampla eſt, & longitudo promiſſionis divinae in duplum tenditur quoniam pro bono opere, & hic nobis ſanctitas, & illic etiam praemia praeparantur. Altitudo autem ſacrae ſcripturae excellentia eſt locutionis, quae de divinitate Dei loquitur. Sicut faciebat Joannes qui dicebat. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. Et ideo ſimilitudinem Aquilae qui alta petit poſtmodum geſtavit, haec altitudo ideſt excellentia locutionis triginta eſt cubitorum, ideſt tanta quanta divina lex nobis de Dei divinitate refert. Trigeſimus autem numerus ex denario, & ternario conſtat. Denarius ſignificat legem, quia decem ſunt ejus praecepta. Ternarius ſanctam Trinitatem; feneſtra arcae intelligentia eſt per quam interiora ſacrae Scripturae videmus, & in cubito conſummabis ſummitatem ejus. Cubitus ſacrae Scripturae Deus eſt, quia uſque ad illum venit, & ſupra illum non aſcendit. Oſtium autem arcae pones ex latere deorſum; Oſtium ſacrae Scripturae ſtudium eſt legendi, quoniam per illud ad ejus interiora intramus. Duo latera ſacrae Scripturae, duo ſunt teſtamenta, vetus, & novum. De quibus in pſalmo dicitur. *Uxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuae*. Solet autem quod primo dicitur ſupra dici, quod vero poſtea dicitur infra. Sicut ſupra diximus hoc eſt ante, & ſicut inferius dicemus ideſt poſtea, vetus ergo Teſtamentum quod prius fuit hoc modo poteſt dici ſuperius, & novum inferius. Et quoniam in novo teſtamento debet eſſe praecipue ſtudium noſtrae lectionis. Merito dicitur pones oſtium Arcae ex latere deorſum. Quare autem magis in novo, quam in veteri debeamus ſtudere haec eſt cauſa, quia in novo exponitur vetus; & quod vetus praedixit futurum, hoc novum praedicat factum. Caenacula, & triſtega facies in ea. Cænacula ſunt praecepta moralia. Ut non occides, non moechaberis, non furtum facies. Triſtega ſunt praecepta ad fidem pertinentia. Sicut eſt. Audi Iſrael Dominus Deus tuus, Deus tuus unus eſt. In Arca munda, & immunda animalia mitti juſſa ſunt. Sed de mundis ſeptena, & ſeptena. De immundis vero bina, & bina. Munda ergo animalia virtutum ſunt praecepta quae ideo ſunt ſeptena, quia ad ſeptiformem gratiam Spiritus Sancti hominem ducunt. Immunda vero prohibitiones ſunt vitiorum, quae ideo bina dicuntur, quia in duobus ſolet eſſe diviſio, & iſtae nos dividunt, ideſt a vitiis ſeparari faciunt. Arca igitur triplex eſt. Prima ſecundum literam, ſecunda ſecundum allegoriam, tertia ſecundum moralitatem. Prima fuit de lignis, ſecunda de ſanctis viris, tertia de ſanctorum virorum libris, atque ſententiis. Primam rexit Noe in diluvio, ſecundam Chriſtus in mundo, tertiam conſervat unuſquiſque praedicator in corde ſuo. Prima fuit lita bitumine, ſecunda caritate, tertia diverſa expoſitione. In prima Noe ſervavit homines a diluvio. In ſecunda Chriſtus redemit a Diabolo: in tertia ſancti praedicatores per Dei gratiam liberant a peccato, & revocant ad caeleſte regnum. Quod nobis.

S E R M O.

Ædificavit Noe altare Domino offerens ſuper illud holocauſtum.

Unuſquiſque fidelis prius debet mentem ſuam bona voluntate, & intentione aedificare, ut poſtmodum valeat bona opera, & a Deo remunerabilia exercere. Saepe enim homines bona opera, utpote jejunium, orationem, & eleemoſinam faciunt, & a Deo nullatenus remunerantur. Unde a Domino dicitur. *Amen dico vobis receperunt mercedem ſuam*: & iterum, *Si oculus tuus nequam eſt, totum corpus tuum tenebroſum erit*. Quoniam ſi noſtra intentio bona, & ſimplex fuerit, totum corpus noſtrum ideſt corporalis actio lucida erit, hoc eſt ad lucem aeternae

vitæ

Digitized by Google

vitae perducet. Si autem nequam fuerit totum corpus noſtrum tenebroſum erit, quoniam ad gehennae tenebras perducit. Et ideo de Noe dicitur: quod aedificavit Altare Domino, quia unuſquiſque fidelis altare ſuum, ideſt cor ſuum debet aedificare. Merito per altare, cor intelligitur, quia ſicut altare eſt in medio Eccleſiae, ita & cor in medio corporis: Ille igitur cor ſuum ædificat, qui illud bona intentione, & voluntate cordis exornat. Caeterum quia bona voluntas otioſa eſſe non poteſt, aut enim operatur magna ſi eſt, aut ſi operari renuerit, bona voluntas dicenda non eſt. Ideo ſubjungitur. Offerens ſuper illud holocauſtum. Diſtat inter holocauſtum, & Sacrificium, quoniam holocauſtum dicitur totum incenſum, quando videlicet totum animal incendebatur, & comburebatur. Sacrificium vero quando pars animalium offerebatur. Ille ergo incenſum offert, qui non omnia ſua, ſed partem ſicut decimas, & primitias propter Deum tribuit. Noe vero obtulit holocauſtum ſuper Altare quia ſancti viri praedicatores qui per Noe ſignificantur, quoniam in diluvio hujus mundi arcam, ideſt ſanctam Eccleſiam quotidie regere non ceſſant, holocauſtum ideſt totum incenſum debent offerre, ut tam ſe, quam omnia ſua Deo tribuant, & propter Deum derelinquant, alioquin vicem illorum digne gerere non poſſunt, qui Domino dixerunt. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* Hoc autem fit tribus modis; prius enim homo debet propter Deum omnia ſua dimittere, quia niſi quis renuntiaverit omnibus, quae poſſidet non poteſt fieri Chriſti diſcipulus, deinde anima ſcilicet propriam voluntatem poſtponat, & alterius voluntati, & praecepto ſe ſubdat, tertio loco carnem, ut ipſam jejuniis, vigiliis, aliis modis affligat, & fratrum ſervitio offerat. In primo notatur paupertas; in ſecundo humilitas, in tertio caſtitas. His enim tribus modis homo ſeipſum Deo ſacrificat, & talibus ſacrificiis Deus delectatur. Unde ſubjungitur. *Odoratus Dominus odorem ſuavitatis*, & quoniam in virtutibus ſemper creſcere debemus: Ideo ſubjunctum eſt a Domino. *Creſcite, & multiplicamini.* Creſcite, ut magni ſitis, multiplicamini, ut multi ſitis. Sic & nos in virtutibus debemus creſcere, ut magnas illas habeamus, & multiplicamini, ut multas teneamus. Et vos itaque Fratres qui figuram Noe geritis, ſtudete, ut vos ipſos quotidie Deo ſacrificare, & conſiderate, quod a Domino in veteri teſtamento præcipiatur. Omnis inquit victima ſale ſalietur. In victima tria ſunt neceſſaria. Animal, ignis, ſal: prius enim animal ut agnus occidebatur, deinde ſale aſpergebatur, poſtea igne comburebatur. Animal noſtrum caro noſtra eſt unde pſalmiſta. *Ut jumentum factus ſum* inquit *apud te*. Hoc autem jumentum, ideſt caro noſtra prius debet gladio, ideſt timore configi: ſicut dicit pſalmiſta. *Confige timore tuo carnes meas*, & ſic debet mori, ut in ſe ipſa omnem ſuam concupiſcentiam extinguat. Deinde ſale, quo ſapientia ſignificatur debet aſpergi, ut hoc ita ſapienter faciat, quatenus carnem nutriat, & ejus vitia interimat, & quia hoc totum Ipocritae faciunt quandoque. Tertio loco debet igne caritatis aſſari, ut carnem affligamus, non pro mundi, ſed pro Dei amore faciamus, & ſic Apoſtoli præceptum adimplere valeamus dicentis. *Obſecro vos per miſericordiam Dei ut exhibeatis corpora veſtra, oculi veſtri ſemper ad Dominum, rationabile ſit obſequium veſtrum.* Deus enim qui juſtus eſt; ſicut nullum malum inpunitum dimittit ita nullum bonum inremuneratum, de bono obſequio vos remunerabit, quia hic in remiſſionem peccatorum, & in futuro dabit præmia regni Caelorum. Quod nobis parare dignetur.

SERMO.

Locutus eſt Dominus ad Abraham dicens. Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monſtravero tibi. Tria ſunt genera rerum: alia quidem ſunt a Deo bona, & neceſſaria, ut ſine illis nullatenus vivamus; alia vero a Deo, mortifera, & mala, ut cum illis vivere nequeamus; alia autem media cum quibus, & ſine quibus vivere valemus. Bona, & neceſſaria ſecundum corpus eſt eſca, & potus; ſecundum vero animam eſt baptiſmus, & cæteræ virtutes ſine quibus vivere non valemus. Mala, & mortifera ſecundum corpus eſt venenum, & ſecundum animam ſunt vitia, & peccata, cum quibus vivere non poſſumus. Media vero, utpote ſcientiarum multarum rerum, quae ſi eſt habita non confert vitam, ita ſubtracta non confert mortem. Cum itaque ſint iſta tria genera rerum, bona percipiuntur, mala prohibentur, media conceduntur, & ideo tres modi locutionum ſunt in Sacra Scriptura, præceptionis, prohibitionis, conceſſionis. Cæterum perfectio bonae vitae non tantum in praeceptione, quantum in voluntate conſiſtere videtur. Non enim Dominus ait. Eſto perfectus, ſed ſi vis perfectus eſſe vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Sed ſicut nondum incipientibus, utpote ſecularibus viris perfectio eſt in voluntate, ita nimirum profeſſis eſt in neceſſitate. Scriptum quippe eſt. Vovete, & reddite, hoc eſt ſi voviſtis, reddite, & iterum. Reddam tibi vota mea, quae diſtinxerunt labia mea. In iſtorum itaque, ideſt in profeſſorum perſona loquitur Dominus Abrahæ dicens. Egredere de terra tua. Ille de terra ſua egreditur, qui omnia terrena propter Deum dimittit, & cunctis, quæ poſſidet abrenunciat; dicente Domino. *Niſi quis renunciaverit omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Sed quia non ſufficit dimittere facultatem rerum, ſi in mente retineamus multitudinem vitiorum; ideo ſubjunctum eſt. Et de cognatione tua. Cognati quaſi ſimul nati dicuntur, aut qui ſimul nobiſcum naſcuntur. Audi prophetam dicentem. Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in delicto concepit me mater mea. Sicut ergo propter Deum dimittimus rerum facultatem, ita neceſſarium eſt, ut dimittamus mentis iniquitatem. Non enim Dominus ait. Beati pauperes rebus, ſed ſpiritu, ideſt ſuperbia, ira; & quia haec omnia poſſet homo facere, & non propter Deum, ſed propter ſaeculum, utpote multi, qui videntur ſe in ſaeculari habitu ad aliquam Eccleſiaſticam dignitatem non poſſe moveri, ut id adſequantur tranſeunt ad habitum religionis, & ſecundum quod profeſſione & habitu dimiſerunt mente retinent. Ideo ſubjunctum eſt, & de domo patris tui. Tres patres habet homo: hominem, Deum, & Diabolum: homo eſt pater ejus ſecundum carnem. Deus vero per juſtitiam. Diabolus autem per malitiam. De primo dictum eſt: honora patrem tuum, & matrem. De ſecundo. Unus eſt enim pater veſter qui in Cælis eſt. Vos ex patre Diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere. Niſi enim diverſos homo patres haberet, nequaquam Propheta in perſona Dei alicui animae hujus mundi deſideriis deditae diceret. *Audi filia & vide.* Nam cum filiam eam vocat, oſtendit quod ipſe pater ejus eſt; cum vero ſubjungit. *Obliviſcere populum tuum, & domum patris tui.* Quod alium patrem habeat, cujus domum obliviſci debeat, inſinuat horum trium patrum unus eſt ita bonus, quod non poteſt eſſe malus; alius eſt ita malus, quod numquam poteſt eſſe bonus; tertius vero, & bonus poteſt eſſe, & malus. Rurſus illorum trium patrum unum debemus odiſſe, & duos diligere. Nam Diabolum debemus odiſſe. Dicente Domino. *Si quis venit ad me & non odit patrem ſuum non poteſt eſſe diſcipulus.* Patrem vero, hominem, & Deum debemus diligere. Sed hominem ſicut nos, Deum vero pluſquam nos. Iterum illorum trium patrum unus habitat in mundo, alius in Cælo, tertius in Inferno, ideſt Diabolus, de cujus domo exire debemus. Domus Diaboli mundus eſt, cujus princeps ille dicitur. Sicut Dominus ait. *Venit enim princeps mundi hujus, & in me non habet quidquam*, & iterum. *Nunc princeps mundi hujus*

ejicie-

ejicietur foras. De hac itaque domo, ideſt de mundo exire debemus, ut bonum quod facimus, non propter mundum faciamus. Sicut ſcriptum eſt. *Neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua*, quia bonum, quod intentione Dei facimus; ſiniſtra ideſt mundi intentio prorſus ignorare debet, ut nullatenus cum intentione Dei miſceatur intentio mundi. Sequitur. Et veni in terram, quam monſtravero tibi. Terra aeterna beatitudo eſt, quae propter ſtabilitatem merito terra nominatur. Sicut Salomon ait. *Generatio præterit, generatio advenit, terra autem in æternum ſtat*. Hanc terram quotidie monſtrat nobis Deus in ſcripturis ſuis; ad hanc terram mente, & deſiderio tendere debemus, ut cum Chriſto reſurgentes, quae ſurſum ſunt ſapiamus, non quae ſuper terram, hanc quippe diligere, hanc deſiderare quaſi mente intereſt. Vos itaque Fratres, quibus praecipitur, ut de terra, & de cognatione veſtra, atque de domo patris veſtri exeatis, oolite mente remanere in ſæculo. Quoniam ſicut Jacobus apoſtolus ait. *Qui diligit mundum non eſt caritas Dei in illo*. Sed diligite terram repromiſſionis, terram itaque, de qua dicitur. *Credo videre &c.* Ad hanc terram in quantum poteſtis, quaſi quibuſdam greſſibus, ideſt bonis operibus properate, ut in ea perpetuo manere, & regnare valeatis ipſo auxiliante.

SERMO.

Obtemperavit Deus Abraham, & dixit ad eum. Tolle filium tuum quem diligis Iſaac, & offeres illum ibi in holocauſtum ſuper unum montium, quem dixero tibi. Quoniam allegoria fidem, & moralitas ſolet aedificare vitam; prius enim hic de allegoria breviter dicendum eſt, ut poſtmodum in moralitate latius immorari valeamus. Abraham qui interpretatur Pater excelſus Deum patrem ſignificat. De quo per Pſalmiſtam dicitur. *Excelſus Dominus, & humilia reſpicit*. Iſaac filius Abrahae ſignificat Chriſtum Filium Dei. Sicut per Apoſtolum dicitur. *Abrahae dictae ſunt promiſſiones, & ſemini eius*. Non dicit ex ſeminibus, quaſi in multis, ſed quaſi in uno, & ſemini tuo quod eſt Chriſtus. Iſaac ioterpretatur riſus, ſive gaudium, & Chriſtus eſt gaudium, & laetitia ſanctotum. Unde per Paulum dicitur. *Gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete*. Et pſalmiſta. *Laetamini in Domino, & exultate juſti*. Abraham diligebat Iſaac, ſicut ſcriptura refert, cum dicit. Tolle filium tuum, quem diligis Iſaac, & Deus dilexit Chriſtum. Sicut de illo ipſe ait. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*. Hunc Abraham juſſus eſt offerre ſuper unum montium, & Deus pater voluit Chriſtum immolari ſuper uno monte. Mons iſte, in quo Chriſtus immolatus eſt, eſt humanitas ſua in qua Chriſtus paſſus eſt, quia ſicut inferius latius dicetur, humanitas paſſa eſt, divinitas vero illaeſa permanſit. De hoc monte dicitur in pſalmo. *Mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo*. Placuit enim Deo in homine, quem aſſumpſit habitare. Unde ſcriptum eſt. *In ipſo habitat plenitudo divinitatis corporaliter*. Qui bene dicitur mons, quia ſicut mons eminet omnibus aliis locis, ita homo Chriſtus aliis hominibus. Additum eſt, quem mouſtravero tibi. Quoniam Deus pater monſtravit hunc in Scripturis Sanctis. Igitur Abraham de nocte conſurgens ſtravit aſinum ſuum, ducens ſecum duos juvenes, & Iſaac filium ſuum. Aſinus ille quo tunc utebatur Abraam quia brutum, & ſtolidum animal eſt, inſenſatam ſignificat ſtultitiam judaeorum. Illa plane bruta ſtultitia. Ligna, quae Abraham conciderat, ideſt omnia Sacramenta portabat, quae tamen cum ferret velut irrationabile animal ignorabat; hunc Abraham ſtravit, quando Deus pater Judaeorum ſtultitiam correxit dicens: *haeccine reddis Domino popule ſtulte, & inſipiens*. Duo juvenes quos Abraham ſecum duxit, Judaeos ſignificat in duos populos diviſos. Nam peccante Salomone ex una Iſraelitica plebe duo facti ſunt populi. Quibus utique ſaepe dicitur per Prophetas. *Adverſatrix Iſrael, & prævaricatrix Juda*. Die autem tertio elevatis oculis vidit locum procul. Illi tres dies ſunt tria tempora ante legem & ſub lege & ſub gratia. Abraham ergo die tertia vidit locum procul, in quo Iſaac immolandus erat, & Deus pater longe ante praeſcivit Chriſtum tempore gratiae pro noſtra redemptione paſſurum. Sequitur. *Dixitque Abraham ad pueros ſuos; expectate hic cum Aſino, ego, & puer illuc uſque properantes, poſtquam adoraverimus revertemur ad vos*. Iſti duo ſervi procul dimiſſi, ſicut diximus, Judæos ſignificant, quia ſerviliter vivebant, & carnaliter ſapiebant, & ideo non aſcenderunt in montem, ideſt in locum ſacrificii, hoc eſt, non intelleserant altiſſimam humilitatem Chriſti, neque altiſſimum conſilium Dei, quomodo Deus pater voluit filium ſuum pro noſtra redemptione incarnari, & mori, & ideo dictum eſt eis: *expectate hic cum Aſino*, quoniam Judaei cum Aſino, ideſt cum ſtultitia ſua adhuc expectant Meſſiam. Sed additum eſt. Poſtquam adoraverimus, revertemur ad vos; quia in fine Mundi ad Judaeos, qui credituri ſunt, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus revertentur ſicut ſcriptum. *In diebus illis ſalvabitur Juda, & Iſrael habitabit confidenter*. His nimirum videtur convenire verbis, quod Paulus ait. *Caecitas* inquit *ex parte in Iſrael facta eſt, ut plenitudo gentium intraret, & ſic omnis Iſrael ſalvus erit*. Quid eſt enim quod dicitur. Caecitas ex parte contigit in Iſraël. Hoc eſt quod dicitur. Expectate hic cum Aſino; ut plenitudo gentium intraret, & hoc eſt priuſquam adoraverimus revertemur ad vos. Quod autem ſequitur. Et ſic omnis Iſrael ſalvus fiet; hoc eſt revertemur ad vos. Sequitur. *Tulit quoque ligna holocauſti, & impoſuit ſuper Iſaac filium ſuum. Ipſe vero portabat in manibus ſuis ignem, & gladium*. Sicut Iſaac ipſe ſibi ligna portavit, quibus erat imponendus, ita quoque Chriſtus Crucis ſuae geſtavit in humeris lignum, in quo erat pro noſtra ſalute paſſurus. Abraham portabat in manibus igoem, & gladium, quia Deus pater in ſua poteſtate habuit ignem paſſionis Chriſti, & gladium ſuae mortis. Et non ſolum pater, ſed etiam ipſe filius, qui unus eſt cum patre. Unde dicebat. *Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo interficiendi eam*, & rurſus. *Nemo tollet a me animam meam niſi cum voluero*. Aries inter vepres haerentes cornibus invenitur, qui pro Iſaac immolandus offertur, quoniam ſicut diximus ſupra: humanitas Chriſti paſſa eſt, & divinitas, quae per Iſaac ſignificatur illaeſa permanſit. Haec autem humanitas haerebat cornibus Crucis. Sicut ſcriptum eſt. *Cornua ſunt in manibus eius*; & hoc inter vepres, ideſt inter ſpinas, quae erant in ſpinea corona circa Caput Chriſti, ſive inter ſpinas, ideſt inter aculeatas vulneratas Judaeorum iniquitates. Sive inter ſpinas, ideſt inter Judaeorum accuſationes, quae more ſpinarum pungebant. Unde in canticis canticorum dicitur. *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias*. Lilium Chriſtus eſt qui dicit. *Ego flos campi, & lilium convallium*. Sicut ergo lilium, ideſt Chriſtus fuit inter ſpinas peccatorum praedictas, ſic amica ejus, ideſt Sancta Eccleſia inter filias, ideſt perſecutorum poenas. De ſupradictis ſpinis conqueritur Dominus per Jeremiam dicens. *Spinis peccatorum ſuorum circumdedit me populus meus hic*. Peracto ſacrificio dicitur Abrahæ. *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes*. Et poſtquam Dominus dicit. *Foderunt manus meas, & pedes meos*, paulo poſt in eodem pſalmo ſubiecit. *Reminiſcentur, & convertentur ad Dominum univerſi fines terræ, & adorabunt in conſpectu ejus omnes patriæ gentium, quoniam Domini eſt regnum, & ipſe dominabitur gentium*. Oblato itaque Abraham filio, & pro eo ariete immolato, appellavit nomen loci illius *Dominus videt*. Quia Redemptor noſter, poſtquam in ara Crucis mortis noſtræ debitum ſolvit; videndum ſe deinceps fidelium ſuorum obtutibus præbuit, ut nimi-

rum

Digitized by Google

rum redempti omnes illum jam per fidem videant, qui ante fidei oculos non habebant: His de allegoria breviter decurſis, ad moralitatem veniamus.

Abraham, qui fuit nobis prima via credendi, ipſe quippe tres vidit, & unum adoravit, ſignificat fidem, huic Abrahae ideſt fidei noſtræ conjungenda eſt Sara, ideſt Sapientia, ut qui recte credit ſapienter vivat. Non enim ſufficit alicui credere niſi ſapienter vivat. Nam Demones credunt, & fides ſine operibus mortua eſt; hinc eſt quod quando aliquis paganus ut Criſtianus fiat venit ad Eccleſiam, & credere ſe fatetur, mittitur ei ſal in os, ut qui recte credit, ſapienter vivat. Merito autem per Saram, quæ interpretatur princeps, noſtra Sapientia ſignificatur, quoniam Sapientia eſt princeps cæterarum virtutum. Per eam quippe homines principantur. Unde ipſe dicit. *Per me reges regnant, & judices Saeculi jura diſponunt:* hæc autem Sara prius quidem ſterilis fuit, poſtea, genuit Iſaac, quoniam Sapientia & ad iniquitatis opera eſt infoecunda, & ad juſtitiam fructuoſa, unde de Abraam, & Sara natus eſt Iſaac qui ſignificat ſpem, quoniam, qui recte credit, credit & ſapienter vivit, eternae vitae retributionem ſperare poteſt. Ideo per Iſaac ſpes ſignificatur, quia Iſaac interpretatur riſus, ſive gaudium. Quoniam gaudium Sanctorum ſignificat, quod in præſenti quidem non habemus, ſed in futuro ſperamus. Licet enim hic tribulentur Sancti, in futuro tamen gaudere ſperant. Unde Dominus ait. *Triſtitia veſtra vertetur in gaudium*, & Apoſtolus *ſpe gaudentes*. Huic ergo Abrahae, ideſt alicui habenti bonam fidem dicitur. Tolle filium tuum, quem diligis Iſaac, ideſt tolle ſpem tuam, & pone ſuper unum montium, ideſt ſuper Chriſtum. Tamquam dicant ei. Pone in Domino ſpem tuam, quia bonum eſt ſperare in Domino, quam ſperare in principibus. Sancti dicuntur montes propter eminentiam vitae, & altitudinem virtutum. De quibus dicit Pſalmiſta. *Levavi oculos meos ad montes*, hoc eſt ad Sanctos Prophetas, & Apoſtolos, ad quos mentis oculos levare debemus, ut eorum praecepta faciamus, & exempla ſequamur. Sed unus mons eſt caeteris major Chriſtus videlicet; de quo dicit Iſayas. *Erit in noviſſimis diebus praeparatus mons domus Domini in verticem montium.* Mons domus Dei Chriſtus eſt, qui eſt mons, ideſt altitudo Sanctae Eccleſiae, hic praeparatus eſt in verticem montis ideſt in mente ſanctorum, ut ſancti eum ſemper mente retineant, corde diligant, & ore concupiſcant. Super hunc itaque montem, ideſt Chriſtum, Abraam, ideſt aliquis fidelis debet offerre Iſaac, hoc eſt ſpem ſuam. Hunc quippe montem Deus pater monſtrat in ſcripturis ſanctis. Surrexit igitur, & ſtravit Aſinum ſuum, tollenſque ſecum duos juvenes, & Iſaac filium ſuum. Et unuſquiſque fidelis, qui per Abraam ſignificatur a torpore negligentiae & ſomno vitiorum ſurgere debet, & ſternere, ideſt domare Aſinam ſuam, hoc eſt carnem ſuam, & cum ipſa Aſina duos juvenes ſumere debet, hoc eſt victum, & veſtitum providere. Iſti enim juvenes, ideſt victus, & veſtitus ſemper cuſtodiunt Aſinam ideſt carnem noſtram, & iſtis dicit Abraham. Expectate hic cum Aſina, quoniam victus, & veſtitus ſemper cum carne remanere debent, & ab ea nunquam recedere. Sequitur. Die autem tertio vidit locum procul. Videamus itaque qui ſunt iſti tres dies. Primus itaque dies eſt propoſitum religionis. Secundo diſtinctio illius. Tertius profeſſio. Primum enim homo proponit ſervare Deo, & religioſam vitam ducere; deinde eamdem vitam diſtinguit eligens ſibi canonicam, vel monaſticam, ſive eremiticam vitam, vel aliam quamlibet. Tertio vero loco, tanquam tertia die videt locum, hoc eſt diſtinguit locum, ubi eandem vitam ducat, & profeſſionem faciat. Sequitur. Dixit Abraham ad pueros ſuos: Expectate hic cum aſino vel aſina, ego, & puer illuc properantes poſtquam adoraverimus revertemur ad vos. Quoniam iſti duo juvenes, ideſt victus & veſtitus ſemper cum aſina vel aſino, hoc eſt cum carne, vel corpore remanere debent, quia neceſſarii ſunt, & niſi ab illis aſinus noſter ducatur, non bene ambulat. Ad iſtos Abraham poſtquam adorat revertitur, quia unuſquiſque fidelis poſtquam orationem & ſacrificium Deo offeret, tandem ad cibum revertitur & veſtitum. Tulit quoque Abraham ligna holocauſti, & impoſuit ſuper Iſaac filium ſuum, ipſe vero portabat in manibus ignem & gladium. Si per arbores ſancti ſignificantur, ſicut David de ſe ipſo ait: *Ego autem ſicut oliva fructifera in domo Domini:* merito per ligna, quae de arboribus inciduntur, documenta & exempla ſanctorum intelliguntur; haec ligna portabat Iſaac, quoniam ſpe futurae beatitudinis ſanctorum praecepta ſervamus, & exempla imitamur. Stultum eſſet enim in praeſenti vita tribulationes & anguſtias tolerare, ſi in futura non debemus ſperare. Unde Apoſtolus ait: *Si in hac vita tantum ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus aliis hominibus.* Ipſe autem portabat ignem & gladium. Per ignem tribulatio intelligitur, ſicut Pſalmiſta ait: *Igne me examinaſti*; & alibi ſcriptum eſt: *Vaſa figuli probat fornax, & homines juſtos tentatio tribulationis*. Per gladium quo Abraham occidere volebat Iſaac mors ſignificabatur. Abraham itaque ignem portabat & gladium, quoniam per fidem quae per Abraham ſignificatur ſancti deſignantur, qui ignem tribulationis, & gladium mortis portant; unde Apoſtolus ait: *Sancti per fidem vicerunt regna*; & paulo poſt: *lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladii mortui ſunt*. Pergebant ergo pariter, veneruntque ad locum quem oſtenderat ei Deus, in quo aedificavit altare, & deſuper ligna compoſuit. Quia poſtquam aliquis venit ad locum, quem oſtenderat ei Deus ſancti ſacrificii, ideſt clauſtrum religionis, ubi ſcipſum Deo per ſanctae devotionis ſtudium, & bonae operationis augmentum mactare debet altare, ideſt cor ſuum aedificare debet ſtudio bonae v luntatis, & deſuper ligna compoſuit, componere, hoc eſt verba & exempla ponere. Sequitur: *Cumque colligaſſet Iſaac filium ſuum, poſuit eum in altari ſuper ſtruem lignorum. Extenditque manum & arripuit gladium ut immolaret filium; & ecce Angelus Domini de caelo clamavit dicens: Abraham, Abraham; qui reſpondit: Adſum. Dixitque ei: Ne extendas manum tuam ſuper puerum, nec facias illi quidquam. Levavit Abraham oculos viditque poſt tergum arietem inter vepres haerentem cornibus, quem aſſumens obtulit holocauſtum pro filio*. In hoc facto videtur Abraham ſignificare, qui noviter ad converſationem venientes pro nimio fervore religionis ſuum filium, ideſt propriam naturam extinguunt; adeo enim jejuniis, vigiliis, & aliis afflictionibus carnis ſcipſos macerant, ut non ſolum carnis laſciviam, ſed etiam propriam naturam extinguere velle videantur. Et talibus dicitur: Ne extendas manum tuam ſuper puerum. Ac ſi dicatur: Noli carnem macerando interficere propriam naturam. Quid ergo immolabo arietem, ideſt cervicoſitatem carnis haerentem cornibus ſuperbiae, & inter vepres vitiorum hunc arietem, ideſt hanc ſuperbiam, & laſciviam carnis interficere debemus, & filium noſtrum, ideſt naturam noſtram reſervare, ut hoſtem, ideſt vitium interficiamus, & civem, ideſt vitam noſtram, atque domeſticum nutriamus. Sic nimirum diſcreta debet eſſe vita noſtra, ut Dei creatura nutriatur, & carnis vitium interficiatur. Unde in Canticis canticorum Eccleſia dicit: *Manus meae diſtillaverunt mirrham, & digiti mei pleni ſunt mirrha probatiſſima*. Sicut per manus opera, ſic per digitos operum diſcretio ſignificatur. Dicit ergo Eccleſia: Manus meae diſtillaverunt mirrham, quia per ejus opera carnis emittunt amaritudinem. Ubi notandum eſt, quia cum dicitur manus meae diſtillaverunt mirrham, non additur probatiſſimam, ſed cum ſubjungitur, & digiti mei pleni ſunt mirrha; hic additur probatiſſima, quoniam illa ſola amaritudo approbatur a Deo, qui indiſcretis, hoc eſt in

ope-

Digitized by Google

operum diſcretione conſiſtit, ut ſicut diximus carnis ſuperbiam interficiamus, propriam nutriamus vero naturam. Vos itaque fratres qui ſimilitudinem Abrahae in hoc loco geritis, mortificate membra veſtra, quae ſunt ſuper terram, ideſt fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & haec facientes exuite veterem hominem cum actibus ſuis, & induite novum, qui ſecundum Deum creatus eſt, & renovatur in juſtitia, & ſanctitate veritatis; & ſic a malo declinantes, & in bono perſeverantes, mereamini liberati a poena Inferni, & collocari in gloria Paradiſi. Ipſo auxiliante, qui &c.

SERMO.

Immutemus habitum in cinere & cilicio. Cinis nihil aliud, quam lignum per ignem in cinerem converſum; per lignum duritia peccati intelligitur. Secundum quod dicit Apoſtolus: *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere praeter id quod poſitum eſt. Super hoc fundamentum alii ædificant aurum, argentum, lapides pretioſos, alii ligna, fænum, ſtipulam*; fundamentum fides Chriſti eſt quam prius, quaſi quoddam fundamentum ponere debemus. Super quod prius aedificare debemus aurum, ideſt ſapientiam, ut ſicut recte credimus, ita etiam ſapienter vivamus. De hoc auro dicit Salomon: *Theſaurus deſiderabilis requieſcit in ore ſapientis*; & iterum: *Accipite ſapientiam velut aurum*. Sed quia non ſufficit nobis ſi ſapientiam in corde geſtamus, & aliis per eloquentiam verba vitae non nuntiamus; ſecundo loco poſitum eſt argentum, quod Domini ſignificat eloquium, quod candidum eſt, & clarum ſonorum. Divina enim eloquentia, & candorem habet bonae vitae, & ſonum multiplicis eloquentiae. De hoc argento dicit Pſalmiſta: *Eloquia Domini, eloquia caſta, argentum igne examinatum*. Sed quia non ſufficit ſi in mente habemus ſapientiam, & in ore eloquentiam, niſi portemus in manibus operum juſtitiam; ideo additum eſt tertio loco; lapides pretioſos, hoc eſt virtutes, & bona opera. Per lignum autem quia durum eſt, & in igne ad comburendum ſatis durat, durum & grave peccatum accipitur, cui ſi apponatur ignis internæ compunctionis, profecto concrematur, & in pulverem revertitur, hoc eſt in contritionem vertitur, & ſic cinis, ideſt cordis contritio efficitur. Et ſicut lignum, quod durum eſt ſine magno igne non crematur, ſic durum grave peccatum ſine magna compunctione non dimittitur. Locus autem in quo ignis accenditur cor noſtrum eſt, ubi peccata noſtra interna compunctione ſolvuntur. Scriptum quippe eſt. *Cor contritum, & humiliatum Deus non ſpernit*, & iterum. *In quacumque hora peccator converſus fuerit, & ingemuerit vita vivet, & non morietur*. Et quoniam poſt cordis contritionem, quae ſignificatur per cinerem, habere debemus & operis ſatisfactionem, additum eſt, & cilicio. Cilicium quod carnem noſtram extra pungit, & affligit operis ſatisfactionem ſignificat, qui jejuniis, vigiliis, & aliis afflictionibus carnis indicitur; haec nimirum ſatisfactio jure per cilicium ſignificatur, quod fit de pilis caprarum, ſive hircorum. Hircus luxurioſum eſt animal, ideo luxuriam ſignificat. De his ergo pilis efficitur cilicium quia de laſcivis moribus, & illicitis deſideriis carnis, operis fieri debet ſatisfactio. Legitur in veteri teſtamento, quod in tabernaculo Dei erant cortinae de biſſo retortae, & cocco bis tincto, purpura, & jacintho. Erant quoque ibi ſaga cilicina. Tabernaculum quippe domus eſt militantium, & Sancta Eccleſia domus eſt eorum qui tripliciter pugnare debent, cum carne videlicet, Diabolo, & fratribus falſis. Unde ſcriptum eſt in Job. *Militia eſt vita hominis ſuper terram*. In hoc tabernaculo ſunt cortinae, ideſt ſancti viri diverſis virtutibus exornati, inter quas debet habere primo loco caſtitatem. Per caſtitatis enim opera nihil aliud operamur niſi quod ſolam luxuriam vitamus; hæc autem jure per biſſum ſignificatur, quod genus lini eſt. Sicut enim linum multis modis maceratur, antequam ad candorem veniat, ſic carnem noſtram ſi ad candorem caſtitatis volumus perducere, multis modis affligere debemus. Sicut faciebat Apoſtolus, qui dicebat: *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo*. Ubi notandum eſt, quia non ſimpliciter dixit de biſſo, ſed addidit retortam. Filum namque quod retortum eſt, duplex eſt, & caſtitas noſtra duplex debet eſſe, ut non ſolum in corpore, ſed etiam in anima ipſam habeamus. Et quia non ſufficit nobis declinare a malo quod fit per caſtitatem niſi operemur bonum, quod fieri debet per caſtitatem; additur, & cocco bis tincto. Coccus rubei coloris eſt, ideo caritatem ſignificat, qui tunc bis tingitur, cum in Deum, & proximum geminatur. Sed quia per amorem Dei multoties pervenitur ad paſſionem, & ſanguinis effuſionem, recte tertio loco additur, & purpura, per quam ſanguinis effuſio intelligitur, quoniam purpura de ſanguine piſcis tingitur. Sed quia in his omnibus caeleſtibus inhiare debemus, & intenti eſſe, ut quæ ſurſum ſunt ſapiamus, non quae ſuper terram, ideo quarto loco additur, & hyacinto, qui caeleſtem dicitur habere colorem, & ideo caeleſtem ſignificat intentionem, & Dei contemplationem. Rurſus quoniam in ſancta Eccleſia cum juſti ſunt & pœnitentes, merito in tabernaculo cum cortinis erant & ſaga cilicina, quae poenitentes, & opera ſatisfacientes ſignificant. In qua ſatisfactione jejunium indicitur cum eleemoſina, & nec prodeſt jejunium ſine eleemoſina his, qui eam facere poſſunt. Unde Dominus ait in Evangelio. *Tu autem cum jejunas, unge caput tuum oleo, & faciem tuam lava*. Unguentum miſericordiam ſignificat. Siquidem oleos greco, latine miſericordia dicitur. Caput autem noſtrum Chriſtus eſt. De quo ait Apoſtolus. *Ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ*. Hoc caput ungere, huic miſericordiam praebere debemus; ſed quomodo eſt impendenda miſericordia illi, cui nulla eſt miſeria. Impenditur utique ſibi cum minimo impenditur pauperi. Ipſe hoc dixit. Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Dicit ergo, cum jejunas unge caput tuum oleo, ideſt miſericordiam praebe proximo tuo. In jejunio quidem propria caro maceratur, in eleemoſina caro proximi conſolatur. In primo apparet juſtitia, in ſecundo miſericordia. Et quoniam de operibus iſtis aliquando ſolet homo ſuperbire. Ideo ſubjunctum eſt, & faciem tuam lava. Per faciem opera ſolent ſignificari. Sicut enim per faciem, ſic & per opera homo cognoſcitur. Unde Dominus ait. *A fructibus eorum cognoſcetis eos*. De hac facie ſcriptum eſt in libro Machabaeorum. *Ornaverunt faciem templi coronis aureis &c.* Templum Dei nos ſumus. Sicut Apoſtolus ait. *Vos templum eſtis Spiritus Sancti, & Spiritus Sanctus habitat in vobis*, & iterum. *Templum Dei Sanctum eſt, quod eſtis vos*: hujus ergo templi facies opera ſunt noſtra. Corona in capite intentio eſt in mente; quae ſi Dei eſt, aurea dici poteſt. Siquidem per aurum divinitas ſignificatur, quia ſicut aurum praecellit omnia genera metallorum, ſic divinitas omnem creaturam. Unde legitur de Chriſto in canticis canticorum. *Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus. Caput eius aurum optimum*. Sancti itaque faciem templi coronis ornant aureis, ideſt opera ſua intentione Dei, ut quaecumque faciunt intuitu pietatis & intentione ſerviendi Deo faciant. Scientes quia ſi oculus noſter fuerit ſimplex, totum corpus noſtrum lucidum erit, & quia poſt activam vitam, neceſſaria eſt contemplativa ideo, ſequitur. *Et ædificaverunt Altare Domino*. Altare cor noſtrum eſt. Hoc altare debemus dedicare Domino, ideſt bona voluntate, & caeleſti deſiderio conſecrare, ut Deum diligat, & Deum deſideret, Deumque tota devotione concupiſcat. Et vos itaque Fratres immutate habitum in cinere, ut cordis contritionem intus habeatis, & cilicio, ut operis ſatisfactione carnem exterius pun-

Digitized by Google

pungatis. Quin etiam jejunate corporaliter abſtinentes a cibis, & ſpiritualiter continentes a vitiis, eleemoſinas date ſubveniendo proximis; & facies veſtras, ideſt opera veſtra lavate, ne ipſis aliquo modo rubigo elationis, & macula ſuperbiae inhaereat, ſed mundi, & nitidi ante Deum inveniamini, ut cum ſanctis ejus coronam mereamini. Ipſo auxiliante.

SERMO.

Quoniam de corrupta radice primi hominis deſcendimus, idcirco ſine peccato in hac corruptibili carne nequaquam naſcimur dicente pſalmiſta. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum &c.* & ſicut in primo homine omnes peccavimus originaliter, ſic & in nobis quotidie peccamus actualiter. Unde neceſſe eſt, ut ſicut lavamur a peccato originali per Baptiſmum, ſic mundemur ab actuali per poenitentiam. De quibus per pſalmiſtam dicitur. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.* Remiſſae ſiquidem per Baptiſmum, & tecta per poenitentiam. Poenitentia namque tegumentum eſt peccatorum, ut ea Deus non videat ad poenam. Unde per Prophetam dicitur. *Averte faciem tuam a peccatis meis.* Peccata quippe poſt poenitentiam Deus videt, & non videt; videt, quia eum non latent, non videt quia ea non punit. Videt per ſcientiam, ſed non videt per vindictam: peccata namque ſi ab homine tacentur, a Deo puniuntur, ſi ab homine manifeſtantur, a Deo dimittuntur: hinc per Pſalmiſtam dicitur. *Quoniam tacui, inveteraverunt oſſa mea, dum clamarem tota die.* Sed ſi iſte tacuit, quomodo tota die clamavit; aut ſi tota die clamavit, quomodo tacuit. Sed videamus quod tacuit aut quod clamavit. Tacuit ſiquidem peccatum ſuum, & clamavit juſtitiam ſuam. Tacuit mala, quae fecerat, & clamavit bona quae fecerat. Et quoniam illa bona non placent Deo, qui malorum commixtione commaculantur, idcirco oſſa ſua, ideſt fortia facta, & ſua bona opera inveterata, ideſt corrupta dixit, & ideo poſtea ſubjunxit. *Delictum meum cognitum tibi feci, & injuſtitiam meam non abſcondi.* Diligit namque Deus veritatem confeſſionis, ſicut per Pſalmiſtam dicitur. *Ecce veritatem dilexiſti.* Veritas tunc eſt in confeſſione, quando homo veraciter confitetur peccatum ſuum quando nihil occultat, ſed omnia vigilanti ſtudio manifeſtat. Superbia quippe peccatum facit tacere, ſed humilitas confiteri: ſuperbia facit peccatum confitendi erubeſcentiam, & humilitas præbet confitendi audaciam. Superbia denigrat hominem in inferno propter taciturnitatem peccati, humilitas dealbat in Paradiſo propter veritatem confeſſionis. Unde per Pſalmiſtam dicitur. *Aſperges me Domine Hiſopo, & mundabor, lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.* Yſopus eſt herba humilis, quae radicitus petrae inhaeret & valet contra tumorem pulmonis. Ideo merito ſignificat humilitatem pœnitentiae. Cujus radix, ideſt exemplum, petrae, ideſt Chriſto inhaeret. ſicut ait. *Diſcite a me quia mitis ſum, & humilis corde:* hæc quidem valet contra tumorem ſuperbiæ: hac quidem tunc homo aſpergitur quando peccator per pœnitentiam humiliatur. Sed homo yſopo aſperſus lavatur, quia peccator per poenitentiam afflictus mundatur, & non ſolum a peccato mundatur, ſed etiam candore juſtitiae dealbatur. Unde ſubjunctum eſt. *Lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.* Nix de Caelo deſcendit, candida eſt, & frigida, & poſtquam ad terram deſcendit, in aquam liquatur, ſic ſunt ſancti Dei viri, quorum vita de caelo eſt, ideſt a Deo, & ſunt candidi propter juſtitiam, frigidi per caſtitatem; & deſcendentes ad terram, ideſt ad proximos ſuos, reſolvuntur in aquam, ideſt in doctrinam, quoniam eos quotidie monere, & ad bonum hortari non ceſſant. Sed iſte yſopo aſperſus dicit ſe mundatum, lavatum, & ſuper nivem dealbatum, quoniam poenitentes, & in humilitate poenitentiæ vere permanentes, magis a Deo merentur juſtificari, quam multi juſti, qui licet nec graviter peccaverunt, ita neque poenitentiam egerunt, neque per pœnitentiam carnem afflixerunt. Qualis fuit Petrus, qui Chriſtum negavit, & Paulus, qui Dei perſecutus eſt Eccleſiam. Et majorem ædificationem in Eccleſia Dei faciunt illi, qui prius multa crimina, & multas impietates, poſt plurima ſcelera digne ad poenitentiam convertuntur, quam illi, qui numquam graviter peccaverunt. Et majus gaudium eſt ſuper uno peccatore mortuo ſuſcitato, quam de mille viventibus viris. Unde Dominus ait in Evangelio. *Amen dico vobis gaudium eſt Angelis Dei ſuper uno peccatore poenitentiam agente, quam ſupra nonaginta novem juſtis, qui non indigent poenitentia.* Quia igitur Deus non vult mortem noſtram, ſed converſionem, ſicut ipſe dicit. *Nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat*, nec nos velle debemus. Et ſi Deus diligit vitam noſtram, nos odio habere non debemus. Ille quippe odit vitam ſuam, qui iniquitatem diligit. Unde ſcriptum eſt. *Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam.* Quis fratres chariſſimi adeo ſtultus, & inſanus eſt qui cernens infirmitatem ſuam, de qua niſi medicina ſuccurrat certiſſime ſciat ſe moriturum, qui non ſtatim recurrat ad Medicum, & medicinam per quam ſanari poſſit cum feſtinatione ſuſcipiat. Si ergo peccatum eſt infirmitas animae, & pœnitentia medicina, tanto ſtudioſius eam debemus accipere, quanto amplius deſideramus vitam, & ſanitatem animae noſtrae tenere. Hanc autem poenitentiam aliquando accipit homo dum eſt ſanus, aliquando dum eſt infirmus. Sed qui ſanus eſt imitetur David, qui vero infirmus eſt, ſequatur latronem. David namque adulterium commiſit, & homicidium. Sed peccatum ſuum perfecte recognoſcens, ſicut ipſe ait. *Iniquitatem meam ego cognoſco, & delictum meum contra me eſt ſemper.* Ad ſolam Dei miſericordiam confugit, & illam toto corde exorabat dicens. *Miſerere mei Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam.* Tanquam ſi dicat. Domine magna eſt miſeria, & ubi magna eſt miſeria, ibi magna eſt neceſſaria miſericordia, & ideo tu miſereris mei ſecundum miſericordiam tuam: & quoniam peccatum poteſt eſſe magnum, & unum ſolum, & ideo ſubdit: Iniquitates meæ ſunt magnæ, ita multæ ſunt; ſed multo plures miſericordiae tuae, quam iniquitates meae, & ideo ſecundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam. Et quoniam ſicut deberem, & quantum mihi neceſſarium eſſet te rogare penitus ignoro, tu Domine qui meam inopiam, & egeſtatem ſupplere noſti, amplius quam ego rogo, aut rogare ſciam, lava me ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me: & ideo quia ſeipſum coram Deo ſic humiliavit audire meruit; Dimiſſum eſt tibi peccatum tuum. Qui autem infirmus eſt ſequatur latronem; latro namque pro homicidio quod fecerat, & pro multis aliis ſceleribus ſuis in cruce ſuſpenſus fuerat, nihilque in eo pene liberum niſi cor, & lingua remanſerat. Nam clavi manus ejus, & pedes in cruce ligaverant, & ſic neque manus neque pedes movere poterat. Sed inſpirante Deo totum ſibi obtulit quod in ſe liberum invenit. Ut juxta hoc, quod ſcriptum eſt. *Corde enim creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Sed videamus quomodo ad Deum corde, & lingua converſus eſt. Converſus eſt corde, quia Chriſtum quem ſecum vidit in cruce pendentem, Deum credidit in caelo regnantem. Lingua converſus eſt, quando fratrem, & conlatronem pro ſimili ſcelere morientem redarguit dicens. *Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es.* deinde peccata ſua confeſſus eſt dicens. *Et nos quidem juſte, nam digna factis recipimus*; poſtmodum Chriſtum excuſavit ſubjiciens; hic autem nil mali fecit: tandem ipſum tanquam Deum exorat dicens. *Memento mei Domine dum veneris in regnum tuum*; & ideo audire meruit. *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Sic qui infirmus eſt, & omnia membra ſua infirmitas debilitavit, ut ea nullo modo movere poſſit; ſed habet cor ſanum, & linguam expeditam, haec duo offerat ſicut latro fecit. Cor offerat, ut toto corde poeniteat, & ad Deum con-

convertatur; linguam offerat ut peccata ſua perfecte confiteatur, & ut pro ipſis Dei miſericordiam exorare non ceſſet. Unde per Jacobum dicitur. *Confitemini alterutrum peccata veſtra & orate pro invicem ut ſalvemini*. Et ſicut latro audire meruit. Hodie mecum eris in paradiſo; ita & vos audire mereamini. Venite benedicti patris mei, percipite regnum. Quod vobis. &c.

SERMO.

Dicit Iſaias. *Si abſtuleris de medio tui catenam, & deſieris digitum extendere, & loqui quod non prodeſt, cum effuderis eſurienti animam tuam, & animam afflictam repleveris, orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt ſicut meridies, & requiem tibi dabit Dominus Deus ſemper*. Per medium Fratres Chariſſimi cor intelligite, quod eſt in medio corpore, per catenam peccatorum cumulationem. Nam ſicut catena ex diverſis annulis conſtat ad invicem concatenatis, ſic & multiplicitas peccatorum ex diverſis peccatis. Multos namque avaritia pertrahit ad rapinam; dicitur ei ut emendet, & illa ſe feciſſe negat; ſic rapina ducit ad fallaciam: Non creditur ei negatio, jurat, & ſic rapina conducit in perjurium; Ecce peccatorum catenae. Unde bene dicitur per Prophetam; *Maledictum, & mendacium, homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt, & ſanguis ſanguinem tetigit*. Sanguis ſanguinem tangit, cum culpa culpam accumulat. Hanc ergo catenam de medio noſtri, ideſt de corde noſtro auferamus, ut non ſolum haec mala non faciamus, ſed nec etiam in corde faciendi voluntatem habeamus. Et quia ſicut Deum in corde de mala voluntate, ita proximum in ore de mala locutione offendimus; ideo ſubjungit, & deſieris digitum extendere, & loqui quod non poteſt. Solet quis, cum fratri ſuo detrahit extenſo digito illum oſtendere, & loqui quod non poteſt, quia nihil prodeſt ei fratri ſuo detrahere: & quia non ſufficit a malo declinare niſi & bona faciamus; bona autem noſtra, ſemper prius debent eſſe in voluntate, & poſtea in actione, ideo ſubjunctum eſt: *Cum effuderis eſurienti animam tuam*. Animam autem eſurienti effundit; qui alicui neceſſitatem patienti bonam voluntatem multiplicat. Sequitur: *& animam afflictam repleveris*. Animam afflictam replet qui alicui afflicto neceſſaria tribuit, quoniam afflictam fame replet cibo, ſive afflictam aliqua anguſtia replet refrigerio. Sequitur: *Orietur in tenebris lux tua*. Peccata dicuntur tenebrae, ſive quia in tenebris committuntur, & occulte. Sicut ſcriptum eſt: *Omnis qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus*. Sive quia ad inferni tenebras hominem ducunt. Similiter e contrario juſtitia dicitur lux, ſive quia in aperto fit. Sicut ſcriptum eſt: *Qui autem facit voluntatem patris venit ad lucem, ut manifeſtentur opera ejus, quia in Deo ſunt facta*; ſive quia hominem ad lucem aeternam perducunt, aut ad Chriſtum, qui eſt lux mundi. Dicitur ergo: Orietur in tenebris lux tua, ideſt in te, in quo tenebrae peccatorum erant. Orietur lux juſtitiae, ſive ipſe Chriſtus. Unde converſis peccatoribus dicitur per Apoſtolum: *fuiſtis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino*; & tenebrae tuae erunt ſicut meridies, hoc eſt peccata tua vertentur in caritatem, ut ſicut prius diligebas mala, ita poſtea incipias diligere bonum, aliter tenebrae tuae, ideſt peccata tua erunt ſicut meridies. In nulla parte diei tantum bonum apparet, quantum in meridie. Dicitur ergo tenebrae tuae erunt ſicut meridies, ideſt peccata tua, quae prius erant occulta & tenebroſa, erunt manifeſta Sacerdoti per oris confeſſionem, ſicut in meridie alia manifeſta ſunt per lumen, & requiem tibi dabit intus Deus ſemper, ideſt ſempiternam. Et implevit ſplendoribus videlicet virtutum animam tuam. De cujus ſplendoribus videlicet virtutum dicitur in Pſalmo: In ſplendoribus ſanctorum: & oſſa tua in die judicii reſuſcitabo, liberabit a gehennae incendio ſive oſſa, ideſt fortia quaeque facta virtutum, liberabit a commixtione mali, utpote vanaegloriae, & ſuperbiae, & eris quaſi hortus irriguus, quia ſicut in horto ſunt diverſi flores, fructus, & frondes, ſic & in te diverſi erunt flores virtutum, & folia verborum, & fructus operum. Unde non ſolum hortus, ſed etiam irriguus, ideſt aqua ſapientiae conſpicuus vocaberis. Et ſicut fons aquarum cujus non deficiunt aquae, fons iſte aquarum Spiritus Sanctus eſt; de quo Dominus ait: *Qui crediderit in me, etiam flumina de ventre ejus fluent aquae vivae*; quod exponens ſubjunxit dicens: *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum*. Hic ergo Spiritus eſt fons aquarum, ideſt origo ſpiritualium doctrinarum; Cujus aquae, ideſt ſpirituales doctrinae numquam deficiunt, & aedificabuntur in te deſerta ſaeculorum, fundamenta generationis ſuſcitabis. Deſerta ſaeculorum ceremonialia praecepta veteris legis ſunt, quae merito dicuntur deſerta, quia quantum ad litteram ab Eccleſia Dei ſunt deſerta, & penitus derelicta. Et quoniam ab adventu Chriſti, qui finis dicitur veteris legis hoc factum eſt, idcirco dicuntur deſerta ſaeculorum, ideſt multorum temporum. In te ergo qui es hortus irriguus, in quo eſt fons animarum, cujus non deficiunt aquae hujuſmodi deſerta aedificabuntur, quoniam talia praecepta ad ſpiritualem intellectum, qui animam aedificat referuntur, vel ſecundum aliam translationem deſerta populorum, quoniam praecepta praedicta juxta literam a populis Chriſtianis deſerta ſunt, & derelicta. Fundamenta generationis ſuſcitabis; fundamenta, documenta ſunt Prophetarum, & Apoſtolorum, quoniam Prophetae, & Apoſtoli fundatores fuerunt Eccleſiae Dei. De iſtis fundamentis dicitur in Pſalmo: *Fundamenta ejus in montibus ſanctis*. Eſt & aliud fundamentum, quod totum aedificium ſanctae Eccleſiae ſuſtinet. De quo dicit Apoſtolus: *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere niſi prius ſiat quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus*. Haec autem fundamenta, ideſt Prophetarum, & Apoſtolorum documenta cum prius in mente iſtius per ignorantiam, vel per oblivionem quaſi mortua eſſent, poſtmodum aperte intelligendo ſuſcitat. Unde hic dicitur: Fundamentum generationis ſuſcitabis. Ideo dicitur hujus generationis, quia in generatione prius ſunt patres, & poſtea filii, ſic prius Prophetae tanquam Patres, & poſtea loco eorum Apoſtoli, tanquam Filii ſucceſſerunt. De quibus in pſalmo dicitur Chriſto: *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii*: in hac prophetia oſtenditur, quod praedicatori conveniat; prius enim praedicator debet a malo declinare, ut videlicet prius evacuet cor ab omni peccato, & mala voluntate. Unde hic prius dicitur: Si abſtuleris de medio tui catenam. Deinde a manu auferat malam operationem, & ab ore iniquam locutionem. Unde hic ſequitur; & deſieris digitum extendere, & loqui, quod non prodeſt. Deinde debet operari bonum; bonum autem prius debet eſſe in voluntate, & poſtmodum in actione. De bona voluntate ſequitur. Cum effuderis eſurienti animam tuam. De bona actione ſubjungitur, & animam afflictam repleveris. Et quoniam alicui bene operanti ſolet dari a Deo ſacrae ſcripturae intellectus; ideo ſubditur: Orietur in tenebris lux tua, ideſt in corde, quod dicitur tenebrae, quia nemo illud videt ſicut ſcriptum eſt: Pravum eſt cor hominis, & inſcrutabile, quis cognoſcit illud. In his ergo tenebris, ideſt in corde tuo orietur lux tua, ideſt divini verbi intelligentia. Unde & additur: Et tenebrae tuae erunt ſicut meridies, ideſt cor tuum erit lumine intelligentiae plenum ſicut meridies, in quo majus lumen, quam in aliqua parte diei fulget; & quoniam poſtquam quis a malo abſtinet perfecte, & in bono ſeipſum exercet, & divini verbi intelligentia illuſtratur, ſanctae Eccleſiae doctor eſſe meretur: ideo ſubjun-

junctum eſt: *Et vocaberis aedificator ſepium, avertens ſemitas iniquitatum*. Sepes, ſpirituales doctrinae ſunt. Nam ſicut ſepes muniunt, & cuſtodiunt hortum, & furem ingredi non permittunt, ſic & ſpirituales doctrinae muniunt, & cuſtodiunt mentem hominis, & furem, ideſt Diabolum qui theſauros animae noſtrae nobis furari nititur, ad pravi operis ſuggeſtionem ingredi non ſinunt. Et ſicut in ſepibus ſunt ſpinae, quae pungunt, ſic & in ſpiritualibus doctrinis ſunt verba, quae peccatorem increpant, & commordent. Unde per Salomonem dicitur. *Verba ſapientium quaſi ſtimuli, & quaſi clavi in altum defixi*. Dicitur ergo: vocaberis aedificator ſepium, ideſt praedicator ſpiritualium doctrinarum avertens ſemitas iniquitatum, ideſt erroris. Si averteris pedem tuum a Sabbato. Sabbatum requies interpretatur. Requies autem alia bona, alia mala. Bona requies eſt quieſcere a malo. De qua per Iſaiam dicitur. *Quieſcite agere perverſe*. Unde & ei poſt fratricidium dictum eſt a Domino *Peccaſti quieſce*. Mala requies eſt quieſcere a bono. Unde in Evangelio dicitur. *Quid hic ſtatis tota die otioſi*. Otioſi ſtabant, quia a bono opere torpebant. Unde ſub Judeae ſpecie per prophetam animae otio torpenti defletur cum dicitur. *Viderunt eam hoſtes, & deriſerunt ſabbata ejus*; praecepto enim legis ab exteriori opere in ſabbato ceſſabatur: hoſtes ergo ſabbata videntes derident, cum maligni ſpiritus ipſa vacationis otia ad cogitationes illicitas pertrahunt. Ut unaquaeque anima quo remota ab externis actionibus Deo ſervire creditur, eo magis tirannidi illicita cogitatio famuletur. Dicit ergo. Si averteris pedem tuum, ideſt affectum tuum. Unde dicitur in pſalmo. *Pes meus ſtetit in viam rectam*: & iterum, *Mei autem pene moti ſunt pedes in ſabbato*, ideſt a requie boni, ut nunquam velis quieſcere, ſed ſemper bonum operari; & ſi averteris, ideſt ſi a mente tua ſeparaveris facere voluntatem tuam, ita ut ſtudeas fortiter voluntatem Dei facere & non tuam. Sicut faciebat Chriſtus qui dicebat. *Non veni facere voluntatem, ſed ejus qui miſit me*, & rurſus. *Pater non mea, ſed tua voluntas fiat*. Et hoc in die ſancto, ideſt in hac vita, in qua dies ſanctus ſanctificatur. Non enim poterit in alia vita ſalvari qui in hac vita non ſtuduerit ſanctificari. Pro duobus bonis, quae facit homo, videlicet quia continet a malo, & ſtudet in bono, recipiet alia duo bona, ut quia nullam commiſit culpam, nullam ſentiet poenam, & quia operatus eſt juſtitiam, magnam recipiet gloriam, & ideo dicitur hic. *Vocaberis ſabatum delicatum*. In ſabbato ſicut ſupra ſcriptum eſt requies intelligitur, quam tunc habebit homo, quando nulla ſentiet mala. In eo quod additur, delicatum; intelligitur ſupernae deliciae. Dicit ergo. Vocaberis ſabbatum delicatum, ideſt requies ſupernis deliciis ornata. Tunc delectaberis ſuper Domino, & ſubtollam te ſuper altitudinem terrae. Super altitudinem terrae tunc fidelis elevatur quando mente ad caelum attollitur, aut quando poſt finem hujus vitae, ejus anima ſurſum ab angelis in caelo deportatur. Poſſumus etiam quod dicitur ſubſtollam te ſuper altitudinem terrae, aliter exponere. Ut dicimus, quod inferiora terrae ſunt damna, & contumeliae, egeſtas, & abiectio, qui ipſi quoque dilectores ſaeculi, dum per latae viae planitiem ambulant, vitando, calcando non ceſſant; altitudines terrae ſunt, lucra rerum, & blandimenta ſubditorum, divitiarum abundantia, honor, & ſublimitas dignitatum. Quae quiſquis per ea adhuc incedit deſideria eo ipſo alta exiſtimat, quo magna putat; at ſi ſemel cor in terra fixerit, ſicut ibi dicitur; & delectaberis ſuper Domino, mox quam abiecta ſunt cernit, quae alta videbantur. Et cibabo te haereditate Jacob patris tui. Jacob qui ſupplantator interpretatur Chriſtum ſignificat, qui dixit Deo patri. Supplantaſti inſurgentes in me. Hujus ergo haereditas eſt aeterna beatitudo qua Deus pater tunc aliquem fidelem cibat, quando in aeterna beatitudine illum reficit.

SERMO.

Ægrotavit Ezechias uſque ad mortem, & introivit ad eum Iſayas filius Amos propheta, & dixit, diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives. Iſte Ezechias, qui rex erat, ſignificat Chriſtum, qui dixit. *Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo*. Qui merito dicitur Ezechias, qui interpretatur imperium Domini. Quoniam dum eſſet in mundo tamquam Dominus quibuſcumque voluit imperavit, & in nullo ſibi reſiſti conſenſit. Vis audire imperium Chriſti. Audi Evangeliſtam dicentem. *Aſcendente Jeſu in navicula. Ecce motus magnus factus eſt in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus, tunc Jeſus imperavit ventis, & mari, & facta eſt tranquillitas magna*. Imperabat Dæmonibus, ut ab obſeſſis corporibus exirent, & exibant. Unde cuidam dixit. *Surde, & mute Spiritus. Ego tibi præcipio exi ab eo, & amplius non introeas in eum; & clamans, & multum diſcerpens exiit ab eo*. Præcepit filio viduae, qui mortuus efferebatur dicens. *Adoleſcens tibi dico ſurge, & reſedit, qui erat mortuus, & cœpit loqui, & reddidit eum matri ſuæ*. Praecepit Lazaro quatriduano dicens. *Lazare veni foras*, & ſtatim prodiit. Praecepit homini habenti manum aridam dicens. *Extende manum tuam*, & extendit. Praecepit paralytico, qui in lectulo portabatur. *Tolle lectum tuum, & vade in domum tuam*, & tulit. Qui ergo quibuſcumque volebat, quaſi Dominus imperabat, merito ſignificatur per Ezechiam qui interpretatur imperium Domini. Iſte Ezechias, ideſt Chriſtus ex tunc aegrotavit, ex quo infirmitatem noſtrae carnis ſuſcepit: Chriſtus namque fuit fortis, & infirmus, fortis per divinitatem, infirmus per carnem. Fortis per hoc quod in principio erat verbum, infirmus per hoc, quod Verbum caro factum eſt. Sed tamen ex ſua infirmitate nata eſt fortitudo noſtra. Quod qualiter fieret, dicitur in Geneſi. *Immiſit Dominus ſoporem in Adam, & tulit unam de coſtis ejus & ædificavit coſtam quam tulerat de Adam in mulierem, & replevit carnem pro ea*. Somnus Adae Chriſti mortem ſignificat. Ex latere dormientis Adae facta eſt Eva, quia ex aqua baptiſmatis, & ſanguine redemptionis exeuntibus de latere Chriſti morientis fabricata eſt Eccleſia; de coſta Adae, quae fortis eſt & dura facta eſt Eva, quia de fortitudine Chriſti ideſt de Divinitate ejus facta eſt Eccleſia. Scriptum quippe eſt. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil*. Pro coſta, de qua Eva facta eſt, ſuſcepit Adam carnem rem quidem fragilem, & infirmam. Quoniam ſicut Chriſtus creavit nos per ſuam divinitatem, ita in ſe ſuſcepit noſtram infirmitatem, & non ſolum infirmitatem, ſed etiam mortem. Unde merito poteſt dici de Chriſto, quod legitur de Ezechia. Ægrotavit uſque ad mortem, & introduxit ad eum Iſayas filius Amos propheta, & dixit. Diſpone domui tuae quia morieris tu, & non vives. Iſayas propheta ſermo divinus eſt, qui merito dicitur propheta, qui futura prædicit, utpote futurum in fine judicium, & alia quaedam. Recte quoque dicitur Iſayas, qui interpretatur Salvator ſive ſalvatus Domini, quia eis, quos a vitiis, & peccatis amovet, & virtutibus replet, aeternam ſalutem annuntiat. Interpretatur etiam ſalvatus Domini, quia quae prædicit Dominus adimplet, & ſic eum ſalvat. Iſayas praedixit Ezechiae ſuam mortem, & ſermo divinus longe ante praedixit mortem Chriſti. Sicut in immolatione Agni, & vaccae rufae, quae nimirum Chriſti mortem ſignificaverunt. Pſalmiſta quoque teſtante qui ait, & Domini exitus mortis, quoniam de mundo ad patrem Chriſtus erat exiturus. Ipſe quoque Chriſtus, qui eſt verbum patris ſuam mortem praedixit, ſuis diſcipulis ait. *Ecce aſcendimus Jeroſolymam, & filius hominis tradetur, ut cruxifigatur*. Sed ante mortem ſuam domui ſuae Chriſtus diſpoſuit, quando ſanctam eccleſiam, quae domus ejus eſt ordinavit. Nam morti ejus appropinquans

Digitized by Google

quans in ipſa caena, quam cum diſcipulis ſuis faciebat qualiter in hoc mundo viverent, & qualiter converſarentur, qualiter adverſa patienter tolerarent, qualiter praedicarent admonuit, & ea quae de ſe, aut advento Spiritus Sancti futura erant, patenter edocuit. Dicitur autem Iſayas filius Amos, qui interpretatur fortis, vel robuſtus, & ſignificat Spiritum Sanctum, qui eos, quos replet in fide, & amore Chriſti, fortes, & firmos facit: hujus filius eſt ſermo divinus, quoniam ſicut filius generatur a patre, ita divinus ſermo in mentes, & linguas doctorum a Spiritu Sancto. Unde Dominus ait. *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus patris veſtri qui loquitur in vobis*, & pſalmiſta. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*. Sequitur. Et convertit Ezechias faciem ſuam ad parietem; per parietem, qui durus eſt, duritia peccati ſignificatur. Nam ſicut paries obſtat, ne homo in aliam partem videat, vel ad aliam partem tranſeat, ita peccatum obſtat nobis; ne Deum videamus, aut ad illum tranſeamus. De quo Dominus Ezechieli praecepit dicens. *Fili hominis fode parietem*. Parietem fodere eſt peccati duritiam ferro pœnitentiae frangere. Nam ſicut poſtquam paries fodiatur in ipſo fit Feneſtra, per quam in aliam videre, vel tranſire poſſimus; ſic poſtquam peccatum per pœnitentiam frangitur fit ibi feneſtra, ideſt oris confeſſio, per quam interiora videre, & ad Deum tranſire valeamus. Ezechias igitur convertens faciem ſuam ad parietem oravit ad Dominum. Et Chriſtus conſiderans iniquitates noſtras multoties pro nobis ad patrem oravit, & praecipue in cruce, quando oravit dicens. *Pater ignoſce illis quia neſciunt quid faciunt*. Unde Iſayas ait; *& pro tranſgreſſoribus oravit ut non perirent*. Verba orationis Ezechiae omnia patenter Chriſto conveniunt. Et flevit Ezechias fletu magno. Et Chriſtus videns Civitatem Jeruſalem flevit ſuper eam. In morte quoque Lazari lacrimatus eſt, & paſſioni appropinquans, ſicut dicit Evangeliſta caepit contriſtari, & mœſtus eſſe. Unde ipſe ait: *triſtis eſt anima mea uſque ad mortem*. Triſtis erat Dominus non pro ſua morte, quam non invitus, ſed ſponte ſuſcepit. Sicut ſcriptum eſt. *Oblatus eſt quia ipſe voluit*, ſed propter noſtra peccata. Tanquam diceret, triſtis eſt anima mea pro morte, & perditione humani generis, & hoc uſque ad mortem, ideſt in tantum, ut pro ejus ſalute morti ſe daret. Quod autem ſequitur. *Ecce adjiciam ſuper dies tuos quindecim annos*, hoc aperte convenit Chriſto. Quindenarius autem numerus conſtat ex Septenario, & octonario. Nam ſeptem, & octo ſimul juncti, quindecim faciunt, per ſeptem praeſens vita deſignatur, per octo vero futura. Unde per Salomonem dicitur. *Da partem ſeptem, nec non & octo*; partem ſeptem dare eſt in hac praeſenti vita, quae per ſeptem volvitur dies bonis operibus vacare. Octo vero partem dare eſt in futura vita pro bonis operibus præmium ſperare. Ezechias igitur quindecim anni vitae additi ſunt, quoniam homini Chriſto in præſenti, & in futura vita vivere conceſſum eſt: ait enim Apoſtolus. *Chriſtus reſurgens ex mortuis, jam non moritur; mors illi ultra non dominabitur*. Sequitur; *hoc autem tibi erit ſignum a Domino, quia faciet Dominus verbum, quod locutus eſt. Ecce ego reverti faciam umbram linearum, per quas deſcenderat in horologio Achaz in ſole retrorſum decem lineis, & reverſus eſt ſol decem lineis per gradus, quos deſcenderat*. Quomodo iſta omnia Chriſto conveniant, videamus; Chriſtus namque dicitur ſol, ſicut per Prophetam dicitur. *Vobis qui timetis Deum orietur ſol juſtitia*; & Salomon. *Oritur, ſol, & occidit ſol, & ad locum ſuum revertitur*. Ortus eſt ſol, quia natus eſt Chriſtus de virgine Maria, & occidit quia mortuus eſt; & ad locum ſuum reverſus eſt, quoniam aſcendendo in Caelum illuc rediit, unde venerat. De hoc ſole dicitur per pſalmiſtam. *Sol cognovit occaſum ſuum*, quia Chriſtus praeſcivit mortem ſuam. Sol tantum reverſus eſt, quantum decem lineis per gradus deſcenderat. Videamus itaque qui ſunt iſti decem gradus horologii, quibus ſol, ideſt Salvator noſter ad noſtrae mortalitatis ima deſcendit, cum ad redimendum genus humanum venit. Primus gradus fuit, cum de Caelo venit in utero Virginis. Secundus cum de utero venit in praeſepe. Tertius cum de praeſepe venit ad circumciſionem. Quartus cum de circumciſione venit ad templum. Quintus cum de Templo venit ad Baptiſmum. Sextus cum de Baptiſmo venit ad crucem. Septimus, cum de cruce venit ad mortem. Octavus cum de morte ad ſepulcrum. Nonus cum de ſepulcro ad infernum. Decimus cum reſurrexit. Sol ergo tantum reverſus eſt, quantum decem lineis per gradus deſcenderat; quia Chriſtus aſcendendo in Caelum illuc rediit, unde ad redemptionem noſtram deſcenderat. Et juſſit Iſayas ut tolleret maſſam de ficubus, ut cataplaſmaret ſuper vulnus ejus ut ſanaretur. Maſſa de ficubus Sacramenta ſignificat eccleſiaſtica. Sicut Baptiſmus, Unctio olei, vel chriſmatis, perceptio Corporis, & Sanguinis Domini, pœnitentia quoque & caetera talia: haec nimirum poſita in corpore Ezechiae ſanatur vulnus. Quoniam oppoſita Corpori Chriſti, quod eſt Eccleſia ſanantur peccatorum vulnera.

Dicit Propheta, imo Dominus per prophetam. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*, ac ſi diceret, propter peccata, & iniquitates veſtras averſi eſtis a me ſed convertimini ad me, per pœnitentiam, & ego convertar ad vos per indulgentiam. Qualiter autem ad illum converti debeamus, ipſe Dominus per alium Prophetam inſinuat; cum ait. *Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, & planctu, & fletu, & ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra*. In toto corde ſuo ad Dominum convertitur, qui de omnibus ſuis peccatis pœnitet, & ideo digne per pœnitentiam ſatisfacit; e contra vero non in toto corde, ſed in dimidio corde ad Deum convertitur, qui ſic de uno peccato pœnitet, ut in alio perduret, cujus pœnitentia fructuoſa non dicitur, quoniam ex ea ſalus aeterna non pervenit, nec acquiritur, ut pote ſi quis duabus laetalibus plagis vulneratus eſſet, & unam plagam curaret, & alteram incuratam relinqueret, illa curata nihil ei conſert ad vitam, quoniam de alia moritur; ſed ſicut eſt converſio in corde, ſatisfactio ita debet eſſe in opere. Ideoque ſubjunctum eſt in jejunio. Jejunium autem duplex eſt. Eſt jejunium corporale, eſt & ſpirituale. Jejunium ſpirituale eſt abſtinere a vitiis. Jejunium corporale eſt abſtinere a cibis. Jejunium vero ſpirituale eſt, ut nunquam mala faciamus, Jejunium corporale eſt, ut uſque ad horam nonam non comedamus. Nam qui ſic jejunat, ut mala, quae poteſt faciat, diabolo ſimilis eſt, qui multum jejunat, quia nihil comedit, ſed tamen mala, quae poteſt facere non ceſſat. Tanto melius eſt jejunium ſpirituale, quam corporale; quanto melior eſt anima, quam corpus. Jejunium corporale ad tempus nobis indicitur, jejunium vero ſpirituale ſemper nobis praecipitur; & tamen nobis corporale eſt radix, & materia, immo fundamentum jejunii ſpiritualis. Sicut e contra ſi caro cibo, & potu, atque diverſis epulis repleta fuerit, facile trahit nos ad culpam; ſi jejuniis, & diverſis afflictionibus macerata fuerit reducit nos ad veniam. Unde per Pſalmiſtam dicitur. *Filia Babilonis miſera, Beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuiſti nobis*: filia Babilonis caro noſtra eſt. Nam Babilon interpretatur confuſio, & quae confuſio eſt animae noſtrae; hujus autem Babilonis ideſt peccati caro noſtra dicitur filia, quoniam in peccato generatur, & in peccato naſcitur. Unde per Pſalmiſtam dicitur. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum &c.* Sed haec Filia Babilonis, ideſt caro noſtra miſericordia eſt a Deo ut fœno comparetur. Unde per Pſalmiſtam dicitur: *omnis cara fœnum*; & iterum *vere fœnum eſt populus*; & pſalmiſta *homo ſicut fœnum dies ejus*: ſed ſi dici liceat ſatis miſerabilior eſt caro noſtra, quam fœnum. Nam fœnum ſucciſum, & a ſua vita ſeparatum non fœtet, ſed aliquam utilitatem in ſe habet, & continet; caro vero noſtra a

ſua

Digitized by Google

ſua vita, ideſt ab anima ſeparata, non ſolum in ſe ullam utilitatem habet, ſed etiam adeo ſœtet, ut pro fœtore illius nullum ad eam velit accedere. Unde mortuo homini paratur ſepultura, ut ulterius non ſolum tangitur, verum etiam non videatur. Huic itaque Filiae Babilonis, quae ſic miſera eſt, ideſt carni noſtrae, beatus qui retribuet ſibi retributionem ſuam. Retributio carnalis talis eſt, quia ſi nos eam bene paſcimus, ſi eam bene cuſtodimus, ſi ad voluntatem ſuam ſibi ſervimus, illa interimit nos, & occidit animam noſtram, & auſert nobis caeleſte regnum. Nos igitur ſi beati eſſe volumus retributionem ſuam retribuamus ei, & illam affligamus, ut illam jejuniis, & aliis oneribus maceremus. Sed quoniam caro noſtra eſt jumentum noſtrum, & ad ferenda onera neceſſarium, oportet quod paſcamus eam, ne in via hujus ſaeculi nobis deficiat, & hoc faciamus non ad voluntatem ſed ad ſuam neceſſitatem, ut naturam conſervemus, & ſuperbiam carnis interficiamus. Debemus etiam converti ad Dominum in fletu, & planctu, ut peccata noſtra plangamus. Unde Dominus ait. *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur*, & non ſolum noſtra, ſed etiam aliorum debemus flere peccata. Mærentium namque Deus conſolator eſt, illorum maxime lacrymas intuetur, qui aliorum deflent peccata; ſequitur: Et ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra. In ſciſſura veſtimenti, aut ligni, vel alicujus rei, quod intus latebat apparet, ſic in confeſſione peccati occulta noſtra manifeſtantur, ſed a nobis manifeſtata a Deo occultantur. Quoniam poenitentia quoddam tegumentum eſt peccatorum noſtrorum, ut in extremo examine peccata noſtra non appareant. Beati quorum remiſſae ſunt iniquitates in baptiſmate, & quorum tecta ſunt peccata in pœnitentia. Quia igitur Fratres chariſſimi advenerunt nobis dies pœnitentiæ, dignum, & congruum eſt, ut qui toto tempore nobis viximus hoc ſaltem tempore Deo vivamus, & qui per totius anni circulum peccare non ceſſavimus: bis ſaltem diebus de peccatis pœniteamus. Quoniam pœnitentia eſt nobis tanquam ſecunda tabula poſt naufragium. Nam ſi quis in mari eſt poſitus, & in bona navi collocatus ſecurus manet, ſed orta tempeſtate ſi navis fracta fuerit mortis periculum imminet. Sed ſi forte aliquam tabulam cœperit, & illam firmiter tenuerit per illam a mortis periculo liberatur. Sic nos dum ſumus in mari hujus ſaeculi, & in bona navi, hoc eſt in bona vita ſecuri ſumus, ſed ſi navis noſtra, ideſt bona vita pro aliquo crimine fuerit fracta timendum eſt de periculo animæ noſtrae. Unde recurramus ad tabulam, ideſt ad pœnitentiam, & eam firmiter teneamus. Ipſa enim proculdubio liberabit à morte & perducet nos ad portum ſalutis, & ad vitam aeternam. Ad quam nos.

S E R M O.

Ductus eſt Jeſus in deſertum a ſpiritu ut tentaretur a Diabolo.

Tria proponit nobis ſcriptura divina, Ægyptum, Deſertum, & Jeruſalem. Jubet namque ut de Ægypto exeamus, & per deſertum tranſeamus, ut tandem ad Jeruſalem perveniamus. Ægytus, qui maeror interpretatur, ſive tenebrae mundum iſtum ſignificat, in quo ſancti triplicem maerorem habent; dolent enim de peccatis ſuis, de miſeria hujus mundi, & de dilatione ſupernae patriae. De primo maerore ſcriptum eſt. *Beati qui lugent &c.* De ſecundo a Propheta dicitur. *O vos omnes qui tranſitis per viam attendite, & videte ſi eſt dolor ſimilis ſicut dolor meus.* Via praeſens vita eſt. De qua Dominus ait. *Concorda cum adverſario tuo dum es cum eo in via:* hanc viam naſcendo intramus, vivendo perambulamus, moriendo finimus. Per hanc ergo viam tranſit, qui in hac vita pedem amoris nullatenus figit. Sancti ergo de hoc mundo fugientes, & ad caeleſtem patriam tota mentis, & intentione tendentes in hac via non ſtare, ſed per hanc viam tranſire dicuntur. Iſtis itaque dicitur. Attendite, & videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus, quia cum ſecularibus viris mundus iſte floridus, & beatus videtur; illis tamen miſer, & multis doloribus plenus apparet. De tertio autem maerore pſalmiſta dicit: *heu me quia incolatus meus prolongatus eſt*, interpretatur etiam Ægyptus tenebrae, & ideo ſignificat merito mundum iſtum, cujus amatores in tenebris peccatorum commorantur. Sicut per Joannem dicitur. Qui odit fratrem ſuum in tenebris ambulat, & neſcit quo eat, aut quo vadat, quoniam tenebrae obcæcaverunt oculos ejus. De hac itaque Ægypto, ideſt de mundo hoc ſcriptura divina nos exire jubet cum dicitur. *Nolite diligere mundum, qui enim diligit mundum non eſt caritas Dei in eo.* Sed de Ægypto exeuntes ad deſertum, ideſt ad clauſtrum religionis ire debemus, quod merito deſertum dicitur. In deſertum namque non eſt habitatio hominum, & in Clauſtro non videntur homines habitare, quoniam ſilentium ibi tenetur, quando nemo ibi auditur, quia nemo ibi loquitur. In deſertum ſicut dicit Evangeliſta: *ductus eſt Jeſus in deſertum a Spiritu Dei*; & in deſertum, ideſt in clauſtro religionis ducuntur quidam a Spiritu Dei, quidam a Spiritu Diaboli, quidam vero hominis. Spiritu dei ducitur, qui ſola intentione ſerviendi Deo, atque ſolo intuitu divinae pietatis ad converſionem accedit. Spiritu Diaboli ducitur ille cui Diabolus ſuggerit, ut ad converſionem veniat, & poſtmodum graviter delinquat, ut per ipſam converſionem gravius damnetur, quoniam quanto gradu altior, tanto caſu gravior. Unde per Prophetam dicitur. *Vovete, & reddite Domino*, hoc eſt ſi voviſtis reddite: quoniam melius non vovere, quam poſt votum promiſſa non facere, vel tenere, & ideo Pſalmiſta ait. *Vota mea reddam tibi, quæ diſtinxerunt labia mea*: ſpiritu vero hominis ducuntur, qui non caritate, ſed ſola mundi neceſſitate ad converſionem veniunt. Qui cum non habeant quod comedant, quod bibant, quibus veſtimentis induantur, eligunt magis in monaſterio ſuam ſubſtentare vitam, quam in ſaeculo inopia conſumi; & ſicut Chriſtus in deſerto eſt tentatus a Diabolo, ita ejus membra ideſt ſui fideles accedentes ad ſervitium Dei multas tentationes Diaboli patiuntur; unde per Salomonem dicitur. *Fili accede ad ſervitutem Dei, ſta in patientia, & juſtitia, & præpara animam tuam ad tentationem.* Vos itaque Fratres mei, qui divino cultui mancipati eſtis, qui Dei ſervitio quotidie vacatis, qui vere Iſraelitae eſtis, hoc eſt viri videntes Deum appellamini, perſeverate in bono, quem coepiſtis, & nolite retro reſpicere, quia nemo mittens manum in aratro, & reſpiciens retro aptus eſt regno Dei. Legimus de Filiis Iſrael, quod cum eſſent in deſerto, & cibarentur a Deo cibo ſuaviſſimo hoc eſt manna, cœperunt appetere allea & cepas, atque porros Ægypti, quae omnia acria ſunt, & prae nimia agredine guſtata lacrymas emittere cogunt. Sic nimirum multi in clauſtro commorantes cum habeant ſuavitatem quietis appetunt allea Ægypti, ideſt labores hujus ſaeculi, quoniam multis labor eſt quies, & quies labor eſſe videtur. Sed timendum eſt, quia Deus majori patientia eſt viſus in Pharaone, & Ægyptiis, quam in Filiis Iſrael. Nam cum Pharao, & Ægyptii populum Dei comprimerent non ſtatim a Deo ſunt puniti, ſed cum multa dilatione ab eo ſunt inquiſiti, dicente Domino ad Moyſen. *Dic Pharaoni, ut dimittat populum meum.* De Iſraelitis vero quid legitur. *Adhuc eſca eorum eſt in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos.* Sic nimirum ſi clauſtrales viri peccaverint gravius accipit Deus, & durius punit, quam ſi ſeculares offendant. Et ideo Fratres ſicut diximus perſeverate in bono quod cœpiſtis, & ſtudete in deſerto hujus clauſtri ita bene vivere, ut per bonam vitam, & ſanctam converſationem veſtram ad Jeruſalem caeleſtem valeatis pervenire. Ipſo auxiliante.

SER-

Digitized by Google

SERMO.

Venerunt duæ mulieres meretrices ad regem Salomonem, & ſteterunt coram eo, quarum una dixit. Obſecro mi Domine, ego, & mulier hæc habitabamus in domo una, & peperi apud eam in cubiculo. Frequenter magiſtri, & praelati eccleſiarum mulieres vocantur, non propter mollitiem, ſed propter foecunditatem, quia filios Deo parere non ceſſant. Qualis erat Apoſtolus, qui dicebat. *Filioli mei quos iterum parturio, donec Chriſtus formetur in vobis*, & per Iſayam Dominus loquitur dicens. *Numquid per alios parere facio, ipſe non pariam.* Ubi notandum eſt, quod dum non alias, ſed alios parere facere dicit, virorum potius, ac paſtorum Eccleſiae foetus expectat. Malus autem paſtor cum eodem Propheta poteſt lugendo cantare. *Non parturivi, & non peperi, & non enutrivi iuvenes, nec ad incrementum duxi virgines.* Quod autem Dominus per mulierem praelatos Eccleſiarum, & apoſtolos voluiſſet intelligere, ipſe in Evangelio oſtendit cum ait: *Mulier cum parit, triſtitiam habet, quia venit hora eius, cum autem pepererit puerum, jam non meminit preſſuræ propter gaudium.* Et ideo continuo ſubjunctum eſt ad apoſtolos dicens: *Et vos quidem nunc triſtitiam habetis, iterum veniam ad vos & gaudebit cor veſtrum.* Et quoniam praelati Eccleſiarum mulieres, ſicut diximus, vocantur, idcirco per has duas mulieres meretrices, duo genera praelatorum intelliguntur, quorum unus recte quidem in Eccleſia intrat, ſed reprehenſibiliter vivit. Alter quidem, nec recte intrat, nec recte vivit, & ideo mulieres iſtae non legitimae, ſed meretrices vocantur, quia tales prælati utrique a Deo reprobantur. Unus per malam vitam, alter per malum introitum, & malam vitam. Quod peccatis exigentibus noſtris hodie in Eccleſia Dei factum cernimus, quando duos Epiſcopos in uno Epiſcopatu videmus. Nam quod unus ſuper alterum venit, imo intruſus eſt, & quod ad eum Eccleſia non pertinet, videntur teſtari verba mulieris meretricis, quae ait. Ego, & mulier haec habitabamus in domo una, quia uterque Epiſcopus in eadem Eccleſia ſunt. Sed cum ſubjunxit; & peperi apud eam in cubiculo, oſtendit, quia domus illius erat apud quam pariebat, & illa ad alium devenerat. Quod autem addidit. *Tertia vero die poſtquam ego peperi, peperit & hæc*; oſtendit quia primus praelatus ſicut rectè intravit, ita rectè docet, quia tertia die parit. Primus namque dies eſt nomen Patris; ſecundus nomen Filii, tertius nomen Spiritus Sancti. Tertia ergo die parit, quia in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti baptizat, & lacte verbi Dei alere non ceſſat, ſed dormiens opprimit, quia nimirum Magiſtri, & praelati Eccleſiarum quidem ſcientia, ſed vita dormientes, auditores ſuos quos per vigilias prædicationis nutriunt, dum quod dicunt facere negligunt, per ſomnum torporis occidunt, & negligendo opprimunt, quos alere lacte videbantur. Unde dum plerumque ipſi reprehenſibiliter vivunt, & habere diſcipulos vitae laudabilis nequeunt, alienos ſibi attrahere conantur, quatenus dum bonos ſe habere ſequaces oſtendunt, apud judicia hominum excuſent mala, quae agunt, & quaſi per ſubditorum mortiferam vitam regant negligentiam. Unde illic dicitur, quod mulier quae filium extinxit proprium, quaeſivit alienum; ſed tamen veram matrem Salomonis gladius invenit, quia videlicet cujus fructus vivat, vel cujus intereat extremo examine ira diſtricti Judicis demonſtrat. Ubi & illud eſt ſolerter intuendum, quia filius vivens proprius dividi præcipitur, ut ſoli poſtmodum matri reddatur, quia in hac vita diſcipuli dum ex illa nonnumquam alter apud Deum meritum, alteri vero apud homines laudes habere permittuntur. Sed falſa mater eum quem non genuit occidi non metuit, quia arrogantes magiſtri, & caritatis ignari, ſi pleniſſimum nomen laudis ex alienis diſcipulis conſequi nequeunt, eorum vitam crudeliter inſequuntur; Invidiae etenim face ſuccenſi, nolunt aliis vivere quos ſe conſpiciunt non poſſe poſſidere: Unde & illic perverſa mulier clamat, nec meus ſit, nec iſtius. Ut enim diximus quos ſibi obſequi non videtur ad gloriam temporalem, eos aliis invident vivere per veritatem. Vera autem mater ſatagit, ut ejus filius ſaltem apud extraneam ſit, & vivat; quia concedunt veraces magiſtri, ut laudem habeant, ſi tamen integritatem vitae iidem diſcipuli non amittant; & per pietatis viſcera haec eadem vera mater agnoſcitur, quia omne magiſterium in examine caritatis approbatur; & ſola totum recipere meruit, quoniam quaſi totum conceſſit, quia fideles præpoſiti pro eo, quod ex bonis diſcipulis ſuis non ſolum laudem aliis non invident, ſed utilitatem eis, & profectus exorant, ipſi integros, & viventes filios recipiunt, quando in ſupremo examine ex eorum vita perfecta retributionis gaudia conſequuntur. Ad quae.

SERMO.

Eliſæus ægrotabat in infirmitate, qua & mortuus eſt. Deſcenditque ad eum Joas rex Iſrael, & flebat coram eo. Dicebatque pater mi, pater mi, currus Iſrael, & auriga eius. Eliſæus, qui interpretatur ſalus Domini Chriſtum ſignificare videtur, qui nobis a Domino tanquam vera ſalus miſſus eſt. Unde & Jeſus vocatus eſt, qui ſalvator interpretatur. Ipſe enim ſicut per Angelum dictum eſt, ſalvum faciet populum ſuum a peccatis eorum. De hac ſalute dicitur per Prophetam. *Domini eſt ſalus*, & iterum. *Salus populi ego ſum.* Iſte Æliſeus ideſt Chriſtus ex tunc aegrotavit, ex quo infirmitatem noſtrae carnis ſuſcepit. Nam cum prius eſſet impaſſibilis, per noſtram humanitatem factus eſt paſſibilis, & cum eſſet immortalis, factus eſt mortalis, & cum eſſet fortis factus eſt infirmus, ita ut eſuriret, ſitiret, & ex itinere fatigaretur. Unde merito ibi dicitur. Ægrotabat Eliſæus in infirmitate, qua & mortuus eſt, quia per humanitatem Chriſtus paſſus eſt, & mortuus. Divinitas enim illaeſa permanſit, & impaſſibilis; Et quoniam Chriſtus ante mortem ſuam diſcipulos elegit, quibus ſuae praedicationis documenta inſinuavit, idcirco merito ſequitur. Deſcenditque ad eum Joas rex Iſrael, & flebat coram eo. Joas qui interpretatur Spiritus Domini coetum ſignificat Apoſtolorum, qui Domini robur, ideſt Chriſti fortitudinem, hoc eſt ejus divinitatem ſpirabant, & ad eam pervenire deſiderabant, ſicut faciebat Apoſtolus Paulus, qui dicebat: *Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.* Iſte Joas rex erat Iſrael, & Apoſtoli reges fuerunt, & principes totius chriſtiani populi. De quibus per Pſalmiſtam dicitur. *Principes populorum congregati ſunt cum Deo Abraham.* Sicut ergo Joas flebat pro morte Eliſaei, ſic & Apoſtoli de morte Chriſti contriſtati fuerunt. Unde per Prophetam dicitur. *Ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.* Quoniam ſicut Apoſtoli de morte Chriſti, quae quaſi ad veſperum fuit ſunt contriſtati, ſic & de reſurrectione, quae mane facta eſt ſunt laetificati. Sequitur. Et ait Eliſaeus: affer arcum, & ſagittas. Arcus Sacra Scriptura eſt. Sicut enim arcus conſtat ex oſſibus, & corda, ſic & divina Scriptura ex veteri, & novo teſtamento conſiſtit, & ſicut cum corda trahitur cornu curvatur, ſic cum novum teſtamentum diſcutitur, vetus a rigore ſuo ad intellectum ſpirituale flectitur. De hoc arcu dicitur per Pſalmiſtam. *Arcum ſuum tetendit, & paravit illum.* Sagittae verba ſunt. Unde dicitur: *Sagittæ tuæ acutæ cum carbonibus deſolatoriis.* Eliſaeus dixit regi, ut afferret arcum & ſagittas, & Chriſtus præcepit Apoſtolis ſuis, ut ſecum ſemper ferrent divina eloquia, & ſagittas ſuae prædicationis dicens eis. *Ite per univerſum mundum prædicate Evangelium omni creaturæ.* Et quoniam bonam praedicationem pia vita ſequi debet, ut ſicut bene loquitur ita bene vivat, & recta opera recte ſequantur verba; ideo ſubjunctum aſt. Dixit Eliſaeus ad regem

Digitized by Google

regem Iſrael, pone manum tuam ſuper arcum, quia ſicut per arcum divina eloquia intelliguntur, ſic & per manum bona ſignificantur opera. Verum quia noſtra bona opera ſine divino auxilio eſſe non poſſunt; ſicut Dominus ait, *ſine me nihil poteſtis facere*; ideo ſecutum eſt. Et cum poſuiſſet ille manum ſuam, ſuperpoſuit Eliſaeus manum ſuam manibus regis, quia opera Apoſtolorum ſemper cum auxilio Chriſti erant. Imo ipſe ſemper cum eis, & in eis loquebatur, & operabatur. Et quoniam non ſufficit divinam ſcripturam prae manibus habere, & in ea die, & nocte legere, niſi ipſam intelligamus; ideo merito Eliſaeus ait: Aperi orientalem feneſtram, feneſtra orientalis intelligentia eſt. Sicut enim per feneſtram lumen venit intus in domum, ſic & per intelligentiam lumen ſcientiae venit in cor hominis, & hoc ab oriente, ideſt a Chriſto, de quo ſcriptum eſt. Viſitavit nos oriens ex alto, & iterum. Ecce vir oriens nomen ejus. Dicit ergo Eliſaeus regi: Aperi feneſtram orientalem; & Chriſtus dicit Apoſtolis: Intelligite, quae dico, quod fecerunt, quando poſt reſurrectionem ſuam aperuit illis ſenſum ut intelligerent ſcripturas, unde & ante reſurrectionem illos reprehendebat dicens: adhuc & vos ſine intellectu eſtis. Et quoniam poſt intellectum ſacrae ſcripturae verborum ſagittas ad aliorum aedificationem Apoſtoli miſerunt, quando fidem Dei per univerſum mundum praedicaverunt. Recte ſubjunctum eſt: Cumque aperuiſſet dixit Eliſaeus: Jace ſagittam, & jecit; & quia per Apoſtolorum praedicationem multi tam ſpiritualiter, quam corporaliter ſanati ſunt, vel ſalvati ſunt, merito ait Eliſaeus: Sagitta ſalutis Domini, ſagitta ſalutis. Bis poſuit ſagitta ſalutis, quia de praedicatione Apoſtolorum gemina ſalus pervenit, corporis, videlicet, & animae. Sed haec ſagitta fuit contra Syriam, quae ſublimis interpretatur, quia praedicatio Apoſtolorum praecipue fuit contra altitudinem ſuperbiae ſaecularis, docens homines humiliari propter Deum. Sicut faciebat Petrus, qui dicebat: *Humiliamini ſub potenti manu Dei*. Et quoniam praedicatio Apoſtolorum fuit in defectum vitiorum, & augmentum virtutum; ideo ſubjunctum eſt: percutieſque Syriam in Afet, qui interpretatur continebit, vel apprehendet, ideſt in continendo, vel apprehendendo. Sic enim praedicatio Apoſtolorum percuſſit Syriam, ideſt ſublimes, & ſuperbos hujus ſaeculi, ut diſcant ſe a vitiis continere, & virtutes apprehendere. Sicut ſcriptum eſt: *Declina a malo & fac bonum*; & iterum: *Quieſcite agere perverſe, & diſcite bene facere*. Sequitur, & ait: Sagittas tolle. Quid intelligis ſi rurſum dixit ei: percutite jaculo terram, quod idem videtur ſignificare quod prius dictum fuerat. Nam quod prius dixit percutieſque Syriam in Afet; hoc videtur repetere cum ait: percute jaculo terram, quoniam jaculo verbi Dei, terram, ideſt terrenorum corda percutere debemus. Et cum percuſſiſſet tribus vicibus, & ſtetiſſet, iratus eſt contra eum vir Dei, & ait: Si percuſſiſſes quinquies, aut ſepties, percuſſiſſes Syriam uſque ad conſummationem. Tertio percutere terram eſt terrenorum cordibus fidem ſanctae Trinitatis inſinuare. Quinquies percutere eſt, quinque ſenſus corporis ſubjugare. Sexies percutere eſt bonis operibus, quae per ſenarium numerum ſignificantur inſudare. Septies percutere eſt, ſpiritualem intelligentiam, quae in ſeptem donis Spiritus Sancti continetur habere. Quicumque ergo his praedictis modis Syriam, ideſt ſuperbiam ſuam, vel aliorum percutit, eam uſque ad conſummationem interimit. Quia tribus ſolummodo vicibus percuſſit; iratus eſt contra eum vir Dei: & quicumque ſola fide ſanctae Trinitatis contentus eſt, iraſcitur contra eum Chriſtus. Dicente Jacobo *Fides ſine operibus mortua eſt*. Mortuus eſt Eliſaeus, & ſepelierunt eum. Latrunculi, qui de Moab venerunt in ipſo anno in terram. Latrunculi immundi ſunt ſpiritus, eo quod latenter malas cogitationes, & illicita deſideria nobis quotidie ſuggerunt. Iſti veniunt de Moab, qui interpretatur ex patre hoc eſt ex patre diabolo. Qui autem ſepelientes hominem viderunt latrunculos, & projecerunt cadaver in ſepulcro Eliſaei. Quod dum tetigiſſet oſſa Eliſaei revixit homo, & ſtetit ſuper pedes ſuos. Iſti qui ſepelierunt hominem ſancti praedicatores & Eccleſiae praelati ſunt. Qui hominem mortuum in ſepulcro ponunt, quando peccatorem ad poenitentiam reducunt. Sepulcrum namque locus eſt mortuorum, & poenitentia refugium eſt peccatorum. Illi ergo qui hominem ſepeliebant, timentes latrunculos projecerunt cadaver in ſepulcro Eliſaei quia ſancti praedicatores, qui cadaver volunt ſepelire, ideſt aliquem peccatorem ad poenitentiam revocare, ipſum cadaver projiciunt in ſepulcro Eliſaei, ideſt in poenitentia Chriſti. Poenitentia namque triplex eſt, eſt namque poenitentia Dei, & eſt poenitentia diaboli, & eſt poenitentia mundi, ſive hominis. Poenitentia Dei eſt quando aliquis tantummodo ideo poenitet, quia Deum offendit. Poenitentia diaboli eſt quando aliquis ideo poenitet, quia cum malum potuit, non fecit. Poenitentia vero mundi, ſive hominis eſt quando aliquis de peccato poenitet, non ideo quia Deum offendit, ſed quia ex eo grave ſupplicium pertulit. Illi itaque, qui hominem ſepeliebant cadaver in ſepulcro Eliſaei projecerunt, quia ſancti praedicatores, ſicut diximus aliquem peccatorem ad poenitentiam Chriſti revocant. Quod tangens oſſa Eliſaei revixit, quia ex quo vere aliquis poenitens ſuſcipiens in ſe virtutes Chriſti juſtificatur.

S E R M O.

Ægrotavit filius mulieris matris familiae, & erat languor fortiſſimus, ita ut non remaneret in eo alitus. Dixit ergo ad Eliam quid mihi, & tibi vir Dei. Ingreſſus es ad me, ut rememorarentur iniquitates meae, & interficeres filium meum? Mulier iſta Fratres chariſſimi Sinagoga eſt, quae merito dicitur mater familiae ideſt totius Judaicae plebis. Erat etiam vidua, & Sinagoga vidua dici potuit, quia vir ejus Moyſes videlicet mortuus erat. Ad iſtam viduam venit Elias, qui interpretatur Deus meus. Ad Sinagogam venit Chriſtus Deus noſter. Sicut ipſe ait. *Non ſum miſſus, niſi ad oves, quae perierunt, domus Iſrael:* filius hujus mulieris carnalis populus Synagogae fuit; veniente Elia ad viduam filius ejus coepit aegrotare quia veniente Chriſto ad Sinagogam judaicus populus coepit aegrotare febre videlicet infidelitatis: Unde ipſe ait. *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eum eis peccatum non haberent*. Sequitur. *Dixitque ad eam Elias. Da mihi filium tuum; tulitque eum de ſinu illius, & portavit in coenaculum, ubi ipſe manebat, & poſuit in lectum ſuum*. Sinus mulieris mollis eſt, & tener. Elias ergo tulit filium viduae de ſinu illius, & Chriſtus abſtulit populum Judaicum, illum videlicet, qui in eum credidit de molli, & carnali delectatione, vel converſatione, & portavit in caenaculum, ideſt ad ſpiritualem reduxit intellectum ubi ipſe manebat, quoniam in ſpirituali intellectu manet Chriſtus; & poſtea poſuit ſuper lectum ſuum. Lectus in quo Elias quieſcebat, virtutes ſunt, in quibus, & de quibus Chriſtus delectatur, ad quas Judaicum populum Dominus duxit, quando illarum amorem ei infudit. Sive per lectum requies poteſt notari aeterna, in quam poſt mortem Chriſtus electos ſuos collocat. Sequitur. *Et expandit ſe, atque dimenſus eſt ſuper puerum tribus vicibus*; Trina expanſio inſinuatio eſt fidei ſanctae Trinitatis. Tunc quippe Elias ſuper puerum tribus vicibus ſe expandit, quoniam Chriſtus judaico populo fidem Sanctae trinitatis praedicavit. Et ſicut Elias pro puero oravit, ut reviviſceret dicens. *Domine Deus meus revertatur oro anima pueri in viſcera ejus*, ſic & Chriſtus populo Judaico oravit, ut a morte infidelitatis reſuſcitarentur, ut ad vitam fidei revocarentur dicens. *Pater gratias*

ago

Digitized by Google

ego tibi quoniam audiſti me; ego autem ſciebam, quia ſemper me audis. Sed propter populum, qui circumſtat dixit ut credant, quia tu me miſiſti. Sicut & pro oratione Chriſti quam fecit dicens. *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quod faciunt*, ſalvatus eſt judaicus populus. Unde in actibus Apoſtolorum legitur. *Quia praedicante Petro crediderunt una die tria millia & altera die quinque millia*. Locutus eſt Dominus ad Moyſen dicens: *loquere filiis Iſdrael, & dices ad eos. Mulier ſi ſuſcepto ſemine peperit maſculum, immunda erit ſeptem diebus juxta dies ſeparationis menſtruae, & die octava circumcidetur infantulus, ipſa triginta tribus diebus manebit in ſanguine purificationis ſuae. Omne ſanctum non tanget, nec ingredietur Sanctuarium, donec impleantur dies purificationis ejus*. Mulier iſta anima noſtra eſt, quae ſuſcepto ſemine verbi Dei maſculum parit, ideſt virtutes, & bona opera. Si autem ſuſcepit ſemen diabolicae ſuggeſtionis parit foeminam, ideſt vitia, & peccata: quod autem per maſculos virtutes, & per faeminas vitia intelligantur, oſtenditur in Exodo ubi legitur; quod Pharao de filiis Ebreorum praecepit duabus obſtetricibus eorum, quarum una Thua, & altera Sephora vocabatur, ut maſculos occiderent, & foeminas ſervarent. Sed obſtetrices timentes Deum, maſculos reſervabant. Pharao rex Egypti diabolum ſignificat, qui eſt Princeps hujus mundi. De quo Dominus ait. Venit enim Princeps mundi hujus, & in me non habet quidquam: & iterum, nunc princeps hujus mundi eicietur foras. Iſte ergo Pharao, ideſt diabolus maſculos Hebraeoram, ideſt virtutes ſanctorum ſemper vult, ut moriantur, & faeminae, ideſt vitia, & peccata vivant. Duae obſtetrices ſunt duae Doctrinae, quarum una eſt moralis, & altera ſpiritualis. Moralis eſt, quae mores bonos docet, ut eſt, non occides, non moechaberis, non furtum facies &c. Et haec ſignificatur per Thua, quae rubea, vel verecunda interpretatur. Quoniam moralis doctrina hominem de perpetratione peccati erubeſcere facit, & verecundari. Altera ſicut diximus vocatur ſpiritualis, quae litteram veteris legis ad ſpiritualem intellectum fideliter convertit. Et haec ſignificatur per Sephora, quae interpretatur paſſer, quia in altum volat. Quoniam ſpiritualis doctrina mentem hominis ad altitudinem ſpiritualis intellectus volare facit. Sicut ergo illae duae obſtetrices maſculos reſervabant, ſic & iſtae duae doctrinae virtutes conſervant, & in mentibus fidelium vivere faciunt. Mulier itaque, ideſt anima noſtra, & ſi maſculum pariat, ideſt virtutes, & bona opera de ſe emittat, immunda tamen erit ſeptem diebus, ideſt toto tempore hujus vitae, quae per ſeptem dies volvitur peccatricem ſe reputabit, ſicut faciebat Joannes Evangeliſta qui dicebat. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*; & Jacobus Apoſtolus. *In multis offendimus omnes*: & David, *Si iniquitates obſervaveris Domine, Domine quis ſuſtinebit. Non enim juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens*; & Salomon. *Quis poteſt dicere mundum eſt cor meum a peccato*. Et ideo bene dicitur ibi. *Juxta dies ſeparationis menſtruae*. Menſtrua eſt ſanguinis emiſſio. Sanguinis emiſſio eſt peccati perpetratio; peccatum enim per ſanguinem ſignificatur. Sicut per Ezechielem dicitur. *Si non annuntiaveris iniquo iniquitatem ſuam, ſanguinem*, ideſt peccatum ejus *de manu tua requiram*. Et Propheta *Libera me de ſanguinibus*, ideſt de peccatis. Menſtrua ergo diem habet ſeparationis, quia peccati perpetratio hominem a Deo ſeparat. Octavo autem die circumcidetur infantulus. Octavus dies, qui ſequitur ſeptimum futuram vitam ſignificat, quae ſequitur hanc praeſentem. In circumciſione amputatur caro, & in futura vita, quae per ſeptimum ſignificatur diem auferetur a nobis omnis carnalis operatio. Non enim operabitur homo ut comedat, aut bibat, quia non eſurient amplius, neque ſitient, neque cadet ſuper illos ſol, aut ullus æſtus. Tunc etiam homines neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli in Caelo. Quoniam corruptibile noſtrum induet incorruptionem, & mortale induet immortalitatem. Unde ſcriptum eſt. *Abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis ſanctorum, & jam non erit amplius neque luctus, neque clamor*. Sequitur. Ipſa vero triginta tribus diebus manebit in ſanguine purificationis ſuae. Si ſeptem praemiſſi dies quibus mulier immunda eſſe videbatur, triginta tres addantur profecto quadraginta fiunt, & idem per quadraginta dies ſignificatur, quod ſignificabatur per ſeptem. Nam ſicut per ſeptem dies praeſens vita deſignatur, ſic & per quadraginta. Quod autem per quadragenarium numerum praeſens vita deſignetur, hic apparet. Quia quadragenarius numerus conſtat ex quaternario, & denario. Quatuor ſunt tempora anni per quae omnis vitae hujus ſtatus volvitur, ideſt Æſtas, & Hiems, Ver, & Autumnus. Ipſe quoque denarius a quaternario naſcitur, & in quaternario continetur. Nam cum dico unum, & duo tres fiunt, & cum dico tres ſex fiunt; cumque dico quatuor decem fiunt: & quia denarius naſcitur a quaternario, & ipſe denarius quater ductus ſurgit in quadragenarium, idcirco quadragenarius mentis pulcre ſignificat hoc præſens ſeculum, & hanc praeſentem vitam: hinc eſt quod Filii Iſdrael quadraginta annis ambulaverunt per deſertum, finitis quadraginta annis in terram intraverunt repromiſſionis; per quadraginta annos intelligitur omnis ſtatus vitae praeſentis, finitis quadraginta annis, ideſt finito ſtatu vitae praeſentis, Filii Iſdrael, ideſt viri videntes Deum intrabunt in terram repromiſſionis, hoc eſt in terram regni caeleſtis. Hinc eſt quod Jonas ait. *Adhuc, & quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur*. Quod tunc non legitur hiſtorialiter factum, implebitur tamen ſpiritualiter: per Niniven mundus iſte intelligitur, per quadraginta dies omnis ſtatus vitae praeſentis: finitis ergo quadraginta diebus, ideſt finito ſtatu praeſentis vitae ſubvertetur Ninive, ideſt mundus iſte deſtruetur. Sequitur. *Omne ſanctum non tanget, nec ingredietur ſanctuarium, donec impleatur dies purificationis ejus*. Omne ſanctum Chriſtus eſt, in quo, & per quem omnis ſanctitas eſt, & a quo omnis ſanctitas procedit, & ad quem omnis ſanctitas refertur. De hoc Sancto per Danielem dicitur. *Cum venerit Sanctus Sanctorum ceſſabit unctio veſtra*. In his ergo quadraginta diebus anima noſtra, hoc eſt ſanctum non tanget. Quoniam Chriſtum perfecte videre; aut cognoſcere non poteſt. Unde Apoſtolus ait. *Video nunc per Speculum, & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*. Nunc cognoſco ex parte, ſicut autem cognitus ſum, tunc autem cognoſcam. Nec ingreditur Sanctuarium aeternae beatitudinis, donec impleatur numerus dies purgationis ejus. Sicut per ſanguinem peccatum ſignificat, ſic & per purificationem ejus poenitentia intelligitur. Dies purgationis, dies ſunt hujus vitae, in quibus anima, ſive per Baptiſmum, ſive per poenitentiam, aut aliis modis, ſe a ſanguine, ideſt a peccato purgat. Quibus completis, & ſanctum tangit, quia Chriſtum perfecte videre, & ſanctuarium aeternae beatitudinis intrare merebitur. Unde per Pſalmiſtam dicitur. *Cum dederit dilectis ſuis ſomnum, hac eſt hæreditas Domini*. Sequitur. Si autem faeminam peperit, immunda erit duabus Hebdomadibus, & ſexaginta & ſex diebus in purificationis ſuae ſanguine. Duae Hebdomadae duae ſunt vitae, praeſens videlicet, & futura. In quibus mulier, quae faeminam parit, ideſt anima, quae vitia, & peccata de ſe profert immunda manet. In prima quidem eſt immunda propter culpam; in ſecunda propter poenam: in prima quia facit malum, in ſecunda quia patitur. Sequitur, & ſexaginta & ſex diebus manebit in ſanguine ſuae purificationis. Si duae Hebdomadae quae praemiſſae ſunt, ideſt quatuordecim dies, ſexaginta & ſex diebus addantur, octoginta fiunt. Octogenarius numerus conſtat ex duplici quadragenario; nam bis quadraginta octoginta faciunt. Sicut ſupra diximus, quod idem ſignificabatur per quadragenarium numerum,

quod per ſeptem dies, ideſt unam Hebdomadam, ſic & hic idem ſignificat, per duplicem quadrageſimarium, ideſt octoginta, quod per duas Hebdomadas. Quod autem ſequitur de oblatione agni, turturis, vel columbae in homilia ſupra expoſitum eſt, hoc autem inexpoſitum remanſit. Quare aves illae, ſive agnus videbantur deferri ad oſtium tabernaculi teſtimonii, & tradi Sacerdoti, qui pro ea oraturus erat. Tabernaculum noſtrum corpus eſt, in quo anima ad tempus habitat, contra diabolum & ejus ſatellites pugnatura. De hoc tabernaculo dicit Petrus Apoſtolus. *Velox eſt depoſitio tabernaculi:* & non ſolum tabernaculum, ſed etiam tabernaculum teſtimonii nuncupatur. Quia corporalis actio teſtimonium eſt voluptatis animae: hujus autem tabernaculi oſtium, os eſt, de quo per Pſalmiſtam dicitur. *Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ in labiis meis*. Nam ſicut oſtium quando clauditur quandoque aperitur, ſic & os noſtrum clauditur dum homo tacet, aperitur dum loquitur. Mulier itaque turturem, vel columbam ad oſtium tabernaculi teſtimonii defert, quando anima noſtra poenitentiam ſuam, quam ſola, & privatim ſicut turtur, aut publice, & in multitudine agere deſiderat ſicut Columba, ad oris confeſſionem producit, & ſacerdoti offert, quoniam ſacerdoti confitetur, & poſt ipſam confeſſionem ſacerdos orat pro ea dicens. Miſereatur tui omnipotens Deus &c. & ſic mulier non quod ex duabus Hebdomadibus ſi quod ſeptem diebus erat immunda, mundabatur, quia anima quae in praeſenti vita quod per ſeptem volvitur dies judicat ſe immundam ideſt reputat ſe peccatricem ſicut ſupra diximus, in futura vita a Deo examinata mundabitur, & in Caeleſti regno introducetur. Ad quod.

SERMO.

Venit Elias in Berſabee Juda, & dimiſit ibi puerum ſuum, & perrexit in deſertum viam unius diei. Elias iſte aliquem fidelem ſignificat qui debet venire in Berſabee Judae. Berſabee interpretatur puteus ſeptimus, ideo humilitatem ſignificat; puteus namque profundus eſt, & quanto profundior, tanto magis ima petit. Sicut e contrario ſuperbia ſemper quaerit alta. Unde quidam ſapiens ait. *Ima petunt humiles, ſed petunt alta ſuperbi*; haec autem humilitas ideo puteus ſeptimus vocatur, quoniam humilitas de timore Dei generatur. Qui nimirum ſecundum ſupputationem Iſaiae Prophetae ſeptimum donum eſt. Sic namque fuit. Requieſcet ſuper eam ſpiritus timoris Domini; & notandum quod non dixit ſimpliciter Berſabee, ſed addidit Judae, qui interpretatur confeſſio, quoniam unuſquiſque fidelis debet venire ad humilitatem confeſſionis, & dimittere ibi puerum, ſicut Elias fecit, ideſt quidquid puerile in eo eſt. Sequitur; & perrexit in deſertum viam unius diei. Deſertum ſicut ſuperiori ſermone oſtenſum eſt, clauſtrum religionis eſt, in quo nimirum aliquis fidelis prius humilitatem confeſſionis dimiſſis omnibus, quae ſunt hujus mundi intrare debet, & via unius diei pergere. Legimus in Exodo quod dixit Moyſes Pharaoni, *viam trium dierum ibimus, & ſic ſacrificabimus Deo noſtro*. Modo videamus, quae ſit via illorum trium dierum. Via primi diei eſt principium boni operis; via ſecundi diei eſt perſeverantia: via tertii diei eſt conſummatio. Quia ergo aliquis fidelis priuſquam clauſtrum ingreditur, priuſquam profeſſionem facit Deo ſervire, & in quantum poteſt bene debet operari, ideo dicitur, quod ivit per deſertum viam unius diei; & quoniam multoties fit, ut qui in clauſtrum religionis eſt, ſuorum peccatorum, quae ante commiſerat ita recordetur, ut in eorum memoria delectetur: ideo ſubjunctum eſt de Elia, & obdormivit ſub umbra Juniperi. Juniperus arbor eſt ſpinas habens, ideo ſignificat peccatum, cujus ſpinae conſcientiam, & mentem pungunt, & mordent. Umbra juniperi memoria eſt peccati, dormire ergo ſub umbra juniperi eſt in memoria peccati delectare. Quod autem dormire delectari ſit, Pſalmiſta oſtendit, qui ait: *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in mortem*. Quid eſt dormire in morte, niſi delectari in mortali peccato. Sed quoniam delectatio iſta ſine peccato nunquam eſt, & de ea poenitere, & ſatisfacere ſemper debemus; ideo dicitur: Et ecce Angelus Domini tetigit eum, dixitque illi. *Surge, & comede*. Angelus Domini ſermo divinus eſt: Angelus autem nuntius interpretatur, & Sermo divinus quid agere, & qualiter vivere debeamus quotidie nobis non ceſſat nuntiare. Dicitque alicui peccanti, tu qui per peccatum cecidiſti, ſurge per poenitentiam. Qualiter autem poenitere debeamus ibi oſtenditur cum ſubinfertur. *Reſpexit, & ecce ad caput ſuum ſubcinericius panis, & vas aquæ*; caput ſaepe ponitur pro mente. Sicut enim a capite membra reguntur, ſic cogitationes a mente diſponuntur. Ad caput ergo noſtrum ſubcinericium panem habeamus, ut in mente noſtra poenitentiam teneamus, & toto corde noſtro ad Deum convertamur. Quod autem poenitentia panis vocetur Pſalmiſta oſtendit cum ait: *Cibabis nos pane lacrymarum in menſura*. Unde iſte panis dicitur ſubcinericius panis, per quem poenitentia ſignificatur. In cinere namque ignis mortuus eſt, & in poenitentia ardor luxuriae, & ignis concupiſcentiae extingui debet. Unde a Domino dicitur: *hodie egiſſent poenitentiam in cinere, & cilicio*: & quoniam cum poenitentia mentis ſatisfactio de et eſſe operis, ideo ſubjunctum eſt, *& vas aqua*. Aqua quandoque tribulationem ſignificare ſolet. Unde per Pſalmiſtam dicitur. *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquae uſque ad animam meam*; haec autem ad menſuram imponi debet, ut ſecundum modum culpae, modus imponatur poenae. Unde in praedicto verſu ſubiunctum eſt: *& potum dabis nobis in lacrymis in menſura*; & ideo hic non aqua tantum, ſed vas aquae ponitur; Vas namque menſura eſt: & quoniam ſatisfactionem, non tantum aliis imponere, ſed etiam in nobis exercere debemus, ideo ſubiunctum eſt: *Comedit ergo, & bibit*. Quod comedimus, & bibimus, nobis incorporamus, & in corpus noſtrum traicimus. Sequitur. *Et rurſum obdormivit*, hic non dixit ſub umbra juniperi, quoniam qui vere poenitet non delectatur in memoria peccati, de quo graviter dolet, ſed in Domino. Unde per Prophetam dicitur. *Delectare in Domino*. Sequitur. *Reverſuſque eſt Angelus Domini ſecundo, & tetigit eum dixitque ei. Surge, & comede, grandis enim tibi reſtat via*. Sed Angelus Domini Divinus eſt ſermo. Videndum eſt quomodo primo, & quomodo ſecundo veniat ad nos, & hortetur nos comedere. Primo panem ſubcinericium, & poſtmodum panem ſimpliciter. Divinus ſermo prius invitat nos ad poenitentiam, deinde hortatur nos ad juſtitiam: ad poenitentiam invitat cum ait. *Poenitentiam agite, adeſt enim regnum Caelorum*: ad juſtitiam hortatur cum ait: *Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum*. Primo invitat nos ad correctionem malorum, deinde ad operationem bonorum: hic ergo cum ſecundo invitat dicit illi: *Surge comede*. Comedere quippe non ſubcinericium panem, ſed ſimpliciter panem, qui nimirum juſtitiam ſignificat, niſi panis juſtitia eſſet nequaquam eſurietur a nobis: Unde Dominus ait: *Beati qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam*; hunc panem quotidie petimus a Deo, cum in oratione dicimus. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*. Iſte enim panis eſt nobis neceſſarius in via hujus ſaeculi, & ideo ſubjunxit. *Grandis enim tibi reſtat* via. Tanta eſt via iſta, quanta eſt vita noſtra. Et quoniam pro rigore juſtitiae, & pro ardore religionis homo ſeipſum affligit, adeo ut caro propria deficeretur, & a propria pinguedine attenuetur; ideo ſubjunctum eſt. *Et ambulabat in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus*, ideſt toto tempore vitae ſuae *uſque ad montem De Horeb*, qui interpretatur ſiccitas, ideſt uſque ad deſiccationem carnis, & ad tenuationem corporis. Et ideo Fratres, qui in deſertum religionis jam veniſtis, & per ipſum ambulatis,

ſtis, perſeverate in bono principio veſtro, ut de bona perſeverantia ad felicem conſummationem pervenire valeatis; & ſi finitur opus, non finiatur operis retributio, ſed permaneat, & perduret in aeternum in ſaecula ſaeculorum. Amen.

SERMO.

Aſſumpſit Jeſus Petrum, & Jacobum, & Joannem fratrem ejus, & duxit illos in montem excelſum ſeorſum, & transfiguratus eſt ante eos, & reſplenduit facies ejus ſicut ſol, veſtimenta autem ejus facta ſunt alba ſicut nix &c. Iſti tres diſcipuli tres ordines qui ſunt in Eccleſia Dei ſignificant. Quorum alii ſunt clerici, alii laici, alii vero monachi. Petrus vero qui agnoſcens interpretatur, clericos ſignificat, in quibus verbi Dei divina ſcientia, & Dei cognitio magis viget, ideo officium praedicandi ſumunt, & divini verbi pabulo populum Dei paſcunt. Unde, & Petro dictum eſt. *Paſce oves meas*. Jacobus vero, qui ſupplantator interpretatur ſignificat laicos, qui quotidie laborant, & pro viribus nituntur proximos ſupplantare, & decipere. Joannes autem qui Dei gratia interpretatur monacos ſignificat in quibus gratia Dei, ideſt ſancta converſatio, & divini cultus religio evidenter apparet. Iſti tres ordines deſignantur a Deo, ut ipſe ait. *Erunt duo in agro, & duo in lecto, unus aſſumetur, & alter relinquetur. Duae molentes ad molam, una aſſumetur, & altera relinquetur.* Illi qui ſunt in agro clericos ſignificant, qui tanquam agricolae ſemen verbi Dei in terra.... cordis ſeminare non ceſſant. De quibus Apoſtolus ait. *Ego plantavi, Apollo rigavit*. Sed quia iſtorum quidam boni, quidam mali ſunt; ideo dicitur unus aſſumetur ad gloriam, & alter relinquetur in poena. Iſti qui ſunt in lecto deſignant monachos, qui a laboribus, & tumultibus hujus ſaeculi quieſcunt, & in quiete ſanctae converſationis dormiunt. Unde in Canticis canticorum Sponſa loquitur dicens. *Ego dormio, & cor meum vigilat*. Molentes vero laicos ſignificant, qui ad modum molarum ſemper in circuitu vadunt, atque huc, & illuc diſcurrunt. De quibus Pſalmiſta ait. *In circuitu impii ambulant*. Unde non eſt poſitum duo in maſculi genere, ſed duae in faeminino, quoniam mores mulierum molles ſunt, & laſcivi; non habent in ſe robur virilis fortitudinis. Hos autem tres ordines, tamquam tres diſcipulos aſſumit Jeſus in montem, ideſt pervehit ad juſtitiam. Quod autem juſtitia mons dicatur. Pſalmiſta teſtatur cum dicit. *Juſtitia tua ſicut montes Dei*. Sed quoniam praedicatoribus, qui locum, & vitam Apoſtolorum tenere debent, tria ſunt neceſſaria, ideſt vita, ſcientia, & doctrina. Vita in opere, ſcientia in corde, & doctrina in ore. Ideo poſtquam dictum eſt aſcendit in montem, ſubſecutum eſt, *& transfiguratus eſt ante eos*. Qualiter autem Dominus ſeipſum transfiguraverit Evangelium oſtendit cum ait. *Et reſplenduit facies ejus ſicut ſol, veſtimenta autem ejus facta ſunt alba ſicut nix*. Per faciem homo cognoſcitur, nam ſi totum hominem videas, & faciem non videas, quis ſcit cognoſcere non vales. Merito ergo per faciem Chriſti Sacra Scriptura intelligitur, in qua, & per quam Dei cognitio nobis inſinuatur. Haec autem facies, ideſt Sacra Scriptura reſplendet nobis ſicut ſol. Sol enim duo facit, illuminat, & calefacit; ſic & Sacra Scriptura illuminat corda noſtra ad recte intelligendum, & accendit ad bene operandum; illuminat ad ſcientiam, accendit ad caritatem; illuminat ad cognitionem veritatis, & accendit ad amorem bonitatis. Illuminat ut quae facienda ſunt cognoſcamus, accendit ut bona, quae cognoſcimus faciamus. Sequitur. *Veſtimenta autem facta ſunt alba ſicut nix*. Veſtimenta extra hominem ſunt, quae ſi pulchra ſunt, hominem plurimum exornant. Ideo per veſtimentum Chriſti ſermo divinus, & doctrina praedicatorum intelligitur. Qui nimirum extra hominem eſt, quoniam a praedicatore ad populum

profertur, & ſi ſpecioſus fuerit, ideſt compoſite, & diſtincte prolatus more veſtimentorum proferentem plurimum exornat. Veſtimentum quoque frigus excludit, & hominem calefacit; ſic & ſermo divinus ex ore praedicatoris prolatus, & frigus infidelitatis excludit, & ad amorem Dei cor noſtrum calefacit: haec autem veſtimenta, ideſt divina eloquia ſunt alba ſicut nix. Nix enim tria habet, de Caelo venit, alba eſt, & frigida; ſic & ſermo divinus praedicatori a Deo datur. Inde eſt quod praedicatori quandoque propter peccatum ſuum ſermo divinus ſubtrahitur. Sicut per Pſalmiſtam dicitur. *Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras juſtitias meas*. Propter peccata populi quandoque ſubtrahitur ſermo divinus praedicatori. Sicut ad Ezechielem Dominus dicit. *Linguam tuam adhaerere faciam palato tuo, & eris mutus, & quaſi vir objurgans, quia domus exaſperans eſt*. Quia ergo divinus ſermo praedicatori a Deo datur, & a Deo ſubtrahitur, merito nivi comparatur, quae de Caelo cadit. Nix quoque alba eſt, & ſermo praedicatoris candidus eſſe debet, ut nullam nigredinem erroris, nullam maculam ſuperbiae in ſe habeat. Eſt etiam frigida; Homo enim qui naturaliter frigidus eſt, caſtus eſſe ſolet, ſic & ſermo divinus, & ſe proferentem, atque ſe ſuſcipientem caſtum reddere ſolet: habens ergo ſicut diximus haec tria, quae praedicatoribus neceſſaria ſunt, ideſt bonam vitam, quae per mortem ſignificatur, rectam ſcientiam, quae per faciem intelligitur, ſanam doctrinam, quae per veſtimentum inſinuatur. Quae omnia quoniam Apoſtolis, & eorum locum, & vitam tenentibus neceſſaria ſunt, merito Chriſtus haec omnia coram Apoſtolis fecit. Vos itaque fratres, qui ſacros Ordines accipere vultis, Chriſtum, & ejus Apoſtolos imitamini: Sicut Apoſtolus dicit. *Imitatores Dei eſtote*. Studete primo ut bene vivatis, ſecundo, ut Sacrae ſcripturae ſcientiam memoriter teneatis; ut verbo, & exemplo populum vobis commiſſum recte docere valeatis, quatenus cum illo, & pro illo a Domino vitam aeternam percipere valeatis. Ipſo &c.

SERMO.

Sicut in veteri legitur teſtamento: *Dixit Rebecca filio ſuo Jacob: Audivi patrem tuum loquentem cum Eſau fratre tuo dicentem ei: Tolle arma tua pharetram, & arcum, & affer mihi de venatione fili mi, ut comedam, & benedicat tibi anima mea &c.* Licet ſancti patres ea, quae de iſtis fratribus leguntur in figura duorum populorum interpretentur, moraliter tamen iſti duo fratres duos affectus, carnalem videlicet, & ſpiritualem poſſunt ſignificare. Eſau namque, qui prior natus fuit carnalem affectum ſignificat. Unde Apoſtolus ait, *primo quod animale, ſecundo quod ſpirituale*. Jacob poſtmodum natus ſicut benedictionem tamen a patre accepit, & ipſam fratri ſuo ſubripuit, ſic & ſpiritualis affectus licet poſtmodum naſcatur in homine, a Domino tamen meretur benedici, carnali affectu ſine benedictione permanente. Eſau quod piloſus erat, non immerito carnalem affectum, & carnalem concupiſcentiam ſignificat. Pilus abciſſus non dolet, ſi incidatur, quod extra carnem eſt non dolet, ſi evellatur quod intra carnem eſt dolet. Sic & carnalis concupiſcentia, ſi auferatur ei quod extra carnem eſt, ideſt extra neceſſitatem carnis non dolet, quoniam ſunt ſuperflua, ſi auferatur quod intra carnem eſt, ideſt quod ad neceſſitatem carnis pertinet, utpote victus & veſtitus, dolet, quoniam ſine ipſo vivere non poteſt. Eſau dixit Iſaac: *Tolle arma tua, pharetram, & arcum.* Iſaac qui interpretatur riſus ſignificat Deum, qui eſt riſus, & gaudium ſanctorum, quoniam in eo ſancti Angeli gaudent, & laetantur. Sicut per Prophetam dicitur: *Gaudete juſti in Domino*; & iterum: *Laetamini in Domino & exultate juſti*. Iſte dicit Eſau: *Tolle arma tua, pharetram, & arcum*. Arcus linguam carnis

ſignificat, quae tanquam arcus in locutionibus flectitur, & plicatur, quae habet cordam, plectrum videlicet linguae, & ex ſe mittit ſagittas, ideſt verba, qui tanquam ſagittae pungunt. Sicut per Salomonem dicitur: *Verba ſapientum quaſi ſtimuli, & quaſi clavi in altum defixi*. Pharetra, in qua ſagittae reponuntur, cor noſtrum eſt, in quo prius verba debent reponi, & poſtea per arcum linguae emitti, quoniam prius in corde, quid loquatur debet homo cogitare, deinde verba emittere. Sicut per Salomonem dicitur: *Tempus tacendi, & tempus loquendi*; prius dixit tacendi, & poſtea loquendi, quod debet prius homo mente quae loquatur cogitare, & poſtea loqui. Dicit ergo Deus Eſau, ideſt carni noſtrae ut tollat arma ſua, cor videlicet, & linguam, ut emittat ſagittas verborum ſuorum, & venetur, ideſt feras interficiat, hoc eſt ferino & beſtiali more viventes occidat. Non ut omnino non ſint, ſed ut mali non ſint. Unde Petro videnti linteum plenum animalibus immundis dictum eſt *macta, & manduca*. Sic & nos beſtias, hoc eſt beſtialiter viventes, ſagittis verborum noſtrorum interficere, & retibus ſanctae praedicationis capere debemus; ut tandem Iſaac, ideſt Deus ipſos comedat, hoc eſt in corpus ſuum, ideſt in ſancta Eccleſia traiciat, & ſuis membris, ideſt ſuis fidelibus aſſociet. Unde in veteri teſtamento legitur: Quod filii Iſrael fecerunt vitulum aureum, & ipſum adoraverunt. Sed ſicut ſcriptum eſt: *Et fecerunt vitulum in Horeb, & adoraverunt ſculptile*. Hunc vitulum Moyſes tulit, & totum contrivit; deinde aqua immiſcuit, & populo bibere dedit. Sic & unuſquiſque praedicator, qui per Moyſen, qui erat dux illius populi ſignificatur, infideles & paganos, quos ille vitulus deſignat prius debet conterere, ideſt cordis contritionem per ſuam praedicationem praeſtare; Deinde per aquam baptiſmatis in corpus traicere, ideſt ſanctae Eccleſiae adſociare. Quae omnia quia per officium, & linguam carnis fiunt, merito Eſau qui carnem, & carnalem affectum deſignat dicitur: Tolle arma tua, pharetram & arcum, &c. Quid autem Rebecca quae gratiam & benignitatem ſignificat, Jacob, ideſt ſpirituali affectui dicat audiamus: *Nunc ergo fili mi vade ad gregem, & affer mihi duos hedos optimos, ut faciam ex eis eſcam patri tuo*. Iſti duo hedi ſunt voluntas & propoſitum bene operandi. Quoniam & ſi a carne expetit Deus exteriora opera, ab anima vero ſolummodo voluntatem & propoſitum quaerit. Unde non immerito cum de Eſau ſcriptum ſit, quod erat venator. De Jacob vero dicitur, quod ſimplex habitabat domi, quoniam Deus ab anima interiora ſolummodo quaerit, unde & hedi iſti non de feris, quae extra ſunt, ſed de grege quae infra domum erat ſumuntur. Quo circa per Pſalmiſtam dicitur: *In me ſunt Deus vota, quae reddam laudationes tibi*. Sequitur. Paravit illa cibos, & veſtibus Eſau valde bonis, quas apud ſe habebat domi, induit eum pelliculaſque hedorum circumdedit manibus, & colli nuda protexit. Cibi Dei ſunt bona opera noſtra. Unde Dominus ait: *Meus cibus eſt ut faciam voluntatem patris mei qui in caelis eſt*. Tunc ergo de duobus hedis Rebecca Iſaac cibos paravit, quando cooperante gratia Dei bona voluntas, & propoſitum noſtrum in bona opera convertuntur, & deſideria noſtra in bonis operibus adimplentur: unde & ſubditur & veſtibus Eſau valde bonis induit eum. Veſtes Eſau opera ſunt carnis, ideſt qui per exercitium carnis efficiuntur, quibus Jacob tunc induitur, quando ſpiritualis affectus qui ſignificatur per Jacob operibus corporis utitur, utpote in conſtruendo pontem, & aedificando Eccleſiam, & porrigendo eleemoſinam, quae omnia non ſolum voluntate animi, ſed operibus corporis perficiuntur. Et quoniam nemo vivit ſuper terram, qui non peccet, & ſicut indeſinenter peccamus, ita indeſinenter peccata noſtra confiteri debemus. Merito ſubditur: *Pelliculaſque hedorum circumdedit manibus, & colli nuda protexit*. Hedus pro peccato offerebatur in veteri teſtamento, ideo recte pelles hedi confeſſionem ſignificant peccati. Manus quibus homo operatur opera noſtra deſignant. Collum per quod vox egreditur verba ſignificat. Tunc itaque Jacob manus & collum pellibus hedi protegit, quando ſpiritualis affectus peccata operum, & verborum confitetur. Sed quia non ſufficit oris confeſſio ſine contritione cordis, & ſatisfactione operis, ideo recte ſubinfertur. *Dedit pulmentum, & panes quos coxerat tradidit*. Pulmentum in olla coquitur. Olla cor peccatoris eſt. Pulmentum ergo in olla coquitur cum de perpetratione peccati in corde peccatoris compunctio generatur. Panes ſatiſfactiones poenitentiae ſignificant. Prius enim frumentum molitur, & in farinam vertitur, deinde aqua ſpargitur, poſtea igne coquitur. Sic & nos prius conterere cor de peccato debemus, quoniam ſicut ſcriptum eſt: *Prope eſt Dominus his qui obtriverunt cor*. Deinde aqua, ideſt confeſſione oris conſpergere. Quod autem per aquam confeſſio ſignificetur, Scriptura teſtatur quae ait: *Omnia in confeſſione lavantur*. In conſperſione multa farina conglutinatur, & in confeſſione multa peccata coadunantur, quando aliquis de multis peccatis inſimul confitetur; Tunc igne coquitur, quando in ſatiſfactione operis igne tribulationis concrematur. Quod autem per ignem tribulatio ſignificetur, Scriptura indicat, quod ait: *Vaſa figuli probat fornax, & homines juſtos tentatio tribulationis*. Et quia non ſufficit de malo poenitere, niſi ſtudeamus bonis operibus inſudare, poſtquam pulmentum, & panes, quos coxerat tradidit, per quae cordis contritionem, & poenitentiae ſatiſfactionem ſignificare diximus, continuo reſpondit Iſaac: *Accede ad me fili mi, ut tangam te. Quo palpato dixit: vox quidem, vox Jacob eſt, ſed manus, manus ſunt Eſau*. Cum Iſaac manibus ſuis, manus Jacob palpavit, tunc manus Iſaac manibus Jacob appropiaverunt, imo conjunctae fuerunt. Sed Iſaac Deum, & ejus manus Dei opera ſignificant, tunc manus Jacob a manibus Iſaac tanguntur, quando ſpiritualis affectus opera, divinis operibus conjunguntur, & aſſimulantur: Unde Joannes Evangeliſta ait. *Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulare*. Et non cognovit eum quia piloſae ſimilitudinem manus expreſſerant. Manus Jacob licet in ſe mundae eſſent, & ſine pilis, pro pellibus tamen hedi piloſae apparebant. Sic & opera ſpiritualis affectus licet in ſe munda ſint, per confeſſionem tamen peccati, qua quotidie utitur, carnalia videntur. Et quoniam poſt poenitentiam malorum, & operationem bonorum ad divini verbi praedicationem digne quis poterit accedere, ideo merito dixit Iſaac. *Accede ad me, & da mihi oſculum fili mi, acceſſit, & oſculatus eſt eum*. Quomodo autem per oſculum Iſaac, & Jacob Dei doctrina ſignificetur audiamus. In oſculo os ori conjungitur. Os autem Dei aliquis Propheta eſt, vel prædicator, per illos enim Deus, utpote aliquis per os loquitur. Unde ſcriptum eſt. Os Domini locutum eſt hoc, ideſt aliquis Propheta. Unde Dominus ait diſcipulis. *Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis*. Tunc ergo Jacob os ſuum ori Iſaac apponit quando ſpiritualis affectus de doctrina, vel exemplo alicujus Prophetae loquitur. Sequitur. *Cumque ſenſiſſet veſtimentorum illius flagrantiam benedicens illi ait. Ecce odor filii mei ſicut odor agri pleni quoniam benedixit Dominus. Det tibi Deus de rore Cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, vini, & olei*. Duo ſunt bona noſtra, in quibus divina benedictio evidenter apparet, meritum videlicet, & præmium, meritum eſt in opere, præmium in mercede operis. Meritum eſt in hac vita, præmium erit in futura. Meritum eſt ut bene faciamus, præmium erit ut bene habeamus. Meritum eſt ut boni ſimus, præmium erit ut bene ſimus: hæc autem duo bona notantur in hac

bene-

Digitized by Google

benedictione. Det tibi Deus de rore Cæli &c. Ros Caeli gloria eſt cæleſtis, & aeterna beatitudo, ecce præmium; pinguedo terrae fructus terrae eſt, fructus autem terrae opera hominis ſunt, ecce meritum. Nam cum homo de terra factus ſit, & poſt mortem in terram revertatur, non immerito terra vocatur. Unde primo homini dictum eſt: *terra es, & in terram ibis, & reverteris*: & Abraham. *Loquar* inquit *ad Dominum meum, cum ſim pulvis, & cinis*. Dicit ergo, det tibi Deus de rore Caeli, & de pinguedine terræ abundantiam, ideſt, ut abundanter bona facias, & abundanter bona recipias. Et quoniam ad aeternae vitae praemium quis niſi per bona opera pervenire poteſt, recte poſtquam in benedictione dixit: Det tibi Deus de rore Caeli, & de pinguedine terrae abundantiam, ſubdit frumenti, vini, & olei. In operibus noſtris tria ſunt nobis neceſſaria, potentia, ſapientia, & voluntas; haec quidem ut aliquid faciamus ita nobis ſunt neceſſaria, ut ſi unum deſit nihil faciamus, & ita ſufficientia, ut ſi ſola iſta adſint faciamus. Nam ſi ſcias, & velis facere aliquid, ſi non potes non facis. Rurſus ſi potes, & velis, & neſcias, non facis. Item ſi poſſis, & ſcias, & nolis facere, non facis. Ecce quomodo iſta tria in operibus noſtris nobis neceſſaria, & ſufficientia. Ideoque poſtquam dixit & de pinguedine terrae abundantiam, per quam opera noſtra ſignificantur; ſubjunxit: Frumenti, vini, & olei, quoniam his tribus, illa tria ſupradicta ſignificantur. De frumento enim panis fit, & ſicut dicit Propheta, Panis cor hominis confirmat: panis quoque hominem fortem facit, & potentem reddit, recte ergo in frumento potentia intelligitur. Vinum laetificat cor hominis, ubi autem laetitia, ibi bona voluntas. Merito ergo per vinum bona voluntas deſignatur. Oleum fomentum eſt luminis; lumen autem mentis noſtrae intellectus eſt. Nam qui nihil intelligit mente caecus dicitur; hoc autem lumen ſcientia fovet. Bene ergo per oleum ſapientia ſignificatur. Vos itaque Fratres dum tempus habetis operamini bonum. Nunc enim eſt tempus acceptabile Deo ad recipienda veſtra bona opera. Nunc dies ſalutis, atque pœnitentiae advenerunt nobis ad redimenda peccata per cordis contritionem, & oris confeſſionem, & carnis macerationem, ad ſalvandas animas per bonam, & honeſtam operationem. Declinemus igitur a malo, & faciamus bonum, ut per bonam operationem aeternae vitae retributionem percipere valeamus. Quod ipſe nobis concedat.

SERMO.

Dum exiret Jacob de Berſabee, & pergeret Haram poſt ſolis occaſum venit ad locum in quo requieſceret, tulitque de lapidibus, ſuppoſuit capiti ſuo, dormivitque in eodem loco, & dum dormiret vidit in ſomnis ſcalam erectam, & angelos aſcendentes, & deſcendentes. Jacob qui ſupplantator interpretatur aliquem fidelem ſignificat, quia vitia, & peccata ſupplantat, ideſt ſupplantatis redigit, & conculcat, qui debet egredi de Berſabee qui interpretatur puteus ſeptimus, ideſt de profundo iniquitatis, & de voragine vitiorum, & debet pergere Haram qui interpretatur excelſus, ideſt ad Deum; de quo Propheta dicit. *Excelſus Dominus, & humilia reſpicit*. Poſt ſolis occaſum, ideſt deficiente in eo ardore libidinis, veniat ad locum ideſt ad juſtitiam, ut juſtus fiat. De hoc loco dicitur per Salomonem. *Si ſpiritus poteſtatem habens ſuper te aſcenderit locum tuum ne dimiſtas*. Spiritus poteſtatem habens, aliquis immundus Spiritus eſt, qui poteſtatem tentandi hominem a Deo habet. Si iſte ſuper nos aſcenderit, ut tentare non incipiat, locum noſtrum, ideſt juſtitiam noſtram dimittere non debemus, ut pro tentatione diabolica ante juſtitiam deviemus. In hoc loco quieſcere, & permanere, atque dormire debemus: qui dormit ſimilis eſt mortuo; nam & neque videt, neque audit, neque aliquid ſentit; ſolus flatus remanet, qui emittitur, & trahitur, ſic & omnis fidelis mundo dormire debet, ut nequaquam poſſit audire, vel videre, quae mundi ſunt. Solus ſpiritus debet emitti ſurſum, ut quae Dei ſunt cogitet, & extendatur ad dilectionem Dei, & retrahatur ad dilectionem proximi. De hoc ſomno in canticis canticorum Eccleſia dicit. *Ego dormio, & cor meum vigilat*, quia & ſi ab ea quae mundi ſunt mentis oculos clauſos habet, ad ea vero quae Dei ſunt apertos habere debet; ſed antequam dormiat opus eſt ut tollat lapidem, & ſupponat capiti ſuo. Cum ſingulariter lapis ponitur Chriſtum ſignificare videtur. Unde Apoſtolus. *Petra autem erat Chriſtus*. Cum vero pluraliter Sancti intelliguntur. De quibus per Prophetam dicitur. *Lapides vivi volvuntur ſuper terram*. In hoc loco lapides exempla, & documenta Sanctorum, quae debemus ſupponere capiti noſtro, ideſt conjungere menti noſtrae, ut ea ſemper in mente teneamus, & in lege domini die, ac nocte meditemur. Sicque facientes merebimur videre ſcalam erectam, ideſt intelligere ſacram ſcripturam; haec autem ſcala vertice Caelum & pedibus terram tangit. Sacra Scriptura Caelum tangit, cum de caeleſtibus loquitur. Terram tangit, cum de terrenis diſputat; angeli aſcendentes, & deſcendentes per ſcalam ſancti praedicatores ſunt qui merito angeli dicuntur. Quoniam Angelus græce latine nuntius dicitur, & iſti verba vitae populo Dei nuntiare non ceſſant. Iſti Angeli, hoc eſt Sancti praedicatores per ſcalam Scripturae Sacrae aſcendunt, & deſcendunt. Aſcendunt quippe cum de Chriſti divinitate loquuntur, deſcendunt cum de humanitate ejus ſermocinantur. Aſcendebat Joannes Evangeliſta cum dicebat. *In principio erat verbum*. Deſcendebat cum ajebat, *& Verbum caro factum eſt*. Aſcendebat Paulus cum dicebat. *O altitudo divitiarum ſapientiae, & ſcientiae Dei*. Deſcendebat cum dicebat. *Vir uxori debitum reddat*. Sequitur. Et Dominum innixum ſcalae. Nam quia in Sacra Scriptura, & per Sacram Scripturam Dominus loquitur nobis, merito innixum ſcalae fuiſſe perhibetur. Vos itaque Fratres ſtudete in Sacra Scriptura, meditamini in lege Dei, die ac nocte; ſtudete operari, quae audiſtis; eſtote factores verbi Dei, & non auditores tantum, ut per bonam operationem ad aeternae vitae retributionem pervenire valeatis. Ipſo adjuvante.

SERMO.

Factus eſt Sermo Domini ad Eliam Thesbiten dicens. Surge, & vade in Sarepta Sidoniorum ad mulierem viduam, & manebis ibi; praecepi enim mulieri viduae ut paſcat te. Mulier illa vidua, aliqua fidelis anima peccatrix eſt. Quae recte dicitur vidua, hoc eſt a viro diviſa, propter peccata enim ſua a Chriſto ſuo Sponſo ſeparata eſt. Haec moratur in Sarepta, quae interpretatur anguſtia panis. Quoniam ubi anguſtia, & paupertas panis ideſt verbi Dei, & ubi nemo eſt, qui verbum Dei praedicet, ibi merito peccatrix anima moratur: ad hanc viduam, & ad talem locum mittendus eſt Propheta, annunciandus eſt ſermo divinus; ad quam mittendus non eſſet ſi verbum Dei audire penitus recuſaret. Sed quia Dei verbum audire non deſpicit, ideo digne verbum praedicationis ſibi annunciandum eſt. Unde & ſubditur. *Cumque ad portam Civitatis veniret apparuit ei mulier vidua colligens ligna*. Civitas homo eſt, in quo ſi bonus eſt Deus habitat, ſi vero malus diabolus. Unde Apoſtolus. *Vos eſtis templum Dei vivi, & Spiritus Dei habitat in vobis*: hujus Civitatis portae aures ſunt per quas Propheta, hoc eſt Sermo divinus intrat: de his portis dicit Pſalmiſta. *Ut annuntient omnes laudes tuas in portis filiae Syon*, ideſt in auribus Eccleſiae. In porta igitur Civitatis a Propheta vidua invenitur tunc, quando in auditu, aut in deſiderio audiendi verbi Dei peccatrix anima reperitur: Quae recte ligna colligere dicitur, quia documenta, & exempla ſanctorum, &

a ure

Digitized by Google

[illegible]re corporis percipit, & mente, & animo colligit. Nam ſi ſancti arbores dicuntur ſicut Propheta David dicit de ſe. *Ego autem ſicut Oliva fructifera*. Recte ligna ab iſtis arboribus abſciſa, exempla ſunt, & documenta Sanctorum. Et quoniam animae peccatrici, quae per viduam ſignificatur peccatorum confeſſio neceſſaria eſt, ideo bene ſequitur. *Et vocavit eam, dixitque ei. Da mihi obſecro paululum aquae ut bibam*. Aqua peccatorum confeſſio eſt, de qua dicit ſcriptura. *Omnia in confeſſione lavantur*; hanc aquam a vidua Propheta exigebat, quia peccatorum confeſſionem a peccatrice anima praedicator diſtricte exigere debet. Unde Apoſtolus Jacobus ait. *Confitemini alterutrum peccata veſtra*. Et quoniam poſt confeſſionem oris eſt neceſſaria ſatisfactio operis, ideo Propheta clamavit poſt tergum mulieris dicens, *Affer mihi obſecro, & buccellam panis in manu tua*. Quod per panem operis ſatisfactio deſignetur, in ſuperiore ſermone de Jacob, & Eſau dictum eſt. Unde hic Propheta non ſimpliciter buccellam panis petiit, ſed ait in manu tua, quia per manum opera ſignificantur. Et quoniam ante ſatisfactionem operis & confeſſionem oris, peccatrix anima ſolam cordis contritionem habet, ideo vidua reſpondit. *Vivit Dominus, quia non habeo panem, niſi quantum pugillus capere poteſt farinae in ydria*; farina in ydria contritio eſt in corde. Nam farina nihil eſt aliud quam granum contritum, & quia peccatrix anima ſicut per contritionem cordis cupit ut Deus miſereatur ſui, ſic & ipſa vult miſereri alteri: ideo recte ſubiunctum eſt, *& parum Olei in lecito*; Oleum in lecito miſericordia eſt in corde: hujus autem miſericordiae duo ſunt opera. Unum pertinet ad eleemoſinam, aliud ad indulgentiam. Ideo Dominus poſtquam monuit diſcipulos ſuos de miſericordia dicens. *Eſtote miſericordes, ſicut & pater veſter miſericors eſt*, continuo ſubiunxit. *Date, & dabitur vobis, & dimittite, & dimittetur vobis*. Dare ad eleemoſinam pertinet, dimittere vero ad indulgentiam. Ideo vidua reſpondit. *En colligo duo ligna*, ideſt duae miſericordiae genera, ut faciam illud mihi & filio meo, ut comedamus, & moriamur. Filius animae noſtrae opus eſt ejus. Cui ſicut, & ſibi ſubcinericium panem facit, hoc eſt ſatisfactionem poenitentiae ut comedant ideſt poenitentiam ſibi incorporent, & moriantur. Moriatur opus quod malum eſt, ut penitus non ſit, moriatur anima non ut non ſit, ſed ut mala non ſit. Ad quam Elias ait. *Noli timere, ſed vade, & fac ſicut dixiſti; veruntamen primum fac mihi de ipſa farinula ſubcinericium panem parvulum, & affer ad me*. Ecce quid Propheta, & ſermo divinus a vidua, ideſt a peccatrice anima habente paululum farinae, ideſt cordis contritionem exigit: primum requirebat paululum aquae, ideſt oris confeſſionem, poſtmodum ſubcinericium panem, hoc eſt operis ſatisfactione. In his enim tribus, ideſt in cordis contritione, oris confeſſione, & operis ſatisfactione, poenitentia tota conſiſtit. Et quoniam ſicut ſacra ſcriptura teſtatur. Nemo vivit ſine peccato: ſicut ſine peccato non vivimus, ita ſine poenitentia nullatenus eſſe debemus. Agamus itaque fratres poenitentiam dum vivimus, operemur bonum in quantum poſſumus, ut per poenitentiam mali liberemur a poenis Inferni, & per operationem boni conſequamur gaudia Paradiſi. Quod ipſe.

S E R M O.

Sicut ex lectione Evangelica didicimus. *Acceſſit ad Jeſum mater Filiorum Zebedæi adorans, & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei. Quid vis ut faciam tibi, ait illi. Dic ut ſedeant ii duo Filii mei unus ad dexteram tuam, & alius ad ſiniſtram in regno tuo*. Mater Filiorum Zebedæi vocata eſt Salome, quæ interpretatur pacifica, per quam caritas ſignificatur, hujus autem filii opera caritatis ſunt. Opera autem triplicia ſunt. Eſt enim opus caritatis, eſt opus iniquitatis, & eſt vanitatis. Opus caritatis eſt vere bonum. Opus iniquitatis eſt vere malum. Opus vanitatis eſt ficte bonum. Item. Opus caritatis eſt juſtorum, opus iniquitatis peccatorum, opus vanitatis ypocritarum, qui pro vanagloria agunt, quidquid faciunt. Jacob qui interpretatur ſupplantator opus caritatis ſignificat, quod nimirum opera iniquitatis, & vanitatis ſupplantat. Joannes qui interpretatur gratia Dei mercedem ſignificat operis, haec nimirum non ex meritis noſtris, ſed Dei gratia nobis datur. Unde Apoſtolus ait. *Non ſunt condigna paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*. Si ergo hoc eſt, Jacobus, & Joannes per quos ſignificantur opus, & merces operis merito dicuntur Salome filii ideſt caritatis, quia ex caritate ideſt ex dilectione Dei procedunt. Nam ideo ſervimus, quia Deum diligimus, & idcirco a Deo de ſervitio remuneramur, quia a Deo diligimur: horum unus, ideſt Jacobus ſtabit ad ſiniſtram, & alius ideſt Joannes ad dexteram. Per ſiniſtram præſens vita, per dexteram futura vita deſignatur. Unde per Salomonem dicitur. *Leva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*. Caput noſtrum Chriſtus eſt. Sub hoc capite leva, ideſt præſens vita debet eſſe, quæ minoris pretii debet eſſe nobis quam Chriſtus, quoniam propter eum hæc vita ſi opus eſt dimittenda eſt. Sequitur. Et dextera illius amplexabitur me. Qui autem amplexatur, undique circumdatur, & futuræ vitæ beatitudo ex omni parte hominem circumdabit. Quia qui in futura vita coronandus eſt, nullo indigebit, in nullo minus habebit, undique cæleſti beatitudine replebitur. Quia ergo opus in præſenti, & merces dabitur in futuro, merito unus ad ſiniſtram, & alius ad dexteram ſtare dicitur. Operamini itaque fratres in præſenti vita, ut mercedem operis mereamini habere in futura. Quod ipſe parare &c.

S E R M O.

Dicit Apoſtolus. *Quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſunt*. Scriptum eſt autem, quod Jacob plures filios habuit. Sed unum habuit quoniam prae caeteris dilexit, Joſeph videlicet: huic dedit pater tunicam polimitam, & talarem. Jacob Deum patrem ſignificat, qui nimirum plures filios habuit, & habet, quoniam omnes electi ejus filii ſunt, & ipſe eorum pater. Cui in oratione dicunt. *Pater noſter qui es in cælis*. Sed unum habet, quem prae caeteris diligit, Chriſtum videlicet. De quo de Caelo clamans ait. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui*. Iſte merito ſignificatur per Joſeph, qui accreſcens interpretatur vel augmentum. Quia fama, & doctrina Chriſti uſque adeo crevit, ut non ſolum in Judaea, verum etiam per totum mundum manaret. Sicut de Apoſtolis dictum eſt. *In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*: hunc ſignificavit lapis ille de quo in Daniele legitur. *Qui vidit lapidem abſciſum de monte ſine manibus, qui uſque adeo crevit, ut impleret totum mundum*, vel totam terram. Lapis Chriſtus eſt. De quo Apoſtolus ait. Petra autem erat Chriſtus. Iſte abſciſus eſt de monte, quia natus eſt de ſuperbo, & alto populo Judaeorum, & hoc eſt ſine manibus, ideſt ſine opere virili. Manus enim opera ſignificant: Huic dedit pater ſuus tunicam polimitam; Tunica haec, qua Joſeph induebatur, humanitas Chriſti eſt, quia divinitas induta nobis apparuit: haec polimita, ideſt pretioſa ſuper omnia fuit, quoniam in ea fuit omnis plenitudo divinitatis & corporaliter habitavit. Iſte dixit fratribus ſuis. *Audite ſomnium meum, quem vidi, putabam nos ligare manipulos in agro, & quaſi conſurgere manipulum meum, & ſtare, veſtroſque manipulos circumſtantes adorare manipulum meum*. Antequam ſpicae metantur terrae inhaerent, cum vero metuntur per falcem a terra ſeparantur, & ſic ex pluribus ſpicis fit manipulus. Manipulus ergo Chriſti populus eſt, quem Chriſtus per ſe convertit, & falce, ideſt ſua praedicatione a terra, ideſt a terrenorum ambitu ſepa-

ravit;

ravit, quales fuerunt Apoſtoli, & alii plures manipuli fratrum Joſeph populi ſunt, quos Apoſtoli fratres Chriſti converterunt. Qui adoraverunt manipulum Joſeph, ideſt ſanctos Apoſtolos, qui fuerunt manipuli Chriſti; quod adhuc cernitur, cum apoſtolorum limina quotidie a populis frequentantur: hunc Joſeph pater ſuus mitit ad fratres ſuos qui morabantur in Sichimis, quia Deus pater Chriſtum miſit ad Judaeos, de quorum genere natus eſt. Unde ipſe ait. *Non ſum miſſus niſi ad oves, quæ perierunt de Iſrael*. Fratres Joſeph morabantur in Sichimis. Sichima interpretatur humerus, in humero onera ſolent portari, per onera ſignificantur peccata. Sicut per Pſalmiſtam dicitur. *Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus grave gravata ſunt ſuper me*. Unde merito ſequitur. Fratres Joſeph videntes eum dixerunt. *Ecce ſomniator venit, venite occidamus eum, & videamus ſi proſint illi ſomnia ſua*. Impii Judaei videntes Chriſtum dixerunt: Venite circumveniamus juſtum, quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris. Conſilio Judae venditus eſt Joſeph, ſic enim ait Judas: Ecce Iſmaelitae tranſeunt, venite venumdetur: & Judas vendidit Chriſtum: de ſanguine hedi intincta eſt tunica Joſeph, & humanitas Chriſti, atque caro intincta eſt ſanguine hedi, ideſt Chriſti; Chriſtus enim hedus dicitur, quia hedus pro peccato offerebatur, & occidebatur. Sed Chriſtus ſeipſum obtulit Deo patri in ara crucis, & ſicut dixit Petrus Apoſtolus. *Mortuus eſt propter peccata noſtra*: venditus eſt, traditus eſt Pharaoni, & Chriſtus venditus eſt, & traditus eſt Pilato. Quia Joſeph noluit conſentire Dominae ſuae, illa eum accuſavit apud Dominum ſuum. Quia Chriſtus conſentire noluit Sinagogae & multitudini Judaeorum in ſuis iniquitatibus, accuſavit eum apud Pilatum dicens; hunc invenimus ſubvertentem populum, & iterum: *Si non eſſet hic malefactor non tradidiſſemus eum*. Joſeph miſſus in carcerem cum piſtore, & pincerna, quorum unus liberatus eſt, & alter ſuſpenſus. Et Chriſtus poſitus fuit in cruce cum duobus latronibus, quorum unus damnatus, & alter ſalvatus eſt. Tandem Joſeph poſt multas tribulationes quas in carcere ſuſtinuit, factus eſt Dominus Ægypti; Chriſtus poſt multas paſſiones, quas in cruce tulit agnitus eſt Dominus mundi. Joſeph tandem patrem, & fratres ſuos ad ſe venire fecit, & Chriſtus patrem & matrem, & fratres, & ſorores, ideſt facientes omnes voluntatem patris ſui ad ſe venire fecit. Sicut ipſe ait. *Volo pater, ut ubi ego ſum, illic & miniſter meus erit*. Faciamus itaque Fratres in quantum poſſumus voluntatem Dei, ut mereamur eſſe pater, & mater, frater, & ſoror Dei, ut cum illo eſſe, & regnare valeamus. Ipſo adjuvante. Qui &c.

Quia illa, quae de Joſeph dicta ſunt, allegorice ſicut potuimus, expoſuimus. Nunc autem quomodo moraliter intelligi valeant auxiliante Domino prout poſſumus, explicemus. Joſeph qui interpretatur augmentum, ſive accreſcens, rationem videtur ſignificare vel juſtitiam, quae in corde ſapientis quotidie creſcere, & dilatari debet. Tunica Joſeph actio rationis eſt, quae non immerito talaris dicitur. Talus enim finis eſt corporis, & actio rationis, & juſtitiae uſque ad finem pervenire debet. Scriptum quippe eſt. *Qui perſeveraverit uſque in finem hic ſalvus erit*. Tunica igitur talaris actio eſt conſummata. Unde in veteri teſtamento cauda, quae finis eſt corporis offerri videbatur. Fratres Joſeph ſapientes ſunt; qui merito dicuntur fratres Joſeph ideſt rationis, quoniam eorum etiam intellectus eſt pater, & ſapientia eſt mater. Manipulus Joſeph opus eſt rationis. Manipuli fratrum Joſeph opera ſunt ſapientum. Manipuli ergo fratrum Joſeph manipulum adorant Joſeph, quoniam opera ſapientum opus rationis ſecuntur, & illi tanquam adorantes ſubduntur. Pater mitit Joſeph ad fratres ſuos, & Deus mittit rationem in cordibus ſapientum. Fratres Joſeph paſcebant oves, & ſapientes utpote epiſcopi, & Archiepiſcopi paſcunt gregem Dei, & hoc in Sichimis, quae interpretatur humerus, in quo onera portantur, ideſt in ſervitio Dei: fratres videntes Joſeph vendiderunt eum, & ſapientes cognoſcentes rationem & juſtitiam ipſam vendunt. Duobus autem modis juſtitia venditur, aut cum pervertitur, aut cum poſt praemii acceptionem ſervatur. Unde legitur in veteri teſtamento; quod cum Dominus appareret Moyſi, & vellet eum mittere ad Pharaonem, ait ad eum. *Dic quod habes in manu tua; reſpondit Moyſes virgam, & ait illi proice illam in terram, projecit, & verſa eſt in colubrum, ita ut fugeret Moyſes, & ait Dominus, tange caudam ejus, & tetigit, & verſa eſt in virgam*. Moyſes qui interpretatur aquaticus, ſapientes & Praelatos eccleſiarum ſignificat, qui merito aquatici dicuntur, quia aqua ſapientiae pleni ſunt Manus Moyſi opera ſunt ſapientum: virga, quae ſolet eſſe recta juſtitia eſt, quae ſemper recta eſt. Scriptum quippe eſt. *Juſtitiæ Domini rectæ*. Virga igitur in manu Moyſi juſtitia eſt in opere ſapientum; quae quandoque in terram proicitur, cum pro terrenis commodis juſtitia ſervatur. Sed virga projecta in terram verſa eſt in colubrum, qui ſolet habere in ſe venenum, quia juſtitia pro ſolis terrenis commodis ſervata, incipit in ſe habere peccatum, quod Moyſes, ideſt omnis ſapiens fugere debet. Sed quod dictum eſt Moyſi. Tange caudam ejus, & tetigit; & converſa eſt in virgam. Cauda virgae finis eſt juſtitiae, finis autem juſtitiae Deus eſt. Quia quicumque ſervat juſtitiam ad hunc finem tendere debet, ut videlicet ex ea Deo ſerviat, Deo placeat; & ſicut tacta cauda virgae ſerpens verſus eſt in virgam, ita conſiderato in opere juſtitiae Deo, quidquid venenoſum fuit, vertitur in rectitudinem juſtitiae: huic competere videtur, quod de Joſeph legitur; quod eo vendito fratres ejus tinxerunt tunicam illius ſanguine hedi, quoniam vendita juſtitia actio illius, quae per tunicam ſignificatur intingitur ſanguine hedi, hoc eſt maculatur contagione peccati, ita ut actio, quae prius erat aequitatis, incipiat eſſe iniquitatis. Tunica tincta relata eſt ad Jacob, & actio maculoſa refertur ad Deum, quoniam ipſe novit omnem iniquitatem. Flebat Jacob propter venditionem Joſeph, imo propter mortem ejus. Dolet Deus quia graviter accipit de venditione, imo de interemptione juſtitiae. Audiant iſta omnia, & conſiderent Epiſcopi, & Cardinales, qui poſiti ſunt in ſede juſtitiae, qui officium judicandi accipiunt; quibus dicitur: *Diligite juſtitiam, qui judicatis terram*. Quoniam beati, qui cuſtodiunt juſtitiam, & faciunt judicium in omni tempore.

S E R M O.

Sicut legitur in libro Regum. *Naaman princeps militiæ regis Syriæ erat vir magnus coram Domino ſuo & honoratus. Erat autem vir fortis, & dives, ſed leproſus*. Naaman qui interpretatur decor, aliquem nobilem hujus mundi deſignat, qui decorem, & pulchritudinem hujus mundi amplectitur, & deſiderat. Iſti tales fortes quidem ſunt, & divites, ſed leproſi, ideſt peccatores; habent tamen in ſe ſaeculares viri, quandoque ſpirituales affectus, ita ut bonum diligant, religionem ament, & religioſos viros honorent, & revereantur, pauperibus eleemoſinam tribuant, verba Dei libenter audiant. Unde ſequitur. *Porro de Syria egreſſi fuerant latrunculi, & captivam duxerant de terra Iſrael puellam parvulam, quæ erat in obſequio uxoris Naaman*. Latrunculi ſpirituales affectus ſunt qui merito dicuntur latrunculi; quoniam ſpirituales affectus in ſpiritualibus viris latent, ſicut e contrario carnales affectus in ſaecularibus viris latent. Iſti latrunculi de terra Iſrael, ideſt de ſacra Scriptura educunt parvulam puellam, ideſt ſententiam brevem qua dicitur. *Peccator quacumque hora converſus fuerit, & ingemuerit vita vivet, & non morietur*. Uxor Naaman anima hujus peccatoris eſt, in cujus ſervitio haec puella moratur. Puella ſuggerit Dominae ſuae, ut mitteret Naa-

man

Digitized by Google

man ad Prophetam, qui eſſet in Samaria; & haec ſententia ſuggerit animae peccatoris, ut eat ad aliquem ſacerdotem qui ſit in ſancta Eccleſia. Sequitur. *Tulit ergo Naaman decem talenta argenti, & ſex millia aureos, & decem mutatoria veſtimentorum*, hæc ſunt, quae peccator veniens ad Sacerdotem ſecum debet deferre, ideſt confeſſionem oris, & ſatisfactionem operis. Denarius namque numerus perfectus eſt, quoniam ultra illum numerando non excedit, ſed potius cum ad eum pervenitur ad caput reditur. Argentum autem ſonorum eſt, ideo ſignificat oris confeſſionem. Decem ergo talenta argenti perfectionem ſignificant confeſſionis. Senarius autem numerus opus ſignificat; ſex enim diebus operatus eſt Deus, ſeptimo requievit: millenarius numerus perfectus eſt. Sex millia ergo aurei perfectionem ſignificant operis. Sequitur: Decem mutatoria veſtimentorum. Veſtimenta ideo deferuntur, ut turpitudinem tegant, & frigus excludant. Ideo merito ſignificant bona opera, quae turpitudinem peccati tegunt, & hominem more veſtimentorum exornant, & frigus infidelitatis excludunt. Venit Naaman ad Prophetam, venit peccator ad Sacerdotem, & quid dixerit ei Eliſaeus audiamus: *Vade, & lavare ſepties in Jordane, & recipiet ſanitatem caro tua, atque mundaberis*. Jordanis, qui interpretatur deſcenſus regularem ſignificat converſationem, in quacumque ingreditur de altitudine hujus ſaeculi deſcendit ad humilitatem Dei. Septem autem lavationes, ſeptem modi ſunt humilitatis. Quorum primus eſt extra hominem, & longe ab homine. Secundus eſt extra hominem, & non longe ab homine. Tertius eſt in ipſo homine. Quatuor vero qui reſtant, duo ſunt in ore, & duo in corde. Primus itaque, qui extra hominem eſt, & longe ab homine tunc eſt, quando homo propter Deum omnibus, quae poſſidet abrenunciat, & omnia, quae habet derelinquit. Iſta quippe extra hominem ſunt, & longe ab homine. Secundus eſt cum homo propter Deum, vilibus, & aſperis veſtimentis induitur, haec ſunt extra hominem. Tertius quando homo exponit membra ſua ad ſervitium fratrum. Quatuor qui reſtant duo ſunt in ore, & duo in corde. Duo in ore quando ad verbum ſuperbiae humiliter, & ad verbum contumeliae pacifice reſpondit. Duo in corde, quando homo majori ſe ſubjicit & ſuo patri, nec minori ſe extollit. Hos autem ſeptem modos humilitatis habuit Chriſtus. Nam cum dives eſſet, pauper pro nobis factus eſt, ecce primus: & pannis involutus eſt, ecce ſecundus: pedes Apoſtolorum lavit, ecce tertius: ad verbum ſuperbiae humiliter reſpondit, quia quando voluerunt eum conſtituere regem, reſpondit: Quaeritis me non quia ſigna vidiſtis, ſed quia manducaſtis, & bibiſtis; ecce quartus: ad verbum contumeliae pacifice reſpondit, quia cum dixiſſent Judaei demonium habes, reſpondit pacifice dicens: Ego demonium non habeo: ecce quintus. Majori ſe ſubdidit Patris faciens voluntatem, ecce ſextus; & minori ſe non extulit quoniam Apoſtolis miniſtravit dicens: Non veni miniſtrari, ſed miniſtrare: ecce ſeptimus. Sicut illis ſeptem locutionibus in Jordane leproſus mundatus eſt, ita iſtis ſeptem modis humilitatis in clauſtrali converſatione exhibitis peccator juſtificatur. Saeculares tamen viri magis delectantur in deſideriis hujus ſaeculi quam in praeceptis juſtificationis Dei. Unde & Naaman dixiſſe fertur: Nonne meliores ſunt Abbana, & Pharfar fluvii Damaſci. Abbana interpretatur delectatio, ideo ſignificat luxoriam, in qua caro noſtra delectatur. Pharphar interpretatur talpa. Talpa namque terram fodere dicitur, & dum fodit deſuper, & ſubtus, & ex omni parte terram habet, ideo merito ſignificat avaritiam, quae terrena ſapit, terrena lucra quaerit, terrena lucra cogitat, terrena lucra deſiderat in omnibus verbis & actibus ſuis. Iſta ſunt duo flumina Damaſci. Damaſcus, qui interpretatur potus ſanguinis ſignificat peccatores, qui ſanguinem, hoc eſt peccatum bibunt, & in ſe ſuſcipiunt. In iſtis fluminibus Naaman libenter ſe lavabat, quoniam peccatores hujus ſaeculi libenter ſe in avaritiam & luxuriam demergunt, atque in eis delectantur. Sed lavando a lepra non curantur, quoniam talia flumina lepram peccati magis adaugent, quam curent. Sed hortationibus ſervorum Naaman abiit, & lavit in Jordane ſepties juxta ſermonem viri Dei, & mundatus eſt a lepra, & peccator humilitate perfuſus curatur a peccatis. Curramus itaque fratres & nos ad Jordanem, ideſt ad virtutem humilitatis & humiliemus nosmetipſos ſub potenti manu Dei, atque ſupradictis ſeptem modis nos ipſos lavemus, ut tandem a Domino exaltari, & a peccati lepra curari valeamus. Ipſo adjuvante.

SERMO.

Sicut legitur in veteri teſtamento: *Mulier quaedam clamabat ad Eliſeum prophetam dicens: Servus tuus vir meus mortuus eſt, & tu noſti quia ſervus tuus fuit timens Deum: & ecce creditor venit, ut tollat duos filios meos ad ſerviendum ſibi*. Mulier iſta ſancta eſt Eccleſia, quae vocatur mulier, non propter molitiem, ſed propter foecunditatem, quia quotidie Deo filios parere non ceſſat. De qua Dominus in Evangelio ait: *Mulier cum parit, triſtitiam habet*. Vir hujus mulieris filius eſt Dei Patris, quia ſanctae Eccleſiae eſt ſponſus. De quo per Joannem Baptiſtam dicitur: Qui habet ſponſam ſponſus eſt. Iſte ſervus eſt Eliſei, ideſt Dei Patris, qui per Prophetam clamat, & dicit: *Ego ſervus tuus, & filius ancillae tuae*. Filius namque illius fuit, quae dixit: Ecce ancilla Domini. Mortuus eſt vir hujus mulieris, quoniam ſicut Petrus Apoſtolus ait: Chriſtus mortuus propter peccata noſtra. Sequitur: Et ecce creditor venit ut tollat duos filios meos ad ſerviendum ſibi. Creditor iſte diabolus eſt. Creditor namque dicitur, qui pecuniam mutuat, & diabolus recte creditor dicitur, quoniam pecuniam ſuam, ideſt perpetrationem peccati hominibus parat & ſuggerit: hujus mulieris duo filii, duo populi ſunt; Judaicus videlicet, & Gentilis. Hos duos filios creditor volt tollere ad ſerviendum ſibi, quoniam ab hominibus utriuſque populi diabolus ſervitium deſiderat. Sequitur: *Cui dixit Eliſeus: Dic mihi quod habes in domo tua. Reſpondit: Non habeo ancilla tua niſi parum olei quo ungar. Et dixit Eliſeus: Vade, pete a vicinis tuis vaſa vacua, & non pauca, & mitte inde in omnia vaſa haec, & cum plena fuerint tolles*. Oleum hujus mulieris doctrina ſanctae Eccleſiae eſt. Oleum namque fomentum eſt luminis, & doctrina nimirum fovet, & nutrit lumen mentis noſtrae, hoc eſt intellectum, & ſcientiam. Nam ſicut cum quis apponit oleum lumen magis augetur, ita cum quis magis inſtituitur ſapientior efficitur, & prudentior. Vicini autem ſanctae Eccleſiae ſunt tam Chriſtiani, quam etiam infideles, ab his debet petere vaſa non pauca, ideſt eorum corda, ut in eis oleum ſuae doctrinae infundat, & dicat cum Propheta: *Venite filii audite me timorem Domini docebo vos*. Filii offerebant vaſa, & mulier oleum infundebat. Quoniam homines utriuſque populi offerunt corda, & mater Eccleſia ſuae praedicationis oleum infundit. Sed deficientibus vaſis oleum ſtetit, quia deficientibus auditoribus ſtare debet praedicatio ſanctae Eccleſiae. Non enim bonum eſt praedicare, niſi ſit qui audiat. Nam ſicut Apoſtolus dicit: *Quomodo audient ſine praedicante*; ita e contrario dici poteſt. Quomodo praedicabunt ſine audiente. Sequitur. Dixit illi Eliſeus: *vade & vende oleum, & redde creditori tuo, tu autem & filii tui vivite de reliquo*. Ecce de oleo iſto mulier iſta, & filii ejus a creditore iſto liberati ſunt, & de reliquo vixerunt. Quoniam de doctrina ſanctae Eccleſiae duo beneficia conſequimur. Quia, & a poteſtate diaboli liberamur, & inſuper aeternam vitam acquirimus. Ad quam perducat nos.

SER-

S E R M O.

Sicut legitur in Daniele. *Erat vir in Babylone, & nomen ejus Joachim, & accepit uxorem nomine Suſannam filiam Elchiae pulcram nimis, & timentem Dominum.* Joachim interpretatur fortitudo, ſignificat aliquem fortem in opere, & ſervitio Dei; & quoniam multi cum putant Deo ſervire offendunt, quia neſciunt qualiter facere debeant. Unde Dominus diſcipulis ſuis ait. *Sed venit hora, ut omnis, qui interficit vos arbitretur obſequium ſe præſtare Deo.* De quibus Apoſtolus ait. *Zelum Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam*, & Dominus pro crucifixoribus ſuis orans dixit. *Pater dimitte illis quia neſciunt quid faciunt.* Ideoque unicuique forti in opere Dei conjungenda eſt Suſanna, ideſt ſapientia. Suſanna quippe interpretatur lilium, unde merito videtur ſignificare ſapientiam. Lilium namque candidum, & odoriferum eſt. Et ſapientia candorem habet bonae vitæ, & odorem bonae famae. Nam qui ſapiens eſt, & in ſe bene vivit, & ad alios magnam famam transfundit. Unde Salomon in canticis canticorum ait: *ſicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias:* Nam quamvis lilium a ſpinis circumdetur, non tamen candorem amittit, aut odorem. Sic & aliquis ſapiens licet inter peccatores maneat, & ab illis frequenter pungatur, non tamen amittit candorem bonae vitae, & odorem bonae famae: haec autem Suſanna fuit filia Elchiae, qui interpretatur Deus meus, & de ſapientia dicit. *Ante omnes colles generavit me Dominus*: haec autem Suſanna pulcra erat nimis, & de ſapientia dicitur. *Super ſalutem, & omnem pulcritudinem dilexi ſapientiam.* De qua per Salomonem dicitur. *Pulcra es, & decora filia Jeruſalem.* Erat etiam timens Deum Suſanna, & in pſalmo legitur. *Initium ſapientiae timor Domini.* Erat autem Joachim dives valde, & erat ei pomerium vicinum domui ſuae, & ad ipſum confluebant omnes Judaei, eo quod eſſet honorabilior omnibus. Domus Joachim mens ejus eſt, in qua ipſe per cogitationem frequenter inhabitat. Pomerium Sacra Scriptura eſt, in qua ſunt poma nova, & vetera, ideſt ſententiae novi, & veteris teſtamenti. De quibus in canticis canticorum dicitur. *Omnia poma nova, & vetera dilecte mi ſervavi tibi.* Sequitur. *Et conſtituti ſunt duo ſenes judices.* Iſti duo ſenes ſunt timor, & amor mundi qui merito dicuntur ſenes, quoniam multorum temporum ſunt, nam ab initio mundi fuerunt. Vocantur nihilominus Judices, quoniam ad eorum arbitrium multoties judicia fiunt. Sequitur. *Cum autem populus revertiſſet poſt meridiem, ingrediebatur Suſanna, & deambulabat in pomerio viri ſui.* Si per Suſannam ſicut ſupra diximus ſapientia intelligitur, & per pomerium vicinum ſacra ſcriptura deſignatur, Suſanna deambulabat in pomerio viri ſui, quoniam ſapientia in ſacra ſcriptura moratur ibique reperitur, praeſertim in meridie, ideſt in fervore caritatis, quoniam populus vitiorum a domo Joachim, ideſt a mente alicujus fidelis abſcedit. Sequitur. *Factum eſt autem cum ſenes obſervarent diem aptum quando eam poſſent invenire ſolam, ingreſſa eſt Suſanna cum duabus puellis, voluitque lavari in pomerio.* Iſtae duae puellae duae ſcientiae ſunt, ideſt loyca, & ethica. Sermocinalis videlicet, & moralis. Sermocinalis pertinet ad ſanam doctrinam. Moralis vero ad bonam vitam. Cum iſtis itaque puellis Suſanna pomerium ingreditur, quia cum iſtis ſcientiis ſapientia eſt in ſacra Scriptura, quae inſtruit nos, & recte docere, & bene vivere. Unde ſequitur. Dixit ergo Suſanna puellis: *afferte mihi oleum, & ſmigmata.* Praedictae puellae, ideſt ſcientiae talia dona afferunt, ideſt oleum, & ſmigmata. Oleum fomentum eſt luminis, per quod recte doctrina ſignificatur, quae nimirum intellectum qui eſt lumen mentis noſtrae fovet, & nutrit. Smigmata vero unguenta dicuntur, per quae bona opera ſignificantur. Dicamus itaque quod una de puellis offerat oleum, & alia ſmigmata; quoniam ſermocinalis ſcientia confert doctrinam, & moralis bona opera. Sequitur. Cum autem egreſſae eſſent puellae ſurrexerunt duo ſenes, & occurrerunt ad eam, & dixerunt. *Ecce oſtia pomerii clauſa ſunt, & nemo nos videt, quamobrem aſſentire nobis, & commiſcere nobiſcum.* Non ſurrexerunt duo ſenes, nec ſeipſos manifeſtaverunt, niſi egreſſis puellis a Suſanna, & oſtiis pomerii clauſis. Quia ex quo aliquis bonam doctrinam, & bonam vitam a ſe repellit, & ex quo pomerii, ideſt ſacrae ſcripturae oſtia clauduntur praefati ſenes, ideſt timor, & amor mundi continuo inſurgunt, & Dei ſapientiam adulterari contendunt: duo ſunt oſtia ſacrae ſcripturae, unum per quod intrat, ideſt auris, aliud per quod exiit, ideſt os. Quae tunc clauduntur, cum non ſit qui doceat; neque qui audiat. Nunc autem quomodo ſapientia ab iſtis duobus ſenibus poſſit adulterari, videamus. Scriptum eſt. *Eloquia Domini, eloquia caſta.* Quare dicuntur eloquia caſta, niſi quia quaedam ſunt non caſta. Sicut enim mulier ſi contenta eſt viro ſuo caſta dicitur, ſed ſi ab alio diligatur adultera, ſic & ſacra ſcriptura habet quemdam virum, ideſt amorem Dei, cum quo eſſe, atque proferri debet, quia intuitu, & amore Dei debet annuntiari, & praedicari; ſed ſi forte alium ſibi admiſceat, ideſt amorem mundi, ut pro amore mundi quis praedicet, Dei ſapientiam adulterari dicitur. Unde Apoſtolus quoſdam non pro Deo, ſed pro amore mundi praedicantes Dei verbum adulterantes vocat. Sed Suſanna praefatis ſenibus non conſenſit, quia timori, & amori mundi nequaquam vult commiſceri. Unde illi judicio Danielis lapidati ſunt, quia timor, & amor mundi teſtimonio ſermonis Dei reprobati ſunt dicentis. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere*, & iterum. *Nolite diligere mundum, neque ea, quae in mundo ſunt, quoniam qui diligit mundum, non eſt caritas dei Patris in eo.* Vos itaque Fratres in quantum poteſtis ſuſcipite in vobis ſapientiam, & potate de fonte ſuo puriſſimo. Qui nunquam melius facere poteſtis, quam legendo, & in lege Dei die, ac nocte meditando. Tria namque nobis ſunt neceſſaria, lectio, oratio, & bona operatio. Lectione quippe inſtruimur, oratione mundamur, bona vero operatione beatificamur. Scriptum quippe eſt: *labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es.* Operemur itaque Fratres quod bonum eſt, ut mereamur beatificari a Domino noſtro Jeſu Chriſto. Qui cum patre & ſpiritu ſancto &c.

S E R M O.

In diebus illis regreſſus eſt Moyſes ad fratres ſuos, viditque afflictionem eorum. Vidit autem, & virum Ægyptium percutientem quendam hebræum, quem ipſe occidens abſcondit ſabulo. Egreſſus altera die cum duos Hæbreos inter ſe rixatos vidiſſet, & eum qui injuriam faciebat redarguiſſet, ille indignatus quis inquit te conſtituit principem, & judicem ſuper nos. Num occidere me vis, ſicut occidiſti heri Ægyptium. Moyſes, qui interpretatur aquaticus aliquem fidelem Chriſtianum, qui ex aqua baptiſmatis regeneratus eſt deſignat: hic a fratribus ſuis tunc recedit, quando tam graviter peccat, ut per ſententiam ab Eccleſia, & a cæteris Chriſtianis ſeparetur. Tunc vero revertitur, cum eccleſiæ, & cæteris Chriſtianis per dignam ſatisfactionem reconciliatur. Vidit quendam Ægyptium percutientem quendam Hebraeum, quem ipſe occidens abſcondit ſabulo. Ægyptius ille ſignificat peccatum, qui percutit quendam Hebraeum, qui tranſiens interpretatur, hoc eſt aliquem Chriſtianum, qui tranſire debet de hoc mundo ad patrem. Hunc autem Ægyptium ideſt peccatum Moyſes, ideſt quilibet Chriſtianus interficere debet, & ſabulo, ideſt pœnitentia abſcondere. Quod autem per pœnitentiam peccata abſcondantur; pſalmiſta oſtendit dicens. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.* Quod autem dicit remiſſæ ſunt intelligendum eſt in baptiſmate, quod vero ſubiungit tecta ſunt pec-

Digitized by Google

cata, intelligendum eſt per pœnitentiam. Sequitur. Et egreſſus altera die &c. Prima ergo dies poteſt vocari baptiſmus, altera pœnitentia, per quam a voluptatibus carnis homo egreditur: & vidit duos Hebræos inter ſe rixantes, ideſt corpus, & ſpiritum ab invicem diſſentientes, quia carn concupiſcit adverſus ſpiritum, ſpiritus autem adverſus carnem, & licet ad invicem diſſentiant, caro tamen dicitur facere injuriam, ideſt contra jus, quia non debet reſiſtere ſpiritui, ſed obedire. Unde ille qui faciebat inuriam Moyſi reſiſtit quia caro ſemper repugnat. Sed non facit Moyſes quod ille dicebat. Numquid & tu me interficere vis, ſicut heri interfeciſti Ægyptium. Nam Moyſes, ideſt omnis Chriſtianus Ægyptium, ideſt quodlibet peccatum debet interficere, hebræum vero rixantem, ideſt carnem ſpiritui repugnantem non debet interficere, ideſt penitus extinguere, ſed refrænare, atque fortiter caſtigare. Sicut faciebat Apoſtolus, qui dicebat. *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo*. Sequitur. *Fugiens igitur Moyſes venit in terram Madian*. Madian interpretatur de judicio, quia omnis Chriſtianus, poſtquam Ægyptium ideſt quodlibet peccatum in ſe ipſo interficit, & in ſabulo pœnitentiæ abſcondit, debet fugere in terram Madian, ideſt ad aliquem locum religioſum, ubi ſeipſum judicet, ne a Domino judicetur. Dicente Apoſtolo *Quod ſi noſmetipſos dijudicaremus, non utique judicaremur*. Debet quoque juxta puteum ſedere, ideſt fluenta ſcripturarum, & ſeptem Filias ſacerdotis, ideſt ſeptem dona Spiritus Sancti expectare, atque tandem unam ex illis, ideſt Sephoram, quæ pulcra interpretatur, ideſt ſapientiam in conjugem accipere. Sicut ſcriptum eſt: *ſapientia vincit malitiam; hanc amavi, & exquiſivi a juventute mea, & deſtinavi mihi ſponſam accipere*.

SERMO.

Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die, ac nocte, quia frater iniquus ſupplantavit me. Caput ſaepe pro mente ponitur. Sicut enim a capite membra reguntur, ita mente cogitationes diſponuntur. Aqua vero tribulationem ſignificat, & dolorem. Unde per Prophetam dicitur. *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ*. Capiti ergo noſtro, ideſt menti noſtrae, aqua, ideſt dolor, & contritio danda eſt, ut homo graviter pœniteat, graviter doleat, atque gravem in mente contritionem patiatur, & ploret die, ac nocte, ideſt in proſperis, & in adverſis, tunc videlicet quando frater iniquus ſupplantat eum. Frater iſte iniquus diabolus eſt, & a Deo patre, quo nos & a matre gratia, qua nos creatus eſt. De quo diabolo, & ejus ſociis, ideſt dæmonibus unaquaeque anima in canticis canticorum conqueritur dicens: *Filii matris meæ pugnaverunt contra me*. Quia diabolus, & daemones qui dicuntur filii gratiae Dei, quoniam ex ea creati ſunt, quotidie pugnant contra fidelem animam. Tunc ergo frater iſte iniquus, ideſt diabolus ſubplantat hominem, quando illum decipit, quando illum ſua ſuggeſtione graviter peccare facit. Et tunc addamus aquam capiti noſtro, ideſt contritionem menti noſtrae, ut de peccato noſtro doleamus, & magnam contritionem in mente habeamus. Peccator quacumque hora converſus fuerit, & ingemuerit vita vivet, & non morietur, & iterum. *Cor contritum, & humiliatum Deus non ſpernit*. Quia igitur in hac vita ſine peccato nullatenus vivimus oportet ut ad pœnitentiae remedia confugiamus; ſed magis oportet cavere, ut poſt pœnitentiam ad commiſſa nullatenus redeamus, ne cum Propheta cogamur dicere. *Computruerunt, & corruptæ ſunt cicatrices meæ a facie inſipientiæ meæ*. Cicatrix eſt ſignum vulneris, ſed ſanati. Videamus itaque quomodo vulnus fiat, & quomodo ſanetur, atque quomodo cicatrix corrumpatur. Si inimicus ſola haſta pulſaverit hominem, laedere poteſt, ſed nullatenus vulnerare. Si vero ferrum haſtae addatur, & cum eo percuſſus fuerit, profecto vulneratur. Inimicus itaque diabolus eſt, hujus haſta ejus ſuggeſtio eſt, per quam ſolam ſi hominem forte tentaverit, nullatenus in peccati vulnus cadit; ſed ſi forte huic haſtae ferrum additum fuerit, ideſt conſenſus noſter, & cum eo percutimur, vulnere peccati configimur. Quoniam ſi homo ſuggeſtioni diabolicae conſentit, ut faciat, quod diabolus ſuggerit, in peccato profecto cadit. Verum facto vulnere neceſſarium eſt ut ſanetur. In cura vero vulneris medici ſolent apponere tria unguenta. Primum quod purgat, & vermes, atque putridam carnem comedat. Secundum quod omnem putredinem foris extrahat unde, & attractivum vocatur. Tertium vero quod ſanet. Sic & unuſquiſque peccator ſi plagam ſui peccati perfecte curare voluerit, primum apponat unguentum quod coquat, & vermes occidat, ideſt cordis contritionem, & laſcivas cogitationes, quaſi quoſdam vermes, prorſus extinguat. Sicut vermis in putredine naſcitur, & in putredine verſatur, ſic & laſcivae cogitationes de luxuria, quae ſtercus dicitur, naſcuntur, & circa eam verſantur. Secundo loco ponat unguentum attrativum ideſt confeſſionem oris, quae omnem peccati putredinem quae intus in mente latebat, foris extrahat. Tertio loco apponat unguentum ſanativum, ideſt ſatisfactionem operis. Et ſic in plaga efficitur cicatrix, quia de peccato efficitur poenitentia. Cicatrix enim ſicut diximus ſignum eſt vulneris, ſed ſanati, ſic & poenitentia ſignum eſt praeteriti peccati, quoniam de peccato debet homo poenitere. Sed illud peccatum de quo quis perfecte poenitet, profecto ſanatum, ideſt dimiſſum eſt. Si itaque peccatum vulnus eſt, & hujus vulneris cicatrix eſt poenitentia, tunc cicatrices corrumpuntur, quando poenitentia violatur, ideſt quando peccatum reiteratur. Unde oportet fratres chariſſimi, ut de peccatis noſtris perfecte poeniteamus, ut per veram poenitentiam peccatorum remiſſionem, & inſuper vitam aeternam habere valeamus. Ipſo auxiliante. Qui cum patre, & Spiritu Sancto &c.

SERMO.

Dominus noſter Jeſus Chriſtus natus eſt in Bethelem, nutritus in Nazareth, converſatus eſt in Bethaniam, ibique Lazarum ſuſcitavit, crucifixus eſt non in Jeruſalem, ſed extra Civitatem, & nos qui ſumus membra, & filii ejus, ſervi quoque, & diſcipuli imitari eum debemus, ſicut membra ſuum caput, ſicut boni filii benignum patrem, ſicut boni ſervi potentem Dominum ac diſcipuli ſapientem magiſtrum. Et in Bethelem, quae domus panis interpretatur, hoc eſt in ſancta eccleſia, quae domus eſt illius, qui dixit. *Ego ſum panis vivus, qui de cælo deſcendi*; per aquam baptiſmatis renaſci debemus, & in Nazareth, quae ſanctitas interpretatur, ſive flos virtutum, nutriri, & creſcere, atque in Bethania, quae domus obedientiae interpretatur, converſari nos convenit, ut ſemper Dei mandatis obediamus, & ejus praecepta ſervemus, & ſic Lazarus, ideſt ſpiritus noſter pro aliquo peccato, qui mortuus fuerit reſuſcitatur. Sicut ſcriptum eſt. *Anima, quæ peccaverit ipſa morietur*. In hac Bethania, ideſt in perſeverantia mandatorum Dei poterit reſuſcitari, praecipue intervenientibus pro eo duabus ſororibus, ideſt Martha, & Maria, hoc eſt mente, & lingua. Ut mens interius habeat contritionem, vel compunctionem, & lingua exterius confeſſionem. Chriſtus extra portam paſſus eſt, vel extra Civitatem, ſicut dicit Apoſtolus. *Propter quod, & Jeſus, ut ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum extra portam paſſus eſt*. Exeamus igitur extra caſtra improperium ejus portantes. Civitas noſtra corpus noſtrum eſt, in quo anima tanquam in ſua Civitate requieſcit. Extra hanc civitatem nos pati oportet, quoniam a voluptatibus corporis, & a deſideriis carnis exeuntes, pro Chriſto pati debemus. Et ſi hoc perfecte fecerimus, digne hodie merebimur portare olivam, & palmam.

Oliva

Digitized by Google

Oliva enim pacem, palma victoriam ſignificat. Conſuetudo namque antiqua fuit, ut cum aliquis potens ad domum alterius potentis cauſa pacis, & non belli pergeret, quod oliva ante eum coderet, ut ſciret ad cujus domum veniebat, quod pacifice veniret. Rurſus conſuetudo fuit, ut cum aliquis Rex vel Dux contra inimicos ſuos pugnaret, & de illis victoriam haberet, in reverſione palmam ante ſe deferri faciebat, ut qui viderent eum redeuntem, ſcirent, quia cum victoria reverteretur; & nos fratres, cum graviter peccamus, diſcordiam, & inimicitiam cum Deo habere incipimus, ſed ideo olivam hodie in manibus portamus, ut oſtendamus, quod per poenitentiam, & jejunium, & orationem, atque eleemoſinam aliqua bona opera digne ſatisfecimus, & ſatisfaciendo pacem, & concordiam cum illo fecimus. Palmam autem ideo portamus, ut oſtendamus, quod in tota iſta quadrageſima cum Diabolo conflictum habuimus, & modo per poenitentiam, & jejunium, & orationem, eleemoſinam, caeteraque bona opera de eo victoriam fecimus. Et vos itaque fratres ſi digne olivam portare vultis, ſtudete, ut cum Deo pacem habeatis. Pacem cum illo habere non poteſtis, niſi cum proximis veſtris pacifici ſitis, & quod magis eſt illos diligatis. Sic enim ait Joannes. *Si quis dixerit quoniam diligo Deum, & fratrem ſuum oderit mendax eſt*. Nunquam illius hominis opera bona ſunt, qui odium in corde retinet. Unde Jeremias Propheta ait. *Et factum eſt verbum Domini ad me dicens. Quid tu vides Jeremia? Et dixi. Ollam ſuccenſam ego video, & faciem ejus a facie aquilonis*. Olla ſuccenſa cor pravum eſt, ira, & igne odit accenſum: facies ollae opera ſunt hujus pravi cordis. Per faciem enim homo cognoſcitur, & per opera cognoſcitur unuſquiſque. Dicente Domino. *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos*. Aquilo Diabolus eſt qui dixit. Ponam ſedem meam ab Aquilone . . . . facies igitur ollae ſuccenſae a facie aquilonis eſt, quia opera odioſi cordis ex operibus diaboli ſunt, & ideo in die extremi Judicii graviter judicabuntur. Unde per Pſalmiſtam dicitur. *Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui*. Clibanus, in quo panis coquitur, ſic intus habet ignem, ut exterius non appareat. Sic & pravum cor ita interius ignem odii continet, ut foris quandoque per opera non oſtendat. Dicit ergo Pſalmiſta. Pones eos Domine ut clibanum in igne, & in tenebris vultus tui, ideſt in die Judicii. Qui merito dicitur vultus Dei, quoniam in vultu ira hominis apparet, & in die Judicii ira Dei ſuper malos apparebit. Unde ſubjungitur. *Dominus in ira ſua conturbabit eos*, dicens. *Ite maledicti in ignem aeternum*, & poſt ea devorabit eos ignis perpetuus, qui numquam finem habebit. Et ideo Fratres ſi pacem vultis habere cum Deo, ſtudete pacem habere cum proximo veſtro. Sicut ait Dominus. *Beati pacifici quoniam filii Dei vocabuntur*. Et ſi per pacem proximi fueritis filii Dei, eritis, ſicut dicit Apoſtolus haeredes quidem Dei cohaeredes autem Chriſti. Ad quam haereditatem nos perducat. qui &c.

SERMO.

Sicut ex lectione Evangelica modo Fratres audivimus. *Cum appropinquaſſet Jeſus Jeroſolymis, & veniſſet Bethphage ad montem Oliveti, tunc miſit duos diſcipulos ſuos dicens eis. Ite in Caſtellum, quod contra vos eſt & ſtatim invenietis Aſinam alligatam, & pullum cum ea*. Jeruſalem interpretatur viſio pacis. Betphage Domus buccae, vel maxillarum. Mons oliveti magnam, & multam miſericordiam Dei ſignificat. Nam oleos græce, latine miſericordia dicitur. Mons autem magnus eſt, & in Oliveto, non una, ſed multae olivae ſunt. Et ideo per montem oliveti, magna ſicut diximus, & multa miſericordia intelligitur. De magna Dei miſericordia dicit Propheta. *Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam*; & quia poſſit eſſe magna, & ſolummodo una, & ideo minus videretur habere, oſtendit quia multae ſunt: Unde ſubjunxit. *Et ſecundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam*. Dicitur ergo quia cum Dominus appropinquaret Jeroſolymis, qui interpretatur viſio pacis, cum Dominus per miſericordiam ſuam vult, ut eum eo habeamus pacem venit Betphage, quae interpretatur domus buccae per quam ſignificatur peccatorum confeſſio, quae fit per buccam, hoc eſt facit nos confiteri peccata noſtra, & poſt ea venit ad montem Oliveti, ideſt ad magnam, & multam miſericordiam ſuam, quae peccata nobis dimittat. Deinde mittit duos diſcipulos ſuos dicens, Ite in caſtellum, quod contra vos eſt. Iſti duo diſcipuli ſunt timor, & amor Dei. Caſtellum, quod contra nos eſt, cor noſtrum eſt, quod merito dicitur Caſtellum nobis contrarium. Caſtellum namque contra nos illud proprie dicitur, unde nos guerram patimur, ubi inimici noſtri recuperant, & manent. Tale caſtellum eſt cor noſtrum. De quo quotidie per malas cogitationes, per illicita deſideria, per turpes, & innoxias voluptates ab inimicis noſtris guerram patimur: ibi inimici noſtri, ideſt immundi ſpiritus per pravas ſuggeſtiones, & iniquas delectationes frequenter manent: ad hoc ergo caſtellum, ideſt ad cor noſtrum, neceſſe eſt, ut Dominus mittat duos diſcipulos ſuos, ideſt timorem, & amorem ſuum, quatenus ipſi agant, quae Dominus praecepit diſcipulis ſuis dicens. Ite in Caſtellum, quod contra vos eſt, & ſtatim invenietis Aſinam alligatam, & pullum cum ea; ſolvite, & adducite mihi. Aſina caro noſtra eſt. Aſina namque pigrum, & lentum animal eſt, & niſi frequenter percutiatur, & pungatur, numquam cito vadit; ad onera tamen portanda idoneum eſt, ſic & caro noſtra ad Dei ſervitium faciendum lenta invenitur, & pigra. Cum enim media nocte ad divina officia audienda vocamur, tunc adeſt ſomnus, tunc aut nullomodo, aut cum magna difficultate ſurgimus, & ſatis opus eſt, ut eam verberemus, & diverſis afflictionibus maceremus, ut cum ſtimulo timoris Dei eam pungamus. Haec nimirum Aſina, ideſt caro noſtra alligata eſt diverſis funibus peccatorum, & variis vinculis iniquitatum. De quibus per Pſalmiſtam dicitur: *Funes peccatorum circumplexi ſunt me*, & iterum. *Dirupiſti Domine vincula mea*. Ab hujuſmodi ligaminibus praedicti diſcipuli ſolvunt Aſinam, & pullum ejus, ideſt carnem, & ſpiritum noſtrum. In his quippe duobus ideſt in carne, & ſpiritu totus homo conſtat. Sequitur. *Euntes autem diſcipuli fecerunt, ſicut præcepit illis Jeſus, & adduxerunt Aſinam, & pullum, & impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua, & eum deſuper ſedere fecerunt*. Non ſedet Dominus ſuper Aſinam, & pullum noſtrum, ideſt ſuper carnem, & ſpiritum noſtrum, hoc eſt non requieſcit in nobis, niſi praedicti diſcipuli, ideſt timor, & amor Dei imponant ſuper nos veſtimenta ſua. Veſtimenta horum duorum diſcipulorum opera ſunt timoris, & amoris Dei. De timore ſcriptum eſt. *Qui timet Deum facit bona*. De amore ait Dominus. *Si quis diligit me ſermonem meum ſervabit*. Haec veſtimenta ſi ſuper nos diſcipuli iſti poſuerunt profecto Dominus deſuper ſedet. Plurima autem turba ſternebant veſtimenta ſua in via, alii caedebant ramos de arboribus, & ſternebant in via. Via per quam Chriſtus ad nos venit caritas eſt. De qua Apoſtolus ait. *Adhuc ſuperexcellentiorem viam vobis demonſtro*. Deinde ſubjunxit. *Si linguis hominum loquar, & angelorum, caritatem autem non habeam factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens*. Quod autem per hanc viam, ideſt per caritatem ad nos Dominus veniat ipſe teſtatur dicens. *Si quis diligit me ſermonem meum ſervabit, & pater diliget eum & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*. In hac autem via, ideſt in caritate, veſtimenta, ideſt opera noſtra ſternere debemus, ut quidquid facimus propter caritatem, ideſt amorem Dei faciamus, & ſic venienti Domino

in Jeruſalem, ideſt ad cor noſtrum iter præparemus. Sequitur. Alii caedebant ramos de arboribus, & in via. Arbores ſancti viri ſunt. Bona arbor erat David Propheta qui dicebat. Ego autem ſicut oliva fructificavi in domo Domini mei. Bona arbor fuit Abraham cui dixit Deus. *Tolle filium tuum, quem diligis Iſaac & offeres illum in holocauſtum ſuper unum montium quem dabo tibi*. Igitur Abraham de nocte conſurgens venit ad locum quem oſtenderat ei Deus. Cumque colligaſſet Iſaac filium ſuum poſuit eum in altari ſuper ſtruem lignorum, extenditque manum, & arripuit gladium, ut immolaret filium, & ecce Angelus Domini de Caelo clamavit dicens: *Abraham Abraham. Ne extendas manum tuam ſuper puerum, neque facias illi quidquam: nunc cognovi, quod timeas Dominum, & non pepercisti Unigenito filio tuo propter me*. De hac arbore ſumamus hunc ramum, ideſt exemplum obedientiae. Ut ſicut Abraham Deo obedivit, praecipue de interficiendo filio, ita, & nos de aliis Deo obediamus. Bona arbor fuit Joſeph, in quem domina ſua oculos iniecit, voluitque, ut cum ea dormiret. Ille vero ſtuprum recuſavit, unde ab ea accuſatus miſſus fuit in carcerem. Caedamus igitur ex hac arbore tantum bonum, ideſt caſtitatis exemplum, ut ita nos ſemper caſtos, & illaeſos ſervemus; ſicut Joſeſeph ſeipſum tunc ſervavit. Bona arbor fuit Job, quem Satan petiit ut tentaret, & data eſt ei poteſtas a Domino in facultate, & in carne ejus, perdidit ſubſtantiam ipſius, & filios, carnem quoque ejus gravi ulcere vulneravit. Et tamen patienter omnia ſuſtinens ait. *Si bona ſuſcepimus de manu Domini, mala autem quare non ſuſcipimus: Dominus dedit, Dominus abſtulit; ſicut Domino placuit ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum*. Sumamus ex hac arbore itaque ramum, ideſt exemplum patientiae ut mala noſtra patienter ſoleremus, hujuſmodi ramis ſit via, & Domino praeparetur. Vos itaque Fratres ſi vultis, ut Dominus veniat ad vos, & manere vobiſcum, parare ei viam, ſicut ſupra diximus, ut ipſe ad vos venire dignetur, & vos cum eo manere valeatis. Ipſo auxiliante.

SERMO.

Quia peccata noſtra per pœnitentiam dimittantur Iſayas Propheta teſtatur dicens. *Si fuerint peccata veſtra velut coccinum, quaſi nix dealbabuntur, & ſi fuerint rubra, quaſi vermiculus, quaſi lana alba erunt*. Sicut ex juſtitia, & bonis operibus debemus lætari, ita ex peccato, & malis operibus debemus erubeſcere, & contriſtari. Quoniam erubeſcentia de peccato ſignum eſt, quia homo in corde pœnituerit. Unde Salomon ait. *Eſt confuſio ducens vitam, & eſt confuſio ducens mortem*. Qui enim confunditur, hoc eſt erubeſcit de peccato, quod fecit, talis confuſio confert vitam. Ille vero qui erubeſcit bene operari, & mala quæ fecit confiteri, ejus talis confuſio confert mortem, & ideo dicit Propheta. Si fuerint peccata veſtra, ut coccinum, hoc eſt, ſi de peccatis veſtris vere erubeſcitis, & in vultu verecundiam, & in corde contritionem de illis habueritis; quaſi nix dealbabuntur. Nix alba eſt, & de Cælo venit, ita peccata noſtra de Caelo, hoc eſt a Deo, alba ideſt juſtificata fient. Quod autem ſequitur. Si rubra fuerint, velut vermiculus, quaſi lana alba erunt. Repetitio eſt, & expoſitio prioris ſententiæ. Et ideo ſi in hac vita ſine peccato non vivimus, ſemper tamen de peccatis erubeſcere, & ad confeſſionem peccati recurrere debemus. Ecce fratres qui pro peccatis veſtris, tamquam mali ab Eccleſia eratis expulſi, per pœnitentiam, quam in hac quadrageſima egiſtis, hodie per manus noſtras tamquam juſti eſtis reconciliati. Sed videte quia ſicut peccatum tantum in hac vita committitur, & in futura committi non poterit, ſic & poenitentia fructuoſa tantum in hac vita agi poteſt, & non in futura. Unde Iſayas. *Quærite*, inquit, *Dominum, dum inveniri poteſt*, hoc eſt in hac vita. Dominus in Evangelio. *Dum lucem habetis credite in lucem*, & Salomon *Quidquid poteſt manus tua inſtanter operare, quia nec ratio, nec Sapientia erit apud inferos, quo tu properas, nec potentia:* Hinc etiam Job ait. *Paucitas dierum meorum finietur brevi, dimitte me Domine ut plangam paululum dolorem meum, antequam vadam, & non revertar ad terram tenebroſam, & opertam mortis caligine:* tanquam Deo diceret. Domine ſcio, quia dies pauci ſunt, & cito finiuntur. Dimitte ergo me ut plangam paululum dolorem meum, ideſt peccatum meum, de quo valde doleo, antequam vadam ad terram tenebroſam, ideſt ad poenas inferni. Quæ merito vocatur terra, quoniam quatuor ſunt elementa. Ignis, aer, aqua, & terra. Quorum tria ſunt mobilia ignis, aer, & aqua, terra autem manet immobilis: ſicut per Salomonem dicitur. *Generatio præterit, & generatio advenit, terra autem in æternum ſtat*. Sicut ergo terra in æternum ſtat, & nunquam morietur, ſic & poenæ inferni in æternum ſtabunt ſuper eos, qui has patientur, & nunquam ab eis movebuntur. Unde Dominus in Evangello ait. *Ibunt ii in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam*. Quia ſicut æterna erit pœna malorum, ita æterna erit gloria bonorum, unde, & terra vocatur. Sicut ſcriptum eſt. *Portio mea Domine ſit in terra viventium*. Perſeverate ergo Fratres chariſſimi in bono quod cœpiſtis, & cavete ne peccata veſtra reiteretis, quia qui poſt poenitentiam ad peccatum redit, tanquam canis eſt, qui ad vomitum revertitur, cibum quem ejecerat reſumit. Sic, & peccator, cum vere de peccato ſuo poenitet, ipſum a ſe reicit, cum vero peccatum reiterat, quaſi quendam cibum reſumit: hinc etiam Dominus ait. Nemo mittens manum ſuam in aratro, & aſpiciens retro aptus eſt regno Dei. Ille qui arat, terram ſcindit; ſic qui vere poenitet cor ſuum ſcindit, & aperit ſacerdoti per confeſſionem. Unde Dominus ait. Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra. Ergo qui mittit manum in aratro, hoc eſt qui poenitentiam jam agere cœpit, & aſpicit retro, cum ad illud, vel ad conſimile peccatum revertitur, profecto non eſt aptus regno Dei, ideſt nullatenus regnabit cum Deo; Deus per miſericordiam ſuam concedat vobis ita poenitentiam agere de peccatis veſtris in hoc ſæculo ut vitam æternam mereamini habere in futuro Amen.

SERMO.

Dicit Apoſtolus Paulus. *Mihi autem abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo*. Dominus noſter Jeſus Chriſtus Caput noſtrum eſt, & nos ejus membra; pater noſter eſt, & nos ejus filii. Imitari ergo eum debemus, ſicut membra ſuum caput, & ſicut boni filii benignum patrem. Unde Apoſtolus ait. Imitatores Dei eſtote ſicut Filii chariſſimi; & Apoſtolus Petrus. Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus. Videamus itaque qualiter Chriſtum in ſua paſſione imitari debemus. Chriſtus namque paſſionem ſuſtinuit Crucis, quae Crux habuit longitudinem, latitudinem, ſublimitatem, hoc eſt altitudinem, & profundum. Longitudo intelligitur in ea parte, in qua Chriſti corpus extenſum fuit. Latitudo in ea parte, in qua manus, & brachia expanſa ſunt. Sublimitas hoc eſt altitudo in ea parte, quae ſuper caput appoſita fuit, profundum vero in parte inferiori, quae terrae confixa fuit: de iſtis omnibus ait Apoſtolus, *ut poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis, quae ſit longitudo, latitudo, ſublimitas & profundum*. Nos itaque imitantes Chriſtum crucifigamus membra noſtra cum vitiis, & concupiſcentiis. Sed videndum eſt quod Crux nomen martyrii eſt, & omne opus bonum quaedam afflictio, & quaſi quidam cruciatus carnis eſt. Nam ſi jejunamus, ſi carita-

tem

Digitized by Google

tem facimus, ſi exilium patimur, ſi oramus, ſi vigilamus, vel alia bona facimus, in his omnibus caro affligitur. Sed haec noſtra Crux, ideſt bona operatio debet habere longitudinem, ideſt perſeverantiam uſque ad finem. Unde ſcriptum eſt. *Qui perſeveraverit uſque in finem hic ſalvus erit*. Debet etiam habere latitudinem, ideſt caritatem, ut omnis noſtra operatio in caritate fiat. De qua dicit Propheta: *latum mandatum tuum nimis*; adeo namque debet dilatari Caritas, ut non ſolum uſque ad amicos, ſed etiam uſque ad ipſos extendatur inimicos. Sicut Dominus ait. *Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos*. Sed quia unuſquiſque pro ſua bona operatione ſupernae beatitudinis gloriam ſperare debemus, ideo crux noſtra, ideſt bona operatio debet habere altitudinem, & ſublimitatem, per quam ſpes ſignificatur, quae de ſupernis eſt. Et quoniam bene operando ſemper timere debemus, ne labamur in aliquod peccatum & poenam inferni incurramus, quae ſubtus eſt; ideo crux noſtra dicitur habere profundum, per quod timor intelligitur. Chriſtus portavit Spineam Coronam. Spinae quae pungunt peccata ſignificant, quae pungunt, & remordent conſcientiam noſtram. De quibus primo homini peccanti dictum eſt. Terra tua ſpinas, & tribulos germinabit tibi, quia caro noſtra ſpinas peccatorum nobis frequenter germinat. Corona ergo ſpinea eſt memoria peccatorum, quam in capite, hoc eſt in mente ſemper geſtare debemus, ut ſemper pro illis lugeamus, ſemper de illis poenitentiam agamus. Latus ergo Chriſti lancea percuſſum fuit. In latere eſt cor, in latere ergo noſtro hoc eſt in corde debet eſſe gladius ſpiritus, quod eſt verbum Dei. Duo clavi in manibus Chriſti confixi ſunt. Manus cum quibus operatur homo opera noſtra ſignificant. Duo clavi, duo ſunt amores Dei, videlicet, & proximi. In manibus ergo noſtris, ideſt operibus noſtris, duo clavi ſemper ſunt confixi, ut quidquid agimus, aut ſpectet ad amorem, aut ad utilitatem proximi. In pedibus duo alii clavi ſunt confixi. Pedes affectus mentis ſunt, quibus homo citius ambulat, quam pedibus corporis. Nam homo cum cogitat, modo per cogitationem eſt Romae, modo Papiae modo longe, modo prope. In pedibus hoc eſt in affectibus noſtris duos clavos habere debemus, hoc eſt duos timores, unum ut timeamus, ne incurramus poenam Inferni, alium ne amittamus gloriam Paradiſi. Quod autem per clavum timor ſignificetur, oſtendit Propheta qui ait. *Confige timore tuo carnes meas*. Sed videndum eſt quod non ſolus Chriſtus crucifixus eſt, ſed duo latrones cum eo. Quorum unus bonus, alter malus fuit. Cur ergo graviter numquam peccavit, & tamen carnem ſuam pro Deo affligit, iſte cum Chriſto crucem portat. Utpote multi, qui in monaſterio a pueritia ſub regula, & gravi diſciplina nutriti, carnem ſuam quotidie pro Deo affligunt. Alii ſunt qui graviter quidem prius peccaverunt, poſtmodum vero peccatum ſuum recognoſcentes ad Deum per poenitentiam converſi ſunt, & per jejunium, & carnis macerationem aliiſque modis Deo quotidie cum magno deſiderio ſatisfaciunt. Hi cum bono latrone crucem portant. Alii ſunt, qui poſt gravia peccata in monaſteriis convertuntur, jejunant, ſilentium tenent, & ad vigilias cum aliis fratribus media nocte ſurgunt, & alia, quae regula praecipit obſervant. Sed haec omnia inviti, & nolentes, atque cum magno murmure faciunt, & ideo exinde nullatenus Deo ſerviunt, neque tale ſervitium Deo placet. Iſti tales cum malo latrone crucem portant. Quia igitur fratres ſine peccato in hac vita nullatenus vivimus, ſemper ad poenitentiam recurramus, carnem noſtram cum vitiis, & concupiſcentiis crucifigamus, ut cum Chriſto, mori reſurgere, atque in Caelum aſcendere valeamus. Quod ipſe parare &c.

SERMO.

Sicut legitur in veteri teſtamento in libro videlicet numeri. Locutus eſt Dominus ad Moyſen, & Aaron dicens. *Praecipe Filiis Iſrael, ut adducant ad te Vaccam rufam ætatis integræ, in qua nulla ſit macula, nec portaverit jugum, tradeſque eam Eleazaro ſacerdoti, qui eductam extra caſtra immolabit in conſpectu omnium, & ungens digitum in ſanguine ejus aſperget contra fores tabernaculi ſeptem vicibus, comburetque eam cunctis videntibus, tam pelle, & carnibus ejus, quam ſanguine, & fimo flammæ traditis, lignum cedrinum, & yſopum, coccumque bis tinctum ſacerdos mittet in flammam, quæ vaccam vorat*. Moyſes, & Aaron duces judaici populi judaeos ſignificant. Vacca rufa caro Chriſti eſt ſui ſanguinis effuſione rubicunda, unde & Chriſto in cælum aſcendenti ab Angelis dicitur. Quare ergo rubrum eſt indumentum tuum. Tunica quoque Joſeph quæ carnem Chriſti ſignificabat in ſanguine hedi intincta rubicunda fuit. Hæc ſiquidem ætatis integræ hoc eſt triginta annorum fuit, in qua nulla macula peccati, quia ſicut ſine peccato concepta fuit, ita ſine peccato vixit. Unde per Petrum dicitur. *Peccatum non fecit, nec dolus inventus eſt in ore ejus*; & Dominus. *Quis ex vobis arguet me de peccato. Venit enim princeps mundi hujus & in me non habet quidquam*. Salomon quoque ait. *Veſtigia ſerpentis non reperies in petra*, quia peccatum, quod eſt Diaboli veſtigium non poteſt reperiri in Chriſto. Unde merito ſubjungitur. Nec portaverit jugum Diaboli, videlicet, aut iniquitatis. De quo per Apoſtolum dicitur. Nolite jugum ducere cum infidelibus: filii Iſrael tradebant vaccam Eleazaro Sacerdoti, & Judæi adduxerunt Chriſtum ad ſacerdotem ideſt ad Annam, qui miſit illum ligatum ad Caipham pontificem. Sacerdos eductam extra caſtra vaccam immolabat in conſpectu omnium & princeps Sacerdotum, & ejus miniſtri extra civitatem educentes Jeſum in conſpectu omnium crucifigi fecerunt. Unde Apoſtolus ait: *Chriſtus, ut ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum extra portam paſſus eſt*. Sacerdos tingens digitum in ſanguinem ſpargebat contra fores tabernaculi. Et ſacerdos non Judaicus, ſed Chriſtianus, utpote Epiſcopus vel aliquis Eccleſiæ prædicator digitum, ideſt diſcretionem, quæ per digitum ſignificatur tingit in ſanguine, ideſt in paſſione Chriſti apponit, ut mente diſcernat divinitatem ab humanitate, & credat humanitatem paſſam, divinitatem vero permanſiſſe illæſam, & ſic aſperget contra fores tabernaculi, ideſt ſic prædicabit in auribus eccleſiæ. Unde pſalmiſta. *Annuntiate hoc in portis filiæ Syon*. Et hoc faciet ſeptem vicibus, ideſt quandiu durabit vita iſta, quæ per ſeptem dies volvitur. Vacca cunctis videntibus eſt combuſta, quia caro Chriſti in conſpectu omnium eſt paſſa. Unde & in lege de agno præcipitur. *Non comedetis ex eo crudum*, quod nec coctum aqua, ſed aſſum tantum igne. Quod aqua coquitur ſub ea latet, ſed quod aſſatur ab omnibus videtur. Sequitur. Tam pelle, & carnibus ejus quam ſanguine, & fimo flammæ traditis. Pellis, quæ carnem tegebat, noſtram infirmitatem ſignificat, ut eſt fames, & ſitis, & fatigatio poſt laborem, & tandem ipſa mors. De quibus per Iſajam dicitur. *Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit*, hæc nimirum merito per pellem ſignificatur, quoniam ſicut pellis carnem, ita & iſta divinitatem Chriſti tegebant. Unde diabolus videns illum talia pati non Deum, ſed purum hominem eſſe putavit. Per ſanguinem, qui ſedes animæ dicitur ipſa anima intelligitur. Per fimum qui res quidem eſt turpis ſed terram fructificare facit, ignominiam paſſionis Chriſti ſignificat, ſicut fuit conſpui, derideri, in faciem cædi, flagellari, crucifigi, & tandem occidi; hæc quidem ſicut diximus turpia fuerunt, ſed nos fructificare fecerunt, quoniam a Diaboli morte liberaverunt. Vis audire quomodo fructificare fecerunt. Audi Apoſtolum Petrum dicentem. *Chriſtus paſſus*

eſt

Digitized by Google

eſt pro nobis vobis relinquens exemplum ut ſequamini veſtigia ejus. Et Paulus dicit. *Imitatores Dei eſtote ſicut fratres chariſſimi*; & Joannes: *qui dic ſe in Chriſto manere, debet ſicut ipſe ambulavit, & ipſe ambulare*. Et ſicut fimus fit de cibis, ſic & ignominia paſſionis Chriſti fuit de bonis operibus, quæ fuerunt cibus ejus. Sicut ipſe ait. *Meus cibus eſt ut faciam voluntatem patris mei*. Unde Judæis dixit. *Multa bona opera operatus ſum vobis propter quod horum vultis me occidere*. Pellis igitur Vaccæ flammæ tradita .., quia omnis infirmitas Chriſti in ejus paſſione conſumpta eſt, adeo ut poſt ea, neque mori poſſit, neque occidi. Unde per Paulum dicitur *Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur*. Unde per Pſalmiſtam dicitur. *Exaruit velut teſta virtus mea*. Teſta namque priuſquam in igne ponatur molle lutum eſt, ſed poſita in igne mollitiem dimittit, & fortitudinem accipit; ſic & caro Chriſti in ſua paſſione, paſſibilitatem, & mortalitatem amiſit, impaſſibilitatem, & immortalitatem acquiſivit. Caro Vaccæ flammæ tradita eſt, quia caro Chriſti veraciter crucifixa eſt. Sanguis flammæ traditus eſt quoniam anima Chriſti graviſſimum dolorem paſſa eſt. Caro enim ſine anima nullum dolorem ſentit. Fimus combuſtus eſt quia omnis ignominia ſuæ paſſionis conſumpta eſt, & ultra jam ſicut ſupra dictum eſt, nihil eorum pati valeat. In flamma vaccæ ſacerdos hyſopum lignumque cedrinum, & coccum bis tinctum offerre jubetur. Per hyſopum fidem intelligimus. Hyſopus namque interiora noſtra mundare conſuevit, & per Petrum dicitur: *fide mundans corda eorum*; lignum cedrinum ſignificat, quia imputribilis naturae eſt, & nulla putredine deficit, & ſpem caeleſtium terminus non conſumit. Unde, & Petrus dicit. *Regeneravit nos in ſpem vivam*. Coccus, qui rubeo colore flammeſcit charitatem inſinuat, quia quem implet, caritas incendit. Unde in evangelio veritas dicit. *Ignem veni mittere in terram*. Sed bis tinctus coccus offerri praecipitur, ut videlicet ante interni oculos judicis caritas noſtra Dei & proximi amore coloretur. Sacerdos autem in flamma, quae vaccam vorat hyſopum mittat, ut Chriſtum vere paſſum credat. Lignum cedrinum mittat, ut per Chriſti paſſionem ſe ſalvandum ſperet. Coccum imponat, ut illum qui pro eo tanta paſſus eſt, toto corde, & tota mente, & tota virtute diligat, & diligendo eum ſequi ſtudeat. Sequitur: *Et tunc demum lotis veſtibus, & corpore ſuo ingredietur in caſtra, commaculatuſque erit uſque ad veſperam*. Quod dicit, & tunc demum oſtendit, quia Judaicus populus in fine mundi convertetur. Sicut ſcriptum eſt. *In diebus illis ſalvabitur Juda*: & iterum. *Convertetur ad veſperam*. Et Apoſtolus. *Si fuerit numerus filiorum Iſdrael quaſi arena maris, reliquiæ ſulvæ fient*. Quomodo autem convertatur ſub de lotis veſtibus, & corpore ſuo. Veſtes namque opera ſunt. De quibus ſcriptum eſt. *Omni tempore veſtimenta tua ſint candida*; & ſicut veſtimenta turpitudinem carnis cooperiunt, ſic & bona opera turpitudinem malae vitae contegunt. Lotis ergo veſtimentis, ideſt operibus in confeſſione, qua omnia lavantur, & corpore ſuo in baptiſmate, ingreditur in caſtra, ideſt ſanctae eccleſiae ſociabitur, commaculatus erit, ideſt peccatorem ſe judicabit uſque ad veſperam, ideſt uſque ad finem vitae ſuae. Sicut faciebat Joannes Evangeliſta, qui dicebat. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*. Et Jacob *in multis offendimus omnes*. Sed ille qui combuſſerit eam, lavabit veſtimenta ſua & corpus, & immundus erit uſque ad veſperam. Hic non apponitur *deinde* ſicut ibi, quia non de Judaico populo qui in fine mundi convertendus eſt loquitur ſed de gentili, quae vaccam combuſſit, quoniam gentiles Chriſtum crucifixerunt. Sicut de ſe ipſo ait: *Tradetur enim gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum*. Quod autem ſequitur. *Lavabit veſtimenta ſua, & corpus*, ſic exponitur ut ſupra. Sequitur. *Colliget autem vir mundus cineres vaccæ, & effundens eos extra caſtra in loco puriſſimo ut ſint multitudini filiorum Iſdrael in cuſtodiam, & in aquam aſperſionis, quia pro peccato vacca combuſta eſt*. Vir iſte mundus eſt coetus Apoſtolorum, quia adveniente Spiritu Sancto ab omni crimine mundari meruit. Iſte collegit cineres vaccae, ideſt documenta, & exempla Chriſti. De vacca namque combuſta ſoli cineres remanſerunt, & de Chriſto paſſo ſola documenta, & exempla nobis ſuperſtiterunt: Hos cineres vir mundus, ideſt Apoſtolorum coetus collegit in loco puriſſimo, ideſt in mentibus ſuis effudit eos, ideſt praedicavit ea documenta, & exempla illis qui ſunt extra caſtra, ideſt infidelibus, qui erant extra eccleſiam, ut ſint multitudini filiorum Iſdrael, ideſt multitudini chriſtianorum. *In cuſtodiam a malo, & in aquam aſperſionis*, ideſt in doctrinam praedicationis ad bonum quia pro peccato vacca combuſta eſt. Et Chriſtus ſicut Petrus Apoſtolus ait. *Semel pro peccatis noſtris mortuus eſt juſtus*, ut nos offerret Deo patri, mortificatos quidem carne, ideſt carnali delectatione, vivificatos autem ſpiritu ideſt ſecum reſuſcitatos ad ſpiritualem, & aeternam beatitudinem. Ad quam.

DOMINICA SANCTUM PASCHA.

Maria Magdalena, & Maria Jacobi, & Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jeſum.

ISTae tres mulieres ſignificant tres virtutes. Quarum prima eſt cognitio peccati. Secunda inimicitia, vel odium ejus. Tertia ſatisfactio operis. De prima dicit Propheta. *Iniquitatem meam ego agnoſco, & delictum meum contra me eſt ſemper*. De ſecunda vero, *qui diligitis Deum, odite malum*. De tertia alius Propheta. *Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, & fletu, & planctu*. In prima notatur ſapientia, in ſecunda caritas, in tertia opus charitatis. Maria Magdalena, quae interpretatur Turris ſignificat cognitionem peccati. Nam ſicut turris in altum extenditur, ſic unuſquiſque peccator ex quo digne incipit recordari, vel recognoſcere peccatum ſuum, ſeipſum humiliat, & per humilitatem exaltatur, & ideo appropinquare incipit. Maria Jacobi, quae interpretatur ſubplantatrix ſignificat odium peccati. Nam ex quo peccatum ſuum homo incipit habere odio, ipſum ſubplantat, ideſt conculcat, & ſub plantis redigit. Salome, quae interpretatur pacifica ſignificat ſatisſactionem peccati. Nam ex quo homo incipit digne ſatisfacere Deo de peccato ſuo, reconciliatur, & pacificatur ei cum quo ſuis iniquitatibus prius graves inimicitias habebat. Hae tres mulieres emerunt aromata, ut venientes ungerent Jeſum. Videamus itaque, quae ſunt iſta aromata. Legimus in evangelio, quod ad ſepeliendum Chriſtum Nicodemus venit ferens miſturam myrrhae, & aloes, quaſi libras centum. Prima igitur mulier, ideſt Maria Magdalena per quam ſignificatur cognitio peccati, emit myrrham, quae amara eſt, hoc eſt peccati amaritudinem, & contritionem cordis. Quoniam ex quo recognoſcat homo peccatum ſuum, & ex eo vere poenitet, amaritudinem habet, & contritionem in corde. Secunda vero, ideſt Maria Jacobi per quam odium peccati ſignificatur, emit aloes, quae hominem ſolutum reddit, hoc eſt confeſſionem oris, quae putredinem peccati, quae intus eſt foras emittere facit. Tertia hoc eſt Salome emit balſamum, quae mortua corpora putreſcere non ſinit, ideſt ſatisfactionem operis, quae nimirum ſi bene fiat, peccatores, tanquam quaelibet corpora illaeſos conſervat. Ex his tribus aromatibus, ideſt contritione cordis, confeſſione oris, & ſatisfactione operis, fit quoddam unguentum, quod vocatur poenitentia, quo ſi mortua membra Chriſti, ideſt peccatores ungantur, vitae ac priſtinae ſanitati, hoc eſt emundationi peccatorum, & reconciliationi reſtituuntur. Sequitur. *Et valde*

mane

Digitized by Google

mane una Sabbatorum veniunt ad monumentum orto jam ſole. Monumentum locus eſt mortuorum per quod ſignificatur cor peccatoris, in quo Diabolus, qui non ſolum mortuus, ſed etiam mors vocatur per malas voluntates, & mala deſideria frequenter inhabitat. Ad hoc monumentum neceſſe eſt, ut praedictae mulieres veniant; ſed non veniunt niſi una Sabbatorum orto jam ſole. Sabbatum interpretatur requies. Una ergo Sabbati, ideſt prima Sabbati prima requies eſt, requieſcere a culpa, ſecunda eſt requieſcere a poena. Primo homo debet quieſcere, ut non perpetret culpam, ſecundo ut non ſentiat poenam, prima in hac vita, ſecunda erit in futura. De prima dixit Dominus ad Cain. *Peccaſti quieſce*; & iterum per Iſaiam. *Quieſcite agere perverſe*. Et quia non ſufficit declinare a malo, niſi faciamus bonum, ſubjunctum eſt orto jam ſole. Sol duo habet in ſe, calorem, & ſplendorem, ſplendore illuminat, calore calefacit. In ſplendore notatur lumen ſcientiae, in calore fervor charitatis. In ſcientia eſt cognitio veritatis, in charitate dilectio bonitatis. Quae duo quaecumque habet ut videlicet cognoſcat bonum, & diligat, profecto ſi poteſt operatur. Et ſi praedictae mulieres in his tribus videlicet in cognitione veritatis, dilectione bonitatis, & operatione virtutis veniunt ad monumentum, ideſt ad cor peccatoris, profecto vident revolutum lapidem ab oſtio monumenti. Lapis in monumento duritia eſt in corde peccatoris; quae nimirum revolvitur dum per praedicta a mente removetur. Ut fiat ſicut ait Dominus per Prophetam. *Auferam a vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum*. Sequitur; *& introeuntes in monumentum viderunt juvenem ſedentem in dextris coopertum ſtola candida*. Si per monumentum cor peccatoris intelligitur; dextera, & leva monumenti intentio Dei, & intentio mundi accipitur. De quibus Dominus ait. *Cum facis eleemoſinam neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua*; ut quod fit intentione Dei, nullatenus fiat intentione mundi. In hac ergo dextera monumenti, ideſt in bona intentione cordis juvenis ſedet, ideſt ſermo divinus, qui ſemper, quae Dei ſunt cogitare facit. Qui merito dicitur juvenis, quem veterem hominem exuere, & novum hominem induere facit: dicens cum Apoſtolo. *Renovamini ſpiritu mentis veſtrae, & in novo homine, qui ſecundum Deum creatus eſt*. Iſte juvenis, ideſt ſermo divinus coopertus eſt ſtola candida. Stola candida ſacra Scriptura eſt, quae recte candida dicitur, quia in ſe nullam nigredinem peccati, nullam labem continet erroris, Hac tali ſtola juvenis cooperitur, quia ſacra Scriptura divinus ſermo confirmatur. Et vos itaque fratres ſi forte in corde veſtro eſt aliqua durities peccati, facite ut praedictae mulieres veniant ad illud, & revolutum inveniant lapidem ideſt duritiam veſtram in converſionis compunctionem revolutam videant, & juvenem in dextra parte veſtri ſepulchri ſedentem, ideſt Chriſtum in mentibus veſtris reſuſcitatum, & vos cum eodem reſuſcitabimini a morte videlicet vitiorum, & apparebitis cum ipſo in gloria. Ad quam gloriam perducat.

DOMINICA SANCTUM PASCHA.

SUPER MARCUM.

M*Aria Magdalena, & Maria Jacobi; & Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jeſum*. Iſtae tres mulieres ſignificant tres virtutes, ideſt fidem, ſpem, & charitatem, quae offerant tria unguenta. Primum unguentum eſt poenitentia, ſecundum miſericordia, tertium gratiarum actio. Primum unguentum facit homo ſibi, ſecundum proximo, tertium Deo. Primum unguentum eſt pungitivum, ſecundum refrigerativum, tertium ſanativum. Nam poenitentia pungit, miſericordia refrigerat, gratiarum actio ſanat. Primum unguentum eſt incipientium, ſecundum proficientium, tertium perfectorum. Primum unguentum conficitur de pluribus, & vilibus herbis, & talibus, quae facile comparantur, ideſt de vitiis, & peccatis, de quibus homo poenitere debet. Secundum fit de caris ſpeciebus, utpote de rebus, & divitiis noſtris. Tertium fit de chariſſimis aromatibus, ideſt de virtutibus, & bonis operibus. De illis gratias debet homo agere Deo. Primum unguentum, ideſt poenitentiam offeret Maria Magdalena, per quam fides ſignificatur. Nam quia homo mortem timet aeternam, & credit poenas imminere peccatoribus & impoenitentibus, remiſſionem vero peccatorum, & inſuper vitam aeternam dari poenitentibus agit de peccatis ſuis poenitentiam. Secundum, ideſt miſericordiam offert Maria Jacobi per quam ſpes intelligitur. Nam homo ideo miſericordiam facit homini, quia ſibi miſericordiam fieri ſperat a Deo, dicente Domino: *Beati miſericordes quoniam miſericordiam conſequentur*. Tertium unguentum, ideſt gratiarum actionem offert Maria Salome, per quam caritas figuratur. Quoniam ex quo homo perfecte diligit Deum, abſtinet ſe ab omni malo & ſtudet in omni bono, & inde gratias agit Deo. Praefatis igitur tribus unguentis, redolentes chariſſimi fratres, ideſt poenitentia, miſericordia, & gratiarum actione ad ſepulcrum, in quo Chriſti corpus collocatum fuit, & ubi reſuſcitatus demonſtrabitur vobis venire debetis. Sepulcrum Chriſti eſt ordo praedicatorum, de quo Chriſtus procedens, & quaſi de ſepulcro reſurgens in mentibus fidelium quotidie innovatur. In hoc ſepulcro invenietis Angelum Domini, doctrinam videlicet ſacri eloquii, quod vobis nuntiat Chriſtum veraciter reſurrexiſſe, & in Galilaeam, ideſt in tranſmigratione verae & incommutabilis beatitudinis vos praeceſſiſſe, ubi ad dexteram Dei ſedet in gloriam Patris. In Galilaeam igitur Chriſto occurrite, ideſt in tranſmigrationem de malo ad bonum tranſmigrantes de vitiis ad virtutes, & de hoc mundo ad patrem. Ibi eum videbitis cum apparuerit Chriſtus vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloriam. Ad quam nos.

FERIA SECUNDA.

SERMO SUPER LUCAM.

E*Xeuntes duo ex diſcipulis Jeſu, ibant ipſa die in caſtellum quod erat in ſpatio ſtadiorum ſexaginta a Jeruſalem nomine Emmaus &c.* Dominus noſter Jeſus Chriſtus eſt caput noſtrum, & eſt Pater, & Dominus, atque magiſter noſter, & nos debemus imitari illum, tanquam membra, caput, & quaſi filii boni bonum patrem. Ipſe namque ſicut dicit Apoſtolus Petrus: *Mortuus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtificationes noſtras*; & nos ſimiliter moriamur vitiis & peccatis, & reſurgamus virtutibus, & bonis operibus. Ecce etenim ſicut dicit Evangeliſta ipſa die reſurrectionis Chriſti duo ex diſcipulis ejus ibant in caſtellum Emmaus. Duo diſcipuli Chriſti ſunt ſpiritus & corpus, qui debet ambulare ad caſtellum Emmaus, ideſt ad aeternam beatitudinem; ſpiritus debet ambulare voluntate, & corpus operatione. Non debent Chriſti diſcipuli ſoli ambulare, quia ſcriptum eſt: *Veh ſoli, quia cum ceciderit non habet ſublevantem*. Solus eſt, cum quo Chriſtus non eſt. Sed diſcipuli Chriſti non debent eſſe ſoli, ſed duo, ut habeant in ſe geminam dilectionem, Dei videlicet & proximi. Hinc eſt quod Chriſtus diſcipulos ſuos binos miſit ad praedicandum. Et iſti euntes loquebantur ad invicem de his, quae acciderant, & facta erant de Jeſu. Et nos ſimiliter euntes ad caſtellum Emmaus, ideſt ad caeleſtem patriam, non greſſibus pedum, ſed moribus bonorum operum, ſemper loquamur de his, quae pertinent ad Jeſum, ideſt ad ſalu-

Digitized by Google

ſalutem noſtram. In iſtis diſcipulis erant tria mala, triſtitia videlicet, ſtultitia, & infidelitas. Triſtitia erat in eis; unde dictum eſt: *Ambulantes & eſtis triſtes*. Stultitia & infidelitas erat in eis. Unde audire meruerunt. *O ſtulti & tardi corde ad credendum*. Contra haec tria mala poſuit tria bona; contra triſtitiam poſuit laetitiam, quam habuerunt diſcipuli cum cognoverunt eum in fractione panis. Contra ſtultitiam poſuit doctrinam, quia ſtultus docendus eſt, & hoc fecit, *incipiens a Moyſe, & omnibus Prophetis interpretabatur illis ſcripturas in omnibus quae de ipſo erant*. Contra infidelitatem vero, poſuit increpationem. Sicut ſcriptum eſt: *Et increpavit eos*. Infidelis namque, & qui ad credendum tardus eſt, gravi increpatione feriendus eſt. Sequitur: *Et appropinquaverunt caſtello quo ibant, & ipſe finxit ſe longius ire, & coegerunt illum dicentes: Mane nobiſcum Domine, quoniam adveſperaſcit, & inclinata eſt jam dies*. In veſpere Chriſtus oſtendit ſe velle diſcedere a diſcipulis. Veſpere autem finis eſt diei, & principium noctis. In die notatur proſperitas, & in nocte adverſitas. Sicut per prophetam dicitur: *Ad annuntiandum mane miſericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem*. Quia proſperitas noſtra cum eſt, fit de miſericordia Dei, & adverſitas de juſtitia. Veſpere itaque ideſt deficiente proſperitate, & incipiente adverſitate Deus videtur diſcedere a fidelibus ſuis, quoniam eos ab adverſitate liberat, non ſicut viſus eſt diſceſſiſſe a Chriſto in paſſione ſua. Unde Chriſtus ait: *Deus meus, Deus meus ut quid dereliquiſti me*. Sed fideles Chriſti debent eum cogere precibus, & orationibus, atque aliis piis operibus dicentes cum Propheta: *Ne derelinquas me Domine Deus meus, ne diſcedas a me*. Sequitur: *Et intravit cum illis, & factum eſt dum recumberet cum illis accepit panem, & benedixit ac fregit, & porrigebat illis, & aperti ſunt oculi eorum, & cognoverunt eum*. Non eſt agnitus Chriſtus a diſcipulis ſuis, antequam panem frangeret, ſed in panis fractione cognitus eſt. Per panem intelligitur ſcriptura divina, quia eſt ipſa cibus animae noſtrae; fractio ergo panis expoſitio eſt divinae ſcripturae. Nam antequam panis frangatur, ſola exteriora videntur, ſed cum frangitur, ipſa interiora quae latebunt apparent. Sic & divina ſcriptura antequam exponatur ſola exteriora videntur hiſtoriae, ſed cum exponitur interiora figurae aut moralitatis apparent. De hac fractione per Jeremiam dicitur: *Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis*. In fractione ergo panis cognitus eſt Chriſtus a diſcipulis ſuis, quia in expoſitione divinae ſcripturae ſemper melius Deus intelligitur & cognoſcitur a ſuis fidelibus. Poteſt & aliud, de ejuſdem panis fractione intelligi, ut per panem intelligatur homo, qui tunc frangitur cum moritur. Panis enim cum frangitur partes ejus a ſe invicem ſeparantur, & homo cum moritur anima a corpore disjungitur, in qua disjunctione Deus perfecte cognoſcitur. Unde per Pſalmiſtam dicitur: *Cum dederit dilectis ſuis ſomnum, haec eſt haereditas Domini*. Quia cum Deus dat ſomnum mortis fidelibus ſuis, tunc adeſt haereditas Domini, ideſt viſio & cognitio ejus, quae alio nomine poteſt appellari vita aeterna. Unde Dominus ait: *Haec eſt autem vita aeterna, ut cognoſcant te verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum*; hinc etiam per Paulum dicitur: *Videmus nunc per ſpeculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam ſicut, & cognitus ſum*; ad quam cognitionem nos perducere dignetur, qui eſt ſuper omnia Deus.

OCTAVA PASCHÆ.

Cum eſſet ſero die illo una ſabbatorum, & fores eſſent clauſae, ubi erant diſcipuli congregati propter metum Judaeorum ſtetit Jeſus in medio diſcipulorum ſuorum, & dixit eis pax vobis &c. Sicut homo moritur ſpiritualiter cum peccat, dicente ſcriptura: *Anima, quae peccaverit ipſa morietur*, ſic & reſurgit ſpiritualiter, cum de peccato converſus poenitet; ſicut ſcriptum eſt: *Quacumque hora peccator converſus fuerit & ingemuerit, vita vivet, & non morietur*. Reſurrectio autem noſtra habet mane, habet meridiem, habet ſero. Mane eſt contritio cordis, quia tunc incipit nobis oriri ſol juſtitiae. Meridies eſt confeſſio oris, quia jam in mente noſtra crevit ardor caritatis. Unde erubeſcimus peccatum confiteri. Sero autem eſt ſatisfactio operis. Sero autem initium eſt noctis, & ſicut alias diximus adverſitatem ſolet ſignificare. In ſatisfactione namque operis poenitentiae adverſitas, & afflictio corporis eſt. Utpote carina, exilium, & multa alia gravia, quae poenitentibus imponantur. Cum itaque eſſet ſero die illo, videlicet reſurrectionis Chriſti una ſabbatorum, & fores eſſent clauſae venit Jeſus, & ſtetit in medio & dixit *Pax vobis*. Similiter, & in ſatisfactione poenitentiae, quae eſt ſero noſtrae reſurrectionis, portae noſtrae, ideſt ſenſus noſtri, utpote oculi, aures, & os debent eſſe clauſae. Oculi, ne videant vanitates; aures, ne audiant verba detractionis; os ne verba malitiae, aut otioſa loquatur; & hoc propter metum Judaeorum, ideſt malignorum ſpirituum. Et cum haec taliter fuerint, venit Jeſus, & ſtetit in medio noſtrum, vel ſtat ideſt in corde noſtro, quia continuo cor noſtrum incipit de Deo cogitare. Anima namque noſtra dicitur habere ſimilitudinem aquae. Sicut aqua ſemper quaerit aliquem meatum unde exeat, & ſi forte clauſus fuerit unus, quaerit alium, & ſi omnes clauſi fuerint ſurſum aſcendit; ſic & anima noſtra quaerit foras exire per feneſtras ſenſuum noſtrorum, quae ſi forte clauſae fuerint ſurſum aſcendit, quia de Deo cogitare incipit. Unde in Canticis canticorum dicitur: *Revertere, revertere Sunamitis, revertere, ut intueamur te*. Sunamitis interpretatur captiva, & ideo recte ſignificat animam noſtram; quae ad voluptates carnales egrediens & ſaecularia deſideria captivatur a malignis ſpiritibus. Cuique dicitur revertere, quia per quatuor ſenſus exiverat, videlicet per oculos, & aures, & os, & nares. Sed poſtquam Jeſus venit, & ſtetit in medio diſcipulorum ſuorum, & dixit eis *pax vobis*. Quia ex quo Deus intrat ad nos, & ſtat in medio noſtrum, ideſt in corde, quod eſt in medio corpore noſtro, incipit homo habere pacem, & non unam tantum, ſed triplicem, quam nimirum habebat homo ante peccatum. Quoniam habebat pacem cum Deo, pacem cum proximo, pacem etiam ſecum. Sed poſtquam peccavit de triplici pace, in triplicem venit diſcordiam. Quoniam diſcordiam coepit habere cum Deo, diſcordiam cum proximo, diſcordiam etiam ſecum. Quia caro etiam coepit concupiſcere adverſus ſpiritum, ſpiritus adverſus carnem. Hanc triplicem diſcordiam faciunt tria vitia; ſuperbia videlicet, invidia, & ira. Nam ſuperbia aufert homini Deum, invidia aufert homini proximum, invidia aufert homini ſeipſum. Poſtquam autem Jeſus dixit diſcipulis ſuis *pax vobis*, ſecutus Evangelia adjunxit: *Gaviſi ergo diſcipuli viſo Domino*. Quoniam poſtquam homo praedictam pacem habet, incipit gaudere tam de immunitate peccati, quam de ſpe, & certitudine futuri boni. Unde Spiritus Sanctus vocatur *oleum lætitiæ*. Sicut per Prophetam dicitur: *Unxit te Deus oleo laetitiae*, quia de praedictis hominem laetari facit. Habeamus itaque fratres pacem, ſicut ſupra diximus, ut cum Deo gaudere poſſimus. Ad quod.

DOMINICA SECUNDA.

SERMO SUPER JOANNEM.

DOminus noſter Jeſus Chriſtus volens nos eſſe bonos paſtores, formam boni paſtoris nobis imprimit, & primum ſe bonum paſtorem nominat dicens. *Ego ſum Paſtor bonus. Bonus Paſtor animam ſuam ponit pro ovibus ſuis.* Unde notandum eſt, quod tria ſunt genera hominum: alii namque aperte mali ſunt, alii ficte boni, alii vere boni. Aperte mali fuerunt ante legem, ficte boni ſub lege, vere boni ſub gratia. Item aperte mali ſunt pagani, ficte boni Judaei, vere boni Chriſtiani. Ruſum aperte mali habent fidem, ſed non opus, neque caritatem; ficte boni habent fidem, & opera, caritatem autem non habent; verè boni habent fidem, opus, & caritatem.

Haec tria genera hominum notantur in hac lectione evangelica. Nam aperte mali deſignantur per lupum, ficte boni per Mercenarium, vere boni per Paſtorem. Quod omnes ovem obſervant, & conſiderant. Paſtor ut paſcat & ſalvet; lupus ut occidat & devoret; mercenarius, ut ab eis lucrum, & mercedem accipiat. Item in obſervatione ovis ſi lupus eſt a ſiniſtris, paſtor eſt a deſtris, ita ut ovis dicere poſſit *a dextris eſt mihi Dominus*. Item ſi paſtor eſt a ſiniſtris, lupus eſt a dextris. Scriptum quippe eſt. *& Diabolus ſtet a dextris ejus.* Videndum eſt autem quid proprium ſit paſtoris, quid lupi, quid mercenarij: paſtoris eſt ovem paſcere, & ſuam ſalutem principaliter quaerere; lupi vero eſt ovem occidere, & devorare. Mercenarii autem eſt ovem paſcere, ſed principaliter, ut ab ea paſcatur quaerere. Nam ſicut paſtor ideo comedit, ut praedicare poſſit, ſic e contrario mercenarius ideo praedicat, ut quid comedat inveniat. Tribus namque modis Paſtor ovem paſcit, quia tertio dixit Dominus Petro *paſce oves meas*, & tribus modis mercenarius paſcitur ab ovibus. Paſtor nimirum paſcit oves bona vita, recta doctrina, & ſancta oratione. Bona vita neceſſaria eſt Paſtori, recta doctrina populo, ſancta oratio defertur Deo. Quia tres ſunt, ſacerdos, Populus, & Deus. Item paſtor debet tria habere panem in pera, baculum, quo ſe ſuſtineat, & lupum feriat, & canem, ſed ligatum. Panem habeat in pera hoc eſt cibum verbi Dei in mente. Baculum ideſt correctionem habeat, qua ſe ipſum ſuſtineat, ideſt apud Deum ſe excuſet, & lupum, ideſt male operantes feriat. Similiter, & canem, ideſt Zelum Dei habeat, quo tyrannos, & iniquos homines commordeat, ſed ligatum fune videlicet rationis, ut non ultro excedat, quam ratio exigit. Similiter, & tribus modis mercenarius paſcitur ab ovibus, & tria namque ſunt, que Mercenarius ab ovibus exigit, lac, lanam, & carnem. In lacte intelligitur honor, in lana divitiae, in carne vero carnalis voluptas. Qui ergo Eccleſiam ſuſcipit, non ut Deo ſerviat, ſed ut temporalem honorem acquirat, profecto mercenarius eſt, quia lac quaerit. Item qui ad hoc eccleſiam intrat non ut Deo ſerviat, ſed quia eam divitem eſſe cognoſcit, mercenarius eſt, quia lanam principaliter quaerit. Qui vero Eccleſiam ſuſcipit, ut in ea plene comedendo, & juxta voluptatem carnis bibendo voluptates carnis exerceat, mercenarius eſt quia carnem quaerit. Et iſti tales non ſolum mercenarii, ſed etiam fures vocari poſſunt. Sic enim ait Dominus. *Qui non intrat per oſtium in ovile ovium, ſed aſcendit aliunde ille fur eſt, & latro.* Ovile ovium Sancta Eccleſia eſt, oſtium autem Chriſtus eſt, ſicut ipſe ait. *Ego ſum oſtium.* Qui ergo intrat in ovile ovium, ideſt in aliquam Eccleſiam non per oſtium, ideſt propter Deum, hoc eſt ut Deo ſerviat, ſed aſcendit aliunde, ideſt ut alium ſibi acquirat honorem videlicet divitias, & voluptates carnis, ille profecto fur eſt, & latro. Ruſus qui ideo dulciter in Eccleſia cantat non ut populus in anima aedificetur, ſed ut ille qui cantat laudetur, mercenarius eſt, quia lac, ideſt temporalem honorem quaerit. Item qui ideo cantat Miſſam, non ut Deo ſerviat, ſed ut nummum accipiat, mercenarius eſt, quia lanam quaerit. Haec autem quae Mercenarius exigit, paſtor ſuſcipere poteſt. Sed aliud eſt principaliter ea quaerere, aliud ſponte ſuſcipere oblata. Nam paſtor principaliter quaerit paſcere oves, ſecundario vero paſci ab ovibus. Mercenarius vero principaliter paſci ab ovibus, ſecundario vero paſcere oves. Nam licet ſacerdoti excommunicare aliquem, qui ſubtrahit ei juſtitiam Eccleſiae, ſed hic magis debet conſiderare peccatum illius quam proprium commodum. Notandum eſt autem quia mercenarium ad tempus poteſt Eccleſia ſuſtinere, lupum vero debet ejicere, ſed paſtorem nunquam repellere. Vos itaque Fratres, qui ſacerdotis officium, & populi caram ſuſcepiſtis, ſtudete in quantum poteſtis pabulo verbi Dei populum vobis commiſſum paſcere, ut a Deo paſci & in aeterna requie refici valeatis. Ipſo auxiliante.

IN ASCENSIONE DOMINI.

CUm ſtaret Ezechiel juxta fluvium Chobar vidit quatuor animalia, quorum primum habebat ſimilitudinem hominis. Secundum ſimilitudinem vituli. Tertium leonis. Quartum vero figuram aquilae geſtabat: quae omnia Chriſtum profecto ſignificabant. Ipſe namque cum eſſet Deus ante ſaecula, factus eſt homo in fine ſaeculorum. De quo ſcriptum eſt. *Ecce veniet Deus, & homo*, & iterum: *homo factus eſt in ea, & ipſe formavit eam Altiſſimus.* Similiter in paſſione ſua factus eſt vitulus. Vitulus namque in ſacrificio offerebatur, & ipſe obtulit ſeipſum Deo patri in ara Crucis. Similiter in reſurrectione factus eſt leo. Leo enim apertis oculis dormire perhibetur, quia in ipſa morte, in qua ex humanitate Redemptor noſter dormire potuit, ex divinitate ſua immortalis permanendo vigilavit. Cum itaque naſcendo factus ſit homo, moriendo vitulus, reſurgendo leo, in Caelo aſcendendo factus eſt Aquila. Aquila enim altius cunctis avibus volare perhibetur, & Chriſtus in Caelum aſcendendo ſuper omnes Angelos eſt elevatus. Unde ſcriptum eſt. *Et aſcendit ſuper Cherubim, volavit ſuper pennas ventorum.* Venti enim animæ ſanctorum ſunt, more ventorum ſuperiora petunt: pennæ ventorum virtutes ſunt animarum, quæ ipſas animas in altum elevant. Aſcendit ergo Dominus ſuper Cherubin, quae ſunt ſuper omnes ordines angelorum, & volavit ſuper pennas ventorum, ideſt ſuper virtutes omnium Sanctorum. De hac quoque Aſcenſione per Pſalmiſtam dicitur. *Aſcendit Deus in Jubilo, & Dominus in voce tubæ.* Jubilus dicitur immenſum gaudium, quod voce exprimi non poteſt: hoc tale gaudium habuerunt Apoſtoli, cum eum in Cælum aſcendere viderunt, & hoc in jubilo aſcendit Deus Unde dicitur. *Aſcendit Deus in Jubilo, & Dominus in voce tubæ.* In Aſcenſione Chriſti non legitur fuiſſe alia tuba, niſi illa vox angelica quae dixit. *Viri Galilæi quid ſtatis aſpicientes in Cælum?* In voce ergo tubæ ideſt in voce Angelorum Chriſtus aſcendit. De qua tuba Apoſtolus ait. *Canet enim tuba, & mortui reſurgent incorrupti.* Si ergo fratres Redemptor noſter vocatus eſt homo, vitulus, leo, & aquila. Vos qui eſtis membra ipſius imitari eum debetis, ut ſitis homo, vitulus, leo, & aquila. Homo namque rationale animal eſt. Ille igitur qui ſecundum rationem vivit, qui juſte & rationabiliter omnia facit, ille utique homo appellari debet. Sicut e contrario qui nihil ſecundum rationem vult, qui in actibus ſuis non rationem, ſed carnis voluptatem attendit, ille utique non homo, ſed beſtia appellandus eſt. Unde per Pſalmiſtam dicitur: *homo cum in honore eſſet non intellexit,* com-

comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus illis. Honor hominis fuit quod eum Deus ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam creavit. Quem quia homo non intellexit & non ſecundum rationem, ſed beſtialiter vivere voluit, merito beſtiae aſſimilatus eſt. Aliter namque factus eſt homo, & aliter beſtia. Homo factus eſt ut caelum poſſit aſpicere. Beſtia facta eſt, ut terram ſolummodo valeat videre. Qui ergo caeleſtia cogitat, caeleſtia meditatur, caeleſtia diligit, ille utique homo appellari debet. Qui autem terrena ſolummodo ſapit, terrena tantummodo meditator & diligit, ille utique non homo, ſed beſtia appellandus eſt. Debet unuſquiſque veſtrum eſſe vitulus. Vitulus quidem in ſacrificio offerebatur, & occidebatur, & unoſquiſque homo qui ſemetipſum ab hujus mundi voluptate mortificat, & qui in ſe carnis concupiſcentiam interficit, ille utique vitulus eſt. Unde Apoſtolus ait: *Mortificate membra veſtra, quae ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, avaritiam, & omnem concupiſcentiam malam*, & iterum. *Obſecro vos per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem*. Debet unuſquiſque eſſe, ut leo. Leo namque fortis eſt beſtia. Sicut ſcriptum eſt. *Leo fortiſſimus beſtiarum*, ad nullius pavebit occurſum, & unuſquiſque fidelis contra omnia adverſa fortitudinem ſeveritatis habere debet. Unde ſcriptum eſt. *Juſtus quaſi leo confidens abſque terrore erit*. Debemus nos eſſe & aquila quae prae caeteris avibus altius volat, & inreverberatis oculis ſolem intuetur. Nam qui ſublimiter contemplatur ea, quae caeleſtia, atque terreſtria ſunt, qui de Deo, & his, quae ad Deum pertinent ſine intermiſſione cogitat, ille nimirum aquila appellandus eſt. Vos itaque qui Aſcenſionem Domini celebratis, debetis imitari quod colitis, ut mentem veſtram in caeleſtibus habeatis, quatenus in futuro, non ſolum mente, ſed etiam corpore cum Chriſto regnare valeatis. Ipſo auxiliante.

IN PENTECOSTEN.

SERMO.

Cum complerentur dies Penteccoſtes erant omnes pariter diſcipuli in eodem loco, & factus eſt repente de Cælo ſonus tamquam advenientis Spiritus vehementis, & replevit totam domum ubi erant ſedentes.

FEſtivitas iſta Fratres vocatur Pentecoſtes. Pentecoſtes interpretatur quinquageſima. Quinquageſimus autem numerus poenitentiam ſignificat. Unde & quinquageſimus annus vocatus eſt Jubileus, ideſt remiſſionis, & ideo merito ſignificat poenitentiam per quam nobis peccata dimittuntur. Dicente Petro Apoſtolo. *Pœnitemini igitur, & convertimini, ut deleantur veſtra peccata*. Dicit ergo ſcriptura. *Dum complerentur dies pentecoſtes erant omnes diſcipuli pariter in eodem loco*, quia completis diebus poenitentiae noſtrae nos qui ſumus fideles, & diſcipuli Chriſti, debemus eſſe in eodem loco. Locus ille in quo nos poſt poenitentiam ſtare debemus juſtitia eſt. Unde per Salomonem dicitur. *Si Spiritus poteſtatem habens ſuper te aſcenderit, locum tuum ne dimittas*, hoc eſt. Si Spiritus malignus habens poteſtatem tentandi te ſuper te aſcenderit, & te graviter tentaverit, locum tuum, hoc eſt juſtitiam ne dimittas ut tentationi ejus conſentiens peccare compellaris. Bene ergo dicit Scriptura quod *completis diebus. Pentecoſtes erant omnes diſcipuli pariter in eodem loco*. Quia completis diebus poenitentiae noſtrae debemus ſtare in juſtitia. Nam per remiſſionem peccatorum evadimus poenam Inferni. Per juſtitiam vero qua bene operamur acquirimus gloriam Paradiſi. Sequitur. *Et factus eſt repente de cælo ſonus tamquam advenientis ſpiritus vehementis* &c. Caelum vocatur anima juſti. Unde Dominus ait: *Cælum mihi ſedes eſt*, & iterum. *Anima juſti ſedes eſt ſapientiæ*. Merito ergo Caelum anima juſti dicitur. De hoc Cælo repente ſonus naſcitur, ideſt compunctio interna quæ voce Dominica non ſolum ſonus, ſed etiam vox apppellatur. Unde dicitur: *Spiritus ubi vult ſpirat, & vocem ejus audis, & neſcit unde veniat, aut quo vadat*. Spiritus ubi vult ſpirat, quia ſicut dicit Apoſtolus. *Cui vult miſeretur, & quem vult indurat*, & neſcis unde veniat illa compunctio in oratione, aut quo vadat in praedicatione. Multoties enim cum homo orat, conatur plurimum, ut habeat compunctionem, & habere non poteſt; aliquoties autem, cum ad hoc non intendit, innaſcitur ei in mente compunctio, & ideo neſcitur unde veniat in oratione, aut quo vadat in praedicatione. Sæpe etenim una eademque praedicatio quibuſdam prodeſt, quibuſdam vero nocet. Sicut ſol cum ſit unus & idem, lutum deſiccat, ceram vero liquefacit, lutum reddit durum, ceram vero mollem. Unde Apoſtolus ait. *Chriſti bonus odor ſumus Deo in omni loco*: aliis quidem odor vitae in vitam, aliis odor mortis in mortem. De reſurrectione quoque Lazari legimus, quod quibuſdam profuit, quibuſdam nocuit; profuit his, qui per eam crediderunt in Chriſto; nocuit his, qui per eam invidia exarſerunt; ſicut enim Evangeliſta ait: *Multi ergo ex Judæis qui venerant ad Mariam, & viderant quod fecit, crediderunt in eum*, & iterum: *Cogitaverunt autem principes ſacerdotum ut & Lazarum interficerent, quia multi propter illum abibant ex Judæis, & credebant in Jeſum*. Et ideo merito diximus, quia neſcimus quo, ideſt ad quem vadat in praedicatione. Sequitur. *Et apparuerunt Apoſtolis diſpertitæ linguæ tanquam ignis ſeditque ſupra ſingulos eorum*. Bene Spiritus Sanctus in igne diſcipulis apparuit, quia ignis in ſe duo habet, videlicet ſplendorem, & calorem. Splendore illuminat, calore calefacit. Sic & Spiritus Sanctus illuminat nos ad ſcientiam, & calefacit ad caritatem. In ſcientia datur nobis cognitio veritatis; in caritate dilectio bonitatis. Et quoniam qui bonum agnoſcit, & ipſum bonum quod cognoſcit diligit, ex eo libenter loquitur; ideo merito Spiritus Sanctus non ſolum in igne, ſed etiam in linguis apparuit; et ideo fratres mei vos qui templum Spiritus Sancti eſſe debetis, diligite bonum quod cognoſcitis, & non ſolum noſmetipſos, ſed etiam alios loquendo exhortamini. Quatenus non ſolum Spiritum Sanctum in vobis habere, ſed etiam cum ipſo regnare valeatis. Ipſo adjuvante.

ALIUS SERMO

IN PENTECOSTEN.

LEgitur in veteri teſtamento, quod cum Moyſes paſceret oves Jethro cognati ſui, & minaſſet gregem ad interiora deſerti, vidit rubum ardere, quod non comburebatur, & dixit *ibo, & videbo viſionem hanc magnam, & quare non comburatur rubus. Vocavitque eum Dominus de rubo dicens: Moyſes, Moyſes, ne appropies huc, ſolve calceamenta pedum tuorum, locus enim in quo ſtas terra ſancta eſt*. Moyſes qui interpretatur aquaticus ſignificat Chriſtianum, qui ex aquis baptiſmatis eſt regeneratus. Iſte in deſerto: ibi namque non homines qui rationales ſunt, ſed beſtiae, & ferae habitare ſolent, quia in pravo corde alicujus non rationales cogitationes, aut voluntates, ſed beſtiales, & ferinae habitant. Paſcit ergo Moyſes, ideſt aliquis Chriſtianus in hoc deſerto, ideſt in pravo corde oves Jethro cognati ſui, ideſt ſimplices ſententias Chriſti, quae more ovium lac ſuavitatis in ſe habent. Unde Paulus ait. *Lac potum dedi vobis, non eſcam*, & Petrus. *Quaſi modo geniti infantes lac concupiſcite*. Jethro merito ſignificat

Digitized by Google

ficat Chriſtum, qui non ſolum cognatus, ſed etiam frater noſter fieri dignatus eſt. Unde ipſe ait. *Quicumque fecerit voluntatem patris mei qui in caelis eſt, ipſe meus frater, ſoror, & mater eſt*; & iterum. *Ite nuntiate fratribus meis*. Sequitur. *Cumque minaſſet gregem ad interiora deſerti, vocavit eum Dominus de rubo ad interiora Deſerti*, ideſt ad intima ſui cordis: Unuſquiſque Chriſtianus hujuſmodi gregem debet minare, ut ſententias divinae ſcripturae non ſolum audiat, ſed etiam intelligat, & intellectas memoriter teneat: Huic Moyſi loquitur de rubo. Rubus ſignificat Apoſtolos, rubus autem ſpinas habet, & Apoſtoli Chriſti licet ſpiritu ſancto pleni eſſet, tamen ſpinas peccatorum in ſe haerent. Unde Joannes ait. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*; & Jacobus. *In multis offendimus omnes*; ignis in rubo, Spiritus Sanctus in Apoſtolis. Sicut Deus de rubo loquebatur Moyſi, ſic de Apoſtolis loquitur quotidie Chriſtianis. Unde Dominus ait. *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis*, ideſt per vos. Sed ſi Dominus de rubo loquebatur Moyſi. Audite quid ei dixit. *Solve calceamenta pedum tuorum:* hoc dixit ei Dominus, & hoc dicit unicuique Chriſtiano per Apoſtolos ſuos doctores videlicet, ut ſolvat calceamenta pedum ſuorum. Calceamenta ex mortuis animalibus fiunt. Mortua animalia ſunt ſaeculares viri qui mortui dicuntur, quia in ſe mortem peccati habent; unde dicitur. *Anima, quae peccaverit ipſa morietur*, ideſt animalis quia beſtialiter vivit. De quibus ait Apoſtolus. *Animalis homo non percipit ea, quae Dei ſunt*. Calceamenta igitur ſunt mores, & converſationes ſaecularium virorum, quae nimirum Moyſes, ideſt unuſquiſque Chriſtianus a pedibus, ideſt ab operibus ſuis ſolvere debet, ideſt penitus ſeparare. Calceamentum ideo ſolvitur, ut eſtrahatur, & ideo extrahitur, ut a pede ſeparetur. Quia ergo Fratres Pentecoſten, ideſt Feſtivitatem Spiritus Sancti celebratis, debetis imitari quod colitis. Studete in quantum poteſtis, ut ſitis Templum Spiritus Sancti, & ut Spiritus Sanctus in vobis dignetur habitare, quod nunquam melius fiet, quam ſi Deum diligatis & mandata ejus ſervetis. Unde ipſe ait in Evangelio. *Si quis diligit me ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*. Quod vobis parare &c.

S E R M O.

Homo quidam erat dives, & induebatur purpura, & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendide &c. Sicut in alio ſermone apertius diſſeruimus, tria ſunt hominum genera, quorum alii ſunt aperte mali, alii ficte boni, alii vero boni. Aperte mali vocantur peccatores, ficte boni Ipocrytæ, vere boni religioſi, & iſta tria genera hominum poſſunt notari in hac lectione ſancti Evangelii. Videamus itaque quomodo homo quidam erat dives: Homo iſte Diabolus eſt de quo Dominus ait. *Inimicus homo diabolus eſt*, & Propheta. *Miſerere mihi Domine, quoniam conculcavit me homo.* Iſte homo dives eſt, ideſt ſuperbus. Sicut de eo ſcriptum eſt. *Ipſe eſt rex ſuper omnes filios ſuperbiae*. Nam ſicut paupertas ſolet afferre humilitatem, ſic e contrario divitiae ſuperbiam pariunt. Unde Dominus ait. *Beati pauperes ſpiritu*, hoc eſt beati humiles. Iſte homo induitur byſſo, & purpura. Sicut boni dicuntur veſtis Chriſti. Unde Propheta ait. *Vivit Dominus; quia his omnibus veſtieris:* ſic e contrario mali dicuntur veſtis Diaboli. Et quoniam malorum alii ſunt aperte mali, alii ficte boni, ideo de homine iſto dicitur, quod induebatur purpura, & byſſo: purpura, quae ſanguine tingitur, & in aqua ſanguis apparet, ſignificat aperte malos, in quibus ſanguis, hoc eſt peccatum apparet. Quod autem peccatum per ſanguinem ſignificetur oſtendit Propheta qui ait. *Si non annuntiaveris iniquo iniquitatem ſuam, ſanguinem ejus de manu tua requiram*, & Pſalmiſta, *libera me de ſanguinibus*. Byſſus vero, quae candidi coloris eſt ſignificat ficte bonos, hoc eſt Ipocrytas. Nam cum pallor in facie oſtenditur, vitios patefacta laudatur; & quia non ſufficit ei malos habere, ſed nititur bonos devorare, ideo ſequitur: *& epulabatur quotidie ſplendide.* Splendide epulatur Diabolus, quia bonos devorare nititur. Unde Job ait. *Eſca ejus electa*; & iterum. *Abſorbebit fluvium, & non mirabitur, ſed habet fiduciam, ut influat Jordanis in os ejus*. In fluvio mali intelliguntur, qui in laſcivia carnis, & in fluxu ventris quotidie vivunt. Abſorbet ergo diabolus fluvium, & non miratur, quia non pro magno habet ſi malos devoret, ſed habet fiduciam, quod influat Jordanis in os ejus. Jordanis in quo Chriſtus baptizatus eſt, baptizatos ſignificat, & humiles. Jordanis namque interpretatur deſcenſus, & ſignificat illos, qui propter Deum ſeipſos humiliantes, de hujus ſaeculi altitudine deſcenderunt ad humilitatem Dei; hos Diabolus quotidie devorare nititur, & deglutire ſperat. Ideo merito dicitur, quod ejus eſca eſt electa & quod dives epulatur quotidie. Sequitur. *Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus ulceribus plenus*. Lazarus qui interpretatur adjutus aliquem Dei ſervum ſignificat, qui cum Propheta dicere poteſt. *Ecce enim Deus adjuvat me, & Dominus ſuſceptor eſt animae meae*; & iterum. *Adjutor meus eſto, ne derelinquas me*. Iſte dicitur mendicus, ideſt humilis; dicens cum Propheta. *Ego autem mendicus ſum, & pauper*. Qui nimirum jacebat ad januam ejus. Videamus quae ſit domus divitis, & poſt ea ſciemus, quae ſit janua ejus. Si dives diabolum ſignificat, ſicut ſuperius dictum eſt, profecto hujus divitis domus mundus intelligitur, cujus & ipſe Princeps eſt. Unde Dominus ait. *Venit enim Princeps mundi hujus, & in me non habet quidquam*, & iterum. *Nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras*. De hac domo dicitur a Propheta unicuique fideli animae. *Obliviſcere populum tuum, & domum patris tui:* hujus domus poteſt appellari janua profeſſio regularis, quoniam per ipſam, tanquam per januam exitur de mundo, per profeſſionem namque regularem incipit homo mundum deſerere, Deo ſervire. In hac ergo janua, ideſt in regulari converſatione, vel profeſſione Lazarus iſte, ideſt aliquis Chriſtianus, & Dei ſervus jacet, ideſt humiliter manet adimplens quod in profeſſione promiſit. Dicens Deo cum Propheta. *Reddam tibi vota mea, quae diſtinxerunt labia mea*. Unde merito dicitur: *Ulceribus plenus*. In ulcere plaga evidenter apparet. Ulcus ergo peccati confeſſionem ſignificat in qua plaga peccati a poenitente oſtenditur aperte. Iſte ergo Lazarus ulceribus, ideſt peccatorum confeſſionibus plenus dicitur, quoniam peccata ſua quotidie confitetur. Sequitur. *Cupiens ſaturari de micis, quae cadebant de menſa, & nemo illi dabat*. Sic divina ſcriptura dicitur menſa Dei, quoniam in illa reperiuntur cibi, & dapes animae noſtrae. Unde Judaeis ſacrae ſcripturae non credentibus dicitur. *Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum*. Non immerito menſa diaboli dicitur doctrina poetarum de qua quaedam micae cadunt, ideſt aliquae ſententiae aedificatoriae quandoque perveniunt. Sed has micas nemo illi dabat, quoniam poetarum libros legere, & eorum ſententias addiſcere prohibemur; poſſumus tamen eas ad uſum noſtrum convertere ſi earum ſuperflua abjiciamus. Unde in lege Domini Moyſes praecepit: *Si egreſſus fueris ad bellum contra inimicos tuos, tradideritque eos Dominus in manibus tuis, & inveneris in numero captivorum puellam pulcram, quae oculis tuis placuerit, introduces eam in domum tuam. Ita dumtaxat ut radas cæſariem capitis ejus, & ſummitatem unguium illius præcidas, & poſt modum ſit tibi uxor*. Tunc ad bellum contra inimicos noſtros egredimur, quando cum haereticis luctamur, aut diſputationem habemus. Tunc eos Dominus in manus noſtras tradit, quando illos devi-

devicimus, & ad fidei veritatem venire cogimus: ſi viderimus in numero captivorum puellam, ideſt aliquam ſententiam, quae oculis noſtrae mentis placuerit, inducamus eam in domum noſtram ideſt noſtrae memoriae commendemus, ita ut radamus caeſariem capitis ejus, & ſummitates unguium praecidamus, ideſt omnia ſuperflua abjiciamus, & poſtea fit nobis uxor, ideſt propria ſententia. Sequitur. *Sed canes veniebant, & lingebant ulcera ejus.* Canum lingua vulnus dum lingit curat; ſic & lingua praedicatorum, qui per canes ſignificantur vulnera peccatorum noſtrorum lingendo, ideſt praedicando, increpando, obſecrando curat. Ideoque quia in hac vita ſine peccato non vivimus, recurramus ad poenitentiam, & ad confeſſionem, & ad bonam operationem, ut per poenitentiam peccata nobis dimittantur, & per bonam operationem vita aeterna donetur, quod vobis parare dignetur.

S E R M O.

Homo quidam fecit coenam magnam, & vocavit multos &c. Tres ſunt coenae. Eſt enim coena Dei, eſt coena diaboli, & eſt coena hominis. Coena Dei eſt bona operatio noſtra, in quo Deus reficitur, utpote in aliqua coena. Unde Dominus ait. *Meus cibus eſt ut faciatis voluntatem patris mei, qui in caelis eſt, qui miſit me,* & iterum. *Operamini non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam aeternam.* Sicut ergo coena Dei dicitur bona operatio noſtra, ſic e converſo coena diaboli dicitur mala operatio noſtra, in qua diabolus delectatur, & gaudet ſicut in ſua coena. Sed coena hominis eſt retributio aeternae beatitudinis, in qua anima ſimul cum corpore caeleſti convivio ſaturabitur. Unde per Prophetam dicitur. *Satiabor dum manifeſtabitur gloria tua:* & iterum Dominus. *Venient, & recumbent cum Abraam, Iſac, & Jacob in regno caelorum.* De his vero duabus coenis, ideſt Dei & hominis dicit Dominus; *Ecce ego ſto ad oſtium, & pulſo, ſi quis aperuerit mihi intrabo ad illum, & coenabo cum illo, & ille mecum.* Si eſtitas dicitur oſtium, quia per eam Dominus in hominem intrat, ſicut ipſe dicit. *Si quis diligit me ſermones meos ſervabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Stat Dominus ad oſtium, & pulſat, quando nos ad caritatem invitat dicens. *Hoc eſt praeceptum meum ut diligatis invicem* & iterum: *haec mando vobis, ut diligatis invicem.* Tunc ei aperimus, quando perfecte diligimus. Tunc in nos intrat, quando de Deo meditari, & ſuſpirari incipimus. Et quia charitas otioſa eſſe non poteſt, aut enim magna operatur ſi eſt, aut ſi operari renuerit, charitas dicenda non eſt. Ideo ſubjunctum eſt, *& coenabo cum illo, & ille mecum;* & videte ordinem, prius enim ponitur coena Dei cum dixit, *& coenabo cum illo,* & deinde coena hominis cum ſubjunxit, *& ille mecum.* Quia prius eſt noſtra bona operatio, quae eſt coena Dei, quam noſtrae bonae operationis aeterna retributio, quae dicitur coena hominis. Ad hanc autem coenam, ideſt ad bonam operationem, & aeternam retributionem Dominus vocat multos, quoniam nos omnes vocat. *Et miſit ſervum ſuum hora coenae dicere invitatis ut venirent:* hora coenae praeſens eſt vita, in qua miſit ſervum ſuum, ideſt ordinem praedicatorum dicere ut veniant ad coenam, ideſt ad bonam operationem. *Primus dixit villam emi, & neceſſe habeo videre illam, rogo te habe me excuſatum. Secundum dixit. Juga boum emi quinque, & eo probare illa. Tertius dixit: Uxorem duxi, & ideo non poſſum venire.* In his tribus excuſationibus notantur tria vitia. Luxuria, avaritia, & ſuperbia. Uxorem namque ducere ad voluptates carnis, ad luxuriam pertinere videtur. Emere autem, vel vendere ad avaritiam, & quinque vero Juga boum ad ſuperbiam. Nam in quinque Jugis, quinque Senſus exprimuntur; viſus, auditus, guſtus, odoratus, & tactus; & bene Juga poſuit, quia in Jugo duo boves junguntur, & in unoquoque ſenſu duo inſtrumenta inveniuntur, utpote in viſu duo oculi, in auditu duae aures, in guſtu duo labia, in odoratu duae nares, in tactu duae manus. Et quoniam ſi aliquis ſubtiliter videt, & aperte audit, & ſapienter loquitur, & diſcrete odorat, & fortiter tangendo operatur, ex his omnibus quinque ſuperbire ſolet. Merito per quinque Juga boum poteſt deſignari ſuperbia. De his tribus vitiis, ideſt luxuria, avaritia, & ſuperbia loquitur Joannes Evangeliſta dicens. *Omne quod in mundo eſt concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitae.* In concupiſcentia carnis intelligitur luxuria. In concupiſcentia oculorum avaritia. Nam avaritia, quod homo oculis concupiſcit, mente concupiſcere facit. In ſuperbia vero vitae intelligitur ipſa ſuperbia. Horum trium vitiorum, primum eſt in corpore duo vero, quae ſequuntur in anima. Luxuria namque in corpore eſt. Nam ſicut Apoſtolus ait. *Omne peccatum quodcumque fecerit homo extra corpus eſt, qui autem fornicatur in corpus ſuum peccat.* Duo vero quae ſequuntur ideſt avaritia, & ſuperbia in anima ſunt, unde & diabolus, qui ſpiritus eſt, & non caro, haec duo vitia habuiſſe dicitur. Superbiam quippe cum dixit. *Ponam ſedem meam ab Aquilone, & ero ſimilis Altiſſimo.* Avaritiam habuit, quando Deo hominem rapuit, & in eiſdem vitiis in quibus peccavit, in eiſdem punitus eſt. Nam ſicut ſuperbia gaudet ſi extollatur, ita triſtatur ſi eruatur. Rurſus ſicut avaritia gaudet ſi impleatur, ſic dolet ſi expolietur. Et Deus de caelo proſtravit ſuperbum, & in inferno expoliavit avarum. Et ſacra Scriptura dicit. *Sapientia vincit malitiam, attingit ergo a fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter.* Sapientia Dei Chriſtus eſt. De quo dicitur. *Virtus, & ſapientia Dei Dominus noſter Jeſus Chriſtus;* haec quippe ſapientia vincit malitiam, quia Chriſtus vicit diabolum, & haec victoria fuit a fine uſque ad finem. Duo ſunt fines unus ſupremus, & alter infimus. Supremus finis eſt caelum, infimus infernus. Haec ergo victoria fuit a fine uſque ad finem, quia de caelo proſtravit ſuperbum, & in inferno expoliavit avarum; his autem tribus vitiis, ideſt luxuriae, avaritiae, & ſuperbiae reſiſtimus per tres virtutes, ideſt caſtitatem, paupertatem, humilitatem, ſive obedientiam. Nam luxuriae reſiſtimus per caſtitatem, avaritiae per paupertatem, quoniam avaritia ſemper vult multa accumulare, paupertas autem pauca, aut nulla deſiderat habere; ſuperbiae vero reſiſtitur per humilitatem. Iſtae autem tres virtutes religioſis viris, utpote monachis, & Canonicis regularibus ita neceſſariae ſunt, ut nullo tempore, nullo loco, pro nulla perſona dimittantur. Caetera namque, utpote ſilentium, jejunium, oratio, & caetera talia pro tempore, loco, & perſona dimitti poſſunt, & commutationem recipiunt. Iſtae vero tres virtutes numquam pro tempore & loco, aut perſona dimitti debent, neque umquam commutationem recipiunt, ut ſemper, & ubique cum omni perſona, caſti, pauperes, humiles, atque obedientes ſint. Caſtitas autem triplex eſt. Eſt enim caſtitas cordis, & caſtitas oris, & eſt caſtitas corporis. Caſtitas cordis eſt non concupiſcere. Unde ſcriptum eſt. *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam moechatus eſt in corde ſuo;* & iterum. *Non concupiſces rem proximi tui, nec deſiderabis uxorem ejus.* Caſtitas oris eſt: laſciva verba, & turpem ſermonem numquam proferre. Caſtitas corporis eſt non fornicari, aut aliquo modo pollui: hanc autem triplicem caſtitatem ſignificant linea indumenta ſacerdotalia, ſicut eſt amictus, & alba; amictus pectus ſtringit ac collum, & ſignificat caſtitatem cordis, & oris. Pectus namque ſtringit ut de corde turpes cogitationes, aut voluntates non prodeant. Collum ſtringis, ut de ore turpia verba aut laſciva non exeant. Sequitur; Alba, quae totum cooperit corpus, ſignificat caſtitatem corporis. Iterum paupertas duplex debet eſſe, ut homo habeat paupertatem facultatis, & voluntatis, ut ſicut Monachus, & Ca-

Digitized by Google

& Canonicus, qui propter Deum debet dimittere propriam facultatem, & propriam voluntatem. De prima paupertate ſcriptum eſt. *Niſi quis renuntiaverit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus*. & iterum, *habentes victum & veſtitum, his contenti ſitis*. De ſecunda dicit Dominus. *Non veni facere voluntatem meam, ſed voluntatem patris mei, qui me miſit*. & iterum. *Pater ſi poſſibile eſt, tranſeat a me calix iſte, veruntamen fiat non mea voluntas, ſed tua*: hanc paupertatem ſignificat ordinatio clericorum. Nam quando clericus ordinatur capilli a capite abſcinduntur. Capilli ſignificant temporalia iſta, quia capillus inciſus non dolet, ſed evulſus dolet. Si abſcindatur quod extra carnem eſt non dolet, ſed quod infra carnem eſt, evellatur, dolet; ſic & temporalia iſta, ſi auferantur a nobis, quæ extra neceſſitatem carnis ſunt, ideſt ſuperflua non dolet, ſed ſi evellatur quod intra carnem eſt, ideſt intra neceſſitatem carnis, ſicut eſt victus, & veſtitus, caro dolet, quia ſine his vivere non poteſt. Sequitur tertia virtus, quæ eſt humilitas, quæ nimirum triplex eſt. Eſt enim humilitas parva, & major, quæ eſt media, & magna. Nam velle ſubdi majori humilitas eſt, ſed parva quidem; velle vero ſubdi pari major humilitas eſt. Sed velle ſubponi minori magna humilitas eſt. Sicut e contrario, velle quidem præponi minori ſuperbia quidem eſt, ſed parva. Velle præponi pari major. Velle præponi ſuperiori magna ſuperbia eſt. De obedientia vero, quæ conſocia eſt humilitati, dici poteſt, quod per obedientiam Deus factus eſt homo, & per obedientiam homo efficitur Deus: hæc autem obedientia triplex eſt; eſt enim obedientia venalis, & eſt ſervilis, & filialis; venalis obedientia eſt quæ pretio fit, utpote a mercenariis quos pretio conducis. Servilis obedientia fit, quæ ſolo timore fit, quia timere ſervorum eſt; filialis obedientia dicitur, quæ ſolo amore fit, quoniam amare filiorum eſt. Nunc autem ad ea, quæ propoſuimus poſt magnam digreſſionem revertamur. Sequitur. *Et reverſus ſervus nuntiavit Domino ſuo, & ait Dominus ſervo ſuo. Exi cito in plateas, & vicos civitatis, & pauperes, & debiles, cæcos, & claudos introduc huc*. Platea lata eſt. Nam platos græce, latine latitudo interpretatur. Viculus anguſtus locus eſt. Merito ergo per plateas illi figurantur qui per latam & ſpatioſam viam, quæ ducit ad mortem, jugiter ambulant. Per vicos vero illi figurantur, qui per arctam & anguſtam portam, quæ ad vitam ducit intrare contendunt. Utriſque namque verbum Dei nuntiandum eſt. Malis, ut boni fiant; bonis, ut de bono in melius proficiant. Sequitur; *& pauperes, & debiles, cæcos, & claudos introduc huc*. Pauperes qui divitias rectæ fidei non habent, utpote ſunt Pagani, & Judæi, & hæretici, & falſi Chriſtiani. Debilis eſt qui infirmitate mentis detentus fortitudinem non habet bene operandi. Cæcus eſt, qui non videt, ideſt qui non intelligit, quæ Deus jubet, vel prohibet. Claudus eſt qui licet habet unum pedem ſanum, alterum tamen infirmum habet, & ideo, claudicat, ideſt non recte ambulat. Duo pedes, duo ſunt amores, amor Dei, & amor mundi, amor Dei dicitur dexter pes, amor mundi ſiniſter; qui claudicat unum pedem tenet a terra ſuſpenſum, & alterum terræ affixum, & quanto magis infirmum ſuſpendit, tanto amplius ſano innititur; & ſic qui amorem Dei habet ſanum, & amorem mundi habet infirmum, quanto amplius ab amore mundi ceſſat, tanto fortius Deum amat; & e converſo, qui mundi amorem habet ſanum, & Dei infirmum, videlicet ut mundum diligat, & non Deum, iſte claudus eſt, & non recte ambulat, ideſt non recte operatur; & quia omnes hi ad convivium Dei, ideſt ad bonam operationem invitandi erant, merito dicitur *pauperes, ac debiles, cæcos, & claudos introduc huc*. Sequitur; & *dixit ſervus factum eſt ut imperaſti, & adhuc locus eſt, & ait Dominus. Exi cito in plateas, & vias, & ſepes, & compelle intrare, ut impleatur domus mea*. Viæ ſunt actiones hujus ſæculi. Illi vero per vias intelliguntur, qui actionibus hujus ſæculi ſunt implicati, iter Dei tranſgrediuntur. In ſepibus ſolent eſſe ſpinæ. Illi ergo intelliguntur per ſepes, qui ſpinis peccatorum pleni, conſcientiam ſuam pungunt, & remordent. Et quia iſti tales ad convivium invitandi ſunt, & quandoque etiam compellendi, utpote per aſperam admonitionem, merito dicitur, *& compelle intrare, ut impleatur domus mea*. Studete igitur Fratres chariſſimi bene operari in hac vita, ut per bonam operationem pervenire dignemini ad æternæ vitæ retributionem. Quod ipſe parare dignetur.

SERMO.

Quis ex vobis homo, qui habet centum oves, & ſi perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deſerto, & vadit ad illam, quæ perierat donec inveniat illam &c. Duo ſunt, quæ obſervare Dominus præcepit, videlicet declinare a malo, & facere bonum. Nam per declinationem mali, cavemus culpam, & cavendo culpam evadimus pœnam inferni. Similiter per operationem boni acquirimus juſtitiam, & acquirendo juſtitiam meremur Cæli gloriam. Hæc duo, quæ prædiximus in capitulo hujus Evangelii innuuntur ubi dicitur. *Quis ex vobis homo, qui habet centum oves*. Centenarius numerus perfectus eſt, ideoque perfectionem boni operis ſignificat. Ovis autem innocens animal eſt, & innocentiam mali ſignificat; homo vero rationale animal eſt. Ille igitur homo habet centum oves, qui rationabiliter vivens innocens fuit, & abſtinens ſe ab omni opere malo, & eſt perfectus in omni opere bono. Quod ſi perdiderit unam ex illis, hoc eſt innocentiam operando malum, aut juſtitiam non operando bonum, nonne dimittit nonagintanovem in deſerto & vadit ad illam, quæ perierat, donec inveniat illam. Numeros iſte nonaginta novem, conſtat ex novenario & undenario. Nam ſi novies undecim ſive undecies novem ducas, nonaginta novem fiunt. Denarius perfectionem legis ſignificat. Nonus vero qui non pervenit ad denarium imperfectionem legis ſignificat. Undenarius autem qui denarium tranſgreditur, operationem mali inſinuat. Duo namque reprehenſibilia ſunt. Delictum videlicet, & peccatum. Delictum eſt non perficere bonum quod ſignificatur per novem. Peccatum eſt malum facere quod ſignificatur per undenarium. Nonaginta vero novem, imperfectionem boni, & operationem mali dimittat in deſerto, ideſt, in corde malo; quod merito dicitur deſertum. In deſerto namque homines non habitant ſed beſtiæ, & feræ, atque animalia venenata; ſic & in corde pravo; homo qui eſt rationale animal, hoc eſt ratio non habitat in eo, quia nihil rationabiliter cogitat, nihil quod ratio ſuadet, vel deſiderat, ſed ſunt in eo beſtiales, & ferinæ voluntates, & venenata deſideria; in hoc deſerto, ideſt in corde malo debemus dimittere nonaginta novem, ideſt imperfectionem boni, & operationem mali. Quia grave eſt non perficere bonum, ſed gravius operari malum. Malum eſt non facere eleemoſinam largiendo propria, ſed deterius eſt facere rapinam auferendo aliena. Dimittamus iſta itaque in deſerto, & quæramus illam quæ perierat per pœnitentiam, & confeſſionem; donec inveniamus illam per dignam ſatiſfactionem. In pœnitentia namque duo ſunt, præterita mala flere, in quo notatur operatio boni, & flenda non committere, in quo notatur declinatio mali. Sequitur. *Aut quæ mulier habens dracmas decem, & ſi perdiderit dracmam unam, nonne accendit lucernam, & evertit domum, & quærit diligenter, donec inveniat illam*. Mulier iſta anima noſtra eſt, quæ nimirum vocatur mulier non propter mollitiem, ſed propter fœcunditatem; hæc ſiquidem mulier, ideſt aliqua fidelis anima habet decem dracmas, ideſt decem virtutes. Prima dracma eſt cognitio peccati, ſecunda odium ejus; & quia ex quo homo perfecte odit peccatum ſuum incipit habere cor contritum, ideo tertia dracma dicitur cordis contritio; de cordis contritione naſcitur pœni-

Digitized by Google

poenitentia, quae eſt quarta dracma. Quia non ſufficit poenitere a malo niſi prius incipiamus facere bonum, ideo quinta dracma dicitur timor Domini, qui eſt principium boni. Sicut ſcriptum eſt: *Initium ſapientiæ timor Domini*. De timore naſcitur humilitas, ideo ſexta dracma dicitur humilitas; humiliato vero conjuncta eſt obedientia. Nam qui perfecte obedit humilis eſt, & qui vere humilis eſt obedit, ideo ſeptima dracma dicitur obedientia; & quoniam qui vere humilis, & perfecte Deo obedit vitia contemnit, & virtutes appetit, ideo octava dracma dicitur contemptus vitiorum, & nona appetitus virtutum; & quoniam qui haec omnia habet, juſtus profecto eſt, ideo juſtitia dicitur decima dragma. Incipiamus itaque a prima, & dicamus, quod prima eſt cognitio peccati, ſecunda odium ejus, tertia contritio cordis, quarta poenitentia, quinta timor, ſexta humilitas, ſeptima obedientia, octava contemptus vitiorum, nona appetitus virtutum, decima juſtitia. Hanc autem dracmam, ideſt juſtitia, homo perdit, cum graviter delinquit. Sed ſi perdiderit dracmam iſtam, opus eſt ut accendat lucernam, & evertat domum. Lucerna lumen eſt in teſta, teſta autem terrena eſt, & ſignificat cor terrenum. Lumen ergo in teſta ſcientia eſt in corde terreno, qua homo peccatum ſuum digne recognoſcit. Qui autem domum, vel aliquam arcam pro aliqua re perdita evertit, mutat ea, quae in ea ſunt, & quod a dextris eſt ponit a ſiniſtris, & quod a ſiniſtris ponit ad dexteram, & quae ſurſum ſunt ponit inferius, & quae inferius ponit ſuperius. Sic & peccator vertat ſeipſum, ut animam, quae inferius eſt obediendo carni, ponat ſuperius ut imperet, & carnem quae ſuperius eſt imperando animae ponat inferius ut obediat. Mulier ergo, ideſt aliqua fidelis anima, quae peccando hanc decimam dragmam, ideſt juſtitiam amiſit, accendat lucernam recognoſcendo digne reatum ſuum, & evertat domum de peccato ſuo digne ſatisfaciendo, & ſic per veram poenitentiam inveniet decimam dracmam, ideſt juſtitiam quam perdiderat, cum graviter peccaverat. Quod nobis parare dignetur.

SERMO.

Eſtote ergo miſericordes, ſicut & pater veſter miſericors eſt &c. Cum nulla creatura ſuo unquam poſſit creatori coaequari, mirum eſt quod Deus dicit nobis: *Eſtote miſericordes, ſicut & pater veſter cæleſtis miſericors eſt*. Sed ſciendum eſt, quia ſi non ad quantitatem, tamen ad ſimilitudinem refertur, ut ſicut tres ſunt miſericordiae Dei, ſic tres ſunt miſericordiae hominis. Miſericordiae namque Dei tres ſunt; eſt enim miſericordia parva, eſt media, eſt & magna. Nam ſecundum juſtitiam continuo peccator cum peccat deberet puniri, ſed miſericorditer expectat eum in hac vita, ut convertatur, & poenitentiam agat; ſed haec miſericordia parva dicitur, quia ſatis melius eſſet homini in hac vita puniri, quam in futura. Eſt alia miſericordia media, major videlicet iſta, quam diximus, & minor illa, quam dicturi ſumus; quando Deus de miſericordia ſua, ideo punit peccatorem in hac vita ne puniat eum in futura: eſt tertia miſericordia, quae dicitur magna, quando Deus ita miſeretur peccatori, ut non puniat eum in hac vita, neque in futura, dimittendo ei culpam & poenam: ſecundum hanc miſericordiam miſereri ſibi volebat Propheta qui dicebat: *Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam*. Sicut ergo triplex eſt miſericordia Dei, ita triplex eſt miſericordia hominis; eſt enim miſericordia operis, eſt & miſericordia oris, & eſt miſericordia cordis. Miſericordia operis eſt, eſurienti cibum, ſitienti potum, & nudo veſtitum praebere. Miſericordia oris eſt indoctum docere, praevaricantes arguere, errantes ad viam veritatis reducere; & tanto melior eſt miſericordia oris, quam operis, quanto melior eſt anima, quam corpus. Melius eſt enim in aeternum victuram reficere, quam corpus cito moriturum nutrire. Miſericordia cordis eſt illata mala ex corde dimittere. De miſericordia operis dicit Dominus: *Date & dabitur vobis*; & iterum: *frange eſurienti panem tuum, &c.* De miſericordia oris dicit Jacobus: *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viae ſuae, ſalvabit animam ejus a morte, & operit multitudinem peccatorum*. De miſericordia vero cordis dicit Dominus: *Dimittite, & dimittetur vobis*. Eſt igitur miſericordia operis bona, ſed miſericordia oris melior, miſericordia vero cordis optima. Sequitur: *nolite judicare & non judicabimini*. Cum Eccleſia quotidie judicet peccatores, mirum eſt quod Dominus dicit: *Nolite judicare*. Videndum eſt autem, quod tria ſunt judicia; eſt enim judicium proximi, & judicium hominis, & judicium Dei. De judicio proximi dicit Apoſtolus: *Mihi autem pro minimo eſt, ut a vobis judicer*; de ſuo ſubjungit: *ſed neque meipſum judico*; de Deo repetit: *qui autem judicat me Dominus eſt*. Judicium proximi eſt, utpote ſi quis habet arcam clauſam, quae exteriora ſunt arcae videt, interiora vero videre non poteſt; ſic & proximus noſter exteriora videt noſtra, utpote quae dicimus, & facimus, & de his judicare poteſt; interiora vero non videt, & ideo de his judicare non poteſt. Idcirco dixit Dominus: *Nolite judicare & non judicabimini*, de occultis alieni cordis: homo vero cognoſcit interiora ſua, & ideo de his judicare poteſt. Unde Apoſtolus ait: *Nemo novit quae ſunt hominis, niſi ſpiritus, qui eſt in eo*. Deus vero melius novit interiora hominis, quam ipſe homo, & ideo de illis melius judicat: poteſt autem quod dicitur *nolite judicare & non judicabimini* ſic intelligi ut ſubaudiamus abſque miſericordia. Sequitur: *Menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum*. Quantum ad literam pertinet: menſura bona eſt, quando ſextarius ita impletur, ut culmen non apponatur. Conferta eſt quando culmen apponitur. Coagitata eſt quando ſextarius agitatur, ut plus capiat. Supereffluens eſt quando in culmine tantum apponitur, ut undique fluat. Myſtice autem menſura bona eſt amicum diligere, & inimicum odio habere. Unde Dominus ait: *Audiſtis quia dictum eſt antiquis: diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum*. Conferta eſt, inimicum non odio habere. Coagitata eſt, inimicum diligere; ſupereffluens erit in futura vita, quando dabitur nobis beatitudo, quae omnia merita noſtra ſuperabit. Unde Apoſtolus ait: *Non ſunt condignae paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in vobis*. Quod autem ſubjungitur: *Dabunt in ſinum veſtrum*, ideo dicit, quoniam ſicut de illa re, quam in ſinu habemus, certi ſecurique ſumus, ita poſtquam gremio caeleſtis regni collocati fuerimus, de aeterna beatitudine firmi erimus. Et quoniam Deus redditurus eſt unicuique ſecundum opera ſua, ideo ſubinfertur: *Eadem quippe menſura qua menſi fueritis, remetietur vobis*; hoc videtur convenire cum ſuperiori capitulo ubi dixit: Date videlicet eleemoſinam, & dabitur vobis vita aeterna. Dimittite proximis in vobis peccantibus, & dimittentur vobis peccata veſtra. Ubi notandum eſt, quia qui dimittit, & non dat, & ſi non plene operatur, meliorem tamen partem tenuit miſericordiae. Qui autem dat & minime dimittit, omnino miſericordiam nullam facit, & ideo bene dicitur: *Eadem quippe menſura, qua menſi fueritis, remetietur vobis*, & ſi proximis noſtris miſericordes, & largi fuerimus, & Deus ſimiliter erit nobis. Sequitur; *dicebat illis ſimilitudinem: Numquid poteſt caecus caecum ducere, nonne ambo in foveam cadunt*. Hoc ſpecialiter contra illos dici videtur, qui ſacrae ſcripturae ſcientiam non habentes, neque vitae ſanctitatem in moribus, aut converſationem tenentes locum regiminis appetunt, & officium prædicationis ſumunt, volentes prius docere,

re, quam diſcere; & quia nolunt diſcipuli fieri veritatis, proculdubio fiunt magiſtri erroris. Sequitur: *Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui, trabem autem quae in oculo tuo eſt non conſideras:* quantum diſtat inter feſtucam, & trabem, tantum inter minus, & majus peccatum. Nam ſicut de feſtuca fit trabs, ſi diu duraverit, ſic & ira ſi inveterata fuerit vertitur in odium. Ira ſubitanea mentis oculum turbat. Sic per Prophetam dicitur: *Turbatus eſt prae ira oculus meus*. Odium autem excaecat; teſte Joanne qui ait: *Qui odit fratrem ſuum in tenebris eſt, & in tenebris ambulat, & neſcit quo eat, quoniam tenebrae obcaecaverunt oculos ejus*. Sequitur: *Ipocrita ejice primum trabem de oculo tuo, & tunc perſpicies, ut educas feſtucam de oculo fratris tui*; ideſt prius corrige, & emenda te de magnis, & *poſtea corripe fratrem tuum de minimis*.

SERMO.

Cum turbae irruerent ad Jeſum, ut audirent verbum Dei, & ipſe ſtabat ſecus ſtagnum Geneſareth &c. Stagnum Geneſareth eſt idem quod eſt mare Galileae, mare autem mundum iſtum ſignificat. Unde ſcriptum eſt: *hoc mare magnum, & ſpatioſum manibus*. Multae aquae in mari, populi multi ſunt in mundo. De quibus dicitur. *Aquae multae populi multi*. Chriſtus ergo non ſtabat in ſtagno, ſed ſecus ſtagnum, quia veniens ad nos non ſtetit in fluxu vitiorum, ſed juxta, quia non accepit carnem peccati in ſe, ſed ſimilem carni peccatrici. Unde Propheta loquens ait de Chriſto. *Et erit tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum*. Chriſtus namque ut diximus non ſtetit in curſu aquarum, hoc eſt in fluxu vitiorum, quia non habuit carnem peccatricem, ſed ſimilem; & hoc eſt quod dicitur hic, *& ipſe ſtabat ſecus ſtagnum*. Sequitur. *Et vidit duas naves ſtantes ſecus ſtagnum*. Illae duae naves duae mentes ſunt, quarum una obedit, altera non obedit Evangelio. De quibus Apoſtolus ait. *Sed non omnes obediunt Evangelio*. Illa quae obedit Evangelio ſignificatur per navem Simonis, qui interpretatur obediens, alia vero per aliam navim. In hac autem navi quae erat Simonis aſcendit Chriſtus, quia eorum mentes inhabitat, quae ſuo Evangelio obediunt, & ejus mandata obſervant. Unde ipſe ait. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit*. Ecce obedientia. *Et pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*; ecce introitus in navem; & per Prophetam Dominus ait. *Super quem requieſcet Spiritus meus, niſi ſuper humilem, & quietum, & trementem verba mea*. Hanc autem navim rogat Jeſus ut ad terram reducat puſillum. Vult enim Deus ut navem, hoc eſt mentem noſtram reducamus ad terram: hoc eſt ad petenda terrena, ſed puſillum. Quia vult ut appetamus carnis neceſſitatem, ideſt victum, & veſtitum, non autem ejus voluptatem vel ſuperfluitatem. Unde Apoſtolus ait: *Non in commeſſationibus, & ebrietatibus*. & iterum, *habentes victum & veſtitum, his contenti ſitis*. Sequitur. *Et ſedens docebat de Navicula turbas*. De navicula Simonis Jeſus turbas docebat, quia de his, & per eos populum ſuum Dominus inſtruit, qui ſibi obediunt, & ejus mandata obſervant. Non enim Dei mandata recte praedicat, qui ea obſervare negligit; & ſcimus quod cujuſvis vita deſpicitur, reſtat, ut ejus praedicatio contemnatur. Non enim Deum recte poteſt praedicare, qui ipſum convincitur ex toto corde non amare. Unde cum Dominus diceret Petro. *Paſce oves meas*, praemiſit dicens. *Simon Joannis diligis me plus his*. Quia plus aliis debet Deum amare, qui Deum aliis praeſumit praedicare. Unde, & hic dicitur. *Ut ceſſavit autem loqui dixit ad Simonem: Duc in altum, & laxate retia veſtra in capturam*. Altum eſt Caelum, ſed Caelo altior eſt Deus. Unde ſcriptum eſt: *Altiſſimus patiens redemptor eſt*. & iterum. *Excelſus ſuper omnes gentes Dominus*. Ille autem in altum ſuam navem ducit, qui ad Deum mentem elevat, & qui de Deo, & propter Deum praedicat; ille utique laxat retia ſuae praedicationis in capturam animarum, quia impoſſibile eſt, ut qui de Deo, & propter Deum praedicat, quod mentes audientium, ad fidem, & bona opera non trahat. Sic e contrario qui male vivit, & recte docet, quantos inſtruit, verbo, tantos deſtruit malo exemplo. Unde Petrus reſpondens Domino ait. *Praeceptor per totam noctem laborantes nihil cepimus, in verbo autem tuo laxabo rete*. Sicut dies accipitur vita juſti, ita nox vocatur vita peccatoris. Unde Apoſtolus ait. *Fuiſtis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino*. Petrus ergo cum aliis in nocte, hoc eſt in vita peccatoris laborans in praedicatione nihil cepit, quia impoſſibile eſt, ut qui male vivit, & ſi recte doceat, multos ſua praedicatione ad Deum convertat. Igitur ſicut Petrus dixit Deo *in verbo autem tuo laxabo rete*, ita neceſſarium eſt ut quiſque laxet rete ſuae praedicationis in verbo Dei, ideſt in obſervatione verbi Dei, ut ſicut bene docet, ſic bene vivat, & ſicut alios docet verbo, ita aedificet exemplo, & ſicut inſtruit bona doctrina, ita aedificet bona vita. Et ſi hoc fecerit continget ei, quod de Petro, & aliis legitur, *& cum haec feciſſent concluſerunt piſcium multitudinem copioſam*; Quia profecto ſua praedicatione multos ad Deum convertet. Et ideo fratres, qui officium ſanctae praedicationis ſuſcepimus, neceſſe eſt, ut praedicationem noſtram bonis operibus confirmemus. Ait autem Chriſtus de ſe. *Ego ſum via, veritas, & vita*. Sic & nos viam oſtendamus recte praedicando, vitam habeamus bene operando, ut tandem ad veritatem, quae Chriſtus eſt pervenire valeamus cum ipſo regnando. Quod nobis parare dignetur.

SERMO.

Si offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adverſum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum &c. Tunc Deo munus offerimus, quando ſacrificamus; ſacrificia autem tria ſunt. Eſt enim ſacrificium contritionis, & ſacrificium laudis, & ſacrificium juſtitiae. De ſacrificio contritionis dicit Pſalmiſta: *ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non ſpernit*. De ſacrificio vero laudis ait. *Immola Deo ſacrificium laudis*. & iterum *ſacrificium laudis honorificabit me*; & rurſum: *Ut ſacrificet ſacrificium laudis*. De ſacrificio autem juſtitiae ait: *ſacrificate ſacrificium juſtitiae*. Sacrificium contritionis eſt in corde. Sacrificium laudis in ore. Sacrificium juſtitiae in opere. Item ſacrificium contritionis eſt incipientium, ſacrificium laudis proficientium, ſacrificium vero juſtitiae perfectorum. Illorum trium ſacrificiorum duo tantum ſunt in hac vita. Sacrificium vero laudis in hac & in futura; ſacrificium contritionis, & juſtitiae, hoc eſt operis ſunt tantum in hac vita; ſacrificium vero laudis, in hac, & in futura. Unde ſcriptum eſt. *Beati qui habitant in domo tua Domine, & in ſaecula ſaeculorum laudabunt te*. Dicit ergo *ſi offers munus tuum ad altare*, hoc eſt ſi Deo ſacrificare volueris ſacrificium videlicet laudis, *& recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adverſum te*. Frater noſter Chriſtus eſt, qui dixit diſcipulis ſuis. *Ite nuntiate fratribus meis*. & per Prophetam, *Narrabo nomen tuum fratribus meis*. & iterum, *Quicumque fecerit voluntatem patris mei, qui in caelis eſt, ipſe meus frater, ſoror, & mater eſt*. & Apoſtolus ait: *Iſte frater noſter*, hoc eſt Chriſtus *habet aliquid adverſum nos*, quando in eum graviter offendimus, unde querelam habet coram Deo Patre adverſum nos, quoniam non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. Dimittamus ſacrificium laudis noſtrae, quoniam propter peccata noſtra magis debemus coram Deo flere, quam ipſum laudare; & reconciliemus fratri noſtro, hoc eſt ipſi Chriſto, quia nos peccando graviter ei offendimus. Et tunc venientes offeramus Deo ſacrificium laudis noſtrae ut laude-

mus

mus Deum non ſolum de ſpiritualibus, ſed etiam de bonis temporalibus. Seriptum quippe eſt: *Confitemini Domino in cithara, in pſalterio decem cordarum pſallite ei*. Cithara inſtrumentum eſt, quod habet ſonum ab inferiori, pſalterium vero reſonat a ſuperiori; ideoque per citharam temporalia bona ſignificantur, quae utique in inferiori hoc eſt in terra ſonant. Per pſalterium vero ſpiritualia, quae utique a ſuperiori, hoc eſt de caelo nobis veniunt. Sed notandum eſt quia cum dixit, *confitemini Domino in pſalterio*, addidit *decem cordarum*. Decem cordae, decem praecepta ſunt legis. Quorum primum eſt. *Audi Iſrael; Dominus deus tuus, Deus unus eſt*. Secundum. *Obſerva diem Sabbati*. Tertium. *Non aſſumes nomen Dei tui in vanum*. Iſta tria ad Dei dilectionem pertinent. Septem vero quae ſequuntur ad proximi dilectionem. Quorum primum eſt. *Honora Patrem tuum, & matrem tuam*. Secundum *non occides*: tertium *non mœchaberis*. Quartum *non furtum facies*. Quintum *non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium*. Sextum *non concupiſces rem proximi tui*. Septimum *nec deſiderabis uxorem eius*. Qui ergo hæc decem praecepta obſervare contendit, ille utique in pſalterio decem cordarum Deo pſallit; & quoniam tam ſpiritualia quam carnalia bona a Deo ſunt, ſicut dicitur. *Omne datum optimum & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens a patre luminum*, merito tam de ſpiritualibus, quam de temporalibus bonis Deum laudare debemus. Et ideo dicit Propheta: *confitemini Domino in cithara, & in pſalterio decem cordarum pſallite ei*. Sed videndum eſt quia in pſalterio corda non bene ſonat, niſi eam manus tangat. Si ergo in corda ſignificatur lingua, in manu ſignificantur opera, quia numquam bene ſonat linguae praedicatio niſi concordet cum ea bona operatio: qui enim recte docet, & male vivit, quot inſtruit verbo, tot deſtruit malo exemplo; & quot inſtruit recte docendo, tot deſtruit male vivendo. Operemur itaque Fratres in quantum poſſumus bonum ad omnes, ut per bonam operationem ad aeternae vitae mereamur pervenire retributionem. Ipſo auxiliante qui cum patre &c.

S E R M O.

Cum turba multa eſſet cum Jeſu, nec haberent, quod manducarent convocatis diſcipulis ait illis. Miſereor ſuper turbam, quia ecce jam triduo ſuſtinent me, nec habent quod manducent &c. Illorum ſpiritualiter miſeretur Deus, illis ſpiritualiter miſericordiam ſuam impendit, qui triduo illum ſuſtinent. Primus dies eſt voluntas bona, ſecundus bona doctrina, tertius bona operatio; Ille igitur triduo Dominum ſuſtinet qui corde, & ore, & opere Deum diligit, Deo ſervit, Deo inhaeret. Sequitur, *& ſi dimiſero eos jejunos deficient in via. Quidam autem ex eis de longe venerunt*. Tanto quiſque a Deo amplius elongatur, quanto gravius peccat. Scriptum quippe eſt. *Longe eſt a peccatoribus ſalus*. Illi ergo de longe ad Deum veniunt, qui de gravioribus peccatis ad Deum per poenitentiam convertuntur. Et reſponderunt ei diſcipuli ejus. *Unde iſtos poterit quis ſaturare panibus, hic in ſolitudine*. interrogavit eos: *quot panes habetis; qui dixerunt ſeptem*. Panis ergo juſtitia eſt. Niſi enim juſtitia panis eſſet, nequaquam eſuriretur. Unde Dominus ait. *Beati qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam*: hunc panem, ideſt juſtitiam in oratione a Deo petimus dicentes. *Panem quotidianum da nobis hodie*. Si ergo juſtitia panis eſt. Septem ergo panes ſeptem modi ſunt juſtitiae. Quorum tres debet homo Deo, quatuor vero qui reſtant, duos debet ſibi, & duos proximo. Nam Deus eſt & Dominus, pater, & Magiſter noſter: quod Dominus & magiſter ſit ipſe inſinuat cum ait. *Vos vocatis me magiſter, & Domine, & bene dicitis, ſum etenim*. Quod autem pater ſit ipſe ſimiliter oſtendit ubi ait; *& patrem nolite vocare vobis ſuper terram. Unus eſt enim pater veſter qui in caelis eſt*. Si ergo Deus eſt, & Dominus, pater, & magiſter, debemus eum timere tanquam potentem Dominum, & diligere tanquam benignum patrem, obedire tanquam ſapienti Magiſtro. Dicamus itaque, quod primus panis eſt timor. Secundus eſt amor. Tertius eſt obedientia. Quatuor vero qui reſtant, duos debet homo ſibi, unum videlicet carni, & alterum animae. Carni utique ſuſtentationem, & animae praedicationem. Debitum quippe eſt, ut ſubſtentet homo carnem ſuam exhibendo victum, & veſtitum. Sed ita debet eam caſtigare, & in ſervitutem redigere, ut caro animae ſerviat, & anima carni dominetur. Duos vero qui reſtant, ut diximus debet homo proximo. Unum ut ſibi malum non faciamus. Alterum ut bona, quae poſſumus impendamus. De primo dicitur. *Quod tibi non vis, alii ne feceris*. De ſecundo dicitur *quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos eadem facite illis*. Sequitur. *Et accipiens ſeptem panes gratias agens benedixit, ac fregit, & dedit diſcipulis ſuis, ut apponerent, & appoſuerunt turbæ*. Quando panis frangitur, & in diverſas partes dividitur, creſcit, manditur, & mandendo multiplicatur. Sic & praedicti panes, timor videlicet, & amor ſi bene attendantur, quotidie multiplicantur. De timore namque contritio cordis naſcitur, naſcitur etiam & humilitas, naſcitur quoque vitiorum contemptus, & virtutum appetitus. De amore quoque naſcitur pax, & concordia, & omnis legis obſervantia. Sic enim ait Apoſtolus. *Qui diligit legem implevit*. & iterum, *Plenitudo legis eſt dilectio*. Sic itaque panes noſtri cum manducantur, ideſt cum obſervantur creſcunt. Sequitur. *Et habent piſciculos paucos, & ipſos benedixit, & juſſit apponi*. Nuſquam legitur Dominus de panibus ſatiaſſe populum ſine piſcibus. Alibi namque de quinque panibus, & duobus piſcibus ſatiavit Dominus quinque millia hominum. Sed quare hoc? Quoniam juſtitiae vita fides eſt. Sicut ſcriptum eſt: *Juſtus autem meus ex fide vivit*. Sicut ergo juſtitia ſine fide eſſe non poteſt, nec panis ſine piſce dari debuit. Quoniam piſcis ſignificat fidem, ſicut quidam ſapiens ait. Piſcis bonus pia eſt fides. Piſcis namque ſub aquis latens non apparet; & fides earum rerum eſt quae non apparent; fides namque eſt credere, quod non videmus. Unde apoſtolus ait. *Eſt enim fides ſperandarum rerum ſubſtantia, argumentum non apparentium*. Pauci ergo piſciculi, pauci ſunt articuli fidei, quos eccleſia in ſuo ſymbolo concludit. Sequitur. *Et manducaverunt, & ſaturati ſunt nimis*. Illi ergo homines tunc manducaverunt, & tunc ſaturati ſunt. Nos vero manducamus, cum praecepta fidei, & juſtitiae obſervamus, & ſic in futuro ſatiabimur, dum manifeſtabitur gloria Dei, ſicut per Prophetam dicitur. *Satiabor dum manifeſtabitur gloria tua*. Sequitur. *Et impleverunt ſeptem ſportas de his, quae ſuperaverunt*. Sportae praecordia ſunt ſanctorum, ſeptem autem ſportae omnium ſunt praecordia fidelium. Septenarius namque eſt numerus univerſitatis, quia ſeptem dies ſunt omnes dies. Ergo ſeptem ſportae omnium videlicet praecordia fidelium replentur ex his quae ſuperaverunt, ideſt ex praedictis ſeptem panibus, hoc eſt ex illis virtutibus quae proveniunt ex praedictis ſeptem, ideſt, omnis juſtitiae. Unde merito qui manducaverunt quatuor millia fuiſſe dicuntur. Millenarius namque numerus perfectus eſt, & qui tales panes comedunt, profecto quatuor virtutum ſcilicet prudentia, temperantia, fortitudo, & juſtitia, ſive quatuor evangeliorum. Et ideo fratres laborate, ut in obſervatione juſtitiae perfecti ſitis, quatenus per juſtitiae obſervationem perveniatis ad aeternae vitae retributionem, quod vobis parare &c.

S E R M O.

Attendite a falſis Prophetis qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces &c. Dominus, & ſalvator noſter ſicut docet nos pugnare cum aperte malis dicens. *Eſtote fortes in*

bel-

Digitized by Google

Bello, & pugnate cum antiquo ſerpente: Sic docet nos cavere a ficte bonis. *Attendite a falſis Propheteis*; falſi hipocritae falſi Prophetae ſunt, & mali Paſtores. Quod ideo Prophetae dicuntur quia futura praedicant, & annunciant, utpote extremum diem judicii, & vitam aeternam. Falſi autem ſunt quia praedicant, & non faciunt. Quales ſunt illi, de quibus Dominus ait; *quae dicunt facite, quæ autem faciunt facere nolite*. Unde ſequitur, *qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium*. Ovis ſimplex eſt animal, veſtimenta ovium ſunt verba, & opera ſimplicitatis. Qualia ſunt jejunium, & oratio, vigiliae & eleemoſina, carnis mortificatio. Intrinſecus autem, ideſt in corde ſunt lupi rapaces, quia ficut lupus inſidiatur ovibus, ut eas capiat, & devoret; ſic ipocritae ſimplicibus viris, & mulieribus inſidiantur, ut eos ſuis blandis ſermonibus, & dulcibus verbis inlaqueare valeant, & eorum bona rapere, & devorare, de quibus dicit Apoſtolus. *Ego ſcio quia poſt deceſſum noſtrum intrabunt ad vos lupi rapaces non parcentes Gregi*; & iterum. *Per dulces ſermones ſeducunt corda innocentum*, & alibi. *Quorum ſermo ſerpit, ut cancer*. Unde in lege praecepit non indui veſte lana, linoque contexta. In veſte namque, quæ lana & lino contexta eſt; lana deforis apparet, linum vero ſubtile intus latet. Per lanam, quae de ove eſt ſimplicitas, & innocentia deſignatur; per linum vero ſubtilitas; quoniam ipocritæ in ſuis ſermonibus, & operibus externis magnam prætendunt ſimplicitatem, & innocentiam, interius autem ſumma ſagacitate ſunt pleni, quia hoc totum faciunt non ut Deo ſerviant, ſed ut ſimplices decipiant, & eorum bona rapiant. Sequitur *a fructibus eorum cognoſcetis eos*. Non utique a fructibus illis, qui ſunt communes bonis, & malis, utpote jejunium, eleemoſina, & cætera alia quae pro Deo, & vana gloria fieri poſſunt, ſed ab illis fructibus, qui ſunt ſpiritus, aut carnis; de quibus Apoſtolus ait; *fructus autem ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax, patientia*. De operibus autem carnis idem Apoſtolus ait. *Manifeſta autem ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, avaritia, & cætera alia*. Ex iſtis ergo fructibus homines cognoſcuntur, an boni ſint, vel mali, an ſpirituales, an carnales. Quoniam ſi fructus ſpiritus in ſe habent, ſpirituales ſunt, & boni. Si vero opera carnis in ſe exercent, carnales ſunt, & mali. Sequitur; *numquid colligunt de ſpinis uvas, aut de tribulis ficus*. Spinae, & tribuli vitia ſunt, & peccata, vel opera mala. Vitia proprie ſunt in corde, & moribus, ſicut eſt ſuperbia, inanis gloria, invidia, avaritia, luxuria, & hujuſmodi talia. Opera autem ſunt in actione, & ſermone. Qualia ſunt homicidia, adulteria, perjuria, blaſphemiae. Uvae autem, & ficus ſunt virtutes, & bona opera. Virtutes autem propriae ſunt in corde utpote fides, ſpes, caritas, pax, patientia, benignitas, & humilitas; bona autem opera ſunt in actione & ſermone, utpote eleemoſina, infirmorum viſitatio, & hoſpitalitas, & caetera opera miſericordiae. Quod autem per uvas virtutes deſignentur, hinc apparet. Quia ſicut uva vinum in acino continet, ſic bonus homo virtutes in corde retinet, & ſicut ficus apparent, ſic noſtra opera evidenter manifeſta ſunt: Dicit ergo *numquid colligunt de ſpinis uvas, aut de tribulis ficus*. Quaſi dicat, impoſſibile eſt, ut de vitiis colligant virtutes, aut de peccatis bona opera. Nam cum pleni ſint iniquitate, ſuperbia videlicet vana gloria, & avaritia, quomodo de ipſis virtutes, aut bona opera colligi poſſunt? Sequitur: *ſic omnis arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor fructus malos facit*. In hoc autem loco arbor pro homine accipitur. Sicut alibi Joannes Baptiſta dicit: *Jam ſecuris ad radicem arboris poſita eſt. Omnis ergo arbor, qui non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur*. Quod autem ſubjungitur: *Non poteſt arbor bona fructus malos facere, nec arbor mala fructus bonos facere*. Hoc non de homine, ſed de voluntate intelligendum eſt. Quia ſaepe videmus, & bonos homines mala, & malos bona facere, praecipue cum hic non dicatur abſolute facere, ſed non poſſe facere. Non ait Dominus: *Non facit arbor bona fructus malos, neque arbor mala fructus bonos*, ſed ait non poteſt arbor bona fructus malos facere, neque arbor mala fructos bonos facere. Non enim credi debet, quod aliquis ſanctus vir non poſſit malum facere, aut impius bonum, & peccator non poſſit facere bonum, quia ſi hoc eſſet amitteret liberum arbitrium. Bona arbor fuit David, qui dixit: *Ego autem ſicut oliva fructificavi in domo Domini*, & tamen malum fructum fecit, quando adulterium, & homicidium commiſit. Rurſus bona arbor fuit Petrus, & tamen malum fructum fecit quando Chriſtum negavit. Mala arbor fuit Judas, & tamen bonum fructum fecit, quando Chriſtum cum caeteris Apoſtolis ſecutus eſt. Mala arbor fuit Nabuchodonoſor, & tamen bonum fructum fecit, quando Deum Danielis adorari praecepit. Dicamus ergo, & ſalva fide teneamus, quod non poteſt arbor bona, ideſt voluntas bona fructus malos facere, neque arbor mala, ideſt voluntas mala, fructus bonos facere. Poſſet autem aliter ſic exponi: Ut dicamus tres eſſe arbores, quarum una ita bona eſt, ut malum nequaquam facere poſſit; altera vero ita mala, ut bonum minime facere valeat; tertia ſiquidem malum poteſt facere & bonum. Iſte tres arbores ſunt Deus, diabolus, & homo. Deus namque ita ſumme bonus eſt ut malum facere non queat. Diabolus ita ſumme malus ut bonum facere non valeat. Homo vero ad utramque partem ſe vertere poteſt, quia cum ſit liberi arbitrii & bonum poteſt facere & malum. Dicamus igitur non poteſt arbor bona, ideſt Deus fructus malos facere; neque mala, ideſt diabolus fructus bonos facere. Quod autem regnum caelorum non blandis verbis acquiritur ſed bonis operibus; ideo Dominus ait: *Non omnis qui dicit mihi Domine Domine intrabit in regnum caelorum, ſed qui facit voluntatem Patris mei qui in caelis eſt ipſe intrabit in regnum caelorum*. Quia ergo fratres non verbis ſed bonis operibus Deo placere & regnum caelorum acquirere poſſumus, ſtudeamus in quantum poſſumus a malo declinare, & in bonis operibus uſque in finem perſeverare, quia per cautelam mali evadimus poenam inferni, & per operationem boni merebimur acquirere gloriam Paradiſi. Ad quam nos &c.

SERMO.

Homo quidam erat dives qui habebat villicum, & hic diffamatus eſt apud illum, quaſi diſſipaſſet bona ipſius. Homo iſte Chriſtus Jeſus eſt, qui cum ſit Deus ante ſaecula, homo factus eſt in fine ſaeculorum, ideſt in ultima aetate. De quo per Pſalmiſtam dicitur: *Homo factus eſt in ea, & ipſe fundavit eam Altiſſimus*, & rurſus *ecce venit Deus & homo*; hic homo, ideſt Deus dives eſt, quia in ipſo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, & in ipſo ſunt omnes theſauri ſapientiae & ſcientiae Dei reconditi. De cujus divitiis Apoſtolus loquitur dicens: *O altitudo divitiarum ſapientiae & ſcientiae Dei*. Hic habebat villicum, ideſt unumquemque noſtrum: villicus a villa nomen accepit, & dicitur villicus quaſi diſpenſator villae. Per villam caro noſtra intelligitur quae in primo parente de limo terrae facta eſt, & in unoquoque noſtrum poſt mortem in terram convertitur; unde Dominus primo homini dixit *terra es, & in terram reverteris*. Et Abraham, *loquar*, inquit, *ad Dominum meum cum ſim pulvis & cinis*. Illius ergo villæ, ideſt carnis noſtrae unuſquiſque noſtrum villicus debet eſſe, ut eam in Dei ſervitio & bono opere diſpenſare & exercere ſtudeat, & per illicita deſideria defluere nullatenus ſinat: hic diffamatus eſt apud Dominum ſuum quaſi diſſipaſſet bona ipſius; & nos ſi bona Dei diſſipamus, profecto apud illum diffamamur,

Digitized by Google

mur. Bona Dei ſunt ratio, intellectus, ſcientia & caeterae naturales virtutes, quas nimirum tunc diſſipamus, quando non ſecundum eas, ſed contra eas vivimus; utpote qui non ſecundum rationem ſed contra rationem vivit, & bona quae intelligit & recognoſcit operari non ſtudet, ſed potius in vitiis & peccatis ſuam vitam exercet. Qui ergo Dei bona ſic diſſipat, hic nimirum non ſolum apud Deum, ſed apud homines diffamatur; quoniam ab hominibus impius & peccator habetur. Sequitur: *Et vocavit illum Dominus ſuus, & ait illi: quid hoc audio de te, redde rationem villicationis tuae; jam enim non poteris villicare.* Duobus modis vocat nos Deus, vocat nos in morte ut de mundo exeamus, vocabit nos ad judicium ut de actibus noſtris rationem reddamus; ſed nunc per infirmitatem & ad hujus vitae exitum vocati dicamus intra nos quod villicus dixit intra ſe: *Quid faciam, quia Dominus meus aufert a me villicationem.* Quid eſt dicere, quid faciam, quia per mortem, cui appropinquo, Dominus aufert a me corporis poteſtatem. Nam ſicut ille dixit amiſſa villicatione fodere non valeo mendicare erubeſco, ſic & nos perdita per mortem corporis poteſtate, fodere non valemus, ideſt poenitentiam agere non poſſumus. Unde Salomon ait: *Quod poteſt manus tua facere, inſtanter operare, quia nec ratio, nec ſcientia, nec ſapientia valet apud inferos quo tu properas*; & iterum: *Curre miſer dum potes, ne dum incipias velle currere cum non potes*; & Dominus: *Dum lucem habetis*, inquit, *hujus vitae credite in lucem*; & rurſus Iſaias: *Quaerite Dominum dum inveniri poteſt, invocate eum dum prope eſt.* Sed videamus quomodo fodere, vel mendicare ſit poenitentiam agere. In foſſione terrae duo ſunt quia qui fodit quanto amplius fodit tanto amplius ima petit. Rurſus qui fodit terram vertit, & ea pars quae prius latebat incipit apparere. Sicut ergo ſuperborum eſt alta petere, ſic humilium ima quaerere. Unde humilis dicitur quaſi humi ad imis. Merito ergo per terrae foſſionem humilitas deſignatur: per hoc vero, quod cum foditur pars, quae prius latebat apparet, confeſſio peccatorum accipitur, in qua nimirum peccata, quae prius occulta erant, manifeſtantur. Sic ergo per foſſionem terrae humilitas intelligitur confeſſionis, quam homo poſt mortem habere non valet, & ideo bene dixit, *fodere non valeo.* Sequitur *mendicare erubeſco.* Qui mendicat ab alio cibum vel aliam rem, quam poſtulat ſubtilius, quam poteſt petendo exorat, & ideo per mendicationem oratio ſignificatur, quam utique poſt mortem ſi homo habet non prodeſt, ſicut nec profuit diviti, qui guttam aquae ſibi dare exorabat. *Scio quid faciam, ut cum amotus fuero a villicatione recipiant me in domos ſuas*: deinde ſubjunctum eſt. *Vocatis autem ſingulis debitoribus domini ſui dicebat primo. Quantum debes Domino meo, qui ait: centum cados olei, & ait illi accipe cautionem tuam, & ſcribe quinquaginta. Deinde alio dixit; tu vero quantum debes: qui ait: Centum choros tritici, & ait illi, accipe litteras tuas, & ſede cito*, & *ſcribe octoginta.* Si peccatum per debitum accipitur, ſicut in evangelio dicitur: *omne debitum dimiſi tibi quoniam rogaſti me.* Et in oratione dominica: *dimitte nobis debita noſtra.* Ergo debitores peccatores intelligi poſſunt; unde ſubiunctum eſt; *ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Et ſicut debitum dicitur peccatum, & debitores peccatores intelligi poſſunt; ſic & debitor peccator intelligitur. Debitores autem ideſt peccatores duo ſunt, ideſt Anima, & corpus, quia omne peccatum, aut fit per corpus, aut fit per animam, aut fit per animam ſimul, & corpus. Per animam fit peccatum credere aliter de Deo, quam debeat, aut non credere ſicut debet; nam ſi anima de Deo credit, quod non debet, aut ſi non credit, quod debet, profecto peccat; per corpus vero peccatum committitur, quando corpus, aut non agit juſſa, aut perpetrat prohibita; accedamus ad primum debitorem, ideſt ad animam, & dicat ei villicus ideſt unuſquiſque noſtrum timens amittere villicationem, ideſt corporis poteſtatem, & recogitet peccata animae ſuae, atque fortiter illa examinans dicat ei. *Quantum debes Domino meo*, ideſt quantum peccaſti in Dominum meum; at illa reſpondens. *Centum cados olei.* Oleum, quod eſt fomentum luminis fidem ſignificat, quae eſt nutrimentum intellectus. Intellectus enim lumen eſt animae, quia qui non intelligit caecus dicitur. De quo caeco Dominus in evangelio ait: *Si caecus caeco ducatum parat, ambo in foveam cadunt.* Quod autem fides intellectum nutriat, teſtatur Propheta, qui dicit. *Niſi credideritis non intelligetis.* Centum ex denario multiplicato conſtat. Nam decies deni centum faciunt. Denarius autem mentis perfectionem ſignificat. Ergo (ſic) villicus, quia ultra illum non numeratur, ſed ad caput revertitur, multo magis ergo centenarius, quia ex denario conſtat perfectionem ſignificat. Dicat ergo Villicus, ideſt unuſquiſque noſtrum debitori Domini ſui ideſt animae ſuae. Quantum debes Domino meo, ideſt quantum peccaſti in Dominum meum, & illa reſpondeat: centum cados olei, ideſt imperfectionem verae fidei, quia nec recte credidi, quod debui, & quae non debui firmiter credidi. Et notandum, quod non poſuit ſimpliciter ibi oleum, ſed cados olei, quoniam cadus menſura eſt. Et fides noſtra ſub quadam menſura teneri debet, ultra quam nec egredi, & citra quam nec ſtare licet. Ut credamus videlicet primo Deum eſſe, deinde unum eſſe, poſtmodum trinum eſſe in perſonis. Hæ tres diſtinctiones in quibus temporibus factae fuerunt? ante legem videlicet, ſub lege, & ſub gratia. Nam ante legem dixit ſe Deus eſſe dicens ad Moyſen. *Ego ſum qui ſum*, & iterum, *qui eſt miſit me ad vos.* Sub lege dixit ſe unum eſſe dicens. *Audi Iſrael Dominus Deus tuus unus eſt.* Sub gratia dixit ſe trinus eſſe dicens. *Ite baptizate in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti*: hæc menſura eſt fidei noſtræ ut minus, aut plus illa de fide nullatenus teneamus. Et ideo merito reſpondit; *ſede, & ſcribe quinquaginta.* Quod ſcribitur ideo ſcribitur, ut firmiter memoriæ commendetur. Quinquagenarius numerus ex quinario, & denario conſtat. Si ergo denarius ſicut diximus perfectionem ſignificat, & quinarius numerus has quinque diſtinctiones Dei. Merito dicimus animæ noſtrae in fide erraſti. Scribe quinquaginta ideſt firmiter tene perfectionem harum quinque diſtinctionum. Poſſumus tamen quinque diſtinctiones aliter in Chriſto notare; Chriſtus namque Filius Dei eſt ſicut pater de illo dicit, *hic eſt Filius meus dilectus.* In quo nimirum eſt Pater, ſicut ipſe ait. *Ego in patre & pater in me eſt.* In eo, quo eſt Spiritus Sanctus, Evangeliſta teſtante qui ait. *Jeſus autem plenus Spiritu Sancto regreſſus eſt a Jordane.* Ecce tres Perſonae. Secundum vero humanam naturam duae in eo ſunt partes, quia veram carnem cum vera anima de virgine ſuſcepit. Dicatur itaque animae noſtrae. Tu quia in fide peccaſti, vel erraſti ſcribe quinquaginta, ideſt firmiter tene perfectionem fidei de Chriſto, in quo praedicta quinque notari poſſunt. Deinde alio dixit. *Tu vero quantum debes. Qui ait centum choros tritici*, ideſt in opere, & actione peccavi non operando videlicet juſſa, & perpetrando prohibita. Nam ſicut credere, vel non credere, cogitare vel meditari velle, aut nolle fiunt per animam, ita opera bona, aut mala fiunt per corpus, & ideo bene reſpondetur a corpore *centum choros tritici.* De tritico fit panis, panis autem confortat corpus hominis, & ei fortitudinem parat. Sicut de Paulo legitur; *& cum accepiſſet cibum confortatus eſt.* In operibus autem fortitudo opus eſt. Merito ergo per triticum, de quo fit panis, qui corpori parat fortitudinem, quae operibus neceſſaria eſt ipſa quoque opera deſignantur, in quibus corpus peccat quando tenuiter vel nullo modo agit bona, vel fortiter perpetrat mala. Et ideo competenter ei reſpondetur. *Accipe literas tuas, & ſede & ſcribe cito octoginta.* Octogenarius autem nume-

rus

rus conſtat ex denario, & octonario. Nam ſive octo per decem ſive decem per octo ducas octoginta faciunt. Sicut ergo per denarium deſignatur perfectio, ſic per octonarium opera deſignantur futurae vitae, quae ſequitur praeſentem vitam, quae per ſeptenarium ſignificatur. Unde Salomon ait. *Da partem ſeptem nec non & octo*; ſeptem quippe partem dare eſt in praeſenti vita quae per ſeptem dies volvitur bene vivere. Octo vero eſt partem dare in futura vita pro bonis operibus aeternae retributionis gloriam ſperare. Dicitur corpori *ſcribe octoginta* ideſt firmiter promitte operati opera futurae vitae ideſt quibus poſſis promereri futuram vitam. Unum autem praemiſſum eſt quod expoſitum non eſt, videlicet hoc quod villicus dixit. *Ut cum amotus fuero a villicatione recipiant me in domos ſuas*; hoc debitoribus dictum eſt. Sciendum eſt autem quod homo tres habet domos; prima in qua habitat dum vivit; duæ vero quæ ſequuntur poſt mortem una eſt animæ utpote Caelum, alia vero corporis ſicut ſepulcrum. Unde quidam ait. *Trina domus nobis Lar tumba poluſque paratur*. Merito ergo dicitur quod debitores recipiant villicum in domos ſuas. Quia corpus, & anima recipiunt hominem in domibus ſuis. Quia in ſepulcro erit per corpus & in caelo per animam; Unde de Beato Petro dicitur quod Romae ſit per corpus, & in Cælo per animam. Et Chriſtus in ſepulcro fuit per corpus & ad infernum per animam deſcendit, & in Paradiſo fuit cum latrone per divinitatem. Et ſic videndum quod villicus amiſſa villicatione non recipitur niſi in domibus debitorum Domini ſui. *Et laudavit Dominus villicum iniquitatis quia prudenter feciſſet*. Prudenter facit qui mala quae fecit perfecte emendare ſtudet & ideo laudari debuit; Quia *Filii hujus ſaeculi prudentiores filiis lucis in generatione ſua ſunt*; Filii hujus ſæculi ſæculares homines ſunt; ij nimirum in ſua generatione ideſt in ſaecularibus cauſis & actionibus prudentiores ſunt filiis lucis, ideſt ſpiritualibus viris. Sequitur: *& ego vobis dico facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis recipiant vos in aeterna tabernacula*. Mammona ſiriace, latine dicuntur divitiae: quæ etſi juſte acquirantur, iniquitates tamen eſſe dicuntur, quia eos retinentem iniquum faciunt. Sicut contrario eas pro Deo diſpergentem juſtum efficiunt: unde per pſalmiſtam dicitur: *diſperſit, dedit pauperibus, juſtitia ejus manet in ſaeculum ſaeculi*. Et vos fratres juxta Domini conſilium date terrena ut acquiratis cæleſtia, date temporalia, ut habeatis aeterna. Relinquite mundi miſeriam, ut acquiratis Caeli gloriam. Ad quam.

SERMO.

Duo homines aſcenderunt in templum, ut orarent unus Phariſaeus, & alter Publicanus. Sicut ſuperbia dicitur radix omnium vitiorum, ſic e contrario humilitas virtus dicitur, & cuſtos virtutum. Unde in lege praeceptum fuit, ut in altari fovea fieret, in qua pulvis ſacrificiorum abſconderetur, ut a vento cuſtodiretur ne ab eo portaretur. Sic in Altari cordis noſtri debet fieri fovea humilitatis, in qua pulvis virtutum abſcondatur, ne a vento elationis aſpergatur. Unde quidam ſapiens ait. *Qui ſine humilitate virtutes congregat, quaſi qui in ventum pulverem portat*. Quia ſicut qui in ventum pulverem portat ex eo excaecatur, quod portat, ſic qui ſine humilitate virtutes congregat ex eis virtutibus excaecatur quas portat, quia credit ſe bonum eſſe cum non ſit, & quod bonum aliquis agit non virtuti ſervit, ſed elationi. Nam qui ſine humilitate virtutes congregat, ſic facit ſicut ipſe, qui domum undique munit, ſed unum foramen in ea reliquit, unde aditus hoſtibus patet, per quod in domum ingredi valeant. Ecce Phariſaeus iſte, qui in templum oraturus aſcendit domum ſuae mentis quanta munitione vallaverat audiamus. *Jejuno bis in ſabbato, decimas do omnium, quae poſſideo*; qui etiam præmiſit *gratias tibi ago Domine*. Magna certe munimina adhibuit. Sed videamus ubi inſidianti hoſti munimentum foramen reliquit. Quia *non ſicut caeteri homines & ſicut publicanus iſte*. Ecce domum ſui cordis, ideſt inſidiantibus hoſtibus, ideſt immundis ſpiritibus per ſuperbiam aperuit quam fruſtra per jejunium & eleemoſinam clauſit. In caſſum namque munita ſunt caetera, cum locus unus, de quo hoſtibus patet aditus munitus non eſt. Gratias recte agit, ſed perverſe ſe ſuper publicanum extulit, domum cordis ſuperbiendo perdidit, quam abſtinendo, & largiendo ſervavit. In jejunio victa eſt per abſtinentiam gula, diſtricta ventris ingluvies in eleemoſinis ſuperata eſt, a largitate tenacitas & avaritia deprehenſa. Sed o quanti labores uno vitio percuſſi ceciderunt, quanta bona ſuperbiae gladio ſunt perempta. Unde magnopere ſemper oportet bona agere, ſed ab ipſis bonis operibus caute nos in cogitatione cuſtodire, nam ſi mentem elevant bona non ſunt, quae non auctori militant, ſed elationi. Videamus qualiter Phariſaeus de bonis eſt elatus; videamus qualiter publicanus de malis ſit humiliatus. De quo ſcriptum eſt; *& publicanus a longe ſtans nolebat nec oculos ad cælum levare*, ſed per peccatum ſuum dixit *propitius eſto mihi peccatori*. A longe ſtabat, quia indignum ſe Altari appropinquare judicabat. Oculos ad Caelum non levabat, quia peccatum ſuum recognoſcebat: pectus percutiebat, quia cordis contritionem habebat. Cum peccatorem ſe clamabat, peccata ſua confitendo manifeſtabat. Cum addebat *Deus propitius eſto mihi peccatori*. Dei miſericordiam ſibi exorabat; in primo ergo notatur humilitas mentis, in ſecundo autem cognitio peccati; in tertio contritio cordis; in quarto confeſſio oris, in quinto ſatisfactio operis. De primo dicit propheta *vide humilitatem meam*, de ſecundo *iniquitatem meam ego agnoſco*, de tertio *cor contritum, & humiliatum Deus non ſpernit*. De quarto *dic tu iniquitates tuas ut juſtificeris*, de quinto *facite fructus dignos poenitentiae*. Quia ergo in publicano omnia, quae ad poenitentiam pertinent perfecta fuerunt, & per poenitentiam peccatores juſtificantur; non immerito addidit Dominus, & dixit: *amen dico vobis deſcendit hic juſtificatus* ideſt publicanus *in domum ſuam ab illo*, ideſt *magis quam ille*. Et quare cauſam adjunxit dicens. *Quia omnis, qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur*. Exaltatus eſt Phariſaeus, & deterior factus eſt; humiliatus eſt publicanus & juſtificatus eſt. Et vos itaque fratres dilectiſſimi humiliamini ſub potenti manu Dei, & mementote quid Phariſeus iſte dixerit, & quid nobis Dominus de Phariſaeis dicat. Phariſaeus iſte dixit: *Decimas do omnium, quae poſſideo*; & nobis Dominus de Phariſaeis ait. *Niſi abundaverit juſtitia veſtra plusquam Scribarum & Phariſaeorum non intrabitis in Regnum Cælorum*. Si ergo Phariſaeus decimas dabat omnium quae poſſidebat, & nos de dimidio illorum, quae poſſidemus nullatenus decimas damus, quomodo poterit juſtitia veſtra juſtitiae illius adaequari, & ſi non adaequabitur, quomodo ſuperabit. Quia ſcriptum eſt; *niſi abundaverit juſtitia veſtra plusquam Scribarum, & Phariſaeorum &c.* Superate ergo fratres Scribas & Phariſaeos, ut non ſolum de rebus veſtris decimas detis, ſed etiam de cordibus veſtris illicita deſideria removendo, carnales & turpes cogitationes abjicendo, ſobrie quoque, & juſte, atque pie vivendo expectantes beatam ſpem, & adventum gloriae magni Dei, quatenus in die retributionis ideſt futuri judicii vos exaltari mereamini a Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum patre &c.

SERMO.

Exiens Jeſus de finibus Tyri venit per Sidonem ad Mare Galileae inter medios fines Decapoleos. Tyrus interpretatur anguſtia, litteram legis ſignificat, & ejus ſenſum, quae nimirum ſuis obſervationibus maximam

anguſtiam conferebat. Nam cum lex diceret ſi quis hoc vel illud ſecerit morte moriatur, in hoc non ſuavitatem, ſed anguſtiam promittebat. Conſuetudo namque eſt, ut pondus quod portari non poteſt ſuis portitoribus anguſtiam faciat, talis fuit littera legis, de qua beatus Petrus ait. *Vos vultis imponere nobis jugum, quod neque nos neque Patres noſtri portare potuerunt*. Dominus ergo, & ſalvator noſter de finibus Tyri exivit, quando litteram legis, & ejus ſenſum praecipue in ceremonialibus ſacrificiorum in ſe ipſo finivit. Unde Apoſtolus ait: *finis enim legis Chriſtus ad juſtitiam omni credenti*; & iterum *lex, & Prophetæ uſque ad Joannem prophetaverunt*. De hujus ergo finibus Tyri exiens Dominus venit ad mare Galileae. Quoniam litteram legis deſerens venit ad Baptiſmum. Quod merito dicitur mare Galileae. Mare dicitur propter aquas; Galileae propter tranſmigrationem. In Baptiſmate namque multimoda tranſmigratio fit: fit enim homo de pagano Chriſtianus, de infideli fidelis, de peccatore juſtus, de nocente innocens, de eo qui non poteſt intrare in Regnum Caelorum fit ille, qui poteſt intrare in Regnum Caelorum: dicente Domino. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & ſpiritu ſancto non poteſt intrare in Regnum Cælorum*. Sed ſi dominus venerit ad mare Galileae videamus quomodo venit. Utique per Sydonem ideſt per Apoſtolos, quando dixit eis: *euntes in mundum univerſum prædicate evangelium omni creaturæ, qui crediderit, & baptizatus fuerit ſalvus erit*; & iterum. *Ite docete omnes gentes baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Quomodo autem per Sydonem Apoſtoli ſignificentur videamus. Sydon interpretatur venatio, & ideo merito ſignificat Apoſtolos. In venatione namque ſilveſtres, & agreſtes ferae capiuntur, ſed ante converſionem quid erant Apoſtoli niſi quaſi quaedam beſtiae. Audi Apoſtolum dicentem de illis. *Quæ infirma ſunt mundi elegit Deus, ut confundat fortia, & quæ ſtulta ſunt Mundi elegit Deus, ut confundat ſapientes, & ignobilia, & contemtibilia hujus Mundi elegit Deus, ut ea quæ non ſunt confundant ea quæ ſunt*. Sed ſicut ſupra dictum eſt, ſi Dominus dimiſit litteram legis, numquid dimiſit ejus figuram: Non. Ipſe enim dixit: *non veni legem ſolvere, ſed adimplere*. Ideo merito Evangeliſta ſequtus adjunxit dicens. *Inter medios fines Decapoleos*. Decapolis enim regio eſt decem Civitates habens, quia polis graece, latine Civitas dicitur. Decapolis ergo lex eſt habens decem praecepta quaſi decem Civitates, hujus ergo Decapolis medii fines figura legis eſt. In medio namque nucis, & aliorum fructuum medulla invenitur, ſic & in medio litterae legis allegoria reperitur. Et ideo merito dictum eſt *inter medios fines Decapoleos*: *& adducunt ei ſurdum & mutum, & deprecabantur eum, ut imponat illi manum*. Surdus iſte & mutus ſignificat genus humanum, quod in primo parente obſurduit, & obmutuit. Surdus namque eſt, quia Dei praecepta aure cordis nullatenus audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis. De quibus per Prophetam dicitur: *furor illis ſecundum ſimilitudinem ſerpentis, ſicut aſpidis ſurdæ & obturantis aures ſuas, quæ non exaudiet vocem incantantium & venefici; quæ incantatur a ſapiente*. Nam ſicut aſpis cum incantatur obturat aures ſuas, ita videlicet quod unam figat terrae, & alteram cauda obturat, ne audiat vocem incantatoris; ſic & iſti tales cum praedicatur ab aliquo ſapiente obturant aures cordis ſui, unam videlicet figendo terrae ideſt cogitando de terrenis, & aliam replendo cauda, ideſt delectando in temporalibus quae ſignificantur per caudam, quae finis eſt corporis; quoniam cito deficiunt, & finem inveniunt. Merito ergo iſti tales ſurdi vocari poſſunt. Mutus eſt, qui deum non vult laudare, neque ſua peccata confiteri. Quod autem dixit *deprecabantur eum, ut imponat illi manum* ſignificat incarnationem humanitatis. Quoniam manus Domini aliquando ſignificat potentiam divinitatis: unde dicitur: *in manus tuas commendo ſpiritum meum*. Aliquando incarnationem humanitatis; unde dicitur: *emitte manum tuam de alto*. Merito ergo in hoc loco Domini manus incarnationem humilitatis ſignificat. Tunc igitur Dominus manum ſuper ſurdum & mutum impoſuit, quando pro humano genere humanitatem incarnationis ſuſcepit. Sequitur. *Et apprehendens eum de turba ſeorſum miſit digitos ſuos in auriculam ejus*. Ante quam Dominus ſanaret ſurdum & mutum apprehendit eum de turba ſeorſum. Removendo videlicet eum ab omni turba vitiorum, & peccatorum, docendo eum declinare ab omni malo, ut poſſit dicere cum Propheta: *ab omni via mala prohibui pedem meum*. Et ſic miſit digitos ſuos in auriculam ejus. Per digitum Spiritus Sanctus intelligitur, ſicut Dominus in Evangelio ait. *Si in digito Dei ejicio demonia profecto pervenit in vos regnum Dei*. Quod autem dixit digitos pluraliter, & non digitum, ideo fuit, quia licet ſit unus Spiritus Sanctus, diverſa ſunt tamen ejus dona. Sicut Apoſtolus ait. „ Diviſiones gratiarum ſunt, idem autem „ ſpiritus; alii quidem per ſpiritum datur ſermo ſa„ pientiae, alii ſermo ſcientiae ſecundum eundem „ ſpiritum, alteri fides in eodem ſpiritu, alii gratia „ ſanitatum in uno ſpiritu, alii Prophetia, alii diſcre„ tio ſpirituum, alii genera linguarum, alii interpre„ tatio *Sermonum*; haec autem omnia operatur unus, „ atque idem ſpiritus dividens ſingulis prout vult. „ Hos ergo digitos ideſt ſpiritus ſancti dona in aures cordis in mente auditoris Dominus mittit, & continuo ad obediendum aperiuntur; ſequitur. *Et expuens tetigit linguam ejus*. Sputum ſaliva eſt, ſaliva eſt aqua a capite deſcendens in os. Merito per ſalivam ſapientia ſignificatur, ſicut alibi dicitur. *Aqua ſapientiae potavit eos Dominus*; haec autem aqua ideſt ſapientia a capite, ideſt deſcendit a Deo in os, ideſt in aliquem praedicatorem, qui dicitur os Dei. Sicut alibi dicitur. *Os Domini locutum eſt hic*, ideſt aliquis Propheta, vel praedicator. Et Dominus in evangelio ait: *non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei*, ideſt ab aliquo Praedicatore. Mox ut tetigit Dominus ſaliva linguam muti, ſolutum eſt vinculum linguae ejus, & loquebatur recte. Quia ſtatim, quod ſapientia Dei linguam noſtram tangit, mox recte loquitur, & verba Praedicationis formantur. Ille quippe recte loquitur qui prius obediendo facit quae loquendo admonet eſſe facienda. Quod autem ſuſpiciens in caelum ingemuit, & ait; non ideo fecit, quod ipſe neceſſarium gemitum haberet, qui dabat quod poſtulabat, ſed magis docuit nos ad eum gemere, qui Caelo praeſidet, & aures; noſtrae mentis per dona ſancti Spiritus aperuit, & linguam per ſalivam oris ideſt per ſcientiam divinae locutionis ſolvat ad verba praedicationis. Cui mox *effeta*, quod eſt *adaperire* dicitur; *& ſtatim apertae ſunt aures ejus, & ſolutum eſt vinculum linguae ejus*. Ubi notandum eſt quia propter clauſas aures dictum eſt adaperire. Sed cui aures cordis ad obediendam apertae fuerint, ex ſubſequenti proculdubio etiam vinculum linguae ejus ſolvitur, ut bona quae fecerit ipſe etiam facienda aliis loquatur. Ubi & bene additur: *& loquebatur recte*. Ille bene, vel recte loquitur, qui bona quae praedicat operatur. Sequitur; *& praecepit illis, ne cui dicerent*. Dominus noſter dans nobis humilitatis praeceptum potentiae ſuae miracula magis taceri voluit, quam propalari, & ideo praecepit eis, ne cui dicerent. Nos vero e contra divinae virtutis ſigna non tantum mirari, quantum etiam laudare debemus. Juxta id, quod ſcriptum eſt: *Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit Dominus*. Et ideo quanto Dominus praecipiebat tanto amplius plus praedicabant, & eo amplius admirabantur dicentes. *Bene omnia fecit quia ſurdos fecit audire & mutos loqui*.

SERMO.

Beati oculi qui vident quae vos videtis &c. Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſicut non corporis, ſed cordis aures requirebat cum ajebat. *Qui habet aures*

Digitized by Google

res audiendi audiat, ſic & hic non de corporis ſed de cordis oculis loquebatur dicens. *Beati oculi, qui vident quae vos videtis*. Ac ſi aperte dicat beati oculi, qui de me intelligunt, quae vos intelligitis. Sicut beati erant oculi Petri Apoſtoli, qui videns Chriſtum hominem intellexit, eum eſſe Deum dicens. *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*. Alioquin niſi ſic intelligatur, beati eſſent oculi videlicet Pilati, & Cayphae, quod nefas eſt dicere. Sequitur; *multi enim reges, & Prophetae voluerunt videre quae vos videtis, & non viderunt, & audire quae auditis, & non audierunt*. David, qui fuit rex & Propheta, qui ſuper omnes docentes ſe intellexit voluit Chriſtum corporaliter videre, unde dicebat. *Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da nobis*. Sequitur; *& ecce quidam legiſperitus ſurrexit tentans illum. Magiſter quid faciendo vitam aeternam poſſidebo*. Iſte quidem legiſperitus magis quam eſſet dicebatur. Quomodo in lege peritus erat qui legem neſciebat, aut quando legem ſciebat, qui legis auctorem ignorabat. Quia nimirum in hoc apparet, quia non diſcere volendo, ſed tentando interrogavit eum dicens. *Magiſter quid faciendo vitam aeternam poſſidebo*. Dominus autem illum tanquam, qui legis peritum ſe putabat ad legem remiſit dicens. *In lege quid ſcriptum eſt, quomodo legis*. Ille reſpondens dixit. *Diliges Dominum Deum tuum ex corde tuo, & ex anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua, & proximum tuum ſicut te ipſum*. Dixitque illi *recte reſpondiſti, hoc fac, & vives*. Qualiter autem hoc quod de dilectione dicitur intelligi debeat; licet ſancti Patres ſapientes utique viri, & Doctores eccleſiarum ſapienter, & ſubtiliter tantum ſecundum ſapientiam ſibi a Deo conceſſam tractaverint; nos tamen ad parvulorum eruditionem juxta noſtri ſenſus parvitatem, vel modice vel tenuiter aliquid dicamus. Ait lex; *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. Cor receptaculum, & dolium ſolet eſſe ſapientiae. Sicut per Prophetam dicitur. *In corde meo abſcondi eloquia tua, ut non peccem tibi*. Per cor itaque ſapientia intelligitur. Dicitur ergo *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, ideſt ex tota ſapientia tua, hoc eſt ſapientius, quam unquam ſcias, & quia ſicut in corde ſapimus, ita mente concupiſcimus, ideoque per mentem voluntatem ſignificamus. Dicitur ergo, *diliges Dominum Deum tuum ex tota mente tua*, ideſt ex tota voluntate tua, ut in amore Dei nihil de voluntate tua deſit, ſed tota ſit in ejus amore uſque adeo, ut quidquid Deum velle cognoſcis velis, & quidquid Deum non velle intelligis nullatenus velis. Sequitur: *& ex omnibus viribus tuis*, ſive ex tota virtute tua, ideſt fortius quam unquam poſſis. Et quia hoc poſſet fieri ad tempus & non ſemper; ideo ſubjunctum eſt, & ex tota anima tua. Anima enim frequenter pro praeſenti vita ponitur, ut eſt illud. *Nonne anima plus eſt quam eſca*. & iterum; *qui odit animam ſuam in hoc mundo in vitam aeternam cuſtodit eam*. Dicitur ergo in tota anima tua, ideſt in tota vita tua. Hoc eſt quandiu vita tua durat, praedictis modis Deum dilige. Notandum eſt quia verba evangelii non eum ordinem verborum, quem poſuimus tenent, ſed ſicut quidam ſapiens ait. Tranſpoſita nomina, & verba idem ſignificant. Haec dilectio tam ſapiens, tam plena, tam fortis, tam perſeverans, & diuturna vix umquam invenitur. Donet tamen Dominus ut quod ex noſtra infirmitate deficimus ſua benignitate ſuppleatur. Unde a quibuſdam non minus exhortatio, quam praeceptum videtur. Non enim ait dilige, ſed diliges Dominum Deum tuum. Sequitur *& proximum tuum ſicut teipſum*, ideſt ſicut tuae neceſſitati vis ſubveniri, ita & proximo tuo ſubvenias. Quid autem ſit proximus inferius exponetur. Unde ſubjunctum eſt. *Ille autem volens juſtificare ſeipſum dixit ad Jeſum, & quis eſt meus proximus: Jeſus autem ait; homo quidam deſcendebat a Jeruſalem in Jerico, & incidit in latrones, qui etiam deſpoliaverunt eum, & plagis impoſitis abierunt ſemivivo relicto. Accidit autem, ut quidam ſacerdos deſcenderet eadem via, & viſo illo praeterivit. Similiter, & Levita cum eſſet ſecus locum, & videret eum pertranſivit. Samaritanus autem quidam iter faciens venit ſecus eum, & videns eum miſericordia motus eſt*. Multi ſapientes viri, & Doctores eccleſiarum hunc hominem interpretati ſunt Adam cum ſtirpe ſua, qui bene de Jeruſalem in Jerico deſcendiſſe dicitur, quia viſionem ſupernae pacis amittens, in hunc Mundum miſeriis & aerumnis plenum decidit. Qui incidit in latrones, immundos videlicet ſpiritus. Qui etiam deſpoliaverunt eum veſte immortalitatis. Per ſacerdotem, qui deſcendens eadem via, & viſo illo praeterivit Moyſes, & Aaron intelliguntur. Scriptum quippe eſt, *Moyſes & Aaron in ſacerdotibus ejus*. Per Levitam, qui ſimiliter cum eſſet ſecus locum, & videret eum pertranſiit, ordo Prophetarum accipitur: iſti omnes ſacerdos videlicet & levita eadem via deſcenderunt, quia eadem mortalitate nati intellexerunt genus humanum ſub primae praevaricationis peccato teneri; ſed nec ſe nec alios potuerunt adjuvare. Nos vero, qui in hac expoſitione magis moralitatem, quam allegoriam ſequi volumus per praefatum hominem aliquem peccatorem intelligimus, qui a Jeruſalem, ideſt a cognitione Dei ad Jerico, ideſt ad hujus Mundi amorem deſcendit. Jeruſalem namque viſio pacis interpretatur. Et quid eſt videre pacem niſi cognoſcere Chriſtum; De quo Apoſtolus ait. *ipſe eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum*. Jerico interpretatur luna, & ſignificat mundum iſtum, qui ſicut luna imo magis quam luna mutatur. Iſte incidit in latrones immundos videlicet ſpiritus, qui gloriam aeternae beatitudinis quotidie nobis furari ſtudent. Qui primo deſpoliaverunt eum, quia ipſum peccatorem facientes veſtem juſtitiae ſibi auferunt: De quo per Prophetam dicitur: *Sacerdotes tui induantur juſtitiam*. Deinde plagis, ideſt gravia peccata, quibus anima moritur, perpetrare ſuggerunt, & perpetrare faciunt; deinde abeunt: Quare poſt perpetrata crimina immundi ſpiritus abire dicuntur, niſi quia poſt perpetrationem mali voluntas mali recedit. Utpote peracto adulterio, aut aliqua fornicatione, aut immunditia voluntas libidinis prorſus recedit; ſic immundi ſpiritus abeunt, quia tunc nullam libidinis tentationem ingerunt. Sequitur *ſemivivo relicto*. Semivivus eſt, qui ex parte vivit, & ex parte mortuus eſt. Et hic ex parte vivit, quia indulgentiam ſibi a Deo ſperat futuram per poenitentiam. Ex alia parte, ideſt propter multa peccata, quae commiſit, mortuus eſt. Unde dicitur: *Anima quae peccaverit ipſa morietur*. *Accidit autem ut quidam Sacerdos deſcenderet eadem via, & viſo illo praeterivit*. Sacerdos iſte chorus nobis videtur intelligere Sacerdotum non quidem bonorum, ſed malorum; & cur? quia de eo dicitur, quod deſcenderunt eadem via. Si ergo eadem via, qua peccator deſcenderat deſcendit, profecto peccator eſt. Viae enim noſtrae actiones ſunt. Iſte quidem videt illum, quia malus Sacerdos peccatum ſui parrochiani recognoſcit, ſed pertranſiit, quia illum non reprehendit, non corripit, non excommunicat. Timet enim malus Sacerdos ne ſibi dicatur; quia praedicas non furandum furaris, non moechandum moecharis. Poteſt etiam intelligi alio modo, quod malus Sacerdos tranſeat, quia ſi forte praedicet vix unquam ſua praedicatio in corde peccatoris effectum habet, aut peccator ex ejus praedicatione contritionem cordis accipit. Quod diximus de Sacerdote illud idem dicimus de Levita: quare Dominus ſolummodo Sacerdotem, & Levitam poſuit? quia iſti ſoli in Eccleſia officium evangelizandi, ideſt praedicandi habent. Et quoniam niſi Dominus illuſtraverit cor auditoris in vanum laborat ſermo doctoris. Dicente Pſalmiſta: *Niſi Dominus aedificaverit domum in vanum laboraverunt, qui aedificant eam. Et niſi Dominus cuſtodierit civitatem in vanum vigi-*

lat

lat qui cuſtodit eam. Ideo tertio loco ſequitur Samaritanus, qui cuſtos interpretatur, & ideo merito Chriſtum ſignificat. De quo per Prophetam dicitur: *Dominus cuſtodiat te ab omni malo, cuſtodiat animam tuam Dominus*. De hoc quoque cuſtode Dominus per Iſaiam dicit: ad me clamat ex Seyr cuſtos quid de nocte, cuſtos quid de nocte? reſpondit cuſtos venit mane & nox. Si quaeritis, quaerite, convertimini, & venite. Eſau vocatus eſt a Deo quia ruptus erat; vocatus eſt Seyr quia piloſus erat. Sicut Jacob ait Rebeccae matri ſuae. Noſti quod Eſau homo piloſus ſit, & ego lenis; & non ſolum piloſus, ſed quod magis eſt yſpidus. & ideo vocatus eſt Seyr, qui yſpidus interpretatur. Sicut Jacob ſignificavit gentilem populum, ſic & Eſau judaicum. Dicente Domino Rebeccae: *Duo populi ſunt in utero tuo, major minori ſerviet*. Eſau igitur, qui judaicum populum ſignificat, merito yſpidus erat, ideſt valde piloſus. Pili namque carnales ſignificant cogitationes. Quarum quaedam ſunt ad neceſſitatem, & quaedam ad voluntatem; ad neceſſitatem ſunt ea, quae ſunt ad proviſionem victus, & veſtitus, quae nimirum habere non eſt peccatum. Dicente Apoſtolo, *habentes victum & veſtitum his contenti ſitis*. Ad voluntatem ſunt quae ſunt ad luxuriam carnis, utpote quae ſunt ad commeſſationem & ebrietatem, impudicitiam & libidinem, & ideo praecepit Dominus ut pili a capitibus clericorum frequenter radantur, quia carnales cogitationes ſicut frequenter in mente noſtra renaſcuntur, ſic novacula frequenter divinae ſollicitudinis radi debent. Judaicus ergo populus merito Seyr vocatur, quia carnalibus cogitationibus adeo plenus erat, quod Dei legem non ſpiritualiter ſed carnaliter intelligere volebat. Dicit ergo Iſaias imo Dominus per Iſaiam. Congregatio nata ex Seyr, ideſt ex judaico populo ſicut fuit congregatio Prophetarum, aut aliorum juſtorum virorum, clamat ad me dicens: *Cuſtos quid de nocte cuſtos quid de nocte?* Bis ponit noctem, quia duae noctes fuerunt una ante legem, altera ſub lege. Nox quae obſcura eſt obſcuritatem ſolet ſignificare. Dicit ergo congregatio illa fidelium. O cuſtos, ideſt, o Domine qui cuſtodis nos quidem, ideſt cur de nocte, ideſt obſcuritate, quae fuit ante legem non veniens aperuiſti nobis: & quidem, ideſt cur de nocte, ideſt obſcuritate quae eſt ſub lege non venis, ut appareas nobis. Tamquam dicat quare faciem tuam avertis. Reſpondit cuſtos: venit, ideſt veniet, praeteritum ponit pro futuro præ nimia certitudine. Sicut alibi ſcriptum eſt: *Foderunt manus meas & pedes meos*. Sed quomodo veniet, ita quod quibuſdam erit mane, ideſt cognitus & manifeſtus, & quibuſdam nox, ideſt incognitus & occultus. Mane fuit Petro qui dixit: *Tu es Chriſtus filius Dei vivi*. Nox fuit illis de quibus dicit Apoſtolus: *Si enim cognoviſſent numquam Dominum gloriae crucifixiſſent*. Et pro quibus orabat dicens: Pater dimitte illis, quia neſciunt quid faciunt. Sequitur: Si quaeritis illum, videlicet quaerite, convertimini corde & venite opere. Iſte ergo Samaritanus, ideſt Dominus noſter Jeſus Chriſtus iter fecit, quia de caelo venit in uterum Virginis, & de utero in praeſepe, de praeſepe in mundum, de mundo in cruce, de cruce in ſepulcro, de ſepulcro in infernum, de inferno reſurrexit, & poſtmodum in caelum aſcendit. Adhuc quoque quotidie iter facit Samaritanus iſte, quia corpora peccatorum viſitare non dedignatur. Numquam enim peccator ad poenitentiam converteretur, niſi prius cor ejus a Domino per compunctionem viſitaretur. Sequitur: *Venit ſecus eum*. Sicut Dominus longe a peccatoribus eſſe dicitur, dicente ſcriptura: *Longe eſt a peccatoribus ſalus*, ſic poenitentibus prope eſſe dicitur. Juxta id quod ſcriptum eſt, prope eſt Dominus, qui obtriverunt cor. Sequitur: *Et videns eum miſericordia motus eſt*. Viſus Dei miſericordiam ſignificat Redemptoris. Unde dicitur in Job: *Nec aſpiciet me viſus hominis*, ideſt miſericordia Redemptoris. Ergo Samaritanus noſter vulneratum vidit, ideſt peccatorem ad poenitentiam converſum dignum miſericordia judicavit. Sequitur: *Et appropians alligavit vulnera ejus*. Sicut Samaritanus ſecus peccatorem dicitur eſſe quia corde poenitet, ſic & ſibi appropiare dicitur, quia ore confitetur & opere ſatisfacit. Unde ſubjungitur: *Et appropians alligavit vulnera ejus infundens oleum & vinum*. Vulnera ligat cum peccare prohibet dicens peccatori ſicut dixit Cayn poſtquam fratricidium perpetravit: *Peccaſti quieſce*. Et mulieri peccatrici: *Vade & amplius noli peccare*; & languido ſano facto: *Ecce ſanus factus es jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*. Oleum infundit quando poenitenti veniam repromittit, dicens per Prophetam: *Peccator quacumque hora converſus fuerit & ingemuerit ſalvus erit*. Vinum infundit quando de peccatis ſuis digne ſatisfacere praecepit dicens *facite fructus dignos pœnitentiæ*. Sequitur. *Et imponens illum in jumentum ſuum duxit in ſtabulum, & curam ejus egit*. Jumentum animal eſt, cui onera imponuntur; ſic per jumentum judicium intelligitur Sacerdotis, cui peccatorum onera committuntur. Dicente Domino leproſis peccatores ſignificantibus. *Ite oſtendite vos ſacerdotibus*. Sequitur, *& duxit in ſtabulum*, ideſt ad Eccleſiam, tamquam dicat per miniſtros ſuos reconciliavit Eccleſiæ. Stabulum locus eſt, in quo animalia congregantur, & de Eccleſia dicit Propheta. *Animalia tua inhabitabunt in ea*: & curam ejus egit, quia nos ſua ſemper cuſtodit. Dicente Propheta. *Cuſtodiens parvulos Dominus: & altera die protulit duos denarios, & dedit ſtabulario & ait; curam illius habe*. Secundum allegoriam primus dies fuit ab adventu Domini uſque ad ejus reſurrectionem; ſecundus ab ejus reſurrectione uſque ad finem mundi. Altera ergo die ideſt poſt reſurrectionem dedit ſtabulario, ideſt cuſtodi Eccleſiæ duos denarios ideſt duo teſtamenta. Eo quia poſt reſurrectionem aperuit apoſtolis ſenſum, ut intelligerent ſcripturas. Secundum vero moralitatem primus dies eſt cordis contritio in qua relictis peccatorum tenebris lumen Fidei, & intentio bene vivendi jam lucet. Altera dies eſt oris confeſſio in qua peccata quae tamquam in quibuſdam tenebris clauſa & occulta tenebantur, ad lumen ideſt ad cognitionem aliorum veniunt. Unde Lazaro reſuſcitato dicitur: *veni foras*. In hac ergo altera die opus fuit ut Samaritanus, ideſt Chriſtus ſtabulario, ideſt cuſtodi Eccleſiæ duos denarios, ideſt duo Teſtamenta proferret, quia quando peccator peccata ſua Sacerdoti confitetur, tunc Sacerdoti neceſſarium eſt, ut habeat prae manibus utriuſque Teſtamenti ſcripturam, quatenus per illam diſcat quando peccatori infundendum eſt oleum aut vinum, & quando in vinum morſum diſtrictionis adhibeat, aut quando in oleum mollitiem pietatis infundat, ut per vinum mundentur putrida, & per oleum foveantur ſananda. Semper namque miſcenda eſt lenitas cum ſeveritate. Et quoniam haec omnia Epiſcopum, vel Sacerdotem aliquem in confeſſione peccatoris ſcire oportet, & ſcire non poteſt niſi per ſcripturam utriuſque Teſtamenti; merito dicitur quod altera die Samaritanus protulit duos denarios ſtabulario. Quare autem utrumque teſtamentum vocetur denarius haec ratio videatur. Denarius namque ex ternario, & ſeptenario conſtat. In denario tria junguntur ad ſeptem; homo autem qui ex anima & corpore conſtat in ſeptem; qualitatibus continetur. Nam tribus ſpiritualiter ideſt intellectu, memoria, & voluntate. Etiam quatuor corporaliter viget. In dilectione enim Dei tribus qualitatibus ſpiritualiter excitatur, cum ei per legem dicitur. Diliges Dominum Deum tuum ex tota mente tua, ex tota anima tua, & ex tota virtute tua. Corporaliter vero quatuor qualitatibus continetur, quia videlicet ex materia calida, & frigida, humida, & ſicca componitur: homo ergo, qui ex ſeptem qualitatibus continetur denario remunerari dicitur, quia in illa perfectione ſuper-

nae

Digitized by Google

næ patriæ ſeptem noſtræ, ad tria Dei junguntur, ut homo contemplationem Trinitatis accipiat, & de remuneratione operis quaſi quodam denario confirmatus vivat. Iſte talis denarius, ut homo conjungatur eſt retributio noſtra: unde Dominus ait. *Volo pater, ubi ego ſum, illic & miniſter meus erit.* Hic denarius videlicet, ut homo contemplationem Trinitatis accipiat, quae eſt vita aeterna, *hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* Quia ergo nihil aliud utriuſque teſtamenti ſcriptura clamat, nihil aliud docet, niſi ut noſter ſeptenarius ternario Dei conjungatur, recte utrumque teſtamentum denarius vocatur. Sequitur. *Curam illius habe, & quodcumque ſupererogaveris, ego cum rediero reddam tibi.* Ille ſupererogat qui quae in ſerie novi, & veteris Teſtamenti nullatenus invenitur ex ſubtilitate ſui ingenii convenienter reperit, & ad morum ædificationem exponit, hoc autem in reditu Samaritani redditur, quia in adventu extremi Judicii remunerabitur. Sequitur. *Quis horum trium videtur proximus fuiſſe illi, qui incidit in latrones. At ille dixit: qui fecit miſericordiam in illo, & Dominus ad eum vade, & tu fac ſimiliter.* Secundum hanc ſententiam ſolus Chriſtus videtur proximus fuiſſe illi, & noſter ergo: quod dicemus de aliis Chriſtianis, & ſanctis hominibus, quos ſcriptura proximos appellat, Johanne atteſtante qui ait: *Qui non diligit fratrem ſuum, quem videt, Deum quem non videt, quomodo poteſt diligere.* Sed hoc ita eſt intelligendum, ſicut quoddam aliud Capitulum, de quo Dominus ait. *Nemo aſcendit in Caelum, niſi qui de Caelo deſcendit filius hominis, qui eſt in Caelo.* Si nemo aſcendit in Cælum, niſi qui de Cælo deſcendit, ideſt Chriſtus, quid dicemus de Beata Maria, de qua quotidie cantamus *Aſſumpta eſt Maria in Cælum.* Quid dicemus de Apoſtolis, de quibus Dominus ait. *Pater volo, ut ubi ego ſum, & illi ſint mecum.* Sed videndum, quia Dominus noſter Jeſus Chriſtus mira diſpenſatione pietatis omnium membrorum ſuorum Caput factus eſt, & repulſa reproborum multitudine, ſolus eſt etiam nobiſcum. Nemo ergo aſcendit niſi Chriſtus qui de Caelo deſcendit, qui eſt filius hominis, qui eſt in Caelo. Qui cum nos una cum illo unum jam facti ſumus. Unde ſolus venit illuc, ſolus etiam in nobis. Similiter quia ſicut diximus Chriſtus eſt Caput noſtrum, & omnium membrorum ſuorum; ſicut ipſe eſt proximus nobis, ſic & unumquodque membrum ſuum; & qui alicui membro ſuo ſubvenit, hoc ſibi totum imputat. Ipſo dicente. *Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Unde & ipſe Saulo Beato Stephano perſecutionem inferenti dixit: *Saule Saule quid me perſequeris:* non dixit quid perſequeris membra mea, aut ſanctos meos, ſed quid me perſequeris, quia quod illud fiebat, ſibi Dominus imputabat. Lingua eſt in capite, & pes calcatur, & tamen dicit lingua quid me calcas. Chriſtus ergo totus caput videlicet cum membris eſt proximus noſter.

SERMO.

Cum iret Jeſus in Jeruſalem, tranſibat per mediam Samariam, & Galilæam &c. Acta Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſicut in ſe ipſis ſunt admiranda, ſic & in nobis mira ſignificatione plena ſunt. Ecce namque Dominus noſter dum iret in Jeruſalem primus tranſibat per mediam Samariam, & Galilaeam. Samaria namque cuſtodia, & Galilaea tranſmigratio interpretatur. Oſtendens nimirum quia nemo ad ſupernam Jeruſalem poteſt aſcendere, niſi prius tranſeat per mediam Samariam, & Galilaeam, ideſt niſi prius ſe cuſtodiat a malo, & poſt ea tranſmigret ad operationem boni, adimplens illud quod per Prophetam dicitur. *Declina a malo, & fac bonum, inquire pacem, & ſequere eam.* Sequitur. *Et dum ingrederetur quoddam Caſtellum, occurrerunt ei decem viri leproſi.* Caſtellum iſtud eſt miſericordia Dei, nam Caſtellum ideo fit ut in eo homines confugium habeant; & ſe ſuaque retinere valeant. Sic & miſericordia Dei eſt confugium peccatorum, & poenitentium, unde per Prophetam dicitur. *Si dixero quod motus eſt, miſericordia tua Domine adjuvabit me.* In hoc Caſtello Deus intrat, quando juſtitiam ſuam per miſericordiam temperat. Nam niſi Deus hoc faceret, leproſi ideſt peccatores ad Deum accedere non auderent. Unde per Prophetam dicitur. *Non intret in judicium cum ſervo tuo Domine, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.* Et ideo Pſalmiſta orabat dicens. *Domine exaudi orationem meam, auribus percipe obſecrationem meam in veritate tua, exaudi me in tua juſtitia.* Ideo dixit in veritate tua, ideſt Dei, & in juſtitia tua, ideſt Dei, quia veritas, & juſtitia Dei ſemper ſunt communia. Unde ſcriptum eſt. *Univerſæ viæ Domini miſericordia, & veritas.* prius enim ponitur miſericordia, & poſtea veritas. & alibi. *Miſericordia, & veritas obviaverunt ſibi.* & alibi. *In æternum miſericordia ejus, & uſque in æternum in generatione veritas ejus.* & iterum. *Miſericordiam, & judicium cantabo tibi Domine.* & rurſum; *quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia ejus, & veritas Domini manet in æternum.* Ecce in his, & multis aliis authoritatibus evidenter apparet, quia miſericordia juſtitiam praecedit. Quare miſericordia juſtitiam Dei praecedit. Videndum eſt idcirco, quia miſericordia Domini neceſſaria eſt in hac vita, ut ad poenitentiam revocet, & peccatores convertat; juſtitia erit in futuro, ut juſtos coronet. Miſericordia quia peccata dimittuntur, juſtitia quia merita redduntur. Miſericordia, quia hic merita prorogantur, Juſtitia, quia hic, & ibi prorogata exiguntur. Miſericordia facit malos bonos, juſtitia vero bonos facit beatos. Miſericordia hominem mutat de malo in bonum, juſtitia ita hominem confirmat in bono, ut ab eo mutari non poſſit. Miſericordia hominem facit bene vivere, juſtitia facit hominem feliciter regnare: ſemper tamen miſericordia hic, & ubique cum veritate, & veritas cum juſtitia conjunctae ſunt, & licet in multis plus appareat miſericordia Dei, quam juſtitia, & quandoque plus juſtitia quam miſericordia, omnibus tamen actionibus utraeque virtutes ſemper conjunctae ſunt. Namque in evangelio dicitur. *Nolite judicare,* ſic eſt intelligendum ſine miſericordia Dei. Quare autem leproſi peccatores ſignificent. Videamus. Sicut enim diverſa ſunt genera leprae, ita multae ſunt diverſitates peccatorum, alius namque perpetrat homicidium, alius perjurium, alius adulterium; & ſicut in veteri lege leproſi extra caſtra eiiciebantur, ſic & in novo Teſtamento peccatores extra eccleſiam, utpote quando excommunicantur, a fidelium communione ſeparantur. Sequitur. *Qui ſteterunt a longe, & levaverunt vocem dicentes. Jeſu præceptor miſerere noſtri.* Tria ſunt in Deo potentia, ſapientia, & benignitas. Per potentiam eſt Dominus, per ſapientiam eſt Magiſter, per benignitatem eſt pater. Quod autem ipſe ſit Magiſter, & Dominus illemet oſtendit in Evangelio ubi ait diſcipulis ſuis. *Vos vocatis me magiſter, & Domine, benedicitis, ſum etenim.* Quod autem ſit pater ipſe alibi oſtendit cum ait. *Et Patrem nolite vocare vobis ſuper terram, unus eſt enim pater veſter, qui in Cælis eſt.* Et per haec tria, quae ſunt in Deo debent eſſe in nobis alia tria timor, amor, & obedientia. Timere namque Deum debemus tamquam potentem Dominum, & diligere ſicut benignum Patrem, & ei obedire tamquam ſapienti magiſtro. Nunc itaque redeamus ad materiam, & quare haec diximus oſtendamus. Leproſi namque clamantes tria dixerunt Jeſu credentes eum poſſe ſalvare, quia Jeſus ſalvator interpretatur. Deinde praeceptorem, ideſt magiſtrum noſtrum, in quo ſapientem demonſtraverunt. Tertio loco additum eſt: *miſerere noſtri,* in quo benignum oſtenderunt. Quoniam benignitas, & miſericordia, quaſi duae ſorores ſeſe ad invicem ſemper ſunt concomitantes. Sequitur. *Quos ut vidit dixit. Ite oſtendite vos ſacerdotibus, & factum eſt*

dum

Digitized by Google

dum irent mundati ſunt. In hoc facto Deum oſtenderunt verum eſſe, quod per Prophetam dicitur. *Peccator quacumque hora converſus fuerit, & ingemuerit vita vivet, & non morietur*. Non hic dicitur factum eſt, dum irent, & ſe Sacerdotibus oſtenderunt, mundati ſunt, ſed ſolummodo mundati ſunt dum irent, quaſi antequam pervenirent ad Sacerdotes; huic facto videtur concordare, quod per Prophetam dicitur. *Dixi confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem cordis mei*. Quod autem auget exponens ait. Magna pietas Dei, ut ad ſolam contritionem, vel promiſſionem peccata dimittantur. Nondum pronuntiat ore, & tamen audit Deus jam in corde, quia ipſum dicere quaſi quoddam pronunciare eſt. Votum enim pro opere reputatur. Quid ergo dicemus de hoc quod quotidie ſancta eccleſia prædicat, quia, tria ſunt neceſſaria peccatori, ideſt, cordis contritio, oris confeſſio, & operis ſatisfactio, niſi quod hoc debemus attendere, & quando peccator facultatem habet, iſta tria debet habere. Si autem forte, nec ore confiteri, nec opere ſatisfacere poteſt, ad ſolam cordis contritionem peccata credimus relaxari; ubi non interveniat contemptus religionis, ſed ſolummodo articulus neceſſitatis. Quod Ambroſius in quodam ſermone de poenitentia innuere videtur; ubi ait. *Non merebit juſtificari, qui peccata ſua Sacerdotibus noluerit confiteri*. Non enim ait: ſi peccata ſua non fuerit confeſſus, ſed qui noluerit confiteri. Sequitur. *Unus autem ex eis, ut vidit quia mundatus eſt, regreſſus eſt cum magna voce magnificans Deum, & cecidit in faciem ſuam ante pedes ejus gratias agens, & hic erat Samaritanus*. In pœnitentia duo attenduntur, dolor praeteriti, & cautela futuri. Pœnitentia namque eſt praeterita mala flere, & flenda non committere. Sicut ergo duo in poenitentia attenduntur, ſic duo genera poenitentium videntur, quorum quidam de praeteritis, ita dolent, ut tamen a futuris ſe non cuſtodiant. Quia ſicut ait Petrus Apoſtolus. *Sunt quidam ſicut canis reverſus ad vomitum ſuum, & ſus lota in volutabro luti, & ideo talium pœnitentia non ſalvat*. Il nimirum ſignificari videntur per ſeptem, qui ad Dominum non ſunt reverſi. Alii ſunt, qui ſic dolent, ut a futuris ſe bene cuſtodiant, & ii videntur ſignificari per unum, qui ad Deum reverſus gratias egit, & ideo merito dicitur de iſto. *Et hic erat Samaritanus*, qui cuſtos interpretatur. Et quoniam talium poenitentia hominem juſtificat & perfecta fides ſalvat; ideo dicitur huic *ſurge vade, quia fides tua te ſalvum fecit*.

SERMO.

Ibat Jeſus in Civitatem, quae vocatur Naym, & ibant cum illo diſcipuli ejus, & turba copioſa &c. Sancti evangelii lectio fratres in ſuperficie hiſtoriae ſatis eſt aperta, ſed interior medulla allegoriae fore aliquantulum videtur obſcura. Unde nobis ſummopere conandum eſt, ut terram noſtri cordis fodiamus, ut ad myſtici ſenſus intelligentiam perveniamus. Naym namque, quae interpretatur fluctus, vel commotio aliquem peccatorem ſignificat, qui per vanas cogitationes, & illicita deſideria frequenter fluctuat, & commovetur. Sicut per Pſalmiſtam dicitur: *commoviſti terram, & conturbaſti eam* Terra tunc commovetur cum cor Peccatoris de malo ad bonum, de vitiis ad virtutes, de peccato ad poenitentiam mutatur, ſicque mala facta ſua in mente revolvens conturbatur. Ad hanc Naym Dominus vadit cum peccatorem interius compungendo viſitat. Aliter namque venit Deus ad hominem, & aliter homo ad Deum. Deus quippe ad hominem venit inſpirando ei contemptum vitiorum & appetitum virtutum. Homo vadit ad Deum per affectum bonae voluntatis, & effectum piae operationis. Sed cum Deus venit ad hominem deſcendit. Cum vero homo vadit ad Deum aſcendit. Deſcendit autem Deus per ſcalam miſericordiæ; aſcendit homo per ſcalam humilitatis, & harum ſcalarum unaquaeque tres gradus habet. Nam, & miſericordia habet ſuos gradus & humilitas ſuos. Primus gradus miſericordiae Dei eſt cum Deus nobis per Baptiſmum, vel poenitentiam peccata dimittit. Secundus cum bona facere concedit. Tertius erit in futuro cum de bono opere nos remunerabit. In primo aufert mala noſtra. In ſecundo confert ipſe bona ſua, ſed temporalia. In tertio confert aeterna. In primo homo mundatur. In ſecundo juſtificatur. In tertio coronatur. In primo fit expoliatio. In ſecundo datur tegumentum juſtitiae. In tertio corona gloriae. In primo gradu eſt miſericordia magna. In ſecundo major. In tertio maxima. Rurſus primus gradus humilitatis eſt nolle præeſſe; ſecundus velle ſubeſſe; tertius in ipſa ſubiectione contumelias, & mala quae occurrunt æquanimiter pati. Iterum primus gradus humilitatis eſt velle ſubeſſe majori. Secundus velle ſubeſſe pari. Tertius velle ſubeſſe minori. Sequitur. *Cum autem appropinquaret portae Civitatis*. Diverſae ſunt portae. Sunt namque portae inferi, de quibus dicitur. *Et portae inferi non praevalebunt adverſus eam*. Et ſunt portae Paradiſi, de quibus dicitur Beatae Mariae. *Paradiſi portae per te nobis apertae ſunt*. Sunt portae juſtitiae, de quibus dicitur: *aperite mihi portas juſtitiae*. Sunt & portae peccati, de quibus dicitur: *intravit mors per feneſtras ſuas*. & iterum. *Qui exaltas me de portis mortis*. Portae Inferi ſunt terrores, & blandimenta perſecutorum, vel portae inferi ſunt caeca deſperatio, & dura obſtinatio. Portae Paradiſi ſunt miſericordia Dei, & juſtitia noſtra. Nulli namque merito ſuae juſtitiae patet aditus vitae aeternae, dicente Apoſtolo Paulo: *Non ſunt condignae paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in vobis*. Eſt igitur miſericordia Dei, quae nobis caeleſtem gloriam tribuit. Sic per pſalmiſtam dicitur. *Qui coronat te in miſericordia, & miſerationibus*. Quae nimirum non vult eſſe ſola, quoniam cupit juſtitiam noſtram ſemper habere ſecum, ut de merito noſtrae juſtitiae aliquid habeamus, ſive bonae operationis, ſive locutionis, vel ſaltem bonae voluntatis: Quia ſcriptum eſt: *In terra pax hominibus bonae voluntatis*. Et hoc praecipue in adultis qui habent tempus bene operandi. Vel portae Paradiſi ſunt humilitatis, patientiæ, & amoris concordia. Portae juſtitiae ſunt fides, & Sacramenta Eccleſiae. Quod autem fides introitus ſit ad juſtitiam teſtatur ſcriptura in Geneſi, quae dicit. *Credidit Abraam Deo, & reputatum eſt ei ad juſtitiam*. & Abacuc. *Juſtus autem meus ex fide vivit*. & Apoſtolus. *Corde enim creditur ad juſtitiam*. Quod autem ſacramentum baptiſmi introitus ſit ad regnum caelorum, oſtendit Dominus cum ait. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt intrare in regnum caelorum*. De Sacramento vero corporis, & Sanguinis ſui ait. *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem non habebitis vitam in vobis*; per has portas boni, & mali, juſti, & peccatores intrat. De qua dicitur. *Haec porta Domini juſti intrabunt per eam*. Caritas videlicet, quae eſt prior fons bonorum, cujus nemo communicat alienus, per hanc portam quicumque intrat, niſi ab ipſa deviet, profecto ad Jeruſalem caeleſtem perveniet. Haec autem eſt via quae ducit Bethſamis, quae interpretatur domus ſola. Caeleſtis beatitudo eſt domus Chriſti. De hac via dicitur. *Via juſtorum recta facta eſt*. De hac via Paulus ait. *Adhuc ſuperexcellentiorem viam vobis demonſtro*. Quod autem de Caritate dixiſſe oſtendit continuo cum ſubjunxit. *Si linguis hominum loquar, & angelorum &c.* Portae mortis, & peccati ſunt vitia, & peccata, & praecipue quatuor ſenſus corporis. Oculi videlicet in quibus eſt viſus. Aures in quibus auditus. Nares in quibus eſt odoratus; os in quibus eſt guſtus, & ſermo. Nam qui illicita videt, & in his delectatur tunc mors intrat per oculos. Unde per Pſalmiſtam dicitur. *Averte oculos tuos ne videant vanitatem*. Cum verba otioſa, atque turpia liben-

libenter audit, tunc mors intrat per aures. Cum autem magis quam debeat, comedit, ita quod vertatur in crapulam, aut otioſis, & detractoriis verbis delectatur aliquis, tunc mors intrat per os. Sed videndum eſt quia licet per omnes illas portas peccatum intret, per ſolam portam oris egreditur. Unde Lazaro non eſt dictum reſurge, ſed veni foras, tanquam alicui peccatori dicatur, peccatum tuum confitere. Et ideo inmerito per portam civitatis, cui Dominus appropinquaverat, peccatorum confeſſio intelligitur. Tunc namque portae civitatis Dominus appropinquat, cum peccatorem, ut peccatum ſuum confiteatur inſpirat; & quoniam gratiam miſerantis effectus miſerationis ſolet ſequi. Ideo ſubjunctum eſt. *Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris ſuæ, & hæc vidua erat*. Videamus itaque quae ſit haec mulier vel vidua, vel ejus filius defunctus: haec vidua anima peccatoris eſt, quae recte dicitur vidua quaſi a viro diviſa, quoniam a Chriſto ſponſo ſuo propter peccatum diviſa, & ſeparata eſt. Filius ejus opus illius eſt, qui merito dicitur defunctus, qui a peccato quod eſt mors animae coinquinatum eſt. Quod autem opera noſtra filii noſtri dicantur Pſalmiſta teſtatur cum dicit. *Et videas filios filiorum tuorum*. filii noſtri opera noſtra ſunt, filii filiorum retributiones ipſorum. Unde alibi de ſanctis dicitur. *Quia præmium eſt laboris eorum*; filius igitur viduae tunc extra portam oris effertur quando opus peccatricis animae per oris confeſſionem manifeſtatur. *Et hæc vidua erat, & turba Civitatis multa cum illa*. Multa turba erat cum Jeſu, & multa cum vidua, quia cum Salvatore noſtro, eſt multitudo bonorum, omniumque virtutum. Cum peccante vero anima eſt turba vitiorum. *Quam cum videret Dominus flentem miſericordia motus ſuper eam dixit*. *Noli flere*. Miſericordia motus eſt Dominus ſuper viduam flentem pro filio defuncto. Miſericordia movetur ſuper anima peccatrice flente pro peccato ſuo. Sicut de beato Petro legimus, qui cum Chriſtum negaſſet *flevit amare*. De quo evangeliſta dicit. *Et converſus Dominus reſpexit Petrum*. Converſio Domini reſpectus miſerationis ejus fuit. Sequitur. *Et acceſſit, & tetigit loculum*. Loculus in quo defunctus portabatur, caro peccatoris eſt, quoniam mortalia opera portant in ſe. Sicut per Apoſtolum dicitur. *Manifeſta autem ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, luxuria &c.* Tunc ergo Dominus loculum tangit, cum carnem noſtram graviter affligit, ſive per infirmitatem, ſive per alias tribulationes, & anguſtias; & quoniam in gravi adverſitate carnis compungitur frequenter mens peccatoris, ideo ſubjungitur. *Is autem qui portabant ſteterunt*. Quatuor autem qui portabant mortuum quatuor ſunt, qui noſtra portant peccata, timor videlicet, dolor, ſpes, & gaudium. Timor de perdendis, dolor de perditis, ſpes de acquirendis, gaudium de acquiſitis. De quibus per quemdam ſapientem dicitur. *Gaudia pelle, pelle timorem, ſpemque fugato, nec dolor adſit*. Domino tangente loculum ii qui portabant ſteterunt, quia eo caſtigante carnem noſtram per infirmitatem, vel aliquam tribulationem ii quatuor affectus animi ſtant, quoniam carnem noſtram ſicut prius portare deſinunt. Sequitur. *Et dixit, Adoleſcens tibi dico ſurge*. Dominus mortuum adoleſcentem vocavit, quoniam omnis peccator puer vocari debet, quia omnia pueriliter agit, pueriliter ſapit, pueriliter loquitur, pueriliter cogitat. De hujuſmodi pueris Apoſtolus ait. *Nolite pueri effici ſenſibus*; & de Elia legitur. *Qui veniens in Berſabee dimiſit ibi puerum ſuum*. Quia unuſquiſque peccator accedens ad pœnitentiam debet dimittere omnia puerilia ſua. *Et vocavit adoleſcentem & dixit ei. Surge*. Tamquam dicat alicui peccatori, quia per peccatum cecidiſti, ſurge per poenitentiam. Et quoniam quotidie per peccatum cadimus, neceſſe eſt ut per poenitentiam reſurgamus, quatenus cum Domino vivere valeamus, ipſo adjuvante.

SERMO.

Cum intraret Jeſus in domum cujuſdam Principis Phariſæorum ſabbato manducare panem &c.

Sicut peccatum ſeparat hominem a Deo, & conjungit diabolo, ſic & poenitentia ſeparat nos a diabolo, & reconciliat cum Deo. Et ſicut homo per peccatum fit habitaculum diaboli, ſic per poenitentiam fit domicilium Dei. Haec autem ideſt poenitentia ex tribus conſtat, ex amaritudine videlicet cordis, & confeſſione oris, & ſatisfactione operis. Et ideo Matthaeus Evangeliſta ſeriem generationis Chriſti enarrans convenienter ait. *Judas genuit Phares, & Zaram de Thamar*. Judas qui interpretatur confeſſos, vel confitens confeſſionem ſignificat oris. De qua per Jacobum dicitur. *Confitemini alterutrum peccata veſtra*. Huic conjungenda eſt Thamar, quae amara interpretatur, ideſt amaritudo cordis. Quoniam neceſſe eſt, ut ſicut peccator peccatum ſuum confitetur ore, ita ex eo amareſcat in corde. Unde per Beatum Job dicitur. *Loquar in amaritudine animæ meæ*. Quod eſt dicere. Loquar, ideſt peccatum meum confitebor, & hoc eſt in amaritudine animæ meæ. Unde per Pſalmiſtam dicitur. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte*. Hæc autem duo, ideſt confeſſio oris, & amaritudo cordis generant ex ſe tertium, ideſt ſatisfactionem operis, quod ſignificatur per Zaram, & Phares. Phares interpretatur diviſio, & Zaram oriens, quia in ſatisfactione poenitentiæ debet eſſe ſeparatio vitiorum, & origo virtutum, abdicatio malorum, & adminiſtratio bonorum. Unde in canticis canticorum dicitur de Anima poenitente. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit, ſicut aurora conſurgens*. Bene anima pœnitens auroræ comparatur, quia ſicut aurora eſt finis noctis & initium diei, ſic & anima poenitens finis debet eſſe vitiorum, & origo virtutum. Si ergo Phares interpretatur diviſio, & Phariſaei diviſi dicuntur, recte per phariſaeum aliquis poenitens deſignatur, in domum cujus ideſt mentem Chriſtus ingreditur. Sicut ipſe ait per Prophetam. *Super quem requieſcit Spiritus meus niſi ſuper humilem, & quietum, & trementem verba mea*. Quando autem intravit Sabbato, quod requies interpretatur, ſcilicet ut quieſcat a malo. Sicut per Iſayam dicitur. *Quieſcite agere perverſe*. & quia non ſufficit declinare a malo niſi faciamus quod bonum eſt. Ideo ſubjunctum eſt. *Diſcite bene facere*. & hoc eſt quod ſequitur hic. *Manducare panem*. In pane tria ſunt. Primus enim frumentum conteritur, fit etiam farina, deinde aqua miſcetur, poſtea igne coquitur. In contritione farinæ contritio cordis accipitur, in permixtione aquæ confeſſio oris. Quod autem confeſſio per aquam ſignificetur, teſtatur Scriptura, cum dicit. *Omnia in confeſſione lavantur*. Per ignem vero, qui coquit, ignis ſignificat tribulationis, qui eſt in ſatisfactione operis. De hoc igne ſcriptum eſt. *Vaſa figuli probat fornax, & homines juſtos tempus tribulationis*. Ecce habes quando, & quare Deus intrat Domum Phariſæi, ideſt in mente alicujus pœnitentis, Sabbato ſiquidem, ideſt, ut a malo quieſcat, & manducare panem, ideſt, ut dignos fructus pœnitentiæ faciat. Sed notandum eſt, quod Evangeliſta non dixit ſimpliciter in Domum Phariſæi, ſed in Domum cujuſdam Principis Phariſæorum. Si ergo ſicut ſupra diximus, per Phariſæum aliquis pœnitens intelligitur, videamus, quæ res in pœnitentia principatum obtineat, utique contritio, vel amaritudo cordis. Sine Confeſſione oris, & ſatisfactione operis poteſt quis ſalvari, ſi vere in corde pœniteat, ſed ſine contritione, & amaritudine cordis nequaquam. Non enim vere dicitur pœnitens, qui corde non pœnitet. Quod ad ſolam cordis contritionem peccata dimittantur; teſtatur per Prophetam, qui dicit. *Peccator quacumque hora converſus fuerit, & ingemuerit vita vivet, & non morietur*. Et Pſalmiſta. *Cor contritum, & humiliatum Deus non ſpernit*;

nit; hic ſubintelligendum eſt, quando eſt tempus confitendi, & Sacerdoti, cui confiteatur. Si ita quod contritio cordis principatum tenet in pœnitentes. Ille dicitur princeps Phariſæorum, ideſt pœnitentium, qui habet perfectam cordis contritionem. In cujus Domum, ideſt mentem, Dominus intrat, ſicut per Prophetam dicitur. *Super quem requieſcet Spiritus meus niſi ſuper humilem, & quietum, & trementem verba mea*. Sequitur. *Et ecce homo quidam ydropicus erat ante illum*. Idropicus ille avarum ſignificat, nam ſicut ydropicus quanto amplius bibit, tanto amplius ſitit, ſic avarus quanto plus acquirit, tanto magis in acquirendo exardeſcit. Avaritia autem duplex eſt; eſt enim avaritia pecuniæ, & eſt avaritia vitæ. Avaritia pecuniæ eſt ultra modum diligere pecuniam; ſimiliter avaritia vitæ eſt ultra modum diligere vitam. Si perſecutor veniens diceret tibi, niſi Chriſtum negaveris auferam tibi omnia tua; ſi propter hoc non faceres, non haberes avaritiam pecuniae. Si autem adderet, & ego auferam tibi vitam tuam, & propterea non faceres, non haberes avaritiam vitæ. Et ideo Dominus non dixit ſimpliciter cavete ab avaritia, ſed addidit ab omni dicens: *Cavete ab omni avaritia*. Quoniam ſicut diximus eſt avaritia pecuniae, & eſt avaritia vitæ. Quomodo ſanaverit eum evangeliſta oſtendit cum ait. *Ipſe vero apprehendens, ſanavit eum ac dimiſit*. Duobus modis apprehendit Dominus avarum. Primo ut aliena non rapiat, ſecundo, ut propria largiatur. Avaritia, namque duas habet filias, rapinam videlicet, & tenacitatem. Sic enim avaritia definitur. *Avaritia eſt aliena rapere, & de ſuperfluis pauperibus non erogare*. Contra hæc duo vitia opponuntur duæ virtutes, contra rapinam temperantia, contra tenacitatem largitas. Contra rapinam dicitur homini. *Quod tibi non vis, alii ne feceris*. Contra tenacitatem dicitur: *quaecumque vultis, ut faciant vobis homines, vos eadem facite illis*; his duobus modis, quaſi duabus manibus Dominus apprehendit avarum, dum ſanat. Sequitur. *Et reſpondens ad illum dixit. Cui veſtrum Aſinus, aut bos in puteum cadit, & non continuo extrahet illum die Sabati*. Sicut Phariſæi dicebant hoc ſecundum literam, ita & nos faciamus ſecundum figuram. Ut ſicut illi bovem ſuum, aut Aſinum in puteum cadentem die ſabbati extrahebant, ita & nos de Bove noſtro, & Aſino faciamus. Bos namque, qui mundum eſt animal ruminat quoque, & ungulam findit, aliquem Prædicatorem ſignificat, qui mundus debet eſſe ſaltem a crimine, quia illa vox bene penetrat cor auditoris, quae vita docentis commendatur. Debet quoque ruminare, ideſt crebro, quæ prædicat cogitare, ut ea ſolummodo praedicet, quae audientes debeant ædificare. Ungulam quoque dividat, ideſt litteram ab allegoria, & allegoriam a litera ſeparet. Per Aſinum vero, qui brutum, & ſtolidum eſt Animal, populares virorum ſignificantur, qui ad comparationem Doctorum bruti ſunt, & irrationabiles, & ſunt lenti ad bene operandum, niſi crebro pungantur. Si ergo bos, aut Aſinus noſter, ideſt aliquis prædicator, vel popularis vir in puteum, ideſt in profundum iniquitatis, aut in foveam peccati forte ceciderit, cum quibuſdam funibus, ideſt frequentiſſimis admonitionibus, & exhortationibus, atque ſi oportet aſperis increpationibus abſtrahere eum debemus, & hoc in die Sabati, hoc eſt per pœnitentiam, ideſt ut ad pœnitentiam eum revocemus. Pœnitentia dicitur dies ſalutis, dies propterea, quia in ea peccatorum tenebrae finiuntur, & ſol juſtitiae oritur. Sabatum quoque, quod interpetratur requies, ideo dicitur, quia in pœnitentia debet homo quieſcere a culpa, ut non ſentiat pœnam, quieſcere quoque debet, ut non faciat mala. Quatenus quieſcat, ut nulla ſentiat mala. Sequitur. *Dicebat autem ad invitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos: Cum invitatus fueris ad nuptias, recumbe in noviſſimo loco, ut dicat tibi, qui te invitavit; amice aſcende ſuperius; & tunc erit tibi gloria coram ſimul diſcumbentibus*; & nos mandata vel conſilia Domini ſervantes cum invitamur ad nuptias recumbamus in noviſſimo loco. Nuptiae ſunt doctrinae, & praedicatio Chriſti. In illa namque ſponſus ſponſae ideſt verbum Dei Animae noſtrae conjungitur. Ad has ergo nuptias tunc fideles invitantur, quando ad audiendum verbum Dei vocantur. Et tunc debemus recumbere in noviſſimo loco, ideſt nos ipſos humiliare; humilitas ideo dicitur noviſſimus locus, quia ſicut ſuperbia alta petit, ita humilitas infima. Tunc vero ſe humiliat, quando in terram ſe proſternit, pectus tundit, pectore ſe confitetur, quod fit, quando finita praedicatione, praedicator quoque Populo praedicationem facit. Tunc Populum invitat, ideſt ad audiendum verbum Dei vocat, dicens *amice aſcende ſuperius*. Quod fit, quando praedicator orat dicens *miſereatur tibi omnipotens Deus, & perducat te ad vitam aeternam*. Et hoc eſt ſuperius aſcendere, quod eſt ad vitam aeternam perducere. Et tunc, ideſt quando in vita aeterna erimus, erit nobis gaudium coram ſimul diſcumbentibus, ideſt coram iis, qui recumbent cum Abraham, Iſaac, & Jacob in regno Caelorum. quod nobis &c.

SERMO.

Acceſſerunt ad Jeſum Phariſei & interrogavit eum unus ex eis legis doctor tentans eum: Magiſter quod eſt mandatum magnum in lege. Ait illi Jeſus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua &c. Semper enim mali invident bonis, & eos perſecuntur, & ſi non poſſunt aperte, tamen inſidiantur occulte; unde & hic dicitur: *Quod acceſſerunt ad Jeſum Phariſei, & interrogavit eum unus ex eis legis doctor tentans: Magiſter quod eſt mandatum magnum in lege*. Cui reſpondit Dominus: *Diliges Dominum Deum tuum &c.* Unde notandum eſt, quod tres ſunt amores. Primus dicitur naturalis. Secundus rationalis. Tertius vero ſpiritualis. Naturalis amor eſt, quando homo carnem ſuam naturaliter diligit, nihil contra ejus voluntatem facit, ſed ſecundum voluntatem agit omnia; & hic amor naturalis dicitur, quia naturaliter homo carnem ſuam diligit. Sicut Apoſtolus ait: *Nemo carnem ſuam odio habet, ſed nutrit, & fovet eam*. Secundus amor dicitur rationabilis. Cum homo carnem ſuam diligit non ad voluntatem, ſed ad utilitatem, non ſecundum delectationem, ſed ſecundum rationem; utpote cum carnem ſuam infirmam cupit eſſe ſanam, & adhibet ei medicinam amaram, & talem, quae dolorem, & anguſtias auferat, & tamen ſanat; iſte talis amor dicitur rationalis, quia a ratione procedit. Tertius amor dicitur ſpiritualis. Cum homo carnem ſuam diligit, ut ſpiritui obediat, ſpiritui ſe ſubiiciat, ſpiritum ſequatur, & omnia ſpiritualiter agat; his tribus modis diſcipuli diligebant Chriſtum. Carnem namque ejus carnaliter diligebant, quando ei carnis neceſſitatem miniſtrabant, utpote cibum & potum. Carnaliter quoque Petrus Chriſtum diligebat, qui cum diceret ſe pro nobis eſſe paſſurum & moriturum, reſpondit Petrus: *Propitius tibi eſto Domine ne fiat iſtud*. Non enim decet ut filius Dei guſtet mortem. Rationabiliter quoque poſtea eum dilexerunt, & cum intelligerent genus humanum per eum ab aeterna morte liberari, gaudebant. Spiritualiter autem illum dilexerunt, poſtquam Spiritum Sanctum acceperunt. Et his tribus modis praecipitur in lege diligere Deum, videlicet ut diligamus Deum ex toto corde, ideſt naturaliter, ut ſibi, & in temporalibus, & in carnalibus ſerviamus, quod naturaliter homo homini facere debet. Unde ad judicium veniens, his qui a dextris ejus erant dicet: *Venite benedicti patris mei percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi. Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare; ſitivi, & dediſtis mihi bibere*. Et quoniam

cum

eum dicerent: *Domine, quando te vidimus eſurientem, & pavimus te; ſitientem, & dedimus tibi potum*; reſpondit eis: *Quandiu feciſtis uni ex minimis meis mihi feciſtis*. Debemus etiam diligere Deum in tota anima, ideſt rationabiliter, ut ſi aliquid praeter Deum diligamus; nihil tamen amplius quam Deum diligamus, quod nimirum ratio dictat. Debemus inſuper diligere Jeſum tota mente, ideſt ſpiritualiter, ut nihil praeter Deum diligamus, aut forte propter Deum, quod eſt ſpiritus noſter; & ideo inſeparabiliter conjungitur. Hic amor ideo dicitur ſpiritualis, quoniam a Spiritu Sancto tantummodo infunditur. Sicut per Apoſtolum dicitur: *Caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum qui datus eſt nobis*. Poſſunt tamen haec tria genera hominum Deum diligentium notari. Alii namque diligunt Deum, & nihil aliud praeter Deum, aut propter Deum, & pluſquam Deum. Poteſt autem hoc quod dictum eſt aliter exponi. Ut ſi dicamus: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, ideſt intellectu perfecto, ut in confeſſione divinitatis nullum relinquat locum erroris. Et in tota virtute tua, ideſt tota voluntate tua, ut nihil velis contrarium. Et in tota mente tua, id eſt tota memoria tua nihil reminiſcens quo minus de eo ſentias. Hoc eſt maximum dignitate, & primum ordine. Magnum & maximum damus mandatum quantum ad dignitatem mandatorum Dei, ſed non quantum ad utilitatem. Utilitas mandatorum una eſt, & omnia mandata ſibi cohaerent ut alterum ſine altero eſſe non poſſit. Primum omnium mandatorum enim dicitur, quia ante omnia debemus illud, quaſi unicum fundamentum pietatis in intimo corde collocare. Sequitur: *Secundum autem ſimile eſt huic. Diliges proximum tuum ſicut te ipſum*. Vide quia diligere Deum, & primum & maximum eſt. Diligere autem proximum, magnum quidem eſt, ſed primum non eſt; & ideo dixit ſimile eſt huic, non minimum, ſed ſimile quidem in dilectione, ſed non tamen par in dignitate. *In his duobus mandatis univerſa lex pendet & Prophetae*, ideſt ad haec duo mandata decalogus refertur totus, & monita Prophetarum ibi habent finem. Notandum autem quia duae tabulae legis datae ſunt in quibus erant decem praecepta, quae ſunt decacordum pſalterium. In una tabula tria ſunt, quae ad Deum ſunt, in altera ſeptem, quae ſunt ad proximum. In prima primum mandatum eſt: *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti. Non habebis Deos alienos*, quia Chriſtus cum Patre, & Spiritu Sancto unus eſt Deus. Secundum *non aſſumas nomen Dei tui in vanum*. Nomen Dei non accipi in vanum eſt, ut eum non putemus factum, per quem omnia facta ſunt, quia unus Deus Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, & ſic in Spiritu Sancto, ideſt in domo Dei promittitur nobis requies. Unde, & iterum ſequitur: *Mementote ſanctificare diem ſabati*, ideſt ut ſanctifices, & non facies in eo ſervile opus. In altera vero tabula *Honora patrem tuum & matrem tuam, non occides, non moechaberis, non furtum facies, non falſum teſtimonium dices, non concupiſces rem proximi tui, nec deſiderabis uxorem ejus*. Sequitur: *Congregatis Phariſaeis interrogavit eos Jeſus dicens*: Quod ad tentandum venerant occaſiones ſuae confutationis dant. Et nota, quia haec interrogatio Jeſu multum nobis profuit uſque hodie contra Judæos confutandos, qui Chriſtum ſecundum eos venturum ſimplicem hominem contendunt, & ſolum virum. Interrogat ergo Chriſtus eos dicens: *Quid vobis videtur de Chriſto, cujus filius eſt*. ſecundum eorum fidem etiam dico: *Dicunt illi David*. Quaſi dicerent purus homo eſt filius David, non etiam Deus, & Dei filius. *Ait illis: Si purus homo eſt, ut vos dicitis, quomodo David in ſpiritu vocat eum Dominum ſuum*; non in corde, non in propria voluntate, ſed in Spiritu Sancto vocat eum Dominum ſuum, quod ſecundum vos non eſt ante eum. Vocat Dominum dicens: *Dixit Dominus Domino meo ſede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*. Si utique hic purus homo eſſet, David Dominum ſuum non vocaret eum. Et nota, quod non reprehenduntur, quod filium dicunt David, ſed quia Dei filium illum eſſe non credunt, quia & ipſe eſt Dominus David ſolum ante ſaecula Deus manendo, & David filius apparuit natus. Si ergo David vocat eum Dominum, quod revera eſt ſecundum divinitatem, quomodo filius ejus eſt ſecundum carnem. Et nemo poterat ad haec reſpondere ei verbum, quia plane confutati erant in verbis, nec fuit quiſque amplius auſus interrogare: ſed jam aperte cogitant illum poteſtati Romanorum tradere. Et nota venena invidiae ſuperari quidem poſſe, ſed difficile conquieſcere; & tunc illis confutatis, qui ſunt doloſi, iſtos inſtruit, qui ſunt idonei; nihilominus hortans eos ſubici illis propter Sacerdotium, & nominis dignitatem, non eorum opera, ſed doctrinam conſiderantes. Et nota, quia ad hoc ſunt confutati mali ut corrigantur boni.

SERMO.

Aſcendens Jeſus in naviculam transfretavit, & venit in civitatem ſuam &c. Dominus noſter Jeſus Chriſtus caput noſtrum eſt, & nos ejus membra; ipſe Paſtor, & nos ejus oves. Ideoque imitari eum debemus, ſicut membra caput ſuum, & oves Paſtorem. Itaque ſicut ipſe aſcendens navem venit in civitatem ſuam, ſic & nos oportet aſcendere navim noſtram, ut perveniamus ad civitatem noſtram. Navis autem noſtra pœnitentia eſt; ſicut enim navis conſtat ex diverſis tabulis, ſic & poenitentia ex diverſis ſatisfactionibus. Quarum prima eſt in corde, ſecunda in ore, tertia in opere. In corde eſt contritio vel amaritudo, in ore confeſſio, & in opere afflictio. In hac ideſt in afflictione ſunt tria oratio, jejunium, & eleemoſina. In peccato namque primo offenditur Deus, ſecundo delectatur homo, tertio laeditur proximus. Per orationem reconciliatur Deus, per jejunium affligitur homo, per eleemoſinam conſolatur proximus. Hanc navem ſancti Patres aedificaverunt quando poenitentiam praedicaverunt. Quorum primus fuit Joannes Baptiſta, qui praedicans Baptiſmum Poenitentiae docebat dicens eis, *facite ergo fructus dignos poenitentiae*. deinde Chriſtus, qui dixit. *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum Caelorum*. & iterum. *Gaudium eſt Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente*. Deinde beatus Petrus dicebat: *Poenitemini igitur, & convertimini ut deleantur veſtra peccata*. Poſtmodum ſancti Patres, caeterique poenitentiam praedicaverunt, aut de illa tractaverunt. Hujus navis remiges ſunt duo, contemptus videlicet vitiorum, & appetitus virtutum. Haec ut melius currat, uncta debet eſſe oleo miſericordiae, ut qui ſibi vult miſereri a Deo, miſereatur proximo; & ſicut ſibi vult dimitti peccata, ita dimittat proximo; Haec habet arborem, ideſt imitationem crucis Chriſti; & ſicut Chriſtus pro nobis mortuus eſt, ita & nos pro eo patiamur. Cui adjungi velum caritatis oportet, quatenus aſſlante Spiritu Sancto noſtra navis perducat nos in civitatem noſtram, ideſt in Paradiſum, de quo per peccatum primi hominis ejecti eramus; ſive in civitatem noſtram, ideſt Nazareth, quae Sanctitas interpretatur. Quia cum peccatores ſimus, ad ſanctitatem niſi per navem poenitentiae nullatenus pervenire poſſumus. Sequitur. *Et ecce offerebant ei paraliticum in lecto jacentem*. Paraliſis diſſolutio membrorum dicitur, & paraliticus eſt ille, qui habet membra diſſoluta, ideſt adeo debilia, ut nihil ex eis juxta voluntatem ſuam facere valeat. Ergo in Anima ille paraliticus dicitur, qui in opere Dei adeo diſſolutus eſt, ut nihil juxta voluntatem Dei facere velit. Et ideo merito in lecto jacentem dicitur. Le-

ctus autem triplex eſt, primus lectus eſt debilitas corporis in quo jacebat paraliticus iſte. Secundus eſt tranquillitas mentis, in quo jacebat David. Tertius erit glorificatio aeternae vitae. Legitur enim in libro Regum, quod timore Saul David fugit, tulit autem Michol ſtatuam, & poſuit ſuper lectum, & poſuit pellem piloſam caprarum ſuper caput ejus. Saul, qui David perſequebatur perſequtores ſignificat eccleſiae, qui Chriſtum in membris ſuis perſequntur ſicut faciebat Saulus, cui dictum eſt. *Quid me perſequeris*. David ergo in lecto ſuo quieſcebat, quia Chriſtus in tranquillitate mentis quieſcit, ſicut ipſe per Prophetam dicit. *Super quem requieſcet ſpiritus meus niſi ſuper humilem, & quietum, & trementem verba mea*. David timore Saul fugiebat, & timore perſecutionis amor Dei a tranquilla prius mente recedit. Sicut Dominus ait: *Et quoniam abundavit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum*. Sed Michol filia Saul infidelitas, quae merito dicitur Michol a qua omnis malitia, vel iniquitas procedit. Nam fides origo dicitur, & fundamentum omnium virtutum, ita & infidelitas omnium vitiorum. Haec autem Michol filia Saul, ideſt infidelitas perſecutorum ponit ſuper lectum mentis noſtrae ſtatuam, ideſt duritiam cordis noſtri. De qua Dominus ait per Prophetam. *Auferam cor lapideum a vobis, & dabo vobis cor carneum*. Ad caput hujus ſtatuae poſuit pellem piloſam caprarum. (ſic) Sicut per ſtatuam intelligimus duritiam cordis, ſic & per ejus caput dicitur omnium vitiorum. Ad hoc caput poſuit pellem piloſam caprarum, quia per ſuperbiam habetur operatio omnium vitiorum. Nam ſicut edus pro peccato ſolet accipi, ſic & capra. Pelles quoque peccata ſolent ſignificare. Unde & primo homini poſt peccatum fecit Deus tunicam pelliceam. Ideoque per pellem caprarum operatio recte ſignificatur peccatorum. Michol ergo poſuit ad caput ſtatuae pellem caprarum, quia infidelitas per ſuperbiam perficit omnem operationem peccatorum. Et notandum, quia non dixit ſimpliciter pellem caprarum, ſed addidit piloſam. Pili ſiquidem ſolent cogitationes ſignificare, quia in perpetratione peccatorum ſolet eſſe cogitationum. f. turba Sicut ergo diximus primus lectus eſt debilitas carnis in quo jacet paraliticus, ſecundus tranquillitas mentis, in quo jacuit David, tertius erit glorificatio aeternae vitae, in qua cum Chriſto quieſcent omnes electi. De quo in Canticis canticorum per Salomonem dicitur. *Hic enim lectus noſter floridus eſt*. Primus, & ſecundus lavandus eſt ſicut per pſalmiſtam dicitur. *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum*. Tertius lavari non indiget, quia lotus & mundus, imo floridus eſt. Sequitur. *Videns autem Jeſus fidem illorum dixit paralytico. Confide fili remittuntur tibi peccata tua*. Paralyticus infirmitate gravatus nullius diſcretionis erat, ſed Chriſtus videns fidem offerentium peccata remiſit, & eum ſanavit. Quantum ergo apud Deum propria cujuſque fides valet, ibi tantum valet aliena. Ecce namque paralyticus non propria, ſed offerentium fide ſalvatus dicitur tam in anima quam in corpore. Unde & ei a Domino dicitur: *confide fili remittuntur tibi peccata tua*. Curaturus hominem Deus primo peccatorum vincula diſſolvit, & poſtea ſanat, ut oſtenderet eum propter peccata membrorum diſſolutionem meruiſſe. Cum ergo peccata cauſa eſſent infirmitatis removet cauſam, ut effectus removeretur, ideſt, infirmitas. Ubi notanda eſt magna humilitas Domini, quia filium vocat, quem ſacerdotes non dignabantur contingere; ſed ideo recte filium, quia dimittuntur ei peccata. Quinque ſunt cauſarum differentiae pro quibus in hac vita moleſtiis corporalibus affligimur, aut enim ad merita augenda propter patientiam juſti corporis infirmitate gravantur, ut beati Patres ſcilicet Job, & Tobias, & hi nimirum Martyres in utroque Teſtamento; aut ad cuſtodiam virtutum praeceptarum, ne ſuperbia tentante deſperent. Sicut Apoſtolus Paulus, cui ne magnitudo revelationum extolleret, datus eſt ſtimulus carni ſuae Angelus ſathanae, qui eum colaphizabat: aut ad intelligenda & corrigenda peccata noſtra; ſicut Maria ſoror Moyſi, & Aaron in eremo obumbrata temeritate, & ſuperbia percuſſa lepra. Et ſicut paraliticus, de quo tractamus, qui nonniſi primo dimiſſis peccatis potuit ab infirmitate liberari, aut ad gloriam Dei ſalvatoris, ſive per ſeipſum, ſive per ſuos famulos; ſicut caecus natus in Evangelio, quod neque ipſe peccavit, neque parentes ejus, ſed ut opera Dei manifeſtentur in illo; & ſicut Lazarus cujus infirmitas non fuit ad mortem, ſed pro gloria Dei, ut glorificaretur Filius Dei per eum; aut inchoatione aeternae poenae, quod reproborum eſt proprium, ſicut Antiochus, & Erodes, qui utique Domino ſuo repugnantes, quod tormentorum ſuorum in gehenna poenas perpetuo paſſuri eſſent, praeſentium afflictionum miſeria cunctis oſtendebat. Quibus congruit illud Prophetae: *& duplici contritione contere eos Domine Deus noſter*. Et ecce quidam cum audiunt Chriſtum dimittere peccata, quod eſt ſolius Dei: eum blaſphemare dicebant quia eum Deum eſſe non credebant. Blaſphemare eſt aliquid divinæ potentiæ detrahere, quod videbatur Chriſtus facere, dum, quod Dei erat officium uſurpabat. Unde apertius in Marco ab eis dicitur. *Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus*, Verum tamen dicebant, quia nemo poteſt hoc, niſi ſolus Deus; ſed errant dum Chriſtum Deum eſſe negant. Notandum eſt autem, quia ſolus Deus dimittit peccata, ideſt debitum mortis æternae; & tamen Eccleſia dimittit peccata, ideſt poenam peccati, utpote jejunium, & alias ſatisfactiones, quae ab Eccleſia peccatoribus in poenitentia a Sacerdotibus injunguntur. Unde Dominus ait diſcipulis ſuis: *accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remiſſa ſunt, & quorum retinueritis, retenta ſunt*. Et iterum. *Amen dico vobis quaecumque ligaveritis ſuper terram &c.* Et beato Petro quodcumque *ligaveris ſuper terram &c.* Et cum vidiſſet Jeſus quia dubitabant eum eſſe Deum, ſe Deum eſſe evidenti ſigno oſtendit, dum eorum cogitationes aperit. Quaſi diceret eis potentia qua veſtras cogitationes intueor poſſum dimittere peccata. *Quid eſt facilius dicere dimittuntur tibi peccata, an dicere ſurge, & ambula*. Utrumque æque facile eſt mihi: potentia, qua ſano, etiam peccata dimitto: ut ſciatis autem quia poſſum dimittere peccata, videte quid facio. Tunc ait *paralitico tolle lectum tuum, & vade in domum tuam*; fecit carnale ſignum, ut ſperetur ſpirituale. Ille quoque paraliticus gerit perſonam baptizatorum ſub aliena fide. Quorum anima diſſoluta eſt in peccatis. & jacet in lecto corporis; hoc eſt voluntatibus ejus. Offerentes, ſunt Doctores eccleſiae, qui rogant pro infirmo in peccatis, cui Deus dimittat peccata, & dicunt. Surge a vitiis, & tolle grabatum tuum, ideſt carnem tuam per frena continentiæ correptam rege, ut anima corpori donetur, quæ prius ſerviebat ei, & ab eo regebatur. *Et vade in domum tuam*, ideſt ad Paradiſum redi. Videntes autem quia converſo peccatore ad fidem univerſa eccleſia laetatur, & nos fratres chariſſimi, ſi de aliorum bona converſatione laetamur, ſtudeamus, ut Angeli Dei de noſtra laetentur. Sicut enim ait Dominus. *Gaudium eſt Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente &c.* Converſio autem noſtra ſit, ut de malo convertamur ad bonum, de peccato ad poenitentiam, & a diabolo ad Deum quatenus cum ipſo regnare valeamus. Quod ipſe parare dignetur.

SERMO.

Loquebatur Jeſus cum Diſcipulis ſuis dicens. Simile factum eſt Regnum Cælorum homini regi qui fecit nuptias filio ſuo &c.

Quatuor ſunt gradus diligendi quibus homo perficit. Primo namque debet homo diligere animam ſuam. Secundo juſtitiam. Tertio ſapientiam. Quarto ut ſit ſapiens. De primo dicitur. *Miſereris animæ tuæ placens Deo*. De ſecundo. *Diligite juſtitiam,*

qui

qui judicatis terram. De tertio ait Salomon. *Diligite ſapientiam, & ipſa conſervabit vos*. Qui diligit animam ſuam odit ſibi noxia, & diligit utilia, odit vitia, & diligit virtutes, horret infernum, concupiſcit Caelum. Qui diligit juſtitiam, neminem offendit, bona quae poteſt omnibus impendit. Qui diligit Sapientiam, ejus verba libenter audit, libenter in eis ſtudet, & in lege Domini jugiter meditatur. Qui vero ſapiens eſt, maturus eſt moribus, gravis in omnibus dictis, & factis ſuis. Sapientia namque non tantum dicitur cognitio praeceptionum, & prohibitionum Dei, quantum maturitas morum, & gravitas vitae. Unde per Pſalmiſtam dicitur. *In populo gravi laudabo te*. De hac quoque ſapientia dicitur in hac lectione ſancti evangelii, quae legitur. *Simile eſt regnum Cælorum homini regi qui fecit nuptias filio ſuo*. Regnum Cælorum eſt populus Chriſtianus, ſed quare dicitur regnum Caelorum. Quia ipſe ſolus ab adventu Chriſti regnat in Caelis. Homo rex eſt Chriſtus, quia & homo eſt propter naturam humanitatis, & rex per potentiam divinitatis. Quamvis ſecundam humanitatem Chriſtus rex veraciter poſſit appellari, quoniam de ſtirpe regia, & progenie David Chriſtus natus eſt. De hoc rege ſcriptum eſt. *Rex noſter adveniet Chriſtus*; & in pſalmo. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo*. Si autem Regnum Caelorum populus dicitur Chriſtianorum, & homo rex Chriſtus. Quare Regnum Caelorum dicitur ſimile homini regi, quia populus chriſtianus aſſimilari debet patri ſuo. De hac ſimilitudine dicit Petrus Apoſtolus. *Chriſtus paſſus eſt pro vobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus*. Et Johannes Evangeliſta. *Qui dicit ſe in Chriſto manere debet ſicut ipſe ambulavit, & ipſe ambulare*. Sacra quoque Scriptura narrat Deum feciſſe hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam. Plus autem eſt imago, quam ſimilitudo. Eſt enim imago expreſſa rei ſimilitudo, & dicitur imago quaſi vera imitago. Similitudo eſt rerum aliqua repræſentatio. Ut eſt illud. *Videbam homines velut arbores ambulantes*. Filius itaque Dei imago eſt patris, quia ſimilis eſt patri. Sicut Paulus ait. *Qui eſt Imago Dei inviſibilis*. Nam qualis pater talis filius, omnipotens Pater omnipotens Filius, & ſic de reliquis quae prædicantur in ſubſtantia. Eſt igitur filius vere Imago, ideſt expreſſa ſimilitudo patris. Unde dictum eſt; *faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*; quia ſolus Chriſtus eſt imago patris; ſed faciamus hominem ad imaginem, ideſt ut tendat ad imaginem. Cum autem dixit ſimilitudinem, hic addidit noſtram, ideo referens ſimilitudinem ad Trinitatem, quoniam in homine eſt quaedam ſimilitudo Trinitatis. Creavit namque Deus tria in homine, memoriam, intellectum, & voluntatem, per quae cum Trinitate individua quamdam habet ſimilitudinem, patri namque per memoriam aſſimilatur, filio per intellectum conformatur, Spiritui Sancto per voluntatem compaginatur. Nam ſicut Pater a nullo eſt, ſed ab eo eſt Filius, ſic memoria cum ſit jus animae a nulla earum eſt, ſed ab ea eſt intellectus. Sicut Spiritus Sanctus a Patre procedit, & a Filio, ſic voluntas a memoria, & ab intellectu. Niſi enim memoria rem ipſam prius attingeret, nec intellectus eam caperet, nec eam voluntas conſequenter appeteret. Ecce quomodo factus eſt homo ad ſimilitudinem Dei. Sitaque homo rex Chriſtus eſt, filius ejus eſt unuſquiſque Chriſtianus; quoniam eſt Chriſtus pater ejus. Cui in oratione Dominica dicimus. *Pater noſter qui es in Cælis*. Unde Dominus ait. *Et patrem nolite vocare vobis ſuper terram, unus eſt enim pater veſter qui in Cælis eſt*: huic enim filio ſuo, ideſt unicuique Chriſtiano, Chriſtus fecit nuptias, quia ſibi uxorem dare parat. Uxor autem iſta eſt ſapientia. Quod autem ſapientia dicatur uxor. Teſtatur Salomon qui ait. *Sapientia vincit malitiam, attingit ergo a fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter, hanc amavi, & exquiſivi a juventute mea, & deſtinavi mihi ſponſam accipere, & amator factus ſum formæ illius*. De hac quoque uxore dicit Pſalmiſta. *Uxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ*. Sapientia, quae eſt uxor alicujus ſapientis viri quæ indiſſolubiliter eſt ei conjuncta, ſicut vitis dulces, & ſuaves fructus abundanter facit. Quod autem ſapientia dicatur vitis fructificans ipſa teſtatur cum ait. *Ego quaſi vitis fructificavi ſuavitatem odoris*, & non ſolum dicitur vitis, ſed etiam abundans. Abundat enim uxor juſti, & ſancti viri, quoniam ex ea temperantia, fortitudo, & juſtitia, atque mira naſcitur ſuavitas: abundans ergo uxor ſancti viri dicitur, cum his, & in aliis virtutibus creſcit, & multiplicatur. Cum itaque hæc uxor noſtra ſit ſicut vitis abundans, videamus ubi ſit, & ubi maneat, utique in laboribus domus tuae. Domus noſtra cogitatio eſt, in qua cogitando habitamus: huic domus duo latera ſunt, ideſt duo teſtamenta vetus videlicet, & novum, quibus noſtra cogitatio ſemper inhærere debet ſicut domus in lateribus. In his lateribus, ideſt in utroque teſtamento uxor noſtra, ideſt ſapientia manere debet. Sed quoniam iſta mulier hoc eſt ſapientia nobilis eſt, & ſatis alta, quia de cæleſtibus dignatur accipere filium regis. Idcirco de rege dicitur. *Qui fecit nuptias filio ſuo*. Unde ſubjungitur. *Ecce prandium meum paravi*: prandium iſtud ſacra Scriptura eſt, veritas veteris, & novi teſtamenti. In hoc prandio diverſa ſunt fercula, quia in ſacra Scriptura diverſa ſunt volumina, ſive diverſae ſententiae vel diverſi intellectus. Ex hoc prandio reficitur anima ſpiritualiter, ſicut ex corporali corpus. In hujuſmodi nuptiis ſociatur mulier iſta filio regis. Ideoque etiam quotidie in Eccleſia monetur populus, inſtruitur unuſquiſque Chriſtianus. Ideo leguntur lectiones, ſanctorumque patrum admonitiones, ut Domina iſta filio regis conjungatur. In his nuptiis ſunt cantores Sacerdotes, & Levitae, & omnes eccleſiae miniſtri. Thalamus in quo Domina filia regis copulatur, mens Chriſtiani eſt. Sequitur. *Et miſit ſervos ſuos dicere invitatis, ut venirent, & nolebant venire*. Servi iſti ſancti Patres ſunt veteris, & novi teſtamenti, quos ad ſibi ſerviendum condidit. Qualis erat David Propheta, qui dicebat. *Ego ſervus tuus, & filius ancillæ tuæ*. & iterum. *Servus tuus ſum ego da mihi intellectum*, & Paulus Apoſtolus. *Paulus ſervus Jeſu Chriſti*. Iſti ſervi ad nuptias regis tunc homines invitant, quando ad audiendum verbum Dei fideles vocant. Iſtos ſervos tunc rex miſit, quando Chriſtus apoſtolos ſuos judæis deſtinavit dicens. *In viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis, ſed potius ite ad oves quæ perierunt domus Iſrael*. Illi quidem ad nuptias ſapientiae noluerunt venire, quia in Chriſtum qui eſt virtus, & ſapientia Dei patris noluerunt credere. Iterum miſit alios ſervos dicens. *Dicite invitatis, ecce prandium meum paravi, tauri mei, & altilia occiſa, & omnia parata venite ad nuptias*. Quia Omnipotens Deus, cum verba ejus audire volumus adjungit exempla, ut omne quod impoſſibile credimus, tantum nobis ad ſperandum ſiat facilius, quantum per hoc pertranſiiſſe jam & & alios audivimus. Ideoque dicit. *Dicite invitatis. Ecce prandium meum paravi*, ideſt ſcripturam meam expoſui, ut eam intelligant diſcipulorum meorum ſenſum aperui, atque ut eam vobis praedicent, linguam eruditam eis tradidi, Spiritus Sancti inſuper magiſterium exhibui. Quod ſi forte impoſſibile videtur vobis quod video, attendite alios in ea juſſa fideliter adimpleſſe. Unde ſubjungitur. *Tauri mei, & altilia occiſa*. Tauri patres ſunt veteris Teſtamenti. Taurus enim cornu ferire ſolet, & in veteri teſtamento ſcriptum eſt. *Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum*. Cum ergo ex lege licentia Dei ſuoſque adverſarios comprimere, atque ferire poterant quaſi tauri erant. Altilia enim ſaginata dicimus ab eo verbo, quod eſt alere, ideoque per altilia patres novi teſtamenti ſignificantur, quia Sancti Spiritus pinguedine pleni pro Chriſto mori non timuerunt: quia igitur praedicatores Dominicae incar-

Digitized by Google

incarnationis miſſi perſecutionem ab infidelibus, & prius Prophetae poſtmodum Apoſtoli pertulerunt, recte invitatis, & venire nolentibus dicitur: *tauri mei, & altilia occiſa ſunt, & omnia parata*. Ac ſi apertius dicatur, patrum praecedentium mores accipite, & remedia vitae aeternae cogitate. Sequitur. *Illi autem neglexerunt, & abierunt alius in villam ſuam, alius vero ad negotiationem ſuam*. Villa terra eſt, ideoque per villam terrena actio intelligitur. Ille igitur in villam vadit, qui terreno labore immoderate incumbit. Negotiatio autem ideo fit, ut exinde homo lucretur. Ille igitur ad negotiationem vadit qui ſaecularium actionum lucris indeſineuter inhiat; & plerumque quod gravius eſt nonnullos vocatos Dei gratia non ſolum reſpuunt, verum etiam perſecuntur. Ideoque ſubdit. *Reliqui vero tenuerunt ſervos ejus & contumelia afflictos occiderunt*: hoc impletum eſt tempore Apoſtolorum, ſicut in actibus eorum dicit Lucas: *lapidatus eſt Beatus Stephanus, flagellati ſunt Apoſtoli*; & caeſi denuntiabatur eis ne in nomine Jeſu loquerentur. Illi autem ibant gaudentes a conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumelias pati. Legitur enim quod mortuo Beato Stephano magna perſecutio facta eſt a Judaeis in Chriſtianos. Unde & Beatus Jacobus epiſtolam ſuam Chriſtianis perſecutionem patientibus miſit, in qua ſic incipit. *Omne gaudium exiſtimate fratres mei cum in tentationes varias incideritis &c.* Sequitur. *Cum autem rex audiſſet, iratus eſt, & miſſis exercitibus ſuis perdidit homicidas illos, & civitates eorum ſuccendit*. Ita Dei animadverſio eſt, quando ſuas ſuorumque injurias poſt multam patientiam juſtitia dictante vindicat, quod tunc impletum eſt quando poſt Aſcenſionem Domini Romani Principes Titus videlicet, & Veſpaſianus cum magno exercitu Jeroſolymam venerunt, eamque obſidentes ceperunt. Judaeos qui erant interfecerunt. Civitatem totam comburentes uſque adeo deſtruxerunt, ut in ea non remaneret lapis ſuper lapidem. Quod totum Dominus praedixit, quando videns Jeruſalem flevit ſuper illam dicens. *Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & coangustabunt te undique, & ad terram proſternent te, & filios tuos, qui in te ſunt, & non relinquetur in te lapis ſuper lapidem*. Nam ſicut Deus immiſſionem facit per angelos malos, ſic quandoque per homines malos. Sed rex qui intrat, & ſe invitantem contemni conſpicit, quia filii ſui nuptias vacuas habere non vult, ad alios mittit. Quia etſi ab aliquibus ſermo Dei non recipitur, quandoque tamen invenit in quibus requieſcat. Unde & ſubditur. *Tunc ait ſervis ſuis. Nuptiae quidem paratae ſunt, ſed qui invitati erant non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus viarum, & quoſcumque inveneritis vocate ad nuptias*. Sive ſunt mandata Dei, ſicut propheta dicit. *Viam mandatorum tuorum cucurri*. Exitus viarum tranſgreſſiones ſunt mandatorum: praecipitur ergo ſervis, ideſt ſanctis praedicatoribus, ut eant ad exitus viarum, ideſt ad tranſgreſſiones mandatorum Dei, quia non indigent qui ſani ſunt medico, ſed qui male habent, ut eos ad nuptias vocent, ideſt ad audiendum verbum invitent. Unde ſequitur. *Et egreſſi ejus ſervi congregaverunt omnes quos invenerunt bonos, & malos & impletae ſunt nuptiae diſcumbentium*. In nuptiis boni, & mali convenerunt, quia in praedicatione, & audientia verbi Dei boni cum malis permixti ſunt, & conveniunt. Cum magno cordis timore penſandum eſt quod protinus ſubditur. *Intravit autem rex ut videret ſimul diſcumbentes, & vidit ibi hominem non veſtitum veſte nuptiali*. Caritas veſtis nuptialis dicitur, quoniam ſicut veſtis texitur inter duo ligna ſuperius videlicet, & inferius, ſic & caritas conſtat ex duplici dilectione. Dilectione ſiquidem Dei quaſi ſuperiori ligno, & proximi utpote inferiori. Nuptialis ideo dicitur, quoniam ad nuptias, ideſt verbi Dei praedicationem venientem, ſola caritas debet adducere. Nam qui praedicat non terreno commodo vel favore, ſed ſola caritate debet praedicare. Et qui audit ex caritate debet audire, & audiendo ea debet repleri, ut ſit ubi non eſt, ut creſcat ubi parva eſt, ut ſolidetur, & confirmetur, ubi magna eſt. Omnis ergo veſtrum, qui in eccleſia eſt poſitus, verba Dei audit, jam ad nuptias intravit, ſed cum nuptiali veſte non venit, ſi caritas gratiam non audivit. Quiſquis in nuptiis recumbens hanc non habeat jam ſollicitus metuat, ut ingrediente rege ne mittatur foras. Ecce etenim dicitur *intravit autem rex, ut videret diſcumbentes, & vidit ibi hominem non veſtitum veſte nuptiali*. Nos ſumus fratres, qui in nuptiis ſapientiae diſcumbimus, qui ſacrae ſcripturae epulis paſcimur. Conſiderate ergo ſi cum nuptiali veſte ad has nuptias veniſtis. Ecce rex ad nuptias ingreditur, & cordis noſtri habitum contemplatus, & quem caritate veſtitum non invenit ei protinus dicit, *quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem*. Mirandum eſt, quod hunc amicum vocat, & reprobat; Ac ſi apertius dicat amice, & non amice, amice per fidem, ſed non amice per operationem. At ille obmutuit, quia in diſtrictione ultimi examinis omne argumentum ceſſabit excuſationis. Sequitur. *Tunc rex dicit miniſtris. Ligatis manibus, & pedibus mittite in tenebras exteriores; ibi erit fletus, & ſtridor dentium*. Ligabuntur manus, & pedes per diſtrictionem ſententiae, quam modo a pravis operibus ligati noluerunt per meliorationem vitae. Bene autem dicitur, quod in tenebras exteriores projiciatur. Interiores tenebras dicimus caecitatem cordis; exteriores autem tenebras, noctem aeternae damnationis. Jure ergo tunc projicietur invitus in noctem damnationis, qui hic ſponte cecidit in caecitatem cordis. Ubi fletus, & ſtridor dentium eſſe perhibetur. Ut illic dentes ſtrideant, qui hic de edacitate gaudebant. Illic oculi defleant, qui per illicitas concupiſcentias verſabantur in mundo, quatenus ſingula quaeque membra ſupplicio jaceant, quae hic ſingulis quibuſque vitiis ſubjecta ſerviebant. Sed repulſo uno, in quo videlicet omne malorum corpus exprimitur, generalis protinus ſententia ſubinſertur, quae dicit. *Multi autem vocati, pauci vero electi*.

SERMO.

Erat quidam Regulus cujus filius infirmabatur Capharnaum &c.

Regulus iſte aliquem fidelem ſignificat, qui ſe in virtutibus, & bonis operibus regit. De quo per Salomonem dicitur. *Cor regis in manu Dei*. Et iterum. *Regnat enim pauper habendo Deum*. Sed quoniam alius rex magnus eſt. De quo per Pſalmiſtam dicitur. *Quam ſummus, & terribilis, & rex magnus ſuper omnes Deos*. Quod etiam per Prophetam dicitur. *Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo*. De quo etiam Scriptura ait. *Rex noſter adveniet Chriſtus*; ideo non rex, ſed regulus appellatur: hujus autem filius ſpiritus hominis eſt, qui nimirum infirmatur in Capharnaum, quod interpretatur villa pinguedinis, hoc eſt in carnali concupiſcentia, quando ſiquidem carnali concupiſcentiae conſentiens, & eam ad effectum operis conducit. Sequitur; *hic autem cum audiſſet, quod Jeſus veniret a Judaea in Galilaeam, rogabat eum, ut ſanaret filium ejus*. Jeſus interpretatur Salvator, ideoque ſignificat ſalutem noſtram, quae nimirum non venit nobis niſi a Judaea in Galilaeam. Judaea namque interpretatur confeſſio, & Galilaea tranſmigratio. Jeſus ergo venit a Judaea in Galilaeam, quia ſalus noſtra venit nobis a confeſſione oris, ad ſatisfactionem operis. Haec autem ſalus non venit nobis niſi ſeptima hora. Sicut in Evangelio legitur; *interrogabat autem Regulus in qua hora filius ſuus melius ſe habuerat, & dixerunt ei. Quia heri hora ſexta reliquit eum febris*. Videamus itaque quae ſit haec hora ſeptima, in qua hora homo relinquitur a febre. Prima hora eſt cognitio peccati, de qua per

Pro-

Prophetam dicitur: *iniquitatem meam ego agnoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper*. Secunda hora eſt odium ejus, de quo dicitur, *qui diligitis Deum odite malum*. Tertia hora eſt contritio cordis, quae naſcitur ex his duobus, de qua per Prophetam dicitur; *ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus cor contritum &c.* & de contritione cordis naſcitur humilitas, quae eſt quarta hora. De qua Dominus ait, *qui ſe humiliat exaltabitur*. & Petrus, *humiliamini ſub potenti manu Dei*. De humilitate autem naſcitur patientia, quae eſt quinta hora, de qua Dominus ait: *in patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras*. Et quia in patientia probatur ſapientia, ſicut per Salomonem dicitur. *Doctrina viri per patientiam agnoſcitur*. Ideo ſexta hora dicitur eſſe ſapientia. Et quoniam non ſufficit cognoſcere bonum, niſi homo ipſum diligat. Ideo ſeptimo loco poſt ſapientiam quaſi ſeptima hora ponitur charitas. In hac autem hora, ideſt in charitate reliquit hominem febris. Sed videamus quomodo in homine ſunt duo calores, ideſt naturalis, & innaturalis. Naturalis calor conſervat hominem; innaturalis vero, qui dicitur febris, eum laedit. Illi duo calores ſunt duo amores. Calor naturalis, qui conſervat, eſt amor Dei. Calor autem innaturalis qui laedit eſt amor mundi, & ipſe eſt febris animae. Quia igitur amor Dei fugat amorem mundi, quae dicitur febris animae eſſe; merito febris in ſeptima hora, ideſt in caritate reliquit hominem. Si ergo fratres vultis, ut mala febris dimittat filium noſtrum, ideſt ſpiritum noſtrum, diligamus Deum, & proximum, quia in his duobus mandatis tota lex pendet, & Prophetae. Lex autem in duobus conſiſtit videlicet in declinatione mali, & operatione boni. De quibus per Prophetam dicitur. *Declina a malo, & fac bonum*. Declinando namque a malo vitamus culpam, & vitando culpam evadimus poenam inferni. Operatione vero boni acquirimus Gloriam Paradiſi; ad quam gloriam perducat nos &c.

SERMO.

Dixit Jeſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: Simile eſt regnum caelorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum ſervis ſuis. Oblatus eſt ei unus, qui debebat decem millia talenta, &c. Naturale eſt, ut filius ſimilitudinem gerat patris; ideoque nos, qui filii Dei ſumus ipſum imitando ſimiles ei eſſe debemus. Deus namque miſericors eſt, ſicut per Pſalmiſtam dicitur: *miſericors & miſerator Dominus*. Dei autem miſericordia duo habet, quia magna eſt, & in aeternum duratura, nam ſi parva eſſet, minus haberet. Rurſus ſi magna eſſet, & parum duraret, ſimiliter haberet minus. Quia vero magna eſt & ſempiterna, undique laudanda. Quod autem miſericordia Dei magna ſit teſtatur Propheta, qui dicit: *Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam*; & iterum: *Miſericordia Domini plena eſt terra*; & rurſum: *Miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus*. Ecce habes, quam miſericordia Domini ſit magna. Quod autem ſit ſempiterna, idem Propheta teſtatur dicens: *Miſericordia autem Domini ab aeterno, & uſque in ſaeculum ſaeculi ſuper timentes eum*; & iterum: *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in ſaeculum miſericordia ejus. Dicat nunc domus Iſrael, quoniam bonus, quoniam in ſaeculum miſericordia ejus. Dicat nunc domus Aaron, quoniam bonus, quoniam in ſaeculum miſericordia ejus. Dicant nunc omnes, qui timent Dominum, quoniam bonus, quoniam in ſaeculum in miſericordia ejus*. Et licet miſericordia Dei magna ſit & ſempiterna, non tamen tantummodo eſt una, ſed multae ſunt. Unde per eundem Prophetam dicitur: *Miſericordiae tuae multae Domine*; & iterum: *Secundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam*. Quia ergo Deus omnibus modis miſericors nobis eſt, vult nos eſſe miſericordes aliis. Unde ait diſcipulis ſuis: *Eſtote miſericordes ſicut & pater veſter miſericors eſt*; & iterum; *Beati mites, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur*. Ad judicium namque veniens, unde remunerabit juſtos ex eo quod miſericordiam habuerunt dicet eis: *Venite benedicti Patris mei percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi. Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare; ſitivi, & dediſtis mihi bibere; nudus fui, & cooperuiſtis me; infirmus, & viſitaſtis me; hoſpes eram, & collegiſtis me; in carcere eram, & veniſtis ad me*; & quare damnabit impios? eo quod miſericordiam non fecerunt. Sic enim dicet; *Ite maledicti in ignem aeternum, qui vobis paratus eſt, diabolo & angelis ejus. Eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare; ſitivi, & non dediſtis mihi bibere; nudus, & non operuiſtis me, &c.* Miſericordiae autem duo ſunt opera, dimittere videlicet & dare. Unde Dominus ait diſcipulis ſuis; *Date & dabitur vobis, dimittite & dimittetur vobis*. Dare pertinet ad operis miſericordiam, dimittere vero ad miſericordiam cordis. Sed quia de miſericordia operis paulo ante diximus, cum juſtos per eam juſtificandos, & peccatores, qui ea caruerunt damnandos oſtendimus. Nunc ad miſericordiam cordis, quae eſt in ſe peccanti dimittere veniamus. Dominus namque cum a beato Petro interrogaretur ſi peccaverit in me frater meus dimittam ei uſque ſepties? ſic ei reſpondit: *Non dico tibi ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties*. Ecce ſi uſque ſeptuagies ſepties peccatur in nobis, dimittere jubemur. Sed quid faciemus ſi forte octuagies ſepties, aut plus aliquis peccaverit in nobis? dimittemus, aut vindicabimus? dimittemus utique. Et non ſolum ſi octuagies ſepties, ſed etiam millies, aut innumerabiliter quis peccaverit in nobis, ſemper ei dimittere jubemur. Nam numerus iſte ſeptuagies ſepties conſtat ex ſeptenario, & undenario; ſive namque ſepties undecim, aut undecies ſeptem numeres ſeptuaginta ſeptem faciunt. Septenarius autem numerus univerſitatem ſignificat. Septem namque dies ſunt omnes, undenarius autem numerus tranſgreſſionem ſignificat legis. Quia ſicut per decem, lex ſignificatur, ſic & per undecim legis tranſgreſſio intelligitur. Peccatum nihil eſt aliud, quam divinae legis tranſgreſſio. Si ergo ſeptem ſignificant univerſitatem, & undecim peccatum. Septuagies ſepties, qui conſtat ex ſeptenario, & undenario omne ſignificat peccatum. Ergo omnia peccata dimittere praecipimur cum ſeptuagies ſepties in nobis peccantibus dimittere jubemur. Ecce rex iſte, qui rationem ponere vult cum ſervis ſuis. Cum cœpiſſet rationem ponere oblatus eſt ei unus, qui debebat decem millia talenta. Et cum non haberet unde redderet, ſeipſum humiliavit, & miſericordiam popoſcit dicens: *Patientiam in me habe, & omnia reddam tibi*. Unde miſertus eſt Dominus ſervi illius, dimiſit eum, & omne debitum dimiſit ei. Ille autem cui tanta dimiſſa fuerant, invenit unum de conſervis ſuis, qui debebat ei ſolummodo centum denarios, & tenens ſuffocabat eum dicens, *redde quod debes*. Ecce ille, cui multa fuerant dimiſſa, & magna miſericordia impenſa, conſervo ſuo noluit pauca dimittere, aut aliquam miſericordiam parare. Idcirco multa, quae ei dimiſſa fuerant repetuntur. Sed veniamus ad ſancti Evangelii lectionem: *Simile eſt regnum caelorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum ſervis ſuis*. Iſte homo rex Chriſtus eſt, qui hoc loquitur, quia & homo eſt per naturam humanitatis, rex per naturam divinitatis. Qui quotidie rationem ponere non ceſſat cum ſervis ſuis, quando per Epiſcopos, & Sacerdotes hominum peccata dijudicat; rationem quoque cum ſervis ſuis non ceſſat ponere, quando nobis pro ut in corpore geſſimus, ſive bona, ſive mala pollicetur. Juxta quod dicitur, unuſquiſque mercedem ſuam recipiet ſecundum ſuum laborem; & alibi: *Eadem quippe menſura, qua menſi fueritis remetietur vobis*. Et ſervi reddunt rationem, dum unuſquiſque

ad

Digitized by Google

ad poenitentiam veniens quantum debeat, & in quibus peccaverat confitetur. Sequitur: *Et cum coepiſſet rationem ponere, oblatus eſt ei unus, qui debebat decem millia talenta.* Illi a quibus ſervus iſte anteſertur ſunt Sacerdotes, Epiſcopi, Archiepiſcopi qui ante Dei majeſtatem, & glorioſiſſimam ejus ſedem ſuis precibus, ſuiſque orationibus offerunt peccatorem. Ille unus, qui debebat decem millia talenta figuram tenet illorum, qui graviter & multipliciter peccaverunt. Nam talentum grave pondus eſt, decem millia talenta magnus numerus. Omnes numeri in hoc numero continentur. Quoniam ex denis numeris multiplicatur, cui unaquaeque pars tam perfecta eſt, ut replicari quidem poſſit, creſcere vero non poteſt. Cum enim uſque a decem millia, ideſt niſi mille herum ab uno incipiamus nihil habemus, quod ultra dicamus. Similiter autem eum venimus ad centum, & ad decem millia. Decies enim decem ſunt centum. Decies centum fiunt mille, & decies mille, decem millia fiunt. Ergo decem millia ſunt multa, & gravia peccata. Sicut autem debitum eſt peccatum velut in oratione dominica dicimus: *Dimitte nobis debita noſtra*, tie & debere peccare eſt. Servus itaque, qui debebat decem millia talenta illos ſignificat, qui multa & gravia peccata commiſerunt. Et bene, qui taliter peccat, non liber, ſed ſervus dicitur. Dicente Domino: *Qui facit peccatum ſervus eſt peccati.* Sed videamus quid ſequitur: *Cum autem non haberet, unde redderet, juſſit eum Dominus ejus venundari, & uxores ejus, & filias, & omnia quae habebat & reddi.* Servus, qui decem millia talenta debebat non habebat unde redderet, quoniam peccator, qui multipliciter, & graviter peccat ex ſuis meritis non habet, ut digne Deo ſatisfaciat: Et ideo Dominus jubet eum venundari ideſt in poteſtatem diaboli ad cruciandum tradi. Quod enim venundatur, in alterius poteſtatem transfertur. Similiter, & uxorem ejus, ideſt animam ejus, & filios animae, ideſt corporis ſenſus, & omnia videlicet membra ideſt animam, & corpus. Poteſt anima non inconvenienter pravi hominis uxor ſuperbia dici, ſicut & ſancti viri ſapientia dicitur uxor. Filii ſuperbiae, opera ejus ſunt. Sed quid faciat ſervus ſi a tantis malis vult liberari: de perpetratis malis veraciter poeniteat, ſeipſum ex toto corde humiliet, Dei miſericordiam in quantumcumque poteſt imploret. Sicut ſervus ille feciſſe legitur, qui procidens Dominum ſuum rogabat dicens, patientiam habe in me, ideſt concede mihi vitam, & ſpatium poenitentiae indulge mihi, & omnia reddam tibi, ideſt poeniteam, & tribulationes a proprio corpore exigam; & ſic de unoquoque peccato per dignam, & fructuoſam poenitentiam tibi ſatisfaciam, & fiet ei, quod ſequentia manifeſtant. *Miſertus autem Dominus dimiſit eum, & debitum dimiſit ei.* Hinc apparet quod magna, & mutiplex eſt miſericordia Dei, quae ad ſolam cordis contritionem, & confeſſionis humiliationem tam multiplicia, & gravia peccata dimittit. Scriptum quippe eſt *cor contritum & humiliatum Deus non ſpernit.* Sed cui tanta, & tam gravia peccata dimiſſa ſunt, dimittat debitoribus ſuis, ne forte contingat ei, quod ſequitur. *Et egreſſus autem ſervus ille invenit unum de conſervis ſuis, qui debebat centum denarios, & tenens ſuffocabat eum dicens, redde quod debes.* Valde parvum debitum eſt centum denariorum ad comparationem decem millium talentorum. Nam ſicut centum grave pondus eſt, & decem millia magnus numerus, ſic e contrario denarius leve pondus, & centum parvus numerus; ergo centum denarios pauca, & levia peccata ſignificant; per decem millia talenta ſignificantur peccata, quae committuntur in Deum; per centum denarios ſignificantur quibus proximus offenditur. Dignum eſt ergo, ut ſi volumus nobis dimitti multa, dimittamus & pauca; & ſi volumus nobis dimitti gravia, dimittamus & levia, ne forte, quod abſit, contingat nobis quod ſequitur. *Videntes autem conſervi ejus quae fiebant contriſtati ſunt valde, & narraverunt Domino, quae facta fuerant.* Iſti conſervi Angeli, & homines ſunt. Omnes enim ſunt conſervi, ideſt unius Domini ſervi. Et iſti iniquorum quidem oppreſſionem, & miſerorum afflictionem Domino narrant, quia pro his ad Dominum aſſidue clamant. *Tunc vocavit eum Dominus ſuus, & ait illi. Serve nequam omne debitum dimiſi tibi quoniam rogaſti me, nonne ergo & te oportuit miſereri conſervi tui, ſicut & ego tui miſertus ſum? Et iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus, quouſque redderet univerſum debitum.* Tortores iſti maligni ſpiritus ſunt, quibus miſer homo ad torquendum, & puniendum traditur quouſque reddat univerſum debitum, ideſt pro univerſo debito puniatur. Quare autem ſimilitudinem hanc Dominus attulerit videamus. *Sic & Pater meus caeleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis unuſquiſque veſtrum fratri ſuo de cordibus veſtris*; ut quod dicit lingua, teneat conſcientia, & ſicut exprimitur ore, ſic habeatur in corde. Non enim ſufficit labiis dimittere niſi ora, & corda conveniant.

SERMO.

Abeuntes Phariſaei conſilium inierunt, ut caperent Jeſum in ſermone &c.

Quod autem dicitur abeuntes, ideſt recedentes, ſed a quo recedentes, utique a Deo cui tentatoris laqueum parabant. Quatuor genera ſunt hominum a Deo recedentium, alii namque trahuntur inviti, alii trahuntur illecti, alii ſeducuntur ignari, alii recedunt ſpontanei, utpote Phariſaei; his, qui trahuntur inviti, in eccleſia eſt fortitudo, illectis temperantia, ignaris prudentia, ſpontaneis juſtitia. Conſilium Phariſaeorum conſilium eſt impiorum, qui Chriſtum Dominum ſalvatorem utique ſuum opprimere cupiebant. Iniquus fuit ſerpens, qui voluit Evam participem ſuae malitiae. Impia Eva, quae voluit Adam participem eſſe ſuae praevaricationis. Miſer fuit Adam, qui abiit in conſilio impiorum, cujus imitatores Phariſaei fuerunt, qui abierunt, & conſilium contra Dominum fecerunt. Sic enim ait in Evangelio. *Abeuntes Phariſaei conſilium inierunt, ut caperent Jeſum in Sermone.* Unde diſtantia de beato viro legitur: *non abiit in conſilio impiorum.* De Phariſaeis vero; *abeuntes Phariſaei conſilium inierunt.* Conſilium impiorum quadripartitum eſt. Eſt enim aerumnoſum, laborioſum, delitioſum, & fraudulentum. Ærumnoſum in pauperibus, qui inviti ſubſtinent paupertatem; hi de aerumnis multis tranſibunt ad perpetuam aerumnam, & miſeriam. Laborioſum in avaris, & cupidis, qui laborant in aggregandis divitiis, timentes ne amittant, quae congregaverunt, ſperantes habere quae non habent, & de iſto labore & anxietate transferentur ad majorem anxietatem, ſcilicet inferni: delitioſum in divitibus illis, & potentibus, qui epulantur quotidie ſplendide, & induuntur purpura, & byſſo, qui omnes in inferni detrudentur noviſſima. Fraudulentum eſt his videlicet Phariſaeis, qui dominum fraudulenter, & blande decipere cupiebant, ſimiles utique ſcorpionibus, qui ex anteriori parte ſuaviter vadunt, ſed retro cauda pungunt, & pungendo venenum immittunt. Similes quoque apibus, quae quidem ore mel portant, ſed retro pungunt; ſic & iſti in ore quidem dulces ſermones habebant. De quibus Dominus dicit. *Circumdederunt me ſicut apes.* Et iterum. *Mollierunt ſermones ſuos ſuper oleum, & ipſi vero ſunt jacula.* Et quia Chriſtum de opere nullatenus poterant reprehendere, nitebantur eum ſaltem in ſermone capere. Ideoque non ipſi vadunt ſed diſcipulos ſuos quaſi minus notos mittunt minuſque ſuſpectos, ut abſconſe, & facile eum deciperent, aut deprehenſi minus erubeſcerent. Cum herodianis ideſt militibus Herodis dicentes. *Magiſter ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces,*

Digitized by Google

ces, non enim reſpicis perſonam hominum. licet fraudulenter, & doloſe loquerentur, veruntamen dicebant, quoniam Chriſtus per omnimodam ſapientiam magiſter noſter eſt; ſicut ipſe ait diſcipulis ſuis. *Vos vocatis me Magiſter, & Domine, benedicitis, ſum etenim*. Et non ſolum verax, ſed etiam veritas, ſicut ipſe ait. *Ego ſum via, veritas, & vita; & viam*, hoc eſt, mandata Dei in veritate doces, & non reſpicis perſonam hominum. Quia ſicut Petrus Apoſtolus ait. *Et non eſt perſonarum acceptio apud Deum. Dic ergo quid tibi videtur, licet dari cenſum Caeſari, an non*. Blanda, & fraudulenta interrogatio illuc provocat reſpondentem, ut magis Deum, quam Caeſarem timeat, & dicat non debere tributa ſolvi, ut ſtatim audientes Herodiani ſeditiones contra Romanos principes teneant: duplici quidem laqueo Chriſtum inlaqueare putaverunt, ut ſi diceret nobis debere tributa ſolvi, Romanorum iram incurreret. Si autem diceret debere tributa ſolvi ab his, qui primitias, & decimas Deo dabant, & legalia offerebant, graviter blaſphemaret: Unde Dominus ita reſponſionem ſuam temperavit, ut phariſæorum laqueos evaderet, & quae Caeſaris ſunt Caeſari, & quae ſunt Dei Deo dari praeciperet. Sequitur. *Cognita autem Jeſus eorum nequitia ait. Quid me tentatis Ipocrytae*. Cum ſcriptura de eo dicat: *Tu ſolus noſti corda filiorum hominum*. Evidenter apparet Chriſtum Deum eſſe, qui mentem continuo interrogantium cognovit. Unde non diſcipulos, ſed tentatores, & Ipocrytas appellavit dicens. *Quid me tentatis hipocritae*. Hipocrita dicitur ſimulator, quia aliud eſt, & aliud diſſimulat, ideſt aliud opere agit, & aliud voce prætendit. *Oſtendite mihi numiſma cenſus, at illi obtulerunt ei denarium*. Sapientia ſapienter ſemper agit ut tentatores ſuis potiſſimis ſermonibus confitentur. Et ideo ait. *Oſtendite mihi denarium*. Denarius genus eſt nummi, qui pro decem nummis imputabatur, & habet imaginem Caeſaris. Et ait illis Jeſus. *Cujus eſt Imago hæc, & ſuperſcriptio*. Qui putant interrogationem Salvatoris ignominiam eſſe, & non diſpenſationem, diſcant ex præſenti loco quod utique potuit ſcire Jeſus cujus imago eſſet in nummo, ſic interrogat, ut ad ſermonem eorum competenter reſpondeat. *Dicant ei Cæſaris*. Tunc ait illis. *Reddite ergo, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo*. Caeſari reddimus nummum, tributum, & pecuniam. Deo decimas, primitias, oblationes, & victimas. Et ſicut homo Cæſari reddit denarium, in quo eſt imago ejus, ſic Deo reddat ſeipſum, quia factus eſt ad imaginem, & ſimilitudinem Dei. Sed miſer homo quod Caeſaris eſt Deo reddit, & quod Dei eſt diabolo tribuit. Unde ſcriptum eſt. *Si recte offeras, & recte non dividas, peccaſti*. Recte offert, qui nummum Deo, vel pro Deo offert. Sed non recte dividit, qui nummum dat Deo, vel pro Deo, & ſeipſum per multa vitia, & peccata dat diabolo. Ideoque Fratres ſummopere nobis ſtudendum eſt, ut conſervemus imaginem & ſimilitudinem Dei in nobis; & ſicut filii Dei ſumus, ſic & illum imitando ſimiles ei erimus. Dicente Petro apoſtolo. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus*. Quoniam ſi ipſum in hac vita imitati veraciter fuerimus, cum ipſo in futuro regnare valebimus. Quod ipſe.

S E R M O.

Loquente Jeſu ad turbas. Ecce Princeps unus acceſſit, & adoravit eum dicens. Domine filia mea modo defuncta eſt, ſed veni impone manum tuam ſuper eam, & vivet &c.

Duo ſunt, quae vigilanter attendimus, & noſtræ ſaluti valde ſunt utilia. Praecepta videlicet, & exempla. Praeceptis namque inſtruimur ad ſapientiam, exemplis informamur ad bonam vitam. Quod nimium de praeſenti lectione ſancti evangelii perpenditur, ſi quod evangelium refert, ſubtiliter attendatur. *Ait loquente Jeſu ad turbas &c.* Dominus tunc ad turbas loquitur, quando aliquis praedicator verba vitæ fidelium turbis fideliter prædicat. Unde Dominus apoſtolis ſuis ait. *Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis*. Et Paulus Apoſtolus. *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Chriſtus*, & Pſalmiſta. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*. Sed quoniam de ſermone docentis naſci ſolet ſapientia in corde audientis; ideo evangeliſta ſecutus adjunxit. *Ecce Princeps unus acceſſit ad eum*. Princeps iſte Spiritus eſt ſapientiae. Quod merito dicitur Princeps, quoniam ſapientia inter caeteras virtutes principatum tenet. Nam cum aliquis in eccleſia Dei, vel ſit Epiſcopus, vel Archiepiſcopus, aut Rex, vel Dux ſemper ſapientia debet eſſe in corde; hoc eſt, ut ideo fiat, quia ſapiens ſit, vel eſſe credatur, unde ipſa ſapientia loquitur, & dicit. *Per me reges regnant, & principes vitam diſponunt*, & iterum. *Lumen ſapientiæ diligite omnes, qui præeſtis populis*, & iterum. *Rex ſapiens populi ſtabilimentum eſt*. Unde ſecundum alium Evangeliſtam. Princeps iſte vocabatur Jayrus, qui interpretatur illuminatus, ſive illuminans. Quoniam ſapiens, & a Deo eſt illuminatus, & alios de ſua ſapientia illuminat. Et quia de ſapientia ſolet naſci bona vita, ideo filia hujus principis dicitur vita ſapientis, quae tamdiu vivit, quamdiu bona eſt. Tunc infirmatur, cum mala eſſe incipit, tunc moritur, cum per aliquem grave malum fit. Tunc pater ejus illam Deo mortuam nuntiat, cum per aliquem ſapientem in confeſſione ſua ſe peccaſſe, atque male vixiſſe denuntiat. Dicens cum Propheta. *Deus vitam meam annuntiavi tibi*. Tunc Princeps pro filia ſua Deum rogat, ut eam ſuſcitet, quando aliquis ſapiens pro vita, & anima ſua orat, ut eam ſanet. Dicens cum Propheta. *Ego dixi Domine miſerere mei, ſana animam meam, quia peccavi tibi*. Et quoniam poſtquam peccatum noſtrum perfecte cognoſcimus, & poſtquam digne de peccato poenitemus, numquam cum majori deſiderio ad illum convertimur, quam ipſe ad nos. Dicente illo per Prophetam. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*. Nec promptiores ſumus ad rogandum, quam ille ad ſanandum, ideo merito ſubditur. *Et ſurgens Jeſus ſequebatur eum, & diſcipuli ejus*. Sequitur. *Et ecce mulier, quæ ſanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, acceſſit retro, & tetigit fimbriam veſtimenti ejus. Dicebat enim intra ſe, ſi tetigero fimbriam tantum veſtimenti ejus ſalva ero*. Mulier iſta, aliqua perſona eſt, ſive vir ſive foemina, quae patitur fluxum ſanguinis, ideſt incontinentiam peccati. Nam ſi ſanguis peccatum ſignificat, juxta quod dicitur. *Sanguinem ejus de manu tua requiram*. Merito per fluxum ſanguinis intelligitur incontinentia peccati. Sicut enim ſanguis inceſſanter ab ea fluebat, ſic & ab hujuſmodi perſonis peccatum indeſinenter emanat. Quae paſſio recte duodecim annis fuiſſe deſcribitur. Duodenarius quippe numerus ex ternario conſtat & quaternario, per ternarium intelligitur anima, quae ex tribus qualitatibus conſtat, memoria videlicet, intellectu, & voluntate. Unde, & Deum diligere tota mente, & tota anima, & tota virtute homo jubetur; per quaternarium corpus ſignificatur, quia ex quatuor qualitatibus conſtat, frigida, calida, ſicca, & humida. Si ergo duodenarius numerus ex ternario conſtat, & quaternario, & per ternarium ſicut diximus intelligitur anima, & per quaternarium corpus. Ille duodecim annis fluxum ſanguinis indeſinenter patitur, quia tam anima, quam corpore jugiter peccare non ceſſat. Sequitur. *Et tetigit fimbriam veſtimenti ejus*. Videamus itaque, quod ſit veſtimentum Chriſti, & quæ ſit fimbria ejus. Veſtimentum Chriſti caro ejus eſt; unde Chriſto in cælum aſcendenti, & carnem rubicundam de ſanguinis effuſione habenti, dictum eſt ab Angelis: *Quare rubrum eſt veſtimentum tuum*; fimbria, quae ultima pars veſtimenti eſt, Chriſti paſſio intelligitur, quam in ultimo tempore hujus

 mor-

Digitized by Google

mortalis vitae, quam pro nobis aſſumpſit Chriſtus ſuſtinuit. Unde Joannes Evangeliſta ait: *Cum dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem tamen dilexit eos*. Illa igitur fimbriam veſtimenti Chriſti tangit, qui paſſionem Chriſti recte credit, & imitatur. Sicut per Apoſtolum Petrum dicitur: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus*. Et qui hanc fimbriam Chriſti ſic tangit, etiam ſi fluxum ſanguinis patiatur, ideſt humilitatem peccati, meretur tamen liberari. Quod autem Chriſtum tangere in eum credere ſit, in Evangelio evidenter oſtenditur. Quia cum poſt reſurrectionem Chriſti, Mariae Magdalenae apparuiſſet, & illa vellet eum tangere dixit ei: *Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem meum*, videlicet in corde tuo. Hoc non me aequalem Patri credis, & ideo noli me tangere corporaliter, quoniam fide non tangis. Deus namque fidei diligit tactum non corporis. Unde ſecundum alium Evangeliſtam, cum praefata mulier fimbriam veſtimenti Chriſti tetigiſſet, & confeſtim fluxus ſanguinis ejus ſtetiſſet, dixit Jeſus: *Quis eſt qui me tetigit?* Negantibus autem omnibus, dixit Petrus, & qui cum illo erant. *Praeceptor turbae te comprimunt; & tu dicis, quis eſt, qui me tetigit*; & dixit Jeſus: *Tetigit me aliquis. Nam & ego cognovi virtutem de me exiſſe*. Apoſtoli corporalem ejus compaſſionem videbant. Sed Chriſtus fidei tactum quaerebat. Unde cum mulier iſta ante eum veniſſet, & totum quod de ea factum fuerat indicaſſet, dixit illi Jeſus: *Confide filia fides tua te ſalvam fecit, vade in pace*. Poteſt quoque, & hoc quod dicitur in Evangelio tetigit fimbriam veſtimenti ejus, non inconvenienter aliter exponi. Ut per veſtimentum Chriſti fidelium univerſitas intelligatur. De quibus per Prophetam Domino dicitur: *Vivit Dominus quia his omnibus velut ornamento veſtieris*. Unde & in paraſceve altaria ſuis veſtimentis nudantur; quoniam Chriſtus, qui per altare ſignificatur, a ſuis diſcipulis, & aliis fidelibus eo die nudatus, & ab eis derelictus fuit. Quoniam ſicut Evangeliſta ait: *Diſcipuli, eo relicto, fugerunt*. Si ergo fideles Chriſti per veſtimentum intelliguntur, fimbria quae eſt vilior pars veſtimenti, illa pars vilior, quae terram tangit, illos ſignificat qui propter Deum contemptibiles ſunt in hoc ſaeculo, & deſpicabiles, qui etiam omnia pro Chriſto derelinquunt, & nudi eum ſecuntur cum Joanne; utpote ſunt regulares canonici, monachi quoque, & heremitae, & alii religioſi viri: hanc fimbriam tunc tangimus, cum nos ei conjungimus, & adhaeremus, & ab eis in eorum orationibus recipimur. Rem namque cum homo tangit, ei profecto ſe conjungit. Hic poſſunt notari tria genera hominum caelorum regnum intrantium; raptores & violenti, qui rapiunt illud; fures & latrones, qui furantur; emptores, qui emunt. Raptores ſunt illi, qui vim carni inferunt, carnem ſuam macerant, & conterunt jejuniis & vigiliis, & caeteris hujuſmodi, & quadam violentia, & quodam magno labore regnum caelorum rapiunt. Fures ſunt, qui quaſi furtim, & in abſcondito regnum caelorum furantur. Quod ſignificatur per hanc mulierem patientem fluxum ſanguinis, quae Chriſti fimbriam dum a turba premeretur tetigit, & ſic ſanata eſt. Cui Chriſtus ait: *Quis me tetigit*. Senſi virtutem exiſſe de me. Ecce quomodo virtutem mulier iſta furata eſt. Tales ſunt regulares Canonici, Religioſi, Monachi, & ſancti Eremitae, qui in clauſtris & cellulis ſuis in abſcondito, & nullis aliis videntibus regnum caelorum acquirunt, ſequentes illum qui dixit: *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum, & clauſo oſtio ora patrem tuum*. Iſti tales furtim ſurantur regnum caelorum. Emptores ſunt illi divites & potentes in ſaeculo, qui faciunt ſibi amicos de mammona iniquitatis, dant de poſſeſſionibus ſuis, & de divitiis ſuis religioſis viris, erogant ſua pauperibus, & monaſteria aedificant, & cum hujuſmodi faciunt, ſic regnum caelorum emunt. Nota iterum, quod Chriſtus tres mortuos legitur ſuſcitaſſe, & trina diſpoſitione locorum, trina quoque diſtinctione modorum, & trina inductione teſtium. Nunc de ſingulis eodem ordine proſequamur. Jeſus tres mortuos legitur ſuſcitaſſe. Primo puellam Archiſinagogi filiam. Secundo juvenem filium viduae. Et tertio Lazarum quatriduanum. Trina diſpenſatione locorum, puellam infra domum, juvenem extra portam delatum, Lazarum in foris ad monumentum. Trina diſtinctione modorum, puellam verbis duobus *puella ſurge*. Juvenem tribus; *tibi dico ſurge*. Lazarum in tremitu, lacrymis & clamore. Unde in Evangelio dicitur: *Jeſus infremuit, lacrymatus eſt, & clamavit voce magna, Lazare veni foras*. Trina inductione teſtium, puella coram arbitris Petro, Jacobo diſcipulis, patre & matre puellae. Juvenem vero coram populo civitatis. Lazarus autem ſic innotuit in Judaeam, ut pro eo Judaei convenientes voluerunt eum regem eligere, ſed aufugit Chriſtus. De quarto vero mortuo, quoniam nuntiante diſcipulo audivit Dominus, quia non habuit vivos interceſſores, ideſt fideles & juſtos. *Inquit dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos*. Sciendum ergo, tres ſpecies mortalis peccati eſſe, quarum unaquaeque pro modo ſuo mors animae eſt; prima enim ſpecies pravitatis eſt conſenſus. Secunda pravum opus. Tertia pravae conſuetudinis uſus. Cauſa eſt primi peccati de Adam, qui abiit in conſilio impiorum. Secunda, quod ſtetit in via peccatorum. Tertia, quod ſedit in cathedra corrumpens alios per exemplum. In abeunte innuitur levitatis conſtantia. In ſtante obſtinationis durities. In ſedente praeſumptionis ſuperbia. Sed quod tres mortalis ſpecies peccati eſſe dicimus, quod ſimilanter per tres mortuos quos ſuſcitavit Dominus. Bene enim anima in ſolo conſenſu peccati corrumpitur mortaliter, nobis figuratur in puella. Animam vero, quae conſenſum perduxit ad opus repræſentat nobis adoleſcens mortuus. Cauſam vero, quae conſuetudine peccati jam corrumpitur, deſignat fœtens Lazarus. Conſenſus enim latens in conſcientia, puella eſt in domo clauſa. Opus vero quod fit exterius, juvenis eſt extra portam delatus. Frequens autem conſuetudo peccati, Lazarus jam fœtens in ſepulcro. Quod quidam verſificator egregius breviter, & lucide duobus deprehendit verſibus, ſic dicens. Mens mala mors intus. tumba puella. puer Lazarus illa notat. Neceſſitate miniſterio caret, quod Dominus puellam paucis eſt allocutus verbis, quia facile reſurgit anima, quae conſenſum non perduxit ad opus. Juvenis autem pluribus admonitus, quia tales reviviſcunt aliquando difficilius; ad monumentum Jeſus turbatus fremuit lacrymatus; & clamans, *Lazare veni foras*. Similiter longa peccati conſuetudine paſſa vix reſurgit, & quaſi gravi anguſtia. Notandum eſt, quod levia, & ſecreta peccata, levi & occulta deleri poſſunt pœna. Unde, & puella paucis reſurgit arbitris, quibus & praecipitur, diceret. Majora vero, & aperta publico, & majori indigent remedio. Unde reſurgit juvenis coram populo. Maxima vero, quia conſuetudine ducta ſunt ſicut multos per exemplum male corrumpunt, ſic & coram pluribus graviter punienda ſunt; unde & Lazarus de monumento vocatus in tantum innotuit, ut propter hoc turbae Domino cum palmis occurrerent, & praeſertim multi ex Judaeis in eum crederent. Quem vero Dominus evocat a tumulo, bene dicitur Lazarus, qui interpretatur latine adjutus. Tres enim conveniunt in adjutorium ejus, Martha, Maria, & ipſe Dominus. Martha precibus piis. Maria fletibus devotis. Chriſtus divinis virtutibus: & ſic ſuſcitatur Lazarus jam fœtidus. Quatriduanus Lazarus autem iſte noſtrum figurat animum in peccati morte jam per tranſgreſſionem quatriduanum. Sunt enim quatuor leges. Prima in Paradiſo ante peccatum, videlicet *de omni ligno Paradiſi comede, de ligno autem boni, & mali ne comedas*. Secunda in exilio poſt peccatum, *Quod tibi non vis, alii ne feceris*. Tertia

Moy-

Digitized by Google

Moyſe ſeribente. Quarta Chriſto praedicante. Tranſgreſſio uniuſcujuſque iſtarum quatuor legum, quaſi univerſus dies mortis eſt. Ille igitur quatriduanus recte uppellari poteſt, qui iſtarum quatuor legum invenitur tranſgreſſor, & ſic animus noſter in his omnibus praevaricator in ſepulcro jacet mortis fœtidus, quod & quidam verſificator egregius breviter & leviter paucis comprehendit verſibus ſic dicens. Prima dies, Adae peccatum lex ſine ſcripto altera lex, vetus eſt tertia, quarta nova: dum tres tranſgredior leges in crimine natus eſt per quatriduanum Lazarum in tumulo. Animus ergo noſter eſt alter Lazarus. Alter quoque juvandus, pro quo ſi non rogaverint ſorores ejus non reſurget per miracula. Eſt autem Martha vita activa. Maria vita contemplativa. Chriſtus divina gratia. Si igitur in vita activa, quod ſuum eſt faciat, ideſt laboret, jejuniis, vigiliis & orationibus corpus ſuum maceret, & vita contemplativa oret, contempletur, & pie ſupplicet, divina gratia ſemper præſto eſt, ut animam a morte peccati reſuſcitet dicens ei, *Lazare veni foras*. Martha igitur ideſt activa vita Lazarum fratrem ſuum, ideſt animum noſtrum fideliter juvat. Tria vitia ab eo enim evellit, & extirpat, quae ſunt prava operatio, carnalia deſideria, & ſaeculi cura: Maria quoque, ideſt vita contemplativa fideliter adjuvat. Tres enim virtutes inſerit, & plantat quae ſunt eleemoſina, jejunia, & oratio ſancta. Opponuntur ergo virtutes vitiis, ſingula per contrarium ſingulis, ideſt eleemoſyna operibus pravis, jejunia carnalibus deſideriis, oratio ſaeculi curis. Chriſtus quoque, ideſt gratia divina principaliter adjuvat, quae tria bona ſuperaddit, & aggregat, quae ſunt fides recta, ſpes, ſancta charitas; firmiter dicens ei. *Lazare veni foras*. Ac ſi aperte diceret. Qui pro te fideliter orare non defuit divina gratia, tibi non deerit. *Veni ergo foras*, ideſt de tenebris ad lucem, a damnatione ad ſalutem, a veteri homine ad novum, a patre diabolo ad noſtrum Deum, ab Inferno ad Cœlum. Sic nos ad ſe dignetur vocare. Qui vivit, & regnat amen.

SERMO.

In illo tempore ambulans Jeſus juxta Mare Galilææ vidit duos fratres Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus mittentes rete in Mare, erant enim piſcatores, & ait illis. Venite poſt me faciam vos fieri piſcatores hominum &c. Opera Domini noſtri Jeſu Chriſti, & per effectum ſunt admiranda, & per ſignificationem ſunt imitanda. Sic enim in veritate creduntur facta, ut tamen per ſignificationem nobis aliquid innuant. Videamus itaque, quid Mattheus de Salvatore noſtro dicat Evangeliſta. *Ambulans Jeſus juxta mare Galilææ vidit duos fratres Simonem, & Andream*. In hoc loco pravum cor hominis mare ſignificare videtur. Sicut enim mare diverſis undis fluctuat, ſic & cor hominis diverſis cogitationibus agitatur. Et ſicut in mare ſunt multae aquae amarae ſiquidem & ſalſae, & impotabiles, ſic & in pravo corde ſunt multae concupiſcentiae. Aliae carnis, aliae oculorum. De quibus dicitur per Johannem. *Omne quod in mundo eſt concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ*. Hæ nimirum concupiſcentiæ more turbidae aquae terram quidem emolliunt, ſed ſordes non lavant, quia terrena corda ad amorem Mundi & laſciviam carnis emolliunt; ſed peccatorum ſordes non auferunt. Et ideo merito dicuntur amaræ, quia peccati amaritudinem in ſe habent. Peccata namque, & ſi dulcia videantur in perpetratione, amara tamen erunt in poenam. Sicut e contra juſtitia ſi amara videatur in exhibitione, dulcis tamen erit in retributione. Sunt etiam prædictæ aquæ ſalſæ, ſalſugo quippe ſterilitatem generat, & ſiccitatem, & ſic præfatæ concupiſcentiæ in homine ſterilitatem generant bonorum operum, & ab humore gratiæ Sancti Spiritus ſiccum reddunt, & aridum. Unde potari nequaquam debent, ſed potatae evomi. Si ergo, ut ſupra diximus per mare pravum cor hominis intelligitur, merito non dicit Evangeliſta, quod Jeſus in mare intraverit, ſed juxta mare ambulavit, quia in pravo corde Deus non manet. Sicut ſcriptum eſt. *Spiritus Sanctus diſciplinæ fugiet fictum, nec habitat in corde ſubdito peccatis*. Sed juxta illud vadit, ut convertatur & inſpiret. Unde non ſimpliciter mare dicitur, ſed Galilææ, quod tranſmigratio interpretatur, quoniam pravum cor tranſmigrare debet de malo ad bonum, de vitiis ad virtutes, de peccato ad poenitentiam. In hoc mare vidit Jeſus Petrum, & Andream. Petrus qui interpretatur *agnoſcens*, prudentiam ſignificat per quam homo recognoſcit quid ſit bonum, quidve malum, quid tenendum, quid dimittendum, quid Deus jubeat quidve prohibeat. Hæc autem ideſt prudentia duplex eſt, alia enim mala, alia bona. Mala, quae carnis eſt, bona quae Spiritus. De quibus per Apoſtolum dicitur. Prudentia autem ſpiritus, vita, & pax. Unde ait diſcipulis ſuis. *Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes*. Andreas interpretatur *virilis*, ſignificat fortitudinem, quae ſimiliter duplex eſt, alia eſt enim bona, alia mala fortitudo. Nam niſi mala eſſet fortitudo, nequaquam diabolus fortis diceretur a Domino, qui ait de illo. *Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea quæ poſſidet*. Et niſi bona eſſet fortitudo nequaquam de ſe Dominus diceret. *Cum fortior illo ſupervenerit*. Et niſi mala eſſet fortitudo, nequaquam Propheta diceret. *Qui confidunt in Domino, mutabunt fortitudinem, ut ſicut fortes fuerunt in malo, ita ſint in bono*. Quia ergo Chriſtus vidit in mari Petrum & Andream, ideſt in pravo corde prudentiam, & fortitudinem carnis, recte dicit eis. *Venite poſt me*, ut ſicut hucuſque carnalia ſapuiſtis, ita amodo ſpiritualia ſapiatis, & ſicut fuiſtis fortes in malo, ſic ſitis & in bono. Unde ſequitur. *At illis relictis retibus, & navi ſecuti ſunt Dominum*. Per retia ſecularia deſideria intelliguntur, quibus de mari, hoc eſt de pravo corde malos piſces ideſt opera carnis, ſicut eſt fornicatio, luxuria, immunditia &c. Petrus, & Andreas, ideſt prudentia, & fortitudo carnis abſtrahunt; haec quippe retia ſunt relinquenda, quia ſecularia deſideria ſunt abneganda, ut ſicut per Apoſtolum dicitur. *Ut abnegantes impietatem, & ſæcularia deſideria*. Relinquenda eſt navis, ideſt carnalis voluptas, quae in mari, ideſt in pravo corde poſita, ad ſimilitudinem navis frequenter portat hominem. Ubi notandum eſt, quod non ſolum dixit Jeſus; *venite poſt me*, ſed addidit *faciam vos fieri piſcatores hominum*. Homo namque rationalis creatura eſt, & ideo bene dicitur faciam vos fieri piſcatores hominum, ut qui uſque nunc piſcabimini opera carnis, & ideo irrationabilia. Sequitur. *Et procedens inde vidit alios duos fratres, Jacobum Zebedei, & Joannem fratrem eius in navi cum Zebedeo Patre eorum reficientes retia ſua in mari, & vocavit eos. Illi autem relictis retibus ſuis, & patre ſecuti ſunt eum*. Quod dicitur procedens augmentum ſignificat virtutum: ſic alibi dicitur. *Ibunt de virtute in virtutem*. Jacobus qui interpretatur ſubplantator, temperantiam ſignificat, quia vitia, & peccata ſupplantat, quae conculcando ſupplantat, & ſub pedibus redigit. Et ſic dicente Salumone. *Eſt confuſio adducens mortem*. Nam qui confunditur, idem erubeſcit mala facere. Haec autem confert vitam. Qui autem confunditur ſua mala confiteri, haec autem adducit mortem. Similiter temperantia alia bona, alia mala. Bona temperantia eſt, quia homo temperat ſe, ideſt, abſtinet ſe a malo. Mala eſt quia homo abſtinet a bono. Joannes qui Dei gratia interpretatur juſtitiam ſignificat, quia non eſt ex noſtris meritis, ſed ex ſola Dei gratia datur; hæc autem alia eſt carnis, alia eſt Spiritus. Juſtitia carnis eſt Dei præcepta carnaliter obſervare. Juſtitia Dei eſt mandata ſpiritualiter adimplere. De juſtitia carnis dicit Apoſtolus. *Munera, & hoſtiæ offeruntur, quæ*

non poſſunt juxta conſcientiam perfectum facere ſervientem, ſolummodo cibis, & potibus, & variis baptiſmatibus, & juſtitiis carnis, uſque ad tempus impoſitis. De juſtitia vero ſpiritus dicit pſalmiſta. *Juſtitiæ Domini rectæ*. Ubi notandum eſt, quia Jacobum vocat filium Zebedei. Joannem vero non filium Zebedei, ſed fratrem Jacobi. Zebedeus interpretatur fugitivus, & ſignificat diabolum, qui a Deo fugit, & nobis a Deo fugere ſuadet. Hujus filius Jacobus, ideſt temperantia boni recte dicitur, quia quicumque a bono ſe abſtinet, & ipſum bonum non vult facere, recte filius diaboli appellatur: & ſubditur eum Zebedeo patre eorum, quia ſicut a bono abſtinere a diabolo eſt, ſic & Dei mandata, praecipue in ſacrificiis modo carnaliter obſervare, quemadmodum Judaei faciunt, a diabolo procedit. Sicut ergo vocavit Chriſtus Petrum, & Andream de mari, ideſt imprudentiam, & fortitudinem carnis de corde pravo, dicens eis. *Venite poſt me*; ſic & Jacobum, & Joannem, ideſt temperantiam boni, & juſtitiam carnis vocat dicens eis: *Venite poſt me*: ut ſcilicet non temperetis, neque abſtineatis vos a bono, ſed a malo, neque mandata Dei carnaliter, ſed ſpiritualiter obſervetis. *At illis relictis retibus*, ideſt ſaecularibus deſideriis, & patre diabolo ſecuti ſunt eum. Quoniam temperantia mali verſa eſt in temperantiam boni, & juſtitia carnalis facta eſt ſpiritualis. Quia ergo ſolemnitatem beati Andreae celebramus, debemus imitari quod colimus, ut ſicut Chriſtus de mari vocavit quatuor Apoſtolos qui prius erant piſcium, poſtea fuerunt piſcatores hominum, ſic & nos de corde noſtro vocemus quatuor virtutes, videlicet ſcientiam, voluntatem, opus, & operis perſeverantiam, ut qui prius cognoſcebamus, volebamus, operabamur, & in opere perſeverabamus, carnalia, & terrena, poſtea ſpiritualia, & caeleſtia cognoſcamus, diligamus, operemur, & in eorum opere uſque in finem perſeveremus, dicente Domino. *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit*. Ecce etenim beatus Andreas, cujus hodie feſtivitatem colimus, tam fervens erat in amore Chriſti, ut pro ejus amore non timeret in cruce ſuſpendi, imo gaudens, & exultans ibat ad martyrium. In quo fratres ſui nominis interpretationem feliciter adimplevit. Andreas quoque ſicut diximus interpretationem feliciter adimplevit viriliter, quia in paſſione ſua viriliter egit. Sicut per Prophetam dicitur; *viriliter agite, & confortetur cor veſtrum*, & iterum. *Expecta Dominum, & viriliter age*. Et beatus Andreas viriliter ideo agebat, quia Dominum, ut ſe in Caelum reciperet, expectabat. Unde & dicebat. *Domine Jeſu Chriſte rex æternæ gloriæ ſuſcipe me pendentem in patibulo*; & ideo de Crucis patibulo & poena translatus eſt ad Caeli gloriam; de Crucis tormento ſublimatus eſt ad perenne gaudium, ad quod nos perducat.

S E R M O.

Ingreſſo Zaccharia templum Domini apparuit ei Gabriel Angelus ſtans a dextris Altaris incenſi.

Zaccharias Sacerdos fuit ſicut Lucas ait. *Fuit in diebus Herodis Sacerdos quidam nomine Zaccharias*; Sacerdotes Eccleſiae ſignificat. Et Zaccharias interpretatur memoria Domini, & unuſquiſque Sacerdos, & Dei memor debet eſſe, & Dei memoriam in ſe habere, atque populo ſibi commiſſo Dei memoriam facere, & Deum ad ejus memoriam reducere. Iſte Sacerdos in Dei templum frequenter debet intrare; Dei templum ſacra Scriptura eſt; ſicut enim homo in domo ſua ipſe, & omnia ſua inveniuntur, ſic Deus in ſacra Scriptura ipſe, & omnia ſua mandata, atque praecepta reperiuntur. Sacerdos, & Zaccharias tunc in templum ingreditur, quando aliquis Sacerdos in ſacra Scriptura meditatur: ſicut ergo de beato viro legitur, *& in lege ejus meditabitur die, ac nocte*. Quia difficile eſt, ut qui ſacram Scripturam meditatur frequenter quidquid ipſe intelligat ſubjunctum eſt. *Apparuit ei Gabriel Angelus*: Angelus qui interpretatur nuntius, ſermo divinus eſt, qui Deum, & ejus mandata quotidie nuntiare non ceſſat, & non ſolum Angelus, ſed etiam Archangelus, ideſt ſummus nuntius dicitur; quia ſumma, ideſt caeleſtia, & divina nuntiat; & quia fortiter hoc facit, vel facere debet, merito etiam Gabriel dicitur, qui Dei fortitudo nominatur. *Ingreſſo itaque Zaccharia templum Domini apparuit ei Gabriel Angelus Dei*, quia aliquo Sacerdote in Sacra ſcriptura meditante apparet ei Angelus Dei, ideſt Sermo divinus. Sermo autem divinus tunc alicui apparet, quando ab aliquo videtur; tunc ab aliquo videtur, quando ab ipſo intelligitur. Sequitur. *Stans a dextris Altaris incenſi*. Altare Chriſtus eſt. De quo Apoſtolus ait. *Habemus Altare de quo edere non habent poteſtatem, qui tabernaculo deſerviunt* Qui non ſolum Altare, ſed etiam dicitur Altare incenſi. Incenſum quippe orationem ſignificat, Propheta teſtante, qui ait. *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo*. Et quoniam Chriſtum adoramus, Chriſtum oramus, & Chriſto noſtras orationes fundimus, merito Altare incenſi vocatur: hoc Altare autem habet dexteram, & ſiniſtram. Dextera Chriſti eſt ejus divinitas, & ſiniſtra ejus humanitas. Angelus ergo ſtat a dextris Altaris incenſi, quia ſermo divinus divinitatem Chriſti pronuntiat dicens. *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum*. Sed videndum eſt, quod Zaccharias uxorem habuit nomine Elizabeth; & unicuique Sacerdoti danda eſt uxor, ideſt ſpes futurae beatitudinis. Quae merito dicitur Elizabeth, quae interpretatur Dei mei ſaturitas; quoniam ſicut in futura vita de Deo ſatiabimur per ſpem, dicente Propheta: *ſatiabor dum manifeſtabitur gloria tua*; ſic in præſenti vita ſatiamur per ſpem. Unde per pſalmiſtam dicitur. *Spera in Domino, & fac bonitatem &c*. Haec autem Elizabeth; ideſt ſpes futurae retributionis, ex ſe generat Joannem, ideſt religionem. Quoniam pro ſpe futurae retributionis quiſque factus religioſe vivit, & religionem diligit. Quod autem religio per Joannem ſignificetur, hinc apparet quod Joannes interpretatur gratia Dei. Gratis quippe bona temporalia dat Deus, ſicut Judæis non habentibus gratiam ſuam, & paganis, ac multis malis Chriſtianis. Religionem nunquam dat niſi fidelibus ſuis, & gratiam ſuam habentibus. Merito ergo religio per Joannem ſignificatur, quia gratia Dei ſemper datur. Zaccharias quia non credidit Angelo, mutus ſtetit; & Sacerdos qui non credit ſermoni divino, & ei non obedit, mutus remanet, & officium praedicandi amittit. Dicitur namque ei dum praedicat, cur quae loqueris non facis, cur praedicas non furandum, furaris; non mecandum moecaris. Sed nato Joanne, & octavo die circumciſo; Zaccharias linguam recuperat, qui nata religione in ſe, & circumciſa ideſt abſciſa ab omni ſuperfluitate laſciviae ſæcularis, aut forte Ipocryſis, vel vanæ gloriae, officium, & vitam praedicandi recuperat. Et non ſolum in circumciſione Joannis Zaccharias linguam recuperavit, ſed & impoſitione nominis & ſcriptura. *Sic enim factum eſt, ut in die octavo venerunt circumcidere puerum, & vocabant eum nomine patris ſui Zaccharia. Innuebant patri ejus quem vellet vocari eum, & ſcripſit dicens Joannes eſt nomen ejus*. Quoniam ex quo religio, & vita Sacerdotis apud Deum, & apud homines munda eſt, & immaculata uſque adeo, ut de gratia Dei tota eſſe dicatur, & hoc in ſcriptura, ideſt in perſeverantia. Scriptura, enim ideo fit ut permaneat, profecto Sacerdos loquelam, ideſt officium praedicandi reſumit. Studete itaque Fratres in lege Domini meditari die, ac nocte, ut legem Domini intelligere, & eam praedicare, & ſecundum mandatum vivere, atque poſt hanc vitam cum Domino regnare valeatis. Ipſo auxiliante qui cum &c.

SERMO.

Quoniam verba Dei aure corporis audire, & intelligere mente debemus. Idcirco Iſaias Propheta loquitur dicens. *Audite inſulae, & attendite populi de longe: Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meae recordatus eſt nominis mei.* Inſulae ſanctam eccleſiam ſignificant, quoniam ſicut inſula eſt in medio maris, ſic & ſancta eccleſia, ideſt populus Chriſtianus in medio mundi. Quod nitoirum mare dicitur, ſicut per pſalmiſtam dicitur. *Hoc mare magnum, & ſpatioſum manibus.* Et ſicut inſula ab undis maris percutitur, ſic & ſancta eccleſia a tirannis, & perſecutoribus mundi perſecutionem frequenter patitur. Quod autem per inſulas populus ſignificetur, oſtendit Propheta cum ſubjunsit. *Attendite populi de longe*; populi de longe ſunt peccatores. Quia quanto quis juſtior eſt, tanto propinquior eſt Domino. Sic quanto magis peccator peccat, tanto magis dicitur elongari a Deo. Sicut dicitur. *Longe eſt a peccatoribus ſalus*. Iſtis autem ideſt peccatoribus verba Dei attentius praedicanda ſunt, quia ipſe non venit vocare juſtos, ſed peccatores ad poenitentiam. Quod autem audire, vel attendere debeant audiamus. *Dominus ab utero vocavit me, recordatus eſt nominis mei*: hoc de Jeſu modo intelligitur. *Cujus nomen vocatum eſt ab Angelo antequam in utero conciperetur*. Dicente ad Beatam Mariam. *Ecce virgo concipies, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jeſum*: hoc etiam de beato Joanne Baptiſta intelligi poteſt, cujus nomen vocatum eſt ab eodem Angelo antequam conciperetur. Dicente ipſo ad Zachariam. *Elizabeth uxor tua pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus Joannem*. Sequitur. *Et poſuit os meum quaſi gladium acutum*. Os Chriſti, & os beati Joannis gladio acuto aſſimilantur, quia verba eorum faciunt, ut facit gladius acutus. Sicut enim gladius acutus vulnerat corpus, & vulnerando ipſum corpus infirmum reddit & debile, ſic & verba Chriſti, & verba Joannis corpora infirma reddebant & debilia. Uterque & poenitentiam praedicaverunt dicentes. *poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum caelorum*. In poenitentia namque ſervatur jejunium, portatur cilicium, praecipitur exilium, mittitur homo in carcerem, & alia jubentur, quae pertinent ad afflictionem, & debilitatem corporis, & infirmitatem. Sequitur. *Sub umbra manus ſuae protexit me*. Manus Dei, Filius Dei eſt. Sicut enim per manum quis operatur, ſic Deus pater per filium cuncta creavit. Dicente Joanne: *Omnia per ipſum facta ſunt &c.* De hac manu Propheta rogat Dominum dicens. *Emitte manum de alto*. Sub umbra manus Dei protectus eſt Jeſus Chriſtus, & Joannes, quoniam ſub protectione ſuae divinitatis defenſus eſt homo ideſt Chriſtus, multoties ante mortem, ſicut quando volebant eum Judaei lapidare, & ipſe tranſiens per medium illorum ibat. Similiter, quando veniebant ut eum comprehenderent, interrogavit eos Jeſus, *quem quaeritis*; & illi dixerunt: *Jeſum Nazarenum*. & ille dixit eis. *Ego ſum; ut autem dixit, ego ſum, abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram*. poſt mortem vero reſurgendo, & in Caelum aſcendendo. Sequitur. *Et poſuit me ſicut ſagittam electam*. Dominus noſter Jeſus Chriſtus aſſimilatur ſagittae, quia ſagitta conſtat ex ligno, & ferro; ſic & Dominus noſter Jeſus Chriſtus ex humanitate & divinitate: & ſicut ſagitta per lignum tenetur, ſed per ferrum inimicum percutit & occidit; ſic & Dominus noſter Jeſus Chriſtus per humanitatem tentus, & paſſus eſt, per divinitatem vero diabolum vulneravit & interfecit. Beatus quoque Joannes ſagittae aſſimilatur, quia ſicut ſagitta pungit carnem, ſic & beatus Joannes carnales homines quaſi pungendo increpat dicens. *Genimina viperarum quis oſtendit vobis fugere a ventura ira*. Unde Salomon ait. *Verba ſapientis quaſi ſtimuli, & quaſi clavi in altum defixi*. Sed videndum eſt, quod ſagitta non per ſe vadit, ſed arcus eam projicere ſolet. Arcus autem ex duobus conſtat ex ligno ſcilicet, & corda; lignum quidem durum eſt, ſed corda flectitur: merito ergo per lignum, quod durum eſt, ſignificatur juſtitia, quae quidem peccatoribus dura & graviſſima videtur. Per cordam vero, quae lignum flectit, miſericordia intelligitur, quae juſtitiam temperat. Corda ergo juſtitiam, ſeu ſagittam mittit, quia miſericordia Dei nobis Chriſtum miſit, & beatum Joannem Baptiſtam. Ubi notandum eſt, quia non ſimpliciter dicitur *ſagitta*, ſed *electa*; quia homo Chriſtus ſolus ad redemptionem humani generis electus fuit. Unde in Canticis Canticorum dicitur. *Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus*. Veneremur itaque fratres feſtivitatem beati Joannis, qui tantae ſanctitatis extitit, ut teſtimonium perhiberet de Chriſto, & teſtimonium perhiberetur ei a Chriſto. Teſtimonium Joannis de Chriſto fuit. *Veniet poſt me fortior me, cujus non ſum dignus ſolvere corrigiam calceamenti ejus*. Teſtimonium vero Chriſti de Joanne fuit. *Inter natos mulierum non ſurrexit major Joanne Baptiſta*. Et ſicut Joannes Chriſtum baptizavit, ita & nos Chriſto ſerviamus, ut tandem cum Chriſto regnare valeamus. Ipſo auxiliante.

SERMO.

Petrus & Joannes aſcenderunt in templum ad horam orationis nonam &c. Petrus qui interpretatur *agnoſcens*, ſcientiam ſignificat, & Joannes, qui interpretatur *gratia Dei*, bonam operationem. Quoniam bene operari de ſola gratia Dei datur homini. Unde Apoſtolus. *Templum eſtis Dei vivi, & Spiritus Sanctus habitat in vobis*. Et iterum. *Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos*. Et rurſum. *Neſcitis quia corpora veſtra templum ſunt Spiritus Sancti*. Hora vero nona *imperfectionem* ſignificat legis. Nam ſicut denarius numerus perfectionem ſignificat legis, cujus praecepta ſunt decem; ſic & novenarius numerus, qui minus habet quam denarius, imperfectionem. Lex autem praecipit declinare a malo, & facere bonum: ergo qui a malo declinat, & bonum non facit, ipſe in hora nona eſt, ideſt in imperfectione. Quae merito dicitur hora orationis, quia qui non facit bona, Deum orare debet, ut ei perficere concedat. Et notandum eſt, quod tria ſunt nobis neceſſaria, ſcientia, oratio, & opus: prius homo namque debet ſcire, quod ſit bonum, vel malum, & quid Deus jubeat, vel prohibeat. Deinde Deum orare debet, ut bona quae cognoſcit, perficere concedat. Tertio quoque loco debet ſequi bona operatio. Et haec tria notantur hic. Scientia per Petrum, oratio per horam nonam, operatio bona per Joannem. Sequitur. *Et quidam vir, qui erat claudus ex utero matris ſuae bajulabatur quotidie ante portam templi, quae dicitur Specioſa, ut peteret eleemoſinam ab introeuntibus in Templum*. Claudus iſte aliquis peccator eſt, qui merito dicitur claudus, quia qui non recte ambulat, claudus eſt. Non enim recte ambulat, qui non recte operatur. Et iſte claudus eſt ex utero matris ſuae, ideſt a nativitate ſua. Unde per Prophetam dicitur. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis meis concepit me mater mea*. Iſte ſi ſanari vult, oportet ut ponatur ad portam Templi quae dicitur *Specioſa*. Porta templi eſt ſcientia Sacrae Scripturae: in hac porta claudus ideſt aliquis peccator debet ſtudere, & petere eleemoſinam ab introeuntibus in Templum. Si nos, ſicut ſupra memoravimus, templum Dei ſumus. Qui ſunt illi, qui in hoc templo intrant, niſi Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Audi Dominum dicentem. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*. Ab his ergo claudus, ideſt unuſquiſque peccator ſtans ante portam, ideſt meditans in Sacra Scriptura, & in lege Domini die ac nocte, in oratione ideſt orando petat

Digitized by Google

tat eleemoſinam, hoc eſt divinae miſericordiae auxilium. Veniens ergo Petrus cum Joanne, ideſt ſcientia cum voluntate operandi intrant in templum ideſt in mentem hujus, & claudus iſte ſanatur. Unde recte dicitur ei. *Surge, & ambula*. Surge, videlicet a torpore, & negligentia bene operandi; & ambula, ideſt bene operare. Unde ſequitur, *Et protinus conſolidatæ ſunt baſes ejus, & plantæ.* Baſes ſunt in genibus, & plantae in pedibus; per genua opera deſignantur; Unde ſcriptum eſt. *Et genua debilia roborate*; per pedes affectus denotantur: Dicitur: *conſolidatæ ſunt baſes ejus & plantæ*, ideſt opera & voluntates. Quia in his peccator ſpecialiter peccare conſuevit.

SERMO.

Miſit Herodes rex manus, ut affligeret quoſdam de Eccleſia. Occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio. Videns autem quia placeret Judaeis appoſuit, ut apprehenderet, & Petrum, &c. Herodes iſte diabolum ſignificat. Herodes enim interpretatur *pellicius*, ſive *verſipellis*, ideſt peccatis obſitus, vel peccatis plenus. Peccata namque per pelles ſignificari ſolent. Unde Dominus poſt peccatum primi hominis fecit tunicam pelliciam. Hic ergo Herodes, ideſt diabolus mittit manum, ideſt dat operam in quantum poteſt, ut affligat non ſolum quoſdam, ſed etiam omnes de Eccleſia, ideſt omnes Chriſtianos. Quoſdam vero ſuggerendo mente eis peccare; quoſdam vero corpore faciendo eos graviter laborare; ſicut fecit Job, & ad multos alios ſanctos. Hic quidem Jacobum decollat, & Petrum in carcerem mittit. Jacobus, qui interpretatur *ſupplantator* laicos & ſeculares viros ſignificat, qui proximos ſuos quotidie nituntur ſupplantare, ideſt per dolum & fraudem decipere, aut per vires ſub plantis, ideſt ſub pedibus ſuis redigere; hos ergo diabolus decollat, quia Chriſtum, qui eſt caput omnium fidelium eis tollit, faciendo eos graviter peccare, & a Chriſto recedere. Petrus, qui interpretatur *agnoſcens* clericos, & ſpirituales viros ſignificat, quorum ſtudium eſt Deum agnoſcere, & ſacram ſcripturam intelligere, atque populum ſibi commiſſum per ſuam doctrinam, & ſanctam admonitionem ad cognitionem Chriſti invitare. Hunc Petrum, ideſt clericos Herodes apprehendens mittit in carcerem. Carcer locus tenebroſus eſt, & ideo merito dicitur ignorantia, in qua non eſt lumen ſcientiae. Quod autem tenebrae ignorantiam denotent; Pſalmiſta manifeſtat cum dicit: *Neſcierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant*. Petrum namque Herodes mittit in carcerem, quando diabolus aliquem clericum, aut ſpiritualem virum ignoranter peccare facit. Sequitur: *Volens poſt Paſcha producere eum populo*, ſcilicet Judaeorum. Et diabolus poſt Paſcha, ideſt poſt tranſitum hujus vitae, qui per Paſcha ſignificatur, vult producere clericum populo daemoniorum dicens: *Ecce quem decepi, ut graviter peccaret*. Sequitur: *Tradenſque quatuor quaternionibus militum ad cuſtodiendum*. Quatuor quaterniones quatuor affectus animae ſunt, ideſt timor & dolor, ſpes & gaudium. Timor namque de perdendis, dolor de perditis, ſpes de acquirendis, gaudium de acquiſitis. De iſtis quatuor affectibus dixit quidam ſapiens: *Gaudia pelle, pelle timorem, ſpemque fugato, ne dolor adſit*. Hi quatuor affectus frequenter circumdant Petrum, ideſt noſtri ordinis viros. Quoniam graviter timent, ne aliquid de ſuis amittant; & ſi amiſerint miſerabiliter dolent; ſimiliter & acquirere ſperant, & de acquiſitis gaudent. Sequitur: *Cum producturus eum eſſet Herodes*, ideſt antequam eum produceret, *erat Petrus dormiens inter duos milites vinctus catenis duabus*. Iſti duo milites ſunt aeſtus avaritiae, & ardor luxuriae. Duae catenae ſunt avaritia & luxuria. Inter iſtos duos milites dormit frequenter Petrus, ideſt delectantur noſtri ordinis viri, & his duabus catenis ligantur. Quoniam ſi honeſti ſunt, aeſtum habent avaritiae; ſi vero laſcivi ardorem habent luxuriae. Unus ligatur avaritia, alter luxuria. Sequitur: *Et cuſtodes ante oſtium cuſtodiebant carcerem*; oſtium autem carceris intellectus ſacrae ſcripturae eſt. Sicut enim per oſtium aliquis de carcere exit de tenebris, ad lumen redit; ſic per intellectum ſacrae ſcripturae, aliquis exit de tenebris ignorantiae, & venit ad lumen ſcientiae. Cuſtodes ante oſtium ſtantes, ideo poſiti erant, ut ſi Petrus de carcere vellet exire non poſſet, quia ei non permitteretur. Cuſtodes enim ſunt diverſa negotia temporalium rerum, quae Petrum, ideſt aliquem clericum impediunt, ne de carcere, ideſt de tenebris ignorantiae exeat, & per oſtium, ideſt intellectum divinae ſcripturae ad lumen ſcientiae perveniat. Sequitur: *Et ecce Angelus Domini aſtitit, & lumen refulſit in habitaculo carceris*. Angelus Domini ſermo divinus eſt, qui merito dicitur Angelus, qui nuntius interpretatur, quoniam divina mandata nuntiare non ceſſat quotidie nobis. Sed Angelo veniente *lumen refulſit in habitaculo carceris*, quoniam accedente ſermone divino & manente in habitaculo, ideſt in mente alicujus clerici; quod fit per aſſiduam lectionem, & frequentem legis Dei meditationem, lumen ſcientiae refulſit in habitaculo carceris, ideſt in habitaculo ignorantiae; ut ubi prius habitabat ignorantia, poſtea refulgeat divini verbi ſcientia; ut non ſolum mandata Dei, ſed etiam peccata ſua quae prius commiſerat ignoranter recognoſcere incipiat, dicens cum Propheta: *Iniquitatem meam ego cognoſco, & delictum meum contra me eſt ſemper*. Et quoniam, qui peccatum ſuum agnoſcit, de ipſo peccato frequenter dolet; inde additum eſt: *Percuſſoque latere Petri excitavit eum dicens, ſurge velociter*. Cor eſt in latere, vel juxta latus; ideoque percuſſio lateris Petri contritio cordis eſt, quam facit Angelus, ideſt ſermo divinus. Deinde excitat eum, hoc eſt vigilare facit dicens: Surge a negligentia corporis, & hoc eſt velociter; tamquam dicat, ne tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem. *Et ceciderunt catenae de manibus ejus*, ideſt de operibus ejus, ideſt avaritia & luxuria. Quoniam ex quo per ſermonem divinum incipit Petrus, ideſt aliquis clericus peccatum ſuum recognoſcere, & perfectam cordis contritionem habere, nequaquam ad avaritiam vel luxuriam revertitur. Unde ſubjunctum eſt *praecingere*, ideſt carnis luxuriam per continentiam conſtringe; & calceare, ideſt ad praedicationem te praepara. Calceamenta, quae per praedicationem ſignificari ſolent, dicente Apoſtolo: *Calceati pedes in praeparatione Evangelii*. Et quoniam cum doctrina neceſſaria eſt bona vita, ſicut Sacerdos praedicat recte, ſic & juſte vivat. Ideo ſubjunctum eſt: *Circumda tibi veſtimentum tuum*. Veſtimentum Sacerdotis juſtitia eſt; Pſalmiſta teſtante, qui ait: *Sacerdotes tui induantur juſtitia*. Hanc juſtitiam Sacerdos ſibi circumdare debet, ut ex omni parte appareat juſtus, & non ſolum in verbis, ſed etiam in operibus ſuis juſtus videatur. Et talis ſic ornatus ſequatur Angelum, ideſt ſermonem divinum, ut ea dicat, ea faciat, quae ſermo divinus docet, & jubet. Et quoniam in hac vita Deum perfecte cognoſcere non poſſumus, ideo conſequenter adjunctum eſt: *Et neſciebat quia verum, quod fiebat per Angelum. Exiſtimabat autem ſe viſum videre*. Sequitur: *Tranſeuntes autem primam, & ſecundam cuſtodiam venerunt ad portam ferream, quae ultro aperta eſt eis*. Prima cuſtodia eſt, qua cuſtodimus nos ab his quae laedunt animam, ideſt a vitiis & peccatis. Secunda vero eſt, qua cuſtodimus nos ab his, quae nocent corpori. Et has duas cuſtodias tranſeuntes venimus ad portam ferream, ideſt ad mortem, ad quam venientes utramque cuſtodiam tranſimus. Quoniam poſtquam homo moritur, & animam deſinit cuſtodire & corpus, quia nihil quod ad utilitatem animae vel corporis pertineat ulterius faciet. Mors quippe porta voca-

Digitized by Google

vocatur *recte*, quoniam per ipſam anima de corpore egreditur, & de praeſenti vita tranſit ad ſequentem; & non ſolum vocatur porta, ſed etiam ferrea. Ferrum quippe durum eſt & grave, & mors videtur dura, & gravis morientibus: *quae ducit ad civitatem*, ideſt ad caeleſtem Jeruſalem. Quia nemo vivens ad illam civitatem niſi per illam portam venire poteſt. *Quae*, nimirum *ultro aperta eſt eis*; & nobis ultro, ideſt nollis impellentibus, hoc eſt appetentibus quotidie aperitur. Sequitur: *Et continuo diſceſſit Angelus ab eo*. Quoniam antequam homo moriatur, ſermo divinus eſt cum eo; quia, & a ſermone divino inſtruimus, & per ſermonem divinum alios inſtruere oportet. Sequitur: *Et Petrus ad ſe reverſus dixit. Nunc ſcio vere, quia miſit Dominus Angelum ſuum, &c.* Ubi notandum eſt, quod Petrus antequam perveniret ad portam ferream, neſciebat, quod verum eſt, quod fiebat per Angelum; poſtquam vero tranſivit portam ferream, ſcivit dicens: *Nunc ſcio vere quia miſit*. Ante mortem non poſſumus habere plenam cognitionem de Deo, poſt mortem vero poſſumus. Unde Apoſtolus ait: *Videmus nunc per ſpeculum, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum.*

SERMO.

Venit Jeſus in partes Ceſareæ Philippi, & interrogavit diſcipulos ſuos dicens. Quem dicunt homines eſſe filium hominis &c. Duo ſunt neceſſaria unicuique fideli, & in tantum, ut unum ſine altero ad ſalutem non ſufficiat: fides videlicet, & baptiſmus. De fide namque ſcriptum eſt. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*. De Baptiſmo autem dicit Dominus. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in Regnum Cælorum.* Et ideo unuſquiſque cum ad Baptiſmum accedit, interrogatur, ſi credat in Deum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum. Quia ergo iſta duo fides videlicet & Baptiſmus, ita ſeſe ſunt in unoquoque fideli comitantia, ut unum ſine altero ſalvare non poſſit: merito Dominus veniens in partes Cæſareæ, ubi ad pedes montis Libani naſcitur Jordanis fluvius, de fide ſua ſuos Diſcipulos interrogavit dicens. *Quem dicunt homines eſſe filium hominis*. Jordanis itaque in quo baptizatus eſt Chriſtus, merito Baptiſmum ſignificat. Et ſicut paulo ante diximus, cum aliquis ad Baptiſmum accedit, de fide interrogatur; ſic & Chriſtus ad locum veniens ubi fluvius, qui baptiſmum ſignificat, naſcitur, de ſua fide diſcipulos interrogavit: & quoniam Chriſtus non quid Diſcipuli de ipſo ſentirent, ſed quid homines ipſum dicerent, interrogavit, recte Diſcipoli non fidei veritatem, quam homines non habebant, ſed errores eorum reſponderunt dicentes. *Alii Joannem Baptiſtam, alii Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex Prophetis*. Deinde ad illos accedens dixit. *Vos quem me eſſe dicitis*; homines peccatores ſic dicunt de me; ſed vos qui eſtis tamquam dii? unde dicitur. *Ego dixi dii eſtis & filii excelſi omnes*; quem me eſſe dicitis? *Et reſpondens Simon Petrus dixit: Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*. Ubi notandum eſt, quod Chriſtus in ſua interrogatione Filium hominis ſe vocavit; ſed Petrus in ſua reſponſione eum filium Dei nuncupavit dicens. *Tu es Chriſtus filius Dei vivi*. Chriſtus oſtendit humilitatem humanitatis; ſed Beatus Petrus confeſſus eſt altitudinem ſuæ divinitatis. In multis locis reperimus beatum Petrum ardentioris fidei, & majoris dilectionis erga Chriſtum fuiſſe. Nam cum Dominus diceret. *Ecce aſcendimus Jeroſolymam, & Filius hominis tradetur ut crucifigatur*; *Reſpondit ei Petrus. Propitius eſto tibi, Domine; ne fiat iſtud; non enim decet ut Filius Dei guſtet mortem*. Cui Dominus reſpondit. *Vade retro Sathanas*. Ac ſi diceret. *Sequere me*. Ut ſicut ego pro te mortem ſoſtinere feſtino, ſic & tu pro me cum opus fuerit mortem pati memento.

Videndum eſt autem, quia cum diabolus aſſumpſiſſet Jeſum in montem excelſum, & oſtendiſſet ei omnia regna mundi, & dixiſſet ei. *Hæc omnia tibi dabo ſi procidens adoraveris me*. Dixit ei Jeſus. *Vade Sathanas*. Hic non poſuit *retro*, ſed ſimpliciter dixit, *vade Sathanas*, ſub-auditur in ignem æternum. Rurſus cum Dominus diceret; *omnes vos ſcandalum patiemini in me in iſta nocte*; reſpondit Petrus dicens. *Et ſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego nunquam ſcandalizabor*. Iterum cum Dominus diceret ei. *Ante-quam gallus cantet, ter me negabis*; reſpondit Petrus dicens. *Et ſi oportuerit me mori tecum, non te negabo*. Poſt reſurrectionem autem cum piſcaretur cum ſex aliis Diſcipulis, & Dominus eis apparuit, dixit beatus Joannes Evangeliſta: *Dominus eſt. Simon Petrus cum audiſſet, quia Dominus eſt, tunica ſuccinxit ſe, & miſit ſe in mare; erat enim nudus*. Alii vero Diſcipuli navigio venerunt; ubi cum inſimul cum Domino comederent, ſciens Dominus Beatum Petrum plus aliis ſe diligere, non ait tantum. *Simon Johannis diligis me*, ſed addidit *plus his*. Beatus vero Petrus ſciebat quantum ipſe Chriſtum diligeret, ſed neſciebat quantum alii Chriſtum amarent, ideo non ait plus his, ſed reſpondit. *Domine tu omnia noſti, tu ſcis quia amo te*. In hoc loco quoque cum promptior ipſe caeteris fuerit ad reſpondendum, major fides, & dilectio beati Petri notatur. Sed videamus quid beatus Petrus Domino reſpondit, & quid Dominus beato Petro. Petrus dixit Domino. *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*. Et Dominus Petro. *Beatus es Simon Bar-jona, quia caro, & ſanguis non revelavit tibi*. Caro, & ſanguis ideſt paternum, & maternum genus. Unde Apoſtolus ait. *Continuo non acquievi carni, & ſanguini*, ideſt conſanguineis meis, hoc eſt Judæis. Ecce Petrus vocavit Chriſtum Filium Dei vivi. Et Chriſtus vocavit Petrum filium ſpiritus Sancti. Bar-jona namque interpretatur *Filius columbæ*, ideſt Spiritus Sancti, qui ſupra Chriſtum apparuit in ſpecie columbæ. Sequitur. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam*. Sicut nos a Chriſto dicimur Chriſtiani, ſic Beatus Petrus a petra nomen accepit. *Petra* autem, ſicut dicit Apoſtolus, *eſt Chriſtus*. Dicitur autem Chriſtus *petra* propter firmitatem. *Super hanc petram*; ideſt ſuper firmitatem chriſtianæ fidei Chriſtus per Petrum tamquam per Vicarium ſuum ædificat Eccleſiam. Et Beatus Petrus tamquam bonus paſtor, & artifex, & ſicut optimus lapidum politor bonos lapides ideſt Dei fideles ſuper hoc fundamentum ponit, & locat, & cæmentum charitatis firmat; malos vero, ideſt infideles, & haereticos abjicit. Sequitur. *Et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*. Portæ Inferi ſunt timor, & amor Mundi, ſive tormenta, & blandimenta tirannorum, & ſaecularium poteſtatum; quae merito dicuntur portae inferni, quia per illas peccatores, & infernales homines ad pœnam æternæ damnationis trahuntur. Hæ quoque ſicut Inferni, ita & portæ mortis dicuntur. De quibus in perſona beati Petri, aut alicujus Sancti Propheta dicit: *Qui exaltas me de portis mortis, ut annuntiem omnes laudes tuas in portis filiæ Syon*. De iſtis portis exaltatus eſt beatus Petrus, quia ſicut illum, ita alios ſanctos martyres, nec blandimenta potuerunt ſeducere, ſic nec terrena tormenta potuerunt ſubvertere. Et ideo potuerunt laudes annuntiare Dei in portis filiae Syon, ideſt in auribus eccleſiae. Sequitur. *Et tibi dabo claves regni Cælorum*. Claves iſtae non ſunt metallicae, neque alicujus mortalis manibus fabricatae; ſed per claves regni Caelorum intelligitur poteſtas judicandi, & ſcientia diſcernendi. Nam qui poteſtatem habet judicandi, ſicut ille qui Epiſcopus, vel Sacerdos, & ſcientiam non habet diſcernendi, ille utique unam clavem tantum habet, neque ligare debet neque ſolvere; & ſi fecerit apud homines erit ligatus, vel ſolutus; ſed non apud Deum. Quia non dixit Deus

Pe-

Digitized by Google

Petro: *tibi dabo* clavem, ſed *claves*. De iſtis talibus dicit Dominus. *Si cæcus caco ducatum parat, ambo in foveam cadunt*. Notandum eſt autem, quod ſicut Petrus pro ſe, & pro omnibus diſcipulis, & voce totius Eccleſiae dixit Chriſto. *Tu es Chriſtus filius Dei vivi*. Sic & Chriſtus reſpondit Petro pro omnibus diſcipulis, & voce totius Eccleſiae. *Tibi dabo claves regni Calorum*; Et quodcumque his praedictis clavibus ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Caelis; & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Caelis. Hoc quoque videndum eſt; quod Deus ligare & ſolvere ſuper terram dixit non ſub terra. Super terram ligat, & ſolvit, qui vivum ligat, & ſolvit; ſub terra vero qui mortuum ligat, & ſolvit. Quia ſicut Deus vivos ligare, & ſolvere eccleſiae conceſſit; ſic mortuos ligare, vel ſolvere ſibi retinuit. Unde in quadam oratione dicitur. *Deus, cui ſoli competit parare medicinam poſt mortem*. Ideoque fratres qui ſolemnitatem beati Petri colitis, imitamini quod celebratis: ſicut ille firmam fidem habuit in Chriſto, ſic & in Chriſtum credamus, ipſum diligamus, atque mandata ejus obſervemus, ut per ejus dilectionem, & operum exhibitionem. caeleſtis regni mereamur habere habitationem. Ipſo adjuvante.

S E R M O.

Dixit Simon Petrus ad Jeſum. Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te; quid ergo erit nobis.

In dimiſſione omnium tria notanda ſunt, ut videlicet primo relinquat homo ea quae ſunt extra ſe; deinde illa quae ſunt intra ſe. Extra hominem ſunt omnia terrena, de quibus Dominus dicit. *Niſi quis renuntiaverit omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus*; & iterum. *Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus*. Intra hominem ſunt anima, & corpus. Animam relinquit homo, cum propriam voluntatem poſtponit, atque illam Dei voluntati ſupponit dicens cum Domino Jeſu magiſtro ſuo. *Non mea voluntas, ſed tua fiat. Non quod ego volo, ſed quod tu*: hinc quoque Dominus ait. *Si quis vult poſt me venire abneget ſemetipſum*. Semetipſum abnegat, qui propriam voluntatem penitus dimittit, & eam in alterius arbitrium ponit. Tertio loco dimittat corpus, & ipſum affligat, ejuſque illicita deſideria caſtiget, atque illicitos carnis motus refraenet. Sicut faciebat Paulus, qui dicebat. *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo*. Unde Dominus in evangelio ſecutus adjunxit. *Et tollat crucem ſuam, & ſequatur me*. Crux quippe a cruciatu dicitur. Crucem ergo tollere eſt propriam carnem affligere, ejuſque illicita deſideria refraenare. In primo ergo vocatur paupertas rerum. In ſecundo paupertas ſpiritus. In tertio corporis. Et quia non ſufficit declinare a malo, niſi faciamus quod eſt bonum; ideoque poſtquam dixit. *Ecce nos reliquimus omnia*, protinus adjunxit, *& ſecuti ſumus te*. Duobus modis Deum ſequi debemus, corde videlicet, & opere. Corde ſiquidem, ut eum toto corde, tota mente, atque tota virtute diligamus; opere ut ejus mandata ſervemus. Unde Dominus ait. *Si quis diligit me ſermonem meum ſervabit*. Unde videndum eſt, quod non ait beatus Petrus praeceſſimus te, ſed ſecuti ſumus te. Alii namque ſecuntur Dominum, alii praecedunt: Dominum ſequi videntur, qui ſenſum, & voluntatem ſuam ſenſui, & voluntati ſuorum fratrum ſupponit. Dominum praecedit, qui ſenſum, & voluntatem ſuam ſenſui, & voluntati ſui Praelati, ſuorumque fratrum, atque totius congregationis praeponit dicens, ſicut multi dicunt. Melius dico ego, quam inter omnes nos. Praecedere volebat beatus Petrus, quia cum Dominus diceret. *Ecce aſcendimus Jeroſolymam, & filius hominis tradetur, ut crucifigatur*: reſpondit dicens, *Propitius eſto tibi, ne fiat iſtud. Non enim decet ut filius Dei guſtet mortem*; & ideo merito audivit. *Vade retro Sathanas*. Quid autem Dominus reſpondit audiamus. *Vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione cum ſederit filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſrael*. Sicut homo cum concipitur generatur, ſic cum reſurget regenerabitur; & ſicut hominis conceptio vocatur generatio, ſic & ejus futura reſurrectio vocatur regeneratio. *In regeneratione* ergo, ideſt in futura reſurrectione *cum ſederit filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis, & vos, ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſrael*. Videndum eſt quod dicit *duodecim ſedes*, non eſt intelligendum, quod in illo divino examine duodecim ſolummodo ſedes ſunt. Neque enim credendum eſt quod pluſquam duodecim illa caeleſtis curia non habebit. Alioquin ubi ſedebit Paulus, qui in illo conſeſſu judicabit, ſicut ipſe dicit. *An neſcitis quia Angelos judicabimus?* Sed nimirum duodenario numero quantitas univerſitatis exprimitur. Quia duodenarius numerus quidem conſtat ex partibus ſeptenarii. Nam ſive tria per quatuor ducas, ſive quatuor per tria duodecim faciunt. Si ergo ſeptenarius numerus ſignificat univerſitatem, quia ſeptem dies ſunt omnes dies; ſic & duodenarius numerus, qui conſtat ex partibus ſeptenarii. Cum ergo dicit. *Vos qui ſecuti eſtis me, ſedebitis ſuper ſedes duodecim*; non ſolum Apoſtolis dictum eſt, ſed omnibus, qui omnia propter Deum derelinquunt. Quia dignum eſt, ut quiſquis ſtimulo divini amoris excitatus, hic poſſeſſa reliquerit, illic culmen judiciariæ poteſtatis obtineat. Cum ergo dicit *ſedebitis ſuper ſedes duodecim*, intelligendum eſt ſuper omnes ſedes. Sicut intelligendum eſt *judicantes duodecim tribus Iſrael*, ideſt omnes judicandos. Quod autem non ſolum Apoſtolis, ſed etiam omnibus poſſeſſa relinquentibus dicatur; audi quod ſequitur. *Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut Patrem, aut Matrem, aut uxorem, aut filios propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit*. Neque enim ſanctus quiſque ideo terrena deſerit, ut haec poſſidere in hoc mundo multiplicius poſſit; quia quiſquis terrena deſerit terreno deſiderio, terram non relinquit, ſed appetit. Nec qui unam uxorem deſerit, centum recepturus eſt. Sed centenarius numerus perfectus eſt, quia ultra illum non numeratur; ideoque centenario numero perfectio deſignatur; quia quiſquis pro Dei nomine, & amore temporalia, ac terrena contemnit, & hic perfectionem recipit mentis, ut jam ea non appetat quae contemnit, & in ſequenti ſaeculo ad aeternae vitae gloriam pervenire. Centies itaque recipit, quae dedit ab eo, qui vivit, & regnat &c.

S E R M O.

In omnibus requiem quæſivi, & in hæreditate Domini morabor &c.

Lectio iſta de libro ſapientiae ſumpta eſt. Sapientia namque in omnibus quieſcere quaerit, & habitare. Ipſa quippe ſicut per quemdam ſapientem dicitur. *Clamitat in plateis dicens. Si quis diligit ſapientiam, ad me declinet; & eam cum invenerit, beatus eſt, ſi tenuerit eam*. Haec ergo ſapientia licet in omnibus requiem quaerat, in haereditate tamen Domini tantummodo moratur: haereditas autem Dei chorus clericorum eſt. Qui merito haereditas Dei dicitur. Nam *cleros* græce, latine *ſors*, vel haereditas interpretatur, inde dicitur Clericus, ideſt ſortitus, eo quod in Dei ſortem, vel haereditatem ſit deputatus, vel in Deo ſuam ſortem, vel haereditatem fecerit, dicens cum Propheta: *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei*. Unde in ordinatione Clerici in perſona ejuſdem Clerici cantatur. *Tu es Domine, qui reſtitues hæreditatem meam mihi*. Ac ſi Deo dicat Clericus, propter te paternam haereditatem dimitto, & te meam haereditatem facio; & Ideo

Digitized by Google

ideo bene reſtitues haereditatem meam mihi. In hac haereditate ideſt in Clericis, & litteratis viris Sapientia moratur; quoniam ſapientiae quotidie ſtudent, lectioni & meditationi vacant; ſuper libros Sacrae Scripturae inceſſanter invigilant, & ſic eam per memoriam retinent, & eam ſecum morari faciunt. Sequitur. *Tunc praecepit, & dixit mihi Creator omnium, & qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.* Hoc ſpecialiter ad Beatam Mariam pertinere videtur. Creator namque ſuus, ideſt filius Dei in tabernaculo, hoc eſt in utero ſuo requievit. Sed in tabernaculo ſapientiae ideſt in mente ſapientis Deus requieſcit. Sequitur. *Et dixit mihi. In Jacob inhabita, & in haereditate, & in electis meis mitte radices.* Per Jacob, qui interpretatur *ſupplantator*, laici ideſt ſaeculares viri deſignantur, qui proximos ſuos, aut per fraudem ſtudent ſupplantare, ideſt decipere, aut per vim ſub plantis, ideſt ſub pedibus ſuis redigere. Per Iſrael qui *vir videns Deum* interpretatur, Clerici, & litterati viri intelliguntur, qui Deum, & Dei mandata inceſſanter legendo videre, & cognoſcere ſtudent. *Sapientia in Jacob*, ideſt, in quibuſdam laicis, & ſaecularibus viris qui in ſcholis Philoſophiae, & ſapientiae quotidie ſtudent; ſed *inhabitat in Iſrael*, ideſt in Eccleſiaſticis viris haereditatem facit, quoniam ipſi aſſiduitate & diuturnitate dicendi & praedicandi eam ſibi inſeparabiliter conjungunt. Sequitur. *Et in electis meis mitte radices.* Radix ſapientiae timor Domini dicitur; quoniam ſicut radix eſt principium arboris, ſic timor Dei principium dicitur ſapientiae, teſtante Sapientia quae ait: *Initium ſapientiæ timor Domini.* Sed quoniam non radicem ſingulariter, ſed radices poſuit. Videtur nobis radices ſapientiae tres eſſe: hoc eſt ſtudium legendi, ingenium intelligendi, & memoria retinendi. Eae quidem radices tenent Sapientiam, ſicut radices arborem ne evellatur a terra, ideſt a mente hominis ſeparetur propter ventum, ideſt propter curam temporalium rerum, quae more venti hominem commovet, & exagitat. Praedictae igitur radices in electis Dei ſunt, quia ſancti viri, quos a conſtitutione mundi ad vitam æternam Deus elegit, & Deum timent, & Dei mandata legere, & intelligere, ac mente retinere ſtudent. Sequitur. *Et ſic*, ideſt tales radices mittendo *in Syon*, quae dicitur *ſpecula*, ideſt in Eccleſia, & in eccleſiaſticis viris, *firmata ſum*; & ſimiliter, ideſt ſicut ſupra diximus, *in civitate ſanctificata*, ideſt in Eccleſia, *requievi*. Sequitur. *Et in Jeruſalem*, quae *viſio pacis* interpretatur, ideſt in Eccleſia Dei, *eſt poteſtas mea*. Quare in Eccleſia Dei dicitur eſſe poteſtas ſapientiae, ideoque nemini in Eccleſia debet poteſtas dari, hoc eſt aliqua praelatio unde poteſtatem habet, ut videlicet Epiſcopus, Archiepiſcopus, vel Patriarca, aut Summus Pontifex fiat, niſi propter Sapientiam, ideſt niſi ſit ſapiens, & diſcretus, aut litteratus vir. Sequitur. *Radicavi*, ideſt praefatas radices miſi, & meae habitationis firmamentum poſui *in populo honorificato*, hoc eſt in populo Chriſtiano: populus Chriſtianus dicitur populus honorificatus. Quorum duo honores ſunt: unus ſaecularis, & alter ſpiritualis; ſaecularis honor eſt ut ſit rex; ſpiritualis, ut ſit ſacerdos: & hos duos honores populus Chriſtianus habet. Sicut per Joannem dicitur: *feciſti enim nos Deo noſtro regnum, & ſacerdotes.* Sequitur. *Et in parte Dei mei haereditas illius.* Partes Dei ſancti ſunt, qui ſunt membra Dei, qui eſt caput eorum; & ideo bene dicitur partes ejus; ſicut & membra hominis dicuntur partes ejus. In iſtis partibus eſt haereditas illius; haereditas autem Dei vita aeterna eſt, quam Deus dat filiis ſuis. De quibus Apoſtolus ait. *Heredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.* Sed poteſt aliter intelligi, ut haereditas Dei dicatur Evangelium. Hanc haereditatem Chriſtus Pater noſter moriens reliquit filiis ſuis ideſt Apoſtolis, & omnibus nobis. Sequitur. *Et in plenitudine ſanctorum detentio mea.* Plenitudo ſanctorum eſt caritas. Teſte Apoſtolo. *Plenitudo legis eſt dilectio.* Detentio ergo ſapientiae in caritate eſt, quia ille ſapiens tenetur, & eſt, qui Deum diligit, & Dei mandata obſervat. Sequitur. *Quaſi cedrus exaltata ſum in Libano, & quaſi cypreſſus in montem Syon.* Libanus *candidatio* interpretatur, & ideo bene mundum ſignificat. Haec namque duo nomina, ideſt candidum, & mundum ſatis convenire videntur. Quia quod candidum eſt, mundum eſt, & quod mundum eſt, candidum eſt. Ergo ſicut cedrus exaltatur in Libano, ita & ſapientia, ideſt aliquis propter ſapientiam exaltatur in mundo. Quia quemadmodum cedrus de terra procedens ad alta ſubſtollitur; ſic & aliquis de carne naſcens propter ſapientiam ad magnae dignitatis altitudinem promovetur. Sequitur. *Et ſicut cypreſſus in monte Syon.* Cypreſſus enim alta arbor, ſed eſt imputribilis naturae, & ideo religionem, & bonam vitam ſignificat, quae carnem noſtram in foetore luxuriae putreſcere non permittit. Dicit ergo: *ſicut cypreſſus in monte Syon*, ideſt ſicut aliquis propter Religionem, & bonam vitam ſolet exaltari in monte Syon, ideſt in Eccleſia Dei, ſic & per ſapientiam. Sequitur. *Quaſi palma exaltata ſum in Cades.* Palma juſto aſſimilari ſolet. Sicut per Pſalmiſtam dicitur. *Juſtus ut palma florebit.* Cades interpretatur *Sanctum legis*. Sanctum legis eſt obſervantia legis; haec namque ſola hominem ſanctum facit. Unde per Pſalmiſtam dicitur. *Et commovebit Dominus deſertum Cades.* Deſertum Cades littera legis eſt, quae modo deſerta, & derelicta eſt a nobis. Hoc deſertum Dominus commovit, quando litteram legis in figuram mutavit. Dicit ergo. *Quaſi palma exaltatur in Cades*, ideſt ſicut juſtus exaltatur, & promovetur in obſervatione legis; ſic propter ſapientiam. Sequitur. *Et quaſi plantatio roſae in Jerico.* Flores colligi ſolent, & arbores plantari; ideoque dicitur plantatio roſae; non de flore, ſed de rubo intelligendum eſſe videtur: ſicut ergo per roſam Chriſtus ſignificatur; ſic & per rubum virgo Maria. Roſa namque prius eſt candida, & poſtea rubea; ſic & Chriſtus candidus fuit, quia non habuit in ſe nigredinem peccati. Dicente Petro Apoſtolo. *Peccatum non fecit, nec dolus inventus eſt in ore ejus*; & iterum Chriſtus. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Sed licet peccatum non feciſſet, ut peccator tamen & iniquus damnatus eſt, & crucifixus. Unde Pſalmiſta ait: *Ecce ceperunt animam meam, irruerunt in me fortes. Sed neque iniquitas mea, neque peccatum meum. Domine ſine iniquitate cucurri, & direxi.* Quia igitur Chriſtus non habuit in ſe nigredinem peccati, merito ſignificatur per roſam candidam: quia in paſſione, & ſanguinis effuſione rubeus factus eſt, recte ſignatur per roſam rubeam. Unde Sponſa in Canticis Canticorum dicit. *Dilectus meus candidus, & rubicundus.* Roſa naſcitur de rubo, Chriſtus natus eſt de Maria Virgine, quae jure ſignificatur per rubum. Nam rubus humilis eſt arbor, & non alta, & beata Maria magnae humilitatis fuit, ſicut ipſa dixit, *Reſpexit humilitatem ancillae ſuae.* Legitur in veteri Teſtamento, quod cum Moyſes paſceret oves Jethro cognati ſui, vidit rubum ardere, & non comburebatur. *Et dixit vadam, & videbo viſionem hanc magnam, quare non comburatur rubus.* Cernens autem Dominus, quod pergeret ad videndum, vocavit eum de medio rubi, & ait. *Moyſes, Moyſes, ne appropies huc, ſolve calceamenta pedum tuorum; locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt.* Moyſes, qui interpretatur *aquaticus*, aliquis praedicator eſt qui jure dicitur aquaticus, ideſt ex aqua baptiſmatis renatus, vel aqua ſapientiae plenus. Iſte debet paſcere, ideſt verbo Dei reficere oves Jethro cognati ſui, ideſt Jeſu Chriſti, Populum videlicet nobis commiſſum. *Cumque minaſſet ad interiora deſerti gregem, venit ad Montem Dei Horeb. Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Per deſertum Litera legis intelligitur, quoniam ipſa deſerta eſt a nobis, & derelicta. Interiora vero deſerti, interiora ſunt veteris legis, ideſt ſignificatio legis eſt: ad hæc interiora, ideſt ad intelli-

telligendum myſtieum ſenſum legis Moyſes, ideſt unuſquiſque prædicator debet minare gregem ſuum, ideſt populum ſibi commiſſum, & tandem pervenire debet ad montem Dei Horeb, ideſt ad altitudinem bonæ vitæ, & ſanctæ converſationis, & ex ipſa maceratione carnem ſuam diſſiccare debet; ſicut faciebat Apoſtolus, qui dicebat; *caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo; ne forte cum aliis prædicaverim, reprobus efficiar*. Et ideo merito mons ille vocatur Horeb, qui interpretatur *ſiccitas*. Moyſes vidit rubum ardere, qui non comburebatur; quia unuſquiſque prædicator credere debet, quod in rubo ſignificatur. Rubus namque undique ſpinis circumdatus, Virginem Mariam ſignificat, quæ Judæis, quaſi quibuſdam ſpinis circumdabatur, de ipſis nata inter illos habitabat. Ignis in rubo, Spiritus Sanctus in Maria Virgine. Rubus ardebat, ſed non comburebatur, quia Virgo Maria Spiritu Sancto concepit, ſed incorrupta permanſit, quia Virgo fuit ante conceptionem, Virgo in conceptione, Virgo in partu, & Virgo poſt partum permanſit. Roſa naſcitur de rubo, & Chriſtus de Maria Virgine natus eſt, & hoc eſt quod ſequitur. *Et vocavit Dominus de rubo*. Cum Dominus vocavit locutus eſt, loquendo verbum protulit. Et quid eſt verbum prolatum de rubo, niſi filius Dei, qui eſt Verbum Patris. Quod in utero Virginis caro factum eſt natum de Virgine. Sequitur. *Ne appropies* inquit *huc*, ideſt ne coneris intelligere, ſed credere, quod vides, quia divinum eſt non humanum, quia de Virgine factum eſt. Sequitur. *Solve calceamenta pedum tuorum*. Calceamenta de mortuis animalibus fieri ſolent. Mortua animalia philoſophi fuerunt, qui mortui dici debent, quia vitam aeternam non quaeſierunt, & animalia fuerunt, quia beſtialiter, & non rationabiliter vixerunt. Dixit ergo Dominus Moyſi, ideſt alicui praedicatori, *ſolve calceamenta pedum tuorum*, ideſt depone intellectum philoſophorum qui talis erat, ſi peperit cum viro concubuit. Sed Virgo Maria filium peperit ſine virili ſemine, & poſt partum Virgo permanſit. Sequitur. *Locus enim in quo ſtas terra ſancta eſt*. Quia Virgo in cujus veneratione conſiſtis terra ſancta eſt. Virgo Maria terra dicitur, quia fructum nobis dedit. Illum videlicet, de quo per Angelum dictum eſt. *Benedictus fructus ventris tui*. De hac terra per pſalmiſtam dicitur. *Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum*. Dominus benignitatem dedit, quando filium ſuum incarnari diſpoſuit. *Et terra noſtra dabit fructum ſuum*, quando Virgo Maria Chriſtum peperit. Dicit Sapientia. *Quaſi plantatio roſæ in Jericho*. Jericho interpretatur luna, & ſignificat Eccleſiam; quoniam ſicut luna lumen habet a ſole, ſic Eccleſia a Chriſto, qui eſt ſol Juſtitiæ. Quod plantatur de uno loco evellitur, & in alio ponitur, & ſapientia Chriſti a Judaeis, in quibus maxima erat ad Eccleſiam gentium tranſlata eſt. *Quaſi oliva ſpecioſa in campis*. Oliva, quae ſemper frondes retinet virides, & oleum quod illuminat facit, Sacra Scriptura eſt, quae folia verborum ſuorum ſemper viridia, ideſt bonis operibus ornata retinet: oleum, ideſt doctrinam parat, quæ fugat tenebras ignorantiae & parat lumen ſcientiae. Campi, qui ampli ſunt ſæculares viros ſignificant, qui per amplam viam, & ſpatioſam, quae ad mortem ducit gradiuntur. In iſtis ergo campis oliva, ideſt Sacra Scriptura exaltatur, quando ſcripturæ verba populo praedicant. Et quia in Sacra Scriptura ſapientia regnat, recte hoc idem de ſapientia dicitur. Sequitur. *Et quaſi platanus exaltata ſum juxta aquas*, aquae doctrinae ſunt, ſicut per Salomonem dicitur *Aqua profunda verba ex ore viri*. Sicut ergo Platanus creſcit juxta aquas, ſic & ſapientia in doctrinis. Quoniam quanto amplius quiſque docet, tanto ſapientior efficitur. Sequitur. *In plateis ſicut cynnamomum, & balſamum aromatizans odorem dedi*. In plateis populus ſolet congregari; merito ergo per plateas populus ſignificatur. Balſamum, & cinnamomum res odoriferae ſunt, & ideo ſanctitatem, & religionem ſignificant, quae nimirum odorem bonae vitae parant. Dicitur ergo *in plateis ſicut cinnamomum, & balſamum aromatizans odorem dedi*. Quia ſicut aliquis in populis per ſanctitatem, & religionem laudatur, ſic per ſapientiam commendatur. Quod autem ſequitur. *Quaſi Mirrha electa dedi ſuavitatem odoris*, repetitio eſt. Mirrha namque quae amara eſt, & carnem putreſcere non ſinit, mortificationem ſignificat carnis. Quae nimirum carni amara eſt, & carnem putreſcere, ideſt deſervire luxuriæ non permittit. Sicut ergo mirrha amara, ita carnis mortificatio ſcientiam dat, & ſuavitatem odoris, ideſt bonae famae, ſic & ſapientia ſuavem exhibet odorem.

SERMO.

Legitur, quod rex Salomon fecit thronum de ebore grandi, & veſtivit eum auro fulvo nimis. Qui habebat ſex gradus, & ſummitas throni rotunda erat in parte poſteriori, & duæ manus hinc, & inde ſedile tenentes. Et duo leones ſtabant juxta manus ſingulas, & duodecim leunculi ſtantes ſuper ſex gradus hinc, atque inde. Non eſt factum tale opus in univerſis regnis. Salomon, qui interpretatur pacificus, Chriſtum ſignificat, qui ut inter Deum, & nos pacem faceret, de Caelo in hunc mundum venit. Sicut dicit Apoſtolus. *Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum*. Ipſe fecit thronum eburneum, quando creavit Virginem Mariam. Beata Maria recte dicitur ſolium eburneum, quia in ſolio ſolet homo requieſcere, & Chriſtus in Beata Maria requievit tam ſpiritualiter, quam corporaliter. Spiritualiter ſicut ipſe Dominus dicit per Prophetam. *Super quem requieſcet ſpiritus meus, niſi ſuper humilem, & quietum, & trementem verba mea*. Et Beata Maria magnae humilitatis fuit ſicut ipſa dicit. *Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ*. Corporaliter requievit in ea, ideſt in ejus corpore manſit ſicut ipſa dicit. *Et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo*. Et Beata Maria non ſolum vocata eſt ſolium, ſed etiam eburneum. Ebur namque de oſſo elephantis eſt, quod nimirum caſtiſſimum eſt animal, quia in capite triginta annorum ſolummodo maſculus cum faemina conjungitur, & tunc ſemel tantum. Et beata Maria non ſolum caſta fuit, ſed etiam virgo. Hoc ſolium, ideſt Beata virgo Maria fuit veſtita auro fulvo nimis. Sicut per aurum ſapientia, ſic & per ruborem charitas ſolet ſignificari. Unde in Apocalypſi dicitur. *Suadeo tibi emere aurum ignitum*, ideſt ſapientiam cum charitate. Et Beata Maria Virgo veſtita fuit auro fulvo nimis, ideſt repleta fuit ſapientia, & charitate, quia ſicut cognoſcebat Deum, ita diligebat eum, & ſicut cognoſcebat bonum, ita amabat illud. Solium iſtud habet ſex gradus, quibus aſcendebatur ad id. Iſti ſex gradus ſunt ſex opera miſericordiae. De quibus Dominus ait in Evangelio. *Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare. &c.* Iſtis ſex gradibus aſcendebatur ad ſolium, quia per iſta ſex opera miſericordiae poſſumus aſcendere ad beatitudinem Beatae Mariæ. Sequitur. *Et ſummitas vero throni, ideſt ſolii rotunda erat in parte poſteriori*. Summitas ergo Throni Spiritus Sanctus eſt, qui bene ſummitas debet vocari Beatae Mariae, quia ſummitas ſuperior pars eſt, & Spiritus Sanctus deſuper venit ad Mariam. Unde Angelus non dixit Beatae Mariae. *Spiritus Sanctus veniet in te, ſed ſuperveniet in te*. Haec autem ſummitas rotunda erat. Illius rei quae rotunda eſt, neque principium, neque finis poteſt inveniri. Et Spiritus Sanctus, quia Deus eſt ſicut nec principium habuit, nec habebit finem. Bene autem dicitur in parte poſteriori, quia poſterior pars videri non poteſt, & Spiritus Sanctus, quia Deus eſt, ſimiliter inviſibilis eſt. Sicut Joannes dicit. *Deum nemo vidit unquam*. Sequitur. *Et duæ manus hinc inde ſedile tenentes*. Duae manus duae ſunt vitae. Activa

vide-

Digitized by Google

videlicet, & contemplativa, ſive duae operationes, quarum una pertinet ad dilectionem Dei, altera ad dilectionem proximi. Eſurientem namque paſcere, ſitientem potare, nudum veſtire, & caetera opera miſericordiae ad dilectionem proximi ad activam vitam pertinent. Pſallere, aut Deum laudare, orationi atque lectioni, & ſanctae meditationi vacare ad Dei dilectionem ad contemplativam vitam pertinet. Hæ itaque duæ manus ſedile tenebant, hæ duæ vitæ Beatam Mariam in Dei ſervitio, & amore tenuerunt. Sequitur. *Et duo leones ſtabant juxta manus ſingulas*. Duo Leones, duo ſunt cuſtodes Beatae Mariæ. Unus de Cælo, ideſt Gabriel Angelus, & alter de terra Joannes Evangeliſta. Duodecim leunculi ſtantes ſuper ſex gradus duodecim Apoſtoli ſunt, qui non Leones, ſed leunculi appellantur. Propter illud de quo dicitur. *Vicit leo de tribu Juda*. Iſti leunculi, ideſt Apoſtoli ſtabant ſuper ſex gradus, quia Apoſtoli ſex opera miſericordiae in ſe obſervabant. Sequitur. *Non eſt factum tale opus in univerſis regnis*, quia talis mulier non fuit inventa in univerſo Mundo qualis fuit Beata Virgo Maria. Quia, & ante Partum, & in partu, & poſt partum virgo ſemper fuit.

SERMO.

Spiritu Sancto plenus Salomon praevidens Beatam Mariam de hoc Mundo ad Cælum aſcenſuram, & a Sanctis omnibus honorandam inter cætera dixit. *Vidi ſpecioſam ſicut columbam aſcendentem deſuper rivos aquarum, cujus inæſtimabilis odor erat nimis in veſtimentis ejus, & ſicut dies verni circumdabant eam flores roſarum, & lilia convallium*, Specioſa iſta, quam Salomon vidit virgo Maria eſt, quae recte dicitur ſpecioſa, quia in ea turpitudo, aut ruſticitas alicujus peccati non fuit. Spiritus namque Sanctus in ea deſcendens mundavit eam ab omni ſorde peccati, & ſuper hoc pulchritudinem omnium virtutum in ſe habuit, quae non ſolum ſpecioſa, ſed ſicut columba dicitur. Columba namque ſimplex eſt avis, & adeo humilis quæ neminem roſtro ferit, ſed ſeipſam alis percutit, & a felle, & amaritudine eſt aliena. Sic & virgo Maria amaritudinem in ſe non habuit iracundiæ, ſed tantæ humilitatis fuit, quod pro humilitate ſua mereretur exaltari, dicente Domino. *Qui ſe humiliat exaltabitur*. Unde ipſa de ſe dicit. *Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ*: Hæc aſcendebat deſuper rivos aquarum. Si per aquas populi ſignificantur dicente Joanne. *Aquæ multæ populi multi*: rivi aquarum ſunt ſancti omnium populorum. Hæc ergo aſcendebat deſuper rivos aquarum, quia virgo Maria hodie exaltata eſt ſuper choros omnium Sanctorum, & quod majus eſt ſuper choros omnium Angelorum; ſicut ſcriptum eſt. *Exaltata eſt ſancta Dei genitrix ſuper choros Angelorum ad cæleſtia regna*. In veſtimentis ejus odor erat nimis: veſtimenta Beatæ Mariæ virtutes ejus fuerunt, quae merito dicitur veſtimentum, quia ſicut ex veſtimentis homo honoratur, ſic & Beata Maria de ſuis virtutibus honorificatur. Plus enim eam Deus dilexit quia bona fuit & Sancta, quam quod mater ejus fuit. De veſtimentis ejus ergo odor erat nimis, quia de virtutibus ejus fama eſt magna nimis. *Et circumdabant eam flores roſarum, & lilia convallium*. Flores roſarum, qui rubei ſunt Martyres intelliguntur, qui effuſione ſanguinis rubicundi facti ſunt. Et lilia convallium vero Virgines ſunt. Lilium namque candorem habet, & odorem. Sic, & virgines candorem habent bonæ vitae, & odorem famæ. Et quia Chriſtus in ſe humilitatem retinet, non ſolum lilia, ſed etiam convallium dicitur. Vallis quippe humilitatem ſignificat, ſicut e contrario mons ſuperbiam ſignificat. Unde ſcriptum eſt. *Et convalles abundabunt frumento*. Quia humiles abundabunt doctrina Chriſti, quae eſt cibus animae. Et ſicut frumentum eſt cibus corporis, ita doctrina Chriſti eſt cibus animae. Flores itaque roſarum, & lilia convallium circumdabant eam, quia Martyres, & Virgines circumdabant beatam Mariam, & ſtabant juxta eam ſicut Dominam ſuam.

SERMO.

Quæ eſt iſta, quæ aſcendit quaſi aurora conſurgens, pulchra ut luna, electa ut ſol, terribilis ut caſtrorum acies ordinata. Virgo Maria merito aurora dicitur, quia ſicut aurora eſt finis noctis, & initium diei, ſic & virgo Maria finis fuit vitiorum, & principium virtutum, finis fuit tenebrarum inferni, & principium luminis Paradiſi: poſt auroram naſcitur continuo ſol, quia poſt Mariam, & de Maria natus eſt Chriſtus, qui dicitur ſol juſtitiae, ſicut per Prophetam dicitur. *Vobis qui timetis Deum, orietur ſol juſtitiæ*. & iterum Salomon. *oritur ſol, & occidit ſol*. Et iterum Pſalmiſta. *Sol cognovit occaſum ſuum*: quia Chriſtus præſcivit mortem ſuam dicens Diſcipulis ſuis. *Scitis quia poſt biduum paſcha fiet, & Filius hominis tradetur, ut crucifigatur*. Haec ergo, ideſt Beata Maria non ſolum dicitur aurora, ſed etiam conſurgens, quia ſicut aurora elevatur ad Caelum, ſic & Virgo Maria de terris aſſumpta eſt in Caelum, unde & aſcendere dicitur. Et quoniam natus eſt de ipſa ille qui peccatores juſtificavit, & juſtos beatificavit, ideo ſecutum eſt. *Pulchra ut luna, electa ut ſol*. Luna lucet in nocte, & ſol ſplendet in die. Per noctem itaque peccatores, & per diem intelliguntur juſti. Unde & Paulus converſis peccatoribus dicit: *Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*. Beata Virgo Maria merito vocata eſt pulchra ut luna, electa ut ſol, quia de ipſa natus eſt, qui peccatores, qui per noctem ſignificantur, juſtificavit, & juſtos, qui per diem intelliguntur, beatificavit. Sequitur. *Terribilis ut caſtrorum acies ordinata*. Sicut ergo caſtrorum acies ordinata terribilis eſt inimicis, ſic & Beata Maria inimicis, ideſt daemonibus terribilis eſt, & malis, & timorem eis incutit. Quia illum peperit, qui diabolum de Caelo proſtravit, & in infernum ligavit, & relegatum expoliavit, quia ei omnes ſuos abſtulit.

SERMO.

Miſit Herodes, & tenuit Joannem, & ligavit eum in carcerem propter Herodiadem uxorem Philippi fratris ſui, quia duxerat eam. Dicebat Joannes Herodi, non licet tibi habere uxorem fratris tui &c. Herodes iſte diabolum ſignificat. Herodes namque interpretatur pelliceus, vel verſipellis, ideo ſignificat diabolum, qui eſt pelliceus, ideſt peccatis plenus. Peccata namque per pelles ſignificari ſolent. Unde primo homini poſt peccatum fecit Deus tunicam pelliceam. Joannes, qui interpretatur gratia Dei, religionem ſignificat. Caetera quippe bona temporalia quandoque dat Deus his, qui non habent gratiam ſuam, utpote falſis Chriſtianis, & paganis. Religionem autem nunquam dat niſi habentibus gratiam ſuam; hunc autem Joannem, ideſt religionem Herodes, ideſt diabolus, prius tenet & ligat, ut bonum non faciat, deinde mittit in carcerem, ut facienda non cognoſcat. Carcer liquidem locus tenebroſus eſt, ideo ſignificat ignorantiam, quae lumen ſcientiae nobis aufert, & poſtmodum decollat, quoniam voluntatem, quae eſt caput & principium boni operis aufert. Sed hoc non facit, niſi poſtquam tollit Herodes uxorem Philippi fratris ſui, & ducit eam, & hoc in coena, in qua ſaltavit puella. Videamus itaque quis ſit iſte Philippus frater Herodis, cujus uxorem tollit Herodes, & quae ſit ejus uxor, aut quae ſit ejus filia, vel quae ſit coena Herodis, in qua ſit praedicta puella ſaltatrix. Philippus frater Herodis ſpiritus noſter eſt, qui merito dicitur frater Herodis, ideſt diaboli, quoniam illi fratres nuncupantur, qui de eodem patre ſunt geni-

Digitized by Google

geniti, & de eadem matre ſunt nati. Deus enim, qui creavit ſpiritum noſtrum, ipſe creavit & diabolum. Ecce pater. Et ſicut ſpiritus creatus fuit de gratia Dei, ſic, & diabolus. Ecce mater. De hoc fratre diabolo dicit Jeremias: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte, quia frater iniquus ſupplantavit me.* Nam quando iſte malus frater, ideſt diabolus ſupplantat, & decipit nos, trahendo ad aliquod grande peccatum, tunc debemus plorare die ac nocte. De hujuſmodi malis fratribus, ideſt diabolo & daemonibus ejus dicit Eccleſia: *filii matris meae pugnaverunt contra me.* Haec autem Philippi, ideſt ſpiritus noſtri, uxor caro noſtra eſt. Sicut enim uxor debet eſſe ſubdita viro, & vir praeeſſe debet uxori; dicente Domino ad mulierem: *Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.* Sic & caro noſtra obedire debet ſpiritui, & ſpiritus praeeſſe carni. Sed Herodes, ideſt diabolus ſemper in quantum poteſt pugnat, ut carnem auferat ſpiritui, ut non obediat, ſed reſiſtat ei, & per mala opera copulat eam ſibi. Filia Herodiadis carnalis concupiſcentia eſt, quae naſcitur de carne, ſicut filia de matre; quae recte dicitur puella, quia ſemper puerilia facit. Haec autem ſaltat, ſed quando? in cœna utique Herodis. Cœnae ſiquidem tres ſunt. Eſt enim cœna Dei, & eſt cœna diaboli, & eſt cœna hominis. Cœna Dei eſt bona operatio noſtra, in qua Deus gaudet, & quodam modo reficitur. Unde meus cibus eſt, ut faciam voluntatem patris mei, qui in caelis eſt. Cœna vero diaboli eſt mala operatio noſtra. Cœna hominis eſt bonae operationis merces, & retributio, quae ei dabitur in futura vita. Herodes ergo, ideſt diabolus cœnam, ideſt operationem malam quotidie praeparat principibus, & tribunis ſuis, ideſt miniſtris, & amatoribus ſuis. Et in hac cœna, ideſt in mala operatione, utpote in fornicatione, adulterio, & aliis multis malis ſaltat filia Herodis, ideſt concupiſcentia carnalis: qui ſaltat in altum elevatur, & quia carnalis concupiſcentia in mala operatione creſcit & augmentatur, & ideo recte ſaltare dicitur: & ſic Joannes, ideſt religio noſtra in hac mala cœna moritur. Libet mentis oculos ad Joannem reducere, & non ſine graviſſima admiratione quidem perpendere, quod Joannes prophetiae ſpiritu intra matris uterum plenus, & ut ita dicam priuſquam naſceretur, renatus, ille amicus ſponſi, quo inter natos mulierum major nemo ſurrexit, ille ſic prophetavit, ut plus eſſet quam propheta, ab iniquis in carcerem mittitur, & pro puellae ſaltu capite truncatur, & ob virtutem ſeveritatis pro riſu turpis mulieris capite truncatur. Nunquid credimus aliquid fuiſſe quod in ejus vita, ita illa ſit deſpecta, ut mors tegeretur. Sed quando ille in cibo, vel potu peccavit, qui locuſtas tantummodo, & mel ſilveſtre edebat; quid de eo vel qualitate ſui veſtimenti peccavit, qui camelorum pilis corpus ſuum cooperuit; quando de converſione ſua offendere potuit, qui de eremo non receſſit. Quid de illo loquacitas reatus polluit, qui disjunctus longe ab hominibus fuit; quando illum ulla ſilentii culpa tetigit, quando ad ſe venientes tam vehementer increpavit dicens: *Genimina viperarum, quis vobis demonſtrabit fugere a ventura ira.* Quid eſt, quod Joannes Dei voce laudatur, & tamen per temulentiæ mulieris verba in ſaltationis praemium moritur. Quid eſt quod praeſens Deus ſic vehementer in hoc ſaeculo deſpicit, quem ſic ſublimiter ante ſaecula elegit, niſi in hoc quod pietatem fidelium paret. Quoniam idcirco ſic eos premit in infimis, quia eos videt, quomodo remuneret in ſuperis, & foris uſus ad deſpecta deviet, quos intus uſque ad incomprehenſibilia perducit. Hic ergo unuſquiſque colligat, quid illic ſint paſſuri, quos reprobat, ſi hic cruciat quos amat. Aut quomodo feriuntur, qui in judicio ſunt arguendi; ſi ſic eorum vita premitur, qui ipſo judice teſte laudatur.

SERMO.

Quia Dominus noſter in ſanctis Angelis & hominibus quotidie reſidet ac requieſcit, idcirco Iſaias propheta loquitur & dicit: *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum, & plena erat omnis terra maieſtate ejus, & ea quae ſub ipſo erant replebant templum. Seraphim ſtabant ſuper illud, ſex alae uni, & ſex alae alteri. Duabus velabant caput, & duabus velabant pedes, & duabus volabant.* Omnipotens Deus inter caeteras creaturas, quas condidit, duas tantummodo rationales creavit, Angelos videlicet, & homines ad ſe laudandum, & glorificandum, atque adorandum. Primo ſiquidem Angelos condidit, inter quos erat unus, qui vocabatur Lucifer eo quod prae ſua pulchritudine aliis Angelis lucem ferebat. Et ideo ecce creatorem ſuum ſuperbivit dicens: *Ponam ſedem meam ab aquilone, & ero ſimilis Altiſſimo.* Et propterea de caelo projectus eſt in infernum; & ſicut in caelo erat pulcherrimus Angelus, ita in inferno factus eſt teterrimus diabolus. De quo per Iſaiam dicitur: *Quomodo cecidiſti Lucifer, qui mane oriebaris.* Mane principium eſt diei. Iſte mane oriebatur, quia in principio hujus mundi creatus fuit. Sicut de ipſo ſcriptum eſt: *ipſe principium viarum*, ideſt actionum Dei, quoniam Deus ante alias creaturas condidit illum. Cum iſto quoque ceciderunt omnes illi, qui conſenſerunt. Et ideo Dominus, ut reſtauraret numerum iſtorum fecit hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, quia tanta multitudo illuc hominum creditur aſcenſura, quantos Angelos illic contingeret remanſiſſe. Sicut dicitur: *Statuit terminos gentium ſecundum numerum Angelorum Dei*: in his itaque duabus creaturis, ideſt in ſanctis Angelis, & hominibus Deus reſidet, & quieſcit tamquam in ſolio ſuo. Unde per Iſaiam dicitur: *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum.* Diſtat inter ſolium excelſum & elevatum, quia quod excelſum eſt ſemper in alto eſt, & quod elevatur prius eſt in imo, & poſtmodum elevatur in altum. Idemque per ſolium excelſum intelliguntur ſancti Angeli qui in alto, ideſt in caelo creati ſunt. Per elevatum ſancti viri qui in imo, ideſt in terra creati poſt mortem in caelo elevantur. Sequitur: *Et plena erat omnis terra maieſtate ejus*; quia majeſtas Dei tanta eſt, ut totam terram impleat, ſicut de Spiritu Sancto dicitur *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.* Deus namque ſuper omnia eſt per altitudinem, & ſubtus omnia per ſuſtentationem, & extra omnia per magnitudinem, & infra omnia per ſubtilitatem. Sequitur. *Et ea quæ ſub ipſo erant replebant templum.* Sub Deo ſunt omnes creaturae. Templum autem Dei nos ſumus, ſicut dicit Apoſtolus. *Vos eſtis templum Dei vivi, & Spiritus Sanctus habitat in vobis.* Quae igitur creaturae ſub Deo ſunt, replent templum, ideſt alicujus hominis, quia nulla mens eſt quae ſtatum omnium creaturarum cognoſcere valeat, & intelligere; & ut de omnibus aliis praetermittamus, quis eſt, qui poſſit diſtinguere ubi tunc, ideſt ante creationem erant oſſa, ubi nervi, ubi pellis, ubi caput, ubi pedes, & ſic de caeteris membris. Unde per Prophetam dicitur. *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, confortata eſt, & non potero pervenire ad eam.* Ac ſi diceret. Ex me, ideſt ex creatione mea ſcientia tua mirabilis facta eſt, & mirabilis videtur mihi: confortata eſt mens mea ad eam capeſcendam, & non potero pervenire ad eam. Sequitur. *Seraphim ſtabant ſubter illud, ſex alæ uni, & ſex alæ alteri.* Seraphim interpretatur incendentes, ſanctos ſignificat praedicatores, qui in ſe zelum amoris Dei ferunt, & alios ad eumdem amorem accendunt. Illi ſtabant ſubter illud, ideſt ſubter ſolium, quia ſancti Praedicatores non ſolum ad ſervitium Angelorum, ſed etiam ad ſervitium hominum ſunt deputati. Unde Dominus ait diſcipulis ſuis. *Qui major eſt veſtrum, erit veſter ſervus.* Iſti ſeraphim, ideſt praedicatores habent ſex alas, ex quibus velant

caput

Digitized by Google

caput non ſuum, ſed Dei; duabus velabant pedes non ſuos, ſed Dei, & duabus volabant, quae erant in medio. Caput Dei dicitur, quod fuit ante principium Mundi, & pedes dicuntur, quod erit poſt finem ſaeculi. Seraphim ergo caput Dei habent velatum, & pedes, quia ſanctis praedicatoribus incognita ſunt ea, quae fuerunt ante initium Mundi, & ea quae futura erunt poſt finem ſaeculi. Duabus aliis, quae erant in medio volabant, quia de his quae ſunt in medio, ideſt a principio uſque ad finem Mundi loquuntur, & praedicant. Quid autem Seraphim clament, audiamus. *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth*. Quod tertio idem nomen poſuit trinitatem ſignificat perſonarum. Quoniam alia eſt perſona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti; & ne tertium nominans Sanctum, unitatem divinae ſubſtantiae ſcindere videretur, adjunxit Dominus Deus: qui ergo non Domini dii, ſed Dominus Deus Sabaoth, unum exiſtere, quod tertio Sanctum vocaverit, addidit, indicavit. Simile aliquid in Pſalmo legitur. *Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus*. Quod enim tertio poſuit Deus, trinitatem oſtendit Perſonarum; quia Deus Pater eſt; Deus Filius eſt; Deus Spiritus Sanctus eſt: Et quia non tres Dii, ſed unus eſt Deus, ideo ſubjunxit; *& metuant eum omnes fines terræ*. Non enim eos, ſed eum dixit. Quod autem ſequitur. Sabaoth exercitum interpretatur. Exercitum Angelorum videlicet quorum primus Princeps, Michael Archangelus eſt. Sicut enim diabolus dicitur princeps Daemonum, ita & Michael dicitur Princeps Angelorum. Et ſicut diabolus per Daemones ſuos ſuggerit nobis vitia & peccata, ſic etiam Michael per Angelos ſuos ſuadet nobis virtutes, & bona opera. Unde Joannes in Apocalypſi ſua ait. *Factum eſt prælium magnum in Cælo &c.* Caelum namque ſancta Eccleſia eſt, & anima uniuscujuſque juſti. Sic enim ait Dominus. *Cælum mihi ſedes eſt*. & Salomon. *Anima juſti ſedes eſt ſapientiæ*. Si ergo Caelum ſedes eſt ſapientiae. Anima Dei, & anima juſti ſedes eſt ſapientiae. *Sapientia Deus eſt*: ſicut per Paulum dicitur. Virtus, & Sapientia Dei Dominus noſter Jeſus Chriſtus: profecto Caelum eſt anima juſti, multo magis ſancta Eccleſia, ideſt congregatio Fidelium. In hoc ergo Caelo fit magnum praelium, quia Diabolus cum Daemonibus ſuis trahit nos ad malum; Michael, & Angeli ejus ad bonum: diabolus cum Daemonibus ſuis ſuggerit nobis vitia, & peccata; Michael ſuadet virtutes, & bona opera. Diabolus laborat, ut trahat nos ad Infernum; Michael ut perducat nos in Paradiſum. Diabolus contendit nos damnare, & Michael juſtificare. Et quia bona debent ſemper praevalere malis; ideo ſubjunctum eſt. *Et non prævaluerunt, neque locus inventus eſt eorum amplius in Cælo*. Unde Dominus ait. *Videbam Sathanam ſicut fulgur de cælo cadentem*. Vos itaque Fratres, ſi vultis a ſervitute diabolica, & a poenis Inferni liberari & ad gloriam Paradiſi pervenire, ſtudete, ut diaboli ſuggeſtionibus nullatenus conſentiatis, ſed ſanctis admonitionibus, & praeceptis obediatis, quatenus cum eo regnare in aeternum valeatis.

IN COMMEMORATIONE
OMNIUM SANCTORUM.

QUoniam Chriſtus vitia reprehendit, & virtutes augmentavit; ideo Joannes Evangeliſta in Apocalypſi ſua loquitur, & dicit. *Ecce ego Joannes vidi alterum Angelum aſcendentem ab ortu ſolis habentem ſignum Dei vivi, & clamavit voce magna quatuor Angelis, quibus datum eſt nocere terræ, & mari dicens: Nolite nocere, terræ, & mari, neque arboribus, quoadusque ſignemus ſervos Dei noſtri in frontibus eorum*. Dominus noſter Jeſus Chriſtus fecit nos cum non eſſemus, & redemit nos cum male eſſemus. Nos redemit, & non Angelos. Sicut Apoſtolus ait. *Semen Abrahæ apprehendit, Angelos autem non apprehendit*; & ideo quia cum uterque ideſt Angelus, & homo peccaſſet, Angelus cum eſſet ſubtilis, & caeleſtis naturae, nullius ſuaſione, ſed ſua ſuperbia peccavit; Homo vero diabolica ſuaſione deceptus contra mandatum ſui Conditoris peccavit; propterea Deus pater miſertus eſt humanae Creaturae, quam ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam creavit, ad ejus redemptionem filium ſuum unigenitum de Caelo ad terras miſit, ut hominibus Dei patris voluntatem nuntiaret. Unde filius Dei Angelus, qui nuntius interpretatur, nuntius vocatur. De quo per Iſayam dicitur. *Et vocabitur magni conſilii Angelus*. De hoc etiam, ideſt de Chriſto Joannes Evangeliſta dicit. *Ecce ego Joannes vidi alterum Angelum aſcendentem ab ortu ſolis habentem ſignum Dei vivi*. Angelus ſicut diximus Chriſtus eſt, qui deſcendens a Deo Patre: Deus pater oriens interpretatur. Quia ſicut ſol naſcitur ab Oriente, ſic & Filius Dei qui vocatur ſol, procedit a patre. Unde ipſe ait. *Ego enim ex Deo proceſſi, & veni*. De hoc ſole dicitur per Prophetam, *vobis qui timetis Deum orietur ſol juſtitiæ*. & pſalmiſta. *Sol cognovit occaſum ſuum*, ideſt Chriſtus praeſcivit mortem ſuam dicens diſcipulis ſuis. *Scitis quia poſt biduum paſcha fiet, & filius hominis tradetur, ut crucifigatur*. De hoc iterum Salomon ait: *Oritur ſol, & occidit ſol, & ad locum ſuum revertitur*. Oritur ſol, quia naſcitur Chriſtus, occidit quia Chriſtus ad locum ſuum revertitur unde venerat. Iſte Angelus habet ſignum Dei vivi. Nam reſuſcitare mortuos, mundare leproſos, illuminare caecos, ſanare infirmos, nihil iſtorum fuit ſignum Dei vivi, quia illi, qui non erant Dei haec omnia fecerunt, licet non ſua, ſed Dei voluntate vel virtute. Quod ergo fuit ſignum Dei vivi? cognoſcere corda, & cogitationes hominum ſicut ſcriptum eſt. *Tu ſolus noſti corda filiorum*. & iterum. *Homo videt in facie, Deus autem in corde*. Sequitur; *& clamavit voce magna quatuor Angelis* dicens, *nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus*. Illi quatuor Angeli ſunt quatuor virtutes, quatuor principalibus vitiis contrariæ. Quatuor autem virtutes ſunt. Prima eſt prudentia, ſecunda temperantia, tertia fortitudo, quarta juſtitia. Primo namque per prudentiam debet homo cognoſcere, quod ſit bonum, quodve malum, quod Deus jubeat, quodve prohibeat. Secundo autem declinare a malo per temperantiam. Tertio loco facere bonum per fortitudinem. Quarto loco ſequitur juſtitia, quia per haec omnia perfecto juſtus eſt. Similiter e contrario vitium eſt primum, ignorantia boni, vel mali. Secundum eſt intemperantia mali. Tertium debilitas boni. Quartum vero iniquitas. Sequitur. Quid angelus dixerit audiamus. *Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus*; per haec tria, ideſt per terram, maria, & arbores; tres ordines hominum qui ſunt in Eccleſia Dei intelliguntur, quorum alii Monachi, alii layci, alii Clerici ſunt. Terra, quae in aeternum ſtat, & nunquam movetur, ſicut dicit Salomon. *Generatio præterit, & generatio advenit, Terra autem in æternum ſtat*: E contrario vero mare numquam ſtat, ſed ſemper movetur a vento. Arbores autem ex parte moventur, & ex parte ſtant, & a ſuperiori parte moventur, & ex inferiori, ideſt ex radicibus ſtant. Merito ergo per terram, quæ nunquam movetur Monachi, & Sancti Eremitæ intelliguntur, qui in Monaſteriis, & Cellulis ſuis aſſidue manentes, de illis raro exeunt. Per mare vero, qui ſemper movetur laici intelliguntur, qui nunquam quieſcentes variis, & diverſis negociis intendentes ſemper moti ſunt. Per arbores deſignantur Clerici, qui ex inferiori parte, ideſt quantum ſpectat ad officium ſuum, atque ordinati ſunt, divinae lectioni, & meditationi vacantes, in clauſtro ſuo & cellula firmiter manentes; cum vero diverſi venti negotiorum populi ſibi commiſſi graviter imminent, agitantur, & de loco ad locum moventur. Prohibet autem Deus praedictis quatuor vitiis, ne noceant praedictis tribus ordinibus hominum, ideſt alicui Chriſtiano, quoad-

uſque

uſque ſignemus ſervos Dei noſtri in frontibus eorum, ideſt quamdiu durat vita iſta. Conſuetudo namque in Eccleſia Dei eſt, & a Sanctis Patribus traditum, ut unuſquiſque Chriſtianus ſignetur in frome; Quod nimirum obſervat, quando ab Epiſcopo in froute de Sacro Chriſmate conſignatur. Et ideo melius in fronte, quam alibi; quia cætera membra teguntur, aut veſtimentis, aut pilis. Veſtimentis, ſicut totum corpus, pilis ſicut caput, & barba de capillis. Frons vero ſemper diſcooperta manet, ideo Crux, & paſſio Chriſti, quæ eſt gloria noſtra in fronte ſignatur. Dicente Apoſtolo *Mihi autem abſit gloriari niſi in Cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti*; idcirco ſignum Crucis in fronte quæ nobilior pars corporis eſt quotidie facimus, & portamus. Sequitur. *Et audivi numerum ſignatorum centum quadraginta quatuor millia ex omni tribu filiorum Iſrael*. Quid eſt dicere audivi ideſt ſpiritualiter intellexi hunc numerum ſignatorum, ideſt convenire ſignatis, ideſt illis fidelibus, qui ſignati, & ſanctificati ſunt in baptiſmate collecti es omni tribu filiorum Iſrael, ideſt ea omnibus, qui ſunt imitantes in fide, & operatione filios Iſrael, ideſt Apoſtolos, qui fuerunt carnaliter de generatioue Judaeorum. Et quid ſit ille numerus, oſtendit ſic; ſcilicet centum quadraginta quatuor millia. Hoc eſt erunt collocandi a Deo in cæleſti manſione qui erunt centum, ideſt qui habebunt perfectionem virtutum; hoc eſt humilitas, caritas, & patientia. Et etiam illi, qui erunt collocandi in Cælo, ideſt qui erunt quadraginta, ideſt qui habebunt carnis mortificationem cum vitiis, & concupiſcentiis, quæ mortificatio notatur per quadraginta. Moyſes enim, ut legem accepit, jejunavit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, ſimiliter, & Chriſtus, & in jejunio caro & ſanguis mortificari ſolet, & non tantum iſti collocandi ſunt in caeleſti manſione, ſed illi etiam, qui ſunt quatuor, hoc eſt qui obſervant praecepta quatuor Evangeliorum. Et ſic & per centum quadraginta, & per quatuor erunt tendentes ad millia ideſt ad perfectionem æternae vitae, & licet centenarius numerus, & millenarius numerus uterque perfectus ſit, per centum tantum intelligimus perfectionem hujus vitae, per millia perfectionem futurae. Quoniam ſicut major numerus eſt mille, quam centum, ſic majus præmium erit futurae vitae, quam praeſentis. Dicente Apoſtolo. *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*. Sequitur. *Ex tribu Juda duodecim millia ſignati*. Judas interpretatur confeſſio. Confeſſio autem triplex eſt. Eſt confeſſio fidei, & eſt confeſſio laudis, & eſt confeſſio peccatorum. De confeſſione fidei ait Apoſtolus. *Corde enim creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem*. & Dominus in Evangelio. *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo*. De confeſſioue laudis ait Dominus. *Confitebor tibi Domine pater Cæli, & terræ*. De confeſſione peccatorum dicit Jacobus. *Confitemini alterutrum peccata veſtra*. Dicit ergo ex tribu Juda, ideſt ex illis qui in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum credunt, & ore confitentur, & laudant, atque peccata ſua confitentur, ſunt ſignati, ideſt ad vitam aeternam praedeſtinati. Et quare hoc, quia ſunt duodecim, ideſt praecepta duodecim Apoſtolorum ſervantes & millia perfectionem praemii futurae vitae expectantes. Et quoniam fides ſine operibus mortua eſt; Ideo poſt Judam, ſecundo loco ponitur Ruben, qui interpretatur videns filium; per filium opera intelliguntur. Sicut per Pſalmiſtam dicitur. *Et videas filios filiorum tuorum*, ſicut filii ſunt opera, ita filii filiorum ſunt præmia operum. Unde alibi de Sanctis dicitur. *Hæreditas Sancta nepotes eorum*, quod eſt præmium ipſorum. Ex tribu ergo Ruben, ideſt ea bene operantibus ſunt ſignati, ideſt ad vitam aeternam praedeſtinati. Et ideo hoc, quia ſunt duodecim, ideſt duodecim Apoſtolorum praecepta ſervantes, & ſunt millia, ideſt futurae vitae retributionem expectantes. Sic exponendum eſt de omnibus juxta interpretationem uniuſcujuſque nominis. Et quoniam qui bene operantur, frequenter a diabolo tentantur, ſicut per Salomonem dicitur. *Fili hominis accede ad ſervitutem Dei, & ſta in juſtitia, & Sanctitate; & præpara animam tuam ad tentationem*. Nam & Chriſtus non ante, ſed poſtquam jejunavit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus a diabolo tentatus eſt. Et ideo tertio loco ſequitur Gath, qui interpretatur accinctus, ſive tentatio, ſignificat illos, qui accingunt ſe, ut poſſint ſeipſos defendere ab infeſtatione tentationis. Et quoniam qui in hac vita bene operantur, & tentationibus diaboli nullatenus conſentiunt in futuro beatificantur. Ideo quarto loco poſt Ruben, & Gath ponitur Aſer, qui interpretatur beatus, beatificari autem nemo poteſt niſi per altitudinem caritatis, ideſt niſi habeat latum cor ad caritatem, ut non ſolum amicos, verum etiam jubente Deo ipſos diligat inimicos. Ideo quinto loco ponitur Neptalin, qui interpretatur latitudo, ſignificat illos, qui habent in ſe caritatis latitudinem. De qua per Pſalmiſtam dicitur. *Latum mandatum tuum nimis*. Caritatem autem perfectam nemo habet, vel habere poteſt, niſi diabolum, & terrena obliviſcatur. Ideo ſexto loco ſequitur Manaſſes, qui interpretatur oblivio. Significat illos, qui ea, quæ retro ſunt obliviſcuntur, & quod eſt ante nondum tenentes deſiderant. Et quoniam qui terrena obliviſcuntur de perpetratis malis graviter triſtantur, ſicut Dominus ait. *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur*. Ideo ſeptimo loco ſequitur Simeon, qui interpretatur audivi triſtitiam, & ſignificat illos, qui de peccatis ſuis, & aliorum triſtantur. Et quoniam qui de perpetratis malis perfecte triſtantur, bona ſibi ad operandum libenter aſſumunt, & non ſolum juſſa, ſed etiam non juſſa ſibi ſuperaddunt: Ideo octavo loco ponitur Levi, qui aſſumptus interpretatur, vel additus. Et quoniam iſti tales mercedem æternae retributionis expectant: Ideo nono loco ſequitur Iſachar, qui interpretatur merces: & quoniam per ſpem futuræ remunerationis Sancti fortes ſunt ad perferenda mala perſecutionis: Ideo decimo loco ſequitur Zabulon, qui interpretatur tabernaculum fortitudinis. Et quoniam qui in paſſione fortes exiſtunt, lucri ſibi, & futuri praemii augmentum acquirunt: Ideo undecimo loco ſequitur Joſeph, qui augmentum interpretatur: & quoniam hi tales ad dexteram Dei ſunt collocandi; Ideo duodecimo loco ſequitur Beniamin, qui interpretatur filius dexterae. Poſt haec vidi turbam magnam, quam dinumerare, ideſt ſignatos ad vitam non eſſe paucos numero, ſed eſſe turbam, non quantumcumque magnam, ſed adeo magnam, quam dinumerare nemo poterat, ideſt nullus mortalis praeter Deum. Deo autem omnia patent: & ne alicui videretur, quod illa turba eſſet tantummodo ea tribu Jacob ſecundum carnem, vel ſecundum interpretationem numerorum ſupradictorum, ſubdidit ex omnibus gentibus, ideſt ex gentibus, & ex aliis tribubus Judaeorum, ideſt ex nobilioribus, & non tantum ex majoribus, ſed & ex populis Judaeorum, ideſt minoribus, & ignobilioribus Judaeis. Hos omnes ſupradictos fideles de quacumque tribu ſunt, ſpiritualiter vidi ſtantes ante thronum. Per thronum humanitas Chriſti intelligitur, quia ipſe eſt ſedes divinitatis. De quo per Pſalmiſtam dicitur. *Adorate ſcabellum pedum ejus, quoniam ſanctum eſt*. Ergo ipſi ſtant ante thronum ideſt ante humanitatem Chriſti ſui, ut ſicut Chriſtus mortuus eſt pro illis, ita & ipſi erant parati mori pro eo. Et hoc ideo ut eſſent in conſpectu agni, ideſt ad illam beatitudinem pervenirent, ut poſſent aſpicere agnum facie ad faciem. Et iſti erant amicti ſtolis albis, ideſt corporibus albis, ideſt ab omni vitio mundi, & palmae, ideſt remunerationes in manibus eorum, ideſt in operibus eorum erant; & non tantum in ſemetipſis erant parati pro Chriſto, ſed ad inſtructionem aliorum clamabant voce magna dicentes. *Salus Deo noſtro qui ſedet*, & quod nos ſalvamur, non no-

ſtris

ſtris meritis, ſed Deo patri noſtro qui ſedet, & quieſcit vel judicat ſuper thronum, ideſt ſuper Eccleſiam, qui ejus Thronus eſt, ideſt ſuper nos quieſcit, vel ſedet ſuper Thronum, ideſt ſuperpraeſidet homini, quia Dominus pater major me eſt. Et in fide catholica dicitur de Chriſto. *Qualis pater, talis filius, aequalis Patri ſecundum divinitatem, minor Patre ſecundum humanitatem*. Et iterum. Salus noſtra eſt attribuenda Deo patri, ſed etiam agno, & pro nobis, ideſt Chriſto immolato. Et omnes Angeli ſtabant in circuitu throni. Non tantum vidi quod turba illa erant ex omnibus gentibus, qui erant ſtantes ante thronum, & quod palmae erant in manibus eorum, ſed etiam ſpiritualiter vidi quod omnes angeli ideſt praedicatores ſtantes erant ideſt parati in circuitu throni, ideſt in protectione Eccleſiae. Et hoc oſtendit per partes, quia ſtabant in protectione ſeniorum, ideſt minorum ſcilicet, & ſubditorum & etiam in protectione aliorum animalium, ideſt praelatorum exiſtentium in quatuor partibus mundi, & per praedicationem eorum ſeniores, & quatuor animalia, ideſt ſubditi & prælati ab illis poſt angelos ceciderunt, ideſt humiliaverunt in facies ſuas, ideſt in bonas conſcientias. Et ideo ut eſſent in conſpectu throni, hoc eſt in beneplacito Chriſti, qui eſt thronus Dei patris ſecundum carnem, & ſe humiliando adoraverunt Deum dicentes. *Amen*; ideſt ſine defectione. Et qui dixerunt haec ſit benedictio, ideſt Spiritus timoris Domini, ideſt quia dediſti nobis Spiritum, ut timeremus te, ideo ſit tibi benedictio. Septem benedictiones ſunt quae a Deo tribuuntur, propter ſeptiformes Spiritus, & una tantum benedictio ſit Deo quia habemus Spiritum timoris; ſed claritas eſt nobis, ideſt Spiritus intellectus, quo nos ſcimus dignoſcere myſteria legis, & ſapientia eſt nobis ideſt Spiritus Sapientiae, & gratiarum actio eſt nobis, ideſt Spiritus pietatis, & honoris, ideſt Spiritus ſcientiae, & virtus, ideſt Spiritus conſilii, & fortitudo, ideſt Spiritus fortitudinis. Et de hoc, quod haec omnia bona ſunt nobis, non aſcendimus nobis, ſed Deo noſtro. Et ex hoc ipſe ſit benedictus, non ad tempus, ſed in ſaecula conſecutiva horum ſaeculorum.

ALIUS SERMO
SUPER MATTHÆUM.

In illo tempore videns Jeſus turbas aſcendit in montem &c.

PRaedicante Domino multis de cauſis homines ſequebantur eum. Alii ut docerentur utpote Apoſtoli, & alii religioſi viri. Alii ut curarentur utpote infirmi; alii ut paſcerentur utpote pauperes; alii ut calumniarentur utpote phariſæi; alii ut ſigna viderent, vel ſigna miraculorum ejus intuerentur utpote curioſi. Sed majorem turbam credimus fuiſſe infirmorum; quia ſicut dicit Evangeliſta: *Virtus de illo exibat, & ſanabat omnes*, & quotquot eum tangebant, ſani fiebant a quacumque detinebantur infirmitate. Et quoniam ſciebat eos non poſſe capere, quae dicturus erat, ideo relictis illis aſcendit in montem. Ubi iſta concurrunt, Majeſtas docentis, dignitas auditorum, quia lux mundi erat, & ſal terrae; eminentia loci; quaſi diceret: alta praecepta ſum daturos, ad alta conſcendite. Et aperiens os, aperitur theſaurus deſiderabilis, reſeratur gazofilacium regni caeleſtis, fons omnium panditur. Indigentes ditantur. Novus rex, nova lex. Novum praeceptum, novus apoſtolicus, novum decretum. Audieraut iſti beati divites, ſapientes, potentes. Mirantur qui audiunt beati pauperes, cernentes eos affici miſeria, torqueri cruciatibus, agi calamitatibus: ne miremini, inquit advocantibus, quoniam ipſorum eſt regnum caelorum. Beata paupertas, quae caelum confert amatoribus. Sed notandum eſt tria eſſe paupertatis genera. Eſt enim paupertas neceſſaria, quae habet miſeriam; ſimulatoria falſam laetitiam, voluntaria bonam conſcientiam. Neceſſaria eſt illorum, qui mendicantes vadunt oſtiatim, aliena cupiunt, invident habentibus, detrahunt divitibus, & ſic Dei ordinationi; haec eſt peremptoria, perimit enim ſuum Dominum, aliena aufert, furto, rapina, latrocinio, & adverſitate torquetur, cruciatur proſperitate. Nam ſi affluant divitiis, timore, & flatu ſuperbiae alios deſpiciunt. Unde Pſalmiſta: *Prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum*, & incraſſatus, dilatatus, recalcitratus. Simulatoria eſt ipocritarum qui ſimulant, quod non ſunt, & diſſimulant quod ſunt. Humilitate praetendunt, cor doloſum habent, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. Unde Salomon ait: *Eſt qui humiliat ſe, & interiora ejus plena ſunt dolo*, ſed non diu poſſunt latere. Nam ſublato favore humano & veneratione, a fructibus eorum cognoſcuntur. Voluntaria poteſt haberi, & cum rebus, & ſine rebus, ut Patriarchae, & caeteri. De quibus dicitur: *Qui habent tamquam non habentes ſint*. Et David: *Divitiae ſi affluant nolite cor apponere*. Nam dixit recte, quod enim eſt peccatum uſus pauperum reſervare. Hanc paupertatem habebat David cum affluerent regiae divitiae dicebat: *Ego vero egenus & pauper ſum:* ſed caeleſtia cupiebat, cum dicebat: *Quid enim mihi eſt in caelo, & a te quid volui ſuper terram*. Quid vero cuperet cum ſubdit: *Mihi autem adhaerere Deo bonum eſt*. Sed melius eſt, ut ſine rebus ſit. Nam quis juxta ignem poſitus non timet uri. Nudi cum nudo luctari debemus. Expeditus viator cito iter ſuum peragit. Natator nudus flumen tranſmeat: haec reddunt hominem perfectum. *Si vis*, inquit Dominus, *perfectus eſſe, vade & vende omnia quae habet, & da pauperibus*. Hanc & Chriſtus verbo docuit, & exemplo conſecravit. Verbo quando inquit: *Ego*, inquit, *vir videns iniquitatem, & approbans paupertatem meam*. Exemplo, quia de paupercula virgine natus, pannis involutus, in praeſepe reclinatus, propriam domum non habuit, in proprio agro non laboravit. Unde dicit: *Vulpes foveas habent*; & iterum hanc paupertatem nos docuit dicens: *Qui non renuntiaverit omnibus quae poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus*. Nam pauper in cella, dives in conſcientia ſecurius dormit in terra, quam dives in auro & purpura. Sequitur: *Beati mites*; de paupertate naſcitur manſuetudo. Mitis eſt, qui propter nullam injuriam, vel damnum commoveri poteſt. Qui enim amat terrena, de amiſſis non poteſt non commoveri. Sed verus pauper, ſicut nec habita amavit, ita nec propter amiſſa doluit. Hanc virtutem Chriſtus opere & verbo commendavit, & nobis imitandam propoſuit opere, quando cum peccatoribus comedit & bibit, quando a Maria peccatrice tangi & ablui permiſit, quando egentibus & infirmis miſerationum ſuarum gratiam exhibuit. Verbo ubi dictum eſt: *Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde*. Haec virtus laudatur in Moyſe, ſicut legitur de eo. *Erat Moyſes mitiſſimus vir*. Quoniam ſi percutiebatur, tamen mitis erat, quia a zelo juſtitiae non recedens, a charitate hoc faciebat. Virtus iſta ſuavis eſt copula, & amabile vinculum, quo homines hominibus, Deo & Angelis ejus uniuntur. Haec in clauſtris praecipue eſt neceſſaria; quae fratres fratribus, praelatos ſubditis, mutua unione connectit: pericloſe & graviter ſeducitur, qui ſine religione promittit, & religioſum ſe profitetur. Sequitur: *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur*. Quamvis fidelis res mundi abdicavit amore Dei, quamvis Dei in vitiis non doluit, tamen in multa incidit aliquando: Et ideo neceſſariae ſunt lacrymae, quae ſemper abluant, quia ſemper peccamus. Sed ſciendum eſt quod eorum, qui lugent, quaedam lacrymae ſunt pro propriis peccatis, quaedam pro miſeria hujus mundi, quaedam pro dilatione ſupernae patriae. Et ideo quaedam dicitur aqua maris, quae-

dam

dam aqua fluminis, alia fontis, alia nivis. Quae vero pro propriis delictis fiunt, ſunt qui aqua maris, quae ſalſa & amara eſt, & impotabilis; ſicut poena quae acerba & dura, & fere intolerabilis eſt. Et quae fiunt pro peccatis aliorum ſunt qui aqua fluminis quae currit & dulcis eſt, quia cum aliquis exoneratus currit, & properat ad ſupportandum onus alterius pro eo orando, jejunando, & aliis ſubveniendo. Unde *alter alterius honera portate &c.* ſuavis eſt ei, & dulcis flere proximi delictum, quam ſi fuiſſet ſuum proprium, & haec eſt bona triſtitia. Unde dicitur: *Religioſa triſtitia eſt quae tam ſuorum, quam aliorum deflet peccatum.* Reſtat, poſt has lacrymas miſeriam hujuſmodi attendere, & poſtea lacrymas vel materialiter, vel ſpecialiter effundere dicendo: *Domine deduc me de lacu miſeriae, & de luto fecis.* Quia donec vivimus, debemus eſſe in convalle plorationis, & in ſtabulo ſtercoris; & hae lacrymae ſunt ſimiles aquae vivi fontis, qui vividus eſt, & vitam habet. Poſtea ſequuntur lacrymae, quae ſunt poſt dilationem caeleſtis patriae. Unde, *heu mihi Domine, quia incolatus meus prolongatus eſt.* Et hae lacrymae ſunt ſimiles aquis nivium propter candorem plenae innocentiae, quam tunc habebimus, & frigiditatem perpetuae caſtitatis. Unde dicitur: *Neque nubent, neque nubentur.* Sequitur: *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.* Hae tres virtutes procedentes de terrenis tantummodo ſunt, & quaſi ſeparatio antequam ſecundo vocari poſſunt. His enim modis mundus contemnitur, abdicando ſcilicet terrena, non dolendo de injuria, lacrymis tergendo peccata, cogitando de miſeria mundi. Modo incipiunt virtutes, quae ad caeleſtia pertinent. Et prima eſt juſtitia: *Juſtitia namque virtus eſt, quae unicuique ſua tribuit*, ut ſcilicet ſpiritus ſubiiciatur Deo, ſpiritui caro, ac per hoc caro, & ſpiritus Deo. Habet autem Deus in hominis ſpiritu jus ſuum; habet autem nihilominus ſpiritus hominis in carne ſua proprium jus. Debet autem ſiquidem ſpiritus hominis in omnibus Deo eſſe ſubjectus tamquam filius patri, & ſervus Domino. Caro etiam ſpiritui in cunctis parere debet, velut rectori & Domino. Ipſe quoque Dominus a nobis exigit honorem, tanquam a filiis, & timorem tanquam a ſervis ſuis. Sicut per Malachiam prophetam dicitur: *Filius honorat patrem, & ſervus Dominum ſuum timebit.* Et ſi ego pater ſum, ubi eſt honor meus, & ſi ego Dominus, ubi eſt timor meus. Exigit quoque a nobis cultum ſuum, ut diligamus eum ex toto corde noſtro, & tota mente noſtra, & tota anima, & tota virtute. Ecce quod debemus Deo. Nobis debemus ex Dei creatione, & per victum, & veſtitum in nobis ſervare carnem, animae ſubjugare pro Chriſto debemus, ut ei faciamus, quod nobis volumus, ut tamen a bono non deviet. Juſtitia triplex eſt. Eſt enim juſtitia cordis, & juſtitia oris, & juſtitia operis. De juſtitia cordis dicit Apoſtolus: *Corde enim creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* De juſtitia oris Dominus dicit per Iſaiam prophetam: *Ego ſum qui loquor juſtitiam.* De juſtitia operis dicit: *Beati qui cuſtodiunt judicium, & faciunt juſtitiam in omni tempore.* Rurſus juſtitia alia eſt cibus, alia potus. Niſi enim cibus eſſet & potus, nequaquam eſurirent & ſitirent. Unde Dominus ait: *Beati qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam.* Cibus juſtitia eſt operis & oris, potus vero juſtitia cordis. Nam ſicut qui comedit, non panem totum inſimul comedit, ſed partem utpote buccellam ſumit, deinde ſecundam, deinde tertiam, & totum ſic conſumit. Sic totam juſtitiam nemo inſimul attendit, & adimplere poteſt, ſed particulam eam adimplet. Similiter fit de juſtitia oris, quoniam omnia verba inſimul nemo proferre poteſt. Sed modo unum, modo aliud. Juſtitia vero, quae eſt credere in Deum, tota inſimul haberi poteſt. Et ideo merito dicitur potus; potus enim cum alicui profertur ſive in ſcyfo, ſive in alio vaſe, totus inſimul & ſine aliquo intervallo bibitur. Et quoniam juſtitia in praeſenti non haberi poteſt perfecte, deſiderari debet, ut quae non poteſt opere, adimpleat deſiderio. Ideoque Dominus talia verba poſuit, quod deſiderium ſignificat, nam eſurire deſiderium ſignificat edendi, ſicut ſitire bibendi. Idcirco non Dominus dixit. *Beati qui faciunt, ſed qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam*; hoc eſt tantum deſiderium habent juſtitiae, quantum deſiderium habent comedendi, & bibendi qui eſuriunt, & ſitiunt. Sequitur. *Beati miſericordes*; quia per ſolam juſtitiam nullus ad alta aſcendere poteſt, niſi etiam faciat nobis Deus pluſquam ſit juſtum per miſericordiam. Et ideo miſericordia Dei acquirenda eſt, quae ſuppleat quod juſtitia noſtra non poteſt adipiſci. Quomodo autem illa acquiri, poſſit dat conſilium cum dicit. *Eſtote ergo miſericordes, quia Pater veſter miſericors eſt.* Ecce via qua ad miſericordiam Dei pervenitur, ſi miſericordes efficiuntur. Oportet ergo miſericordiam addere juſtitiae, ut nullo modo faciamus proximo quod injuſtum eſt, ſed pluſquam juſtum eſt. Miſericordia autem triplex eſt; eſt enim miſericordia operis, miſericordia oris, & eſt miſericordia cordis. Miſericordia operis eſt eſurientem paſcere, ſitientem potare, nudum veſtire. Miſericordia oris eſt peccantem corrigere, indoctum docere, errantem ad viam veritatis reducere. Miſericordia cordis eſt in ſe peccantem ex corde dimittere. De prima dicitur. *Frange eſurienti panem tuum.* De ſecunda. *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viae ſuae, ſalvabit animam ejus, & operit multitudinem peccatorum.* De tertia. *Dimittite, & dimittetur vobis.* Prima eſt magna, ſecunda major, tertia maxima. Tanto major eſt ſecunda, quam prima, quanto melior eſt anima quam corpus. Melius eſt enim animam in aeternum victuram divini verbi pabulo reficere, quam corpus cito moriturum corporali pane ſatiare. Ubi notandum eſt, quia qui dimittit, & non dat, & ſi non plene operatus eſt, meliorem tamen partem miſericordiae tenuit. Qui autem dat, & minime dimittit, miſericordiam nullam facit. Hae autem duae virtutes, miſericordia videlicet, & juſtitia, ita & cunctae junctae ſunt ut altera ab altera contemplari debeat. Juſtitia namque ſine miſericordia crudelitas eſt. Rebelles debemus corrigere ex juſtitia, poenitentes condonare debemus ex miſericordia. Sed quia alii plus exercentur in juſtitia, quam in miſericordia; alii plus in miſericordia, quam in juſtitia, ideo iſti Beati per miſericordiam, illi vero per juſtitiam. Sequitur. *Beati mundo corde quoniam ipſi Deum videbunt.* Munditia cordis ideo ſexto loco ponitur, quia ſexta die homo conditus eſt ad imaginem Dei, haec enim munditia eſt imago Dei; quia clare Deum omnibus perturbationibus remotis, & omni caligine vitiorum remota videmus; quoniam illi dicuntur mundo corde, qui exutis omnibus medullis ſaeculi rerum, intuitum mentis in ſolo Deo contemplando figunt: haec imago obtenebrata erat per culpam, ſed modo reformata eſt per Dei gratiam. Et nunc in ſexta die, & in ſexta aetate iterum factus eſt homo ad imaginem Dei: haec contemplatio Dei eſt imago, quia per eam Deum nobis imaginamur, & quaſi per imaginem videmus Deum. Quae merito poſt alias ſequitur; quia niſi praecedat immundum, cor mundum in homine non creatur. In hoc mundo corde regnat Deus, quia plus cognoſcitur, & amatur: haec autem ideſt munditia cordis cum ſua collaterali, hoc eſt, innocentia operis conjuncta ſcalam faciunt, qua in Caelum aſcendatur. Sicut enim ait Pſalmiſta. *Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto ejus. Innocens manibus, & mundo corde.* Per manus opera intelliguntur. Ille ergo manibus innocens eſt, qui membrorum ſuorum operatione, nec ſibi, nec aliis nocet; ſed quia ſunt innocentes voluntare, & ſine actu, additur, *& mundo corde.* Unde dictum eſt. *Beati mundo corde quoniam ipſi Deum videbunt.* Quia vero non ſufficit non nocere, niſi etiam facia-

Digitized by Google

faciamus bona. Sequitur: *Qui non accepit in vano animam ſuam*. In vano animam ſuam accepit, qui non utitur ea quae accepit. Nos autem animas rationales accepimus, & capaces ad Deum cognoſcendum, & ipſum imitandum, quia ſi caeleſtia præ terrenis, aeterna præ caducis, ſuperna præ infimis poſtponimus, nonne operationis noſtrae rationem in die Judicii reddemus. Satagamus mala acta corrigere, & de caetero bene agere. *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*. Poſtquam omnes ſupradictas virtutes habet homo, nihil aliud reſtat niſi ut Deum, qui eſt vera pax praemium habeat. Omnis eſt in tanta pace quod neque in perſonis eſt diſſenſio aliqua, ſed neque perfecta caritas ſive concordia in ſe ipſo variatur, quamvis res in quibus eſt varietur. Suos vero ſimiles ſibi faciet incorruptibiles, & immutabiles, & impaſſibiles, & ita ſunt concordes, quod de bonis aliorum gaudebunt tamquam de ſuis. Videndum eſt autem quia non omnis pax facit beatum hominem. Eſt enim pax ut in Juda; eſt enim pax inordinata, ut in Adam, & Eva. Debebat enim Adam diligere uxorem ſuam, ſed non plus, quam Deum: harum neutra facit beatum. Sola pax Chriſtiana, quam Dominus reliquit & dat diſcipulis ſuis, ipſa ſola facit beatum. Hæc offertur per ſanctos praedicatores univerſo generi humano, ſed eam quidam repellunt, & alii recipiunt. Nos vero excutientes pulverem pedum noſtrorum ſuper odientes pacem, ad dilectores ejuſdem pacis nos conferamus. Et eorum alii dantur recipientes pacem, alii retinentes pacem, alii facientes pacem. Poſſunt & aliis nominibus vocari, ſcilicet pacati, patientes, pacifici; & haec omnia ſortiuntur, ſed diverſos ſtatus pacis in quibus perficiunt. Nam pacati per hanc pacem poſſident terram corporis ſui, quia mites ſunt. Patientes poſſident animam ſuam quibus dicitur. *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras*. Pacifici poſſident non ſuam ſolummodo, ſed etiam aliorum in quibus pacem faciunt. Unde merito filii Dei vocabuntur. Pacati dicuntur, qui pacem recipiunt, de quibus dicitur. *Si ibi fuerit filius pacis requieſcat & pax veſtra ſuper eum*. Sed qui puſilli ſunt, ſcandalo exagitati, & exaſperati cito pacem quam acceperunt perdunt. Patientes autem ſunt qui receptam retinent, nec quamvis injuria exaſperati, vel exagitati eam leviter amittunt. Illis tanquam robuſtioribus præcipitur, pacem diligere, & ſanctificationem, ſine qua nemo videbit Deum. Pacifici vero qui non ſolum in ſe, verum & aliis eam faciunt, ſed & volentes auferre diligunt. Sicut ſcriptum eſt. *Cum his qui oderunt pacem eram pacificus*. Septimo loco ponitur quia in Sabbato vera requies dabitur, ſcilicet illa pax tranſactis ſex aetatibus quam Adam nondum habebat, ſed quam transferebat, & in Caelum completa illa obedientia accepturus erat. Haec eſt illa pax, de qua dicit Apoſtolus. *Et pax Dei quæ exuperat omnem ſenſum*. haec eſt illa pax de qua dicit Chriſtus. *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis*. Illic do, hic relinquo. Quia & pax illa non poteſt haberi niſi in futuro. Sed tamen alicui datur in praeſenti, quia poteſt videri in illis qui ita habent ſe datos illicitos motus corporis, quod nullum bellum civile patiuntur in ſe, ſed habet anima requiem ſuam in hac vita. Nec etiam conturbari poſſunt quolibet modo, vel quantumque verberentur, ſed in ſe quieti ſunt, & alios reconciliari laborant. Unde dicitur. Pax multa diligentibus nomen, vel legem tuam Domine, & non eſt illis ſcandalum: ſed non tantum perfecta. Illa pax perfecta, & Spiritus Sapientiae non differunt. Hæ ſeptem virtutes ſeptem expellunt vitia principalia, quorum primum eſt ſuperbia, quod eſt principium omnium malorum. Secundum invidia. Tertium ira. Quartum accidia, quod taedium divini verbi eſt. Quintum avaritia. Sextum gula. Septimum luxuria, quae eſt prima proles gulae. Nam venter cibo, & mero aeſtuans cito deſpumat in libidinem. Paupertas namque Spiritus, ideſt humilitas, quae eſt prima virtus contra ſuperbiam, quae eſt primum vitium. Manſuetudo vero eſt, per quam iracundia ſuperatur. Luctus quoque eſt, qui non tantum pro ſuis, ſed etiam pro alienis delictis eſt, ille per quem invidia conculcatur. Miſericordia eſt, per quam accidia corruit, qui enim miſericors eſt, primo cogitat quod ſibi eſt utile, ſicut dicitur. *Miſereris animæ tuæ placens Deo*. Et abiecere ita feſtinat taedium divini verbi de corde ſuo quod habebat, ut lectioni decenter vacare poſſit ad utilitatem ſui, & aliorum. Eſuries quoque & ſitis juſtitiae eſt, quae deſtruit avaritiam, ut aliena non rapiat, & ſuperflua largiatur. Munditia vero cordis eſt contraria gulae. Pax nimirum luxuriae motus evertit: His ut dictum eſt virtutibus praemuniti miſſi in Mundum Apoſtoli, ut has virtutes verbo docentes, & operibus probantes, immundorum vitiorum munimenta diruerent, vel diruerunt. Oportet igitur fratres horum vitiorum inquinamenta procul a nobis abiecere, & praedictarum virtutum adminiſtratione ornari, quatenus ad beatitudines, quas & eis Dominus promiſit valeamus feliciter pervenire. Ipſo adjuvante; Qui cum patre.

SERMO.

Salvator noſter Dominus Jeſus Chriſtus redemptionem humani generis per ſemetipſum homo factus effecit, hominibus ut per homines conſulere voluit, hinc eſt quod ex omnium hominum multitudine duodecim diſcipulos elegit quos & apoſtolos ſecundum Evangelii teſtimonium nominavit. Ut per eos pereunti mundo ſubveniret, & ſedentibus in tenebris, & umbra mortis lumen fidei, ſalutiſque per eos transfunderetur; hoc ipſe Propheta David in Spiritu praevidebat, Domino qui in pſalmis dicebat. *Illuminans tu mirabiliter a montibus aeternis*. Montes enim ſancti Apoſtoli appellantur propter meritorum altitudinem, & fidei firmitatem. Sicut ſplendor ſolis prius apparet in montibus, quam in caeteris locis, ſic & doctrina Chriſti prius in Apoſtolis fuit, quam in caeteris hominibus. Et ſicut aqua a montibus defluit ad ima convallium, ſic & doctrina Chriſti ab Apoſtolis devenit ad nos. Ab his igitur aeternis montibus ſalubriter, ideſt mirabiliter Dominus nos illuminat, quia nimirum per iſtorum mira opera, per doctrinam eorum, & vitam, documenta ſuae cognitionis lumine nos ipſe illuſtrat; unde & ipſis a Domino non immerito ſpiritualiter dictum eſt. *Vos eſtis lux mundi*. Bene quidem Apoſtoli dicuntur lux mundi, ſed lux illuminata non illuminans. Ipſe autem Deus, & redemptor noſter eſt; lux eſt illuminata, & nos illuminans. Cui per prophetam dicitur. *Illuminans tu mirabiliter a montibus aeternis*. Acute intellexit hoc Propheta ſanctus, imo veriſſime qui in prophetia loquebatur aſſeruit: Spiritus divinus gratia ſua, non ipſi montes illuminat, ſed ab ipſis vel per ipſos nos Dominus ipſe illuminat. Ergo qui gloriatur in Domino glorietur, qui eſt lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: quapropter ſancti Apoſtoli primum ab illo ſole juſtitiae, & praeſentia corporali, & ſpirituali unctione ſunt divinitus illuſtrati; per quos mundum oportebat poſtmodum illuminari; ipſoſque incarnati Dei ſapientia Chriſtus Jeſus ſua corporali praeſentia per multa eatenus mandata miranda, & per nova Caeleſtis myſterii inſtituta familiariter, & ſpecialiter erudiri, quos ad evacuandam ſtultam ſapientiam mundi, ad deſtruendam multifarie gentilium Idololatriam diſpoſuit emittere: hos ſanctos Apoſtolos figurabat rubus, quem Moyſes dum paſceret oves Jethro coguati ſui, vidit ardere rubum, qui non comburebatur. Unde Moyſes ait. *Vadam, & videbo viſionem hanc, quare non comburatur rubus*. Dum appropinquaret vocavit eum Dominus de rubo dicens. *Moyſes Moyſes ne appropies huc, ſolve calceamenta pedum tuorum; locus enim in quo ſtas terra ſancta eſt*. Moyſes, qui interpretatur aquaticus, praelatos ſignificat eccleſiae. Qui merito dicuntur aquatici ideſt ex

Digitized by Google

aquis baptiſmatis renati, & ſapientiae aqua repleti. Ipſe paſcebat oves Jethro cognati ſui, & illi paſcunt oves Jeſu Chriſti, de quibus ipſe dixit Petro paſce oves meas. Rubus apoſtolos ſignificat. Sicut enim in Rubo erant ſpinae, ſic & in Apoſtolis peccata. Unde per Joannem dicitur. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*. Et Jacobus. *In multis offendimus omnes*. Ignis in rubo, Spiritus Sanctus in Apoſtolis. Deus de rubo loquebatur Moyſi, & de Apoſtolis locutus eſt nobis. Sicut ipſe dicit. *Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis*. Et Paulus Apoſtolus. *An experimentum quaeritis ejus, qui in me loquitur Chriſtus*. Rubus ardebat, & non comburebatur; & Apoſtoli ſervore Spiritus Sancti ardebant; ſicut illi qui dicebant. *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis*, de Jeſu dum loqueretur in via: & non comburebatur, ideſt non corrumpebatur ab amore Dei propter minas tyrannorum. Quid autem de rubo Dominus dixerit Moyſi audiamus. *Solve calceamenta pedum tuorum*. Calceamenta ex mortuis animalibus fiunt. Mortua animalia ſunt ſaeculares viri, qui mortem peccati ſemper in ſe habent. Calceamenta ergo mortuorum animalium conſuetudines ſaecularium virorum ſunt: haec calceamenta, ideſt has conſuetudines a pedibus noſtris, ideſt ab affectibus, & operibus noſtris ſolvere, hoc eſt abiicere debemus. Sicut dicit Apoſtolus. *Abiicite opera tenebrarum*. Cum Apoſtolis, tamquam cum ſanctis principibus Chriſtus rex noſter imperium ſuum totum, videlicet mundum gubernat, & regit. De quibus per Pſalmiſtam dicitur. *Principes populorum convenerunt, & congregati ſunt cum Deo Abraham*, ideſt apoſtoli cum Chriſto, qui eſt Deus Abraham. Sicut ipſe dixit Judaeis. *Antequam Abraham fieret ego ſum*, & iterum. *Abraham pater veſter exultavit, ut videret diem meum, vidit, & gaviſus eſt*. De iſtis principibus alibi dicitur. *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii, conſtitues eos principes ſuper omnem terram*. Patres Chriſti Prophetæ fuerunt, de quorum ſtirpe ſecundum carnem natus eſt. Pro patribus ergo nati ſunt tibi filii, quia in loco Prophetarum ſucceſſerunt Apoſtoli, quos conſtituit ſuper omnem terram. Venerentur itaque, fratres, ſanctos Dei Apoſtolos, ſicut principes noſtros, & obſervemus monita, & mandata eorum, quatenus apud eum illos interceſſores habere, & per interceſſionem eorum cum Chriſto regnare valeatis. Ipſo auxiliante.

SERMO.

Regina Saba, quae venit audire a finibus terrae ſapientiam Salomonis, ſicut ipſa veritas teſtatur, expertam divitiarum ejus magnitudinem & ſapientiam admirans eidem Salomoni ferunt dixiſſe. *Beati viri tui, & beati ſervi tui qui ſtant coram te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam*. Viri non immerito dicuntur Apoſtoli, quia ultra homines ſingulos gratiae privilegio ſunt ſublimati; nomen a virtute ſortiti ſunt viriliter in omnibus agentes, & omnem virtutem inimici, accepta a Domino poteſtate calcantes. Servos Domini propterea ſeipſos fatentes. Sicut Paulus qui dicebat. *Paulus ſervus Jeſu Chriſti*. Quamvis a Salvatore magis benevolentiae largitate, non ſervi, ſed amici vocantur; ſicut ipſe dicit. *Jam* inquit *non dicam vos ſervos, ſed amicos*. Cujus vocabuli manifeſta redditur ratio, ut dicit Doctor egregius. Quoniam non dedit Deus nobis ſpiritum timoris, ſed ſpiritum virtutis, & dilectionis. Timere autem ſervorum eſt, amicorum diligere. Itaque Spiritus timoris ſervos, Spiritus dilectionis facit amicos; jam enim deſierant timore poenarum more Judaico Deo ſervire, & tanquam filii gratiae ſpe caeleſtium praemiorum, ipſarum amore virtutum Dei voluntatem in moribus didicerant cuſtodire. Amicus autem Dei eſt qui divinae voluntatis veraciter cuſtos eſt: hos igitur tam magnificos viros ſervoſque Regina Saba, ſancta videlicet Eccleſia jure beatos credidit, & pronuntiat, quibus largo Dei munere conceſſum eſt veri Salomonis, ideſt dilecti & pacifici Domini noſtri Jeſu Chriſti conſpectui familiariter & praeſentialiter aſſiſtere; illum, in quem deſiderant Angeli proſpicere, in carne apparentem beatis felicibus oculis cernere. Ipſumque Dei verbum, per quod facta ſunt omnia, in homine felicibus manibus, & obſequiis contrectare. Nam ſi illi beati praedicantur, qui terreni quondam Salomonis ſapientiam audire merebantur, incomparabiliter utique beatiores ſunt Apoſtoli, qui audire meruerunt non dico ſapientiam Chriſti, ſed etiam ipſum Chriſtum, ſapientiam Dei, in quo profecto ſunt omnes ſapientiae, & ſcientiae abſconditae. Unde ipſa Veritas loquitur dicens. *Beati oculi, qui vident, quae vos videtis*, ideſt qui ſic me vident quomodo vos videtis; non ſicut ſcribæ, & Phariſæi, qui videntes, non vident, & audientes non intelligunt. Verumtamen cum Apoſtolos praecipue beatos eſſe cenſemus, non nos a beatitudinis ſocietate excludimus, licet ipſum Dominum incarnatum corporaliter minime videmus. Conſolatur nos illa Domini ſententia qua dicitur. *Beati qui non viderunt, & crediderunt*. Benedicamus ergo Deo in Eccleſiis. Benedicamus Domino de fontibus Salvatoris, & Iſrael. Sed qui ſunt fontes Iſrael. Legimus in exodo populum Iſrael de Ægypto ad terram repromiſſionis proficiſcentem in loco, qui dicebatur. Ely, duodecim fontes inveniſſe; De quorum fluentibus populus omnis jucundiſſime refectus eſt. Sic nimirum verus Iſrael populus, ſed Chriſtianus quotidie tanquam de Ægypto ad terram tendit repromiſſionis, quia de hoc mundo nequam ad patriam migrare feſtinat caeleſtis vitae, & verae quietis. Habet autem Sanctos duodecim Apoſtolos, velut totidem puriſſimos aquarum fontes ab ipſo vitae fonte jugiter manantes, de quorum largiſſima & ſaluberrima doctrina ſatietur Dei populus, quaſi de limpidiſſima aqua, ne forte ſiti laborantes deficiant in via. Hos duodecim Apoſtolos ſignificabant duodecim margaritae, quas Joannes Evangeliſta vidit, ex quibus conſtabant duodecim portae Jeruſalem. Ait enim. *Singulæ portæ erant ex ſingulis margaritis*. Margaritae illae pretioſae quas beatus Joannes ſe conſpexiſſe denuntiat, ex quibus caeleſtis Jeruſalem portas perhibet eſſe conſtructas ſancti Apoſtoli ſunt. Iſti nimirum ſunt portae, & margaritae, quia dum ſignis, atque prodigiis quoſdam divini ſplendoris radios mittunt, ad ſupernae Jeruſalem gloriam converſis ad fidem gentibus aditum pandunt. Et quicumque ſalvantur per hos, quaſi per portas ad vitam viator ingreditur: quorum myſticam tenuere figuram, & lapides illi, qui tenuere figuram Moyſi, ideſt rationali ſummi Sacerdotis legum impreſſi. Rationale ſummi Sacerdotis praedicatione, & doctrina ejus, qui merito dicitur rationale, quia ſecundum rationem proferri debet, hoc rationale ſacerdos ferebat in pectore dum ingrederetur Sancta Sanctorum, quatenus quiſque ſacerdos, & Pontifex dum Sanctuarium ingreditur, ideſt dum populo conjungitur, debet ferre hoc rationale, ideſt ſua prædicatione in pectore, ut ſcilicet in pectore ſemper habeat quæcumque prædicare oporteat, & praeſertim in Sanctuario, hoc eſt in populo. Præceptum eſt ergo, ut in eo ponerent duodecim lapides, quia in doctrina Sacerdotis exempla, & documenta Apoſtolorum fieri debeant. Quia igitur fratres ſolemnitatem beati Apoſtoli hodie celebramus, debemus imitari, quod colimus, quatenus ſobrie, & juſte, & pie vivamus, ut ad apoſtolorum gaudia pervenire valeamus.

SERMO.

Dominus noſter Jeſus Chriſtus volens oſtendere quo & quanto debito totus mundus erga ſingularem Apoſtolorum reverentiam teneatur, quandam Evangelii parabolam poſuit dicens. *Simile eſt regnum Cælorum grano ſinapis, quod accepit homo, & mi-*

Digitized by Google

& miſit in hortum ſuum, & crevit, & factum eſt in arborem magnam, & volucres Cæli requieverunt in ramis ejus. Quid aliud per granum ſinapis hic intelligitur niſi Redemptor noſter qui ſignificatus eſt per granum frumenti. Granum quidem frumenti Chriſtus dicitur propter utilitatem. Granum vero ſinapis propter humilitatem abjectus. Eſt enim granum ſinapis in ſeminibus omnium minimum: igitur idem ipſe Redemptor noſter granum frumenti appellatur, quia panis vivus eſt. Granum autem ſinapis, quia mitis, & humilis corde eſt. Porro igitur in hortum miſſum eſt hoc granum; quia Dominus Jeſus in horti monumento miſſus eſt corpore. Sed crevit; & factum eſt in arborem magnam, quia reſurgens a mortuis jam non moritur, eique ultra omnem creaturam per aſcenſionis gloriam ſublimato omnis poteſtas in Caelo, & in terra datur, & volucres Caeli requieverunt in ramis ejus. Qui ſunt hujus divinae arboris rami; niſi iidem ſancti Apoſtoli, ex Chriſto, tamquam ex radice una prodeuntes, & Chriſto inſeparabiliter dudum per fidem, nunc autem per Spem cohaerentes. Siquidem ipſi in hoc loco nominantur rami hujus magnae arboris, qui in vite principaliter vere perhibentur eſſe palmites. *Ego*, inquit Dominus, *ſum vitis vera, & vos palmites.* Videamus ſane quam late tendantur hujus arboris tales rami; ait Propheta. *In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Nec mirum ſi rami iſti in omnem terram exeunt, & in fines orbis terræ procedunt; quoniam illius intellectu alii arboris rami ſunt, qui dicit, *Cælum, & terram ego impleo.* Ipſe nihilominus lapis ille eſt, qui ſecundum Danielem crevit in montem magnum, & implevit univerſum mundum, & omnem terram. Praeterea volucres Caeli requieverunt in ramis ejus; fideles ſunt animae, quae ſub inſtitutione Apoſtolorum, ſub patrociniis, & inſtitutionibus eorum humiliter vivunt. Hi quoque, hoc eſt Apoſtoli, non ſolum rami, qui in altum extenduntur, ſed etiam Caeli vocantur. De quibus dicitur. *Annunciaverunt Caeli juſtitiam ejus.* Quia ſicut de Caelo deſcendit pluvia, quæ terram fructificat, ſic & ab Apoſtolis habemus doctrinam, qua nos qui ſumus in terra, & poſt mortem in terram revertimur, fructum, ideſt bona opera facimus. Illi quoque ſunt columnae ſanctae Eccleſiae; de quibus dicitur. *Ego confirmavi columnas ejus.* Hoc tunc adimpletum eſt, quando Chriſtus per Spiritum Sanctum apoſtolos in amorem ſuum uſque adeo confirmavit, ut beatus Petrus, qui prius ad unius ancillae vocem Chriſtum negaverat, poſtmodum principibus contradicentibus ne Chriſtum prædicaret; reſpondit dicens. *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus*, & iterum. *Si juſtum eſt vos potius audire, quam Dominum, vos judicate.* Chriſtus namque fundamentum, & ſuſtentatio eſt totius Eccleſiæ. De quo dicit Apoſtolus. *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus.* Sicut ergo fundamentum columnas, & columnae ſuſtinent totam domum; ſic & Chriſtus Apoſtolos in fide, & amore ſuo conſolidavit; & apoſtoli per doctrinam, & praedicationem ſuam, nec non per ſigna, & miracula totam ſanctam Eccleſiam ideſt cunctum populum Chriſtianum ad fidem, & ad amorem Dei erexerunt, & erectum ſubſtentaverunt. Quia ergo fratres ſanctorum Apoſtolorum ſolemnitatem celebramus, ſtudeamus imitari, quod colimus; & ſicut ipſi Chriſto adhaerentes ſervire, & ejus voluntatem facere ſtuduerunt, ſic & nos ejus mandata ſervare ſtudeamus, quatenus cum illo in æternum regnare valeamus.

SERMO.

In illo tempore. Dixit Jeſus diſcipulis ſuis hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem ſicut dilexi vos.

Duo ſunt, quae nobis praecipit lex divina, ideſt declinare a malo, & facere bonum. In primo jubet, ut proximum non lædamus, in ſecundo, ut ei bene faciamus. De primo dicitur. *Quod tibi non vis alio ne feceris.* De ſecundo; *Quantumcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos eadem facite illis.* Rurſus de primo dicitur. *Quieſcite agere perverſe.* De ſecundo dicitur. *Diſcite bene facere.* Haec duo ſola dilectio adimplet. Unde Apoſtolus dicit. *Plenitudo legis eſt dilectio.* Illi namque quantum praecordialiter diligis ſummo ſtudio caveas mala facere, & pro viribus ſtudeas bona facere. Ideoque Paulus tam vigilanter ſtuduit commendare dicens. *Nemini quidquam debeatis, niſi ut invicem diligatis. Qui enim diligit proximum legem implevit.* Quoniam, qui declinat a malo proximi, & ſtudet in bono ejus. Unde Apoſtolus ait. *Non adulterabis*, ſcilicet uxorem illius, quem diligis. *Non occides*, ſcilicet illum, quem diligis; *Non furaberis*, ſcilicet rem illius, quem diligis. *Non falſum teſtimonium dices*, ſcilicet in illum quem diligis. Ecce quomodo dilectio proximi mala non operatur. Quod autem bona operatur oſtendit Paulus, cum de caritate, hoc eſt cum de dilectione loqueretur ait: *Caritas non gaudet ſuper iniquitatem, congaudet autem veritati. Omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſuſtinet.* Et ſicut odium eſt radix omnium malorum, ſic & dilectio omnium bonorum. Odium namque parit rixas, diſcordias, & impias atque mortales guerras; quæ nimirum expoliant homines omnibus bonis. Nam guerra primo aufert homini Deum, ſecundo proximum, deinde bona ſua quae propter guerram expendit; poſtmodum conſanguineos, amicos, fideles, qui de genere moriuntur. Tandem quandoque aufert ſe ipſum, qui per guerram moritur; & quod expoliat ſic hominem, quod nihil ei dimittit nihilque ei reſervat. E contrario autem dilectio parit pacem, & concordiam, quae omnia praedicta homini bona conſervat. Ideoque Dominus ait: *hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem*: Ac ſi dicat; multa jam vobis præcepi; ſed hoc principaliter vobis præcipio, videlicet ut diligatis invicem. Quoniam ſicut ex una radice arboris multi rami prodeunt, ſic ex una caritate multæ virtutes generantur: hæc eſt illa virtus, quam qui habet nihil ei obeſt; ſed qui non habet nihil ei prodeſt. Et propterea iterum Dominus ait: *hæc mando vobis, ut diligatis invicem*; & rurſum. *In hoc cognoſcent omnes quia mei eſtis diſcipuli, ſi dilectionem habueritis ad invicem.* Et quoniam latrones diligunt latrones, & fures diligunt fures, & mali malos ſe adinvicem diligunt, & ideo addidit *ſicut dilexi vos*, ideſt ut Deum habeatis, & vitam aeternam, caeleſtem beatitudinem, perennem gloriam acquiratis, & inferni poenam evadatis, & ad Paradiſi requiem perveniatis, & ſic adimpleatis illud divinum praeceptum. *Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Quod emolumentum habet homo, ſi proximus ejus ardeat in inferno, aut quid ipſe perdiderit, ſi ſecum fuerit in Paradiſo. Neque enim talis illa Paradiſi haereditas, ut propter poſſidentium multitudinem noſtrorum minuatur poſſeſſio. Diligit ergo proximum qui non vult pati malum; ſicut nec ipſum vult perdere Caelum. Primo namque debet homo diligere Deum, deinde ſeipſum, deinde proximum. Non enim dictum eſt diliges te ſicut proximum: & quia poſſet dicere Domine unde poſſum cognoſcere quod diligas nos, deinde ſubdit. *Majorem hac dilectionem nemo habet ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*; ac ſi dicat. Ego tali dilectione vos diligo, qua major non eſt, quoniam paratus ſum pro vobis animam meam ponere. Sequitur. *Vos amici eſtis ſi feceritis quæ præcipio vobis.* Quaſi dicat. In hoc apparebit quod me diligatis, ſi mea juſſa feceritis. Un-

de alibi dicit. *Si quis diligit me ſermonem meum ſervabit*, *Probatio* ergo *dilectionis*, *exhibitio eſt operis*. Unde ſequitur. *Jam non dicam vos ſervos*, *ſed amicos meos*. Cujus vocabuli manifeſta ratio redditur, uti dicit doctor egregius. Quoniam non dedit nobis ſpiritum timoris, ſed ſpiritum virtutis, & dilectionis. Timere autem ſervorum eſt, amicorum vero diligere. Itaque ſpiritus timoris facit ſervos; ſpiritus dilectionis, qui in Apoſtolis fuit facit amicos. Jam enim debeant timore poenarum more Judaico Deo ſervire; tamquam filii gratiae ſpe caeleſtium praemiorum, ipſarumque amore virtutum, Dei voluntatem in omnibus didicerant cuſtodire. Amicus autem Dei eſt, qui divinae voluntatis veraciter cuſtos eſt. Quod autem poſtquam dixit eis, etiam amicos addidit. *Quia omnia quaecumque audivi a Patre meo nota feci vobis*. Hic *audivit* praeteritum ponitur pro audiet futurum. Et quod dixit feci, intelligendum eſt faciam, ſicut Propheta ait *Foderunt manus meas*, & *pedes meos*. Non enim adhuc fecerat, quod poſtea dixerat. *Multa habeo vobis dicere*, *ſed non poteſtis portare modo*. Sed prae nimia certitudine dicit ſe feciſſe, quod ſcit ſe facturum in reſurrectione utique generali. Nunc enim ut ait Apoſtolus. *Videmus nunc per ſpeculum & in enigmate*, *tunc autem facie ad faciem*, ideſt poſt reſurrectionem ubi plene beati erunt omnes electi, tam in anima, quam in corpore. Et haec gloria non ex Apoſtolis eſt, ſed ex Deo. Et hoc eſt quod ſubdit. *Non vos me elegiſtis*, *ſed ego elegi vos*, ideſt ad gratiam plantavi vos, ideſt miſericordia praeveni vos, cum eſſetis mali, inſpiravi fidem, & poſui, ut gratia eatis per meam viam volendo, & fructum afferatis operando, & fructus veſter maneat, ideſt caritas, quae eſt fructus veſter, qui eſt in deſiderio, & non in ſaturitate. Et ipſo deſiderio, quodcumque petieritis in nomine Jeſu dabit vobis. Diligamus ergo nos invicem fratres, quia caritas ex Deo eſt, & qui diligit fratrem ſuum ex Deo eſt, & videt Deum, & regnabit cum Deo, & ſanctis ejus, quod nobis concedat qui vivit.

S E R M O.

Pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus &c.

Triplici modo Fratres ante adventum Chriſti laborabat genus humanum videlicet principio, medio, & fine, ideſt nativitate, vita, & morte. Nativitas namque erat immunda, vita perverſa, mors periculoſa, unde ſcriptum eſt. *Mors peccatorum peſſima eſt*, quia aeternae damnationi obnoxia. Venit ergo Chriſtus, & contra triplicem hunc morbum, triplex attulit remedium. Natus enim eſt, vixit, obiit: ejus nativitas purgavit noſtram: vita ſua docuit nos juſte timere: ipſius mors contulit nobis vitam. Et ſicut mors peccatorum dicitur *peſſima*, ſic ex adverſo Sanctorum dicitur *pretioſa*. *Pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus*: facit aliquando vita, aliquando cauſa, aliquando vita ſimul, & cauſa. In confeſſoribus, qui in Domino moriuntur facit mortem pretioſam vita. In Martyribus qui pro Domino moriuntur facit mortem pretioſam ſola cauſa: aliquando cum cauſa pariter & vita. Et illa quidem mors pretioſa eſt, quam commendat vita, pretioſior autem quam facit cauſa, pretioſiſſima vero quam prævenit ſimul vita cum cauſa. Ubi notandum eſt quia cum dixit pretioſam eſſe mortem Sanctorum, addidit, & ſi in conſpectu hominum ſit vilis, & abjecta; in conſpectu tamen Dei eſt pretioſa. Unde in finem mundi, in extremo videlicet examine reprobi de Sanctis dicturi ſunt. *Hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum*, & *in ſimilitudinem improperii*: *Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam*, & *finem illorum ſine honore*. *Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei*, & *inter Sanctos ſors illorum eſt*. Qua de re patet lucidius quod ſanctorum vita bona eſt, quia eorum finis bonus eſt. Unde quidam Sapiens ait; *Cujus finis bonus eſt*, *ipſum quoque bonum eſt*. Imitemur ergo Sanctos Martyres in bono opere, ut ab ipſis recipi mereamur in aeterna Beatitudine. Ipſo auxiliante, qui cum patre, & Spiritu Sancto &c.

S E R M O.

Juſtorum autem animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum malitiæ. Viſi ſunt oculis inſipientium mori, illi autem ſunt in pace.

Omnipotens ſempiternus Deus, cum primum hominem crearet duo dedit ei; ſpiritum videlicet, & corpus, ut Spiritus ſubderetur Deo; & corpus ſpiritui, & ſic totus homo ſubderetur Deo, poteſtatem vero animae ſibi retinuit, corporis hominibus dimiſit. Unde ipſe ait. *Nolite timere eos qui corpus occidunt*, *animam autem non poſſunt occidere*, *ſed potius timete eum*, *qui poteſt animam & corpus mittere in gehennam*. Et ideo competenter dicit Scriptura. *Juſtorum animæ in manu Dei ſunt*, ideſt in poteſtate Dei ſunt. Tamquam dicat; & ſi corpora Sanctorum ſunt in poteſtate hominum, ſicut corpora iſtorum, quorum hodie ſolemnitatem colimus fuerunt in poteſtate ſuorum perſecutorum, eorum ſiquidem, qui eos multis & gravibus tormentis affecerunt. Unde ſcriptum eſt. *Terra data eſt in manus peccatorum*, quia caro hominis, quae de luto terrae formata eſt in poteſtate datur ipſorum, quidquid de corporibus fiat. Animae tamen juſtorum in ſola tantum manu Dei ſunt. Unde ſequitur. *& non tanget illos tormentum malitiæ*. Tormentum malitiae cruciatus eſt inferni, quia ideo dicitur malitiae, quia ſolum malis, & pro ſola malitia datur peccatoribus. *Viſi ſunt oculis inſipientium mori*, *illi autem ſunt in pace*, quia aeternaliter vivere incipiunt: ideoque Sanctorum ſolemnitates in die mortis eorum celebramus, quia cum mundo moriuntur, Deo vivere incipiunt. Et idcirco dies mortis eorum natale vocatur, quia animae naſcuntur in caelo, cum deficiunt mundo. Sicut per Pſalmiſtam dicitur. *Cum dederit dilectis ſuis ſomnum*, *hæc eſt*, *hæreditas Domini*. Ac ſi aperte dicat. Sancti Dei cum ſomno mortis rapiuntur, tunc caeli haereditatem adipiſcuntur. *Et æſtimata eſt afflictio exitus eorum*. Quaſi dicat. Exitus Sanctorum de hac vita ab inſipientibus aeſtimata eſt afflictio, illi autem caeleſtem conſolationem, & perenne refrigerium aequirunt. Nam ſicut Chriſtus ſexta feria paſſus eſt, ſabato in ſepulcro quievit, die Dominico reſurrexit, ſic & Sancti eum ſicut membra caput imitantes in vita iſta, quæ eſt quaſi ſexta feria, quia in ſexta aetate mundi crucifiguntur, paſſiones, & tormenta patiuntur, Sabbato vero, ideſt finita ſexta feria, hoc eſt praeſens vita quieſcunt in ſepulcro corpora, animae vero in caeleſti beatitudine. In reſurrectione autem corporis paſchalis eis oritur dies, quia nullo fine concluditur, ſed jucunditate perpetuae letitiae perfruetur. Et quod a nobis 6. ſeparantur, oculis inſipientium videntur iter exterminii. Exterminium eſt, quando aliquis extra terminum ſuae patriae ejicitur, & in exilium mittitur. Et tale videtur ſtultis, cum ſancti Dei de hac vita recedunt. Sed quid ſequitur. *Illi autem ſunt in pace*. Ac ſi dicat. Non timebo amodo bella, & certamina, paſſiones, & tormenta perſecutorum. *Et ſi coram hominibus tormenta paſſi ſunt*, unde & hominibus mori putabuntur; ſpes tamen illorum immortalitate plena eſt, ideſt ſemper vivere, & immortales fieri ſperant. In paucis videlicet diebus, vel temporibus vexati a perſecutoribus, in multis videlicet diebus, vel temporibus bene diſponentur, quia ſemper aeternaliter bene diſponentur, ideſt quieſcent, & gaudebunt, quoniam tentavit illos Deus, & invenit illos dignos ſe. Tentatio duobus modis fit, ſcilicet pro deceptione, & probatione. Pro deceptione. Unde dicitur. *Deus neminem tentat*, ideſt neminem decipit, neminem fallit, Accipitur pro

pro-

Digitized by Google

probatione. Unde dicitur. *Tentavit Deus Abraham*. Sic & hic dicitur. *Deus tentavit illos*, ideſt invenit illos, & probatos minime oſtendit. Unde ſubditur, *Et invenit illos dignos ſe*. Quod autem ſequitur, idem ſignificare videtur. *Tanquam aurum in fornace probavit illos*. Scriptum eſt quippe. *Vaſa figuli probat Fornax, & homines juſtos tentatio probationis vel tribulationis*. Et quidem per multa tormenta hujus mundi reſtat ſanctis gloria Paradiſi. Sicut ſcriptum eſt. *Per multas tribulationes, & anguſtias oportet nos introire in regnum Cælorum*. Ideo convenienter ſubditur. *Et quaſi holocauſta Hoſtia accepit eos*, ideſt ſicut holocauſta, & Hoſtiae accipiuntur a Deo ſuper Altare, ſic & illorum ſanctorum animae in aeterna beatitudine: *fulgebunt juſti*; hoc concordat cum eo, quod alibi dicitur. *Fulgebunt juſti ſicut ſol in conſpectu Dei*. Quod autem ſequitur. *Et tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent*. Sic videtur debere intelligi, ut per arundinetum vita intelligatur carnalium. Sicut arundo exterius eſt decora, interius eſt vacua; ſic & carnales homines exterius in cultu veſtium, in nitore cutis, in ſapore ciborum nitidi apparent, interius autem caritatis, & aliarum virtutum fructu inveniuntur vacui. Sicut ergo cum arundinetum comburitur, ignis ſcintillae diſcurrunt, & tam prope, quam longe poſitas arundines velociter incedunt, ſic & futuri Judicii ignis malos homines conſumit. Et quoniam hoc judicium in brevi fiet, ſicut ſcriptum eſt. *Cum exarſerit in brevi ira ejus*, ideo poſitum ſuit diſcurrent. Nam qui currit cito vadit. Et quia boni judicabunt malos, ſicut per Prophetam dicitur. *Nonne autem judicabimus*. Idcirco dicimus. *Quod juſti, tunc diſcurrent ſicut ſcintillæ in arundineto*. Unde ſubditur. *Judicabunt nationes in futuro*, quia per illos judicabit Deus. & dominabuntur populis, quia nullus reſiſtet eis, & regnabit Dominus illorum in perpetuum. Unde ab Angelo Mariae de Chriſto dicitur. *Et regni ejus non erit finis*. Quia igitur fratres ſanctorum martyrum ſolemnia celebramus, debemus imitari quod colimus, ut videlicet pro Chriſto adverſa patienter toleremus. Sic enim Apoſtolus ait. *Si compatimur, & conregnabimus. Si ſocii fuerimus paſſionum, erimus & conſolationum*. Adſociemur ergo fratres ſanctis martyribus pro Chriſto, cum opus eſt tolerando adverſa, ut ad eorum feliciter pervenire valeamus gaudia ſempiterna, ad quae perducat nos ille, qui vivit.

SERMO.

In illo tempore. Dixit Jeſus diſcipulis ſuis. Niſi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit ipſum ſolum manet. Si autem mortuum fuerit multum fructum affert. Sanctum, ac pium eſt recolere quanta nobis mors Chriſti contulit beneficia. Facta eſt nobis conſolatio noſtrae mortis; remedium mortis aeternae, forma & exemplum praeſentis vitae, cauſa & effectus cæleſtis gratiae. Attulit enim nobis filius Dei gratiam Dei, abſtulit iram Dei; bibit mortem, ne mors biberet hominem. Communicavit nobiſcum, ſicut ſcriptum eſt, iram Deus, ut nos communicaremus cum eo gratiam Dei. Chriſtus ſuſcepit a nobis iram Dei, & reddidit nobis gratiam Dei. Ira Dei fuit mors temporalis, eſuries, & ſitis, & omne quod homini Deus propter peccatum reddidit; ut ad circa nos charitate impenſi,
(ſic) ſive caritatis nobis praebet exemplum, ut ſolveret reatum noſtrum, auferret opprobrium noſtrum. Tales fructus edidit nobis mors Chriſti, per quam *pretioſa facta eſt in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus*. Vilis enim fuit admodum pretii mors noſtra ante mortem Chriſti, quia etiam electi ad infernum deſcendebant, & ideo juſtos amaverat; quia licet in requie eſſent poſiti, tamen in tenebrarum caligine nulla divinae viſionis dulcedine perfruuntur. Per mortem ergo Chriſti ſolatium, ut dictum eſt accepimus, quia jam non in inferno, ſed in Cælo collocamur. Merito itaque Chriſtus aſcendens ad paſſionem, & mortem ait. *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet*. Chriſtus eſt frumentum, quia ex frumento panis conficitur, & corpus ejus in ſpecie panis quotidie ſumimus. Ipſe quoque panis eſt, qui de Caelo deſcendit, qui & angelos paſcit per ſpiritum, ut de ipſo ſatientur in patria, & nos paſcit in fide, ut non deficiamus in via. Et qui eſt angelorum eſca, factus eſt nobis medicina. Si ergo ſicut diximus Chriſtus eſt frumentum, granum frumenti eſt praedicationis verbum Chriſti. Terra vero fidelis anima. In hac ergo terra cadens granum frumenti, ideſt verbum praedicationis in humanam animam deſcendens, niſi fuerit mortuum, ideſt Dominicae mortis memoriam & imitationem contulerit, ut ipſa ſalubriter, ut ita dicam, vitaliter mortificet carnis deſideria, ideſt vitiorum nocentia in homine interficiat, ipſum ſolum, ideſt ipſum ſolum verbum Dei in ſui ſolius virtute manebit & dignitate, abſque profectu, & utilitate animae. Si autem mortuum fuerit, ideſt praedicta fecerit, multum fructum affert, ideſt non ſolum tollit radices vitiorum, ſed etiam gramina profert virtutum, & morum. Quod autem dicitur. *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit*. Tripliciter intelligi poteſt. Nempe ſecundum allegoriam, ſecundum moralitatem, ſecundum literam. Si granum in area reſervatur, & ſemen in terra mortuum non fuerit, ipſum ſolum manet. Si autem mortuum fuerit, ideſt putrivit multum fructum affert, quia unum ſeminatur, ſed multa metuntur. Secundum allegoriam Chriſtus, qui per granum frumenti intelligitur, niſi per paſſionem cecidiſſet, & mortuus non fuiſſet, ipſe ſolus, ideſt abſque genere humano in ſuae majeſtatis potentia cum Angelis remanſiſſet. Quia vero mortuus eſt, multum fructum attulit; quia totum genus humanum redemit, & redimendo ad ſe traxit. Mors enim Chriſti ſufficiens medicina fuit, & redemptio totius generis humani. Moraliter vero, ſicut ſupra diximus expoſitum eſt. Sequitur. *Qui amat animam ſuam perdet eam, & qui odit animam ſuam in hoc mundo in vitam æternam cuſtodit eam*. Anima pro vita accipitur, ut eſt illud. *Nonne anima plus eſt quam eſca, & corpus plusquam veſtimentum*. Qui vero amat animam ſuam, ideſt vitam ſuam, perdet pro Chriſto, quia ſi neceſſe fuerit pro Chriſto morietur, vel ſic. *Qui amat animam ſuam* ideſt vitam ſuam, carnali ſiquidem amore, perdet eam videlicet in futuro. *Et qui odit animam ſuam in hoc mundo*, ſi opus eſt indubitanter eam pro Chriſto dimittat; *in vitam aeternam cuſtodit eam*; vel ſic: *Qui odit animam ſuam in hoc mundo*, ideſt in mundanis carnalibus, *in vitam aeternam cuſtodit eam*. Sequitur: *Qui mihi miniſtrat me ſequatur*. Miniſtrare proprie temporaliter ſervire eſt. Unde reſuſcitato Lazaro ſorores ejus, ſicut dicitur in Evangelio Domino cenam fecerunt, & Martha miniſtrabat. Quid autem eſt mihi miniſtrabat, niſi huc, illucque diſcurrens, quae neceſſaria ſunt, utpote cibum, & potum praeparabat; alia quoque vice cum ſimilia faceret, & a ſorore non adjuvaretur conqueſta eſt Domino dicens. *Domine non eſt tibi curæ, quod ſoror mea reliquit me ſola miniſtrare*. Dicitur itaque. *Qui mihi miniſtrat*, ideſt temporaliter ſervit, vel eleemoſynam faciendo, vel alia pia, vel bona opera fideliter agendo, *Me ſequatur* non utique inceſſu pedum, ſed morum maturitate, & gravitate vitae, obſervatione quoque mandatorum Dei. Et ſic ſequi eſt imitari. Unde per Apoſtolum dicitur. *Imitatores Dei eſtote ſicut filii cariſſimi*. & Joannes. *Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet, ſicut ipſe ambulavit, & ipſe ambulare*. Si quis ergo, ſicut diximus Deo miniſtraverit, hoc eſt in mundo iſto bene operando uſque ad finem ſuae vitae ſervierit, honorificabit eum pater conferendo ei bonum, *quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quod præparavit Deus diligentibus ſe*, ad quam nos perducat. SER-

Digitized by Google

SERMO.

Juſti autem in perpetuum vivent, & apud Dominum eſt merces eorum. Et cogitatio eorum apud Altiſſimum. Omnipotens Deus creans primum hominem, duo bona ſibi contulit, unum ſpirituale, & alterum corporale, unum inviſibile, & alterum viſibile, unum tranſitorium, & aliud aeternum, unum ad neceſſitatem corporis, & aliud ad felicitatem animae. Similiter dedit ei duas vitas, unam praeſentem, aliam futuram, unam temporalem, aliam aeternam, primam dedit ad juſtificationem, ſecundam ad glorificationem. Primam ut in ea homo bene operaretur. Secundam ut de bono opere remuneraretur. Prima eſt hominum, & beſtiarum. Secunda hominum, & Angelorum. Prima bonorum & malorum, ſecunda bonorum. Unde ſcriptum eſt: *Juſti autem in perpetuum vivent.* Ac ſi dicat: Et ſi graviter pati, & temporaliter mori videantur, tamen vivunt, & hoc non ad tempos, ſed in perpetuum, quia pro juſtitia, quam tenuerunt, datur eis gloria, quam ſemper amaverunt; pro veritate, quam non impugnaverunt, datur eis beatitudo, quam optaverunt? & a quo dabitur? utique a Domino. Et quare. *Quia apud Dominum eſt merces eorum.* Ipſe eſt glorificatio & beatitudo ſanctorum. Et ſi volumus juſtificari debemus ire per ipſum, ſi autem beatificari, debemus ire ad ipſum. Ipſe eſt namque via, veritas, & vita. Via qua eatur, veritas ad quam, vita in qua maneatur. Via ſine labore, veritas ſine errore, vita ſiquidem ſine morte. *In me*, ait Dominus, *itur, per me itur, ad me itur.* Itur in mea inſtitutione; itur per meam gratiam; itur ad meam beatitudinem; hoc in mea inſtitutione, quam ego facio, per meam gratiam quam praeſto, ad meam beatitudinem, quam naturaliter & ſubſtantialiter habeo. Si ergo Deus naturaliter habet beatitudinem, & beatitudo Dei eſt praemium juſtorum, merito dicitur de juſtis: *Et apud Dominum eſt merces eorum.* Sequitur: *Et cogitatio eorum apud Altiſſimum.* Cogitatio juſtorum dicitur eſſe apud Deum, quia ipſa apud Deum non latet. Sicut ſcriptum eſt: *Tu ſolus noſti corda filiorum hominum*; & iterum: *Dominus novit cogitationes hominum*; & rurſum: *Scrutans corda, & renes Deus.* In cordibus intelliguntur voluntates, in renibus cogitationes, harum videlicet voluntatum, & cogitationum aliae ſunt bonae, aliae ſunt malae. Bonarum radix eſt caritas, ideſt amor Dei & proximi. Malorum radix eſt cupiditas, ideſt amor mundi. Iſtae quippe ſunt quaſi duae monetae. Nam cupiditate cum diabolo, caritate cum Angelis facimus commercium. Quid vendunt nobis Angeli, gratiam ſuam, & cuſtodiam, quo pretio emimus caritatem. Haec S. caritas ſi minus eſt attollendo laudibus, hanc exigit a nobis Chriſtus; ſicut venditor ab emptore, ſicut creditor a debitore. Vendit nobis regnum caeleſte pretio caritatis; ſi aliud ferimus pretium confuſi reddimur. Creditor noſter eſt, credidit nobis pretium ſui ſanguinis pro quo ſibi debemus caritatem. Ideoque tam praecipue & ſingulariter praecepit nobis caritatem dicens: *Hoc eſt praeceptum meum, ut diligatis invicem*; & iterum: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem.* Hoc praecepto fratres concluduntur non ſolum divites, ſed & pauperes, non ſolum ſani, ſed etiam infirmi, non ſolum ſapientes, ſed & inſipientes, non ſolum liberi, ſed & ſervi. Nam ſi quis dixerit infirmus ſum, & ideo non poſſum jejunare, numquid poteſt dicere non poſſum Deum amare. Si quis dixerit quoniam pauper ſum, non poſſum eleemoſinam facere, numquid poteſt dicere non poſſum Deum diligere. Hanc virtutem habentibus, omnia cooperantur in bonum, dicente Apoſtolo: *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, ideſt proſpera & adverſa. Proſpera dantur ad meliorationem bonae vitae, adverſa vero ad emendationem malae. Ideo ſemper Deum laudare debemus, ut caritas ſit ubi non eſt, & ut creſcat, ubi parva eſt, ut firmetur, & conſolidetur ubi magna eſt. Quatenus per Dei verum amorem pervenire valeamus ad eum, quem diligimus, Dominum videlicet Jeſum Chriſtum.

SERMO.

Fidelis ſervus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, ut det illis cibum in tempore. Nota quod alii ſunt prudentes, alii neque prudentes, neque fideles; alii prudentes & non fideles; alii fideles & non prudentes. Qui ſunt prudentes & fideles, ſunt utique laudandi. Qui neque prudentes, neque fideles ſunt vituperandi. Qui ſunt fideles, & non prudentes ſunt adjuvandi. Qui ſunt prudentes, & non fideles ſunt reprehendendi. Fidelis quidem quaeritur propter Deum, ut timeat Deum. Prudens propter homines, ut populum Dei ſapienter gubernet; fidelis quidem quaeritur ut faciat pluſquam dicat; prudens autem ut pluſquam ſecerit dicat, & dicat intelligens, cui & qualis doctrina conveniat, & quomodo. Item fidelis quaeritur ut memor ſit pauperum, ſicut Paulus. Prudens autem ut intelligat cui, & quando debeat diſpenſare. Et hoc eſt quod dicit. Dare cibos in tempore, & ſpirituales, & corporales. Spirituales quidem animabus, corporales vero corporibus. Quoniam non ſolum in Eccleſia ſunt pauperes in corporalibus rebus, ſed & in ſpiritualibus multo pauperiores. *ut det illis cibum in tempore*, ideſt in tempore opportuno. Hoc eſt intelligendum tempus opportunum, de quo Salomon ait: *Doctrina, & flagella in omni tempore*, & propterea *tempore accepto exaudivi te, & in die ſalutis adjuvi te.* Aut ita in tempore opportuno in perſecutione inſtantius de veritate fidei doceamus quam de juſtitia converſationis. In pace magis aſſidue de juſtitia converſationis, quam de veritate fidei. Tempore perſecutionis præcipue doctrina ſacerdotis neceſſaria eſt, quaſi ſpirituales milites ſpiritualem annonam praebentes; quando autem ſerenitas eſt unicuique naturalis ſufficit intellectus. Ideoque ſecundum alium Evangeliſtam dicit. *Ut det illis in tempore tritici menſuram.* Triticum verbum Dei eſt. Sicut enim triticum eſt cibus corporis, ſic & verbum Dei eſt cibus animae. Unde & verbum Dei grano comparatur: dicente Domino. *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit ipſum ſolum manet.* Et quemadmodum triticum prius conteritur inter duas molas, ſuperiorem videlicet, & inferiorem, deinde aqua conglutinatur, poſtmodum igne coquitur; ſic & verbum Dei coquitur inter duas molas, ideſt inter mentem, & linguam. Inferior mola mens eſt, quae fixa manet. Superior lingua, quæ frequenter volvitur. Inter has ergo molas triticum molitur, cum jugiter lectione, & meditatione Dei ſubtiliter examinatur. Et ſic ſuperior mola farinam, quam molit proicit foras, ſic & lingua, quae mente concipitur foras in audientium auribus loquendo profert. Vas qui farinam projectam recipit mens auditoris, quae verbum prolatum ſuſcipit. Deinde ut panis fiat adhibenda eſt aqua, ideſt intelligentia, quia niſi mens auditoris verbum prolatum intellexerit, exinde nullatenus reficitur. Tandem apponi debet ignis caritatis, qui bonum quod intelligit in opus convertit, non quidem momentaneum, ſed ſolidum, & firmum. Sicut ignis panem ſolidat, & confirmat hunc cibum: *fidelis ſervus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam*, ideſt ſuper Eccleſiam ſuam, debet dare populo Dei ad menſuram; ſicut enim ait: *ut det illis cibum in tempore tritici menſuram*, ut modicum intelligentibus modice Apoſtoli amphora loquatur. Simplices de cibo paſcat hiſtoriae, prudentes vero de pane reficiat allegoriae. De hoc paſtu loquitur Apoſtolus Petrus in epiſtola ſua, cum ait. *Paſcite qui eſt in vobis gregem Dei, providentes non coacte, ſed ſpontanee per Deum: neque turpis lucri*

gra-

Digitized by Google

gratia, neque dominantes in clero, ſed ſecundum formam facti gregis. Quinque ſunt, quae jubentur, primo ut gregem Dei paſcamus; cum ait: *paſcite*; ſecundo, ut cum prudentia hoc faciamus cum ſubdit: *providentes*; tertio ut propter Deum cum ſubjecit: *non coacte, ſed ſpontanee ſecundum Deum*; quarto ut non pro terreno commodo cum addit: *non turpis lucri gratia*; quinto ut non ambitione dominandi, cum ſubjungit: *non dominantes in clero*. Cum igitur ſicut diximus quinque ſunt quae jubentur, ad ſingula diligentius accingamur. Primo videndum eſt de quo paſtu agat, cum ait: *paſcite*. Nam cum certum ſit geminam eſſe naturae noſtrae ſubſtantiam Domino dicente. *Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni veritate qua procedit ex ore Dei*. Qui de terra eſt, terreno alitur cibo, anima vero Dei verbo. Quia ergo ut ait Propheta: *parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis*. & Dominus, *Meſſis quidem multa, operarii autem pauci*, ſpiritualem animabus ſubditorum jubentur cibum ſacerdotes miniſtrare. Sicut enim Dominus Petro totius gregis curam praecepit habere, ita & Petrus ſequentibus Eccleſiae ſacerdotibus jure mandat, ut gregis quiſque ſpirituali gubernatione tutor exiſtat. Unde ait. *Paſcite* inquit *qui in vobis eſt gregem Dei*, ideſt qui noſtrae curae ſubmiſſi ſunt. Sed cur tertio dicitur *paſce oves meas*, niſi quia debent ſacerdotes vita, doctrina, & oratione ſubditos paſcere. Sed quia tertio dictum eſt Petro, propter ſacramentum Trinitatis dictum eſt; ut omnia referamus ad unitatem Divinitatis, & ſupernae caritatis, ſemel dicit nobis Petrus. *Paſcite* inquit *qui in vobis eſt gregem Dei*. Quoniam vero ſunt quidam, qui verbo Dei ſubditos paſcunt, vitia tamen eorum, & peccata cognita, aut negligenter, aut nunquam evellunt. Ideo ſubdit, *providentes*, providentes primum praeterita recordare, praeſentia ordinare, omnia futura mala praecavere, & bona providere. Sed quia ſunt quidam qui paſcunt, & provident, non tamen ſincere, quia propter temporalia, ſubjungit, *non coacte, ſed ſpontanee ſecundum Deum*, ideſt nolite miſſas celebrare &c. quae ad ſacerdotium, vel officium pertinent, vel exercere propter inopiam temporalium rerum, ut de officio divino vivere poſſitis, ſed ſpontanee ſecundum Deum, hoc eſt tantum intuitu ſupernae mercedis. Primum ergo per fidem, *quae eſt ſubſtantia rerum ſperandarum*, quaerite regnum Dei, & omnia neceſſaria tamquam illius ſubſtantiae adjectiva adjicientur vobis. Sed ſunt quidam, qui non propter inopiam cum ſint divites, ſed propter augendam rerum ſuarum copiam miniſtrare non timent. De quibus per Prophetam. *Prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum*: hoc non eſt ex matre iniquitatis, ſed ex abundantia iniquitatis, ſeu cupiditatis. Hi tantae rei ſacramentum convertunt in terrenae negotiationis mercimonium, ut dum aliis forte proſunt, ſe ipſos ſpiritualiter occidunt. Ut excludatur, ſubdit. *Non turpis lucri gratia*, hoc eſt nullus quaeſtus vos impellat ad divinum officium celebrandum, quia opera religionis debent eſſe voluntaria, atque devota. Sicut in conſtructione tabernaculi, qui praeſentem ſignificat eccleſiae conſtructionem, omnis multitudo filiorum Iſrael mente voluntaria, atque devota primitias Domino obtulerunt ad faciendum opus Tabernaculi, & ipſi artifices ſe ſponte obtulerunt. Unde in Pſalmo. *Voluntarie ſacrificabo tibi*; Quia propter te, non propter aliud: qui propter aliud offert, ſi illud haberet non offerret. Denique ſunt plures qui aliis praeſunt, & dominantur, ſacrorum ordinum uſurpant dignitatem, ſolam quaerentes primam excellentiam, & dilatare ſui nominis famam, quam removet Petrus, cum ſubdit. *Non dominantes in cleris*. Nam qui talis eſt non accipit ſibi panem vitae in vita, ſed ſicut ait beatus Job. *Panis ejus vertetur in fel aſpidum intrinſecus*, ideſt delectatio ſuperba, atque mortifera, quae temporaliter bonum ſapit, *ſed vertetur ea in fel aſpidum*, ut ſicut de felle aſpidum, ſic de illo pane moriatur. Non quia panis ille malus ſit, ſed quia ille male utitur, & tanquam Idololatra cultum Dei attribuit creaturae. Unde comminatur ei Propheta. *Peccatum* inquit, *Juda ſcriptum eſt, ſtylo ferreo in ungue adamantino*, ideſt forti ſervatur ſententia in fine. Judas namque qui interpretatur confeſſor malos ſacerdotes ſignificat, quorum officium eſt die, ac nocte confiteri, ideſt laudare Deum. De qua confeſſione Dominus ait: *Confitebor tibi Domine pater Caeli, & terrae*, & Pſalmus *Confitemini Domino quoniam bonus*. Stylus ferreus pungit, gravis quoque eſt, & durus. Unguis quoque finis eſt corporis; Adamans lapis eſt duriſſimus, qui nec & ferro poteſt ſecari. Peccatum videlicet itaque, ideſt malorum ſacerdotum ſcribitur ſtylo ferreo, ideſt gravi, & dura ſententia, & tali quae fortiter pungat. Et hoc in ungue, ideſt in fine hujus vitae, ſive mundi. Ungue dico adamantino, & indelebiliter. Paſcamus itaque fratres gregem Dei, qui in nobis eſt, ideſt qui noſtrae curae ſubmiſſus eſt, & hoc ſecundum Deum, ideſt pro amore Dei, & non lucri, vel mundi; quatenus ab eo paſci, & refici in aeterna beatitudine mereamur.

SERMO.

In illo tempore. Dixit Jeſus diſcipulis ſuis. Sint lumbi veſtri praecincti, & lucernae ardentes in manibus veſtris, & vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum quando revertatur a nuptiis, ut cum venerit & pulſaverit, confeſtim aperiant ei.

Quia Redemptor noſter fratres cariſſimi, utpote ſpecioſus forma prae filiis hominum, ſpecioſos vicarios, ideſt ſacerdotes in ſua perſona miniſtrantes habere voluit; ideo paterna pietate nos inſtruit qua ratione quae ſurſum ſunt ſapiamus, non quae ſuper terram diligamus dicens. *Sint lumbi veſtri praecincti*: Cum ergo ita ſint, qui ſpiritualiter jubentur, ideſt lumbos praecingere, & lucernas ardentes habere, ſponſum a nuptiis reverſurum expectare; evidentius unumquodque proſequamur. Patet ergo luce clarius, cum lumbi alii ſunt carnales, alii ſpirituales. Ac per hoc alii ſunt boni, alii ſunt mali. De carnalibus ait Apoſtolus. *Si ſecundum carnem vixeritis moriemini*. De ſpiritualibus. *Si autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis vivetis*. Quatuor ſunt carnales, & quatuor ſunt ſpirituales. Carnales ſuggeſtio peccati, & delectatio peccati. Hos lumbos primus homo habuit; ſed non praecinxit, a ſua rectitudine corruit. Nam ſerpens ſuaſit, Eva delectata eſt, Adam conſentit, deinde culpam per audaciam confiteri noluit. Videns Dominus Decanos, presbyteros, & Clericos ſanctae eccleſiae fluxu horum vitiorum in quaelibet vitia poſſe prolabi ait. *Sint lumbi veſtri praecincti*. Eos autem, quia in his jam quatuor ſunt lapſi, deplorat beatus Job dicens. *Quare non in vulva mortuus ſum, egreſſus ex utero, cur non ſtatim perii. Cur exceptus genibus, cur lactatus ſum uberibus*. hi ſiquidem lumbi, & ſi carnales ſunt, quia ex carne ſurgunt, tamen latenter in corde fiunt, & patenter in opere perpetrantur: in utero, ideſt in corde peccatum moreretur, ſi ſuggeſtionem ipſam ſacerdos mortificaret; & foras per delectationem egreditur, poſt egreſſionem vero exceptum eſt genibus, quia per conſenſum ſubjectis ſenſibus conſummatur. Deinde peccatum uberibus lactandum argumenta falſae fiduciae ſubſecuntur. Similiter in opere adhuc peccatum eſt, dum actualiter peccat in occulto; tunc ex occulto exiit cum peccatum aperte committitur. Genibus excipitur, cum proxima conſuetudo roboratur. Lactatur uberibus, dum falſa ſpe divinae miſericordiae lactata aperta ſe paſcit deſperatione. Sed etiam Jeremias Propheta Animam ſacerdotis his lumbis ſordidatam miſerabiliter plangit. *Sordes* inquit *ejus in pedibus, nec recordata eſt finis ſui. Depoſita eſt vehemen-*

Digitized by Google

hementer non habens conſolatorem. Sordes ejus, inquit, in pedibus geſtat, qui affectibus ſuis mala ſupradicta excutere vere ceſſat. Unde Apoſtolis. *Excutite pulverem de pedibus veſtris*. & Dominus lavit pedes diſcipulorum ſuorum, & nos invicem lavare juſſit, ut calceati pedes in praeparatione evangelii pacis. Non recordabitur ſui, ideſt futuri Judicii. Deponitur vehementer in conſpectu Dei, licet non in conſpectu hominum, non habens conſolatorem, Spiritum Sanctum videlicet. Hos quatuor lumbos praecingunt quatuor cinctoria: memoria mortis convertit ſuggeſtionem peccati; pudicitia perſtringit delectationem peccati; juſtitia extinguit conſenſum peccati; confeſſio quoque peccati penitus aufert. De confeſſione peccati his quatuor cinctoriis praefati lumbi reſtringuntur. Et ideo bene dicitur. *Sint lumbi veſtri praecincti*. Sunt alii lumbi quatuor principales virtutes; prudentia, fortitudo, juſtitia, temperantia. Hos lumbos non jubemur praecingere; ſed ut ait Apoſtolus: *in anteriora ſemper extendere*. Quos ut
(fo) extendat, ſtudeat ſacerdos religioſus per prudentiam omnia bona, & mala examinare, ut a falſis prolabi nulla credulitate poſſe a nullo fallatur, neminem fallat; per fortitudinem, nec mortem appetat pro Deo ut temerarius, nec formidet ut trepidus, vel timidus; per temperantiam concupiſcentiae fraenum opponat, & omnia noxia blandimenta reiciat, nec ſit ei paupertas immunda, nec parſimonia ſordida ſimplicitas neglecta, nec lenitas languida, ſed omnia propter peccatum ſint ei tolerabilia, per juſtitiam nulli noceat, omnibus prodeſſe ſtudeat, Deo, & proximo, & ſibi, quod ſuum eſt reddat. Hae quatuor virtutes, ideſt prudentia, fortitudo, juſtitia, & temperantia ideo ſpirituales lumbi vocantur, quoniam ſicut ex lumbis filii prodeunt, ſic ex illis quatuor virtutibus ſpirituales fructus procedunt. Hos nimirum lumbos non praecingere, ſed extendere debemus. Vultis ſcire quomodo debeatis hos quatuor lumbos mentis extendere, ut poſſitis, ut ait Apoſtolus *comprehendere cum omnibus Sanctis, quae ſit latitudo, longitudo, ſublimitas, & profundum*. Eſt enim longitudo caritatis perſeverantia uſque in finem; unde cum Chriſtus *dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo in finem dilexit eos*: hoc ſignificat per longitudinem crucis a ſurſum, uſque deorſum. Latitudo vero eſt in operibus caritatis, quae extenditur uſque ad inimicos diligendos. Sicut Chriſtus, qui exoravit pro inimicis, qui extenſus in ſua cruce fuit, quae in latum tenſa a dextera in ſiniſtra ubi manus ſunt fixae. Sublimitas eſt ſcire, quo tendat caritas, ſcilicet ad aeternam beatitudinem, quae notatur per partem crucis ſupra poſitam. Profundum, quod totum portat, ubi pars crucis in terra fixa in abdito quod non videtur, eſt miſericordia, quae occulto Dei provenit judicio, per quam caritas eſt in nobis longa, alta, & lata. Videtis quomodo ſurſum extendantur quatuor praedicta. Quid eſt enim aliud prudentia, fortitudo, juſtitia, & temperantia, niſi caritas. Caritas prudens, fortis, juſta, & temperans eſt. Hos igitur lumbos, ut diximus mentis, non jubemur praecingere, ſed ſuccingere. Unde beatus Petrus in Epiſtola ſua ait. *Propter quod ſuccincti lumbos mentis veſtrae ſobrii perfecte ſperate in ea quae offertur vobis gratia Dei*. Quaſi diceret. Virtutes mentis ſuccingite, ne permittans ex eis vitia ſucreſcere. Sed quia ſunt quidam probi, qui & carnis vitia praecingunt, ut dictum eſt, & virtutes animae ſuccingunt, nec tamen in cura paſtorali debitis operibus inardeſcunt. Sequitur. *Et lucernae ardentes in manibus veſtris*. Alludit huic praecepto quod Ezechiel Propheta de ſacerdotibus ait. *Aſpectus* inquit *animalium, quaſi aſpectus lampadarum*: hoc enim diſtat inter carbones, & lampades, quia carbones ardent quidem, ſed tenebras non expellunt; lampades autem diffuſas circumquaque tenebras fugant. Qua in re notandum eſt, quia ſacerdos, qui in occulto bene vivit, & ſubditorum profectui parum, aut minime proficit, carbo eſt. Qui vero lumen rectitudinis per doctrinam, & vitam religioſam multis demonſtrat, lampas eſt, quia ſibi ardet, & aliis lucet. Unde & alibi ſcriptum eſt. *Thronus ejus flamma*. Nam cuſtodes animarum, qui paſcendi gregis onera ſuſceperunt, mutare loca non debent. Sed quia in uno loco Deum in ſe portant, & ardent, tronus Dei, & flamma ignis dicuntur: hinc Dominus ait ſecundum Lucam. *Ignem veni mittere in terram & quid volo niſi ut ardeat*, ideſt fervore Spiritus Sancti qui corda illuminat, & ad ſuperna provocat; vitia conſumit, & vaſa domus probat. *& quid volo niſi ut ardeat*, ideſt ut accendat lucernas veſtras, ut ſint ardentes in manibus veſtris. Quaſi dicat. Nil aliud volo niſi ut hujuſcemodi jubar uſque ad finem ſaeculi omnes ſacerdotes illuſtret, & per eos in cordibus ſubditorum augeſcat, ne aliquo tentationis flatu, vel flatu extinguatur hinc rurſus ſcriptum eſt. *Deus tuus ignis conſumens eſt*; quia mentem, quam accendit, a peccatis mundam reddit. Nec ſolum ignis eſt ipſe, ſed in circuitu ejus ardeſcet, & in circuitu ejus tempeſtas valida. Invitat nos igitur Spiritus Sanctus ad cuſtodiam gregis ſubditi, incutiens timorem ex adventu Judicis, qui malos clericos vel poena terreat, quos praemia non invitant, & timeant ut palea ſe arſuros. Ignis materialis, vel malae conſcientiae torquebit impios, & haec in conſpectu ejus, cum conſpiciet etiam judicantem. Et tempeſtas valida non venti, ſed potentia Dei, ut ejus ſententia area ventiletur. Quae ſententia tempeſtas dicitur quia improviſa veniet, & celeriter rapiet. In circuitu quia cum ipſo probi electi ſedentes judicabunt. Sed dicent: duri ſunt, & rebelles, & increduli, imo & etiam incorrigibiles Parrochiani noſtri, multi aberant, multi exaſperantur, multi languent, pauci ſunt, qui venire curent. Sed vos facite quod veſtrum eſt, ut dicatis cum Propheta. *Curavimus Babylonem, & non eſt curata, vel ſanata*. Et cum Apoſtolo. *Omnia ſumus, ut omnia lucri faciamus, pro omnibus lugemus, pro omnibus urimur. Quis infirmatur, & ego non infirmor, quis ſcandalizatur, & ego non uror; filioli mei, quos iterum parturio*. Denique ingemiſcite, & miſerando proclamate ad ſanctos viros cum Jeremia propheta. *O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite & videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus*. Qui tranſitis ſicut ait David. *Euntes ibant, & flebant per viam*, quae eſt Chriſti veſtigia ſequentes, nec ad dexteram, vel nec ad ſiniſtram declinantes, Attendite mente, & videte intuitu caritatis ſi eſt dolor ſicut dolor meus. Buccinate in neomenia tuba, ideſt non tantum vobis, ſed & aliis nuntiate in tuba, & ſonora, neomenia, ideſt nova luna, & per quam nova vita ſignificatur, in qua, & ad quam buccinandum eſt Deo. Sed quid buccinabit Sacerdos, qui evangelium, & Epiſtolam, Symbolum, Dominicam orationem & eorum expoſitionem neſcit? Unde ſicut Apoſtolus praecipit ad Timotheum: *Attendite* inquit *lectioni, & exhortationi, & doctrinae*; ſic veſtram rogamus dilectionem quatenus divinae ſcripturae operam detis, ut vobis habendus ſermo divinus unde alios aedificetis. Scitis enim, quod docendo, cuſtodiendo, ſuadendo, increpando, mulcendo, terrendo, aliquando leniter, aliquando ſevere agendo, ſtudioſus ſacerdos teneros nutritit, & lactat, adverſos revocat, pigros expectat, praecipites providenter adjuvat, ne quemlibet diabolus extra caſtra inveniat: Sic ergo lucernae in manibus veſtris ardentes. Sed quia lucerna corporis tui eſt oculus tuus, ideſt virtus totius operationis eſt puritas intentionis. Sequitur. *Et vos ſimiles hominibus expectantibus dominum ſuum quando revertatur a nuptiis*, ideſt ſive mala vitetis, ſive bona faciatis, nihil mundanae mercedis, ſed aeternam retributionem in adventu Redemptoris expectetis. Tunc enim merces veſtra copioſa eſt in caelis.

SER-

SERMO.

Quoniam timor, & amor Dei hominem beatum faciunt; idcirco David propheta clamat, & dicit: *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus cupit nimis: potens in terra erit ſemen ejus, generatio rectorum benedicetur*. Sicut ſacra Scriptura commemorat, & unuſquiſque Chriſtianus credere debet, quia quatuor ſunt timores, quorum duo ſunt mundani, duo vero ſunt caeleſtes. Unus timor eſt, qui retenta voluntate, mala facere non permittit, utpote cum aliquis faceret malum, ſed timens, ne ſuſpendatur, vel occidatur abſtinet a malo. Alius timor eſt cum quis retenta voluntate bona, bona facere non permittit; ſicut cum aliquis noſtri ordinis videns aliquem potentem virum pro ſuo peccato excommunicatione digniſſimum, libenter illum excommunicaret; ſed timore illius non excommunicat: Iſte quidem habet voluntatem bonam, ſed timore non adimplet. Ecce ſicut diximus unus timor retenta voluntate mala non facit, alius retenta voluntate bona, bona facere non permittit. Primus facit abſtinere a malo, ſecundus a bono, primus habet malam voluntatem, ſed non opus. Iſti duo timores mundani dicuntur, quoniam de mundo, & propter mundum ſunt. Sunt alii duo timores, qui vocantur divini, quorum unus eſt, cum homo timet Deum, ne illum demergat in poenam inferni. De quo Dominus ait. *Timete eum, qui poteſt animam, & corpus mittere in gehennam*. Alius timor eſt, quo homo timet offendere Deum; ſicut filius timet offendere patrem, at non timore poenae, ſed perfecto amore. Iſte dicitur Sanctus, ſicut per Prophetam dicitur. *Beatus vir, qui timet Dominum*. & ut oſtenderet, quia timor iſte ſit ex ſolo amore cauſam reddit, cum ſubdit. *In mandatis ejus volet nimis*. Ac ſi dicat. Inde apparet, quod Deum perfecte diligit, qui in obſervandis mandatis ejus nimiam habet voluntatem. Ubi notandum eſt, quod miſericordia Dei pro ſola bona voluntate hominem beatum facit. Redemptore etenim nato angeli cantaverunt. *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonae voluntatis*. Voluntas autem bona eſt, ſic adverſa alterius ſicut noſtra pertimeſcere; ſic de proſperitate proximi, ſicut de noſtro provectu gratulari, aliena damna noſtra credere, aliena lucra noſtra deputare, amicum non propter mundum, ſed propter Deum diligere inimicum & amando tolerare. Nulli quod pati non vis facere, nulli quod tibi juſte impendi deſideras denegare. Neceſſitati proximi juxta vires ſuccurrere, & prodeſſe, & extra vires velle. Et quoniam de bona voluntate naſci ſolet bonum opus; ideo ſubjunctum eſt. *Potens in terra erit ſemen ejus*. Semen beati viri opus eſt miſericordiae, ſicut eſt eleemoſina. Nam ſicut ſemen minima res eſt, ſed magnus fructus eſt, ſic & eleemoſina ad comparationem futuri boni parva res eſt, ſed magnum fructum affert, ideſt vitam aeternam. Unde Dominus ait. *Date, & dabitur vobis*, hoc eſt date eleemoſinam, & dabitur vobis vita aeterna. Dicit ergo ſemen ejus, ideſt aliquod bonum viri juſti erit potens ideſt faciet illum potentem in terra, ideſt ut in terra mereatur. De qua dicitur. *Portio mea Domine cuſtodire legem tuam*, & iterum *credo videre bona Domini in terra viventium*; ideo ſubjunctum eſt. *Generatio rectorum benedicetur*. Recti dicuntur qui habent rectum cor, qui diligunt quod Deus, & oderunt quod Deus; diligunt juſtitiam, & oderunt iniquitatem; horum generatio, ipſorum operatio. Filii namque noſtri opera noſtra dicuntur: ergo rectorum generatio benedicetur, quando ſancti per opera ſua a Domino benedicentur, qui dicit eis. *Venite benedicti patris mei percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi*. Quod autem hanc benedictionem propter opera accipiant oſtendit Dominus cum ſubjunxit. *Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare; ſitivi, & dediſtis mihi bibere*. Sequitur. *Gloria, & divitiae in domo ejus*. Domus juſti mens eſt ejus, & ſcientia, in qua gloria, & divitiae caeleſtes per amorem, & deſiderium manent, quoniam ipſas amat, & concupiſcit, pro ipſis Deum exorat, pro ipſis Deo ſervit, pro ipſis ſeipſum affligit. Ideoque merito ſequitur. *Et juſtitia ejus manet in ſaeculum ſaeculi*, quod erit in vita aeterna. Sequitur. *Exortum eſt in tenebris lumen rectis corde; miſericors, & miſerator, & juſtus Dominus*. Qui ſunt recti corde paulo ſupra diximus. Tenebrae cor hominis ſunt; ſicut in tenebris nullus videt, ſic & cor hominis nemo cognoſcit. Quemadmodum ſcriptum eſt. *Pravum eſt cor hominis & inſcrutabile, quis cognoſcet illud*. In tenebris ergo, ideſt in cordibus ſanctorum ortum eſt lumen, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. De quo per Iſaiam dicitur. *Orietur in tenebris lux tua, & tenebrae tuae erunt ſicut meridies*. In meridie clare videt homo. Tenebrae ergo, & corda noſtra quomodo obſcura ſunt, & incognita, in die Judicii penitus erunt manifeſta: ſicut ſcriptum eſt. *Tunc manifeſta erunt abſcondita cordis veſtri*. Quod autem hoc lumen nil aliud ſit niſi Deus, manifeſtat cum ſubjunxit *Miſericors, & miſerator Dominus, & juſtus*. Dominus eſt miſerator cum dat proficere, miſericors cum bene velle; juſtus cum de bona voluntate, & bona operatione nos remunerat. *Jucundus homo qui miſeretur, & commodat*. Ille homo jucundus eſt, & ſuavis, & amabilis Deo, qui miſeretur pauperi, & pro Deo de ſuis bonis ei commodat. Quo contra de peccatore per pſalmiſtam dicitur. *Mutuabitur peccator, & non ſolvet*. Ille mutuabitur & non ſolvet, qui pecuniam mutuo accipit, & eam poſtmodum non reddit. Sic facit peccator, qui pecuniam mutuo accipit, & multas divitias a Deo, & hoc mutuo, ideſt ut eam pauperibus erogando ſibi reddat; ſed peccator ipſe non ſolum quod reddat, verum etiam nulla, vel pauca pauperibus pro Deo largitur. Sed bonum quod non facit peccator facit juſtus. Unde ſubjungitur. *Juſtus autem miſeretur, & tribuet*. Quare autem hae opera miſericordiae faciat ſubdendo manifeſtat, quia diſponit ſermones ſuos in judicio. Sicut enim ſapiens homo habens cauſam coram Judice diſponit ſermones ſuos, ideſt cogitat qualiter loquatur in Judicio, qualiter adverſario reſpondeat, vel quod ei objiciat; ſic & unuſquiſque Chriſtianus cum ſit habiturus in die Judicij cauſam cum Domino, cum ſciat ſe nihil poſſe ei objicere, diſponit qualiter excuſando ſe poſſit defendere. Sic enim dicit Dominus unicuique. Ego creator, tu creatura. Ego Deus, tu homo. Ego Dominus, tu ſervus. Ego creator Caeli, tu formatus de limo terrae. Ego pro te dedi vitam meam, & tu pro me noluiſti dare panis micam. Ego pro te ſuſtinui mortem, & tu pro me noluiſti ſufferre non dico grave ſupplicium; ſed etiam grave verbum, vel nec ipſum verbum. Ut & his, & aliis hujuſmodi verbis Domini juſte & digne reſpondere valeat, ſuos ſermones diſponat, non tantum verbis, & cogitationibus, quantum bonis operibus, dando pro Deo non ſolum ſubſtantiam, ſed etiam vitam, ferendo pro Deo non ſolum inhoneſtum verbum, ſed etiam grave ſupplicium, & quod majus eſt mortem. Et ideo hoc, quia in aeternum non commovebitur; videlicet ab amore Dei: & propter haec omnia juſtus erit in memoria aeterna, ideſt in benedictione aeterna, quando audiet. *Venite benedicti patris mei percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi*. *Et non timebit ad auditione mala*, ideſt ab illa voce, quam mali audient. *Ite maledicti in ignem aeternum*. Sanctus iſte, cujus feſtivitatem colimus, dum fuit in hoc mundo ſancte & pie vixit, & ſi defuit perſecutoris ſanguinis effuſio, non defuit ſibi carnis mortificacio, & corporis afflictatio, & ideo a nobis in terra veneratur, & a Deo cum Angelis in Caelis coronatur; & quia in hac vita tenuit juſtitiam, poſt mortem adeptus in Caelis gloriam, ad quam nos.

Digitized by Google

SERMO.

Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviſcere populum tuum, & domum patris tui.

Sicut Sacrae Scripturae teſtimonio erudimur, unuſquiſque Chriſtianus quatuor dicitur habere patres, quorum unus dicitur carnalis, ſecundus ſpiritualis, tertius iniquus, quartus juſtus. De primo generamur carnaliter. De ſecundo regeneramur ſpiritualiter: de tertio vivimus cum iniquitate, & poſt vitam mors eſt periculoſa, & poſt mortem mergimur in baratrum inferni. De quarto vivimus cum juſtitia, & poſt vitam mors eſt pretioſa, & poſt mortem elevamur ad gaudia paradiſi. De primo dicitur *Abraam genuit Iſaac, Iſaac genuit Iacob*. De ſecundo dicit Apoſtolis per Evangeliſtam *Ego vos genui*. De tertio ait Dominus *Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere*. Quartus eſt Deus, cui quotidie in oratione dicimus. *Pater noſter qui es in caelis*. De primo naſcimur in peccato: de ſecundo mundamur a peccato: de tertio vivimus cum peccato: de quarto juſtificamur a peccato. De primo eſt nobis nativitas immunda, vita perverſa, & periculoſa: de ſecundo eſt nobis nativitas munda, vita religioſa, mors pretioſa. De tertio eſt nobis nativitas mala, vita pejor, mors autem peſſima. De quarto nativitas bona, vita melior, mors optima. Nam niſi diverſos patres unuſquiſque Chriſtianus haberet, nequaquam alicui fideli animae per Prophetam diceretur. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviſcere populum tuum, & domum patris tui*: cum eam filiam vocat, oſtendit, quia pater ejus eſt: cum vero ſubdit, *obliviſcere populum tuum, & domum patris tui*: nobis inſinuat, eam alium patrem habere, cujus domum oblivíſci praecipitur. Ubi notsndum eſt, quia verba Dei prius debet homo audire, deinde audita intelligere, poſtmodum intellecta opere adimplere. Intellectus namque ſcripturarum bonus eſt, ſed quibus? omnibus facientibus eum. Nam cum dixit: *Audi filia*, ad audiendum invitavit. Cum ſubjunxit: *& vide*, ad intelligendum. Cum vero ſubdit: *inclina aurem tuam* ad obediendum. Obedire autem eſt, quae jubentur facere: quae vero ſibi praecipiantur oſtendit cum adjungit; *obliviſcere populum tuum & domum patris tui*, populum noſtrum, cum quo quotidie habitamus, ſicut per Prophetam dicitur. *Habitavi cum habitantibus Cedar*. Cedar interpretatur tenebrae. Qui ſunt illi, qui habitant in tenebris inferni, niſi maligni ſpiritus, & reprobi homines. Cum his habitabat Propheta; cum his habitamus, & nos, quia quotidie circumſtant, ut nos tentent, & decipiant. Talem populum oblivíſci jubemur, ut eorum conſilia, eorum converſationes numquam in mente habeamus, nunquam in memoria teneamus, ſed univerſa opera eorum penitus abjiciamus, ſecundum quod Apoſtolus ait: *abjicite opera tenebrarum*. Sequitur: *& domum patris tui*. Domus hujus noſtri patris mundus eſt, cujus princeps dicitur diabolus, dicente Domino. *Venit enim princeps mundi hujus, & in me non habet quidquam*. & iterum: *nunc princeps hujus mundi ejicietur foras*. Hanc ergo domum oblivíſci debemus, quia omnes mundi concupiſcentias abjicere, omnia ſaecularia deſideria abnegare jubemur, ſecundum quod ſcriptum eſt. *Ut abnegantes impietates, & ſaecularia deſideria, ſobrie & juſte & pie vivamus in hoc ſaeculo*. Et ſi hoc feceris, rex ideſt Chriſtus concupiſcet decorem tuum, non quomodo habes, ſed quod in futuro ipſo Domino dante habitura es. Et quia poſſes dicere, dabit ipſe decorem mihi. Et dabit utique. *Quia ipſe eſt Dominus Deus tuus, & adorabunt eum filiae Tyri in muneribus*. Tyrus interpretatur anguſtia. Filii Tyri, ideſt anguſtiae ſunt virgines & martyres. Sancta iſta cujus hodie feſtivitatem colimus poteſt appellari filia Tyri, ideſt filia anguſtiae, quia multas anguſtias, multas paſſiones, multa tormenta propter Deum ſuſtinuit. Iſta talis virgo adoravit Deum in muneribus: videamus quae munera ſancta haec Deo in ſua oratione obtulit. Primo namque obtulit Deo fidem, ſecundo ſpem, tertio caritatem: deinde concupiſcentias carnis, unde & Virgo permanſit: poſtmodum deſideria hujus ſaeculi, unde & virum contempſit; poſtmodum corpus ſuum, in quo propter Deum multas paſſiones, & tormenta ſuſtinuit. Tandem animam ſuam ideſt vitam ſuam tradidit, quia propter illum illam amittere non timuit. Et quia propter Deum dimiſit vitam temporalem, ab ipſo recepit aeternam; & quia propter Deum odivit mundum, ab ipſo recepit paradiſum. Et quia propter Deum tormenta ſuſtinuit temporalia, ab ipſo gaudia recepit aeterna, ad quae nos perducat.

ALIUS SERMO
IN VIRGINIBUS.

QUoniam unaquaeque Virgn non tantum corpore intacta quantum debet eſſe fide incorrupta; idcirco Joannes Evangeliſta in Apocalypſi ſua loquitur, & dicit: *Et ſignum apparuit in caelo. Mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus ejus, & in capite ejus corona duodecim ſtellarum*. Quod tunc vidit beatus Joannes Evangeliſta; hoc ſignificat, quod hodie celebramus. Nam mulier iſta, quae ſole amicta erat, ſignificat hanc virginem cujus hodie feſtum colimus. Haec quippe erat amicta ſole, ideſt Chriſto, Chriſtus dicitur ſol, quia ſicut ſol illuminat totum mundum, ſic & Chriſtus. Unde per Joannem dicitur: *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Et ipſe de ſe inquit: *Ego ſum lux mundi*. Haec ſancta ſole amicta erat, quia induta Chriſto. Unde per Apoſtolum Petrum. *Omnes quotquot baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*. Veſtimentum namque, quo aliquis induitur ex omni parte circumdat hominem, ſic & Chriſtus ex omni parte hanc cuſtodivit. Cuſtodivit illam namque in mente a diabolo tentatore, cuſtodivit namque in carne a carnali delectatione, cuſtodivit in corpore a corporali perſecutione. Et ſicut veſtimentum tria facit homini, ideſt frigus excludit, & hominem calefacit, & ornat; ſic & Chriſtus ab iſta, infidelitatis frigus abjecit, & ſua dilectione calefecit, pluribus & diverſis virtutum ornamentis condecoravit. Unde in conſpectu Dei tota pulchra apparuit. Sicut ipſe ait: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te*. Tota pulchra fuit quia interius & exterius. Interius per munditiam puriſſimae cogitationis; exterius per claritatem boni operis. Sequitur: *Et luna ſub pedibus ejus*. Luna mundum iſtum ſignificat; quia ſicut luna ſemper mutatur, & nunquam in eodem ſtatu permanet, ſic & mundus iſte. Ut enim de caelo, & tempore, diebus, & menſibus, & anno taceamus, qui ſemper volvuntur & in ſe replicantur, neque aer, neque terra, neque ipſi homines ſuam perpetuo ſervant figuram. Merito ergo luna mundum illum ſignificat, quoniam ad illius ſimilitudinem tantis ſemper immutationibus variatur. Hanc lunam, ideſt mundum iſtum ſancta iſta ſub pedibus tenuit, quia ipſum conculcavit, ipſum deſpexit, ipſum modis omnibus pro Deo odivit, illius blandimenta nunquam dilexit, illius minas & tormenta numquam pertimuit. *Et in capite ejus corona ſtellarum duodecim*. Caput mentem ſignificat, ſicut enim a capite reguntur membra, ita & a mente cogitationes diſponuntur: duodecim ſtellae, duodecim ſunt Apoſtoli. Mulier ergo portabat in capite coronam duodecim ſtellarum, quia ſancta haec, cujus hodie feſtivitatem colimus, ferebat in mente doctrinam duodecim Apoſtolorum, & in utero habens cruciabatur, ut pareret, ſicut mulier gravida in ventre portat puerum, qui

non

Digitized by Google

non videtur, & ex tumore autem apparet quod in utero habet; poſtquam peperit a cunctis videtur: ſic & ſancta Eccleſia puerum portabat in ventre, quia deſiderium regni caeleſtis ferebat in mente. Ex tumore autem, ideſt ex hoc quod a malo abſtinebat, & in bono ſtudebat, ipſum deſiderium apparebat; poſtquam autem peperit, ideſt deſiderium per opus oſtendit, ab omnibus ipſum opus, tamquam aliquis filius videri poteſt. Et ſicut in partu mulier triſtitiam & dolorem habet dicente Domino: *Mulier cum parit triſtitiam habet*. Sic & ſancta Eccleſia in partu, ideſt in effectu boni operis dolorem habet & amorem. In afflictione namque corporis, & in maceratione carnis dolor ſolet eſſe. Ideoque de muliere iſta dicitur, & in utero habens cruciabatur, ut pareret. Quia ſancta haec deſiderium regni caeleſtis in corde habens, nitebatur ut pareret, ideſt ut opere compleret: & inſuper aliud ſignum in caelo: *Et ecce draco magnus ruphus habens capita ſeptem, & cornua decem, & in capitibus ſuis ſeptem diademata, & cauda ejus trahebat tertiam partem ſtellarum caeli, & dimiſit eas in terram*. Draco enim magnus ruphus eſt diabolus, qui in ſpecie ſerpentis primum hominem decepit. De quo alibi dicitur: *Et proiectus eſt ille draco magnus, ſerpens antiquus, qui dicitur diabolus & ſatanas*. Iſte nunc per ſanguinem martyrum quem fundere non ceſſat ruphus apparet: hic autem ſeptem capita habere perhibetur; ſeptem videlicet vitia principalia, quae de matre ſuperbia exorta ſunt, ex quibus, quaſi principalibus omnia illa vitia oriuntur. Haec autem ſunt vanagloria, invidia, ira, triſtitia, avaritia, ingluvies, & luxuria; decem vero cornua omnia alia vitia ſunt, quae ab his capitibus derivantur. Quae quidem multa ſunt, cum numerum ponere volunt, in quo numeri continentur. Non enim progreditur numerus ultra decem, ſed ipſe revolutus eſt, & omnes alios numeros complet. Quid igitur cornua decem, niſi peccata omnia habet; & in capitibus ſuis ſeptem diademata. Quia pro unoquoque vitio ſuam portat coronam. Quoties enim per invidiam aliquem vincit, toties ab invidia coronatur. Sic & in aliis. *& cauda ejus trahebat tertiam partem ſtellarum caeli, & dimiſit eas in terram*. Quid enim per caudam niſi ejus deceptionem intelligimus. Cauda igitur ejus, & ipſius calliditatis, & haereticae pravitatis deceptio. *Tertiam partem ſtellarum caeli*, multos videlicet qui in Eccleſia fulgere videbantur trahebat; *& miſit eas in terram*. Ut jam non caeleſtia, ſed terrena ſola, & tranſitoria diligerent, & amarent: De hac autem tertia parte dicendum, quod haeretici & falſi Chriſtiani per eam ſignificentur. Cum in aliis duabus partibus, ideſt in praelatorum, vel ſubditorum numero non continentur. Et draco iſte ſtetit ante mulierem, quae erat paritura, & cum peperiſſet, filium ejus devoraret. Sicut & per feminas vitia & peccata intelliguntur, ſic & per maſculos virtutes & bona opera. Draco iſte itaque ſtabat ante mulierem, quia diabolus per ſe, vel per miniſtros ſuos ſtabat ante iſtam ſanctam, cujus hodie feſtivitatem colimus, ut cum maſculum pareret, ideſt cum aliquod bonum opus faceret, vel de ſe emitteret, devoraret, ideſt in corpus ſuum traiceret, & ſic per opera ſua, opera diaboli fierent, utpote adorabat Chriſtum prius, poſtmodum incipiat adorare idola; & ſicut ſacrificabat ſe ipſam Chriſto, ſic ſacrificaret idolis; & velut Chriſtum Deum credebat, & ita daemones Deos crederet. Ecce qualiter draco ſtabat ante illam mulierem. Sed quid ſequitur: *Et peperit filium maſculum*. Haec ſancta Virgo non dicitur peperiſſe filiam, quia vitia & peccata nunquam dilexit, numquam in eis delectata eſt, numquam ei placuerunt; ſed peperit filium maſculum quia virtutes & bona opera de ſe protulit. Et hic non dicitur quod draco eum devoraſſet, quia licet diabolus per miniſtros ſuos hoc efficere niteretur, ut iſta idola coleret, & Chriſtum negaret, numquam tamen blandimentis, vel tormentis a fide & amore Chriſti defecit, adeo ut uſque in finem perſeveraverit; adeo ut pro Chriſto tormenta in corpore non timeret pati, mortem quoque corporis libenter ſuſtinuit. Et quia pro Chriſto amiſit gaudium mundi, ab ipſo recepit gaudia Paradiſi; & quia pro Chriſto amiſit vitam temporalem, ab ipſo recepit aeternam, ad quam nos.

ALIUS SERMO.

Elegit eam Deus, & praelegit eam.

Elegit eam Deus, ut eſſet bona, & praeelegit eam ut fieret beata. Elegit eam ut eſſet Virgo, & praeelegit eam, ut eſſet Martyr. Elegit eam, ut fidei teneat puritatem, & praeelegit eam, ut vitae æternæ habeat felicitatem. Elegit eam Deus ut in hac vita operaretur, & præelegit eam ut in futuro de bono opere coronaretur. Unde ſubditur. *In tabernaculo ſuo habitare facit eam*. Tabernaculum Dei cæleſtis beatitudo eſt, in qua Deus cum electis ſuis jugiter inhabitat. De quo per Pſalmiſtam dicitur. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo*; & iterum *Unam petii a Domino hanc requiram ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ*. In hoc tabernaculo, ideſt in cæleſti beatitudine hæc ſancta habitavit, quia fidei puritatem habuit, caſtitatis ſervavit virginitatem, operis ſinceritatem exhibuit, martyrii acerbitatem ſuſtinuit. Deus inhabitare facit ſicut per Salomonem dicitur. *Umbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis*. Umbilicus mollis, & fragiliſſima pars corporis eſt, ideoque ſignificat hanc ſanctam cujus hodie feſtivitatem colimus, quae nimirum licet fide fortis eſſet, & firma, ſed tamen ea natura qua mulier erat, debilis erat, & delicata. Hæc merito potuit vocari crater tornatilis, in quo vinum, quod hominem inebriat, reponitur, quia in iſta fuit doctrina Chriſti, quæ homines immutat, & quodam modo inebriat, cum ab amore ſæculi inſenſatum reddit. Unde ſcriptum eſt. *Et calix meus inebrians, quam præclarus eſt*. Et non ſolum crater, ſed etiam tornatilis dicitur. Torno ſiquidem facile operatur quis. Expedite namque, & inoffenſe hæc ſancta Virgo in prædicatione diſcurrit, cum perſecutores ſuos ut ad Chriſtum converteret admonebat, idola vana eſſe prædicabat. Ideoque merito ſubditur *non indigens poculis*. Hæc ſancta poculis non indigebat, cum auditorum mentibus cæleſtis doctrinæ vina propinabat, eaſque poculis ſanctæ prædicationis inebriabat. De hac quoque per Pſalmiſtam dicitur. *Adiuvabit eam Deus vultu ſuo, Deus in medio ejus non commovebitur*. In vultu, & facie homo cognoſcitur an bonus ſit, vel malus. Unde Dominus ait: *a fructibus eorum cognoſcetis eos*. Vultu ergo ſuo, ideſt ex operibus ſuis, quia bona fuerunt, & ſpiritualia, Deus eam adiuvavit, & in hac vita, ut patienter ſuſtineat temporalia mala, & in futuro nulla ſentiat mala; ideoque ſubjungit. *Deus in medio eius non commovebitur*. medium cor ejus fuit, qui in medio corpore erat. De quo per Iſaiam dicitur. *Si abſtuleris de medio tui catenam*. In medio ejus ideſt in corde ipſius Deus erat, quia in ea habitaculum ſibi fecerat, & ideo non commota eſt a fide, & amore Dei. Nam ſicut ædificium quod ædificatum eſt ſupra petram licet veniant venti, inundent flumina, non tamen movetur, quia fundatum eſt ſupra petram. Sic Sancta iſta quamvis venerint tormenta, cruciatus, & anguſtiæ non tamen commota eſt, quia fundata eſt ſupra petram, ideſt ſuper fidem, & amorem Chriſti. Unde per Salomonem dicitur. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem*, ideſt amorem Dei in iſta. De qua per Paulum dicitur. *Quis nos ſeparabit a caritate Chriſti; tribulatio, an anguſtia, an perſecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius*. Si ergo hæc ſancta Virgo puella, ſiquidem debilis, & delicata, tot, & tanta tormenta propter Chriſtum ſuſtinuit; quid nos barbati ſumus dicturi, qui non ſolum tormenta, ſed nec etiam aſpera verba pro Chriſto ſuſtinere nolumus. Qui non ſolum

Digitized by Google

vitam; ſed etiam ſubſtantiam noſtram pro Chriſto dare nolumus. Sed ſi forte nolumus carnem noſtram interire, ſaltem carnis vitia in nobis interficiamus, ideſt ſuperbiam, vanam gloriam, invidiam, iram, triſtitiam, avaritiam, luxuriam. Et vivat in nobis humilitas, manſuetudo, patientia, caſtitas. His ornamentis ornata fuit hæc ſancta Virgo. His ornamentis ſi nos ornati fuerimus, merebimur Chriſtum glorificare, & in æternum cum eo regnare, quod nobis concedat.

IN DEDICATIONE

ECCLESIÆ.

QUoniam fratres ad dedicationem hujus baſilicae devote veniſtis ubi multa fieri vidiſtis, & cur facta ſint, quid ſignificent minime intellexiſtis, non inconvenienter nobis videtur, ſi ea quae facta ſunt ea magna parte vobis exponimus. Primo ſiquidem benedicitur aqua, quod baptiſmum ſignificat; & quoniam non ſufficit alicui ſi baptizatur, niſi poſtmodum ſapienter vivat, ideoque immiſcetur ſal, quo ſapientia ſignificatur. Unde ſicut in baptiſmate mundatus eſt a peccatis praeteritis, ſic per ſapientiam cuſtodiat ſe a futuris; deinde fiunt lythaniae quibus tota ſancta Trinitas, & omnes ſancti in auxilium dedicationis invocantur. Deinde tertio aſpergitur aqua per Eccleſiam exterius, ut ſicut pueros tertio in aqua cum baptizantur immergimus, ſic Eccleſia, quae præ magnitudine mergi non poteſt, tertio exterius aſpergitur. In cujus aſperſorio merito Iſopus apponitur, qui fidem ſignificat, cum baptizandus ſemper de fide prius interrogatur. Recte in Eccleſia fiunt, quod in unoquoque Chriſtiano fieri deberent, quia ſicut Eccleſia dicitur templum Dei, ſic & unuſquiſque fidelis. Unde per Apoſtolum dicitur. *Vos eſtis templum Dei vivi, & Spiritus Sanctus habitat in vobis*, & iterum: *Templum Dei Sanctum eſt, quod eſtis vos:* & alibi *nonne ſcitis, quoniam corpora veſtra templum ſunt Spiritus Sancti*. Et ſicut antequam baptizetur, diabolus, ut ab eo exeat conjuratur, cum ei a ſacerdote dicitur; *Exi ab eo Satana*. Sic Epiſcopus tertio ad Eccleſiae portas accedit, & virga ſua tanquam diabolum terrens limina repercutit, & diabolum atque immundum ſpiritum, ut exeat conjurat dicens. *Tollite portas principes veſtras*. Et a diacono, qui intus eſt, qui diaboli figuram tenet, reſpondetur. *Quis eſt iſte rex gloriæ*. Et ſicut baptizato homine diabolus excluditur, & Deus ingreditur, ſic peractis omnibus his Epiſcopus intrat Eccleſiam. Verum quia poſt baptiſmum actualiter peccamus, actualia peccata vero nonniſi per poenitentiam dimittuntur; Idcirco iterum benedicitur aqua, quae baptiſmum ſignificat poenitentiæ. Ideoque immiſcetur vinum, & cinis, quae ſignificant poenitentiam. Sed prius accenduntur, & per parietes eccleſiae ponuntur duodecim candelae, quae ſignificant doctrinam duodecim Apoſtolorum, quibus Dominus ait. *Vos eſtis lux mundi*. Aſpergitur quoque cinis per pavimentum Eccleſiae in modum crucis, & in eo prius Graecum, poſtmodum latinum alphabetum ſcribitur. Cinis in pavimento Eccleſiae poenitentia eſt in corde, quae confirmatur ſcriptura, & authoritate veteris, & novi teſtamenti, quod confirmatur per utrumque alphabetum. Ideoque cum Epiſcopus ad Altare veniens dicit. *Deus in adjutorium meum intende* cum gloria, non addidit Alleluja, quod mentis lætitiam ſignificat; quoniam poenitentes de commiſſis peccatis flere debent. Sicut ſcriptum eſt. *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo*. Lectus noſter conſcientia eſt, in qua infirmus anguſtiatur; ſanus vero quieſcere delectatur. Hunc lectum infirmus lavat cum peccatorum poenitet, & hoc per ſingulas noctes, hoc eſt per ſingula peccata. Hoc facto Epiſcopus ad Altare accedit, quod ſignificat cor noſtrum. Sicut Altare in medio Eccleſiae, ita cor in medio corpore. In eo reliquiae Sanctorum reconduntur, quoniam in corde ſanctorum exempla, & documenta retinentur. Ibique quinque cruces fiunt, una in medio, & quatuor in quatuor angulis Altaris, quae ſignificant memoriam paſſionis Chriſti, quae debet eſſe in corde noſtro. Quae nimirum paſſio quinque plagas habuit, unam in medio, hoc eſt in latere, & quatuor in quatuor angulis, hoc eſt in pedibus, & manibus. Deinde aſpergitur altare ſepties. Septem aſperſiones, ſeptem ſunt virtutes, quibus Altare, hoc eſt cor noſtrum ex omni parte perfundi debet. Prima eſt fides, ſecunda eſt caritas, tertia eſt ſpes, quarta prudentia, quinta temperantia, ſexta fortitudo, ſeptima juſtitia. Deinde aſpergit lapidem, ſed prius facit in eo quinque cruces, unam in medio, & quatuor in quatuor angulis; ſed videamus prius quid ſignificet lapis. Lapis in altare fides eſt in corde. Unde in ſacris canonibus praecipitur. Si altare motum fuerit, eccleſia de novo conſecretur. Altare tunc movetur, quando lapis aliquo modo ab altari removetur. Sic ſi recta fides a corde hominis movetur, ut in haereſim labatur, Eccleſia de novo debet conſecrari, quia talis homo Deo debet reconciliari. In hoc ergo lapide fiunt quinque Cruces, quia ſicut ſupra diximus Chriſti paſſionem ſignificant, quoniam Chriſtum non ſolum natum, ſed etiam paſſum, & mortuum credere debemus. Hunc lapidem Epiſcopus ſepties aſpergit. Septem lapidis aſperſiones, ſeptem ſunt fidei confirmationes vel augmentationes, ut fides noſtra ſit recta: prima ut haereſim non ſapiat: ſecunda ut quod corde credit, ore confiteatur. Sicut ſcriptum eſt. *Corde enim creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem*; tertia vero quod corde credit, & opere confitetur, opere adimpleat; quoniam fides ſine operibus mortua eſt: quarta ut bona, quae operatur, alios operari moneat. Quinta ut de bonis, quae facit, vel docet, minime ſuperbiat. Sexta vero ſuperbiendo alios non deſpiciat. Septima ut donum quod habet, non ſibi, ſed Domino totum adſcribat. His peractis aſpergit parietes Eccleſiae tertio interius. Supra diximus aquam benedictam, quae exterius Eccleſiae aſperſa eſt, baptiſmum poenitentiae ſignificare; videmus, & poſtea per parietes Eccleſiae interius aſpergitur. Tres aſperſiones ſignificant tres actiones poenitentiae, ideſt contritionem cordis, confeſſionem oris, & ſatisfactionem operis. His peractis & finitis orationibus, & praefationibus, quae ibi dicuntur; exit Pontifex ad locum, ubi reliquiae ſunt, & clerici portantes reliquias tertio circa eccleſiam vadunt. Quod reliquiae circa eccleſiam tertio portantur, ſignificant praeſidia Sanctorum, quae circa nos ſunt tribus modis, oratione, exemplo, & admonitione. Deinde Epiſcopus facit crucem de Chriſmate ſuper liminare, quod ſignificat crucem, quam epiſcopus de Chriſmate in frontibus baptizatorum facit, cum eos confirmat. Tunc epiſcopus ſumens feretrum in quo ſunt reliquiae ſanctorum, intrant eccleſiam cum reliquiis, & reponunt eas in altari. Hinc videtur ſignificare tempus futurae reſurrectionis, in quo ſanctorum corpora ſimul cum animabus juncta collocabuntur in altari, ideſt in caeleſti beatitudine, & audient beatam vocem hoc eſt. *Venite benedicti patris mei*. Et ideo merito in ingreſſu eccleſiae cantantur duae Antiphonae, quarum unaquaque ſic incipit. *Ingredimini benedicti Domini*. Deinde poſita menſa ſuper altare effundit epiſcopus de oleo ſancto, faciendo de eo quinque cruces, unam in medio, & quatuor in quatuor cornibus altaris, ſicut ſupra dictum eſt. Iſtae quinque Cruces imitationem ſignificant paſſionis Chriſti, qui in ſe quinque plagas habuit. Dicit Petrus Apoſtolus. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis vobis relinquens exemplum ut ſequamini veſtigia ejus*. Et quoniam haec imitatio cauſa eſt miſericordiae circa nos, ideo fiunt de

Oleo

Oleo ſancto, quia miſericordiam ſignificant. Nam qui amara ſuſtinet in hac vita propter Deum, dignum eſt, ut in futura ſuavia recipiat a Deo. Hoc autem oleo tertio ungitur lapis, & poſtmodum duabus vicibus de Chriſmate. Ubi notandum eſt quod miſericordia alia eſt praeſentis, alia futurae vitae. De miſericordia praeſentis vitae ait Dominus. *Beati miſericordes.* De futura miſericordia ſubjunxit, *quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* haec autem unctio triplex, quae per repoſitionem reliquiarum fit in lapide, ſignificat triplicem miſericordiam, quae fit in electis, cum in caelo collocabuntur. Prima miſericordia eſt beatitudo animae, ſecunda corporis, tertia proximorum. De qua ſicut de prima quiſque gaudebit, poteſt quoque per oleum lætitia ſignificari, ſicut per Pſalmiſtam dicitur. *Unxit te Dominus Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* Ideoque per triplicem unctionem triplex laetitia deſignatur; videlicet beatitudinis animae, & corporis, & proximorum. Duplex vero unctio, quæ fit de Chriſmate ſignificat duplicem viſionem, quoniam anima videbit Chriſti Divinitatem, & caro ejus glorificatam humanitatem. Sicut per Paulum dicitur. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Deinde ponitur incenſum quod orationem ſignificat. Oratio autem Sanctorum in caeleſti requie deſiderium erit. Sicut per Pſalmiſtam dicitur. *Deſiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua.* Ideoque incenſum apponitur igni, qui fervorem ſignificat deſiderii. Deſiderium autem de quinque rebus fiet, ideſt de viſione Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & animae Chriſti, & corporis. Unde dicit Petrus. *In quem deſiderant Angeli proſpicere.* Ideoque quinque grana incenſi apponuntur; & quoniam miſericordia illa caeleſtis transfundenda eſt in omnes electos, qui congregabuntur a quatuor partibus mundi: Ideo de Chriſmate fiunt duodecim cruces in parietibus eccleſiae, ideſt tres ab oriente, tres ab occidente, tres a meridie, tres ab aquilone. Hæc itaque fratres prout potuimus, breviter expoſuimus. Sed ſicut ad officium noſtrum pertinet iſta facere, ſic & vobis convenit, quod ſignificat adimplere. Meminiſſe debetis, quod per exteriorem aſperſionem eccleſiae ſignificari baptiſmum diximus, per interiorem vero poenitentiam, quæ ſingulariter baptiſmus dicitur. Sicut de Joanne dicitur. *Prædicabat baptiſmum poenitentiæ.* Quia vero baptizati eſtis ſcimus, & ſi vere poenitentiam agitis hoc neſcimus. Unde caritati veſtrae ſuggerimus, ut quotidie pro peccatis inceſſanter poenitentiam agere ſtudeatis, quatenus per puram cordis contritionem, & veram, atque humilem oris confeſſionem, necnon & dignam operis ſatisfactionem impetrare valeatis a Deo peccatorum veſtrorum remiſſionem, & inſuper vitam aeternam.

ALIUS SERMO.

Vos qui tranſituri eſtis in Jordanem ædificate altare Domino de lapidibus quos ferrum non tetigit, & offerte ſuper illud holocauſtum, & honorate Patrem Deum veſtrum.

Jordanis in quo Chriſtus baptizatus eſt. Ille jam Jordanem tranſivit, quia jam baptizatus eſt. Sed homine baptizato primo debet aedificare cor ſuum bona voluntate, & intentione, ut bona quae agit, non invitus, ſed libenter agat. Unde ſcriptum eſt: *Voluntarie ſacrificabo tibi*; & iterum: *Servite Domino in laetitia.* Et bona, quae operatur non pro vanagloria, aut pro lucro terreno, ſed pro amore Dei, & intentione ſerviendi Deo faciat. Unde Dominus ait: *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit.* Quia ſi intentio cordis veſtri pura non fuerit, omnis corporalis actio apud Deum tenebroſa erit. Unde neceſſe eſt, ut non ſolum bona voluntate & intentione, ſed aliis virtutibus cor noſtrum aedificemus. Ideoque ſubjunctum eſt. *Ædificate altare Domino de lapidibus, quos ferrum non tetigit.* Altare cor noſtrum eſt, quod in medio corpore, ſicut altare in medio Eccleſiae. Hoc altare ille aedificat, qui cor ſuum bona voluntate & intentione, & aliis virtutibus exornat. Unde ſubjunctum eſt: *De lapidibus, quos ferrum non tetigit.* Ferrum hic diabolus intelligitur, de quo per Prophetam dicitur: *Ipſe eſt malleus univerſae terrae.* Malleus namque petram percutit, & ſuperflua tollit, & ſic aedificationem aptam reddit. Sic & diabolus Dei ſervos percutit, & temporalia aufert; ſicut fecit Job, quem gravi ulcere vulneravit; & poſtmodum omnem ſubſtantiam, filioſque, ac filias abſtulit; ſicque illum aptum reddit Dei aedificio. De his ergo lapidibus altare noſtrum aedificare debemus, quoniam de illis virtutibus cor noſtrum ornare jubemur, quas ferrum non tetigit, ideſt diabolus in ſe numquam habuit; qualis eſt fides, ſpes, caritas, pax, patientia, humilitas, temperantia, prudentia. Sequitur: *Et offerte ſuper illud holocauſta.* Holocauſtum dicitur totum incenſum, utpote quando totus agnus, vel vitulus comburebatur. Hoſtia dicebatur quando non totum animal, ſed aliqua ejus particula immolabatur. Ille igitur holocauſtum offert qui ſe & omnia ſua pro Deo alicui monaſterio tradidit. Ille igitur hoſtias offert qui non ſua omnia, ſed partem ſuarum rerum pro Deo tribuit, utpote decimas, primitias, atque oblationes, necnon & eleemoſinas. Holocauſta offerre praecipiebat Deus cuidam juveni, & dicebat: *Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quae habes, & da pauperibus.* Holocauſtum obtulerat beatus Petrus, & Apoſtoli, qui dicebant; *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* Ideoque neceſſarium eſt, ut ſicut ſupra diximus cor noſtrum bona voluntate & intentione aedificemus, ut bona, quae agimus amore, & intuitu Deo ſerviendi faciamus. Virtutibus qualis eſt humilitas, pax, patientia, caritas, ipſum cor exornemus, & cui non vacat a miniſterio omnia ſua propter Deum derelinquere, ſaltem propter Deum non pigeat eleemoſinam facere. De ipſa namque Deus dixit: *Date, & dabitur vobis*, hoc eſt, date eleemoſinam, & dabitur vobis vita aeterna; & iterum: *Date eleemoſinam, & ecce omnia munda ſunt vobis*; rurſum: *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemoſina reſiſtit peccatis.* Hinc pius pater filium ſuum admonet dicens: *Si multum fuerit tibi, abundanter tribue, ſi autem modicum & ipſum libenter impertire ſtude.* Quoniam ſicut nec modica peccata fiunt ſine vindicta dicente Domino: *De omni verbo otioſo reddituri eſtis rationem in die judicii*; ſic nec parva bona ſine mercede, dicente Domino: *Quicumque dederit potum aquae frigidae tantummodo in nomine diſcipuli; amen dico vobis non perdet mercedem ſuam.* Ergo fratres ſi multa poſſumus, multa faciamus, ſi autem pauca, & ipſa facere ſtudeamus. Si autem nulla, bonam ſaltem voluntatem habeamus. Quia ſcriptum eſt: *Et in terra pax hominibus bonae voluntatis.* Quoniam qui ſalvavit mulierem fluxum ſanguinis patientem pro bona fide, dicens: *Filia fides tua te ſalvam fecit*; ipſe nos ſalvabit pro bona voluntate. Quod nobis parare dignetur, qui vivit & regnat.

ALIUS SERMO
DE DEDICATIONE.

CUm exiret Jacob de Berſabee, & pergeret Aram poſt ſolis occaſum venit ad locum, in quo requieſceret, tulit lapidem, & ſubpoſuit capiti ſuo, dormivitque in eodem loco, & dum dormiret vidit in ſomnis ſcalam erectam, & Angelos aſcendentes, & deſcendentes, & Dominum innixum ſcalae. Surgens ergo mane Jacob, tulit lapi-

dem

dem, quod ſubpoſuerat capiti ſuo, & erexit in titulum fundens oleum deſuper dicens: Vere Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam. Jacob qui interpretatur ſubplantator Chriſtum ſignificat, qui per Pſalmiſtam Deo Patri dicit. *Subplantaſti inſurgentes in me ſubtus me.* Ille Jacob exivit de Berſabee, & perrexit Aram, quoniam Chriſtus de hoc mundo tranſivit ad patrem. Sicut ait Evangeliſta. *Ante diem feſtum Paſchæ ſciens Jeſus quia venit ejus hora, ut tranſeat de hoc Mundo ad Patrem.* Ipſe quoque Chriſtus ait. *Exivi a Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad patrem*; & iterum *vado ad eum qui me miſit.* Berſabee namque interpretatur puteus ſeptimus, ideo merito ſignificat profunditatem hujus mundi; Aram quae interpretatur excelſus Deum patrem ſignificat. De quo per Pſalmiſtam dicitur. *Excelſus Dominus, & humilia reſpicit*; & iterum *excelſus ſuper omnes gentes Dominus.* Sed cum Jacob exiret de Berſabee, & pergeret Aram, venit ad locum, in quo requieſceret, & obdormivit. Quia Chriſtus in Caelum antequam aſcenderet, venit ad paſſionem crucis, ubi obdormivit, ideſt mortuus eſt. Somnus enim Jacob mortem Chriſti ſignificat. Unde Dominus de Lazaro ait. *Lazarus amicus noſter dormit, ſed vado, ut a ſomno excitem eum.* & per Prophetam. *Ego dormivi, & ſomnum cepi.* & Apoſtolus mortuos dormientes appellat cum ait. *De dormientibus non eſt neceſſe ſcribere vobis.* Qualiter autem dormierit, manifeſtat cum ſubjungit. *Tulit lapidem, & ſubpoſuit capiti ſuo.* Per lapidem Chriſti humanitas intelligitur. De quo per Pſalmiſtam dicitur. *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli.* Quoniam Chriſtus, quem tunc aedificantes, ideſt Judæi reprobaverunt dicentes. Nolumus hunc regnare ſuper nos. ſive reprobaverunt, ideſt reprobum clamaverunt dicentes reus eſt mortis, & niſi eſſet hic malefactor non tibi tradidiſſemus eum: Hic factus eſt in caput anguli, quia ſicut lapis angularis, utrumque parietem complectitur; ſic & Chriſtus utrumque populum in ſua fide copulavit. De hoc lapide Chriſtus ſubdit dicens. *Et qui ceciderit ſuper lapidem confringetur, ſuper quem vero ceciderit conteret eum.* Certa res eſt, quod ſi vas fictile ceciderit ſuper petram hoc eſt percuſſerit petram, vas profecto frangitur. Si vero lapis vas percuſſerit, non ſolum vas frangitur, ſed etiam minutatim conteritur. In primo ergo adventu vas percuſſit petram, quoniam homines crucifixerunt Chriſtum, & ideo vas fractum eſt, quia Judaei qui hoc fecerunt, diſperſi ſunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum. In ſecundo adventu lapis percutiet vas, quia Chriſtus judicabit homines, & tunc vas minutatim conteretur, quoniam animae, & corpora impiorum in Inferno cruciabuntur, cum dicetur eis. *Ite maledicti in ignem æternum.* Sicut ergo per lapidem humanitas Chriſti intelligitur, ſic & per caput Chriſti Divinitas Chriſti ſignificatur. Dicente Apoſtolo *Caput Chriſti Deus.* Tunc itaque Jacob lapidem capiti ſuo ſubpoſuit, quando Chriſtus humanitatem ſuam divinitati ſubpoſuit, ideſt quando ſe per humanitatem minorem Patre oſtendit dicens. *Pater major me eſt.* Æqualis namque Patri ſecundum divinitatem minor eſt patre ſecundum humanitatem, & cum ſit Deus factus eſt homo, & cum creator factus eſt creatura. Mane ſurrexit Jacob, quia Chriſtus mane ſurrexit: dicente Evangeliſta. *Surgens Jeſus mane prima ſabbati.* Unde per Pſalmiſtam dicitur in perſona Patris ad filium. *Exurge gloria mea, exurge pſalterium, & cythara, exurgam diluculo.* Filius eſt gloria patris ſicut per Salomonem dicitur. *Gloria patris, filius ſapiens.* Ipſe quoque dicitur pſalterium & cythara. Pſalterium namque inſtrumentum eſt, quod habet ſonum a ſuperiori, cythara autem ab inferiori. Per pſalterium ergo intelligitur divinitas, quae deſuper venit hoc eſt de caelo venit. Sicut per Joannem Baptiſtam dicitur. *Qui de cælo venit ſuper omnes eſt.* Per cytharam intelligitur humanitas. Dicit itaque Deus Pater Filio. *Tu es gloria mea, tu es pſalterium, & cythara*, ideſt Deus, & homo; exurge, & ille reſpondit, exurgam diluculo. *Sed mane ſurgens Jacob erexit lapidem in titulum fundens oleum deſuper.* Quantum ad literam pertinet; tunc lapis erigitur in titulum quando erigitur in rectum ideſt ut rectus ſtet. Miſtice autem erectio lapidis reſurrectionem ſignificat humanitatis Chriſti. Sed erigens *lapidem in titulum fundens oleum deſuper.* Per oleum Spiritus Sanctus intelligitur, cujus virtute Chriſti humanitas reſurrexit. De quo per Prophetam dicitur. *Computreſcet jugum a facie olei?* & iterum per pſalmiſtam de hoc oleo Chriſto dicitur. *Unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* Spiritus Sanctus dicitur oleum laetitiae, quia mundat hominem a peccato, & facit eum immunem a peccato, & de ipſa immunitate facit conſcientiam gaudere, & laetari. De oleo lapis ille erectus fuit unctus, quia Chriſtus Spiritu Sancto fuit plenus. Sicut per Evangeliſtam dicitur. *Jeſus autem plenus Spiritu Sancto regreſſus eſt a Jordane.* Et ideo merito dicitur. *Præ conſortibus tuis.* Quoniam aliis datur Spiritus Sanctus ad menſuram: in Chriſto enim habitabat plenitudo Divinitatis corporaliter. Ideoque Chriſtus dicitur, quia unctus interpretatur. Scala, quam vidit Jacob Sanctam ſignificat Scripturam, quae capite Caelum tangit, & pede terram. Caelum tangit, cum de caeleſtibus loquitur, terram cum de terrenis. Angeli, qui nuntii interpretantur, ſancti praedicatores ſunt, qui Dei verba quotidie annuntiare non ceſſant. Qui nimirum per hanc ſcalam aſcendunt, & deſcendunt. Aſcendebat Joannes cum dicebat. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Deſcendebat cum dicebat. *Et Verbum caro factum eſt.* Aſcendebat Paulus cum dicebat. *Nos prædicamus Chriſtum Dei virtutem, & Dei Sapientiam.* Deſcendebat cum ajebat. *Nihil judicavi me ſcire, inter vos, niſi Chriſtum Jeſum, & hunc Crucifixum.* Vos itaque fratres ſicut Jacob oleo unxit lapidem, ſic corda veſtra ungite oleo miſericordiae, ut gratam proximis veſtris impendatis miſericordiam ſemper. Primo illam quæ eſt in corde, in nobis peccantibus dimittendo. Secundo eam, quae eſt in ore, indoctum docendo, peccantem corripiendo, & errantem ad viam veritatis reducendo. Tertio illam, quæ eſt in manibus, eleemoſinam pauperibus porrigendo; quia ſi aliis miſericordes fuerimus, Deum ad miſericordiam parandam provocabimus, ipſo dicente. *Qua menſura, qua menſi fueritis, remetietur vobis.* Quoniam ſicut Judicium ſine miſericordia erit his, qui non faciunt miſericordiam; ſic Judicium cum miſericordia erit his qui faciunt miſericordiam. Ut itaque dilectiſſimi Deum ad miſericordiam provocemus, ſimus miſericordes proximis noſtris, quatenus a Deo peccatorum remiſſionem, & inſuper vitam aeternam habere valeamus. Ipſo auxiliante.

SERMO

SUPER LUCAM.

Egreſſus Jeſus perambulabat Jerico; & ecce vir nomine Zachæus: & hic erat Princeps publicanorum, & ipſe dives.

Sicut dum in hac vita ſumus & vivimus, quotidie peccamus, ſic ad remedia pœnitentiæ ſollicite recurrere debemus. Quoniam Filius Dei ideo de caelo venit in hunc mundum, ut nos pœnitentia, & bona converſatione de hoc mundo tranſeamus ad Caelum. Quod in hac lectione Sancti Evangelii evidenter oſtenditur, cum dicitur. *Egreſſus Jeſus perambulabat Jerico.* Jerico quoque interpretatur luna, luna mundum iſtum ſignificat. Sicut enim luna tantae mutabilitatis eſt, quod nunquam in eodem

ſtatu

ſtatu permanet, ſic & Mundus iſte. Ut enim de Caelo, & tempore, de diebus, & menſibus, & anno taceamus, quod ſemper volvuntur, & in ſe replicantur, neque aer, neque terra, neque ipſi homines perpetuam ſervant figuram. Tunc ergo egreſſus Dominus perambulabat Jerico, quando exiens a patre venit in mundum; ſicut ipſe dicit. *Exivi a patre, & veni in mundum*. Et quoniam ſicut ſupra diximus Filius Dei ideo venit in mundum, ut de hoc mundo nos transferret ad Caelum, Ideo merito ſubjunctum eſt: *& ecce vir nomine Zachæus, & hic erat princeps publicanorum*, & ipſe dives. Zachaeus iſte, qui non ſolum peccator, ſed etiam publicanus erat, & non ſolum publicanus, ſed etiam princeps publicanorum ſignificat peccatores, ſed illos tales, qui per lamenta pœnitentiae juſtificari deſiderant. Unde non immerito iſte Zachaeus vocatur, qui juſtificandus interpretatur, quoniam qui per confeſſionem, & pœnitentiam de peccatis ſuis Deo digne ſatisfaciunt, a Domino juſtificari merentur. Sicut per Prophetam dicitur. *Dic tu iniquitates tuas, ut juſtificeris*. Et quamvis iſte Zachaeus talis eſſet, quaerebat tamen videre Jeſum, quaerebat, & videre non poterat. Sed cur non poterat, prae turba, quia ſtatura puſillus erat. Haec duo enim valde impediunt hominem ne videre valeat Jeſum, turba videlicet vitiorum, & peccatorum. Nam cum quo eſt ſuperbia, vanagloria, invidia. triſtitia, avaritia, luxuria, odium, homicidium, perjurium, adulterium, ſacrilegium, cum quo turba iſta eſt, Chriſtum videre non poteſt, quia ſcriptum eſt. *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei*, Statura quoque puſilla Chriſtum videre impediebat: Statura animae fides eſt, quae nimirum adeo parva eſt in hominibus, ut nulli alii veritatem dicat, & nemini promittenti aliquis confidere poſſit. Nulli enim modo fides ſervatur, nulli quod promittitur adimpletur, & ideo puſilla fides, tamquam parva ſtatura Deum videre impedit. Sed quae prae turba vitiorum, vel peccatorum Chriſtum videre non poteſt, imitetur Zachaeum, aſcendat in arborem ſicomorum habentem fructum rubicundum, ſuccum emittentem ſanguineum: unde merito crucem Chriſti ſignificare videtur, in qua pependit fructus ille de quo Beatae Mariae dictum eſt. *Benedictus fructus ventris tui*. Et pſalmiſta. *Terra dedit fructum ſuum*. Iſte fructus in paſſione ſua rubicundus fuit, & ſanguineum ſuccum emiſit, quia de latere ejus fluxit ſanguis & aqua. Et ideo de Jeſu bene dicitur, *quia inde erat tranſiturus*. Quoniam ipſe per mortem Crucis de hoc mundo tranſiturus erat ad patrem. Sicut per Joannem Evangeliſtam dicitur. *Sciens Jeſus quia venit ejus hora*, videlicet paſſionis, *ut tranſeat de hoc mundo ad Patrem*. Ergo Zachaeus qui juſtificandus interpretatur ideſt peccator, qui & juſtificari. deſiderat, imitetur paſſionem Chriſti, crucifigat carnem ſuam cum vitiis, & concupiſcentiis, faciat fructus dignos poenitentia. Lavet lacrymis maculas mentis, humiliet ſeipſum, & dignam poenitentiam faciat. Et ideo recte dicitur ei a Domino, *feſtinans deſcende*, ideſt teipſum humilia, & hoc feſtinanter. Ac ſi dicat. Ne tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem. Cur autem feſtinanter deſcendere debeat, manifeſtat cum ſubjungit, *quia hodie in domo tua oportet me manere*. Sicut peccata vocantur tenebrae, ſic poenitentia & ad Dominum converſio vocatur dies. Unde converſis peccatoribus Paulus dicit. *Fuiſtis enim aliquando tenebra, nunc autem lux in Domino*. In hac itaque die, ideſt in poenitentia, & converſatione tua oportet me manere in domo tua, ideſt in mente tua. Unde ipſe ait. *Si quis diligit me ſermones meos ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*. *Et feſtinans deſcendit, & excepit illum gaudens*. Sicut Zachaeus gaudens Chriſtum in domo ſua ſuſcepit; ſic & nos pauperes in quibus Chriſtus ſuſcipitur, laetanter in domo noſtra ſuſcipere debemus. Scriptum quippe eſt. *Servite Domino in laetitia*. Et iterum. *Voluntarie ſacrificabo tibi*. *Et cum viderent omnes murmurabant dicentes, quod ad hominem peccatorem divertiſſet*. Sciebant enim eum peccatorem & publicanorum principem, ſed iſte peccator multo melior erat, quam illi qui murmurabant, & ſe juſtos eſſe fingebant. Hoc autem ſequentia manifeſtant dum dicitur: *Stans autem Zachæus dixit ad Jeſum: ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus, & ſi quid aliquem defraudavi reddo quadruplum*. Audiant hoc divites, qui non ſolum dimidium bonorum ſuorum pauperi dare nolunt, verum etiam pauperi ad oſtium buccellam panis cum magno clamore propter Deum petenti porrigere dedignantur. Audiant ſimiliter raptores, qui de bonis ſuis nihil pauperibus tribuunt, ſed potius bona pauperum violenter, rapiunt; & non ſolum rapta in quadruplum ſicut Zachaeus non reſtituunt, verum etiam nec aliquid propter Deum rogati volunt reddere. Sed ſi illi, qui pauperi eſurienti cibum, ſitienti potum non porrigunt, nudo non dant veſtimentum audituri illi ſunt: *Ite maledicti in ignem æternum*. Quam vocem non ſolum illi qui nudum non veſtiunt, ſed & veſtitum expoliant, qui pauperi eſurienti cibum non tribuunt? Sed ſi quod pauper ad comedendum ſibi paraverat, violenter rapiunt, deſinant ergo rapere, ſtudeant bene facere, rapta reddere, & de propriis, & juſtis ſuis laboribus eleemoſinam facere, ut mereantur audire, quod Jeſus dixit ad Zachæum. *Quia ſalus huic domui facta eſt hodie, eo quod & ipſe filius ſit Abrahæ*. Hodie huic domui ſalus facta eſt, quia omni ægritudine, omni morbo, omni vitiorum contagione fugata, ſanata eſt. Et tota interius, & exterius ſanctificata eo quod ipſe, qui hujus domus habitator eſt, jam non publicanus eſt, ſed filius Abrahæ; filius dicitur Zachaeus Abrahae non genere, ſed imitatione. Abrahæ namque ſunt filii, quicumque Abraham imitantur, & Abrahæ opera faciunt. Abraham quidem Angelos. Zachæus vero Angelorum Dominum ſuſcepit hoſpitio, atque ideo domus iſta ſalvata eſt. Quia filius hominis venit quaerere, & ſalvare quod perierat. Quid eſt quod perierat, quid eſt quod ſalvare venerat filius Dei, genus humanum utique. Unde & Jeſus Salvator interpretatur. Unde Angelus beatæ Mariæ dixit. *Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum a peccatis eorum*. Ipſe dominus quoque de ſe ait. *Non venit filius hominis, ut judicet mundum, ſed ut mundus ſalvetur per ipſum*. Ergo fratres ſi volumus ſalvari ab ipſo, credamus in ipſum, ſperemus in ipſo, diligamus ipſum, ut perfecta fide, robuſta ſpe, perfecta caritate pervenire mereamur ad ipſum. Quod ipſe parare dignetur; Qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat in ſaecula ſaeculorum. Amen.

FINITO LIBRO REFERATUR GRATIA CHRISTO.

JAM MIHI FIT DURUM, SEMPER EXPECTARE FUTURUM.

IN


IN SCRIPTA ANECDOTA ATTONIS EPISCOPI VERCELLENSIS

JOANNIS DOMINICI MANSI

PRÆMONITIO.

ATto Vercellenſis Eccleſiæ cathedram ſæculo x. ut ferunt, occupabat, atque eruditionis ſuæ undique per Italiam fulgorem ſpargebat. Nec ſane vulgaris erat viri hujus pro illiterato eo ſæculo ſcientia, digniſſimus ut inter Viros ſummos meliorum ſæculorum accenſeretur. Vixiſſe ille circa medium ſæculi x. vulgo hucuſque creditus eſt. Verum cum ex eo, quod primus ego evulgo, opuſculo conſtet, ſcriptum illud extitiſſe poſt obitum Sylveſtri II. Romani Pontificis, obieritque Sylveſter in exordio ſæculi xi. hinc conſequitur non quidem in medio ſæculi x. ſed in fine ejuſdem, & ad ſæculum uſque xi. vitam prorogaſſe. Nodus tamen hic vindice dignus ſeſe offert; nam Ughellius qui anno 945. exordia Attonis aſſignat, & uſque ad annum 960. prorogat, Attonis ſucceſſores ante ſæculum xi. ſtatuit Ingonem, Adelbertum, Petrum, Reginfredum & Leonem. Nec ſane dubitari poteſt anno Chriſti 1000. Leonem Vercellenſi huic Eccleſiæ præfuiſſe Epiſcopum, cum extent apud Ughellium datæ eodem anno literæ Othonis III. Imperatoris ad preces Leonis epiſcopi Vercellenſis. Quomodo ergo Atto præfuiſſe potuit eidem Eccleſiæ anno 945. & poſt intermedios alios Epiſcopos iterum in medium produci ſub Epiſcopi titulo poſt obitum Sylveſtri II. qui uſque ad annum 1003. ſedit? Igitur vel promoveri debet Attonis epiſcopatus paulo poſt annum 1000. ſtatuique medius inter Leonem & S. Petrum II. defunctum, ut tabulæ Ughellianæ præferunt, anno 1026. vel duos diſtingui Attones oportet, quorum alter Vercellenſem cathedram tenuerit ab anno 945. uſque ad 960. alter vero quem II. ſcribi oportet, qui ſtatim ante Petrum clavum eccleſiæ Vercellenſis gubernaverit, cuique ſcripta hæc a me evulganda tribuenda ſint. Id vero poſtremum magis credo, cum extent apud Ughellium literæ Hugonis & Lotharii regum pro Attone epiſcopo Vercellenſi ſignatæ anno 945. regni Hugonis XX. Lotharii XV. Indictione III. Idibus Auguſti. Niſi tamen verba Attonis in principio ſui Perpendiculi commemorantia Summum opilionem Sylveſtrum *de alio quopiam Epiſcopo accipere voluerimus, quod tamen vix ex me impetraretur.*

Porro Attonis hujus ſcripta Orbi erudito primus patefecit Dacherius Spicil. t. I. pag. 402. nov. edit. & ex unico, qui huc uſque innotuit, Vaticano codice produxit epiſtolas IX. & Capitulare, *quod tamen ipſe male tribuit Attoni, cum titulus Vatic. codicis, a me conſulti, proferat tantummodo*: Capitula Canonum excerptarum (*f. excerptorum*) de diverſis conciliis, decretalibus, ſtatutis, atque epiſtolis congruentium ad Forenſe judicium collecta tempore domni Attonis epiſcopi. *Sunt autem capitula centum, ut extant in Dacherio, ſignanturque in fine monogrammate quod hic ſubdo.*



Alterum igitur Attonis ſcriptum a Dacherio prolatum, ſunt epiſtolæ IX. quamquam inter illas nonnullæ occurrunt ab aliis ad eumdem datæ.

Tertium opuſculum, quod pariter Dacherio debemus titulum præfert de Preſſuris Eccleſiæ; *in cujus tamen fine fragmentum legitur in codice, quod a Dacherio prætermiſſum ſeu potius ex incuria non deſcriptum ab iis, quibus Dacherius ſibi opuſculum deſcribi mandavit, hic ſuppleo.*

Demum in eodem Vaticano codice ſignato 4322. occurrunt ejuſdem Attonis ſermones nonnulli ad populum habiti, ex quibus aliquos ſpeciminis gratia mihi deſcripſi, cum præ anguſtia temporis omnes nequaquam potuerim.

Accedit fragmentum quoddam in morem Litaniarum in honorem S. Euſebii Vercellenſis epiſcopi, & notitia Plebium ad Epiſcopatum Vercellenſem pertinentium ab eodem codice accepta.

Nec prætermiſſam volui notam quandam in eodem codice eademque manu, qua reliqua omnia deſcriptam.

Quartum eſt Perpendiculum *quod hic a me repræſentatur. Porro, ut hiſtoriæ in eodem opuſculo ſubobſcuris verbis indicatæ lux aliqua affundatur, revocanda ſunt in memoriam Eruditorum ea miſeranda tempora quæ ab obitu Othonis III Imperatoris & deinceps Italiam afflixerunt. Otho III. Creſcentio Romano conſuli ſub juramenti fide decepto caput amputari juſſit. Verum reſipiſcens ſcelus*

ſuum

ſuum dura exomologeſi Romæ expiavit; ſed non diu poſt annum 1002. *morte ceſſit, non ſine ſuſpicione veneni, a Stephania uxore Creſcentii ab eodem Imperatore capite plexi, præparati. Eo ſublato, Romani arma ſuſceperunt in Germanos, a quibus male affecti ſunt. Vacuam interim Principe ſuo Italiam occupavit Ardoinus Eporegienſis Marchio, qui Italicos Principes iniquius habuit; ex quo ira commoti Principes illi occultis literis Henricum ad Italiæ regnum invitarunt. Eam rem ſubodoratus Ardoinus ſtatim cum exercitu accurrit, fauceſque Italiæ occupans, Germanos terga vertere coegit. Redierunt tamen annis ſequentibus Germani iterum in Italiam duce Henrico II. Germaniæ rege, & favore Italorum Principum brevi Italicum regnum ad ſe vindicarunt, ac Ardoinum Principatu expulerunt, qui tandem deſperatione actus cucullum monaſticum induit; quod contigiſſe anno* 1015. *Muratorius in annalibus Italiæ ad eundem annum ſcribit. Attamen, ſi credimus Annaliſtæ Saxoni narranti, Ardoinum expuliſſe Leonem epiſcopum ab urbe Vercellenſi, eamque ſibi injuſte retinuiſſe uſque ad indutum cucullum, inferre hinc liceret, Attonem noſtrum poſt Leonem hunc epiſcopatum obtinuiſſe ante S. Petrum; quo tempore Urbs illa ſub Henrico II. Germaniæ rege alta pace fruebatur. Congruunt hæc cum adnotatione quam in eodem Vaticano codice repertam hic legendam offero. Narratur enim in ea, Attonem his* Perpendiculum *ſuum evulgaſſe; (& quidem bis in codice legitur) ſemel obſcurius metu prohibitas, ne apertius ſcriberet; iterum vero planius, metu ſublato, cum adnotationibus explicantibus ea, quæ per ænigma antea indicaverat, reformato etiam hinc inde textu. Hic datur ſecundum ſcriptam, vetantibus anguſtiis temporis, ne primum pariter exhiberem.*

ATTONIS VERCELLENSIS
EPISCOPI
OPUSCULA QUÆDAM.

IN fine operis de preſſuris Eccleſiæ poſt illa verba etiam Beatus Papa Alexander, *haec adduntur* ... Perſonam potentis accipere ut requiſiti ab eo pro favore . . . . . non dubitent in cauſa proximi . . quis eſt veritas, niſi ille qui dixit: *ego ſum via, veritas & vita?* augumentari etiam . . . . . ſcelere quam & de oppreſſorum miſerabili eliſione, cum ſit noſtri opprimi, ... vero inſtantiſſime juvare. Unde B. Ambroſius: *errantem amicum corripe . . . . ne deſeras; in adverſis enim amicus probatur. Nam in proſperis amici omnes videntur.* Et iterum: *non defendas improbum, & ſancta indigno committenda non arbitreris; neque impugnes acrius crimen, non deprehendis* (ſic). Et alibi: *Nihil opinionem imo* (ſic) *fidem gravas, quam ſi in judicando potentiori dones cauſam inferioris, & pauperem innocentem arguas, divitem excuſes reum culpæ.* Et rurſus: *his enim favemus frequenter, a quibus referendæ vicem ſperamus gratiae. Sed eo magis infirmos & inopes ſuſtentare convenit, quia pro eo, qui non habet, remunerationem ſperamus a Domino Jeſu, qui ſub ſpecie convivii generalem virtutum edidit formam, ut his potius noſtra conferamus beneficia qui nobis ea non poſſunt repræſentare, dicens: ad convivium atque epulas non eos qui divites ſunt, ſed pauperes invitandos; idem adjuvat ad profectum bonæ exiſtimationis, ſi de potentis manibus eripias inopem. Nam ſi oppreſſum opibus potentis & factione magis, quam ſceleris ſui vitio gavatum liberaveris, egregie valeſcit opinioni teſtimonium.* Et Job ait: *ſalvum feci pauperem de manu potentis, & pupillum cui adjutor non erat, adjuvi:* Et item. *Benedictio perituri in me veniat.* Et Iſaias: *confortate manus diſſolutas, & genua debilia roborate: dicite puſillanimis, nolite timere.* Quapropter, fratres mei dilectiſſimi, a rectitudinis tramite nullatenus recedamus, quia ſecundum eumdem B. Ambroſium juſtitia nec locis nec perſonis nec temporibus excipitur; ſed in Domino unanimiter confidentes dicamus: *Bonum eſt confidere in Domino quam confidere in homine. Bonum eſt ſperare in Domino quam ſperare in Principibus,* & illud proculdubio Evangelium patienter expectemus: *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum,* ubi nos pius Dominus perducere dignetur, cujus regnum & imperium ſine fine permanet in ſæcula ſæculorum. Amen.

ATTONIS VERCELLENSIS EPISCOPI
SERMONES VARII.

AD celebrandam Nativitatem Domini noſtri Jeſu Chriſti, fratres chariſſimi, jam nunc corda veſtra praeparate, vitam dirigite, mores componite, ut non nos veniens de negligentia judicet, ſed ex dignis operibus remunerare dignetur. B. Paulus clamat Apoſtolus: *Hora eſt jam nos de ſomno ſurgere.* Somnum itaque negligentiam appellat, quam excutientes a cordibus, bonorum operum inſtantiam nobis convenit frequentare . . . . ſtudioſe atque fere . . . . . aliquid negligenter offenderet ipſis eum placaret. Ecce nempe caelorum . . . . . ſpecialiter quodammodo ad viſitandum venit; cujus adventum nobis multo magis . . . . . . convenit providentis expectare, jejuniis, vigiliis, orationibus, continen-

tiis, eleemoſinis, caeteriſque virtutibus praeteritae culpae maculas a noſtrae mentis domo ſedule abluamus, nec ad eaſdem iterum redire intendamus. Minime quidem ſufficit, aliqua interveniente feſtivitate noſtram deponere iniquitatem, ſi, ea tranſacta, rurſus ad eamdem recurrere conſideremus. Hoſpes namque venturus ſic de praeteritis quemadmodum de praeſentibus ſic de occultis quemadmodum & de manifeſtis judicare volet. Denique Pſalmiſta ait: *Prope eſt Dominus omnibus invocantibus eum, qui invocant eum in veritate*. Cum enim ubique eſſe probetur Dominus, illis tamen proculdubio proximus dicitur, quibus propitius eſſe dignatur, ſcilicet qui invocant eum in veritate. Illi quidem in veritate eum invocant, qui ea, quae expediunt, digne rogant: qui vero ſupervacanea ab eo quaerere praeſumunt, vel qui ea, quae poſtulant non infimis mentibus rogant; ipſi profecto in veritate eum non invocant, nec prope habere merentur, ut illud: *longe eſt a peccatoribus ſalus*: nam qui ficte Deum quaerit, nunquam eum inveniri (ſic) merebitur. Hinc ſcriptum eſt: *Spiritus Sanctus effugiet fictum*. Quod bene quoque per Angelos Dominicam nativitatem paſtoribus nuntiantes declaratum eſt dicentibus (ſic) *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonae voluntatis*; bona voluntas eſt non ſolum mala non agere, ſed etiam nec velle. Jure ergo talibus Chriſti pax nuntiatur. Qui vero homicidia, odia, furta, perjuria, ſeu caetera vitia ſic ad tempus ſimulant declinare, ut ad haec eadem iterum reverti jam corde conceperint, ii profecto bonae voluntatis non ſunt, nec Chriſti ei conceditur pax; nam miles arma deponit, corpus reficit, membra refovet, ut tempore opportuno reſumptis viribus eiſdem armis rurſus valeat dimicare. Non ſic . . . . perſtringere gaudeamus.

ITEM IN PENTECOSTE

SERMO.

PEntecoſten, fratres chariſſimi, diem feſtum colimus, quem a dominica Reſurrectione quinquageſimum numeramus. Pentecoſten enim Graece, Latine quinquagenarium intelligimus; nam quinque decades hunc numerum conſequuntur. Qui dies ideo celeberrimus inter anniferias habetur, quia in eo Spiritus Sanctus ſcilicet Paraclitus e caelo veniens Apoſtolos adeo confirmare dignatus eſt, ut omnem metum, quo prius clauſis januis ſub ſilentio detinebantur, eorum cordibus excutiens, mox eadem clauſtra reſpuentes libera voce Chriſtum palam omnibus gentibus variis linguis praedicarent. Bene autem ejus adventus a Paſchali gloria tantis diſtat diebus, quia hujus Spiritus ſeptem ſunt dona ſeptem enim ſepties multiplicata eorum, qui interſunt, dierum numerum comprehendunt. Sed hic unus ſcilicet quinquageſimus rite additus praeponitur, quia etſi diverſa ſint dona, unus tamen atque idem eſt Spiritus, cujus ideo feſtum per ſeptem dies deducimus, quia unicuique dono ſingulos dies mos Eccleſiaſticus dedicavit. Nec defuerunt haeretici, qui dicerent hunc Spiritum, non a Patre ſimul & Filio, ſed a Patre prodiiſſe tantummodo, quibus ex ipſius veritatis congruenter poſſumus occurrere teſtimoniis; ait enim ſuis in Evangelio Apoſtolis: *Cum venerit Paraclytus, quem ego mittam vobis a Patre*; & iterum: *Si ego non abiero, Paraclytus non veniet; ſi autem abiero mittam eum ad vos* . . . . Quibus verbis ſatis aperte . . . . . . non tantum a Patre, ſed etiam a Filio pariter proceſſiſſe. ſed quia haereticorum . . . . . . funditus evacuatur perfidia, nos ad jam coeptae feſtivitatis incedamus preconia. Quinquageſimus enim numerus remiſſionem ſignificat, quod ex veteri poſſumus Teſtamento colligere. Nam quinquageſimo anno qui Jubilaeus, ideſt remiſſionis vocabatur, debita debitoribus, ſervis etiam ad libertatem tendentibus ſervitia ultro remittebantur. Bene ergo & hic quinquageſimus dies Jubilaeus dici poteſt, quia Spiritus Sanctus superveniens Apoſtolis remiſſionem illis omnium tribuit peccatorum, eoſque liberos a fragilitate reddidit priſtinae contagionis. Qui etiam in veteri Teſtamento feſtus colebatur, atque in eo primum apud eos panes de novis frugibus in templo annue miniſtrabantur. Myſtice enim apud eos ipſo die panes de novis frugibus, ideſt novae virtutes S. Spiritus, quibus nutrimur & vivimus, primum per Apoſtolos traditae ſunt gentibus. Nec deeſt a ratione, quod quinquageſimo die, poſtquam Dominus Ægyptum in primogenitis percuſſit, ejuſque principum poteſtatem deſtruxit, atque filios Iſrael de eorum ſervitute, & maris rubri profundo liberavit, legem per Moyſem, quam populis praedicaret, dare decrevit; & quinquageſimo die poſtquam infernum in ſuis primitiis percuſſit, ejuſque principum poteſtatem deſtruxit, & omnium, qui illic indebite detinebantur, de profundo mortis eduxit, per Spiritum S. Apoſtolis qualiter agerent, ſeu alios inſtituerent declarare curavit. Sed divina providentia, alteram Iſraelitico populo per Moyſem, alteram nobis per ſanctos Apoſtolos legem voluit commendare. Illa minatur interitum. Haec jugiter poenitentiam docet: quod oſtendit Moyſes, cum poſt datam legem deſcendens de monte, rediret ad populum. Certe cum inveniſſet peccaſſe populum in vituli aurei adoratione dixit: *Haec dicit Dominus Deus Iſrael: Ponite unuſquiſque gladium ſuum ſuper femur ſuum, & occidat unuſquiſque fratrem ſuum, & unuſquiſque proximum ſuum, & unuſquiſque affinem ſuum*. Beatus vero Petrus princeps Apoſtolorum cum reliquis per adventum S. Spiritus illis etiam qui ipſum Dominum crucifixerunt conſtanter ait: *Poenitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti in remiſſionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus Sancti*. Redemptor namque noſter veteris legis duritiam temperans, amarum potum ſua incarnatione fecit eſſe potabilem. Denique in veteri Teſtamento ſcriptum eſt: *Anima . . . . . . gaudium erit in caelo ſuper uno peccatore poenitentiam agente, quam ſuper nonagintanovem . . . . . non indigentibus poenitentia*. Videte, fratres, ne perdamus poenitendi tempus, quod totum eſt indulgentiae conceſſum. Nam poenitentiae fructum dicimus quidquid pro delicti ſatisfactione boni operis ad divinam reconciliationem tendendo pergimus. Jejunia, vigiliae, continentiae, orationes, opera miſericordiae, ſeu caeterae virtutes. Multas quippe nobis Chriſtus ſemitas praepoſuit, per quas perditionis ſoveas declinare valeamus: ſed quanto plura ſunt evadendi conſilia, tanto miſeriores ſunt, qui deſcendunt in lacum. Licet igitur tranſactis diebus quaſi in nuptiis pro continua ſolemnitate in deliciis vixerimus, ſtanteſque orationis vota Domino perſolverimus; nunc autem abhinc terra proſtrati lacrymas fundamus, jejuniis, & vigiliis operam demus, poenitentiae ſacramentum ſuſcipere feſtinemus. Ait enim Dominus in Evangelio: *Non poſſunt filiae ſponſi jejunare donec cum illis eſt ſponſus: veniet hora cum auferetur ab eis, & tunc jejunabunt in illis diebus*. Tranſacto quoque tempore quodammodo nobiſcum quaſi per corporalem Dominum habuimus praeſentiam. Sed nunc jam caelus aſcendit. Ad dexteram ſedet Patris, promiſſum Spiritum cordibus fidelium infudit, qui eos indeſinenter orare, jejunare, ſeu caetera bona opera agere monet, ut quem corporaliter jam nunc attingere nequeunt, ejus ubique valeant ſentire ſolatium. Sed qui tale donum recipere meruerunt, ſic vivant neceſſe eſt, ut ab eo non ſeparentur in aevum, piorum nobis peccatoribus in omnibus convenit aequipedare veſtigia, taleſque noſmetipſos praeparare oportet, ut ſi necdum Spiritus Sancti gratiam percipere meruimus, vel perceptam peccando repu-

limus

limus, ad ſuſcipiendam, vel etiam recipiendam pariterque cuſtodiendam inveniamur idonei, ipſum Salvatorem omnium pura mente, devoto ore, dignis operibus rogitare inſtemus, ut nobiſcum in aeternum, etſi non corporaliter, per ſuffragia manere dignetur, ipſo praeſtante, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & gloriatur Deus per omnia ſaecula ſaeculorum. Amen.

Idem Sermo abbreviatus ne vulgares faſtidirent: Pentecoſten, fratres chariſſimi, diem ſanctum colimus &c. *& reliqua fere ut in praecedenti Sermone, nonnullis reſecatis.*

SERMO EJUSDEM

In Depoſitione Beatiſſimi Euſebii Vercellenſis Epiſcopi.

DE praecipuis, fratres chariſſimi, ſolemnitatibus ſemper nobis aliquid dicendum eſt vulgaribus ut noſtro diſcere valeant ſermone, quod celebrare contendunt ex more, ſed in hac feſtivitate nihil eis pronunciare poſſumus aptius quam ſi noſtri patroni geſta diſſeramus rectius. Igitur beatiſſimus Euſebius, cujus hodie feſtum colimus Sardiniae provincia natum cognovimus; Romae tamen unda baptiſmatis ablui, & ab ipſo Summo Pontifice ſacro de fonte ſuſcipi, ejuſque nomen meruit adipiſci. Quod nomen bene adluſit ad gratiam; nam pius fuit ab ipſa infantia. Euſebius enim pius interpretatur, licut a Graecis interpretibus declaratur. Sed qui regeneratus eſt per B. Papam Euſebium, Antiſtes ordinatus eſt per ejus ſucceſſorem S. Julium. Eo quoque tempore Vercellenſis civitas magna totius Italiae pene erat haereſi victa. Ad hanc quidem deſtinatus eſt Euſebius, qui fide, verbo, & opere cunctis fuerat praeditus. Hunc frendens coetus Arianorum adeo ſpernebat, quem verae fidei adſertorem eſſe cernebat. Et quia non timuerunt blaſphemare Redemptorem, auſi ſunt etiam refutare praeconem. Concludunt ſe B. Dei Genitricis Eccleliae januis, quam piae memoriae Conſtantinus erexerat a fundamentis. Vectibus & ſeris muniverunt aditum ut vel ſic repellerent paſtoris adventum. At paſtor egregius ſigno crucis omnia confregit, qui ad S. Trinitatem praedicandam libera voce venit; & qui Filium Dei aequalem Patri teſtificari non metuit, ejus matris januas ſeſe pandentibus intrare meruit. Cedunt Ariani tanto pavore perculſi, atque ad crudeliſſimum properant Imperatorem confuſi. Nam Conſtantius illius temporis Imperator pernicioſus erat catholicae fidei ſupplantator, & quia ſciebant haereticum, libere accuſabant catholicum. Ad ſynodum mox cunctos Epiſcopos Mediolanum convocat fraudulenter, ut S. Patres ſic extinguat latentes. Ad quam B. Euſebius ſic diſtulerat, quem quid agendum erat minime latuerat. Chyrographum in ſua fide ab haereticis factum Imperator laudabat, quod filium minorem Patre per omnia praedicabat. Contra quod Catholici prima fronte contenderunt . . . . . inenarrabiles corde profudit gemitus. Nec ſe jam potuit continere, quin ad memoriam revocaret concilium . . . . . contenderet. S. Evangelii chara deportans pignora feſtinus ad flumen mox pervenit: ſicidem naviſque per quam tranſire conſueverat ad ripam tunc morabatur alteram, quam ut vocavit, ſola ad eum venerat ſuſceptum, undam & tranſvexit validam. Inde progreſſus ad urbem metropolim ingentem luctum planxit cum catholicis. Extinguens luctum locutus eſt prudentiam, fratribus cunctis dedit indulgentiam, ſi ejus deinde ſequerentur veſtigia. Imperator eum ſuſcipiens magnam finxit humilitatem, ut ejus ad ſacrilegium taliter ſeduceret ſecuritatem: dicens: Scribe frater quod ſubſcripſimus. Confirma tu, quod nos omnes jamdudum firmavimus. At

prudens frater ſe hoc facere deteſtabat, quippe priorem omnibus chyrographi inſcriptione ſe ſupponere denegabat. Illud deſtruere, & aliud fieri pracclamabat, in quo ſe prior ſubſcribere jam valeat. Sic divino nutu tyrannum deludere potuit, quem callide tyrannus decipere voluit. Nec mora: ipſum conceſſum eſt cremari, & aliud non ejus ſimile praeparari. Quod taliter compertum eſt penitus quemadmodum B. dictaverat Euſebius. In hoc catholici conſenſerunt. Uno omnes animo poſt eum ſubſcripſerunt. Hanc fidem promiſerunt contendere, hanc pro ipſa mortis injuria polliciti ſunt non negare. Videns Imperator horum non poſſe diſſolvi conſtantiam, omnem fere in B. Euſebium convertit inſaniam. Tunc ratio cenſuit eum affligi periculo; carceres & compedes acerbos pertulit, fame, & ſiti longo tempore laboravit. Signis & virtutibus ibidem declaratus eſt. Angelicis conſolationibus ſaepe conſortatus eſt. Nec in tantis tamen conſtitutus periculis ſiti bonus Paſtor immemor factus eſt gregis. Nam literis eum de longinquis partibus inſtanter viſitabat, & de catholicae fidei perſeverantia jugiter corroborabat. Sed jam jam pene cedebant catholici, nam diu eos perſequebantur haeretici. Tandem miſerans Dominus tyrannum extinxit improbum, & B. Euſebium ſolum reduxit ad proprium. In quo ille itinere oſtendit viſionem, unde ſui corporis cognoſceret reſolutionem. In vertice montis per viſum ſe ſtare putabat, & altius ad quoddam palatium ſole praeclarius pennis evolare credebat. Intellexit illico ſe de praeſentis . . . . . eique fidem Chriſti conſtanti praedicabat ſermone. Se mox migraturum de ſaeculo aſſerebat. Illos poſt ſe & multa paſſuros praedicebat. Patienter tamen haec toleranda monebat, ſuæque conſtantiæ & paſſionis exempla proponebat, & inſuper æternæ remunerationis gaudia promittebat.

Nec defuit ſeditio Ariana quin martyrem compelleret ad coronam, fuſtibus & gladiis ſuper eum inſurgere, & lapidibus non timuerunt obruere. Ictibus illorum fracto cerebro occubuit, & ſanctam Deo taliter animam reddidit. In ea autem a ſuis diſcipulis eccleſia eſt ſepultus, quam ipſe olim in honorem martyris Teoneſtі conſtruxerat divino amore compulſus, ubi multa beneficia præſtantur omnibus, qui B. Euſebium puris exorant precibus. Nos quoque ſuis orationibus ab aeterno liberet ſupplicio, qui hodie, quod eſt Kal. Aug. de carnis ereptus eſt ergaſtulo.

EJUSDEM SERMO

IN ASSUMPTIONE

B. Dei Genitricis ſemper Virginis Mariæ.

ASſumptionem glorioſae Mariae ſemper Virginis hodie celebramus, quam in Cæleſti throno collocatam devotis precibus adoramus. Nam ipſe Deus & Dominus, cujus omnes Genitricem colimus ait in Evangelio: *ſi quis mihi miniſtraverit, me ſequatur, & ubi ſum ego, illic & miniſter meus erit*. Prae cunctis enim mortalibus S. Dei Genitrix Chriſto Domino miniſtravit; quem adeo eſt ſecuta, ut cum triſtante triſtaretur, cum patiente pateretur, de cujus tamen paſſione ei praedictum eſt: *Et tuam ipſius Animam pertranſibit gladius*. Vere ergo cum ipſo manet in caelis, cui ſedulo ſervivit in terris. Item diſcipulis ſuis ipſe alibi ait: *In illo die cognoſcetis quia ego ſum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis*. Item *ſicut ego & Pater unum ſumus, ſic vos & ego unum manebimus*: quod enim ait Apoſtolis hoc ſentiendum eſt & de caeteris juſtis. Quid ergo mirum quod in eo ſunt ſi in caelis conſiſtunt? Aut quid etiam magnum ſi B. Maria caeleſtis eſſe meruit, cum B. Apoſtolis de omni-

Digitized by Google

omnibus juſtis dixerit: *Qualis cæleſtis eſt, tales & cæleſtes?* caeleſtis enim Chriſtus eſt, qui de caelo deſcendit, quem etiam in dando ejus participatione caeteri quoque juſti caeleſtes eſſe meruerunt. Nec videatur contrarium quod Dominus ait in Evangelio: *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui de cælo deſcendit Filius hominis:* Deus enim Chriſtus eſt Dei Filius & hominis, qui ſolus de Cælo deſcendit, immo qui & ſolus aſcendit. Caeteri . . . . . autem qui in ipſo ſunt, unum ſunt, & jam diverſi non ſunt, ſed ejus membra ſunt. Et ideo ſolus aſcendit, dum ea quae in ſe . . . . habitare in caelo. Nam apoſtatae angeli, qui in caelo fuerunt, qui a Deo receſſerunt inde . . . . . . homines in Deo adhaeſerunt in caelo ſublimabuntur, quod immo de B. Maria dicendum eſt quod prae cunctis mortalibus in ea manſit Dominus? Et ideo in ipſo eam manere nullo modo diffidimus; de cujus tantum corpore corpus aſſumere dignatus eſt, eam ſibi membrum coaptaſſe non dubium eſt; & cui prae omnibus adhaeſit in terris, ipſam ſibi prae cunctis applicavit in caelis. Corporis vero ſui jam factam reſurrectionem affirmare minime audemus, quia nec a SS. Patribus hoc declaratum eſſe cognoſcimus. Denique in valle Joſaphat ejus ſepulturae manet locus, ubi tamen ejus non reperitur corpus. Sed qui de ea ineffabiliter carnem eduxit, ipſe, quod de ejus ſit corpore novit. Tamen ſive in corpore, ſive extra corpus ſuper choros angelorum in caelis exaltatam confitemur: ſi enim veraciter omnes juſtos reſurrecturos cum propriis corporibus quandoque credimus, eoſque in aera occurſuros Deo, & ſic ſemper poſtmodum cum ipſo manſuros confidimus ſecundum quod B. Paulus ait Apoſtolus: quid mirum ſi matri per quemdam miſerationis effectum Dominus anticipando praeſtitit, quod omnibus in fine ſaeculi ſanctis donabit, cum mortalia corpora immortalitate induerit. Denique ſcriptum eſt: *alia claritas ſolis, alia lunæ, alia ſtellarum:* per claritatem namque ſolis reſurrectionem Apoſtolus docuit Salvatoris, de quo ſcriptum eſt: *vobis, qui timetis Deum orietur ſol juſtitiæ.* Per lunae intelligere poſſumus etiam matris ſuae: Nam ſicut luna a ſole praecipue inter ſidera illuminatur, ſic & ipſa a Domino inter caeteros juſtos divino procul dubio lumine potius illuſtratur. Cum vero ſtellarum ſubjunxit, caeterorum SS. reſurrectionem innotuit. Sequitur: *ſicut ſtella a ſtella differt in claritate, ſic & reſurrectio mortuorum:* nam diſcretio vitae varietatem gignit reſurrectionis. Poterat forte reſurrectio Dei Genitricis praecedere aliorum anticipando, quos per vitae meritum in terris praeceſſerat vivendo. De morte quoque ipſius nullam fingamus dubietatem, quam & in ſui Filii cognovimus humanitate. Morti tamen ſuccumbere diu non meruit, quam, ex ea ſumpta carne jam reſurgendo devicit: nempe cujus filius caelos aſcendit per majeſtatem, matrem illius aſſumere poterat per pietatem. Nec dubium eſt ſuam impertiſſe gloriam, eamque totius mundi conſtituiſſe dominam. Nam qui patrem & matrem . . . . ſcripturarum exemplis poſſum adprobare . . . . S. Virgo adepta eſt dignitatem, dum Dei meruit effici mater. Virgo peperit puerum, mulier genuit Deum. Spiritu S. gravidata eſt. Auctore mundi fœcundata eſt, ſuper choros angelorum exaltata eſt, quo nos Dominus ejuſdem Virginis interventu perducere dignetur, cujus &c.

EJUSDEM SERMO.

In Nativitate B. præcurſoris & Martyris domini N. J. C. Joannis Baptiſtæ.

PEr Evangelicam Lectionem Fratres chariſſimi Beatiſſimi Joannis præcurſoris D. N. J. C. nobis eſt denuntiata Nativitas, de cujus præparatione aliquid nunc jam edocendum eſſe videtur, quia omnimodis cavendum eſt ne vulgus polluat ignorantia, quod ſumma obſervare cogit obedientia, ſi autem neſcientes deliquerint in talibus, una nos cum illis involvet ſententia; ſi vero quae docuerimus contempſerint, ſic alienum deflebimus ut noſtrum exinde non timeamus periculum. Cognoſcat igitur prudentia veſtra malam de tam glorioſa ſolemnitate crebris in locis inoleviſſe conſuetudinem, ut quedam meretriculæ Eccleſias, & divina officia derelinquant, & partim per plateas, & compita, fontes etiam & rura pernoctantes choros ſtatuant, cantiunculas componant, ſortes deducant, & quidquid alicui evenire debeat in talibus ſimulent augurari. Quarum ſuperſtitio adeo gignit inſaniam, ut herbas vel frondes baptizare præſumant, & exinde Conpatres, vel Comatres audeant vocitare, ſuiſque domibus ſuſpenſas diu in poſtmodum quaſi religionis cauſa ſtudeant conſervare. Nam B. Johannes ideo Baptiſta dictus eſt, quia ipſe primum baptiſmum remiſſionis hominibus prædicaverat, & baptizandi miniſterium ſumpſerat, auctoremque omnium ſuo meruit lavare baptiſmate: Cæterarum . . . . Beatiſſimi quoque Petri principis Apoſtolorum feſtivitatem hujuſmodi ſolent uetus commaculare; quarum aliæ maleficiorum, aliæ ſtupri cauſa talibus vanitatibus interſunt. Conſiderate ergo Fratres chariſſimi quantum dedecus tales nobis prioribus, quantumque ſibi inferant detrimentum, & ſic unuſquiſque ſtatim domum ſuam a talibus purget erroribus. Partiamur omnes partiamur praemium: debet enim unuſquiſque noſtrum domui ſuæ præeſſe Epiſcopus, quia Epiſcopus ſuper-inſpector dicitur; ab unoquoque enim quantum creditur, tantum exigitur. Videte quia nullus eſt, cui aliquid non credatur, & a quo aliquid non exigatur. Ad cultum ergo tantæ feſtivitatis viciſſim nos invitare curemus, abſtergamus errores, cunctas hæreſes repellamus. Jejuniis, vigiliis, orationibus præcurramus, ut devote tam præclari Martyris feſtum celebrare mereamur, præſtante D. N. J. C.

FRAGMENTUM

VETERUM PRECATIONUM

IN FORMAM LITANIARUM

IN HONOREM S. EUSEBII.

Ex Cod. Otthonis.

. . . . factus eſt Euſebius, & Chriſtianæ legis maximus. Exaudi nos.

. . . . . Omnes ſacro ſibi ſuſcepit, & praeſul factus Vercelles directus eſt. Exaudi &c.

. . . . Hæreſiarca quae cum eſſet civitas dure paſtorem orthodoxum ſpreverat. Exaudi &c.

In S Templo Mariae ſe obſtruunt, doctor ad eos ne intret Catholicus. Exaudi &c.

Charus ſed Deo ſigno Crucis fregerat vectes & ſeras, & intravit januas. Exaudi &c.

. . . . de luce conſubſtantialiter prædicans multos inſtruxit fideliter. Exaudi &c.

Mox ſed Tyrannus callide Conſtantius ſynodum dictat in urbe Metropoli. Exaudi &c.

. . . . Minorem in qua Patris Filium temere pulſat ſcribere Catholicos. Exaudi &c.

. . . . . . Occurrere præſul & ad fluminis moratur ora cum unda . . . Sicidae. Exaudi &c.

Navis, quae erat ad alteram Ripam ad eum ſola, quia juſſerat. Exaudi &c.

Ut facto celere ir Mediolanum ad confligendum cum Tyranno. Exaudi &c.

. . . . . Nec ſuaſionibus ceſſit, tunc vinctus conditur exilio. Exaudi &c.

. . . . Ty-

. . . . Tyrannus ſed poſtquam eſt mortuus paſtor ad caulas reverſus eſt proprias. Exaudi &c.

. . . . Avidos invenit Ariani dogmatis, ut jam eum pancis degeret Catholicus. Exaudi &c.

Verum cohors ruit in Pontificem, mortem dederunt prædicanti vivere. Exaudi &c.

. . . . ſic ſanctam tunc reddidit animam, hic ſepulturae locus manet celeber. Exaudi &c.

. . . . . Reſultat & pollet miraculis triſtes levantur & languentes tibi. Exaudi &c.

. . . . Hunc rogare pariter ut intercedat pro nobis ad Dominum. Exaudi &c.

In fine Epiſtolæ Attonis Vercellenſis ad Waldonem, in Cod. Vatic. 4322. eadem manu ac reliquus Codex ſic lego.

Nomina plebium Epiſcopatus S. Euſebii.

✠ Prodobio, Cozzo, Martyri, Mediolano, S. Evaſii, Ruſciniano, ſeu Caſſiani, Caſtello Turris, Montiglo Pini, Duperia, monte Calano.

1. Balzola, Tridino, Cornetae, Medae, Palaciolo, Palazzo, Feuuerno Salucra, Ciciliano, Scevoli . . . .

Sanctae Agathae, S. Secundi, S. Peregrini, Bugella, Coſſatae, Diſſellenga, Badalauco.

4. Bulgari, Blandendæ, Albano, Senre, Radi . . . . . . Nivola.

ATTONIS EPISCOPI VERCELLENSIS PERPENDICULUM.

INCIPIT POLYPTICUM, QUOD APPELLATUR PERPENDICULUM.

INCIPIT EPISTOLA.

Reverendo in me Fulano (1) valde Præſuli.

FUlanus cupiens me ſic beatum exitum inſtar Feliciſſimi Opilionis Silveſtri ſummi mortuus aliquibus, ſed mihi nec emortuus vivus immo mihi vividus es mortuus ſed vivus in me. Hujus laberinthi iter currentes, aut qua inſiſtendo vitare voraginem edoce, aut quo ſalubres ſublati adtingere poſſint delicias. Quae ſentio in hoc cernes; ſed ſic ego quae & tu comparantur. Cantabres ut pollini (2). En quae ego tu quae foeliciter redde. Amen.

EXPLICIT EPISTOLA.

INCIPIT ARGUMENTUM.

NOn chaos explicant Sophiſtae, bombinare rerum exequar aſſiduum orbi. Non ocia hoc calamo concuſſa piſtico, nec ofilla (3) pinſabunt. Feſſus jam hinc perpendiculum ponam. Cujus vocem non poterit compeſcere aciare, nec Attica (4) Rema inrumine E. A. J. P.

EXPLICIT ARGUMENTUM.

INCIPIT POLYPTICUM

QUOD APPELLATUR PERPENDICULUM.

FRagilis pompa hujus ævi languor eſt & quaeritur, peſtis eſt & omnimodis ambitur. Quae arridet in acceſſu, cum ſerpit delectat, in cujus adoleſcentia eſt ingens labor, cum intumeſcit proſternit, & cum receſſerit blaſphematur, quia ſolet clientes ſuos reddere ignobiles, ſpernentes autem ſe reddere glorioſos.

Non haec mirum quia cum hactenus extiterit ruina pene omnibus ſeſe appetentibus, nec arrogantes deficiunt adhuc, nec acerbitas ſe elevandi moderatur.

Fallentes ſe quidem praeſtantiores veteribus, quos provida cenſura accuſat ſegniores. Horum igitur faſces ſi enucleati gradatim initientur, dignum judico praenotandos quos rigentes ſerto exhibent redimitos. Num Chronici fraudant hoc, qui praeſertim ſummum vae, & ipſorum omne concrepant ohe? Haud perſtrepunt agmen eorum, qui gradiendo perplexum collem induxerunt ſequentes perrecta rubrica (5) quamvis pingant inextricabilem teſſeram, qui durantes nec ſuperſtites vixere, nec miſelli jocundantur. Sed nec autumo ſincerum nunc privatim adnotare facies geſtorum, nec eos quoniam pupilli muſta (6) aetate vident nunc etiam haec clara & hauſerant frequenter recitata a ſuis patribus, & reſtringunt certius menſcata. Nunc jam in promptu eſt cenſere membra praelibatae nequitiae ſecundum quod cura perlambens repraeſentaverit ipocondria (7) ſtilo. Tale quod reſolvimus diſcrimine trino ſcanditur faſtigium, quidam adjiciunt aſſem (8) aut cum praeſes nomi-

(1) *Fulanus apud Hiſpanos loco uniuſcujuſque proprii ponitur nominis, cum nomen deficit.*

(2) *Cantabres ſunt tenuiſſima purgamenta, ſquamarum ſimillima, de ſuperficie humanae cutis cum pruritu exurgentia in locis piloſis, & magis in capite, quae ſine aliqua exulceratione defluunt. Pollinis ſpecies eſt farinae tenuiſſimae & percandida, bovino corio ſetacta: Dicitur autem pollinis, eo quod caeteris ſpeciebus farinae praecellat.*

(3) *ferrum durum*

(4) *Attica Rema Graeciſa ſorbitiuncula: Gracia ſiquidem abundat pigmentis, quibus Rema ſeparatur.*

(5) *Rubrica linea rubeo colore protincta, ideſt quod ſic ſapientes in ſaeculari honore feliciter vixiſſent ut ſuo exemplo poſteros inſtruendo beatificaſſent.*

(6) *nova*

(7) *Praecordia*

(8) *Aſſem ideſt unum, quod eſt etiam & quartum diſcrimen; tribus enim ſi unum adiicias, profecto jam quartum erit; quod ſupponens ideo ait quidam, quia hic quartus aſcenſionis modus, plurimum diſplicet Sapientibus.*

nominatim ſignat quem claris nutibus vel cum eadem vox omnium calat (1). Vel cum eadem unum, aut eum parentis valido jure fas eſt perfrui throno. Improbus aut labor & cum veſana triumphis praelia conveniunt propere trucibus alteri inſurgere quem jam cantaverat praeco prophanis non conjurati omnibus execrabiles favent. Quid? Eainanitur aemulus penitus, cujus beneficio ditantur primi velites nec poſeunt intemerabile foedus in quo herilis ſomnus capiat dulcedinem.

Sed juvat interim jocundius tradneere remiſſum tempus & placito potiri adepris ut ambo principes terreantur per adverſas lites nec audeant potentes exſppitare. (2) Contra milites vel negare quidquam reſtat ut vigeant principes tantum miſerabili nomine ut potius nec compotes ſint immo privatae rei compotes. Tum ſedulo ruminant & ſecrata cura* rependere ſoeiis has ſtrophas. Quapropter nec taedet clanculo ſrequentare ſeſe divis ramis per cautos reveredarios qui nec nunciaſſe ſrivole piis ſolertes per quod milites prima inſligentur indagine ſulti. Externos etiam duces & conniventia rogant & xeniis cumulant & propere macta (3) deponunt. Cur pollicetur extimis (4) fortuna potentum necdum extorta (5) quam ii ſequeſtres geſtiunt praelibare (6) vel ſtrictim, ut auxilia eorum ſerveant edomare ſuperbos ſecum, vel ſi deſides torpeant tunc ſaevire per ſua arma denegent ſubſidia oppreſſis nam ipſi ſaevient. Specimen propterea reſtat doli quo affecti tribuni eliduntur in imo, cum horum milites cantant blandas regias auras; & dictati (7) muniatores (8) redeunt inda ad propria onuſtis humeris nec ferent duces dominos ipſorum primos arbitros etiam in largiendo beneficia ſeſe praeponent ſi ſint arcta an larga.

Et foenerant immunes a proprio, (9) & vehunt ſibi fidos detrimento alterius. Qui praeferunt per quos ſumunt, ſed non a quibus. Si ſors ſeparat hos, ipſi miniſtrabant donec diſcant ab alterutro perlata in alterutrum, quae melius ſilerent. Quos ſtatuunt quidem explorare, & inſtruere ſe ſe. E quibus ſpargunt per ſingulas domos velut ſemina, unde ſaepe metunt nugas, & ſaepe praeſciſennt expedientia. Hinc milites diluunt (10) primam fidem dominis, firmant ſervare ſecundam principibus, quae jam deerit. Tunc notant ſe infamia, ſupplantant dominos, nec reſpuunt denegare ſupremum. Sic illecti foeda cupidine, quandoque ſperant moeſtis praeſtare levia (11) ſi ſors differt quicquam periculi utcumque ingerit ex proprio & communando proſternunt.

Igitur Principes addunt munire ſcabroſa & cuncta radoſa per exeſum ut nil queat quis traducere ſibi ignotum. Et cui extant prævalida munimina aut premunt obſidibus, aut nituntur eximere. In quorum fide, ſi forte credas committere tuum ſundum, ut ſervent tibi, aut ſi cures imponere ullum titulum tum metiri propriis hæredibus elogium (12) quidquid utile eſt cunctis ſibi vindicant, neque ponunt diſpergere (13) ſaltem partem in his, quæ olim paraverant. Quis ſtruunt arees concilii, ut ne qua incurſio ſit, quæ terreat ipſos, ſed tranquille valeant mibi reddere meditata cuilibet. In qua ſtatuunt humatia (14) & componunt trilteza (15). At poſtquam ſolide præfixerint labentes plantas, tum diponunt digeſta jurgia inter animos procerum, & affirmant ſe eſſe ſocios utrorum adverſantium, & plagiatores accuſant æmulis æmulos infidos, quod ſanganeur (16) ei quoque perverſi ut illis. Semotos arguunt tanto crimine, (17) ne pandatur iniqua pharetra, & ne mordeat quemquam indifferenter (18) fore ingratum. Accitos canunt perelues (19) & perdurant diſſidium, conteſtando ſacris ne ſimul redeant cum ipſis ad priſtinum, donec verſentur in imo (20) & ipſi judices non ſequeſtrantur nitentes . . . .
has verſutas curas & ſuſurret; valebit ſi hæc fuerint deſerta infecta. Non lavant inſontes, quos nec cenſura fatigat. Tum Bronchus premitur horrore & vox urgens fulcire edicta politis præſtigiis exilii evadit ad aulas ſtridentibus poſtibus & lividis pupillis. Hic aſſertor veri notatur rabido ſtigmate, ut præda quantocius diſcerpenda. Quomodo cum maſtrugati Pharſi (21) intentant Tragelaphos (22) Scorpus (23) & prævius gradiens captaverit auras lethi, tum ſe duce contorquens agmina pecudum fugat per aëra, cui imputat (24) quiſque arcitenens, quod non fuiſſent omnes proſtrati; quem etiam ſolum imprecans blaſphemat, & fangat compeſcere. Sic qui valet cognoſcere fraudes ducum ſi protulerit in medium. At conſonos mandat cælare coruſeis plaſtis (25) & frequenter advocant martiſus (26) & in tritis & emiſſibus, (27) ut reſolvant ſeſe conditis dum ſunt (28) quibus & horridulis offam (29) inſuper ſtudent diſcludere (30) de cruore . . . . aut quæ relinquunt quos peſſundant. Miniſtrant his provectum donec (31). Sed de aliorum jactura. Ex quibus ſunt etiam quidam, qui dum aemulant ſortunam aliorum ſibi indeptam fatigant eos caſſare his praeſtigiis oſtendant inlices (32) luctus, & depromunt quod Principes, qui auxerant ipſos fixiſſent illis aerumnas (33) quos & produnt dignum (34) excludere, & repulſant vindicare haec, & differunt validum (35). Illi dum nituntur hoc perpetra-

(1) *vocat*
(2) *hiare, et aperire, & tractum eſt ab avibus.*
(3) *magis aucta*
(4) *longinquis*
(5) *per vim ablata*
(6) *Internuntii deſiderant leviter tangere*
(7) *frequenter vocati*
(8) *Regis conſiliarii*
(9) *Immunes a proprio idest a ſuo, ideo immunes a ſuo, quia de alterius detrimento eos fœnerant*
(10) *diſſipant.*
(11) *proſpera.*
(12) *Dicuntur ignominia ſive nota criminum, quia etiam tam apud Græcos, quam apud Latinos interjectio eſt dolentis. Apologia vero dicuntur convivia.*
(13) *dividere.*
(14) *loca ſunt ſecreta in theatro.*
(15) *poſtcœnia.*
(16) *agant.*
(17) *infidelitatis*
(18) *indiſcreta*
(19) *illuſtres*
(20) *abiciantur in infimo.*
(21) *maſtrugis veſtiti: maſtruga, namque veſtis eſt ex pellibus ferarum, & dicta maſtruga, quaſi monſtruoſa, eo quod eam induentes in ferarum habitu transformari videantur, apta venatoribus & maxime ſagittariis, nam feras tali ſpecie deceptae, facile ab ipſis propinquantur*
(22) *Tragelaphus idem eſt quod & Plathageron in Deuteronomio, animal latis* (ſic) *eadem pene ſpecie ut Cervi, villoſos tamen habent armos, mentum prolixum, barbam hirſutam; haec etenim animalia juxta Faſcidem ſunt; Tragelaphus autem interpretatur Hircocervus.*
(23) *venenatis ſagittis,*
(24) *reputat*
(25) *figmentis*
(26) *martiſus eſt cibus in mortario factus*
(27) *Emiſſes vaſa ſunt qua uno tantum ſpiritu bibuntur; miſſis enim Græce ſpiritus dicitur.*
(28) *Conditum ſane tam ad cibum qua ad potum pertinent, omnes vero cibi vel potiones, quæ ſimplices non ſunt, conditi dicuntur donec ſunt, ſubintellige conſoni, ſi enim diſcrepent quam a concilio, quam a menſa ſuſpenduntur.*
(29) *minutatim*
(30) *impertire*
(31) *auctionem Interinam* (ſic) *nam non diu valet*
(32) *inductos vel ſinctos*
(33) *ad. calamitates*
(34) *juſtum*
(35) *perctractant poſſibile*

Digitized by Google

petrare exquirunt modos potius, ut dictant tales amphisari, (1) qui ſi aſpectent jam nactum unde valeant elidere duces, tunc quaerunt inde proventum. Sin ponunt ſeſe cautos (2) quibus & exponunt ſocios & reſolvunt machinas. Et docent primum ſe vocatos in his ab aliis & mox refugiiſſe ad eos ut proderent, & expoſcunt attribui ſibi fidis quae poſſedere rebelles, ut maneant dotes proditionis; ſpectant revellere quae tunc cedunt, & priſca (3) dum ſuo-pediae (4) fuerint abraſae dimerſis procintis & dimerſis iis qui vigent ſolertia; tum & hi luunt detrimenta (5) & triſti ſucceſſu efficiuntur extorres a commodis nec vegetant (6) ab ullo. Viciſſim ejulant; nec deerit titulus facinoris, quo inſligetur aerumna, ut caeteris quae heu proh dolor! rapaces ambrones (7) propalaverunt.

Tunc etiam nex atque ruina caeterorum obiicitur his, & duces qui fecerunt foeda per omnes accuſant hos fomenta ſcelerum. Pudet ſe, nec conantur traductos (8) redigere. Sed haec (9) tantum ut poſſint inducere odia, fama diducit (10) quamdam acerbam avem, quae dum pipliat glicescente genitali calore & blanditur remiſſa alis ſubvenit conjux imparis generis non naturae. Quo patrante ales (11) praeſenſerit ſe foetam inſequitur, gaudens diſſolvere dotata viſcera ſponſi. Sic duces craſſantur in exuviis, inhiant ut ſurgant in alterutrum, ne vana libido impediatur ad omne facious quod apperit. Dum impacati cuſtodes trahunt diverſa exoſi inter ſe, nec bini ſentiunt unum, nec ſinguli poſſunt reſiſtere vittatum (12) procedunt quocumque tantum eſt expectare quae aciat (13) urna (14).

Pudet quemquam vibrare ipſum ſpiritum per ſuperas auras, quaeque manent ingrata cuique dum tenentur auferenda felicior jam proditus, qui immunis extaſſet. Hinc alii exules repudiant baſia (15) nec verentur fruſtrari natos. Et alii quidem perſtringunt lurida viſcera paſchemate (16). Et ſunt inertes ſpectantes nodum pyramidis & ſpeleon yconis (17) vel lacunae. Et reſtant quibus fraudatur aſpectus Tyrannis (18) vel quos praeciſam (19) nomen parentis, videtur ſervare impubes.

Aliis adimitur pars (20) quæ experiens (21) bajulat quatuor ſenſus (22) & revulſa compeſcit alium. (23)

Nec ſic odia premunt ſopita, ſed perſequuntur quidquid reſtat de germine, ſed furibunda cupido dum ſinitur ſontibus, ne quæ donat excipiendum (24) nefas effraena ſaevit in abruptum per ipſos probos. Et poſtquam inſignes diruti compendio (25) fraenant hiare (26) eorum deriſores implicantur taediis. Et qui quondam abdicaverunt ipſos irrita fide (27) tum quaerunt ſeductas dextras jam nullis praediis vel facultatibus dotandas, quas jucundae prius committerent praedictis dominis ſi ſervaſſent prima foedera. Et ſi origo (28) protulerit hos eugenes (29) niortii (30) continui pareant nequitiae. Poſt cogunt ſe ire naufragos abiis pedibus (31) & cauſantur dediticii, ut vel inviti ſuppleant quod ſpoponderant fœnerati munerati. Arbitri qui deligantur? quos nec juvat referre ſpectata, nec juvat ſpectare inſerta vetuſtis tomis. Intentant haeriles nutus inductos (32) & ſic concinnant jura infecta (33) nummiſmate, ut exequata lanx juſtitiae neminem trutinet facete (34). Nec omnibus indicetur diligant, indemnis exiet ipſe, & quamvis excuſet quem exodiunt, vel tenentem fortunam ſuccumbet aut fractus vi aut abactus inſidiis. Nec cenſura (35) durans in idem ſaepe reſpondet una ſententia, quae nunc arguit, mox iterum inflat laudibus, & rurſus proclamat eadem prophana inſuper & deteriora.

Aſt conditor arduae arcis quin laurentus ſolio nixus elevatur opimo, & foetatur eludere reſiduam cohortem rudibus ſyllogiſmis, jubilat ſi quos eximet ſumma dies dum intret caducarius (36) & viduis, quae ſuperſtant ab ipſis, non datur optio ſi ſic maneant (37) aut quibus praeparent ſe biviras ni redimant (38) quorum inepta connubia aut mercantur ab immeritis aut erigunt egentes elientes regis, qui nec dubitant offuſcare privignos (39) nec excludere prodigas matres.

Et dux interdum ſumet inſignitas figuris in Lyroſtratam aulam turpibus uſibus. Deinde cogit privatim degere caeteros productos indigenas & jaceat egenos advenas electis auribus quia dapſyles ſperat eos ſibi. Et ſi vel cives tantum buccos (40) ſequeſtrante (41) ſacra mammona; ut potius (42) celebrent obſequia, & pareant juſſis per omne. Nec jactent: haec magnalia fudit nobis genuina proſapia. Quia attoniti plaudunt ſed ignari quid rutilet per trabeam, nec docuit praetexta. Obſius (43) fallit hos & licorem

(1) *bilingues, amphiſarius ſane dicitur quaſi in duas partes loquens.*
(2) *ſuppreſſos rapide reducere ipſis praſentare ducibus*
(3) *quæ antea habuerunt*
(4) *auxilia*
(5) *poenas*
(6) *ſublevantur*
(7) *Antropophagi homines humanis carnibus veſcentes, & ideo propter nimiam crudelitatem, iſti etiam ambrones appellantur*
(8) *publicatos revocare*
(9) *ſubaudi ajunt*
(10) *blanditur*
(11) *ales pro fama*
(12) *morti deſtinati, antiqui namque immolandarum hoſtiarum capita vittis obligabant.*
(13) *advocet*
(14) *ſors.*
(15) *conjuges reſpuunt*
(16) *paſchema panis eſt Ægyptiis permodicus, quo ipſius loci monachi ſuſtentantur.*
(17) *eſt ſaxum concavum quod ad vocem damnantis imaginem reddit.*
(18) *ſolis.*
(19) *abſciſſum.*
(20) *portio quod eſt caput*
(21) *alium ſubintellige ſenſum quod eſt tactum*
(22) *vid. viſum, auditum odoratum & guſtum.*
(23) *Namque alios relictis honoribus exulare, alios poſita ſaeculari vita monaſticam eligere, alios carcerum ſuppliciis colla ſubmittere, pleriſque lumina adimuntur, aliis virilia abſcinduntur, interdum etiam capite amputantur, quæ quatuor ſenſus bajulant & revulſa quintum mortificant.*
(24) *extraponendum*
(25) *loquendo & improba contradicendo ad has pervenerunt miſerias*
(26) *conſtringunt os aperire*
(27) *falſa*
(28) *natura*
(29) *boni generis*
(30) *incipientes*
(31) *aut diſcalceatis aut albo corio contectis, calceamenta quippe nobilium de denigratis coriis fieri ſolent*
(32) *corruptos*
(33) *tincta*
(34) *modeſte*
(35) *judicium*
(36) *heredes caducarii quidem proprie ſunt, qui heredes efficiuntur in bona alicujus, qui heredem non habet, & dicti a cadendo, eo quod cadentibus haeredibus ſuccedunt caducarii.*
(37) *in viduitate*
(38) *adde ſe*
(39) *matres ſcilicet privignorum, nam poſt quam omnem ſubſtantiam tam ſuam, quam etiam filiorum in eorum uſum expenderint, tum eas abiiciunt, et alias, & ſi fieri poteſt nobiliores vel pulchriores aut alias ditiores ducant uxores.*
(40) *garrulos & ſtultos*
(41) *interveniente*
(42) *magis*
(43) *genus eſt lapidis tranſlucidum & reddens imaginem*

rem (1) quem cauma (2) expulit antro, ſolent praeterire lapillis indicis & caucali. Et dum tollunt ciliartica (3) inſignia, nec noſcunt ſecunde (4) cooptare. Cumque plebs conſulit hos ſtendentes premunt rudere (5) barbaricas ſequelas. (6) Faſtidiunt quid reboent leges, & frigore ſui barritus perterrant ſubditos. Et primum gaudent traducere pompam ignotis ſucceſſibus, ut vero coeperint inſpicere mores fortunae licet foris perendinent curas, ſed vulnus inſpicatur ſub pectore. Sic poſtquam ſe dedere quieti altis fulcribus (7) tunc & ſuſcipiunt ſtephadium ſub diu (8) & frequentant clypſidras lucubre (9) & ſi fallant metiri. Animi fluctuant his dum inſuetae rimantur, furtuitae nunc opes, nunc & ruinam expavent degra (10) Principis, ut docuere praecedentes dum crederent tranquillam. Quod nec ducunt venibile, nec ullus modus excuſat praeterire dum quoque ſerviens excutitur ab ipſis ut ab immeritis villicis, & neminem excuſat inde auctoritas ſedis ſuo reſpectu, nec doxa (11) fugat contumeliam quos dignitas & eulogiae (12) priſcorum caelarae cathalogis retardam. Si origo dedit naevum parant obducere & emicare ſolum de ſuſcepta dignitate. Hoc ſtimulant ſeſe. Sed dum conſcientia vexat animum degeneris propaginis quos arctius implicat terror revolvunt (13) procacem dominum, & retractant praedeceſſores & conſules & ſpeculantur pervaſa quae ſubegerunt & metuunt exire (14) unde poſcunt ſe ſodales.... minaci perficitur. Dum jam diutina ſecuritas incaute praeparant lapſum, ut fingit didaſcala ſeries (15) Nec elucidant compacta dum ad unum cogant (16) in glomere inductos milites, ut ſit ne quis quaerat obſiſtere ne exulet.

Tum una facie prorumpunt incuſare decem cui indulgent, & caſtam fidem ſervant ſi licet recedere. Quem etiam ſi forte opponat lentiginem (17) populo, vel ſi immurmuret vincilibus (18) compellunt compenſare ſuum ſilere, vel moleſte obducunt luci & cogunt experire acerbum iter, & luſtrare ignota ſaecula. Hinc effluunt animis dum compotes caducarii (19) eveniunt proſtrati regis. Unde ſaepe colunt caltudias (20) oſtendendo ſuperba, & conducunt ſe alogiis (21) libare nibaria (22) carcaeſia (23) & tribuunt calbas (24) ad invicem & reddunt ſabaea ſemicinctia gravata (25) coruſcis bullis. Rurſus ingeminant ſe vincire novella fide alternas ſibimet mutuo dante proſapia nymphas, & viciſſim excipiunt ſibi pignora delabro (26) ... ſervanda clientela, ut vel tali atrabone perſiſtant compacta (27). Caeteri jurando per Dominum ſpirituum, & per urnas ejus fidiſſimorum teſtium celatas in polito opho (28). Igitur diſtinguunt (29) inter ſe gentem & patriam, & evertunt inopes, & haud odiunt temerarii quaelibet ſacra.

Fama eſt cum Antulops (30) caeperit elidere comam hericinae implicat ſe neci, & tandem & tandem prodere ſe propria voce. Sic evenit illis qui praeſumunt violare ſacra. Interea nec ceſſat punitio, quamvis credantur obliterata, quae dudum tulerant moleſte, vel ſi non fuerint impetrata quae juſſerant, opportunitas vindicat in ipſis. Inſuper tripliciter addunt perficere noxos pro quibus olim ſinxerant repellere lucem. Quibus praeda eſt ſupellex, de qua rurſus proclamat curiam, cum nemo ſit qui mutat de curia. Ops (31) conſiderat longe nec proſpectat in his partem ſocum quos ſtipant Neotherici butones (32), quorum plaudente caterva, mociſſonem audies (33) velit ſi opipare cum ipſis obſoleta veritate proferre. O tempora quae nullum celebrem protrahitis ad judicem & inſiſtant ruſtici. Reculo Baſticeta (34), ſed non propenſo (35) conſules, quales iſtos qui ſic proſpiciunt cuncta librare ſecundis rebus, dum pertrahunt ſymphoſias mutica per urbem modulis inflata, & repercuſſa, & pulſata promptis fidibus, inde ſuppeditat canora vox. Iſtria dat ſaltus (36) pincernae invigilant perpetim ſimul confundere defaecata vina nectare (37), & miniſtrant caeliam (38), & ſiceram ut ſugent parcos, & reſolvant temulenta corpora; heu prodentium hinc nefas. Qui perſtrepunt quoquo petulcis cachinnis, & mutuo inſtigant ſeſe jaculando laſcivas fabellas. Tunc illecebrae ſuggerunt ſtupra & inceſta; & ſervi morigerando dominis pernoctant in his circumquaque bacchantes.

Sed nec poterunt diu perfrui his ſine zelo (39) alicujus cum ſint pares caeteris ordine, & tanta dignitate praepolleant; nam labor concordiam, diſſidium inſolentiam parat, & minores ſemotim accelerant unire ſe pariter injuria majorum, & cauſantur deberi ſibi plura, quae retinent, & caſtigant (40) exequanda. Hi ſuperant agminibus, & fervet virtus toto robore. Illis viget maturior ſenſus, & excellunt opibus & firmantur ſublimitate moenium. Sed tamen conſiderant invalidum eſſe extin-

(1) *humorem. Tradunt qui de vitri natura ſcripſerunt; quod ex caſſo nitro & littorea arena, ejus ſit reperta materia*
(2) *calor*
(3) *Ciliarci ſunt millenarii qui mille militibus praeſunt.*
(4) *ordinate*
(5) *rudere proprie aſinorum eſt.*
(6) *mores*
(7) *lectis*
(8) *ſtephadium ſignum eſt in caelo, quod ruſtici perſaepe dicunt, & dicitur ſtephadium quaſi ſtipadium, ſic enim perſaepe prius dicebatur a ſtipitibus ex quibus ſiebat.*
(9) *candela eſt quae lucet in umbra, clypſydra vaſa ſunt aquarum, quae judices habent pro horis nocturnis metiendis.*
(10) *dilectionem*
(11) *gloria*
(12) *laudes*
(13) *conſiderant*
(14) *extrahere ſcilicet ab honore*
(15) *ordo ſcripturarum.*
(16) *ſimul colligant*
(17) *maculam*
(18) *vinculis*
(19) *haeredes*
(20) *dies feſtos*
(21) *conviviis*
(22) *ſplendida*
(23) *pocula in modum cymbae facta*
(24) *armillae*
(25) *onerata*
(26) *ex ſacro fonte*
(27) *conjuncta*
(28) *Hebraeum eſt, quod Graece* Καρπυ. *Latine dicitur obryzum, eo quod ſplendore ſuo obradiet, eſt enim aurum optimi coloris. Dicit ergo nunc eos diverſo modo laborare, ut inter ſe inviolabilem poſſint firmare amicitiam, alii per nuptias, alii per comparatica, alii vero quod ſupereſt jurando per Deum & ſanctorum corpora.*
(29) *dividunt*
(30) *animal eſt acerrimum nimis, habet cornua longa ſerrae figuram habentia, ita ut poſſit arborem ſecare & ad terram deponere, qui cum ſitierit, venit ad fluvium Euphratem, juxta quod habitat & invenit ibi fruticem qui dicitur hericina habentem virgulta ſubtilia atque prolixa; & poſtquam biberit veniens ad eum incipit ludere cornibus ſuis & obligat ea in virgultis ejus, cum autem diu pugnans liberare ſe non poſſit, emittit vocem magnam, tunc adveniens venator venit, & occidit eum.*
(31) *ops dicitur miſericors eo quod libenter opem ferat.*
(32) *juvenes*
(33) *ſic legitur in uno loco, in alio vero detritae ſunt literae*
(34) *ſepulcra majorum.*
(35) *conſidero*
(36) *Ex ea enim provincia ſunt homines nimiae atque incredibilis velocitatis.*
(37) *melle*
(38) *potio eſt ſucco tritici per artem confecta.*
(39) *invidia*
(40) *monens*

Digitized by Google

extinguere quod ebullit (1) ni ſtatuant Principem ſub quo, ſed recuſant ſe ſtatuere. Tandem ineunt conſilium proponere ſibi ſtolidum, per quem perficiant quae ſunt commoda, qui nec praeſumat illos quicquam inquirere vel recuſare, quem etiam cogunt hoec textare per divina ſacra incaſſum. Nam, cumque fuerit Praelatus, ſi hebes perſtiterit nullum luctum deluet. Quin etiam juvenes potenter jam adjicient derogare priſcis. Nec excipiunt dominum niſi ſegregetur ab illis. Qui facundi contra minantur rudibus infigere deteriora & exercent dominum & requiruntur promiſſa, ut ſurgant in adverſos, & doceant. Quid faciet? poterit ne utraſque vitare ruinas? ſed nec ingenia ſuffragantur inepto. Reſtat ut effugiat oſores, & vacet privatus. Si vero primum propalaverit ſe ignavum arte in quo & protinus eluceat prudentia favente diademate: tum perterriti clanculo procurant ſopire odia. Et rurſus muſſant reducere in unum, ut iterum queant retexere haereſem peſtem hujuſce (2) pacto, quae nec poterit deliteſcere duci jam clara ſui cognitione. Quas nugas parat abolere una cum nugacibus, quem etiam & ipſi adverſus ſe geſtiunt excludere ab aucto (3) ſolio. Quos primum impediunt praecedentia, quae informant ducem. At ſi arbitrentur haec verenda, & opinentur dumtaxat ſemet deficere in ipſis, tunc quoque eminus dirigunt gazas conducere ſibi heroes. Hinc tenent augenda ſolatia, quin etiam & parant inde promovere extimum (4) atque robuſtum ducem, & ſubmittere colla. Tum quidem .... ſuffragia & primum per vicarios ſi non fuerit fa celebrare conventus. Quibus ſi haec digeſta pauliſper differantur, deficient imperfecta. An interim ceſſabit ſaevire concuſſus furor praeſentis Praeſidis, & torpebit depaſcere fontes? Num inſuper enixius aget hoſtire (5) perpetitores ſubverſis. Et ſi parent ſubvenire his quos ſaepe ſalutando olim tentabant producere ut primum perſenſerit hoc ſybilum labentis famae, immo declinant & referunt ad aures vigentis ducis quod ipſi ut peſtis (6) nimis fuerit exquiſita ad ipſos a propriis militibus, quorum animis nullos potuit perſuadere (7) & charitate inficiunt relicta quae metus deluerat, & talibus figmentis expectant foenora a latere ejus quamvis infidi proceres; dudum (8) praemiſerint his praerogativas quae ſunt mercati degenerando (9) quibus ſed pro viduis dux pauca porrigit & modeſtus arguit, ſi haec maturius panderentur nobis vera aperte dum caeca latenter juvaret. Quorum & invalidos deſpectat artus cordaque rabida ſubſannat. Externi ſunt etiam Principes, qui cum hauſerint lamenta alterius militum perlatores illico depoſcunt ſeductos firmare nequando redeant ad gratiam priſci ducis quibus & mox pari ratione confirmant ſubvenire. Ad quorum Regem tunc caute & citiſſime dirigunt legatos pandere quae firmaverant milites, ſed non quae ipſi ut praeſtet lepida dona, & caſſentur quae jam ſunt firmata, & ſaeviat in ſuos, quia nec valebunt ſuſtinere requiem (10) in ipſis (11). Quos etſi procuret cumulare, valebit concitare hoſtes ad exitium eorum, dum credantur ſolari. Tunc nectunt foedera prolato talione (12) ſi expediat. Sunt iterum, qui rogantur invadere alterius Principatus rugiunt & fremunt, & jactant rigida, & latenter accelerant incurſare armis incinctum ducem. Sed poſtquam ſubierint ultra ejus margines (13) ſtipatum cernant eum, ſi jam radiante caterva ſubſiſtunt & frigeſcunt animis, & ſuffugia captant: referre inde pedem. At licet conſpiciant ſuum agmen extare. (14) ſi dux eminus procuret indicere illis tranquillos angelos (15) gravatos xeniis incluſi (16), diſputant, & querelantur ſe ſeductos, & declamant conſules (17) qui ipſos conduxerant ſibi perfidos, & innectunt fraudes, quos & deſerunt & diſtinguunt loetho (18), & tunc pertentant incolumes reducere greſſum, & perferre adepta privato ſolo.

Raro eſt, ſed eſt qui inductus aggreditur expugnare (19) dicatum ducem nudo pectore (20), nec deſiſtit, donec adeptus ſit orcum (21) vel palmam aut per cladem belli dividat cum altero & contenti partibus coeant in unum fœdus ſecurus (22) quis edomare ſua. Quid proficient milites, qui hunc provocaverant? ſi in tali diſcrimine eſſet ſupremum ſuperſtes expectet hos pœnae, & ſi compos evaſerit, tum & iſdem compellat ad id (23) nec ponit (24) jam extare ſibi intemerabile thronum hujuſmodi quae fuerant recolens, ni auctoritate priventur. Sunt quibus praeſidet Princeps unius Provinciae quos etſi ſummo tenus laeſerit turgeſcunt ſiquidem rumina yperiſania (25), & protinus adeunt verendum trino diademate (26) & incitant auferre quibus potitur impar dux. Sin explicent (27), poterint ne habere recurſum ad propria? & quamvis perſecerint, ferent tandem competentia. Praemineus conducet ſibi in obſequium diverſas acies nationum & diffuſa verba (28) quae neſciant vivere parce, ſed compilare quaeque potiora, & in ſacris addere matronas ut proſtibulo (29). Et ut perſenſerint depopulatam Patriam non traducitur ſtatim, quia invalidum eſt diu continere phalanges in externis, nec convenit tanto duci remotum a ſua legione degere quidem cum ipſis de quorum exili fide oppido veretur. Redit ad proprium ſolum quod gaudet reviſere. Quem ſi forte proponant deducere (30) qui eum ſolemne induxerant, eligant lugubre exilium jugi confuſione manente ruinae ſin potius ignominioſae linquuntur. Interea dux praeſentis Patriae inferior millibus (31) vel exulat profunde, vel reſidens obtuſus mœnibus praevalide urbis ejulat. Sed cum noverit diſceſſum hoſtis optatam diem convocat diſcluſos quos ſigna-

(1) *fervet ſcilicet in juvenibus*
(2) *hujuſcemodi*
(3) *ſublimi*
(4) *extraneum*
(5) *aequare*
(6) *ruina*
(7) *concitare*
(8) *nuper*
(9) *male jurando*
(10) *remedium*
(11) *ab ipſis*
(12) *viciſſitudine oblata promittit etiam ipſis ſuccurrere ſi ſui contra eos velint inſurgere*
(13) *fines*
(14) *ſuperare*
(15) *nuncios*
(16) *remoti cum ſuis conſultant*
(17) *comites*
(18) *deſtinant morti*
(19) *ſtabilitum*
(20) *ſcilicet abſque formidine, nudo & Marti nudo pector pingitur*
(21) *mortem*
(22) *quietus*
(23) *ideſt ad poenam*
(24) *ideſt ad poenam*
(25) *ſuperbia*
(26) *trium regnorum potentia*
(27) *perficiant*
(28) *homines diſſonantia verba habentes*
(29) *in ſacris etiam in ſacratis locis, hoc eſt in Eccleſiis pro nimia, ſed enim multitudine hoſtium: quia caſtra vel urbes raro defendi aſſumunt fiduciam, nobiles feminae contemptis omnibus ad Eccleſias confugiunt, ut ſaltem pudicitiam inibi religionis valeat reverentia cuſtodire; ſed nefandiſſimus hoſtis non eas tantum extrahere ſed inibi etiam commaculare praeſumit.*
(30) *deducere, ſed enim propria eſt, amicum abeuntem proſequi.*
(31) *multitudine*

verat clara fides in aciem. Et inſtruit primipilos, & diſponit conſerte cuique (1) debita fidis laeta, & ſiniſtris acerba. Summe his qui acceſſerant tyrannum per ſe (2) addicitur mulctatio & poena & inde ſupplicium. Nec ſolum dux eſt exoſor, ſed & agmina quae pertulerant contumelias iungunt odia; nec tantum, ſed & pariter conantur excitare minores ipſorum, donec aetas gradatim demolitur hoc totum in annis & ſi forte funus praecidat hos in altis ſupereſt, ut nec valeant gratulari labenti aevo (3) nec futuro. Quapropter non deperit virtum.

Rurſus inſurgunt alii & rotantur iidem.

Xpc Cyn

Sed quia ſunt qui neque fuerant Cyrrati (4) nec poterant pertingere vel facinum carbaſi prae fulgore ſophiae & quibus nihil eſt ſi dum deferuntur ad urnam ſandapila (5), ut liceat eis perferre indemnem domoicilonem (6) retertis manubiis (7) ſi ſtimulant memet ſic lacellere erroneae inluderis Prete (8) ſi tuleris confundere ſigillata (9) has ſeculi ſi fuerint exercita vel etiala (10) quae promis floccipendenda tunc & nainta ſiertis linquat ſua munera (11) ſi poteris nogere eumdem ſtatum (12) ſummari & lixae, (13) quibus proſpicere unum haceris & aridae & Cocyti quid derogas officiis Practidum? an vales obſuſcare ſuppetias, quas ipſe ſumme potens legerat ut fulciret labentem orbem. Non contriveris Malachim (14) aut minime plaudis cui concentus virginum dat trophaeum decem millium hoſtium? non potius aſſumis hoc quam hæcaton prophoneuma (15) occultis gradibus revocaveras curſum nec refers procanum (16) templi cohelectae qui & detertir abominanda? & ut nunc ſubeant novum teſtamentum in ordine (17) Helenae filium ſtrenuum ſtrophicis armis qui removens pancratarii (18) Chriſticolis firmavit jura officii. O Dua Theodoſi magnus tantis triumphis nec duceris ore hujus tu qui reſpuens haereſes fudiſti barbara tela & deſtruens phana ſanexiſti deleri titulos ne reſtaret ſaltem hypogaeum (19) in quo lateret quoddam reſiduum ex facto Daemonis, ſed cuncta militarent uno auctori. O inducte ne reputas aequivocum nepotem (20) hujus extare ſublimem, qui temperans prunas pruna, atque iterum pruinas pruna domavit libidinem & furorem dogmate & ſidus chariſtati, nec extiterat ſegnis aut cadens triſtitiae & ſubindius (21) triumphaverat ſupplicans aeterno quam armis.

Quid proficit plebeja manus? nec ipſa ſubſiſtet ſingula exhauſta ducibus, quod prima ſecula ſignat notamus facile & eſt hinc apponere curae. Valdi armis artubus enereverant primis ſeminibus Adae & foecunda proles paravit opimas turbas, creſcens crebris ſucceſſibus & raro exeau (22). Sed Praeſes intellectus deſuit erudire rudes cohortes, unde evitarent diſcrimen nodantis limphae (23). Ipſe Abrahamicus populus plebs Dei eſt auctus triumphis dum ſupplex deguit ſuſtitionis (24), quod quia exorbitatus contempſit, exulat procul a limine & extat inutilis ſtirps. (ſic)

Cujus nec hoc ſolum eſt, ſed cuique terrigenae reſtat (25). Et quod notantur tantum homines quorum mentem quod praecipuum eſt fatemur eſſe cum Deo? Sunt etiam exiguae volucres & providae quae vigent ſolertia & quibus cedirur (26) ferre perenne coeſſbatum per auras, quae colunt Strarlaten (27) in ſe, & reddunt debita Stralitan. Quem & ceterae monſtrant ſoſpitem ſi ſint alacres. Pro cujus etiam funere ſi ſit, turſus ſqualent. Sed ſi diſcedat a propriis cunctae linquunt terras cum quo exteras piget eas nec inquirere ſedes. Nempe popellus proficit ſub ſedulo & Cato duce ſine quo inſtructa regio exinanitur.

Deſine nunc coeptos (28) & utere noſtris ſenſibus. Juvat memet nunc fabre ſuggillare eos pequatos (ſic) (29). O quos ſat eſt diſtrahere effula veſtris emicadiis (30). Quorſum? ut poſſitis fore vel ſymbolones (31) magnatum. In quorum talione (32). Dumtaxat ouſae redduntur delenifici (33) videtur pleumon (34) dum angitur ſuccetis (35) non durat exprimere ſolum panegyrica (36). Elluones ſicut clave (37) ſuſpendat (38) vos ab uno edulio (39), mox cantilando curatis procul inſectate vel lentaculum (40) & exterius (41) libare tementum (42) & inde gyrando para-

(1) *condonare*
(2) *ſuper eum ad ſuam deſtractionem*
(3) *praeſenti ſeculo*
(4) *Cyrrati ſunt ſcholaſtici a cyrris capillorum dicti: Cyrri enim ſunt deſluentes crinium cincinni; nam antiquitas ſcholares pueri atque ad adoleſcentiam maxime tondebantur, ut ex capillorum etiam prolixitate diſciplinae ſe ſubjectos eſſe cognoſcerent. Dicit ergo, eos non fuiſſe cyrratos, haud unquam fuiſſe ſcholaſticos, aut jam in adoleſcentia, depoſita ſiquidem coma, cardiui iſſe ad ſcholas*
(5) *Eſt pheretrum non quo nobilium corpora ſed plebeorum atque damnatorum cadavera portantur.*
(6) *Nihil eſt aliud perferre domoitionem quam domum ire*
(7) *manubiae ſunt ornamenta Regum*
(8) *Exarate non poteris namque approbare quae niſus es confirmare.*
(9) *ſeparata*
(10) *projecta*
(11) *ſuum beneficium ſcilicet generandi.*
(12) *eſſentiam.*
(13) *lixa eſt mercenarius militans, qui tantum ſui cauſa quaeſtus exercitum ſequitur.*
(14) *librum Regum*
(15) *genus eſt ſacrificii; ſi quis verò centum hoſtes interfeciſſet Marti de homine ſacrificabat, & dicebatur: hoc ſacrificium hecaton prophoneuma bines quinis gradibus ancuictam.* (ſic)
(16) *procanus eſt ornator aedificiorum*
(17) *ſecundum ordinem*
(18) *omnino diſpari,*
(19) *ſubterraneus ſpecus*
(20) *ejuſdem nominis Theodoſium videlicet juniorem*
(21) *ſepius.*
(22) *rara morte*
(23) *creſcentis diluvii.*
(24) *moderatis: ſtigioſi ſiquidem dicuntur inſtituta ſervantes; unde & ſuperſtitioſi, qui ſuper inſtituta obſervant.*
(25) *manet hoc non tantum quod proprie illi populo contigit, ſed etiam omni populo*
(26) *conceditur*
(27) *magiſtrum militiae Graecae*
(28) *ſublint. ſenſus*
(29) *ſtultos*
(30) *Emicadium eſt vas olearium; dicitur autem emicadium, eo quod non plenum cadum contineat; cadum Graece amphora eſt.*
(31) *Symbolones quidem..... a ſymbola quae vulgo dicitur conſorſa..... ſymbolones dicuntur quia quamvis in beneficiis majorum nihil eos conſtet promeritos, ſed quia ſuos illos magis gratulari conſpiciunt; hinc jam quaſi a conſorſam inverecunde ad eorum prandia ruunt.*
(32) *viciſſitudine*
(33) *blandiloqui*
(34) *pulmon*
(35) *tarcete dicantur eſca Principum.*
(36) *licentioſe & adulatorie compoſitiones in laudem potentium.*
(37) *locus concluſus.*
(38) *retrahat*
(39) *edulium eſt praeguſtativa comeſtio*
(40) *ſictam guſtationem*
(41) *longius curatis*
(42) *vinum, tementum autem dicitur, eo quod teneat mentem:*

Digitized by Google

parare ferculum (1), vel ſi hoc deficiat (2) obolam (3) inſanea (4) ſi praeda ſit remota abſceſſu vel ſi privetur (5) auctoritate (6). Non differtur crapula utcumque, dum praegravidus aqualiculus (7) repellat acerbum (8) talcem.

Fraternitas quae in vobis fatetur a vobis ſola arvalis eſt (9) quibus jam ſtaret (10) ſarchiam (11) ut ne ferendis; ſed vergitur quod pectore vulnus conſumens hæc in tenui liquore; non deſinit hin fœtare (12) atrum bilem. O prius caperent vos tantum ſubgrundaria (13) quam nunc polynctos (14) ſarcophaga (15). Et ſi Pegaſo optat vos (16) protrahi in iſtis uſque ad ſilicernias (17) non ſpectat tum capulum ſed jucunda ora, neque ſubſtulleat (18) viſpillones (19) nam licet validum eſſet vobis inficere (20) faciem cœli manalibus (21) non eſt inficere ſenſum viri (22) quod bacchantes triſtibus rictibus (23) minamini caſtare verum ducentes æmula ora ad Valgias (24) & ad levem baubatum (25)? ut cacabant (26) humida aritina (27). Cum hauſerint ignem ſic ſitiant (28) temulentia in ipſis ſtultis. Reſpuo quod nictent (29) taciti quorum & frigultire (30) contemno & garrire nauci pono. Non eſt mihi diobolaris (31) lingua defluens quaque ad naenias, ſed ſi veſtra ſyngrapha (32) moveant injuriam meo ſtylo ſtat ut noſtrae paginae ducantur ad ſennion (33).

Mea quam nec obelus ſignabit (34) merebitur ....., ne inhaereat nocuum (35) figim. Licet nunc etiam ſedare rumores quos blaterando dediſtis populis ſe ſi deinde pululent arphagantibus (36) ullis ſutilibus tunc urbanum erit tueri in ipſis (37) jamdudum promiſſa. Praetores nunc acies luſcinorum poterunt perſpicere ſudo (38) ullum floſculum perpendiculi etſi in? Sed erucae more quaerunt ammordere non quod ſit ſapor in ore, ſed ut peſſundent devorando quos ego horticola oſtans repagulis curo excludere. Adeant miropolam (39) delegant colliris & comant allucinaria, (40) et poſt ſecernant lucidum & opacum. Non ego paſtus loetargum praeſumo pellere officia praeſidum; ſed caſtigo non temeranda. Quia quod jam retuli grave eſt inepte ſcandere ſummum conniti, & ſubigere captivam patriam & ſeutirari alterum ſolio. Pormia (41) & praeda erit hoc, & ſi deneget quis, potius eſt ducere (42) pellere primatum quam auferre. An levius a proprio non fert exulat qui limine tractus premitur in ipſo ut baro quam qui ruſticus (43) alterius inibi condenſare primos quos ſibi ſtruxerat abſque cujus jure ne parum permordeat inde vel qui vadatus (44) numellis (45) & abſtemiis (46) dum ſint cuncta diruta (47) cernit mulcere propriam matronam ſaviis, & ſentiat nepotem vi corrumpere himenaeum ſuae familiae, quin etiam & deludere procos earum seducta ſpe clientelæ.

Difficile eſt alicui invadere regnum ſi haec arguat quem delectat pilemnum (48) quid hinc eſt oriendum? forte interea oppetet & decedet barathro; ſed qui inhiat deſcriptos moerores parare cæteris aut ignorat avernum, aut impavidus expectat. Quem ipſe ſator omnium volvet in ſententiam, ut ignobilis diſcedat ab hoc aevo & ſubeat ſupplicium futuri. Igitur quem Omnipotens vult oſtentare dignum ſuis prognoſticis (49) vel quem una quaerit promovere conventui omnium procerum, & quem juvat ad id decorus (50) patrius amor fas eſt aſcendere vacantem thronum. Sed cum antellat, ſed caveat quod populo ne dividiæ creſcant, ſed ejus aſcenſus removeat omne juſtitium (51) & ſi ſit. Qui tali ſanctione (52) evaſerint ad regnum forſitan beando patriam poterunt obtinere ſelicem ſupremum diem, cæteri exuti luerunt pœnam tyrannidis, quam & tenendo protraxerunt

(1) *miſſum carnium vel diverſorum ciborum a ferendo dictum*
(2) *eſſet ſubintel. curatis parare*
(3) *conſerjam*
(4) *ſecretus eſt locus in taberna, nam Ganeſin Græci, foſſam dicunt ruſtici quidem collectione facta ex pecunia ſingulorum; commune inſtruunt convivium; & hoc maxime in tabernis ut recentiora propinentur vina.*
(5) *ideſt ſi non audeant praedari*
(6) *poteſtate*
(7) *ponderoſus venter*
(8) *indigeſtum*
(9) *Acca Laurentia Romuli nutrix conſueverat per agros ſemel in anno cum duodecim filiis ſacrificare & ſimul convivare; unde cum unus mortuus eſſet Romulus, ob nutricis gratiam in vicem defuncti ſucceſſit, & inde poſtmodum arvalis dictus eſt frater. Talis ergo fraternitas & in his reperitur, ideſt quod ſæpe ſimul prandeant, & iſdem converſationis maneat modus.*
(10) *eſſet*
(11) *eſt ſuperfluum carnis incrementum, quo ultra modum corpora ſaginantur.*
(12) *implere*
(13) *ſepulcra infantium nulla obſequia promerentium.*
(14) *funeris obſequio perunctos: & ſubintel. caperent vos.*
(15) *ſepulcra nobilium*
(16) *Pegaſo homo jocularis aut vilis perſona & declinatur Pegaſo, nis*
(17) *ad ſenectutem. Silicernii dicuntur ſenes jam curvi quaſi ſepulcrorum ſuorum jam cernentes.*
(18) *vel modicum inſpicit.*
(19) *bajuli ſunt cadaverum.*
(20) *immutare*
(21) *Manales dicebantur petra quas antiqui in modum cylindri per limites verrere ſolebant pro pluvia commutanda inopia*
(22) *ſubint. validum; ac ſi diceret: & ſi autem quod minime credo, quibuſdam maleficiis poſſetis corrumpere mentem tamen idonei hominis non poteſtis commutare.*
(23) *Rictus dicitur ſupervacua contractio oris, qua alterum irridendo vel exacerbando fieri ſolet, & eſt tractum a canibus.*
(24) *Valgia ſunt labellorum obtorſiones in ſupinatione tracta.*
(25) *latratus canium.*
(26) *fervendo ſonant; cacabare enim a qualitate ſoni dicitur.*
(27) *vaſa fictilia dicta ab Aritio civitate in qua plurima fiunt*
(28) *garrit ſitiare proprie paſſerum eſt, ſicut namque ſonitus qui in olla fit commovetur ab igne, ſic loquacitas ſtultorum excitatur a vino.*
(29) *nictare dicimus cinnum facere.*
(30) *ſubint. garrire*
(31) *meretricis; nam diabolaris dicitur meretrix quae ſub parvo ſtipendio ideſt duobus obolis proſtratur.*
(32) *ſyngraphi dicuntur, cum multi homines ſcribunt & ſubtus in fine manibus adſcribunt*
(33) *Græce; Latine conventiculum honeſtorum dicitur.*
(34) *Eſt nota quae apponitur in verbis vel ſententiis ſupervacue iteratis ſive falſitate notatis.*
(35) *noxium*
(36) *excolentibus*
(37) *rumoribus.*
(38) *ſereno caelo.*
(39) *miropola dicitur unguentorum venditor*
(40) *vaſa ſomniaria & obſcura conopeis ſimilia; dicuntur autem allucinaria quaſi a luce alia, ideſt luce privata*
(41) *Fornicatio, quod proprie dicimus omnem illicitam corruptionem, vere etenim fornicatur qui hæc ſcripta perpetrare conatur, quamvis etiam nec hoc abſque diverſis adulteriorum & praeda generibus fieri poſſit*
(42) *protrahere in elegum in miſeriam vel uſque ad miſeriam*
(43) *baro fortis mercenarius: Bari vero Græci fortes dicuntur*
(44) *obſtrictus ligat quidem eum, ne aliquid impedire poſſit*
(45) *vinculis quibus quadrupedes alligantur.*
(46) *ſunt obſervantes ſive jejunantes*
(47) *praedata*
(48) *Pilemum dicitur bellum a pilis, ideſt ſignis belli.*
(49) *prognoſtica ſunt iudicia, quibus futura noſcuntur.*
(50) *honeſtus; ideſt cujus pater eam decenter regnaverat, ut ejus quoque filium dignum ſit ſubrogari.*
(51) *publicum lucrum*
(52) *conſtructione*

xerunt ramenta (1) Pandecten (2) poterit reſervare vobis hæc in gymnaſio; cujus millenas facies & ſi placet revolvere non opponet obicem meis ſcriptis, ſed ipſe ſuccurret teſtibus (3) at ut ſtylus redeat ad ipſos quos opeligna cohors (4) cutallis prænotare in faciem ante proles Yſai perſpiraverat mutare pedum in ſcipione, uſque dum quaeſita oratione videntis ſit prolata virtute myſtici chryſmatis in vertice? Recolo Exechiam & Joſiam a genitali ſanguine Regum prodiiſſe Reges favente populo. An non fuerat ejus genitor ſopitus (5) in ſede regni, cujus genetrix Helena? (6) qui dum ageret (7) providentia voluit ſibi concedere natum. Et Theodoſius ortus eſt claris militibus Hiſpaniae. Auxilio primi a barbaris qui reddidit tutum orbem; cujus quoque indiciis primum intendebat ſe levari ad ſumma. loquam. Cernens ſe in oromate (8) indutum clamyde imperii, & ferentem ſlegma (9) impoſitum (10). Qua indagine potuit noſcere eumdem ante inviſum ſibi nullo indice cum quandoque conſpiceret ejus vultum. Qui mox promotus ab Imperatore Gratiano efficitur conſors, quod manebat ipſa viſio urgentibus bellis, quae is ſedavit interea. Et inde decuit (11) ſuum aequivocum nepotem (12) æquipedantem meritis tranquille ſubſedere thronum patris & avi. Si in hac norma alicui regale ſolium hunc jam non teneoit culpa & ſi ſedent ſi cenſeas ſemet ſufficere ad nomen tantae majeſtatis pro quo (13) ſed minime pubes adhuc ſe manere ſecurum. Sola auſpicia (14) licet exiſtant digna, tamen non ſupplent praebere felicem, ſed quaeruntur incrementa. Unde libet mihi nunc ponere paſta (15) dogmata ἀρχῇ κακῇ Saul levatus eſt de parva traduce ut tueretur Iſrael. Hinc Palaeſtinos trudit in principio ſui regni & caeperat per gyrum exinanire caeteras perduelles nationes levibus triumphis (16). Quem ut Pleonexagia (17) coegit inhiare vetitis mox ejus teretes (18) lacerti torpendo ceſſarant a pugna. Cujus etiam terribola mens non praeſumens ſpectare aciem hoſtis proprio telo impegit ſemet in crneas poenas. Et Eudoxius (19) Princeps tulerat regem Manaſſeo de redivivo ſanguine (20); poſtquam enim Deus quindecim annos Exechiam auxit ad vitam poſtea iſte natus eſt Manaſſes. Cui ſuccedens in throno cenſuit interim extingui quae genitor flagrare (21) & quae ipſe prodit ſubcitiva (22) is ſancivit ſupplicanda (23) impugnans Theuſebiam & reducens orgia Daemonis & phana.

Licinius quippe donec tendit collega in agmine militum ſcitalis (24) aduſque obtinuit illicere mentes eorum ot orgerent eum favoribus inepta potiri calculo imperii ſub quo & concinant ſe impune (25) ſilere. Quod illuſerat ſedulum Auguſtum ut & ipſe fulciret (26) quem etiam applicuit in ſudem haud deſlans (27) jugare ſuam germanam . . . . obauxerat ſe tunc tantiſper rudi toga (28) ſpirans ortodoxis ſecunda & ruens demolatria. Tum anxerat (29) Delphicos & preſſit tegulara, (30) & proeſus abjurabat acceptatores methanicae artis (31), & inſtauraverat aſſeclas (32), & ſpiculatores (33) quos priſci arconies adlexerant ſibi ut attaminarent (34) cimilia (35) cum ipſis Idoneis (36). Anna (37) non jam calniſſet (38) inchoata. Sed cujus praetentia (39) ut fuerat auctorata (40) per climata deſipuit, quio appendit (41) tunc recuſare alme (42) mulgata nuper cruentis antitethis. Jam ſi quis conſiteretur Jeſum primum deſtinabat eum ſectoribus (43), & inde lanyſtis.

Et mox donavit (44) omnes bacare (45) Bromio (46) & ſimul Cimbhio (47), & complicibus eorum cubo (48) tenus. Praeterea erexerat tunc romphaeam contra Principem Conſtantinum, a quo eſt ſtipulatus in regno (49), & adrinxit etiam cooglorium (50) ejus cognationis. Sed illico ut haec ſunt ei traducta (51) refragans ipſa exemit eum a numine (52) quin & firmavit terſa jura (53). Digna qui-

(1) *ita dici antiqui voluerunt quaſi quoddam projectitium pergamentum; dicitur autem ramentum a radendo*

(2) *ita dicitur liber veterem & novum Teſtamentum continens quaſi omnia ferens*

(3) *teſtimoniis*

(4) *ſtulta multitudo*

(5) *extinctus*

(6) *jubent. fuerat*

(7) *egeret*

(8) *viſione*

(9) *coronam*

(10) *prepoſitam a probo Meletio*

(11) *honor fuit*

(12) *aequivocus ideſt ejuſdem nominis*

(13) *ſcil. adeptione regni*

(14) *initia auſpicia ſed enim olim dicebant Pagani ſigna quae per aves oſtendebantur quaſi avium hoſpitia, nam ſi magnum aliquid inchoare volebant, ab auguribus indicia quaerebant.*

(15) *praeclara unde & paſtaforia dicimus*

(16) *proſpere.*

(17) *generalis avaritia; pleon enim Graece Latine plus dicitur: exagitans vero alii emolumentum, alii inutilitatem; ſed melius qui avaritiam interpretati ſunt*

(18) *lacerti pulchra ſimul & fortia brachia.*

(19) *bonae gloriae Rex.*

(20) *reviviſcente*

(21) *coruſcare; mandata ſiquidem divinae legis, quae ejus genitor exercitanda ſanxerat is ſtatuerat negligenda: Idolorum vero culturam quam ille abominandam mandaverat hic praeceperat exercendam.*

(22) *abiicienda.*

(23) *adoranda*

(24) *Genus eſt ſerpentis, quae tanta perfulget tergiverſatione ut notarum gratia aſpicientes retardet, & quia reptando pigrior eſt quos aſſequi non valet miraculo ſui ſtupentes capit. Bene ergo Licinius ſcitalis vocatur quia fraudulenta ſimulatione adeo ſibi aliorum favorem abſcidit ut ſponte ſibi praeponerent cujus venenoſis fraudibus plurimi poſtmodum deperirent*

(25) *tranquille*

(26) *firmaret*

(27) *deſpiciens*

(28) *nova toga*

(29) *ſuppreſſerat*

(30) *tegularia veneficia, quae ſuper tegulas ſacrificabantur.*

(31) *methanica eſt quaedam fraudulentia retia vel doctrina ſubtiliter fabricata.*

(32) *paraſytos*

(33) *caraſpices*

(34) *uſurparent vel inquinarent*

(35) *vaſa ſacra*

(36) *Chriſtianis*

(37) *interjectio eſt deprecantis, quaſi diceret utinam vel obſecro.*

(38) *evacuaſſet auſpicata*

(39) *dominatio*

(40) *auctoritate majorum firmata*

(41) *ſtatuit*

(42) *ſancte*

(43) *ſectores proprie dicuntur qui bona proſcriptorum ſecant, ideſt dividunt.*

(44) *conceſſit*

(45) *ſacrificare*

(46) *libero patri*

(47) *Apollini*

(48) *uſque ad incubum*

(49) *confirmatus in regno*

(50) *eſt honorabile donum quod accipientem glorioſum faciat*

(51) *publicata*

(52) *poteſtate*

(53) *mundae leges*

Digitized by Google

quidem ſpeties (1) vix pullulat, vel nequando (2) genere. Neque extat etiam ab expectabili (3) indifferenter (4) provenit (5) ad perfectum venit, ſed ſubinde defluit nequam a praecipuo genere. Et inde eſt enimeit ruere ad ſceptra ut tonant praetaxata (6).

Sed nec ſola aequa dicatio perficiet quemquam magnum, ni honeſtus praetendat quoque dignitatem imbutis moribus quoad valeat conſcendere in aeternum regnum. Et hae filacteriae (7) debentur omnes redimiis (8) Chriſti. Cuique (9) ſervare modeſtum vitae in propria menſura. Ambire extra (10) ponat accidiam, & ſit abrogans (11) neque ſit congerro (12) cui ſat ſint beneficia, quae juſte liquetant ei antigenae, & quae impendit herilis liberalitas, cogente illibato famulatu, & quae fundit exacta ruſticatio (13) de proprio jure (14), & quae rite depromit injuncta ars.

Et ſi forte majores ſedule delegant (15) officia, ſuppleat non geſtiendo hic pompam, ſed perennem. Quae ſi referant emolumentum, rependat pariter laudes & obſequia aeterno. Et quamvis patiatur deliquium (16) non expers deſerat flagitare eumdem nec blaſphemat in egeſtate ignarus qua ſententia ſit tactus. Num nequeunt ſuccedere inopinatae vices? Nam ſi Caenodoxus (17) inhiet e-gratus (18) auctionari (19) prae ſe (20) poterit hic eliſus erunis (21), & retrudi erebo. En! Sed quid ego profuſus patagine (22), inſtar emphatici (23) praeconis enitor explicare digeſtam (24) linquentis ſaeculi, cujus morbos nec diſerta gloſſa ſuffert conjicere? Sed deterius languit quondam dum Clinicus (25), & depreſſus coeno congeminans trenos tabebat jam (26) deſerta (27) ſalute; cui etiam protoclectes (28) ſuperaſtabat demoliri viroſis morſibus. Sed reſpiciens interim qui conlinierat (29) ipſum vola (30) ſubvenit adtrito, & excuſſit eum ab ore ejuſdem, quem evitans etiam adentavit; & reſolidans tunc ſolutum, & elumbem mundum firmavit ſtare. Cujus ſaluti pariter innotuit (31) vitanda & utenda. Quod quia tranſgreſſus communicat noxiis, & recuſat ſalutaria, hinc recidivare toties conſpicitur. Sed & ipſe opifex medicus & auctor ſalutis ingratis ponit medelam, nunc inſtanter oremus, ne adhuc motus furore jam perſaepe impenſis antidotis & pariter teuſis (32) liaopiritis (33) retrahat manum vel premat chirurgiam (34), ſed delegat unguenta a ſummis dinamidiis (35) infundat & liniat quibus & repellat tabifica, ut cum venerit ſatio (36) cirurgiae dilata (37) his modicum inveniat quod praeſumat caurere vel ſecare ne dicata thalamo Chriſti deſſeat praeſetemina (38), quae lavit myſtica inna-ſiterna (39). Nullus tam capax quibit eſſe peritus medicinae ni intente ſerutetur phyſicam rationem. Et ne quis intelligit (40) figmenti, ut qui ipſum finxerat. Quis ergo poterit tueri mundum ſalute? haud dicam Monarcham vel portionem in ipſa ni ipſe figulus ejus primae plaſtis? Et ſi fateatur explici (41) quodve (42) per humanam formulam (43) tamen almus Spiritus manet in ea quae miniſtrat inde, cui ſi pure famuletur in aevum ab illa devenient proſpera quaeque fiant. Sceleribus inde citus & fugiet ſi comminulgaverit. Quae deſerta illico peribit tunc cum ſuis actibus ni eruderet ſe ab ipſis & conſiſtat ut ante. Unde congruit, ut qui parat potiri nomine Auguſti caveat hanc cenſuram, inlatum (44) commune reto ſuſcipiat; ſic quoque vivat adepto ne temeraverit ipſum. In quo agat ſe divis nutibus (45), & fruſtretur ſuum (46) ſint arbitri illuſtres, qui adhuc ſuperant, & qui jam praeceſſerant hinc & diathecam (47) ponat ſpeculum, quod nec reluat (48) callidus caupo fraudolentus tabernarius aquam vino miſcens, quod refertur etiam ad falſos doctores, qui vera falſis inficientes noxias ſolent propinare doctrinas; hi denique non ſecundum rei veritatem vel auctorum definitionem, ſed propria adinventione ſacras quaerunt tractare ſcripturas ut potentius ſibi gratiam & populi inde favorem concilient. Quapropter jugiter devotus imploret Dominum, & non adiiciat comperendinare (49). Debitum eſt etiam ut cunctus populus inſtet hoc ſupplere ne ſeducatur ab ipſo (50), quoniam vim praecipui

(1) *ſpeties eſt res, qua per aliquam differentiam deſcendit a genere. Hanc Ariſtoteles ſecundam ſubſtantiam dicit; dicitur autem ſpecies ab aſpectu quo ſolet diſcerni; plerumque tamen figuram ſignificat.*
(2) *nefando*
(3) *nobili*
(4) *indubitanter*
(5) *ad perfectum venit*
(6) *predicta*
(7) *obſervationes*
(8) *redimia ſunt qua ab hoſtibus pervaſa a propriis dominis redimuntur; redimia ergo Chriſti omnes ſunt Chriſtiani quos a diabolica pervaſione ſuo ſanguine redimere & ſibi reconciliare dignatus eſt.*
(9) *ſup. debitur*
(10) *ſup. modum*
(11) *ideſt humilis*
(12) *ita dicuntur, qui aliena bona ſibi congregant.*
(13) *ruſticatio dicitur quaſi ruris actio*
(14) *poſſeſſione*
(15) *ſine dolo eligant*
(16) *defectum*
(17) *vana gloria cupidus*
(18) *non reddes gratias*
(19) *augumentari*
(20) *ultra modum*
(21) *miſeriis*
(22) *inter pataginem & patagium hoc differt: patago eſt exulceratio oris, quod cum intumuerit pene elinguem facit, patagium vero eſt palium ex auro purpuraque variatum.*
(23) *facundi*
(24) *ita Latini regulam nuncupant, eſt denique obſervatio legis & vita*
(25) *paraliticus, qui a lecto diſcedere non valet, clinos quippe Graeco, Latino lectus dicitur.*
(26) *languebat*
(27) *deſperata*
(28) *primus fur, ideſt diabolus*
(29) *pſalmaverat*
(30) *palma*
(31) *inſinuavit*
(32) *extenſis*
(33) *ita dicuntur cataplaſmata; antidota namque elixapirita opera miſericordia appellat.*
(34) *ita dicitur quidem ferramentorum inciſio vel aduſtio: dicitur autem cirurgia, quaſi manualis operatio, Graeci ſed enim Cyros manum vocant; per chirurgiam vero peccatorum vindictam, vel ultimi judicii diem nunc vult intelligi in quo ullus remedii jam locus erit peccatoribus, ſed vola inferni ſaviet cauſtio, & alvei fluſſalibus ad deſtinatam poenam inciſio.*
(35) *libri ſunt medicinales; denami denique dicitur poteſtas & vis herbarum; unde etiam dinamidia dicuntur ubi eorum medicina vel curationes ſcribuntur.*
(36) *tempus*
(37) *elongata*
(38) *partes corporis inciſa*
(39) *ita dicimus aquae urnam*
(40) *ſubint. phiſicam rationem*
(41) *dicatur perfici*
(42) *vel aliquid videlicet de mundi tuitione*
(43) *ſpeciem*
(44) *oblatum nomen*
(45) *divinis*
(46) *ideſt proprium; non tantum quae illi ſolum bona videntur agere praeſumat, ſed auctoritate praecedentium doctorum & conſilio honeſtorum potius acquieſcat.*
(47) *librum duorum teſtamentorum vetus & novum*
(48) *a debito rigore diſſolvat.*
(49) *procraſtinare, ut dicat cras hoc faciam, ſed ſemper in eo perſiſtas.*
(50) *videl. a Domino*

Digitized by Google

cipui teſtamenti luctatur ubolere, qui ſtolidus negligit dagitare pro ope ſui patroni. Praeſto ſum indifferens (1), orate nunc, jam reſpondebo vobis in linguo Adae (2) ut fiat; & ſi mavultis auſpicare (3) me . . . . . . u ſumma majeſtate, ut deluat noxam de me placido lumine, quem & fingat ſibi gratum, & acceptet ſundendas preces, quas nec valeat implare (4) moleſtus iolex (5), nec mutilare linguam hiaotis politam ea inſpirante, quae etiam nec ſufferat aliqi dilabi meum cor inquam (6) facile (7), ſed merear exaudiri a pio auctore pietatis. Quo auxilio fretus oriar tunc dependere ſupplices voces quas confirmet veller Hebraicus ſuccentus una dictione (8), & extremis ejus oris aptetur chronis (9).



OREMUS.

Deus auctor omnium, Deus juſtorum praemium, peccatorum redemptio, ſpes etiam impiorum, Deus qui ſic omnipotentiae perfrueris majeſtate, ut ſapientiae in omnibus utaris aequitate. Et licet confuſa quaeque tu ſtabilire valeres, congruum tamen omnibus conſervans ordinem nil abſque pondere numero & menſura tuo placuit conſtituere arbitrio, uno quoque Deo ti i & Domino ſub te etiam aliqua libet aliquibus dominari; cunctis homines mortalibus praeferens quos ratione ſolos dignatus es communiri. In quibus diſcretionis quoque aliquos voluiſti adhiberi gradus, ut dum ſubjectorum vita a Rectoribus moderatur minus apud te, unde judicentur ſuperet delinquentes. Inter quos regalem quidem praeſtitiſti excellere dignitatem ut meliorum provehat, & vota comprimat perverſorum. Cujus gloria omnium, cujus vel confuſio eſt ſuorum. Unde te, mitiſſime Pater, ſuppliciter imploramus Reges noſtros ſecundum tuam tibi praepara voluntatem, ut dignitate, quam te largiente . . . . quam per eos & ipſa floreat glorioſa. Sicque tibi, Domine de praeſenti valeant famulari, ut te repoedente aeternam mereantur etiam adipiſci. Non eos caranlis u tua protectione ulla interpolet culpa, ſed jugiter valida tua conſervet cuſtodia, & quibus jam corporalia dediſti inſignia, ſpiritualia pariter concede chariſmata. Deus, cujus providentia ſaeculorum ordo decurrit; Deus qui provehis univerſa; Deus, qui judicas aequitatem, adeſto propitius precibus noſtris, adeſto clemens, adeſto miſericors, ut quorum judicio regimur, eorum exemplis & meritis roboremur. Non valeat hoſtis viſibilis aut inviſibilis ſupplantare, quos tu Domine tuo attribuis populo dominari, tua quoque mandata meditari non deſinant, quae & perficere omnimodis intendant; tuae, Chriſte, ſedule Eccleſiae ſerviant in terris, unde apud te gratulentur in caelis, quam adunare non deſierant nec ampliare omittant. Et ut valeant adimplere, tranquillam vitam eis tu Pater omnipotens augere digneris. Non eam, Domine, uſurpare praeſumant, ſed ejus ſe ſervitio mancipari ſedulo ſtudeant. Nec de ejus gremio aliquid adiiciant ſurripere, ſed ſuis eam opibus frequentent ſulcire. Non inter ſacrilegos Daemon ſibi valeat deputare, ſed inter electos tibi, Domine, placeat remunerare.

Tuos etiam devote praeferant ſacerdotes; neque tu eos aliquando praeferre recuſes. Deus, qui curas omnia noſtra etiam in eorum fidelitatis obſequio dirige corda; ut de famulatu quem devote ei impendimus . . . . Non etiam fas eſt eorum impugnare domination . . . . . . tua praepoſuiſti diſpoſitione. Quod nec ullo modo li . . . . . velle tua jam in ſorte vocatis Domine Jeſu Chriſte; ſic quoque divina magiſtrente ſapientia cum ſuis agant primatibus ut mites eos modeſti, ſentiant terribiles & perverſi. Nam aut hos ſua lenitate reddant in juges aut illos ſeritate perturbent. Secundi vero ordinis militibus ita debita jura conſervent, ut nec ipſis ingratos exhibeant, nec eos prioribus anteponant, quia tunc pacem firmam poterunt obtinere ſi congrua cuique ſtudeant adimplere. Populum humilem ſalvum faciant ut ſuperbos & rebelles eum tua dextra humiliare valeant, nec aliquid ſuae adſcribant virtuti. Sed cuncta ſupplices tuae referant majeſtati. Per eos igitur Domine gentes dignare tibi acquirere per eos acquiſitum jam populum gubernare. Adde illis felices poſteritates proliium; adde omnium incrementa virtutum, adde etiam cumulum dignitatum impoſitas tibi coronas tuo hic longo tempore anto feliciter deferant quas in hoc caſu beato germini deſierant, & in futuro ad te glorioſiores recipiant. Hae filii obtineant & conſequantur nepotes. A quorum oramus ſanguine ne noſtrum ſi placet Domine thronum aliquandu permittas viduare. Qui cum Patre & Spiritu Sancto idem Deus in Trinitate vivis, & regnas per omnia ſaecula ſaeculorum. Amen.

Sciendum eſt opuſculum iſtud bis dari in eodem codice eademque manu perpetua ſcriptum; ſemel quidem abſque gloſſis; iterum vero cum gloſſis ad marginem ſcriptis ſi fuſiores ſunt, interlinearibus vero ſi breviores. Poſt opuſculum non gloſſatum adeſt eadem manu ſcriptum, quod ſtatim ſubdo, ſed abſque principio, cum codex ex humiditate corruptus ejus ſuperiora libri ora praeferat. Ita ergo ibi

. . . . Principum ut ſuperius ſcriptum eſt . . . . . . vel aliquantulum metuens ne in aliquantulum metuens, ne in aemulorum manus imperfectum opuſculum adhuc interim hoc deveniret quantulumcumque obducere curavit eloquium, ut et ſi ab inſipientibus quoquo modo repertum diligenter inquireretur, quamvis ſaepius ab illis inſpiceretur, non tamen omnimodis agnoſceretur, verum nec ab eorum auditoribus ad liquidum intelligeretur. Sed poſtquam quae inibi addere propoſuerat plane digeſſit liberum jam legere volentibus ad id permiſit acceſſum. Audiens tamen quod ab aliquibus & etiam ſcholaſticis artius in quibuſdam proteſtaretur obtruſum, apertius tunc cunctis illico ſtatuit inquirentibus quaelibet hujuſmodi dilucidare. *De*

(1) *non morans.*
(2) *Adam ſiquidem primus homo Hebraea lingua abſque dubio uſus eſt*
(3) *inchoare: noverunt juſtorum preces a Domino velocius exaudiri, & ideo peccatorem ſe quidem inſinuans, aliorum orationibus prius ſe rogat inſpiari.*
(4) *impias facere*
(5) *deceptor*
(6) *dicam*
(7) *leve*
(8) *uno nomine; ſatis etenim congrua ſuo opuſculo concluſionem parat addere cui tantum nomen intendit apponere, quod nulli unquam interpretes ſciunt transferre Amen quippe vere ſive fideliter, vel fiat ſignificare creditur quod etiam divina verba, & in aeternum manſura nobis in Evangelio confirmare videtur.*
(9) *nota eſt quae tantum in fine libri apponitur, cujus figura talis eſſe monſtratur.*

De Diaconorum, Presbyterorum, & Epiſcoporum ſubole.

Imperator Theodoſius & Honorius & Arcadius & Gratianus & Valerianus & Valentinianus Auguſtus & (ſic) Aurelium præfectum Urbis Romæ in ſeptimo libro Gaii.

Per omnes noſtrorum Regnorum provincias, quæ ſub noſtrae ſalutiferae tuitionis regimine, ſive ſalubri imperio vivere noſcuntur, quarum negotio noſtris Praeſulibus aequo jure dirimenda committimus. Hanc eis ſummo & vigilanti ſtudio providae ſolertiae praecipimus, ſi (ſic) adhibere induſtriam, quatenus, ut non ſinantur Diaconorum, Presbyterorum & Epiſcoporum ſuboles, qui poſt eorum conſecrationem de eorum nefaria & ſceleroſa commixtione nati probantur ad ullius dignitatis apicem aſcendere; ſed omnium noſtrorum Praeſulum ipſi cuncti dominio & poteſtati ubicumque inventi fuerint, mox ſubiicientur obnoxii. Ut in foro noſtro, in quo univerſae Reipublicae negotia juſto examine ventilantur, nullam habeant poſtea communionem degendi aut litigandi inter Satrapes & magiſtratus & Conſules, quia noſtrorum & eorum Rhetorica cœnoſi jam fordare videntur; ſed mox a noſtris Praeſulibus capti aut igniferae coquinae ſive latrinae ſtercora vel cœnoſas ſordes cloacharum civitatis & ſterquilinia pontium & aquaeductuum curandi officiis atque purgandi traducantur. Si quis igitur ex noſtris Praeſulibus ea, quae ſuperius diximus facere diſtulerit, honorem quem a nobis accipere promeruit careat, & V. librarum auri pondera de ſuo proprio noſtrae Camerae cogatur perſolvere.

In primo folio codicis cujuſdam membranacei ſæc. forte XI. deſcripti, quem ſervat Bibliotheca Canonic. majoris Eccl. Lucenſis, & adnotatur num. CXXIII. Hanc precationem ad probationem canonicam lego.

DOmine Deus magne & metuende, juſtus & fortis, terribilis & miſericors, clemens, & potens, qui hominum occulta noſcis, & quem nemo aliqua fraude fallere poteſt, & apud quem quaeque latentia ſunt manifeſte palam: da huic Populo praeſentato in templo ſancti tui nominis ſacrato, per invocationem Sanctae & individuae Trinitatis, veritatem diſcernere, falſitatem vanarum ſuperſtitionum procul abiicere, quatenus hujus ſacerdotis illum reatum, quo criminatur, valeant noſcere, ſi vere an falſe inteſtatur. Suppliciter etiam majeſtati tuae ſundimus preces, ut hoc venerabile Filii tui corpus in ara crucis pro ſalute omnium immolatum, hic ſacerdos illum, ſi hoc crimine quod ei obiicitur eſt turpiter culpabilis, nequeat ſumere, & quod ad remedium adverſariorum eſſe debuerat, ſit ei noxium, dolore & contritione plenum, & aerumnis omnium amaritudinum perfuſum. Per eumdem &c.

ANONYMI SERMO

In Feſto translationis corporum Sanctorum Martyrum Reguli, Jaſonis & Mauri, atque Ilariæ.

LECTIO PRIMA.

AD beatorum martyrum feſtivitatem conveniſtis Deo devotiſſimi, ac nobis dilectiſſimi fratres, & de conventu veſtro gratiam nos in Domino vehementiſſime confitemur. Veſtra enim ad Deum exultatio noſtrum gaudium eſt, & conatus veſter ad coronam irritamentum nobis eſt ad hanc flammam. Arbitramur autem id ipſum ſanctis martyribus cordi eſſe non tam pro ſua veneratione curantibus, quam de veſtro profectu ac deſiderio gaudentibus.

LECTIO II.

Quoniam & hoc, abſque dubitatione, credendum eſt, quia & in caelo coram Angelis Dei gaudium eſt, quia ubi tantus in terris pro fidei teſtimonio concurſus eſt. Et nos quidem fratres chariſſimi indignos nos & inſufficientes ad haec vel tractanda, vel loquenda & intelligimus, & fatemur, ſed eſt qui os praecipit aperire, & illud promittit adimplere: quamvis ne aperire quidem poſſumus niſi ille vires dederit per quem ſumus, qui poteſt & vobis ſine nobis cor aperire, ſicut & per nos aperit, & plerumque nobis laborantibus non aperit.

LECTIO III.

Sed oremus quantum poſſumus univerſi pro invicem, ut nobis loquendi gratia tribuatur, & vobis audientia quatenus de hoc veritatis teſtimonio, & nunc ad conſimilitudinem paſſionis, & in futuro ad conſolationis conſortium pertingere valeamus. Beatorum igitur martyrum nomina iſta ſunt, Regulus, Jaſon, & Maurus, & horum duorum mater Ilaria, quos una dies honore debito Luca tranſtulit, & ſicut parens eſt venerabiliter ſepellivit. Quorum beatus Regulus primus eſt, quia Pontifex eſt, & pontificatus ſui dignitatem meritis operum, & ſanguinis atteſtatione decoravit, adhuc autem & exilii ſui commendavit patientia, quae & ipſam martyrii coronam non augere modo, ſed & geminare credenda eſt.

LECTIO IV.

Eſt enim martyrii per ſe genus exilium & quæ exilii ſunt pro Domino ſuſtinere, etiam ſi non contingat ad cruoris gratiam pervenire. Quae in Regulo experientia tanta fuit, ut neque navigationem formidaret, & vitam pauperem divitiis ſuis anteferret. Quod qui leve judicat, illud Domini de Joanne teſtimonium conſideret, ubi & cibi ejus aſperitas & duritia veſtimenti, & fidei conſtantia commendatur, cum nec veſtitus molliter, nec ad modum arundinis vento facilis cedere declaratur. Sed non his longius immorari otioſum eſt, utpote qui non geſta ejus ſcribere, ſed translationis memoriam poſteris ſuſcepimus intimare.

LECTIO V.

Nam quia paſſus ſit Regulus ſancta novit & confitetur eccleſia, & paſſionis ejus ordinem quam libenter legimus, tam & legendum aliis non negamus. Quomodo etiam in hanc urbem venerit litera manifeſtat, & Luca novit, quae de tanto beneficio divinæ gratiæ ſuo tempore laudes ſolvit, & de triumphan-

phante Regulo gloriatur per quem regi ſe certa eſt, & apud Deum regnare præſtolatur. Quamobrem de ea quoque tranſpoſitione iſta ſufficiant, ne alienam gratiam dum clariorem facimus, obſcuremus, & uberiorem ſegetem ſuper ſeminando ſuffocemus.

LECTIO VI.

Cum autem ad Alexandri tempora ventum eſſet, & vir ſummae induſtriae Romanam cathedram a Domino ſuſcepiſſet, placuit Lucanam eccleſiam non deſerere, & contritiones illius ſuo ſolatio refovere. Quae tum olim divitiis & honoribus floruiſſet, per quorundam occupationes, potius quam regiminis paſturalis curas pervigiles ita foris preſſa, & conſumpta erat, ut ipſa quoque ſartatecta majoris eccleſiae prae vetuſtate vacillarent. Unde & habito quorum oportuit conſilio, quam cernitis fabricam ab eo fundata eſt, & ſacrata, brevi quidem tempore, ſed non brevi ſumptu, ac labore.

LECTIO VII.

Alexander autem ille eſt qui & Anſelmus dictus eſt, cui nepos ſucceſſit Anſelmus, qui Lucanam ſede, & opere clarificavit eccleſiam, dum licuit, donec tempeſtas illum a loco iſto ſeparavit. Cum ergo conſecrationis dies diſpoſita advéniſſet viſum eſt viris ſapientibus theſaurum iſtum locis occultioribus commendare, ut quanto rarior, & difficilior pateret acceſſus, eo gratior & utilior foret intuitus, quia & quotidiana contemplatio & ad votum patens primo admirationem tollere, ac deinde faſtidium generare ſolet. Sed dum per negligentiam cuſtodum & importunitatem pulſantium facta illa intentio ſolveretur, & locus ille jam non tam rarus fieret pietati, quam frequens & pervius vanitati. Viſum eſt his quorum intererat viam & occaſionem confabulationi claudere, & corpus ſanctum de tenebris ad lucem revocare.

LECTIO VIII.

Audiſtis conſilium & laudaſtis. Vidiſtis oſſa martyris, & laetati eſtis. Vidiſtis egregii pontificis caput, & oſſa pene omnia numeraſtis. Qui triumphus veſter tum fuerit, quae concertatio nocturna ſimul ac diurna in choris, & in luminaribus videat ille & recolat, qui corda veſtra ſuccendit, & Reguli ſui meritum tanta gratia decoravit. Videat inquam ille, & Regulum ſuum videre faciat qui illum vobis exulem, vobis martyrem dedicavit; unde & vicinae civitates ad gaudia veſtra ſua gaudia miſcuerunt, & intermiſſis inimicitiis inimici quoque convenerunt.

LECTIO IX.

Sed & Beatorum Jaſonis & Mauri & matris eorum Ilariae reliquias transferendi ea cauſa eſt, quia nec aliter altare ubi eſt Beati Reguli levari poterat, niſi ex alio quoque latere aliud locaretur; nec erat aliud quod nobis ad transferendum ſic habile videretur tum propter loci incommoditatem non ferendam. Erat enim, ut eſt, locus ille nec ad quietem idoneus, nec ad evidentiam perſpicuus, & decere viſum eſt ut quos neceſſitas transferebat, par illuſtraret gloria, ut qui omnibus erant profuturi videri poſſent ab omnibus, & rogari. Es hinc & inde Martinus, Hilarius cum Proſpero victorioſiſſimi confeſſores haberent certaminis ſui duces, quos ſi ſanguine non ſunt aſſequti, ſunt tamen deſiderio proſequti, & ſunt quod eſſe voluerunt, & ſi non defuiſſet neceſſitas, eſſe per virtutem potuerunt. Et de tranſpoſitione quidem iſta ratio eſt. Propter calumnioſos autem, & ſuſpicioſos cuſtodia tota viris optimis cum juramento credita eſt, ne de ſacris exuviis minutum aliquid putaretur, ut nec ipſi epiſcopo ſine quibuslibet eorum facultas fuerit. *Caetera deſunt.*

ANONYMI

EJUSDEM, UT VIDETUR, SERMO,

In anniversario dedicationis Majoris Eccleſiæ Lucensis in honorem S. Martini dicatæ.

Deſunt multa in principio.

.... quam futuri contemplatione tangebatur. Et nos ergo dilectiſſimi ita miremur praeſentia ut deſideremus futura, ita viſibilia cogitemus ut ad inviſibilia feſtinemus. Ad hoc enim & iſta fiunt ut ſecundum Apoſtolum inviſibilia ipſius per ea quae facta ſunt intellecta conſpiciantur. Unde a religione non abhorret, ſicut jam diximus, rebus hujuſmodi ſtudium & diligentiam exhibere, ubi pietas exercetur & chriſtiana ſtudia ad interiora velaminis pertrahuntur. Imo quia impium & ſacris legibus inimicum eſt talia demoliri, tam Deo & hominibus acceptum eſt haec fundare & bonis temporalibus ampliare. Chriſtiana ſiquidem traditio, quae nullam admittit falſitatem numquam haec praeciperet fieri, ſi non expediret factum iri. Nec diſciplinae ſpiritus qui fictum refugit his operibus aſpiraret, ſi non ſancta & ſalutifera judicaret. Qui ergo ſacrat noſtra corda & corpora ipſe noſtra ſacrat habitacula, & qui aquis ſanctificandi tribuit locis ſuis efficaciam ipſe potenter tribuit benedictionem & gratiam per virtutem verbi, & miniſterium ſacerdotis.

Haec fratres cariſſimi pro dedicationis honore communiter dicta ſint; nunc de veſtra gloria ſpecialiter aliquid eſt perſtringendum. Gloriam veſtram dicimus, & utinam vere & ſpecialiter dicere valeamus. Sed vere ſpecialis Martini gloria, ſpecialis & illorum qui ejus nomini & honori tantum opus, tanta devotione dedicarunt, ut anno Dominicae Incarnationis milleſimo ſeptuageſimo pridie nonas Octobris conſummatum, & dedicatum fuerit. In quo Lucenſis qui tunc erat populi liberalitas pene ſtupenda eſt, & ſummis laudibus extollenda, quae in uno eodemque opere & populi per deſertum gradientis ſtudium in oblatione tam pone ſecuta eſt, & Salomonis divitias in tempore ſuo aequavit. Quem fervorem in Dei opere Deus ipſe quam acceptaverit evidentiſſime declaravit; ubi cum Romanae Sedis Pontifice Alexandro, qui nomine primo vocabatur Anſelmus, tunc & Lucenſis ſpecialiter erat Epiſcopus ad hanc ſolemnitatem viginti duos Epiſcopos, & Abbatum numeroſitatem non modicam convenire fecit. Tacemus clericorum, & populi multitudinem infinitam, qui non modo de vicinis urbibus, ſed uſque ipſa Francia affuiſſe memorantur. Ut autem poſteritas quoque de tanta ſolemnitate ſemper aliquid beneficii ſortiretur ſtatuit, Pontificis ſummi prudentia ad Salomonis ſimilitudinem omni anno octo diebus hanc celebritatem recoli, & celebritatis ipſius uſque ad octavum diem officium fieri intra muros ipſius civitatis, extra vero per Plebes una die ad memoriam ſolemniter revocari, hoc ſcilicet ad gaudii hujus plenitudinem adjecto, ut omnes hunc diem celebrantes ab omni jugo poenitentiae uſque ad octavum diem abſoluti eſſent. Eccleſiae vero quod in hujus dedicationis die ſanctae recordationis Papa Eugenius in hac Eccleſia miſſam celebravit, & octo diebus abſolutionis a jugo poenitentiae pro hujus Eccleſiae reverentia alios vste adjunxit, huic talem attribuit dignitatem, ut ab hac die Dominicis diebus miſſas ſolemnes habeat, quas in Eccleſia Beati Pantaleonis a Reſurrectionis die uſque ad Kalendas Novembris celebrari mos erat. Sub anathemate quoque ex auctoritate Divina & Apoſtolica praecepit, ut

ut nullus in circuitu, & atrio, & canonica ipſius Eccleſiae irato animo vim alicui inferat, aut aſſultum faceret, aut perſonam capere praeſumat. Ut autem etiam de theſauris nihil minus eſſe potuiſſet vel ad illa quae in tabernaculo per Moyſem, vel quae in templo ſunt repoſita per Salomonem, Roma detulit memoratus Pontifex, & praelibatae Eccleſiae obtulit ſanctorum corpora Jaſonis, & Mauri, & eorum matris Hilariae, & ea in dextro latere honorifice repoſuit. In ſiniſtro vero Beatae Lucinae corpus, quod Joannes Epiſcopus praedeceſſor ſuus item Roma detulerat, magna cum devotione collocavit. Sanctum quoque Regulum jam ante multo tempore Divina largitione huic Lucenſi Eccleſiae datum cum debita reverentia in cripta recondidit. Intuemini igitur obſecro paulo diligentius honorem veſtrum, & divitias veſtras conſervate. Quid valet vobis eorum habere reliquias quaſi quoddam manna reconditum, quorum vitam ſpernitis, labores abhorretis, coronam non curatis? Honoremus Martyres, & eorum pugnas magnifice praedicemus. Quomodo ergo invicem mordemus, invicem perſequimur, & Martyrum Regem iniquiſſimis operibus ad iracundiam provocamus? Si Chriſtus nobis iratus eſt, irati ſunt & Martyres. An putamus chariſſimi contra Chriſti praecepta vivere, & ad Sanctorum gloriam pervenire? Quamobrem mutemus ſtudia, diſcordias omittamus, fraudes, perjuria corrigamus, ad pacis unitatem redeamus. Habeamus ante oculos indeſinenter terrorem animadverſionis Divinae, ut non incidamus tantorum Pontificum anathema, ſi huic Eccleſiae non dederimus honorem, ſicut illi ſtatuerunt. Quod avertere dignetur a populo ſuo Divina miſeratio per Martini ſui interventionem & merita, & eorum quorum hic habemus patrocinia auctore Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui vivit & regnat per omnia ſaecula ſaeculorum. Amen.

IN CAPITULA VETUSTA

SOCIETATIS ANTIQUÆ

Nunc de Murello dictæ, & in Aretina Civitate erectæ.

PRÆMONITIO.

Societatem de Murello hodie vocant Aretini pium quemdam ſacerdotum cœtum, qui ſejuncti licet in ſuis privatis domibus habitantes unum tamen commune vitæ inſtitutum ſervant, communibuſque legibus ſub uno capite gubernantur. Piæ hujus coitionis originem ad ſæculum xi. referunt, & ab Alexandro II. ſacris indulgentiis ditatam affirmant. Nec ſane de vetuſtate aliqua dubitari poteſt, quam legum iſtarum nonnullæ præſeferunt. Quæ tamen hic damus ſtatuta accepta ſunt ex veteri libro quem deſcribi fecit Leonardus ſocietatis ejuſdem Prior anno 1370. Ne tamen credas omnia quæ hic leguntur capitula ad primævam ſocietatis originem pertinuiſſe, cum multa ſint a recentioribus adjecta. Vetuſtiora incipere a loco, in quo nota capitis primi adjecta eſt, atque deſinere in capite xxii. vetuſtus eorumdem codex diligenter indicat atque demonſtrat. Quæ autem hic exhibeo tranſmiſſa ad me ſunt a docto Sacerdote Angelo Laurentio Grazini, qui & adnotavit ſocietatem hodie pariter perſeverare, ſed in nonnullis variatam, cum ſolis tantum ſacerdotibus pateat nunc ad illam adſcriptio, amotis laicis & fœminis quibus olim permiſſum erat ut ſocietati nomen ſuum darent. Hæc præmonenda erant in gratiam exterorum lectorum quibus alioqui de tanta Societatis vetuſtate ambigendi ratio ſuccurreret.

STATUTA ANTIQUA

SOCIETATIS ARETINÆ DICTÆ DE MURELLO.

HÆ ſunt Indulgentiæ & gratiae fraternitati clericorum Aretii conceſſae. Imprimis in anno Domini M. ab Incarnatione inventa fuit, & per Dominum Alexandrum Papam confirmata, cui conceſſit Indulgentiam VII. annorum, licet propter diuturnitatem temporis Privilegium non reperiatur. Tamen quidam clerici fide digni dictum Privilegium ſe vidiſſe, & habuiſſe teſtantur.

Item omnes Epiſcopi Civitatis Aretii, qui a die inventionis pro tempre fuerunt uſque in praeſentem diem ſpetiales indulgentias, & gratias conceſſerunt. Et praecipue Vener. Pater, & Dominus, Dominus Guido quoddam Solempne Privilegium conceſſit; in quo ſunt plures indulgentiae, & gratiae ſpetiales.

Imprimis conceſſit Generali Priori fraternitatis prædictæ, qui eſt, & pro tempore fuerit, omnes ſuos caſus in foro poenitentiali concluſos; conſtituens eum ſuum poenitentiarium ſpecialem ſuper illis qui de fraternitate conſiſtunt, & cum eis diſpenſet, ubi fuerit diſpenſatio oportuna, devote petendo dictæ fraternitati aſcribi.

Item quod tempore ſui Interdicti dictus Prior in *tribus generalibus Capitulis*, ubicumque ordinaverit, Miſſam & offitium fraternitatis poſſit ſolempniter celebrare.

Item de male ablatis incertis uſque in certam quantitatem dictæ fraternitati conceſſit.

Item indulgentiam XL. dierum. Hæc in dicto Privilegio continentur.

Item omnes de dicta fraternitate, & qui favent eandem, omnium bonorum Camaldulenſium Ordini ex Privilegio eidem conceſſo participes efficiuntur.

Item omnium eleemoſinarum, & canctorum bonorum, quae dicta fraternitas facit, miſſarum & offitiorum Clericorum omnium totius Congregationis, quae conceduntur per totum epiſcopatum Aretinum, & partem epiſcopatus Caſtelli, Senarum, & Florentiae participes ſunt, & conſortes.

Praetermiſſo igitur qualiter inventa fuerit dicta Congregatio, & a quibus & quomodo auctus eſt numerus fratrum ejus, & quando fuerit inventa; in quo tempore Anni Domini M. currebant ab Incarnatione ipſius, ſicut in antiqua regula Congregationis prolixius habentur, ad diſtincta tantum Capitula, prolixitate omiſſa, veniatur.

De modo aſſumendi Fratres ad hanc regulam accedere cupientes.

Cap. I. Hujus ſiquidem operis inventores inter ſe poſuerunt, ut nullus ibi reciperetur, niſi prius obedire polliceretur Deo, ſanctoque conventui, & ejus decreta cuſtodire, & flenda praeterita peccata, & a futuris cavere.

Quod habeatur Liber, in quo vivorum & defunctorum nomina deſcribantur.

Cap. II. Addiderunt etiam, caritatis praeceptum, in quo tota lex pendet, & Prophetae, devote ſervando, aliis annuntiare; quem quoniam non tantum viventes, ſed etiam exuti corpore mutis viſis ſignis expoſcunt, placuit eis habere librum, in quo contineantur Miſſae pro vivis atque defunctis fratribus de ipſa Congregatione, quae per anni circulum a fratribus invicem, ideſt per hebdomadas celebrarentur, ubique nomina vivorum, & defunctorum fratrum ſcriberentur, ut eorum anniverſaria celebrarentur.

Quod delicta delinquentium fratrum aequaliter inter fratres dividantur.

Cap. III. Iterum bonum viſum eſt eis farcinas delinquentium fratrum, voluntarieque confitentium per aequales partes dividi, eleemoſiniſque & ſacrificiis, Dei favente gratia, diluere, Apoſtolo dicente: Alter alterius onera portare. Et Propheta: Si frater fratrem adjuvat, ambo exaltabuntur. Si autem non voluntarie, ſed vulgo jam ſciente, confeſſus fuerit, non tale adjutorio ſublevetur.

Quod propinquiores fratres fratrem infirmum viſitent.

Cap. IV. Addiderunt dicti fratres, ut ſi quis fratrum ſupradictae Congregationis infirmaretur, qui propinquiores ſunt viſitent, & unuſquiſque fratrum Congregationis, aut per ſe, aut per alium dicat pro eo unam miſſam pro infirmis.

Quid agendum ſit pro Sacerdote defuncto.

Cap. V. Si aliquis Sacerdotum ex illa fraternitate defunctus fuerit; tunc omnes Sacerdotes ipſius Congregationis, qui ibidem venire poſſunt, congregentur; & lavent ipſum corpus; & cum ceris ſtent circa corpus ejus, donec miſſarum officia finiantur, corpuſque tumuletur. Superſtites vero *Fratres illius Prioratus, vel Societatis*, cujus defunctus extiterit, aut per ſe, aut per alios, ſi non potens eſt, aut non auſus fuerit, tres miſſas dicat; & in aliis miſſis & officiis habeat recommendatum eundem in Anniverſario, *una laici vero infra xxx. proximos dies tres miſſas, quinquaginta Pater noſter.* (a)

(a) forte pro Miſſa L. Pater noſter.

Quid agendum ſit pro Laica defuncto.

Si Laicus defunctus fuerit, poſtquam ad notitiam fratrum Sacerdotum ſuae Societatis pervenerit, unuſquiſque dicat pro eo tres miſſas, vel recommendatum habeat in tribus miſſis, aut quinquaginta pſalmos pro una miſſa, cum corporis afflictione, & cordis compunctione dicat. Cap. VI.

Quid agere debeant pro Laicis Laicè.

Laicis vero injunctum eſt, ut unuſquiſque in unaquaque Quadrageſima faciat dici duas miſſas, unam pro vivis fratribus, & unam pro mortuis; maneantque cum Sacerdotibus, donec miſſa finiatur, deprecantes Dominum cum cordis devotione. Cap. VII.

Quod orta diſcordia inter fratres terminetur.

Iterum futile viſum eſt eis, ſi quis haberet aliquam querimoniam adverſus aliquem noſtrum, & (*forte* ea) juxta ſententiam ſaltem duorum fratrum cum *Priore loci* finiatur, & ſine difficultate ei, qui fecit injuriam, ut fratri ſatisfaciat, praecipiatur. Quod ſi facere renuerit, extra conſortium habeatur. Cap. VIII.

De tribus generalibus Capitulis in quibus temporibus fieri debeant.

Cap. IX.

Nec non ſalubre viſum fuit eis tribus vicibus coadunari in anno. Prima in Dominica ante feſtivitatem S. Martini. Secunda ante Septuageſimam. Tertia ante Pentecoſten. Quibus temporibus pauperes eleemoſinas recipiant, ut Priori, & Camerariis videbitur expedire. Unicuique vero jam dictorum terminorum placuit injungere competentem terminum, ut in convenienti loco pro voluntate fratrum conveniant, in quo divino reficiantur cibo. Quartus etiam placuit eis terminus ſimiliter pro ſpirituali refectione. Qui eſt in ſalus populi.

Quae poena danda ſit Clericis & Laicis ad Capitula non venientibus.

Si quis vero Sacerdotum aliquem ex ſupradictis terminis ex negligentia defuerit, teneatur reficere duos pauperes. Praelatus vero duplici poena puniatur. Sed ſi arrogantia defuerit, ſeptima, aut decima, vel duodecima die uſque ad eundem locum diſcalceatis pedibus vadat. Laici vero ad arbitrium Prioris puniantur. Cap. X.

De poena danda ad particularia Capitula non veniendo.

Aliis vero vicibus, quando particulariter congregatur fraternitas, clerici, & laici teneantur ad illum locum, quem Prior duxerit ordinandum (*accedere*.) Quod ſi non acceſſerint, ſi neceſſitas legitime non excuſaverit eoſdem, clerici dicere teneantur vel per ſe, vel alium VII. poenitentialium Pſalmos, vel unum reficiant pauperem; laici XXV. Pater noſter. Si bis venire contempſerint duplicatur poena. Si tertio non venire praeſumpſerint ſequenti poena puniantur. Praelati vero in his minoribus Capitulis ſi commode intereſſe poſſunt, dictae Congregationis offitio interſint. Sed ſi commode intereſſe non poſſunt, ſaltem mittant capellanos ſuos, qui in offitiis defectum ſuppleatur (*forte* ſuppleant) eorundem. Qui vero hujus ſententiae contemptor fuerit, ab aliis abjiciatur; nec ante recipiatur, quam nudus, aut graviter in Capitulo corrigatur, poenitentia ei a Praepoſito injungatur, & talis ei imponatur poena, ut caeteri timorem habeant, nec exemplo ſimili inobediens (*forte* inobedientes) exiſtant. Cap. XI.

Quid

Digitized by Google

Quid fieri debeat a Fratribus congregatis in tribus generalibus Capitulis.

CAP. XII. Coadunatis autem Fratribus ante omnia dicant litanias, deinde competentes orationes. Poſtmodum procedatur ordinate ad miſſam. Miſſa de Congregatione offm. *Dum ſanctificatus fuero*. Pſal. *Benedicam Domino Gloria* & dicitur *Gloria in excelſis*. Oratio *Omnipotens ſempiterne Deus qui*. Epiſtola *Fratres nolite errare*. Graduale *Venite Filii*. ℣ *Accedite Alleluja*. ℣. *Hæc eſt vera fraternitas*. Deinde ſequitur ſolemniter Hymnus. *Veni Creator Spiritus*. Subſequenter dicitur Evangelium ſecundum Lucam, *Reſpiciens Jeſus*. Offertorium. *Sicut in holocauſtum*. Secreta. *Hoſtias Domine*. Commun. *Lætabimur*. Oratio. *Quos Cœleſti*. Quo facto ſi quis Sacerdotum in aliquem gravem culpam ceciderit, projiciat ſe in terram, ac dicat tribus vicibus mea culpa; peccavi Domine miſerere mei; dummodo culpa ſit manifeſta. Si vero occulta fuerit, occulte Priori confiteatur, dein vero pœnitentia ei juxta modum culpæ impoſita inter fratres dividatur.

Quid fieri debeat in particularibus Capitulis.

CAP. XIII. Coadunatis fratribus dicatur Vigilia mortuorum trium lectionum. Poſtmodum Miſſa mortuorum dicta, vadant omnes cum Sacerdote Miſſam celebrante, cum luminaribus, thuribulo fumigante, & Cruce ad ſepulcra illorum, quorum cauſa congregantur fratres dicendo. *Qui Lazarum reſuſcitaſti*. *Requiem*. Antiph. *Ego ſum*. Pſal. *Benedictus*. ℣. *Kirieleiſon*, *Chriſteleiſon*, *Kirieleiſon*. Orat. *Pater noſter*. ℣. *Et ne nos*. ℟. *Sed libera nos*. ℣. *A porta*. ℟. *Erue*. ℣. *Domine exaudi*. ℟. *Et clamor*. ℣. *Dominus vobiſcum*. ℟. *Et cum*. Orat. *Satisfaciat*. ℣. *Anima ejus*, *& animæ*. Quibus finitis revertantur in Eccleſiam cum Reſponſ. *memento*. Tunc diſtribuatur pauperibus eleemoſina, prout viſum fuerit Priori, & Camerariis expedire.

Quod ortæ quæſtiones inter fratres ſine difficultate ſecentur.

CAP. XIV. Si quis etiam clericorum vel laicorum noſtræ Congregationis aliqua querimonia pulſatus fuerit, non antea reſpondeat, quam in terra proſtratus proclamet mea culpa, ſequens illud Scripturae *Juſtus in principio eſt accuſator ſui*. Illo taliter accuſato, cauſa audiatur, & rationabiliter finiatur.

De obſervatione diei Sabbati.

CAP. XV. Quia dies Sabbati apud Sanctos Patres in abſtinentia celebris eſt habita; nos eorum auctoritatem ſequentes ſalubriter admonemus, ut quicumque Chriſtianae Religionis participem eſſe deſiderat ab eſu carnium eadem die niſi majore feſtivitate interveniente, vel infirmitate impediente abſtineat.

Quæ ſit oblatio Clericorum, & laicorum in Generalibus Capitulis, & quæ in particularibus.

CAP. XVI. Decretum eſt in Generali Capitulo Aſcenſionis Domini, quod quando congregatur Generale Capitulum, clerici teneantur quatuor oblationes offerre, laici vero duas; & ſic etiam quando pro Sacerdote mortuo congregatur. In particularibus vero Capitulis clerici, & laici tot oblationes offerant, quot ſunt mortui, cauſa quorum Fraternitas congregatur.

De Camerariis.

CAP. XVII. Conſtituerunt jam dicti Fratres ibi fieri Camerarium, qui juxta præceptum Prioris & Conſilium fratrum, ſervet ea, quae illi ab aliquibus pro ſuorum remiſſione facinorum offeruntur; & ea juſte benigneque partiendo, quartam pauperibus retribuens, tres partes inter alios æqualiter dividat. Si quis etiam fratrum vel commiſſorum temporali indiget neceſſitate, ex illis tribus partibus conſolationem accipiat. Qui ſic dividendo ſervando fraudem commiſit, ſimilem Judae ſe eſſe cognoſcat. Qui dum ea quae Deo offerebantur aſportaret, loculos ſibi conſtruxit, unde conſecutus eſt, quod Dominum tradidit, & quod laqueo ſe ſuſpendit.

Additum eſt quod quilibet Camerarius de omnibus quae pervenerint ad manum ejus quocumque modo, & de expenſis juſte factis rationem hujus officii, ſemel in anno coram Generali Priori teneatur in ſcriptis rationem fideliter aſſignare. Alioquin ad dicti Prioris arbitrium puniatur.

Quod omnes fratres in Capitulo Generali ſibi dent oſculum pacis.

Iſtud necnon perpulcrum viſum eſt eis, ut in fine Capituli, antequam diſcedant, pacifica corda geſtantes, ſinguli invicem & ordinate alios omnes oſculentur. Quo ſigno oſtendant inter ſe cordis amorem, ubicumque ſe invenerint: credimus enim fratrem non ita eſſe inſanae mentis, ut fratres oſculetur, ſi cordis odio ſit turbulentus. C. XVIII.

Quod nomina Fratrum ſcribantur, & die ſeptimo poſt obitum cujuslibet fratris conveniant.

Ordinatum eſt quod omnes Clerici noſtræ Congregationis nomina virorum, & mulierum ſuæ Parochiæ in dicta Congregatione exiſtentium Priori loci exhibeant. Quia Prior in Generali libro per Parochias diſtincte ſcribi faciat. Nihilominus ipſi Clerici dicta nomina penes ſe retineant, & conſervent; ut cognoſcatur numerus, cum aliquis de dictis Fratribus moreretur. Cum vero aliquis moreretur, Sacerdos in cujus Parochia defunctus extiterit, Priori loci quam citius poteſt, notificet. Prior vero illis Clericis, quos dictus Sacerdos voluerit, præcipiat, ut die ſeptimo poſt dicti defuncti obitum ad dicti Sacerdotis Eccleſiam vadant, vigiliam trium lectionum & Miſſam pro mortuis celebraturi. CAP. XIX.

Quod omnes obedire debeant ſuo Priori.

Item ordinatum eſt quod tam Clerici, quam laici noſtræ Congregationis teneantur, & debeant ſuis Prioribus obedire, & qui contrafecerit velut inobediens puniatur. CAP. XX.

De Feſtivitatibus Eccleſiarum de hon . . . .

Quoniam Clerici quaſi ſignum ſunt poſiti ad ſagittam, & ſuorum ſubditorum exemplum, ſtatuimus, quod unuſquiſque Prælatorum vel rectorum Eccleſiarum Civitatis, Caſtri, vel Burgi, ſive alterius loci, ubi ſunt plures Eccleſiæ, in Feſtis principalibus dictarum Eccleſiarum teneatur per ſe vel per Capellanum populum viſitare. CAP. XXI.

Quod omnia præſcripta præcepta in poteſtate Prioris ſint.

Omnia igitur præſcripta Capitula volumus in poteſtate Prioris conſiſtere, cui delinquentes ligandi plena ſit & abſolvendi auctoritas, prout ſua diſcretio viderit expedire. Nos itaque, Fratres, ut hoc modo congregemur, ut dictum eſt, puris mentibus operemur, taliaque dona conſequamur, Immortalem Dominantium inceſſanter corde & ore precemur Dominum noſtrum Jehſum Chriſtum Qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus per infinita ſæcula ſæculorum Amen. CAP. XXII.

De Comeſtionibus ſollempnibus in Congregationibus non fiendis.

C. XXIII. Ne ſubditorum ſanguis de noſtris manibus requiratur, ſtatuimus ut nulli liceat, ratione Congregationis Clericis congregatis commeſtiones ſollepnes vel convivia celebrare abſque noſtri licentia ſpetiali. Si quis vero ejuſdem aliquid refectionis contribuere caritative voluerit, panis, vini temperati, caſeique & hujuſmodi pabulum liceat miniſtrare. Alioquin agentes, & recipientes cunctis Indulgentiis noſtrae Fraternitatis ſe noverint eſſe privatos, quos ex nunc prout ex tunc praeſenti conſtitutione privamus.

Quod nullis liceat recipere de eleemoſinis datis aliquid niſi Camerario Congregationis.

C. XXIV. Extirpare radicitus nos oportet avaritiæ vitium, quod in quibuſdam partibus inolevit. Cum igitur in Congregationibus celebrans oblationes ibidem exhibitas ut proprias ſibi vindicare praeſumit in animæ ſuæ diſpendium, & ſalutis, volentes huic morbo de ſalubri remedio ſobvenire, ſtatuimus, ut nullus ſibi ſubripere audeat, que ratione Congregationis advenerunt, niſi Camerarius, ad quem ſpectat, qui ſervet & diſtribuat de ſui Prioris conſilio, prout viderit expedire. Si quis vero contrafecerit, ſententiam excommunicationis incurrat, & cum Dathan & Abiron, quos vivos terra abſorbuit, habeat portionem.

Quod legatur ad menſam.

C. XXV. Ut corporali corpus pabulo paſcitur, ſpirituali ſemper utique anima nutriatur, volumus, & in perpetuum ſervari praecipimus, quod quandocumque alicujus cauſa congregationis conſtituti Fratres in ſacris ultra decem vel decem ad menſam conveniant, diſſenſis & inhoneſtis dimiſſis, inſtituta Sanctæ Congregationis praedicta legantur ibidem, que honeſto actu & ſpirituali auditu & moribus ſub arbitraria poena Prioris audire ſtudeant adſiſtentes &c.

IN NOMINE DEI. AMEN.

Haec ſunt quaedam additiones & ordinationes factae ad Dei laudem, & exaltationem ſanctae Congregationis Clericorum Aretinæ & Caſtellanæ Civitatum & dioceſum earundem per quoſdam Venerabiles Viros electos in generali Capitulo Octavae Aſcenſionis Domini una cum Generali Priore congregationis praedictae in Eccleſia S. Petri ſub annis Domini MCCCXVII. die 19. Maii.

Quod Clerici ad Fraternitatem vocati vel proceſſionem Cottas aeferant.

Ut Clericalis honeſtas oſtendatur aſpectui, quae mente Clericorum & corpore infallibiliter debet perpetuo reſidere; ſtatuerunt & ordinaverunt praedicti quod Clericus extrinſecus quilibet, rector alicujus Eccleſiae, vel Capellanus alterius cujuſcumque conditionis exiſtat, congregationis noſtrae ad fraternitatem vocatus vel proceſſionem, aliquam cottam deferat ſub poena duodecim ſolidorum, Camerario ſolvendorum ſub prioratu illius, in cujus territorio fuerit delictum commiſſum. In generalibus vero Capitulis dicta poena duplicetur, quam tam intrinſeci, quam extrinſeci in praedictis Clerici delinquentes ſolvere teneantur.

De Vigilia celebranda pro mortuis in vigilia, Capitulo, Miſſis Proceſſionis, Miſſa Solempni.

Item voluerunt & firmaverunt quod in Vigilia generalis Capituli octavae Aſcenſionis Domini, ante ipſius diei Veſperas in Eccleſia in qua ordinaverit generalis Prior pro defunctis fratribus noſtrae congregationis a Sacerdotibus & Clericis fratribus vigilia mortuorum cum laudibus celebretur. Qua ſub obedientiae vinculo omnes conveniri voluerunt ad dictum offitium exequendum, niſi cauſa juſta excuſaret eoſdem. Denique tali offitio celebrato, per Priorem ſacerdoti praecipiatur cuilibet, quod ſummo mane ante proceſſionem Solempnem miſſam celebret pro defunctis; Vel Clericis, ſub Prioratu cujuslibet certus miſſarum numerus imponatur, ſicut diſcretioni Prioris videbitur expedire. Sic itaque praedicta tamen procedant, ut proceſſioni praedictae nullum in aliquo pariant nocumentum. Ad quam omnes ſacerdotes & Clerici unanimiter conveniant honeſto actu & moribus bini & bini ſub arbitraria poena Prioris, proceſſionaliter cum laudibus incedentes, virorum fratrum ac mulierum turbis tota devotione ſequentibus univerſis. Quibus infra miliaria ſex degentibus ſub obedientiae vinculo omnes intereſſe juſſerunt. Poſt Proceſſionem vero, de congregatione miſſa ſequatur ſolempnis, ſicut conſuetudo praeterita & hactenus ſervata requirit.

Quod nullus Sacerdos Vigilia Capituli & ipſa die Capituli per hoſpitia Laicorum & tabernas diſcurrat.

Cum vitae Clericorum & moribus ſemper Laici plurimum ſint infeſti, & Clericalis ordo profundiſſimum honeſtatis ſtatum requirat, ſtatuerunt quod nulli Sacerdotum noſtrae congregationis liceat Vigilia generalis Capituli nec ipſa die Capituli per Laicorum hoſpitia diſcurrere vel tabernas, nec ad locum aliquem inhoneſtum accedere, quieſcere, cibum, vel potum ſumere praeſumat nullatenus in eiſdem, ſed in Eccleſiis Civitatis, Conſanguineorum vel amicorum ſuorum domibus quieſcere ſtudeat; & in eis quae ſibi ſunt neceſſaria ſubminiſtret, & talem inceſſu, actu & moribus habere modum procuret, quod ab omnibus ejus vita laudabilis habeatur, ut ſaltem oſtendatur aſpectu, quod debet opere & affectu in Clericis perpetuo reſidere. Si quis autem hujus conſtitutionis contemptor extiterit noſtra congregatione deinceps & ſuis effectibus ſe noſcat eſſe privatum, quem ex nunc praeſenti conſtitutione privamus.

Quod omnes Subpriores vel eorum Camerarii aſſignent Camerario Generali nomina defunctorum ipſius anni.

Item firmaverunt & ſtatuerunt praedicti quod Subpriores cuncti, vel Camerarii praedictorum Camerario generali, vel Scriptori ſuo nomina defunctorum Sacerdotum, & aliorum fratrum & ſororum noſtrae Congregationis decedentium ipſius anni aſſignare procurent, ut in generali Capitulo eorum nomina publicentur, & pro eis preces ad Dominum ſpiritualiter porrigantur.

In nomine Domini. Amen. Milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo nono. Die XXVI. Maii, Indictione ſecunda.

Hae ſunt quaedam ordinationes factae in Eccleſia Hoſpitalis de Oriente per Dominum Leonardum Priorem Fraternitatis Civitatis Aretii, & Priorem tunc S. Michaelis de Aritio, & ſuos Conſiliarios, & alios quamplures Praelatos & Clericos dictae Fraternitatis numero quinquaginta quinque ibidem de mandato dicti Leonardi Prioris congregatos ad faciendum & extrahendum novum Priorem dictae Fraternitatis, quorum nomina in publica forma per Ser Jacopuccium fuerunt deſcripta.

Imprimis quidem fuit commiſſum & ordinatum per praedictos, quod Prior ipſe Leonardus cum Conſiliariis ſuis, & Prior novus ſimiliter cum Conſiliariis ſuis reforment & denuo reficiant buſſulum Priorum dictae Fraternitatis uſque ad quinque annos futuros ea quod nullus Prior in buſſulo remanſerat.

Item

Item ordinaverunt & praedictis commiſerant, ut ordinent clericos octo dictae Fraternitatis uſque ad dictum tempus, qui ad præceptum Prioris illo anno toto quo extracti & vocati fuerint cum Priore qui fuerit extractus vadant ordinate pro eleemoſiniis pro dicta fraternitate, & etiam illo anno occurrant ad funera omnia mortuorum dictae Fraternitatis, prout Priori videbitur & placebit; & ſi aliquis fuerit impeditus vel eo tempore abſens, poſſit loco ſuo alium ſubrogare per literas vel parabolam.

Item ordinaverunt, conſtituerunt omnes praedicti quod Prior, qui pro tempore fuerit, habeat auctoritatem vigore iſtius conſtitutionis omnes clericos dictae Fraternitatis, qui ſibi Priori in praedictis praeceptis, & aliis mandatis ſuis fuerint, quod abſit, rebelles vel inobedientes condemnare uſque ad quantitatem decem ſolidorum dumtaxat applicandorum Camerario dictae Fraternitatis pro qualibet vice in utilitatem pauperum dictae Fraternitatis convertendi.

Anno MCCCLVIIII. Hic liber factus fuit tempore Leonardi Prioris S. Michaelis de Aritio tunc etiam Prioris Fraternitatis Clericorum Civitatis praedictae licet immeriti, ad honorem glorioſae Virginis Mariae ſub cujus vocabulo dicta Fraternitas gubernatur & regitur.

BONACCURSI DE MEDIOLANO

CONTRA CATHAROS

CAPITA QUÆDAM, QUÆ NON LEGUNTUR IN SPICILEGIO DACHERII.

QUOD CHRISTUS A PATRE SIT GENITUS, ET QUOD IDEM CUM PATRE SIT CREATOR ET DEUS.

Capitis hujus titulus tantum legitur in meo Codice, cætera quæ in Dacherio habentur non extant; ſed loco illorum hæc dantur; ut ſine titulo.

HÆretici, qui habent ordinem ſuum de Dugrutia Marchiſius ſcilicet de Soratio Epiſcopus illorum de Scueano, & Amigo filius ejus major Prælatus unius partis hæreticorum, credunt & prædicant, & pro rato habent duos Dominos eſſe ſine principio, & ſine fine, unum bonum & alterum penitus malum, & dicunt quod unuſquiſque creavit Angelos, bonus bonos, malus malos. Et dicunt quod bonus Deus omnipotens eſt in caeleſti patria & malus dominatur in hac tota mundiali machina. Et dicunt duas eſſe naturas, unam bonam incorporalium & cæleſtium ſuperior a Deo omnipotente creatam. Alteram malam corporalium a malo Deo eſſe creatam. Et dicunt quod Lucifer filius Dei tenebrarum eſt, quia dicitur in Evangelin Joannis: *vos ex patre diabolo eſtis &c.* uſque *radix eſt*, & pater ejus, ideſt diaboli, ſcilicet Luciferi, ubi exponunt *eſt radix*, & dicunt quod ipſe Lucifer aſcendit ex hoc ſuo regno in cælum ſuperius, pro eo quod dicitur in Eſaja: *aſcendam in cælum &c.* uſque *ero ſimilis Altiſſimo*, & tunc transfiguratus eſt in Angelum lucis, Angeliſque mirantibus formam ejus, & intercedentibus pro eo ad bonum Deum, ſuſceptus eſt in cælo, & ibi villicus Angelorum eſt effectus; unde in evangelio Lucæ homo quidam erat dives qui habebat villicum &c. & villicatione tali ſeduxit Angelos: *& factum eſt prælium* de quo dicitur in Apocalypſi in cælo; & projectus eſt draco ille, ſerpens antiquus cum angelis ſeductis; unde in fine dicitur, *& cauda ejus trahebat tertiam partem ſtellarum cæli*. Et illi conſtabant ex tribus, ſcilicet ex anima, & corpore & ſpiritu; & corpora remanſerunt in cælo occiſa, quae dicuntur *oſſa arida* in Ezechiele, & ab Apoſtolo cæleſtia, & ſpiritus remanſerunt ibi; animae vero raptæ ab ipſo Lucifero, & in hoc mundo incorporantur, & dicunt quod Chriſtus filius Dei pro his ſolis animabus deſcendit, ſecundum quod dicitur: *filius hominis non venit animas perdere ſed ſalvare*; & item in evangelio Matthæi: *non ſum miſſus niſi ad oves, quæ perierunt domus Iſrael*; & item *venit filius hominis ſalvare quod perierat*; & ovem centeſimam reducere; & de praedicto praelio frequentant hunc pſalmum: *Deus venerunt gentes &c.* Et dicunt quod adhuc ſunt in cælo veſtes & coronae, & ſedes, quas amiſerunt; & iterum debent eas recipere; unde dicit Apoſtolus: *de reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ quam repromiſit mihi Dominus in illa die juſtus Judex non ſolum mihi ſed & his qui diligunt adventum ejus*. Et dicunt quod ſententia judicii jam data eſt, pro eo quod dicitur: *princeps hujus mundi jam judicatus eſt*. Et dicunt quod corpora humana partim vivificantur a diabolo, malignisque ſpiritibus, quos diabolus creavit, partim ab illis animabus, quae ceciderunt, & animae illae agunt in illis corporibus pœnitentiam, & unaquaeque ſi in uno non ſalvatur, ingreditur in aliud corpus, donec agat poenitentiam, & peracta poenitentia, recipit corpus & ſpiritum, qui in cælo remanſerunt, & in hoc ſenſu exponunt illud Apoſtoli: *Deus autem pacis ſanctificat vos per omnia ut integer ſpiritus veſter & anima & corpus ſine querela in adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti &c.*

Sunt quidam hæretici qui dicunt neminem in conjugium poſſe ſalvari exercendo opera conjugalia, ad quod ſic nituntur. Dicit Dominus in evangelio Matthæi loquens de vinculo continentiæ: *qui poteſt capere capiat*, ergo qui non poteſt capere & non capit transgreſſor eſt; & ſic mortaliter peccat; ſed quilibet poteſt capere ſi carnem ſuam afflixerit, ſi ſibi vim intulerit.

Item in evangelio Matthæi: *a diebus Joannis Baptiſtæ regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*. Cum ergo quilibet jejuniis & abſtinentiis poſſit affligere ſe, & poſſit ſibi vim inferre ad continendum, quilibet poteſt hoc verbum capere, & ſic quilibet tenetur continentiae.

Item Auguſtinus ſuper hunc locum Evangelii: *in priori ſæculo præceptum fuit:* creſcite & multiplicamini & replete terram; *nunc autem, terra impleta præcipitur, ut qui habent uxores ſint tamquam non habentes, & ſint eunuchi qui ſe caſtraverunt propter regnum cælorum; & illud qui poteſt capere capiat*; ac ſi dixiſſet aliis verbis, qui poteſt capere & ſe ipſum caſtrare noluerit, regnum caelorum non obtinebit. Ex his manifeſte videtur quod quilibet teneatur continere.

Ad illud quod hic dicit Auguſtinus ſic eſt intelligendum: *præcipitur*, ideſt ſub forma praecepti quod conſulendo dicitur ſicut illud *vade, & vende om-*

nia

Digitized by Google

nia quae habet, & da pauperibus; quod licet praeceptum ſit quantum ad formam, non quantum ad ad inſtantiam. Quod dicitur: *qui poteſt capere capiat*, ſolvimus per diſtinctionem hujus verbi *poſſe*; dicitur enim poſſe poteſtatis, unde dicit Dominus in Evangelio; *an putas quia poſſum rogare Patrem meum; & eſt mihi poteſtas data duodecim millia angelorum*, eſt poſſe poſſibilitatis, de quo Dominus ad Moyſen in Exodo: *non poteſtis videre faciem meam, non enim videbit me homo & vivet*. Et eſt poſſe aequitatis, de quo in Evangelio Matthaei: *& non poterat ibi virtutes multas facere, niſi paucos infirmos impoſitis manibus curavit*. Et Apoſtolus in epiſtola ad Cor. 2. juxta finem: *non poſſumus aliquid adverſus veritatem, niſi pro veritate*. Eſt poſſe facilitatis, ſeu pronitatis, unde dicitur in Evangelio Dei, *poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* & poſſe gratiae, de quo in libro Sapientiae dicitur: *& unde ſcivi quoniam aliter non poſſum eſſe continens, niſi det Deus; & hoc erat ſumma ſapientia ſcire cujus eſſet hoc donum, adii Dominum & deprecatus ſum illum* . . . . & de gratia qui habet hoc donum non repellat ſed ipſum continendo conſervet. Et quod ſic debeat intelligi poteſt haberi ex his verbis ſuperioribus ejus Evangelii, quibus dicitur: *non omnes capiunt verbum hoc, ſed quibus datum eſt*.

Item in Evangelio Matthaei: *Veh praegnantibus & nutrientibus illis diebus*, ecce hic dicitur veh praegnantibus & nutrientibus illis diebus; & ubi grave malum eſt impraegnari? Ergo malum eſt illud ex quo ſequitur hoc; ſed hoc non ſequitur niſi ex coitu. Ergo malus eſt, omnis coitus; ergo vitandus. Ad hoc dicimus, quod Dominus loquitur de futura captivitate Hieruſalem, in qua *veh*, ideſt temporalis poena erit praegnantibus & nutrientibus, quia non erunt expeditae ad fugam; vel myſtice poteſt intelligi veh praegnantibus, ideſt ambitioſis, & nutrientibus, ideſt avaris.

Item in eodem Evangelio: *filii hujus ſaeculi nubunt & traduntur ad nuptias; illi autem qui digni habebuntur illo ſaeculo, & reſurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores*; ſed ſalvandi digni habebuntur illo ſaeculo, & reſurrectione ex mortuis; ergo neque illi nubentur, neque ducent uxores; ergo continere debent. Ad hoc dicimus, quod ibi loquitur de ſeptemvira, ſcilicet de muliere quae habuit ſeptem viros, de qua interrogatus Dominus cujus eſſet, reſpondit filii hujus ſaeculi ideſt homines, quandiu ſunt in hoc ſaeculo nubunt & traduntur ad nuptias; illi vero qui digni habebuntur illo ſaeculo & reſurrectione ex mortuis, ideſt electi neque nubent, nec ducent uxores, ſubintelligendum eſt poſt Reſurrectionem. Et quod ſic debeat intelligi, habetur ex eo quod ſequitur ex textu; dicit enim Deus: *neque enim ultra poterunt mori*, quod nequaquam de hoc ſtatu poteſt intelligi.

Item dicitur in Eccleſiaſtico: *Tempus amplexandi, & tempus longe fieri ab amplexibus*. Super hunc locum dicit Auguſtinus: *Tempori amplexandi congruit illa ſententia, qua dicitur*: Creſcite & multiplicamini, & replete terram; *tempus longe fieri ab amplexibus, quando ſucceſſit, quod dicit Apoſtolus*: Tempus breve eſt; reliquum eſt, ut qui habent uxores, tamquam non habentes ſint. Ad hoc dicimus, quod exponit Gregorius ſic: *Ille uxorem habens, quaſi non habet, qui ſic ſtudet placere conjugi, ut non diſpliceat conditori*. Auguſtinus ſic *& uxorem tamquam non habens habet, qui reddit debitum, non exigit; ſed propter infirmitatem propriam ducit uxorem plangens potius, quia ſine uxore eſſe non poteſt, quam gaudens quia duxit, & maxime quia pari conſenſu pudicitiam ſervandi*. Et aliter idem Auguſtinus: *Uxores tanquam non habentes habent, generandi gratia tantum, non concupiſcentiae ſatiandae cum uxore agit*; nam generandi gratia conjugalis concubitus nullam culpam habet; ſatiandae vero concupiſcentiae habet culpam, ſed propter tori fidem venialem. Vel aliter dicimus eis quia quod dicit Apoſtolus, non eſt praeceptum, ſed conſilium, quod perpenditur ex eo quod in principio hujus capituli dicit: *De virginibus autem praeceptum Domini non habeo, conſilium autem do*; tum ex eo quia in fine ſubdit: *Porro ad utilitatem veſtram hoc dico, non ut laqueum vobis injiciam, ſed ad id quod honeſtum eſt provoco; qui enim provocat non praecipit ſed ſuadet*.

Item Paulus in Epiſtola ad Epheſios, videlicet *Eccleſia ſubjecta Domino, & mulieres viris ſuis in omnibus*; ſed Eccleſia eſt ſubjecta Domino in omni caſtitate mentis & corporis, quare & mulieres viris ſuis ſimiliter. Sic debebunt continere ab illis carnaliter. Ad hoc inducunt etiam, quod dicitur a Paulo in eadem Epiſtola: *Viri diligite uxores veſtras, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam*; & iterum: *State ſuccincti lumbos veſtros in veritate*; & illud ait Dominus in Evangelio Lucae: *Sint lumbi veſtri praecincti, & lucernae ardentes in manibus veſtris*; ſuper quem locum dicit B. Gregorius: *Hic duo jubentur*, ſcilicet, *ut munditia ſit caſtitatis in corpore, & lumen veritatis in operatione*.

Ad hoc dicimus, quod eſt caſtitas duplex, ſcilicet cordis & corporis; de ea quae eſt cordis dicit B. Petrus in Epiſtola prima: *Ergo animas veſtras caſtificantes in obedientiam caſtitatis, & fraternitatis amore; ex corde invicem diligite*; & haec caſtitas in duobus conſiſtit, ſcilicet in fidei integritate, & in cohibenda mala voluptate. Caſtitas vero corporis triplex eſt, ſcilicet generalis, ſpecialis, & ſpecialiſſima. Generalis eſt uti licitis, & contentum eſſe neceſſariis, de qua dicit Apoſtolus: *Deſpondi enim vos uni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto*; & huic caſtitati oppoſita eſt uſurpatio. Specialis caſtitas cordis eſt nulli, excepto foedere conjugali, animaliter commiſceri, unde Apoſtolus loquens de Epiſcopo: *Filios ſubditos habentes in omni caſtitate*; unde dicit auctoritas: ne filius imitetur, qui propriis uxoribus non contenti fratrum ſuorum uxores violabant; & huic oppoſita eſt fornicatio. Specialiſſima eſt continentia, de qua dicit Apoſtolus in Epiſtola ad Timothaeum I. *Te ipſum caſtum cuſtodi ab omni carnali commixtione*. Tres primae ſunt in praecepto, quarta in conſilio, unde Apoſtolus Paulus: *Virgo quod vult faciat, non peccat ſi nubat*; & id etiam ſoluta a lege viri, *cui vult nubat tantum in Domino*, ideſt viro fideli, *beatior erit ſi ſic permanſerit ſecundum meum conſilium*. Quod ergo primo obiiciunt, videlicet Eccleſia &c. hiſque in omnibus ſubintelligendum eſt quae non ſunt contra Dominum, licet enim Eccleſia Chriſto ſit ſubjecta in reverentia a Deo . . . . . . tamen mulier debet eſſe ſubjecta viro ſuo ſic. Itaque dicit: Eccleſia eſt ſubjecta Chriſto in omni caſtitate mentis, & corporis, non eſt verum hoc ſecundum omnia ſua membra; quod autem dicitur *ſtate ſubcincti*, & eſt etiam in Evangelio: *Sint lumbi veſtri praecincti, & lucernae, &c.* Dicimus quod ſi dicantur praecincti de omni caſtitate intelligitur excepta caſtitate corporis tertia, quae ſola videtur in conſilio contineri.

Viſo quod Chatari nobis opponant ſuper eo quod dicunt, neminem in conjugio poſſe ſalvari, nunc eorum ſententiam penitus deſtruamus, ait enim Dominus in Evangelio Matthaei: *dictum eſt antiquis quicumque dimiſerit uxorem ſuam det illi libellum repudii. Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiſerit uxorem ſuam, excepta cauſa fornicationis, facit eam moechari; & qui dimiſſam duxerit, adulterat*. Ecce hic dicitur quod non licet dimittere uxorem ſuam ob aliam cauſam, niſi cauſa fornicationis; quare nec pro religione liceat dimittere, quare conjugium bonum eſt, & in eo poteſt quis ſalvari.

Item dicitur in Evangelio Marci: *Ab initio maſculum & foeminam creavit eos Dominus*, & dixit: *propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhaerebit uxori ſuae, & erunt duo in carne una.* Ita-

Digitized by Google

Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro; quod ergo Deus conjunxit homo non ſeparet. Ergo hic dicitur, quod Deus fuit author conjugii; ergo conjugium bonum eſt. Item in Evangelio Joannis, quod nuptiae factae in Cana Galileae, & interfuit Dominus cum diſcipulis ſuis, & fecit ibi miraculum, quia vertit aquam in vinum, quod nequaquam feciſſet, nec interfuiſſet, ſi male eſſet. Item in Evangelio Lucae de Zacharia, & de uxore ejus dicitur: *erant ambo juſti ante Dominum, incedentes in omnibus mandatis ejus*; & Auguſtinus; *ſuper quod hic dicitur de his qui erant in conjugio*: ergo in conjugio exiſtentes poſſunt ſalvari.

Item Paulus in epiſtola ad Corinthios ita; *bonum eſt homini mulierem non tangere; ſed unuſquiſque uxorem ſuam habeat propter fornicationem, & vir debitum reddat uxori, & uxor viro: mulier poteſtatem ſui corporis non habet, ſed vir*; ſimiliter & *vir poteſtatem ſui corporis non habet, ſed mulier*. Et item: *nolite fraudari ad invicem, niſi forte ex conſenſu ad tempus ut vacetis orationi; & iterum revertimini in idipſum, ne tentet vos ſatanas propter incontinentiam veſtram*. Ecce hic dicitur quod manifeſte conjugium bonum eſt. Item in eodem: *alligatus es uxori tuae, noli quaerere ſolutionem; ſolutus es ab uxore, noli quaerere uxorem; ſi autem acceperis uxorem non peccaſti, & ſi nupſerit virgo non peccabit*; ſic ergo in matrimonio poteſt quis ſalvari. Item *qui in matrimonio conjungit virginem ſuam bene facit; & qui non conjungit melius facit*. Ecce hic dicitur qui matrimonio conjungit virginem bene facit. Ergo matrimonium bonum eſt, & in eo poteſt quis ſalvari. Item in epiſtola ad Titum: *volo juniores nubere, filios procreare, matres familias eſſe*. Ergo Apoſtolus volebat mulieres nubere, quod nequaquam vellet, ſi malum eſſet. Item in epiſtola ad Corinthios: *dico autem non nuptis & viduis bonum eſt ſi ſic permanſerint, ſicut & ego; quod ſi non continuerint, nubant; melius eſt nubere quam uri*; Et item: *his autem qui matrimonio juncti ſunt praecipio, non ego, ſed Dominus, uxorem a viro non diſcedere*. Item in epiſtola ad Timotheum: *mulier in praevaricatione ſeducta fuit; ſalvabitur autem per generationem filiorum*; ſic ergo matrimonium bonum eſt. Item in eodem: ſpiritus autem manifeſte dicit, *quod in noviſſimis temporibus diſcedent quidam a fide attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis Daemoniorum in hypocriſi loquentium mendacium & cauteriatam habentes conſcientiam ſuam, prohibentium nubere, abſtinere a cibis, quos Deus creavit &c*. Ecce hic dicitur quod in noviſſimis temporibus diſcedent quidam a fide, qui prohibebant nubere. Ergo tu qui prohibes nubere diſceſſiſti a fide; ergo es haereticus: Item in epiſtola prima Petri: *mulieres ſubditae ſint viris ſuis, ſicut ſuit Sara Abrahae*; ſic ergo matrimonium bonum eſt.

Sequitur de obſervatione ciborum, de qua ſic nobis opponunt. Ait Dominus in Geneſi ad Noe & filios ejus: *quaſi olera virentia dedi vobis omnia animantia excepto quod carnem cum ſanguine non comedetis*; ecce hic manifeſte habetur, quod prohibitum eſt ſanguinem comedere in animali. Idem & in lege prohibetur; ait enim in lege: *ſanguinem univerſae carnis non comedetis*. Item in actibus Apoſtolorum Apoſtoli ad Gentiles converſos: *viſum eſt ſpiritui ſancto & nobis nihil ultra imponere vobis oneris, quam haec neceſſaria, ut abſtineatis vos ab immolato ſimulacris, & ſuffocato, & fornicatione*. Item in Levitico: *ſi peccaverit anima &c*. Super hunc locum dicit auctoritas: anima dicit non ad electos populos terrae, quia de eis peccatis, a quibus neceſſe eſt & gentes abſtinere, ideſt ab idolothitis, ſuffocato, ſanguine, & fornicatione. Item in eodem: *caro & cutis in qua ulcus natum eſt, & ſanatum, ulceris cicatrix apparuit alba, ſive ſubrufa &c*. Similiter hoc loco dicit auctoritas: caro & cutis eſt homo vel anima, in qua ulcus natum eſt, & ſanatum ideſt populum per poenitentiam poſtea in loco ulceris ideſt in vertice, vel conſcilio cicatrix apparuit, ideſt ſecta peccatorum apparuerunt alba; ideſt manifeſta contra legem, vel ſubintelligitur, ideſt de praevaricatione Evangelica fuerit, ſicut idolothitum, ſanguinem, vel ſuffocatum, utique ſit contra Chriſtum, cujus eſt Lex & Evangelium. Secundo *carnem cum ſanguine non comedetis*, ideſt haeretico, & ſchiſmatico, & in malo perſeveranti non communicabitis. *Sanguinem univerſae carnis non comedetis*, ideſt peccata ex fragilitate commiſſa non publicabitis, nec diffamabitis. Sequitur *ut ab immolato*, ſcilicet ſanguine, & ſuffocato. Iſta eis prohibita fuerant in lege, ideo prohibuerunt Apoſtoli, quia parati erant & proni tunc homines ad idololatriam, & ad ſanguinem effundendum & immolatum idolo bibendum; quare ſuffocatum prohibuerunt ad literam. Secundum noſtros auctores poteſt exponi quod Dei lex non ſtatim tollenda erat, ſed cum honore mater noſtra paulatim deferenda & ſepelienda, non ut ſacrilega gentium fugienda; unde Apoſtoli ab iſtis fore praeceperunt abſtinendum, ut ſcandalum Judaeorum ceſſaret, qui parati erant movere tumultum & ſeditionem contra fidem Chriſti quam receperant. Vel poteſt dici quod ad tempus fuerit hoc ſtatutum, donec eſſent fratres quidam ex Judaeis ad fidem converſi qui fuerunt tempore Chriſti, ne indignarentur.

Nunc videndum eſt de eſu carnium a quibus dicunt Cathari eſſe abſtinendum. Sic nobis opponentes: dicit enim Hieronymus: *ab exordio conditionis humanae, nec carnibus veſcebamur, nec dabamus repudium, nec praeputia nobis eripiebantur in ſignum, & hoc cursu uſque ad diluvium pervenimus. Poſt diluvium autem cum datione legis, quam nullus implere potuit, carnes ingeſtae ſunt ad veſcendum, & repudii conceſſa divortia cultellus circumciſionis appoſitus, quaſi Deus nimis in nobis* . . . . quam neceſſe eſt, priuſquam Antichriſtus venerit in fine temporum, & olim revelavit Adam ideſt extremitate retraxit ad principium, nec repudium nobis permittitur, nec circumcidimur, nec comedimus carnes dicente Apoſtolo, *bonum eſt vinum non bibere, carnes non comedere*, & vinum ei cum carnibus poſt diluvium dedicatum eſt; quare carnes comedendae non ſunt. Sed dicimus quod Hieronymus ita intellexit non comedimus carnes cum ſcandalo fratrum, & bonum eſt non bibere vinum, nec comedere carnes cum ſcandalo, quia hoc facere ſuademur; & quod ſic debeat intelligi evidenter probat Apoſtolus ex ſequenti litera praedictae auctoritatis; *ſed bonum eſt non comedere carnes, nec bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut ſcandalizatur, aut infirmatur*. Idem in epiſtola prima ad Corinthios: *quapropter ſi eſca ſcandalizat fratrem non manducabo carnes in aeternum, ne fratrem meum ſcandalizem*.

Item opponunt nobis hoc. Dicitur in evangelio Matthaei; *poenitentiam agite*, & eſt hoc eis generale & omnibus dicitur; quare quilibet poenitere & poenitentiam agere (debet); ſed cuilibet poenitenti jejunium indicitur, & jejunanti carnes interdicuntur; quare quiſque tenetur poenitentiam agere & jejunare & a carnibus debet abſtinere. Item in Evangelio legitur, quod Dominus bis pavit turbas, & quod dedit eis panes & piſces ad comedendum, & non legimus dediſſe carnes eis; & poſt reſurrectionem legimus comediſſe favum mellis & partem piſcis aſſi, & non carnes; quare carnes comedere non debemus. Secundo revera hoc generale eſt, ſcilicet poenitentiam agere & omnibus hoc praecipitur, quia nullus poteſt eſſe in hac vita diu ſine peccato juxta illud: *Si dixerimus quia peccatum non habemus nos ipſi ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. & nemo vivit ſine crimine*, & quod cuilibet poenitenti jejunium indicitur verum eſt aliquando, ſcilicet humanitati congrua & temporibus certis, atque ſtatutis; & quod cuilibet jejunanti carnes interdicuntur nonnumquam, ſcilicet, quando jejunare debent. Quod

vero

Digitized by Google

vero dicitur, quod Deus pavit turbas & non carnibus ſed piſcibus, patet & quod poſt reſurrectionem legimus comediſſe favum mellis, & patet quia ante non coegit nos. Similiter non legimus quod dederit eis fabas, vel legumina comederit; ergo non debemus fabas & legumina comedere. Praeterea non reperitur in toto novo Teſtamento, quod Dominus comederit carnes, nec de agno Paſchali, & ideo non comedit carnes, quia de terra vivunt, quae maledicta eſt a Domino, ut habetur in Geneſi: *maledicta terra in omni opere tuo*; ſed comedit de piſcibus, qui vivunt de aquis, quibus non maledixit; quare carnes comedere non debemus. Sed iſta non cogunt, eadem enim intentione poteſtis dicere non debuit comedere panem cum naſcatur de terra maledicta.

Item opponunt prima de datione legis Pythagoras philoſophus vir religioſiſſimus, & magnae abſtinentiae, & diſcipuli ejus non comedebant carnes, & docebant carnibus minime utendum. Similiter reperitur dictum a quodam ſapiente: o quantum ſcelus eſt in viſcere viſcera condi. *Congeſto avidum pinguescere corpore corpus.... animam, inanimatis vivere letho*. Sed dicitur quod iſta non authentica ſunt, nec aliqua ratione cogunt nos. Veruntamen bonum eſſet ſi quis vellet abſtinere a carnibus intuitu Divinae mercedis refrenando vitia carnis; unde Apoſtolus in epiſtola ad Corinthios; *alius judicat diem inter diem; alius autem judicat omnem diem; unuſquiſque in ſuo ſenſu abundat*; & ſupra *alius quidem credit manducare omnia; qui autem infirmus eſt olus manducet*. Idem in eadem epiſtola *omne quod non eſt ex fide peccatum eſt*. Auctoritas ſuper hoc dicit: unde deceat agnitio aeternae veritatis, fides falſa vita eſt & in optimis in omnibus.

Quod autem omnibus cibis indifferenter poſſimus uti, multis auctoritatibus evangelicis manifeſte colligitur; dicit enim Dominus in evangelio Matthaei *non quod in os intrat coinquinat hominem, ſed quod procedit ex ore hominis coinquinat hominem*. Ergo nullus cibus qui intret in os hominis coinquinat hominem. Omni cibo licitum eſt veſci; & item omne quod in os intrat in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur. Quae autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea quidem coinquinant. De corde enim exeunt cogitationes malae, homicidia, adulteria, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiae; hae ſunt quae coinquinant hominem, & non cibi, quibus corpus humanum fovetur: omnibus cibis licite poteſt homo veſci. Item dicit Dominus in evangelio Marci *nihil eſt in homine introiens in eum quod poſſit eum coinquinare; ſed quae de homine procedunt illa ſunt quae coinquinant hominem*. Cum ergo cibi ſumpti non coinquinent hominem, cibis itaque indifferenter poſſumus licite uti. Item in eodem: *extrinſecus introiens in hominem non poteſt eum coinquinare, quia non introivit in cor ejus, ſed in ventrem, & in ſeceſſum exiit purgans omnes eſcas*. Dicebant autem quoniam de homine exeunt illa, quae coinquinant hominem; ab intus enim de corde hominum cogitationes malae procedunt, adulterium, fornicatio &c. & caetera praedicta. Omnia haec mala ab intus procedunt, & quae coinquinant hominem. Cum ergo nullus cibus poſſit hominem coinquinare introiens in homine; ſed illa quae de corde exeunt coinquinant hominem, univerſis cibis licite veſci poſſumus.

Item in Luca dicit Dominus diſcipulis ſuis inquiens: *domum introeuntes dicite primum pax huic domui; & ſi fuerit in ea filius pacis requieſcet ſuper eum; ſin autem revertetur ad vos. In eadem domo manete edentes, & bibentes quae apud illos ſunt, dignus eſt enim operarius mercede ſua*. Ecce Dominus dixit diſcipulis ſuis ut comederent, & biberent quae apud illos erant, nec diſtinxit eis quid comedere deberent. Quod autem non quaerit, nec nos in cibis diſcernere debemus, ſed omnia in nomine Domini comedere, excepto cum ſcandalo, quia tunc non licet.

Item Paulus in epiſtola ad Romanos: *ſcio & confido in Domino Jeſu, quia nihil commune per ipſum niſi..... exiſtimat ad commune eſſe, illi commune eſt. Si enim propter cibum frater ſcandalizatur*, Auctorus ait omnia quidem munda mundis, ſed malum eſt qui per offendiculum manducat. Cum ergo omnia munda ſint, & nihil commune niſi ei qui exiſtimat id eſſe commune; omnibus cibis licite veſci poſſumus, praeter cum ſcandalo, & niſi conſcientia noſtra exiſtimet eſſe commune, vel ab aliquo fore abſtinendum. Item in Luca: *in quamcumque civitatem intraveritis, & receperint vos, manducate quae apponuntur vobis*; unde Paulus in epiſtola prima ad Cor. *omne quod in macello venerit, manducate nihil interrogantes propter conſcientiam; Domini eſt enim terra, & plenitudo ejus*. Si quis autem vocat vos infidelium ad coenam, & vultis ire, omne quod vobis apponitur manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam adſtantis infirmi. His ergo auctoritatibus manifeſte probatur quod omnibus cibis indifferenter dum fiat ſine ſcandalo uti poſſumus. Item in epiſtola ad Galatas ubi Paulus Petrum reprehendit dicens: *ſi tu cum Judaeus ſis gentiliter vivis, & non judaice; quomodo cogis gentes judaizare?* Ecce hic dicitur, quod Petrus gentiliter vivebat; ergo cibis gentilium veſcebatur non ſecernendo cibos, quare nec nos ſecernere debemus. Item in Actibus Apoſtolorum habetur, quod centurio baptizatus & ſocii ejus converſi ad fidem rogaverunt Petrum ut maneret apud illos per aliquot dies, & manſit cum eis, ubi cibis eorum eſt potitus tunc non diſcernendo cibos; quare cibos diſcernere non debemus. Item Paulus in epiſtola ad Coloſſ. ubi monet eos ne ſeducantur a pſeudolegales obſervationes praedicantibus, dicens: *nemo vos judicet in cibo & potu*. Item in epiſtola prima ad Timotheum, Spiritus manifeſte dicit, quod in noviſſimis temporibus diſcedent quidam a fide attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis Daemoniorum in ſimulata religione, ut magis decipiantur, & cauteriatam habentes conſcientiam ſuam, prohibentium nubere, abſtinere a cibis quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & his qui cognoverunt veritatem, quia omnis creatura Dei bona, & nihil abjiciendum, quod cum gratiarum actione accipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei, & oratione. Cum Apoſtolus ergo in hac ſua epiſtola acriter reprehendat illos, & inſtanter doceat vitandos qui a cibis abſtinendum fore dijudicant quos creavit ad percipiendum cum gratiarum actione, & quod omne eis datum bonum, & nihil abjiciendum cum gratiarum actione, incaute vos haeretici de diſcretione ciborum contenditis; unde Apoſtolus in epiſtola ad Romanos: *tu quis es, qui judicas alienum ſervum; domino ſuo ſtat, aut cadit. Stabit autem; potens eſt enim Deus illum ſtatuere*; & in epiſtola prima ad Corinthios: eſca autem non commendat vos Deo ne ſi manducaveritis, ſed ex fide Chriſti abundabimus, tamen non ſi manducaverimus deficiemus &c. Item ſine offenſione eſtote Judaeis, & gentibus & Eccleſiae Dei, ſicut & ego per omnia omnibus placendi non quaerens quod mihi utile eſt, ſed quod multis ut ſalvi fiant.

Viſo de diſcretione ciborum nunc eſt permittendum contra Catharos qualiter evidenter probari poſſit quod Dominus de agno paſchali comedit. Dicitur enim in Evangelio Matthaei: *primo autem die azymorum acceſſerunt diſcipuli ad Jeſum dicentes ubi vis paremus tibi comedere paſcha*. Hic eſt nomine paſcha ad intelligendum quod comedere debebat, quod expreſſius notatur in Marco: *prima die azimorum quando paſcha immolabant, dicunt ei diſcipuli vis eamus & paremus comedere tibi paſcha?* Hic enim ad hoc nomine paſcha intelligitur quod immolatur, & comedebat, ſed nonniſi animal immolabatur, ſed aliud niſi agnus tunc, quia hoc praeceptum erat; ergo Dominus comedit tunc de agno. Et quod ita fuerit expreſſius magis notatur in Luca, ubi dicitur: ve-

nit

nit autem dies azymornm, in qua neceſſe erat occidi paſcha; ſed nihil occiditur, niſi quod vivit, & nihil vivit niſi animal; ergo animal erat, de quo manducandum erat, & de illo dicitur infra: *euntes parate nobis paſcha, ut manducemus*; & iterum *deſiderio deſideravi hoc paſcha manducare cum diſcipulis meis antequam &c.* Item dicit Dominus *non veni ſolvere legem, ſed adimplere*; ergo ipſe adimplevit legem; ergo adimplevit praeceptum legis de agno, ſicut praeceptum erat in lege ut in die feſto comederet agnum, & ita Judaei obſervabant; ergo ſic obſervavit, quare comedit agnum. Item de ratione paſcha dicitur hebraice, latine immolatio, & comedit pro paſcha; ergo immolatum; ſed tunc non immolabatur niſi agnus, ergo de agno comedit.

Sequitur de inſtitutionibus eccleſiaſticis, quas haeretici omnino evacuare nituntur, dicentes eas eſſe ſuperfluas. De iſtis enim opponunt in generali hoc modo. Dicitur in Exodo: *Hoc autem dabit omnis, qui tranſit ad numerum dimidium ſicli juxta menſuram templi; dives non addet ad medium ſicli, & pauper non diminuit*. Super hunc locum dicit Auguſtinus hoc autem dat omnis qui tranſit ad numerum ſcriptum in caelo, ideſt omnis ſalvandus in dimidium ſicli, ideſt x. obolos, obſervantiam ſcilicet Decalogi cum fide juxta menſuram templi, ideſt non juxta ſuum placitum, ſed diſpenſatione legis, vel Sacerdotis. *Dives non addit*, ideſt perfectus non addere cogetur ad medium ſicli, non tenentur obſervare niſi decalogum & fidem Chriſti, ideſt ea quae praecipiuntur in lege & Evangelio; quare non tenetur obſervare praecepta eccleſiaſtica, quae ſunt inſtitutiones hominum; ſolutio: *dives non addit ad &c.* ideſt addere non cogetur contrarium in medio (ſic).

Item in Levitico dicitur: *Arreptis autem Aminadab & Abiu filii Aaron thuribulis ſuis poſuerunt ignem & incenſum deſuper offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis non erat praeceptum. Egreſſus ignis a Domino devoravit eos, & mortui ſunt*. Super hunc locum dicit auctoritas: ignem alienum offerunt qui traditione Dei contempta alienas doctrinas appetunt, & magiſterium humanae inſtitutionis inducitur; ſed inſtitutiones eccleſiaſticae magiſteria ſunt humanae inſtitutionis, quare inducunt ignem alienum offerre qui alienas doctrinas, ideſt eccleſiaſticas appetunt, & magiſteria humanae inſtitutionis inducunt, ſubintelligendo contrarium Evangelio inducunt. Item in Levitico: *Nolite facere iniquum; adde judicio in judicio, in ratione, in pondere, & in menſura; ſtatera juſta ſit vobis, & aequa ſint pondera*. Super hunc locum dicit auctoritas ſtatera juxta legem divinae Scripturae ..... noſtrum afferentes nec ſuum ad afferentes, ſed omnia eccleſiaſtica inſtitutio de noſtro eſt, non ergo ea eſt ab omnibus obſervanda. Solve .... nec noſtra pure, ſed quae ita ſit noſtrae, ut non ſint legi contraria.

Item in Deuteronomio: *Non addetis ad verba quae ego loquor vobis, nec auferetis, adde ex eo*. Solve non addetis, & eſt putantes adde inſufficiens, vel non addetis addere textui ſenſum corrumpendo, nec auferetis adde de eo tamquam ſuperfluum. Item in eodem: *Quod ego praecipio tibi hoc tantum facito, nec addas quicquam, nec minuas*. Non ergo tenemur facere niſi quod praecipit. Sed eccleſiaſticas inſtitutiones non Deus ſed homo praecipit; quare illas nullus tenetur obſervare. Solutio: quaedam praecipit Deus per ſe tantum, videlicet per Evangelium, quaedam vero per miniſtros, videlicet multa per Apoſtolos praecipit, & quotidie per Eccleſiam; & eſt ſenſus: quod ego praecipio per me, vel per miniſtros Eccleſiae hoc tantum facito, ideſt hoc tantum faciendum exigo.

Item in Iſaia: *Fruſtra autem colunt me docentes praecepta & doctrinas hominum*; ſed eccleſiaſticae inſtitutiones ſunt praecepta & doctrinae hominum, fruſtra ergo colunt Deum qui eas docent & diſcunt; nec ego ſed Deus adde, & ſic non ſervandae. Solve: quaedam praecepta Dei ſunt tantum, quae ſunt data patribus nullo mediante, videlicet Evangelia; Dei & hominum, quae ſunt data a Deo per hominem, videlicet Apoſtolica praecepta, & eccleſiaſticae inſtitutiones; *hominum tantum*, videlicet traditiones hominum quae ſunt contra Deum, unde de eis dictum eſt reliquiſtis mandata Dei propter traditiones veſtras, & eſt ſenſus; & docentes praecepta hominum ſubintelligendum eſt tantum, non Dei; ſed eccleſiaſticae inſtitutiones non ſunt praecepta hominum tantum ſed Dei.

Item in eodem: *Super montem excelſum aſcende tu qui evangelizas Sion*. Super hunc locum dicit auctoritas ſuper montem excelſum, ideſt Chriſtum ut non annunties, niſi quae ab ipſo habes; ſed non omnis inſtitutio eccleſiaſtica eſt a Chriſto, quare non eſt annuntianda vel ſervanda, vel ſi omnis eſt a Chriſto omnis eſt obſervanda; cur ergo Domini noſtri in ſcholis quotidie exſufflatum eſt hoc decretum, derogatum eſt ei per ſequens capitulum vel per contrariam conſuetudinem.

Item Oſee: *Facti ſunt principes Juda quaſi afferentes vel transferentes terminum alio tranſlato: effundam ſuper eos quaſi aquam iram meam*; ſuper hunc locum dicit auctoritas, aſſumentes terminum vel transferentes ſunt qui aliter praedicant quam ab Apoſtolis acceperunt. Ergo argue in contrarium.

Item in Jona: *Qui cuſtodiunt vanitates, fruſtra miſericordiam ſuam derelinquunt*. A ſimili homines noſtri temporis dum inſtitutiones eccleſiaſticas quae ſunt hominum traditiones ſervant, Dei mandata poſtponunt. Solutio: vanitates hominum ſubintelligendum non Dei, & pſalmus .... *ſuper ea volucres caeli habitabunt*, & eſt ſuperbus ſuper quo dicit Auguſtinus ſuper ea quae dicta ſunt fontes convallium, vel ſicut alia litera ſunt montes volucres caeli, ideſt ſpirituales qui habitant non in cordibus ſuis ſed in montibus, ideſt in auctoritate Prophetarum, Apoſtolorum, & ne Eccleſias volucres putares ſequi auctoritatem ſuam, addit quia dabunt voces de medio petrarum, ideſt non de ſua, ſed de auctoritate verborum Domini, in quibus Chriſtus petra ſonat; non ergo Praelati aliquid debent annuntiare, niſi verba Domini, vel quae ex verbis conjici poſſunt Domini. Cum ergo inſtitutiones eccleſiaſticae ex nimia parte nec verbum Domini ſunt, nec verbis Domini poſſunt probari vel conjici, patet quia inutiles ſunt & ſupervacuae. Solutio: dicimus quod Auguſtinus loquitur in eo in quo aliquid videtur credendum, vel faciendum quod ſit neceſſarium ad ſalutem, in quo Praelatus non debet praecipere niſi quod verbum Dei, vel quod ex verbis Dei quomodocumque poſſit haberi.

Item in Parabolis: *omnis ſermo Domini clypeus eſt ſperantibus in ſe, nec addas quicquam verbis illius ut arguaris inveniens mendax*: Ergo quicquam in contrarium. Item in Matthæo: *non veni ſolvere legem ſed adimplere*. Ecce Chriſtus venit & legem implevit factis & verbis, ſufficienter addendo quæ legi deerant; non ergo aliqua plus erant addenda, & tamen inſtitutiones veſtrae eccleſiaſticæ additæ ſunt. Solutio: dicitur quod eccleſiaſticæ inſtitutiones non ſunt additamenta, ſed praeparamenta potius informationes & inſtitutiones ad mandata Domini facilius intelligenda, ſicut v. g. Dominus mittit ſervum ſuum praecipiens, ut iret ultra mare, amicus vero ſervi inſtruit eum de tempore eundi, de locis per quos ſit tranſiturus, de moneta ſecum ferenda & conſimilibus. Ecce iſte amicus ſervi nihil addit ad verbum Domini, ſed potius id dicit per quod verbum Domini expeditius impleatur; ſic eccleſia in ſuis facit inſtitutionibus, & traditionibus. Item in epiſtola ad Romanos: non enim auderem adde loqui *eorum quæ per me non efficit Chriſtus* in ob..... gentium in verbis & factis & in virtute ſignorum,

& pro-

& prodigiorum, in virtute ſcilicet ſua. Ecce Apoſtolus dicit quod non auderet loqui nec annuntiare nec praecipere aliis quae non habebat a Chriſto; multo minus quilibet epiſcopus, vel quantumvis magnus princeps; unde videtur quod inſtitutiones eccleſiaſticae ex maxima parte, quae nec verba Chriſti ſunt, nec ex verbis Chriſti conjici poſſunt inutiles ſunt & ſupervacuae. Solutio: inſtitutiones eccleſiaſticae ſunt traditiones Apoſtolorum ex maxima parte; vel ex dictis Apoſtolorum & verba Domini conjici poſſunt, vel quae hoc non habent a Chriſto ſunt, quia ab eccleſia Chriſtianorum; unde in Evangelio Marci: *qui non eſt adverſus vos pro vobis eſt.*

Item ad Galatas: *ſi quis vobis evangelizaverit aliquid praeter id quod accepiſtis a nobis anathema ſit.* Solutio poteſt addi in contrarium.

Item in Apocalypſi: *ſi quis appoſuerit ad hoc*, ideſt contrarium aliquid, vel inſerendo adde textui, textum corrumpendo.

Quod inſtitutiones & traditiones eccleſiaſticae juſtae ſint, & ſanctae, & obſervandae probatur. Et primo auctoritate Jeremiae: dixit Dominus ad Jeremiam: *vade in domum Rechabitarum, & inducas eos in domum Domini, & dabis ei bibere vinum: & introduxi eos in domum Domini; & poſui coram eis ſciphos plenos vino, & calices, & dixi ad eos: bibite vinum: qui reſponderunt: non bibemus vinum, quia Jonadab pater noſter praecepit nobis dicens: non bibetis vinum vos, & filii veſtri uſque in ſempiternum; & domum non aedificabitis, & ſementem non ſeretis, & vineas non plantabitis, nec habebitis, ſed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus veſtris. Obedivimus ergo voci Jonadab patris noſtri in omnibus, quae praecepit nobis. Et dixit Jeremias: haec dicit Dominus pro eo quod obediſtis praecepta Jonadab patris veſtri, & cuſtodiſtis omnia mandata ejus, & feciſtis univerſa quae praecepit vobis, non deficiet vir de ſtirpe Jonadab patris veſtri filii Rechab, ſtatis in conſpectu in aeternum modo.* Ecce hic dicitur quod iſti ſervaverunt praecepta & traditiones patris ſui, quae nec ex lege erant, nec ex lege conjici poterant: nec enim in lege talia praecepit Dominus hominibus, ſed nec bibere vinum eis praeceptum eſt; tamen quia ad religionem ſpectabant & honeſtatem, pro eis obſervatis meruerunt a Domino, ſicut dictum eſt ſupra, & eſt a ſimili, & propter eandem cauſam eccleſiae inſtitutiones, quae ad religionem ſpectant & honeſtatem, ſervare debemus. Item in Salomone: *audi fili diſciplinam patris tui, & nec dimittas legem matris tuae.* Et iterum *conſerva fili mi praecepta patris tui & ne dimittas legem matris tuae.* Hic enim dicitur de patre & matre ſpirituali, vel de utero carnali; ſi de ſpirituali; ergo tenemur ſervare praecepta eccleſiae, quae eſt mater noſtra ſpiritualis; ſi de carnali, multo magis praecepta matris ſpiritualis, quae eſt eccleſia, obſervare debemus. Item in Deuteronomio: *qui autem ſuperbiet nolens obedire ſacerdotis imperio* (eo tempore miniſtro Domini) *& decreto judicis morietur homo ille*; ex hoc enim patet manifeſte, quod inſtitutiones eccleſiae & praelatorum ſervare debemus. Item in eodem: *ad verbum autem ſacerdotum omne negocium pendet; & quidquid mundum, vel immundum judicaverit obſervare tenemur*; quare ſtandum eſt judicio, & inſtitutionibus ſacerdotum. Item Dominus ad Oſee prophetam in objurgatione populi ait: *populus tuus ſicut hi qui ſacerdoti &c.* quare non eſt ei contradicendum, & ejus inſtitutiones obſervandae. Item in Matthaeo: *ſuper cathedram Moyſi ſederunt Scribae & Phariſaei, omnia quaecumque dixerint vobis, ſervate & facite, ſecundum opera eorum nolite facere, dicunt enim, & non faciunt.* Ex hoc manifeſte habetur quod inſtitutiones, & praecepta praelatorum eccleſiae, etiamſi mali ſint ipſi Praelati, ſervanda ſunt. Item in Luca dicit Dominus diſcipulis ſuis: *qui vos audit me audit, & qui vos ſpernit me ſpernit*; ſed Praelati eccleſiae locum, & dignitatem diſcipulorum habent; ſic ergo ſpernendi non ſunt, ſed potius audiendi, & obediendi. Item in eodem: dicit Dominus diſcipulis ſuis: *ſi ſermonem meum ſervaverunt, & veſtrum ſervabunt*; ſed Praelati eccleſiae locum & dignitatem Apoſtolorum tenent; quare eorum ſermones, & inſtitutiones ſunt obſervandae. Item Paulus ad Romanos: *omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit; non eſt enim poteſtas niſi a Deo; quae autem ſunt a Deo, ordinatae ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordini reſiſtit. Qui autem reſiſtit ipſe ſibi damnationem acquirit.* Ecce hic praecipit Apoſtolus fidelibus converſis obedire dominis carnalibus, etiamſi mali ſint; quare multo magis fortius eſt obediendum dominis ſpiritualibus. Item ad Epheſios: *filii obedite parentibus veſtris in Domino.* Ecce quod praecipit hic Paulus obediendum eſſe parentibus ſpiritualibus; & iterum: *ſervi obedite dominis carnalibus cum omni timore & fervore, ac ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſto.* Ecce hic praecipit obediendum eſſe dominis carnalibus in ſimplicitate cordis, ſicut Chriſto; quare multo fortius obediendum eſſe dominis ſpiritualibus. Item ad Coloſſ. *Filii obedite parentibus veſtris per omnia; hoc enim placitum eſt*; & iterum: *ſervi obedite per omnia dominis carnalibus non ad malum ſervientes.* Ex his omnibus habetur quoniam ſerviendum dominis carnalibus eſt; multo magis ergo ſpiritualibus. Item ad Hebraeos: *obedite praepoſitis veſtris*; & item in epiſtola I. Petri: *ſervi obedite praepoſitis veſtris non ſolum bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis.* unde obediendum multo magis & aliis. Item dicit Auguſtinus ſuper hunc locum: omnis anima ſubdita ſit &c. Homo chriſtianus ſub Rege ſacrilego conſtitutus ei tunc recte poteſt obedire ſi quod jubetur aut non eſſe contra praeceptum Dei; aut utrum ſit certum non eſt.

Viſo qualiter praefati haeretici opponunt nobis de conſtitutionibus eccleſiaſticis in generali; nunc qualiter ſpecialibus ſuper eiſdem nobis opponant videamus. Opponunt primo de ea conſtitutione quae circa parvulos exorciſmis eos catechizando, baptizando, & chriſmando & caetera hujuſmodi, quae omnia dicunt vana eſſe & ſuperflua, quia parvuli, ut dicunt, nullum habent peccatum, & ideo nulla egent expiatione. Ad hoc etiam ſic nituntur. Dicit Dominus in Jeremia: *& non dicent ultra, patres comederunt uvas acerbas, & dentes filiorum obſtupuerunt, ſed unuſquiſque in iniquitate ſua morietur*; quare nullus pro peccato alterius nec reus eſt; nec ergo parvuli tenentur peccato Adae, nec rei ſunt pro illo; propriam non habent iniquitatem, cum non peccaverint; Ergo nullo modo rei ſunt; nec ergo Baptiſmo indigent. Item in Ezechiele: *amodo non erit proverbium in Iſrael: patres comederunt uvam acerbam &c. omnes enim animae meae ſunt; ſicut anima patris, ita anima filii mea eſt. Anima quae peccaverit ipſa morietur*; quare nullus pro peccato alterius reus eſt, ſed pro ſuo tantum, & de hoc procedunt ut ſupra.

Solutio. Nullus pro peccato alterius reus eſt, ſed pro ſuo tantum. Dic enim quod parvuli iniquitatem habent non actam, ſed contractam, & peccatum non actum ſed contractum. Si vero ſic argumententur, ergo non habent iniquitatem. Dic iſte non facit domum, ergo non habet domum; vel ſi dicatur iſte puer non peccavit. Solve: iſte non colonivit, ergo non habet colonos. Vel ſi ſic dicatur: iſte puer non peccavit, ergo non eſt reus pro peccato. Solve: iſte non occidit, ergo non eſt reus pro homicidio.

Item in Evangelio Matthaei: *acceſſerunt ad Dominum Jeſum diſcipuli dicentes, quis putas major eſſe in regno caelorum? & advocans puerum, ſtatuit in medio eorum & dixit, niſi efficiamini ſicut parvuli non intrabitis in regnum caelorum*; & hoc nequaquam dixiſſet Dominus, niſi parvuli innocentes eſſent, & boni; quare nullo modo mortalis rei ſunt, & ideo nulla indigent expiatione. Solve & dic quod iſtud *ſicut* non eſt ſicut futurum, & eſt ſenſus:

niſi

Digitized by Google

Senſus obſcurus

niſi efficiamini ſicut parvuli quoad innocentiam, ſimplicitatem, & humilitatem non intrabitis in &c. Non dicit, ideo ſicut vos . . . . vel in originali ſi non ſint baptizati, ſed ſint ſicut praedixi. Item dicitur in eodem: quod Judaei offerebant parvulos filios ſuos, ut benediceret eis; ſed diſcipuli timentes ne Dominus propter importunitatem eorum gravaretur, prohibebant eos, unde Dominus dixit eis: *ſinite parvulos venire ad me, talium eſt regnum caelorum*. Quod nequaquam dixiſſet, ſi mali eſſent & ſi mortale peccatum haberent. Conſtat ergo quod nullum habent veniale; quare cum ipſi parvuli innocentes ſint, nulla indigent expiatione.

Ad hoc dicimus, quod talium regnum caelorum; ſed non omnium talium, ſed in ſimplicitate & in innocentia (viventium).

Item in Matthaeo: dicitur de eiſdem parvulis: & amplectens eos benedicebat eos. Sed ipſos nequaquam amplecteretur, membra diaboli quod eſſent, ſi peccatum haberent; & per hoc patet quod pueri nullum peccatum habent, quare non indigent expiatione aliqua.

Ad hoc dicimus quod ipſi erant pueri Judaeorum, & forte circumciſi erant, & ita erant a peccato originali mundati. Vel ſi non erant, per manus Domini impoſitionem & benedictionem mundabantur. Item in evangelio Matthaei: *euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Ecce quod hic dicit Dominus prius docete, poſtea baptizate; ſed parvuli non ſunt docendi, cum non poſſint doceri; ergo non ſunt baptizandi. Ad hoc dicimus quod hoc intelligitur de adultis.

Item in Evangelio Marci: *qui crediderit, & baptizatus fuerit ſalvus erit, qui autem non crediderit condemnabitur*. Hic ponuntur duo neceſſaria ad ſalutem, ſcilicet credere, & baptizari, & eorum primum eſt credere in Chriſtum, & baptizari, ideo pueri non poſſunt credere; ergo non oportet baptizari. Item iſte puer peccatum habet . . . . qui autem non crediderit condemnabitur, iſte puer non poteſt credere, ergo nec ſalvari. Solve & dic quia haec omnia leguntur de adultis & de diſcretis; & illa duo quae illi dicunt neceſſaria, altera ſufficit parvulis, ſcilicet baptizari. Item in Actibus Apoſtolorum, quibuſdam interrogantibus quomodo ſalvi fierent ait Petrus: *poenitentiam agite, baptizetur unuſquiſque veſtrum*; de peccatoribus ſcilicet, ut primum poeniteant, & poſtea baptizentur; ſed iſte puer peccatum habet, & non poteſt poenitere; ergo non oportet baptizari. Solve, & dic quod Petrus dixit, de adultis intelligendum eſt; tunc enim adultis loquebatur.

Item quaeritur utrum pueri teneantur ad baptiſmum; dic quod non tenentur ſub tranſgreſſionis nota, ſed tenentur ad hoc ut ſalventur; & hoc ex conſtitutione Domini dicentis in Evangelio Joannis; *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non intrabit in regno caelorum*.

Item quaeritur utrum patres teneantur facere ut parvuli baptizentur; & ſi tenentur quo praecepto teneantur: Solve quod ſicut tenentur filiis providere neceſſaria ad ſalutem corporis; ita & plus tenentur eis providere ad ſalutem animae, juxta illud Apoſtoli Pauli 1. Timoth. vII. *Si quis autem ſuorum & maxime domeſticorum curam non habet fidem negavit, & eſt infideli deterior*.

Viſo qualiter haeretici nobis opponant ſuper conſtitutiones de baptiſmo parvulorum, dicentes parvulos non habere peccatum, & ideo non habent opus expiatione; nunc quod parvuli peccatum habeant & baptizari debeant probemus. Dicitur enim in tertio Regum: *nullus eſt enim homo qui peccatum non habeat*: ergo omnes homines peccatum habent; ergo & parvuli. Item in Job; *quid eſt homo qui immaculatus ſit, & juſtus appareat natus de muliere*. Ecce inter ſanctos ejus . . . . & caeli non ſunt mundi in conſpectu ejus; quanto magis homo abominabilis & inutilis, qui bibit quaſi aquas iniquitatis; & inde ſecundum aliam tranſlationem: *nemo mundus a ſorde, nec infans, cujus eſt unius diei vita ſuper terram*. Ex his omnibus manifeſte habetur quod nullus eſt ſine peccato nec parvulus nec magnus. Item in eodem loco loquens de parvulis malorum ait: egrediuntur parvuli eorum qui . . . . . . & infantes eorum exultant luſibus tenentes tympanum & cythavim, & gaudent ad ſonitum organi, ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt: ſi ad infernos deſcendunt; ergo habent peccatum.

Item in Job: *quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine*? Quaſi dicat nullus homo poteſt facere; & ſtatim ſubdit: *nonne tu qui ſolus es?* Solus Deus poteſt hominem de immundo conceptum mundare. Ergo parvuli cum de immundo ſemine concepti ſint peccatum habent; quare & indigent expiatione. Item Pſalmiſta: *ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea &c.* Ecce hic dicitur a Pſalmiſta quod in iniquitatibus conceptus erat, quod nequaquam dixiſſet, niſi a nativitate contraxiſſet; quare peccatum a nativitate habuerunt ergo & parvuli.

Item in Parabolis: *quis poteſt dicere purum cor meum, & mundus ſum a peccato?* quaſi dicat nec magnus, nec parvus; quare parvuli immundi ſunt, & indigent expiatione, cum peccatum habeant. Item in Matthaeo, ubi unus de turba qui cucurrit ad Jeſum dixit: *magiſter attuli tibi filium meum habentem ſpiritum immundum, & dixi diſcipulis tuis, ut ejicerent illum, & non potuerunt. Qui reſpondens dixit: o generatio incredula quamdiu apud vos ero, & quamdiu patiar; afferte illum ad me; & attulerunt eum, & interrogaverunt patrem ejus quantum temporis ex quo ei accidit. At ille: ab infantia*. Ecce hic dicitur quod ab infantia poſſedit eum diabolus; quare autem ſuum habebat niſi propter peccatum. Ergo &c. Item in Epiſtola ad Romanos omnes ſub peccato. . . . quia juſtus non eſt quiſque. Ecce Apoſtolus dicit omnes eſſe ſub peccato, quare pueri peccatum habent; ſi haec eſt cauſa quare omnes ſunt ſub peccato, quia juſtus non eſt quiſque; ergo parvuli cum non ſint juſti peccatum habent. Item in eodem. *Stipendia ergo peccati mors, gratia autem Dei vita aeterna*. Si mors eſt retributio peccati; ergo tam parvuli, quam magni peccatum habent, cum nullus mortem evadere poſſit, etiam pueri unius diei. Item: *omnes peccaverunt, & egent gratia Dei* Si omnes peccaverunt; ergo tam magni quam parvi; non eſt enim major ratio de magnis quam de parvis. Item in eodem: *ſicut per unum hominem in hunc mundum peccatum intravit, & per peccatum mors, & in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccaverunt*; ſi omnes peccaverunt ergo & pueri peccatum habent. Item in eodem ſicut per unius delictum in omnes homines in juſtificationem vitae (ſic) ſic ergo per unius delictum factum eſt, ut omnes homines digni eſſent condemnatione . . . . . quare & pueri. Ad hoc facit quod dicitur in Epiſtola ad Coloſſenſes: *ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur*. Sic ergo in Adam omnes moriuntur; quare & pueri, ergo contrahunt cauſam mortis, quare peccatum. Item in epiſtola ad Epheſios: *& eramus nati filii irae ſicut & caeteri*; ſi nati, ergo a nativitate, ergo & parvuli eramus &c.

Sequitur de Sacramento corporis & ſanguinis Domini, de quo dicunt haeretici quod nihil eſt quod faciunt ſacerdotes, quia nec corpus Domini conficiunt, nec conſecrant, nec ipſum manducant, nec aſſumunt. Ad quod ſic nituntur. Dicitur in Evangelio Joannis quia cum Dominus dixiſſet: *niſi manducaveritis carnem Filii hominis &c.* tunc ſcandalizati ſunt quidam, & abierunt retrorſum; quos Dominus volens revocare quae ſuperius dixerat ſi ergo videbitis filium hominis aſcendentem ubi erat prius &c. quaſi diceret: ego cum omni integri-

tate corporis & ſanguinis aſcendam, unde poteſtis videre quod non carnem meam veram, nec ſanguinem meum verum do vobis ad manducandum & bibendum. Unde ibi dicit: ſpiritus eſt, qui vivificat, caro non prodeſt quicquam, quaſi diceret verba quae ſuperius dixi non ad literam, ſed ſpiritualiter intelligenda ſunt; quare veram carnem Chriſti non comederant vera, nec ejus corpus & ſanguinem biberunt. Item in evangelio Nazareorum Dominus dicit: *non hoc corpus quod videtis manducaturi eſtis, nec hunc ſanguinem bibetis quem fuſuri ſunt Judaei.* Quid poteſt dici expreſſius? Item Auguſtinus ſupra Joannem ubi dicit *qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo.* Super hunc locum dicit Auguſtinus: *hoc eſt manducare illam eſcam & illum potum bibere in Chriſto manere, & illum in ſe manentem habere, ut quod panis ventre & dente eodem & manducaſti.* Ad praefatae quaeſtionis ſolutionem notandum eſt, quod eſt duplex caro Chriſti, materialis, quam de Virgine deſumpſit, & quae crucifixa & ſepulta eſt; & ſpiritualis ſcilicet eccleſiae unitas, de qua in evangelio Joannis: *caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus.* Item duplex eſt modus manducandi carnem Chriſti; ſacramentaliter ſcilicet, qua vera caro ſumitur in ſacramento, ideſt non in propria ſpecie, ſed in ſpecie panis & vini. Item in evangelio Matthaei: *Accipite & manducate hoc eſt corpus meum*; & eſt ſpiritualis modus manducandi, ſcilicet in Chriſto manere & eum in ſe manentem habere, de quo in evangelio Joannis: *qui manducat carnem*, & eſt ut ſupra ſcripſi. In hunc modum loquitur Auguſtinus. Quod hinc ſequitur: *hoc vos ſcandalizat &c.* Dic quod diſcipuli putabant Dominum daturum carnem ſuam ad manducandum particulatim & ſub propria ſpecie, ſicut de illa fit, quae eſt in macello; ad quod removendum ait: *Si ergo videtis Filium &c.* Unde conſequitur: *ſpiritus eſt qui vivificat &c.* Spiritus ideſt ſpiritualis caro, vel ſpiritualis modus accipiendi, ideſt illa materialis ſive ſpiritualis caro, vel *caro*, ideſt ſacramentalis ille modus accipiendi ſine ſpirituali non ſufficit, ſed potius obeſt, ſicut dicit Apoſtolus; *qui indigne abſumit &c.* Quod vero prius inducunt: *non hoc corpus &c.* ſic intelligendum eſt, non ſub hac ſpecie, ſcilicet quam videtis, propterea dixit alibi: *ſacramentum commendavi vobis.* Item quaeritur quod hac auctoritate praecipiat: *niſi manducaveritis carnem Filii hominis &c.* Ad hoc dic in ea nihil praecipitur, ſed quod nobis ſit neceſſarium demonſtratur, ſcilicet communicandum eſſe paſſioni Chriſti ..... comedendo, & in memoriam habendo, opera carnis cum vitiis & concupiſcentiis mortificando.

Quod autem verum corpus ſumatur Chriſti & manducetur, probatur auctoritate Matthaei dicentis: *coenantibus autem eis accepit Jeſus panem & benedixit & fregit, deditque diſcipulis ſuis & ait: accipite & comedite, hoc eſt corpus meum.* Ecce hic habemus quod Jeſus accepit panem & benedixit, & poſt benedictionem de eo quod prius erat panis ipſum demonſtrando ille qui mentiri non poterat dixit: *Hoc eſt corpus meum*; quare vere corpus ejus erat quod demonſtrabat; & quod eſſet corpus illius quod poſtea crucifixum fuit manifeſte Lucas dicit: *Et accepit panem, gratias egit, & dedit eis, dicens: Hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur.* Item in Matth. *Et accipiens Jeſus calicem gratias egit, dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes; hic ſanguis meus.* Ecce hic habemus quod vinum accepit & benedixit, & poſt benedictionem de eo quod prius erat vinum, ipſum demonſtrando qui mentiri non poterat ait: *Hic eſt ſanguis meus*; quare verus ſanguis ejus erat in calice; quod apertius declaratur cum ſubjungit de eodem: *qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Haec omnia dicuntur in Marco; & in Luca ubi agitur de coena Domini. Quod autem bibiſſent Apoſtoli habetur ex eo quod dicit Matth. *Et accepto calice, gratias agens dedit eis; & biberunt omnes ex illo.* Quod autem Apoſtoli, & eorum ſequaces eſſent facturi ſe licet panem per benedictionem in corpus Domini tranſubſtantiare, & vinum in ſanguinem ſumere & manducare & bibere, praecipit ipſe Dominus in Evangelio Lucae dicens: *hoc facite in meam commemorationem.* Item in Joannis: *Ego ſum panis vivus qui de caelo deſcendi; ſi quis manducaverit ex hoc pane vivet in aeternum; & panis quem ego dabo caro mea eſt pro mundi vita.* Et infra: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem non habebitis vitam in vobis. Qui manducat carnem, & bibit ſanguinem meum habet vitam aeternam, & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die. Caro enim mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus. Qui manducat carnem meam & bibit ſanguinem meum, in me manet & ego in eum.* Item: *Qui manducat me, ipſe vivet propter me.* Et infra: *Qui manducat hunc panem vivet in aeternum.* His autem manifeſte probatur quod ille panis qui ſumitur a Sacerdote, vel aliis proponitur ſumendus vere caro Chriſti eſt. Item in Epiſtola ad Corinthios: Quoniam Dominus noſter Jeſus Chriſtus in qua nocte tradebatur accepit panem, benedixit gratias agens, & dixit: *Accipite & manducate hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem.* Ergo illud quod ſumitur in Altari a Sacerdote vere corpus Chriſti eſt. Idem ſubſequenter continuo ſubdit ibidem: *Et calicem poſtquam coenavit dicens: hic eſt calix novi Teſtamenti in meo ſanguine; hoc facite quotieſcumque biberitis in meam commemorationem; quotieſcumque manducaveritis panem hunc, & calicem biberitis, Domini mortem annuntiabitis donec veniat*; quare facientes ſic, ſicut diſcipuli fecerunt in mortem Domini cum ejus corpus & ſanguinem ipſo offerente ſuſceperint, ſicut in Evangelio, & hic manifeſte habetur. Item infra: *Quia quicumque manducaverit panem hunc, & biberit calicem Domini indigne reus erit corporis & ſanguinis Domini. Probet autem ſe homo, & ſic de pane illo edat & de calice bibat; qui enim manducat & bibit indigne, judicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Ergo illud quod ſumitur vere caro Chriſti eſt, quam qui indigne ſumit judicium ſibi manducat & bibit non dijudicans corpus Domini, ideſt non diſcernens ab aliis cibis.

Sequitur de poenis, de quibus tractantes quaeſtiones, quas ſuperius dimiſimus contra Catharos in hoc loco .... Ipſi enim dicunt quod omnes poenae inferni ſunt aequales, & praemia omnia aequalia, peccata paria & omnia bona merita; ſic nullus alio pejor, vel melior. Ad hoc ſic nituntur. Dicit Dominus in Evangelio: *ſicut colligunt zizania, & igni comburuntur ſic erit in conſummatione ſaeculi: mittet Filius hominis angelos ſuos, & colligent de regno ejus omnia ſcandala, & eos qui faciunt iniquitatem mittet eos in caminum ignis, ibi erit fletus & ſtridor dentium.* Ecce hic ponuntur omnes poenae communes omnium malorum, ſcilicet ignis fletus & ſtridor dentium. Ergo eaedem ſunt poenae omnium malorum; ergo aequales. Ergo cum juſte judicandi ſint reprobi, ſunt merita paria. Item hic dicitur; quod ſicut colligunt zizania & igni comburuntur, ſic erit in conſummatione ſaeculi, de malis intelligendum eſt; ergo eodem modo comburuntur, quia ex toto; ergo & mali eodem modo ab igne urentur, ergo aequaliter punientur, ergo non magis alius alio. Item in eodem capitulo dicit Dominus: *Tunc juſti fulgebunt ſicut ſol*, in regno Patris eorum. Si omnes homines ſicut ſol fulgebunt, ergo eodem modo fulgebunt, ergo aequaliter; ergo nullus magis alio; ergo aequales gloriae erunt.

Solve. Poena duplex eſt: privativa & poſitiva; privativa, quae nullum malum infert, ſed bonum aufert, de qua dicit Auguſtinus: ſane mitiſſima eſt poena quae propter originale peccatum abdicetur. Poſitiva duplex eſt; extrinſeca, ſive activa, ut ignis, tene-

tenebrae exteriores, aqua, & caeterae de quibus in Matthaeo: *Mittet eos in caminum ignis*; & item: *ligatis manibus & pedibus mittito eum in tenebras exteriores*; & in Job: *Tranſibunt ab aquis nivium ad nimium calorem*. Intrinſeca, ſive paſſiva eſt dolor ſive triſtitia, quam efficiunt peccata de qua dicitur in Marco *Vermis eorum non morietur*: quod ergo dicunt hic enuntiantur omnes communes poenae omnium malorum, & quod hic non comminantur uti poſitivae, ſed dicantur poenae omnium adultorum, de quibus ſimiliter ſciendum eſt, quod hic comminantur omnes poenae interiores & exteriores; intrinſecae enim ſingulares ſunt & non communes ut ignis, in quo licet omnes mali adulti ſunt, non tamen aequaliter uruntur; ſicut in eodem igne ſunt ferrum, lapides & ligna, non tamen aequaliter uruntur; & ſicut omnes terrae ſub eodem ſole, non tamen aequaliter caleſiunt. Quod vero praeterea addunt: *ſicut zizania colligentur &c.* dic quia ſicut ſunt omnium ſic quod diverſificantur, & notatur ex eo quod ſupra dicitur in eodem Evangelio: *colligent principes zizania, & alia ejus facient ad comburendum non faſciculum*, dicit, ſed *faſciculos*, ubi per hoc notatur & peccantium, & poenarum diverſitatem, unde ſicut in uno faſce & in uno latere, & in alio & alio homicidæ, & ſic de ſingulis. Quod autem praeterea dicunt: *tunc juſti fulgebunt ſicut ſol*, & ad ſimilitudinem ſolis, ſed non omnino ſicut ſol videlicet materialis, ſed juſtitiae, ſed ſpiritualis ſol, de quo in Sapientia: *Orietur vobis timentibus Deum ſol juſtitiæ*. Ad hanc ſiquidem ſolis ſimilitudinem fulgebunt juſti, ſicut dicit Apoſtolus Paulus in epiſtola ad Philippenſes: *Expectamus Dominum Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ*, quam ſcilicet claritatem habuit in transfiguratione, vel poſt reſurrectionem, non omnes tamen coæqualiter fulgebunt, vel clari erunt ſicut dicit Apoſtolus Paulus I. Cor. *ſicut ſtella differt a ſtella claritate ſua, ſic & reſurrectio mortuorum*.

Item in Matthaeo de operariis in vinea diverſis horis introductis, de quibus dicit quod omnes ſingulos denarios acceperunt; ſic ergo æquales fuerunt omnes in præmio: per quos quia fideles intelliguntur, quod eorum præmia ſunt aequalia; maxime ex eo quod ſequitur: *Venientes autem primi arbitrati ſunt, quod plus eſſent accepturi*; ad quod removendum ſequitur. *Acceperunt & ipſi ſingulos denarios*; unde videtur quod aequaliter ſunt remunerati.

Solve. Per denarium reformatio imaginis Dei in nobis, per peccatum deformatae intelligitur, cujus identitatem notat Apoſtolus 2. Cor. ſingulariter dicens: *nos autem revelata facie gloriam Domini ſpeculantes in eamdem imaginem transformamur*. Diverſitatem vero cum hic pluraliter & non ſingulariter dicitur; *acceperunt & ipſi ſingulos denarios*. Vel per denarium intelligimus Chriſtum, qui eſt vita & beatitudo omnium, idem praemium in omnibus, & diverſum; cujus identitatem notat Apoſtolus cum dicit, *ut ſit Deus omnia in omnibus*. Diverſitatem cum hic dicitur in plurali *acceperunt ſingulos denarios*. Ad quam objectionem ſupra reſpondemus dicentes, quod primi arbitrati ſunt ſe plus accepturos eo quod primi vineam intraverunt, unde decepti quia quantitas praemii non attenditur ex quantitate tantum temporis, ſed ex devotione mentis; unde Petrus Apoſtolus in epiſtola 2. dicit: *Unus dies apud Dominum ſicut mille anni. Sicut dies unus*, quaſi diceret unus dies pœnitentiae valet tantum quantum mille anni. Nec mille labores plus ſufficiunt ad vitam quam dies unus.

Item in Matthaeo de Rege, qui fecit nuptias filio ſuo. *Intravit autem Rex ut videret diſcumbentes, vidit ibi hominem non veſtitum veſte nuptiali, & ait: amice quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem, & ille obmutuit. Tunc dixit Rex miniſtris ligatis manibus & pedibus, & projicite eum in exteriora, ibi erit fletus & ſtridor dentium*. Per iſtum hominem intelliguntur omnes mali, qui in hac ſententia deputabuntur ad pœnam; ſic ergo omnes mali eadem pœna plectuntur; ergo omnes pœnae ſunt aequales, & ſic nulla alia major.

Solve & dic: quia per illum hominem intelliguntur (non) omnes mali, ſed tantum falſi Chriſtiani qui ad nuptias intraverunt, ideſt ad fidem Chriſti; ſacramenta enim receperunt, ſed non ſervaverunt; & ideo veſtem nuptialem, ideſt caritatem non habent.

Quod omnes poenae, & peccata, & praemia, atque merita ſunt inaequalia manifeſte intendimus probare; & primo de poenis, dicitur enim in Evangelio: *Quicunque non receperit vos, nec audierit ſermones veſtros, exeuntes de domo, vel de civitate, excutite pulverem de pedibus veſtris. Amen dico vobis: tolerabilius erit terrae Sodomorum, & Gomorrheorum in die Judicii*; ſi tolerabilius, ergo remiſſius; non ergo omnes poenae ſunt aequales. Sed una major alia. Item in eodem: *Veh tibi Corozaim, veh tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro & Sidone factae fuiſſent virtutes, quae factae ſunt in vobis, olim in cinere & cilicio egiſſent poenitentiam. Veruntamen dico vobis, Tyro & Sidoni remiſſius erit in die Judicii quam vobis*. Item in eodem: *Et tu Capharnaum numquid uſque ad caelum exaltaberis? uſque in infernum deſcendes, quia ſi Sodomis factae fuiſſent virtutes, quae factae ſunt in te, forte manſiſſent uſque in hodiernum diem. Veruntamen dico vobis, Tyro remiſſius erit terrae Sodomorum in die Judicii, quam tibi*. Ergo mitiorem poenam habebunt. Ergo non omnes poenae ſunt aequales. Item in Joanne: *In domo Patris mei manſiones multae ſunt*; per manſiones intelliguntur beatitudines, quas non diceret diverſas niſi eſſent inaequales. Ergo merita hominum ſunt inaequalia. Item in eodem: *Non haberes poteſtatem adverſum me ullam, niſi datum tibi eſſet deſuper. Propterea qui tradidit me tibi majus peccatum habet*; Ergo unum peccatum majus eſt altero; quare magis obligatur quis pro uno peccato, quam pro altero. Item de eo qui peccat in Patrem remittetur ei, qui peccat in Filium remittetur ei, qui peccat in Spiritum Sanctum non remittetur ei neque in hoc ſaeculo, neque in futuro; quare unum peccatum majus eſt alio; ergo non ſunt aequalia. Item in Epiſtola ad Corinthios: *Sicut ſtella differt a ſtella claritate, ſic & reſurrectio mortuorum*; ſed una ſtella ſplendidius fulget alia; ergo & in reſurrectione unus alio majorem beatitudinem habebit, & ideo diverſa ſunt praemia. Item in Joanne Chriſtus dixit Pilato: *Non haberes in me poteſtatis quicquam, niſi eſſet datum tibi deſuper; veruntamen majus peccatum habet, qui tradidit tibi me*.

Addunt etiam praedicti haeretici, quod non ſit orandum pro mortuis, ad quod ſic nituntur: *Dicit Dominus ad Jeremiam: noli orare pro populo, nec aſſumas pro eis laudem & orationem, & non obſiſtas mihi, quia non exaudiam te*. Ecce ſi Dominus prohibuit orare pro illis, quorum merita mutari poterant in melius; multo minus orandum eſt pro illis, quorum merita mutari non poſſunt in melius, quare pro eis non eſt orandum.

Solve. Forte illi praeſciti erant, & ideo prohibitus eſt Propheta orare pro eorum ſalute, pro quibus forte orare volebat. Vel forte indigni erant tunc ut Prophetae orationibus juvarentur, quia eorum merita contradicebant miſericordiae Divinae.

Item in Joanne: *Ego pro eis rogo, non pro mundo*. Ecce Dominus noluit orare pro mundo, ideſt pro mundanis.

Solve. Non rogo pro mundano, ideſt pro mundano praeſcito. Nec nos ſi ſciremus, ſicut ipſe ſciebat, oraremus pro talibus; oramus enim pro vivis quantumcumque malis, quia neſcimus utrum praeſciti ſint, vel praedeſtinati. Praecipue tamen pro fratribus oramus, & pro mortuis oramus, non pro valde bonis, quia non indigent, nec pro valde malis

Digitized by Google

lis quia non prodeſſet, ſed pro mediocriter bonis, qui ſunt in Purgatorio, non ut meliores fiant, ſed ut citius liberentur; & pro mediocriter malis non ut ſalventur, ſed ut mitius puniantur.

Item Paulus 2. Corinth. *Omnes enim nos manifeſtari oportet ad tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit ſive bona ſive mala*. Ecce hic dicitur prout geſſit iſte, & non quod alius geſſit; quare non prodeſt alicui, quod alius pro eo oret. Sic non prodeſt mortuis niſi quod ipſi fecerunt, quia quod oratio alterius ſibi profit hoc ipſe fecit, dum eſſet in vita ſua, non enim facta alterius proſunt poſt mortem; niſi dum viveret, meruerit; quod ſi hoc pro eo fieret, ſibi prodeſſet. Item Joannes in Epiſtola 1. *Eſt peccatum ad mortem, non dico ut quis pro eo roget*. Ecce hic dicitur, quod aliquis eſt in aliquo peccato, pro quo non eſt orandum; ſed nullum peccatum eſt pro quo non quis poſſit agere poenitentiam, ergo aliquis eſt qui poteſt agere poenitentiam, pro quo non eſt orandum; multo ergo minus pro illis quis non poſſunt agere poenitentiam.

Solve & dic, quod mortui (poſſunt) agere poenitentiam non quidem incipientes, ſed perficientes, utpote mediocriter boni.

Item in Epiſtola de mortuis dicitur: *opera illorum ſecuntur illos*. Hic dicitur opera illorum non aliorum; quare orationes aliorum, cum non proſint non debent fieri. Solve ut ſupra.

Quod autem orandum ſit pro mortuis probatur; & primo auctoritate veteris Teſtamenti, dicitur enim in 2. Machabaeorum: *Vir fortiſſimus Juda collatione facta duodecim millia dracmas argenti miſit Hieroſolymam offerre pro eis*, ideſt pro propriis mortuis; & infra: *Salubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis ſolvantur*. Item dicitur in Parabolis ſuper hunc locum: *Mortuo homini*, ideſt impio, dicit auctoritas ſunt, qui de peccatis ſuis poſt mortem proſunt abſolvi vel a poenis, vel ſuorum precibus, & orationibus, & eleemoſynis, & miſſarum celebrationibus, ſed ante vidi de levioribus culpis. Item in Evangelio Matthaei: *Qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum non remittetur ei, neque in hoc ſaeculo, nec in futuro*; in quo aperte demonſtratur, quod aliqua poena in futuro remittatur. Ergo ipſi mortui juvari poſſunt precibus & orationibus, ergo pro eis orandum eſt. Item in eodem: *Ecce Princeps unus acceſſit, & oravit eum dicens: Domine filia mea defuncta eſt, ſed veni impone manum tuam ſuper eam, & vivet*. Ecce iſte oravit pro morte filiae ſuae, & exauditus eſt; ergo pro mortuis eſt orandum. Item in Luca: Vidua pro filio ſuo oravit, & exaudita fuit; ergo pro eis eſt orandum. Item in Joanne; Maria & Martha pro Lazaro rogaverunt Dominum; & exauditae fuerunt; ergo pro mortuis eſt orandum. Item in Actibus Apoſtolorum diſcipuli Domini rogaverunt Petrum pro Tabita mortua, & exauditi ſunt; ergo pro mortuis eſt orandum.

JOANNES DOMINICUS MANSI

LECTORI.

Quamquam tota hæc hiſtoria legitur etiam vulgata a Dacherio Spicil. tom. I. nov. edit. ex MS Codice vitæ Caroli VI. Galliarum Regis Sandionyſiano Monacho authore, adhuc tamen multa hic reperiuntur ab eo prætermiſſa ſeu non adeo diligenter deſcripta, quæ me cunctantem induxerunt ut hanc pariter evulgarem, cum præſertim Dacheriana Gallis faveat, noſtra vero hæc Pontifici, ex quo fiet ut collatione utriuſque veritas melius eluceſcat.

ACTA PRÆVIA

AD SUBTRACTIONEM OBEDIENTIÆ FACTÆ A CARDINALIBUS BENEDICTI XIII.

Excerpta e tractatu cujuſdam Anonymi, qui extat inter conſilia Ægidii Bellameræ in cod. Lucenſi MS. & eſt conſilium XCIX.

Sciendum quod cum de anno Domini MCCCXCIV. die 16 menſis Septembris D. Clemens Papa cum diem clauſiſſet extremum, DD. Cardd. facta novena in Conclavi pro celebranda futuri Romani Pontificis electione congregati ediderunt & ſcriptis redigerunt, ac omnes & ſinguli juraverunt & juravit D. Petrus de Luna tunc diac. Card. poſt per eoſdem DD. Cardd. in eodem Conclavi concorditer electus, & nunc Papa Benedictus XIII. quandam cedulam cujus tenor ſequitur in haec verba.

„ Nos omnes & ſinguli S. R. E. Cardd. congregati pro electione futura in conclavi ante altare in quo miſſa celebrari conſuevit pro Dei ſervitio, unitate eccleſiae ſuae ſanctae, ac ſalute fidelium omnium promittimus & juramus ad ſancta Dei evangelia corporaliter per nos tacta, quod abſque fraude, dolo, & machinatione quibuſcunque ad unionem eccleſiae & finem imponendum Schiſmati, proh dolor! in eccleſia nunc vigenti, quantum in nobis erit, laboravimus fideliter & diligenter quantum ad nos pertinet, ſeu etiam pertinebit, & dabimus paſtori noſtro & gregi dicto ac Vicario Jeſu Chriſti domino noſtro futuro, qui erit pro tempore auxilium, conſilium vel favorem directe vel indirecte publice vel occulte & iſta omnia & ſingula & alias omnes ultra praemiſſa vias utiles & accommodatas ad utilitatem eccleſiae & unionem praedictam ejuſdem ſune & veraciter ſine machinatione ſeu excuſatione vel dilatione quacunque; ſervabit & procurabit pro ſe tenus quilibet noſtrum etiam ſi aſſumptus fuerit ad apoſtolatum etiam uſque ad ceſſionem incluſive per ipſum de papatu fiendum, ſi DD. Cardinalibus qui nunc ſunt vel erunt in futurum de his quae ſunt nunc vel majori parte eorundem hoc pro bono eccleſiae & unione procedere videatur expedire.

Demum eodem anno de menſe Novembris praefatus

fatus

fatus D. N. D. Benedictus Ægidium Avenionenſem epiſcopum doctorem utriuſque juris, & Petrum Blavis decretorum doctores ejus referendarios ad Illuſtrem Principem D. Francorum Regem & Dominos ejus Patruos & fratrem pro excitando dictos Principes ad juvandum eccleſiam & eundem D. N. Benedictum proſequendum & ad obtinendum a Rege praedicto quod vellet mittere ad ipſum D. N. ſolemnes nuntios pro conſulendo tractando ac deliberando cum D. N. & ejus collegio ſuper viis & modis ad unionem hujuſmodi procedendi nuntios deſtinaret. Quibus per Regem in plenae audientiae conſilio poſt dierum aliquorum intervalla Rege & conſilio praeſentibus Cancellarius Franciae ex parte Regis nunciis praedictis reſpondit quod Rex erat paratus omni poſſe ſuo juvare eccleſiam & D. N. in proſecutione hujuſmodi unionis & mittere nuntios tales pro tali cauſa, quemadmodum tractabatur. Verum quia Dom. Dux Burgundiæ ejus Patruus erat abſens & cito ad curiam Regiam rediturus, Rex ordinaverat illum ſuper nuntiorum illorum electione expectandum.

Poſt quae A. D. MCCCXCV. in fine menſis Januarii Avenionenſem & Tiraſonenſem Epiſcopos & prædictum Petrum Blavis ad præfatum Regem pro ſollicitando, & accelerando effectum reſponſionis Regiae praelibatæ nuntios deſtinavit quibus poſt aliquorum dierum intervalla præſentibus Rege & conſilio per prædictum Cancellarium pro parte Regis reſponſum fuit quod Rex ad Dominum N. DD. Bituricenſem, & Burgundiae Patruos, & Aurelianenſem Germanum ipſius duces præclariſſimos cito mitteret pro conſulendo tractando & deliberando ſuper viis & mediis procedendi ad pronuntiandum finem ſchiſmatis & eccleſiae unionem & quod dicti nuncii Regis ad D. N. portarent vias per univerſitatem Pariſienſem & prælatos Franciæ deliberatas.

Pro quo ſciendum quod poſt adventum dictorum nunciorum videlicet die Jovis IV. Februarii univerſitas Pariſienſis in S. Maturino Pariſienſi ad hoc ſpecialiter congregata ſolemniter quantum in ſe fuit declaravit quod quamquam pro parte ipſius tres viae procedendi ad unionem tactae eſſent videlicet conſilii generalis, & conſilii particularis ſive compromiſſi ad ceſſiones amborum contendentium de Papatu, tamen dicta via ceſſionis inter alias eis melior & brevior & expeditior videbatur, & quod eam acceptarent & proſequerentur toto poſſe. Et poſtea a Rege per eos publica audientia impetrata D. Petrus de Eliaco tunc elemoſinarius regius & Cancellarius Pariſienſis & nunc eccleſiae Anicienſis electus per D. N. promotus in praeſentia Regis & conſilii pro parte univerſitatis praemiſſo ſermone praedictam declarationem publicavit: Rex enim praefatus ante nuntiorum ſecundorum deſtinationem mandaverat pro omnibus Praelatis ſui Regni atque Delfinatus ad ejus Primogenitum pertinentes pro habendo eorum conſilio ſuper iſto & eis aſſignavit locum conſilii ideſt palacium; & jam Praelati ibidem exiſtentes ante dictorum nuntiorum adventum multa concilia tenuerant; & fuit deputatus pro conſilio praeſidens D. Simon Cramandi Patriarcha Alexandrinus adminiſtrator Eccleſiae Carcaſſonenſis praedictam viam ceſſionis utriuſque affectans prae caeteris ultra modum, qui ut perveniret ad intentum ſuum ordinavit ut materia diſceptaretur in praeſentia Praelatorum & aliorum quamplurimorum gradus inferioris de mandato Regis ad concilium hujuſmodi vocatorum, & de omnibus viis reduxerunt conſilium ad duas videlicet ad viam ceſſionis utriuſque & ad viam compromiſſi, ceſſionem hujuſmodi concludentis; & deputavit certos ad ſuſtinendam unam viam & certos ad aliam viam ſuſtentandam. Sed de omnibus per eum pro una vel altera parte deputatis conſtabat ei quod ad viam ceſſionis utriuſque inclinati erant. Cui diſceptationi per longum tempus fine impoſito juramentoque de fidelitate dando ad mandatum Regis quod omnes praeſtito in emiſſione votorum pro affectione ſua deponentibus optatam audientiam praebuit, & aliorum ſapientium audientiam interrupit. Demum votis pro majori parte ad ejus voluntatem obtentis publicaque a Rege audientia impetrata idem Patriarcha prout ſibi placuit de dicto conſilio relationem fecit referendo quod quaſi omnes paucis exceptis concluſerant pro via ceſſionis utriuſque & quod illi pauci non contradixerant de directo, ſed poſuerant ſe in aliis, quae non multum valebant; licet multi Praelati contradixiſſent illi viae & motiva ad hoc probabilia induxiſſent, ipſeque Patriarcha motiva ſuae partis induxit & dilatavit fimbrias ampliando & motiva partis alterius totaliter ſuffocando. Propter quae D. Epiſcopus Xantonenſis unus de parte alia motiva ſua & partis ſuae praeſente conſilio Regio praefato cancellario dedit; propter quae dicti nuncii per organum unius eorundem dixerunt Dominis & praeſertim D. Duci Burgundiae quod vellent cavere ne certa & determinata via eligeretur Pariſius aut per nuntios Regios D. N. portaretur ſive offerretur dicentes ſe credere quod ſi ſic fieret, D. Noſter viam electam vel oblatam non reciperet; maxime ſi eſſet illa ad quam Univerſitas ſe determinaverat; & quod ſecundum hoc nuncii Regii honorem non reportarent nec ſequeretur ex hoc aliquod bonum; ſed potius magnum ſcandalum & majus ſchiſma; ad quod fuit reſponſum per D. Burgundiae & plures alios Dominos quod de hoc non erat dubitandum quia nulla certa via eligeretur Pariſius; ſed cum D. N. tractaretur & deliberaretur ſuper iſtud; ſed nihilominus neſcitur quibus procurantibus ad faciendum inſtructiones nunciorum regiorum & ad veniendum cum ipſis & aſſiſtendum & conſulendum fuerunt electi qui erant determinati pro via ceſſionis praedicta.

Poſt praemiſſa praedicti DD. Duces Bituricenſis, Burgundiae, & Aurelianenſis nuncii Regis anno prædicto nonageſimo quinto die ſabbati poſt aſcenſionem Domini poſt oram veſperorum ad Dominum Noſtrum applicuerunt, & tunc per eum conciſtorialiter recepti fuerunt; & poſt pro dormiendo ad Villam Novam redierunt; & ſequenti die cum Domino Noſtro in Palatio in prandio fuerunt. Die lunae ſequenti de mane in conſiſtorio publico coram D. N. & Cardinalibus & copioſa multitudine praeſentibus eiſdem ducibus magiſter Ægidius de Campis, Magiſter Pariſienſis in Theologia pro parte ipſorum ducum propoſuit generalia ambaſiatam & cauſam ambaſiatae generaliter & ad unionem generaliter exhortando. Poſt quae aliquibus evolutis diebus ipſe D. N. Benedictus obtulit praedictis Ducibus verbaliter viam per ipſum & Cardinales communiter deliberatam videlicet, quod ipſe Dominus Noſter cum Cardinalibus & adverſarius cum anticardinalibus in uno loco communi ſub cuſtodia ſimul convenirent & ſuper viis & modis ponendis in Eccleſiae unionem ſimul deliberarent & pertractarent. Sed duces praedicti viam hujuſmodi recipere recuſarunt.

Poſtea die prima menſis Junii anni ejuſdem de mane circa horam x. ipſi duces Domino Noſtro & Cardinalibus praeſentibus per organum dicti magiſtri Ægidii praedictam viam ceſſionis utriuſque omnibus aliis viis rejectis & damnatis ex parte Regis tanquam meliorem breviorem & expeditiorem praeſentarunt. Et tunc D. N. petiit ab eis motiva dictae viae ac modum procedendi & practicandi dictam viam in ſcriptis ſibi dari; ſed ipſi duces habita ad partem cum illis de conſilio ſuo deliberatione praedicta facere denegarunt; & male contenti, ut videbatur, a Dom. N. receſſerunt. Statimque mandavit omnibus Cardinalibus quod cum eis in Villa nova in hoſpitio D. Bituricenſis quarta hora poſt meridiem convenirent, quod & fecerunt omnes praeter cardinalem S. Martialis qui toto tempore quo dd. Duces ibi fuerunt aegritudines ibi paſſus fuit; ipſiſque Cardinalibus coram ducibus congregatis & pro parte horum ſingulariter & ſucceſſive omnes videlicet unus poſt alium ſingulariter & ſucceſſive licet verbis invicem alteratis effectualiter reſponderunt

Digitized by Google

runt in eorum conſcientiis & cum juramento deponentes praedictam viam ceſſionis utriuſque pro parte Regis & ducum rejectis aliis viis omnibus Domino praeſentatam inter omnes alias eſſe meliorem & expeditiorem; & hoc praeter Martinum de Salva Cardinalem Pampilonenſem natione Navarium magnae ſcientiae & probitatis virum qui praedictae concluſioni contradicens conſtanter aſſeruit viam communis conventionis & tractatus & viam diſcuſſionis jurium ipſarum partium eſſe meliores. Quorum Cardinalium depoſitiones per notarios regios de mandato Ducum in ſcriptis redactae fuerunt. Deinde die Dominica XX. dicti menſis junii hora veſperorum praeſentibus ducibus & Peneſtrino Albanenſi & Pampilonenſi Cardinalibus & conſiliariis ipſorum Ducum ac nonnullis Praelatis referendariis, cubiculariis & aliis notabilibus viris Domino noſtro adſiſtentibus & notariis publicis D. N. Benedictus dedit ipſis ducibus ſuam reſponſionem in ſcriptis, de qua Duces non contenti ad Villam novam incontinenti redierunt.

Tenor primæ reſponſionis per Dominum Noſtrum datæ in ſcriptis.

„ Benedictus &c. cum dudum ad procurandam & ſciſſae veſtis Dominicae inconſutilem unitatem ſeneſcentis erroris ſcenam profligandam eradicandamque Deo auctore perniciem ante noſtrae ad ſummum Pontificatum vocationis primordia anxios labores & prolixas vigilias noſtrae ſolicitudinis inſtantis ſubiiſſet, tandem nobis ad ſummi Apoſtolatus apicem divina licet immeriti diſpoſitione vocati, & eo magis ad demoliendum peſtilentiſſimi morbi molem vigilantius & intentius quoad illum cujus gerimus vicem in terris cujuſque negotium ventilatur recepturi ſumus ob hoc aut de conſtanti & officioſa cura & exquiſita ſolertia meritum, aut, quod abſit, de negligentia & puſillanimitate ſupplicium cariſſimus in Chriſto Filius noſter Carolus Rex Franciae Illuſtris, Eccleſiae Dei pugil invictus & defenſor ſollicitus a nobis iteratis vicibus ſuper hoc cum inſtantia requiſitus ipſius Eccleſiae compaſſus gemitibus & afflictionibus diuturnis inſignes duces regalis proſapiae claritate ſublimes dilectos videlicet filios, Joannem Bituricenſem, Philippum Burgundiae patruos, ac Ludovicum Aurelianenſem fratrem ipſius duces Regis ambaſſatores ſolemniter deſtinavit religioſae devotioni & zeli dicti Principis erga eandem Dei Eccleſiam, quod nobis non erat ignotum, affectu & conſtantia exponentes & alia nonnulla quae ad reformationem dictae unitatis Eccleſiae tendere videbantur. Super quibus cum venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus collatione & tractatu ac deliberatione praemiſſis, ipſiſque praeſentibus, & aliis cæteris tam clericis quam laicis de concilio dicti Regis viam & modum rationabilem & ſalubrem ad proceſſum & integritatem ipſius Eccleſiae unionis eiſdem ducibus duximus offerendum ſub hac forma videlicet, cum nos cum fratribus noſtris praedictis ex parte una & adverſariis Eccleſiae Dei cum ſuis anticardinalibus ex altera in loco idonen ad hoc eligendo ſub fida & ſecura protectione dicti regis cui ad hoc opportunitas plus ſe offert conveniremus perſonaliter pertractanda eſt Chriſto duce conſequenda praedictae Eccleſiae unitate; & tunc nos viam ſeu vias convenientes panderemus quibus optata unio in Dei Eccleſia celerius ſequi poſſet quas aperire uſque ad mutuam conventionem hujuſmodi extimabamus & credimus nullatenus expedire; immo illas publicare eſſet bono unionis perniciosum impedimentum afferre propter multa quae contra vias expreſſas machinari poſſet illorum peſtilens & omnino praecavenda verſutia, quae zizania & ſcandalum potius quam unitatem in ſancta Dei Eccleſia ſerere moliuntur, praeſertim cum de intentione adverſarii certitudo nulla penitus haberetur. Verum Duces praefati praemiſſum modum ſeu viam non acceptantes, poſtea viam ceſſionis per nos & adverſarium factae pro parte dicti regis ſuique conſilii aperuerunt nos requirentes quod praetermiſſis omnibus alias tactis & motis hanc tantummodo acceptare vellemus. At nos attendentes quod dicta via ceſſionis pro ſedandis ſchiſmatibus nec a jure ſtatuta nec a ſanctis Patribus hactenus practicata fuerat in Dei eccleſia in ſimili caſu; quinimmo ut in geſtis Romanorum Pontificum & alibi legitur & non conveniens aliquando repulſa, ne in acceptationem viæ hujuſmodi in tanto Dei & Romanæ Eccleſiae ac omnium fidelium negocio quicquam indigeſte & improvide de novo forſan acceptaretur, quod poſſet non ſolum in Dei venerationem offenſam damnum eccleſiæ, pernitiem exempli, contemptum clavium, cenſuræ ac libertatis eccleſiaſticae laeſionem; ſed etiam in ſcandalum Praelatorum ac aliorum catholicorum Principum Chriſtique fidelium omnium qui veritati & juſtitiae partis noſtrae adhæſerunt hactenus & adhærent, ignominiam redundare; & ne ex hoc quadam vulgari opinione pertinax obſtinatio adverſarii praedicti ſuorumque ſequacium in majoris obdurationis attenderetur perniciem & augumentum; & ne, quod abſit, parti juſtitiæ noſtræ abſcribi contingeret, quod propter diffidentiam juris noſtri hæc via ceſſionis aliis viis prætermiſſis a noſtræ obedientiæ filiis nobis oblata & per nos inconſulte acceptata fuiſſet cum ſuſcepta ſint abjicienda remedia quæ veris ſunt periculis graviora, præſertim cum ex requiſitione reſignationis viæ per memoratos duces ut præfertur generaliter factæ de modo ceſſionis hujuſmodi & electionis futuri Romani Pontificis, & aliis pluribus præcedentibus & conſequentibus unionem ipſam & ad eam neceſſariis minime apparebat; idcirco audita aperitione dictae viae ceſſionis petivimus modum procedendi, & practicandi, ut apparere poſſet, qualiter ex illis optata eccleſiae unio ſequeretur, offerentes nos ſuper hoc deliberatione præhabita, ſine longa dilatione, vel quocunque temporis ſubterfugio taliter reſpondere, quod Rex, & Duces præfati, & alii quicunque Catholici deberent merito contentari; cum in hoc totalis noſtra verſetur intentio, ut per vias rationabiles judiciarias & ſalubres animabus finis dicto ſchiſmati imponatur, & unio proveniat in eccleſia ſancta Dei. Quæ quidem reſponſio & petitio noſtra non fuerunt a dictis ducibus acceptatae, nec practicatae dictae viae ceſſionis nobis per ipſos extitit declarata. Verum licet nos in conſcientia, & quoad Deum ſimus certi de jure noſtro, & veram notitiam babeamus, cum interfuerimus in conclavi Romae, & extra in hujuſmodi geſtis dum agebatur, in quibus fiat veritas facti, & ex quibus jus oritur, idcirco ut de nobis ipſis & tacitis & expreſſis per nos rationibus ſupradictis juſtificatio & ſatisfactio pateſiant non ſolum dictis Regi & Ducibus ab eo miſſis, quos tanquam ipſorum quidem filiorum exigentibus praeclaris meritis in viſceribus gerimus charitatem prout nos & Romanam eccleſiam ad id teneri fatemur; ſed etiam cunctis aliis mundi principibus & omnibus Chriſtianae profeſſionis fidelibus, & ne quiſquam nobis impugnare valeat, quominus etiam hujus ſtatus, quem teſte Deo non appetimus per alicujus nefandae ambitionis vitium contendimus pertinaciter retinere, appareatque pura, & cordialis affectio, quam ad unionem hujuſmodi habuimus, & habemus continue, ac diſponente Deo habere intendimus inceſſanter; offerimus dictis Regi, & Ducibus, aliis principibus, ac toti populo Chriſtiano, noſtramque intentionem in hac parte declaramus, quod ſi per ſupra dicta per nos jam tacta, & oblata unitas eccleſiae haberi non poſſit, poſtquam dicto adverſario, & ſequacibus ſuis loco praelibato

„ cum

„ cum conſilio fratrum noſtrorum certas perſonas Deum timentes, & zelum bonum ad Eccleſiae unitatem habentes in certo numero eligemus, ut etiam adverſarius praedictus totidem perſonas pro parte ſua eligat, quae ſimul convenientes cum electis a nobis, juramento prius praeſtito per eaſdem de bene fideliter procedendo in negotio hujuſmodi, ad ſolum Deum, & eccleſiam habentes reſpectum, amore, odio, & timore ceſſantibus, quibuſcunque in certum tempus praefigendum auditis, & examinatis facti & juris utriuſque partis rationibus, eiſque recta intentione diſcuſſis, prout qualitas negotii patitur, & requirit, declarent quis noſtrum duorum jus habeat in Papatu; cum certa, & ſufficienti ſubmiſſione de tenendo, & obſervando quicquid per dictas perſonas, ut praefertur electas, aut earum duas partes declaratum fuerit, & diffinitum; adhibitis hic inde proviſionibus neceſſariis, & utilibus, ſeu etiam opportunis ad accelerationem, & firmitatem negotii, ad tollendum dubia, & ſubmovendum impedimenta, & ſcandala, quae ex geſtis praeterito tempore per utramque partem, vel ex declaratione ipſa, & circa futura veroſimiliter ſequi poſſent. Et ſi per praemiſſa, vel eorum aliqua finis ſchiſmati (quod abſit) non valeret imponi, antequam partes ſine fructu optatae unionis haberent ſe a conventione in dicto loco facienda invicem ſeparare, offerimus nos eo caſu aperire, ſeu apertam recipere, & proſequi cum effectu viam, ſeu vias rationabiles, juridicas, & honeſtas, per quam, ſeu quas ſine Dei offenſa, exempli pernicie, & Eccleſiae Romanae, & fidelium ſcandalo finis conveniens imponatur ſchiſmati, & vera unio, & ſincera tranquillitas in Dei eccleſia poſſit haberi; & in praemiſſis omnibus ſic dare operam efficacem, quod ipſis Regi, & Ducibus, ac Chriſtifidelibus apparebit, quod per nos non remaneat, neque etiam remanebit, quominus Eccleſia Dei optatam conſequi valeat unionem.

Eadem die ſeu nocte immediate ſequenti poſt receſſum ducum, quidam iniquitatis filii in Ponte Ligneo ſuper Rhodanum inter Avenionem & villam novam ignem poſuerunt, de cujus Pontis combuſtione inde ſecuta, magna fuerunt orta ſcandala atque murmur. Denique die XXVIII. dicti menſis Junii ad quietandum duces Dominus noſter aliam reſponſionem dedit eis in ſcriptis & ſub publico inſtrumento, de qua tamen reſponſione duces & cardinales contenti non fuerunt.

Tenor ſecundæ reſponſionis per Dominum Noſtrum datæ in ſcriptis.

„ Benedictus &c. Quamvis nuper dilectis filiis ducibus Joanni Bituricenſi, Philippo Burgundiae, & Ludovico Aurelianenſi fratri chariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli Regis Franciae illuſtris ad nos ſuper facto unionis in Dei Eccleſiam procurandae per eundem regem ſpecialiter deſtinatis explicaverimus die xx. hujus menſis, & in ſcriptis dederimus intentionem noſtram ſuper viis, & modis, & obſervandis ad unionem praedictam procurandam, quaſi vias credimus eſſe juridicas, honeſtas, utiles, & ſufficientes ad tollendum tantum ſchiſmatis ſcandalum, & unionem habendam; adhuc tamen & ſuperabundanti declaramus mentem noſtram circa praemiſſa ipſis ducibus in noſtra praeſentia conſtitutis, dicimus, quod nos dictas vias proſequi intendimus toto poſſe, & alia facere, quae ad id fuerint neceſſaria, & etiam opportuna, prout nobis incumbit ex debito officii nobis commiſſi, & alias in quantum virtute cujuſdam cedulae, factae in conclavi teneamur; & ſic in praemiſſis Chriſto duce dabimus operam efficacem, laboribus adhibitis continuis, & indefeſſis, quod ipſis Regi, & ducibus, ac toti Chriſtianitati apparere poterit, quod per nos non ſtabit, prout nec ſtetit, quominus Eccleſia Dei unionem conſequatur optatam. Idcirco Regem, & Duces per viſcera miſericordiae Jeſu Chriſti, cujus cauſa agitur hortamur, & deprecamur, ut ipſi mote primogenitorum ſuorum pro Dei reverentia, & animarum ſalute tanto bono procurando velint diligenter intendere vias praedictas per nos alias eis explicatas, aſſumendo virtuoſe, & patenter proſequendo una nobiſcum, qui in praemiſſis intendimus, divina gratia ſuffragante, exponere nos, & noſtra, & alia facere, quae hujuſmodi negotii qualitas, & conditio poſtulabunt, & requirent.

Publicata fuit eiſdem ducibus de mandato Papae, & coram eo, die lunae XXVIII. Junii: verum quia Domino noſtro relatum extitit, quod Cardinales pro parte Ducum fuerunt requiſiti, quod ſe in una litera ſubſcriberent, in qua eorum depoſitiones factae in villa nova ſcriptae erant, ipſe Dominus noſter volens huic periculo praecavere, ipſis omnibus Cardinalibus in ejus praeſentia conſtitutis fecit certas inhibitiones, & prohibitiones, & proteſtationes in ſcriptis.

Tenor cedulae inhibitionis, & prohibitionis.

Benedictus &c. Quoniam ſicut ad noſtrum de novo pervenit auditum, vos venerabiles fratres noſtri S. R. E. Cardinales, requiſiti fueritis, quod in quadam cedula vobis tradita vos propriis manibus ſubſcribere debeatis, quod ſi fuerit (quod abſit) dubitari forſan poſſet, quod pro tempore redundaret in perniciem libertatis Romanae eccleſiae, & contra ipſius honorem, & etiam in Dei offenſam non modicam, & in occaſionem vobis detrahendi dubietatem juſtitiae noſtrae partis, & exaltationem, & indurationem intruſi, ſibique adhaerentium, noſque jam obtulerimus plures modos, & vias rationabiles, factibiles, Deo placentes, & juri convenientes, per quas utilius, brevius, & expeditius ad honorem Dei, & ſuae ſanctae eccleſiae, & adhaerentium juſtitiae ipſius partis unio in Dei Eccleſia haberi poteſt, & ſchiſma eradicari, & evelli, prout de aperitione, & oblatione modorum praedictorum, & viarum per nos oblatarum dilectis filiis Ducibus Joanni Bitur. Philippo Burgund. patruis, & Ludovico Aurelianenſi germano chariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli Francorum illuſtris, & per eundem Regem ad nos deſtinatis in quibuſdam publicis inſtrumentis ſuper hoc confectis latius continetur; idcirco praemiſſis & aliis multis attentis, & conſideratis, quae in tanto Dei, & eccleſiae negotio attendi, & conſiderari debent, loco, & tempore opportuno latius explicandis vos omnes, & ſingulos, venerabiles fratres S. R. E. Cardinales monemus, hortamur, & requirimus in virtute S. Obedientiae, & fidelitatis, quibus nobis, & S. R. E. tenemini, & vobis in proſecutione dictarum viarum per nos oblatarum, & aliorum in praemiſſis contentorum, quae ad bonum unionis Eccleſiae tendunt, prout ad vos pertinuerit, aſſiſtatis, & adhaereatis fideliter, & diligenter abſque dolo, fraude, & machinatione quibuſcunque, nec ad impediendam unionem praedictam detis auxilium, conſilium, favorem directe, vel indirecte, publice, vel occulte, prout etiam virtute juramenti per vos ſuper hoc praeſtiti, eſtis adſtricti; & nihilominus vobis & veſtrum cuilibet in virtute S. Obedientiae, ne in dicta cedula, ut praemittitur, vos ſubſcribatis, nec etiam conſentiatis aliqualiter aliis, quae non licent, ſeu non decent, ſeu ex quibus occaſio forte praeberi poſſet detrahendi, quod contra reverentiam, obedientiam, aut honorem nobis, & Eccleſiae Romanae per vos debitos, ſeu laudabiles mores inter nos, & vos, prædeceſſores noſtros, & veſtros obſervari conſuetos aliqua fierent (quod abſit) prout nec credimus, quod facietis. Quod ſi contrarium per vos, vel aliquem veſtrum fieret, quod non credimus, proteſtamur contra vos, & quemlibet veſtrum ſic facientem de poenis in jure ſtatutis, & aliis debitis pro tranſgreſſione praemiſſorum; ad quae vobis injungenda monemus cum conſideratione praemiſſorum, tum etiam

Digitized by Google

quia, ut a pluribus dicitur, erga nos, & nobis aſſiſtentes modi inconvenientes ſervantur, propter quod ſi aliud fieret, vel diceretur, cenſeretur forſan non valere, ut poſſent inconvenientia, & ſcandala, ſi qui de his modis, qui erga nos, & noſtros tenentur, ſolemniter proteſtamur, videlicet quod ſi per vos aliud fieret, aut diceretur, manente ſtatu negotiorum nunc occurrentium, id & ea, & quicquid ex eis ſequeretur, vel ob ea, reputamus, & volumus non valere, & haberi pro infectis. Per praemiſſa vero vobis venerabilibus fratribus noſtris, quorum honorem proſpicere ex noſtrae mentis affectu deſideramus, vel quibuſvis aliis in aliquo derogare non intendimus, nec praecipere aliquid illicitum, ſed tantum occurrere ſcandalis, & animarum periculis, quae veroſimiliter evenire poſſe timemus, & bonori, ac juri Eccleſiae Romanae providere, ut juris, ſeu rationis fuerit, & tenemur, & ita proteſtamur.

Caeterum die VIII. menſis Julii ejuſdem anni Duces, & Cardinales de dictis reſponſionibus non contenti, iterum ad praeſentiam Domini acceſſerunt, & requiſierunt duces, quod Cardinales audirentur. Et licet die I. menſis ejuſdem ipſi Cardinales abſentibus ducibus per eundem Dominum noſtrum ſuper his unus poſt alium ſucceſſive, vel ſingulariter plene auditi fuiſſent, tamen ad ſatisfaciendum ducibus Dominus noſter eiſdem Cardinalibus novam audientiam praebuit; & tunc Cardinalis Portuenſis Florentinus appellatus in ordine primus, nomine ſuo, & aliorum, ac totius Collegii, Pampilonenſe excepto, narrato per eum tenore cedulae in conclavi ordinatae ſuperius deſcripto, de verbo ad verbum, dixit, & propoſuit, quod, Cardinales conſiderantes, quod Dominus noſter in dicta cedula juraverat, videlicet, ſervare omnes vias utiles &c. etiam uſque ad ceſſionem incluſive, ſi a Cardinalibus, vel majori parte eorumdem pro bono Eccleſiae praedictae videretur expedire, & volentes praedictam conditionem purificare in praeſentia ipſius Domini noſtri, & Ducum ipſi Cardinales unquam (ſic) ſingulariter, & collegialiter in eorum conſcientiis dicebant, & aſſerebant, quod pro bono Eccleſiae, & unionis praedictae eis videbatur expedire ceſſio utriuſque: ſupplicantes eidem Domino noſtro, quod eam dignaretur acceptare. Ipſe autem Dominus noſter reſpondit, ſe prius velle audiri in rationibus ſuis.

Ista eadem die, & hora Dominus noſter ducibus, & Cardinalibus adhuc in ejus praeſentia congregatis, praeſentibus illis de conſilio Regis, & Ducum, & nonnullis praelatis, & aliis nobilibus viris Domino noſtro aſſiſtentibus, ac notariis publicis ad declarandum melius mentem ſuam dedit tertiam ſuam reſponſionem Ducibus in ſcriptis ſub publico inſtrumento, quae reſponſio poteſt dici quarta, ſi prima verbalis in numero computetur. Verum quia illa prima verbalis ſub prima data in ſcriptis (non) comprehenditur, de ejus computatione curari non debet.

Tenor tertiae, & ultimae reſponſionis Domini noſtri datae in ſcriptis.

„ Benedictus &c. Quoniam ſicut ad noſtram de
„ novo pervenit audientiam aliqui nobis impingunt,
„ quod in ſecunda reſponſione, quam nuper fecimus
„ dilectis filiis Ducibus Joanni Bituricenſi,
„ Philippo Burgundiae, ac Ludovico Aurelianenſi
„ germano in Chriſto filii noſtri Caroli Francorum
„ Regis illuſtris, ubi diximus nos ſuper facto unio-
„ nis Eccleſiae velle facere, prout ex debito officii
„ noſtri nobis incumbit, & alias in quantum virtute
„ cujuſdam cedulae factae in conclavi teneamur,
„ voluerimus effectum obligationis ipſius cedulae im-
„ mutare; ideo ad ſervandas mentes fidelium decla-
„ ramus noſtrae intentionis non fuiſſe, nec eſſe prae-
„ dictam cedulam in conclavi factam, aut effectum
„ ejus ſuſpendere, ſeu conditionem aliquam in ipſa
„ apponere, vel circa eandem aliquid immutare, ſed
„ eam ſervare; per hoc autem non intendimus di-
„ ctae cedulae in aliquo derogare, nec ei adiicere
„ aliquod novum robur; Proteſtationem vero, quam
„ prima die praeſentis menſis Julii coram venerabi-
„ libus fratribus ſuis S. R. E. Cardinalibus fecimus,
„ in quantum poſſet iſti eſſe contraria, vel ea iſta
„ praeſens declaratio impugnari, in hoc locum ha-
„ bere nolumus praedictae noſtrae reſponſioni adjungi.

Duces autem praedicti ultima hac reſponſione etiam non contenti, ibidem immediate tria a Domino noſtro petierunt. Primo, quod praedictam cedulam in Conclavi ordinatam tunc apud Dominum noſtrum exiſtentem Dominus noſter aſſignaret. Secundo, quod inhibitionem, & proteſtationem inhibitionis, & proteſtationis ſuperſcripta continenter Dominus noſter revocaret. Tertio, quod publicam, & conſiſtorialem propoſitionem ſequenti die de mane eis daret. Ad quae Dominus noſter in continenti reſpondit; & primo ad primum, quod honeſtius erat, quod dicta cedula Conclavis, quae eum principaliter tangebat, apud eum remaneret; ſed quod paratus erat ſub publica, & authentica forma copiam eis dare. Ad ſecundum reſpondit, quod placebat ſibi, quod ipſi cum eo viderent, ſi in inhibitione, & proteſtatione praedictis aliqua erant, de quibus deberent reputare ſe gravatos, & quod illa, ſi quae talia eſſent, libenter in melius reformaret. Ad tertium vero reſpondit, quod paratus erat dare audientiam ipſis Ducibus in camera paramenti, in praeſentia DD. Cardinalium, & omnium de conſilio ipſorum Ducum, ac Nuntiorum univerſitatis Pariſienſis, & plurium Praelatorum, & nobilium perſonarum, exhortando eos dulciter, quod de hoc contentari vellent, maxime quia propoſitio ſolum principaliter fiebat propter eum; nec videbatur neceſſarium, quod vulgus in tali propoſitione adeſſet. Sed Duces non fuerunt contenti de reſponſionibus antedictis; & ideo D. Dux Bituricenſis primus inter eos ſic dixit: Pater ſancte vultis aliquid mandare in Franciam? & tunc a Domino noſtro receſſerunt, nec amplius ad eum redierunt.

In craſtinum vero die Veneris 10. dicti menſis Julii apud Fratres Minores vocatis ſindicis, doctoribus, & aliis nobilioribus hujus villae Ducibus, in ſua & Cardinalium praeſentia coram clero & populo copioſo per dictum magiſtrum Ægidium de Campis, & per alios Magiſtros univerſitatis, per Nuntios plurimas propoſitiones fieri fecerunt, in quibus per dictos Magiſtros omnes reſponſiones praedictae per Dominum noſtrum datae, praeter ultimam ejus reſponſionem quam forte ex propoſito ſubticuerunt, multipliciter impugnatae, & opinio Domini noſtri quantum in eis fuit mirabiliter aggravata. Et ideo forte ultimam reſponſionem tacitam tenuerunt, ex eo quia magis ſatisfaciebat, & quia minus poterat impugnari. Nec videtur omittendum, quod dictus magiſter Ægidius ex parte Regis propoſuit, quod Rex dictam viam (ceſſionis) utriuſque apud omnes Reges proſequi intendebat, & etiam per curiam publice dicebatur, & vulgo etiam credebatur, quod Rex Franciae haberet quantum ad hoc omnium aliorum Regum & Principum voluntatem; & quod niſi Dominus noſter condeſcenderet ex toto voluntati Ducum, Rex ſibi ſubtraheret perceptionem fructuum, & obedientiam ſui regni, & quod omnes oriundi de ſuo regno, vel ibi redditus obtinentes eſſent in indignatione Regis & Ducum praedicta, & in periculum ſtatus ſui. Nuncii vero univerſitatis Pariſienſis pro eadem cauſa venerunt ad Dominum noſtrum cum dictis Ducibus, & communiter fuerunt vocati ad conſilia Ducum, quia & quaſi omnes literati aſſiſtentes erant jurati ipſius univerſitatis. Praedicti autem Nuncii pluries ad audientiam conſiſtorialem admitti cum inſtantia poſtularunt; ſed Dominus noſter ex cauſis rationabilibus bene motus ad hoc noluit condeſcendere, ſed eis pluries obtulit, quod in camera paramenti in praeſentia Ducum, & Cardinalium, de conſilio Regis, & Ducum, & magna multitudine Praelatorum & aliorum nobilium virorum

pu-

Digitized by Google

publice eorum propoſitionem libenter audiret. Quod dicti Nuncii noluerunt aliqualiter acceptare, ſed indignati a Domino noſtro receſſerunt. Et dum regreſſi parum tres nobiles Praelatos, & eorum Cancellarium, & aliquos alios magiſtros nobiles dictae univerſitatis tanquam in facto ſeu cauſa univerſitatis ſuſpectos in plena univerſitatis congregatione nominarunt; & univerſitas (qua auctoritate non video) procederunt contra ipſos. Praefati vero Duces ad inſtigationem ſibi adſiſtentium & nonnullorum aliorum magnorum, quorum, nomina & ſtatum propter magnam reverentiam ſubticeo, contra Dominum noſtrum aliqualiter ſtomachari & indignati, ut dicitur abſque alia ejuſdem Domini licentia ab iſtis partibus receſſerunt, videlicet Aurelianenſis x. Burgundiae xi. Bituricenſis xiii. diebus dicti menſis Julii; & primi duo recta via Pariſios ſunt profecti. Tertius vero minus ut dicitur indignatus uſque ad hanc diem xxiii. menſis Octobris anni praedicti Pariſius non acceſſit.

Poſt regreſſum DD. Ducum Burgundiae, & Aurelianenſis, & relationem eorum factam Regi in conſilio, pro parte Univerſitatis & aliorum requiſitus fuit Rex quod procederet contra Dominum noſtrum ad aliqua ſatis dura; ſed reſponſum fuit quod prius oportebat ſcire intentionem aliorum Principum ſuper iſto, & ordinati fuerunt Nuncii ſolemnes ad Romanorum & Angliae Reges, per Regem protinus deſtinati quae ſtatim fuerunt executioni demandata. Demum Nuncii miſſi ad Regem Bohemiae redeuntes Regi & conſilio retulerunt quod in loco de Aquiſgranis in quo debebant Regem Bohemiae reperire ad quem fuerunt principaliter deſtinati non repererunt cum quo loqui; & quod Rex Bohemiae redierat Bohemiam verſus; & ſic deluſa & fruſtrata ambaſiata eorum confuſi ad propria redierunt. Nuncii vero deſtinati ad Regem Angliae in eorum regreſſu reſponderunt quod pro parte Regis Angliae eis reſponſum fuerat in effectu quod ſicut Rex Franciae deliberaverat cum Praelatis Proceribus & Univerſitatibus Regni ſui ſe & pro Regno ſuo; ſic Rex Angliae pro ſe & pro Regno Angliae cum Praelatis Proceribus & Univerſitatibus ſuis deliberaret, & deliberationem mitteret Regi Franciae per Nuncios ſuos. Rex autem Caſtellae quaſi idem ſcripſit Regi Franciae in magnam admirationem deducens, quia ipſo inconſulto quod multum tangitur Rex Franciae collegatus ſuus deliberaverat taliter & proceſſerat ad talia ita magna.

Et creditur quod caeteri Reges & Principes in dicta via ceſſionis utriuſque cum Rege Franciae convenirent uſquequaque licet Ducibus exiſtentibus quaſi ab omnibus contrarium diceretur; diciturque etiam communiter quod intruſus ipſam viam.

DIALOGUS
CONTRA FRATICELLOS
S. JACOBI DE MARCHIA.

INCIPIT DIALOGUS.

Catholicus: QUid tibi videtur de Papa Joanne XXII?

Reſp. Hæreticus: Dico firmiter ipſum Papam Joannem XXII. fuiſſe hæreticum, & omnes ejus adhærentes fautores, & credentes.

Cath. Qua ratione?

Hær. Quia ipſe Papa Joannes XXII. expreſſe determinavit contra determinationem S. Matris Eccleſiæ, & præcipue contra determinationem decretalis Nicolai III. quæ incipit. *Exiit* de verborum ſignif. lib. 6. Porro dicens; dicimus, quod abdicatio paupertatis omnium rerum, tam in ſpeciali, quam in communi propter Deum meritoria eſt, & ſancta, quam & Chriſtus viam perfectionis oſtendens, verbo docuit, & exemplo firmavit: quamque primi Fundatores militantis Eccleſiæ, ideſt Apoſtoli, prout ab ipſo fonte, ideſt a Chriſto hauſerant, & volentes perfecte vivere per doctrinae, ac vitae ipſorum alveos derivarunt. Item praedicta Decretalis fuit promulgata in Concilio Viennenſi in Clement. de verb. ſignificat. & per ipſum D. Joannem Papam XXII. in ſua declaratione ſuper Regulam Fratrum Minorum, quae incipit: *Quorumdam exiit*; & ſic expreſſe anathematizavit, & haereticavit omnes tenentes Chriſtum, & Apoſtolos non habuiſſe propria in ſpeciali, & in Communi in ſua decretali: *Cum inter nonnullos*: Aſſerens, & determinans Chriſtum, & Apoſtolos habuiſſe in proprio, & in communi aliquid tamquam terrenum, nec de cæleſtibus aliquid cogitaſſe videtur.

Cath. Secundum D. Auguſt. in lib. quæſt. dicens; quod omnis error oritur a ſcripturis ſacris male intellectis, & ideo vos Michaeliſtae erratis quia terminos ſacrae Scripturae, & determinationum S. Matris Eccleſiæ, & Sanctorum Pontificum, non ſane, ſed perverſe intelligitis, quia dicitis D. Papam Joannem XXII. in Decretali ſua quae incipit: *Cum inter nonnullos*; ubi determinavit Chriſtum, & Apoſtolos, ſecundum Evangelium aliquid habuiſſe in proprio, & in communi, & dicitis diſcordare a decretali Nicolai III. quæ incipit: *Exiit*; ubi ipſe dicit Chriſtum & Apoſtolos omnibus temporalibus renunciaſſe; Ecce error veſter; Quia illa decretalis Nicolai III. non diſcordat a decretali Papæ Joannis XXII. quæ decretalis Papæ Nicolai III. non determinat ſe ad aliquem modum habendi puta civiliter, licet ſolum ad uſum, ſed ſolum vult (quod negatur) Chriſtum, & Apoſtolos aliquid habuiſſe, cum Evangelium dicat, ipſos habuiſſe, & ſic inter ſe prædictæ decretales ſane, intellectæ non repugnant, quapropter Nicolaus III. intellexit Chriſtum, & Apoſtolos nihil habuiſſe, niſi ſolum uſum facti; Intellexit civiliter ideſt ad contendendum in foro judiciali, & ideo Michaeliſtæ erraverunt in terminis, non intelligentes, quod Chriſtus, & Apoſtoli, qui viam perfectionis retinentes propriis rebus noluerunt ſe implicare litigiis, litibus contentioſis ſecundum civile judicium; lex enim civilis, & mundana ſic diffinit. Ea in bonis noſtris ceduntur, quibus habitis exceptionem, & defenſionem, & non habitis repetitionem, & exactionem habemus. Et ſecundum Juriſtas ſic deſcribitur dominium earum rerum, quae in rebus noſtris eſſe dicuntur,

tur, quas noſtro proprio nomine poſſumus alienare, vendere, donare, repetere, & exceptiones dare, & alios actus juridicos proprio nomine exercere; & hujuſmodi dominium civile, mundanum, litigioſum, tamquam imperfectum, & odioſum Charitati Criſtos, & Apoſtoli, ac Fratres minores abdicaverunt totaliter, quia Chriſtus dicit in Evangelio non repetere pallium ſuum ſi auferetur ab eo, *Luc.* 6. qui aufert tibi veſtimentum, etiam tunicam noli prohibere, & qui aufert quae tua ſunt; nota ibi, quae tua ſunt, non repetas Matt. 7. qui vult tecum in judicio contendere, & tunicam tuam tulit, praebe ei & pallium, & ad illum intellectum loquitur Papa Nicolaus, quia in decretali praedicta *exiit* poſt praedicta verba abdicationis ſentit Chriſtum & Apoſtolos aliquid habuiſſe quoad proprietatem in communi, ubi inquit, *ne iis quiſquam putet obſiſtere*, quod interdum legitur, *Chriſtum loculos habuiſſe*; nam ſicut ipſe Chriſtus, cujus perfecta ſunt opera, iſtis actibus, viam perfectionis exercuit, qui interdum infirmorum imperfectionibus condeſcendens, ut viam perfectionis extolleret, & infirmorum infirmas ſemitas non damnaret, ſic & infirmorum perſonam Chriſtum aſſeruit in loculis ſuſcepiſſe, & impertinens de loculis fuiſſet objectio niſi intellexiſſet Chriſtum etiam quo ad proprietatem loculos habuiſſe; nec ille habuit erga loculos perſonam infirmorum tenens; unde Auguſt. in decretali 12. queſt. p. cap. *habebat* ſic inquit. *habebat Dominus loculos a fidelibus oblata conſervans, & ſuorum neceſſitatibus, aliiſque indigentibus tribuebat, tunc primum Eccleſiaſticae pecuniae forma eſt inſtituta, ut intelligeremus quod praecipit non eſſe cogitandum de craſtino, non ad hoc fuiſſe praeceptum, ſcilicet nihil pecuniae ſervetur a ſanctis, ſed ne Deo propter iſta ſerviatur, & propter timorem, juſtitia deſeratur*: Haec ille. Quid tibi videtur Michaeliſta? an veſter Michael Haereſiarcha an Auguſtinus melius intellexit Evangelium, quia dicitis Chriſtum nihil habuiſſe; & ideo dicit Chriſtus Apoſtolis: *vos date illis manducare*; nec dixiſſent Apoſtoli: *euntes emamus eis panes ducentis denariis, & dabimus Turbae*, Marci 6. & Luc. 9. Item quod alibi cogitabant Apoſtoli, quod Chriſtus dixiſſet Judae, quod egenis aliquid daret, non enim eſſet juſtum, quod daret pauperibus, ſi authoritatem poſſe iis dare, a dante eleemoſinam non recepiſſent, & nomine pauperum non acceptaſſent; & ideo habebat loculos, ideſt aliqua ad diſpenſandum pauperibus, & pro ſuis neceſſitatibus; & ideo Apoſtoli qui erant perfectiores in communi cum aliis partem habere recuſabant civiliter, & tamen cum eis in communi vivebant, & hic modus habendi non derogat altiſſimae paupertati.

Haer. Vos omnino vultis Chriſtum pecunioſum, & amatorem terrenorum, & Apoſtolos ejus.

Cath. Ego non dico Chriſtum amatorem terrenorum, & pecunioſum, ſed Apoſtolos habuiſſe loculos, & hoc dicit Evangelium, & Auguſtinus ſic intelligit, nonne hoc eſt verum?

Haer. Tacuit.

Cath. Taces quia veritati reſpondere non potes?

Haer. Ergo vos Joanniſtae omnino vultis vacare circa terrena, & confundere paupertatem Chriſti, & acquirere divitias, & temporalia, quae omnino ſoffocant mentem & retrahunt a Caeleſtibus, & ab omni perfectione vitae.

Cath. Quando quis incipit errare a via veritatis, de errore ſe in errorem impingit & demergit. Vis quod oſtendam tibi, quod res temporales per ſe non retrahunt a perfectione vitae ſpiritualis & contemplatione caeleſtis Regni? accipe, & corde intellige hoc exemplum: duo homines erant; unus Rex materialis formalis & realis habet magnum Regnum, & tamen non vult poſſidere, & non habet affectionem, & vacat circa caeleſtia, & ſpiritualia; alter vero eſt pauper, & non vult aliquid habere & vacat circa caeleſtia; quis horum eſt perfectior?

Haer. Vos itis per exempla; accedamus ad terminos; utrum Chriſtus aliquid habuiſſet?

Cath. Tu dicis: Ego dico quis horum duorum eſt perfectior?

Haer. Subriſitque deludens.

Cath. Ego oſtendam tibi per determinationem S. Eccleſiae, quod habere res temporales, non derogat altiſſimae paupertati, nec retrahit a caeleſti contemplatione, habetur extra de exceſſ. praelat. cap. *nimis iniqua*, ubi gloſ. 9. dicit expreſſe Fratres Praedicatores, & minores in altiſſima paupertate Chriſto pauperi famulari; & tamen conſtat ipſos Praedicatores habere aliquid in communi, etiam quo ad proprietatem, & dicit Chriſtus Matt. 9. *Beati pauperes ſpiritu*.

Her. Tu Joanniſta vis omnino confundere determinationem Papae Nicolai III. qui dicit in ſua determinatione, quod Fratres Minores in rebus quae eis obveniunt, habent tantum ſimplicem facti uſum denudatum omni jure; & ſic vis omnino nos Fratres Minores eſſe proprietarios, & habere dominium rerum temporalium contra Regulam B. Patris noſtri Franciſci, expreſſe omnia talia prohibentis.

Cath. Tu vocas te Fratrem Minorem? Utinam eſſes. Quia eſſes in veritate, & non in errore. Quia te fecit Fratrem Minorem. Quis Generalis tuus? Et quis Praefectus induit te ad Ordinem?

Her. Ego ſum Frater Minor, & talis Frater, qui erat Generalis induit me ad ordinem.

Cath. Quomodo deceptus es? quia poſtquam fuit depoſitus Magiſter Michael de Caeſena a Generalatu tamquam Haereticus, a Papa Joanne XXII. cum conſilio totius ſui ſacri Collegii, ut apparet in Decretali dicti Papae Joannis XXII. quae incipit: *Ad futuram rei memoriam. Dudum ad noſtri Apoſtolatus auditum*. Ubi dicit, quod ipſe Michael Haereſiarcha aufugit a Curia ſua in Avenionem excommunicatus, & ſuſpenſus omni actu legitimo, & qualiter ſe fecit infirmum, dum per litteras ad ſeipſum vocaverat, etiam per litteras Regis Roberti teſtificantis ipſum fuiſſe infirmum, & fuit convictus ipſe cum Ocham, & Bonagratia in multis concluſionibus haereticis, & ſic ipſe Generalis cum iſtis duobus, de conſilio ſui ſacri Conſiſtorii condemnatus eſt haereticus, & excommunicatus; & ſic Papa Joannes depoſuit eum a Generalatu, & conſtituit Vicarium generalem dicti Ordinis D. Beltrandum Cardinalem, & Epiſcopum Tuſculanum, Fratrem Minorem quouſque eſſet proviſum de Generali fiendo; & dicit Bonaventura Magiſter & Frater Minor in Theol. quod fuit tempore Papae Urbani VI. ſucceſſoris praedicti Papae Joannis XXII. quodque omnes Michaelitae recognoverunt errorem ſuum, & reverſi ſunt ad Papam, & pauci remanſerunt cum Michaele, & hodie mortui ſunt omnes, ſed ſupervenerunt aliqui apoſtatae a ſuo Ordine. Si ergo illi, qui erant Fratres de illa opinione mortui ſunt, tunc in tempore propinquo, quis ergo dedit tibi habitum S. Franciſci, & vultis vocari Fratres Minores. Quia poſtquam alii apoſtatae apoſtataverunt a fide ſancta, non habent authoritatem inducendi aliquem ad ordinem, & tales induti per eos non ſunt vocandi Fratres, ſed apoſtatae, & haeretici. Ergo non eſtis Fratres Minores. Item Regula S. Franciſci dicit:

eit: Quod Fratres Minores in principio, in medio, & in fine ſint ſubjecti, & ſubditi pedibus S. Romanae Eccl. Ubi ergo vos qui dicitis eſſe Fratres Minores obeditis Sanctae Eccleſiae.

Her. Nos obedimus Sanctae Eccleſiae.

Cath. Ubi eſt iſta Eccleſia?

Her. Sumus nos, & omnes alii fideles noſtri.

Cath. Ploro ſuper caecitatem veſtram, quia dicitis vos eſſe Eccleſiam, & obeditis vobiſmetipſis. Quomodo obſervatis praeceptum Beati Franciſci, & regulas praecipientes vos obedire, non vobiſmetipſis, ſed Papae Romano, Catholico, & Sanctae Eccleſiae, ubi intelligitur Beatiſſimus Pater, quod debet eſſe alta Eccleſia, cui obedire teneantur, & non ſibimet, quia hoc eſſet quoddam monſtrum.

Her. Nos dicimus quod poſtquam Papa Joannes XXII. effectus eſt haereticus, quod ipſe cum ſuis adhaerentibus perdiderunt omnem authoritatem a Chriſto datam, & remanſit praedicta authoritas in nobis, qui defenſamus veritatem, & Eccleſiam, & paupertatem Chriſti, & ſic per iſtam rationem ſumus Eccleſia Dei.

Cath. Ego non dico vos Eccleſiam Dei, ſed dico quod B. Franciſcus praecipit Fratribus ſuis obedire Eccleſiae Romanae, praeſupponendo, quod ſit alta Eccleſia, cui obediant, & non ipſos Fratres ſuos eſſe Eccleſiam. Numquid videtis veſtrum errorem? Item praecipit B. Franciſcus omnibus Fratribus habere unum de Cardinalibus S. R. Eccleſiae, qui ſit Gubernator, Protector, & Defenſor hujus Fraternitatis; ubi eſt ergo a centum triginta annis, quibus incoepit haec veſtra haereſis Cardinalis Protector dicti Ordinis; ecce quomodo deſtruitis, & mendacem facitis B. Franciſcum, qui dicit: Semper debere unum de Cardinalibus Sanctae Romanae Eccleſiae habere, qui ſit Gubernator, & Protector praedicti Ordinis. Nam centum triginta annis, quibus fuiſtis ſine Papa, & ſine Eccleſia Catholica, & ſine Protectore non eſt *ſemper*, ſicut dicit B. Franciſcus, *ſemper habeant &c.* Aperite ergo oculos, quia non eſtis Fratres Minores. Ubi eſt ergo habitus quem debent portare Fratres Minores? Quia vos itis aliqui tamquam Heremitae, aliqui tanquam de noſtro Ordine, ſicut modo vadit Frater Matthaeus Epiſcopus, & captus in curia D. Papae N. Nicolai. Aliqui vadunt ſicut ſaeculares cum birettis, & caligis, & giorneriis cum lancia; aliqui portant claves ad vendendum, aliqui ad modum peregrini ſe transfigurando per domos ſimplicium perſonarum ad decipiendum; numquid hic eſt Fratrum Minorum habitus B. Franciſci? Soli excommunicati ſunt haeretici obſtinati.

Her. Nos imus hoc modo ex timore, & ſumus excuſati. Sed Deus non reſpicit ad exteriora, ſed ad interiora.

Cath. Utinam intelligeres, quod dicis de iſta veſtra perſecutione, quia ſtatim cognoſceres vos non eſſe Catholicos, neque Fratres, ſicut inferius tibi oſtendam.

Her. Objectat & opponit praedictus Generalis Michael in Avinione injuſte deprehenſus a Papa Joanne XXII. graviter de principalibus, & praecipue de littera, quam miſit in Curia Romana de paupertate Chriſti, & Apoſtolorum in Capitulo generali celebrato Peruſiis, ubi determinatum fuit, quod erat Catholicum, & non Haereticum; Chriſtum, & Apoſtolos, nec in ſpeciali, nec in communi aliquid habuiſſe proprium, quia multi Praelati, & Cardinales de Curia miſerunt ad ipſum Generalem quid retineret de paupertate Chriſti? Et ſic ipſe Generalis cum toto Capitulo generali determinaverunt Chriſtum, & Apoſtolos nihil habuiſſe ut ſupra, & tunc Papa Joannes hoc audito miſit pro praedicto Generali, & dixit, quod erat ſtultus, temerarius, capitoſus tyrannus, fautor haereticorum in praeſentia Fratrum, & Franciſci Card. Fratris Card. & Fratris Petri de Prato, & Raymundi de Lados tunc in Curia primarii praedicatoris, & Fratris Larneii de Coaſſo, Baccalaurei Avenionis, & praecepit ei ſub poena excommunicationis, ſuſpenſionis, & privationis, & hujuſmodi, in quam ipſo facto incideret, ne diſcederet a Curia ſine ejus licentia, & tunc in conventu Fratrum anno 1328. — Die 23. Aprilis appellavit praedictus Generalis contra praedictum Papam Joannem, & proteſtatus eſt coram multis perſonis ſcilicet Magiſtro Guglielmo Ocham, de Anglia, & Magiſtro Rubeo de Pignano, & Magiſtro Bonagratia de Bergamo utriuſque juris perito, & multis aliis; & interim praedictus Generalis propter periculum ſibi venturum occulte receſſit a Curia, & venit Piſas, & ibi publice appellavit contra praedictum Papam, & aſſerens ipſum eſſe haereticum diffinientem contra multas declarationes ſummorum Pontificum, & contra ordinem S. Franciſci, & hoc anno 1328. & tunc Piſani obediebant Ludovico Regi Romanorum, & miſit ad Principes mundi libellum cum multis erroribus praedicti Papae Joannis, & de paupertate Chriſti, & ſuam appellationem, & oſtiis majoris Eccleſiae praedicta appellatio cum omnibus erroribus praedicti Joannis appenſa fuit die XII. Decembris 1328.

Cath. Si vultis clare videre temeritatem, audaciam, caecitatem, & ſuperbiam dictorum Michaeliſtarum, & dictorum Magiſtrorum in dicto Capitulo Piſano exiſtentium, qui ipſi temerarie diffinierunt praedictam quaeſtionem de paupertate Chriſti, cum tamen praedicta quaeſtio indeterminata pendebat in Curia Romana, non attendentes quod in omnibus dubiis circa fidem, & ſcripturam ſanctam concernentibus, praeciſe & ſolum recurritur pro declaratione ad ſummum Pontificem, & ad ejus Conſiſtorium ſede vacante, ut patet in Decretis diſtinct. 40. cap. *Si Papa*, 2. cap. *Scitis interloq.* etiam Gloſ. extra de Bat. cap. *Majores*, in princip. extra de Haeret. cum cap. XXIII. quaeſt. pr. *Quoties* 12. de praecep. & Michaeliſtae tamquam temerarii ſine honore, & reverentia Sedis Apoſtolicae diffinierunt praedictam quaeſtionem pendentem in curia indeterminate praedicti ſummi Pontificis. Quid ergo tibi videtur Michaeliſta?

Her. Imo ſancte, & catholice Capitulum diffinivit praedictam quaeſtionem, & noluit habere recurſum ad praedictum Papam, quia Haereticus erat.

Cath. Vides tuum errorem, & erroneam intelligentiam quod praeſuppoſito quod abſit, quod praedictus Papa fuiſſet poſtea lapſus in haereſim, tamen tunc quando diffinitum in praedicto Capitulo de paupertate Chriſti, non erat Haereticus, quia nondum diffinierat aliquid de dicta quaeſtione, & ſic praedicti magiſtri debuerunt recurrere ad ſanctam ſedem pro declaratione tantae quaeſtionis, & non ad ſe ipſos.

Her. Nos dicimus quod injuſte fuit praedictus Generalis a ſuo officio depoſitus, ſicuti in ſequenti anno fuit celebratum Capitulum Bononiae, ad quod miſit praedictus Papa ſuas literas, quod Fratres ſine odio eligerent novum Generalem; & praedictum Capitulum diffinivit Generalem praedictum injuſte fuiſſe depoſitum, & ſic reſponderunt ſummo Pontifici.

Cath. Semper Haereticus tranſit de palo ad fraſcas.

Non-

Digitized by Google

Nonne tu ſcis, quod Regina Franciae rogavit Summum Pontificem per litteras ſuas D. Papam Joannem XXII. & praedictum Generalem, ut Capitulum Fratrum minorum ex ſua contemplatione anno illo celebrarent Pariſiis, & ſic D. Frater Beltrandus Cardinalis, & Fratrum minorum, & ejuſdem ordinis Vicarius ex praecepto domini Papae ſcripſit per totum ordinem miniſtris, & cuſtodibus, quod in futuro anno in Pentecoſte convenirent ad capitulum generale Pariſiis pro electione novi generalis; tunc praedictus generalis miſit litteras appoſitas omnibus miniſtris, & cuſtodibus, & Fratribus ſub pœna excommunicationis, quod nullus accederet ad praedictum Capitulum, niſi in tertio anno futuro, & non obediret Papae Joanni Haeretico; attamen non obſtante litera praedicti Haereſiarchae Generalis multi miniſtri, & cuſtodes eruditiſſimi magiſtri, qui de toto mundo venerunt Pariſium in Pentecoſte anno 1329. de menſe Junii, & elegerunt in generalem magiſtrum Gerardum Oddonem de Provincia Aquitaniae Fratrem minorem, & ibi per capitulum cum toto ſtudio Pariſino, ubi fuerunt valentiſſimi viri, quam in toto mundo, & diffinivit praedictum capitulum cum aliis valentibus & peritis in omni facultate magiſtris, praedictum Papam Joannem XXII. fuiſſe Catholicum, & quod bene diffinivit de paupertate Chriſti, & praedictum generalem Michaelem, tamquam Haereticum juſte fuiſſe depoſitum; & ſic totus ordo reverſus eſt ad obedientiam Papae praeter Haereſiarcam Michaelem, & Ocham, & Bonagratiam, & magiſtrum Rubeum de Pignano; ſed poſtea ut dicit magiſter Bonaventura frater ordinis, & rector ſtudii Pariſini, quod magiſter Rubeus de Marchia ſolemniſſimus in omni facultate publice coram Papa, & in conciſtorio publico rogavit ſuam culpam, & confeſſus eſt ſuum errorem, & condemnavit praedictum generalem Haereticum. Sic ipſemet magiſter frater Rubeus teſtatur in ſuo tractatu, quem ipſe poſt receptionem ad gratiam eccleſiae confecit, & quod dictum capitulum non habuit intelligentiam de vocabulo habendi, & non habendi civiliter, ut ſupradictum eſt; & ipſe magiſter Bonaventura dicit, quod ipſe habet unam ſcripturam revocatoriam de errore de manu magiſtri Fauſti, & recitat in ſuo tractatu, quem fecit contra praedictos Michaeliſtas, quod magiſter Ubertinus ſolemniſſimus frater minor interrogatus a Papa Joanne, & a cuncto conciſtorio per ſancta Dei evangelia quid ſentires de dicta quaeſtione paupertatis Chriſti, & ipſe publice aſſeruit praedictum Papam Joannem ſane, & catholice diffiniiſſe. Quid tibi videtur Michaeliſta de iſta ſancta determinatione paupertatis Chriſti & apoſtolorum ita ſolemniter diffinita, & determinata Pariſiis cum toto capitulo, & ſolemniſſimo ſtudio Pariſienſi, ubi convenerunt omnes periti viri de toto mundo; & non ſic vos Michaeliſtae, qui hinc inde per domos, Ruſticos & mulierculas cum mendaciis & falſitate ſeducitis? & principaliter dico, quod in tanta temeritate fuit praedictus generalis, qui ivit ad Regem Ludovicum, qui ſibi uſurpavit Imperium, quod Ludovicus tamquam ſtultus depoſuit de Papatu apoſtolico, & clero Romano ipſum Papam Joannem XXII ſicut legitur de Othone Imperatore primo qui depoſuit temerarie Papam Joannem XXII. ubi haeretice diffinivit ipſe Ludovicus, quod Papa de Imperio terreno nihil habet agere, quia Chriſtus de talibus ſe non occupavit, & hoc cum aſſenſu cleri apoſtolici Romani, & Principum, & Prælatorum Italorum, & Alemannorum in ſanctum Petrum in parlamento generali die decima octava Aprilis; & interim die Aſcenſionis Domini qui fuit 22. die Maii cum clero, & populo Romano anno 1328. elegit dictus Imperator in Papam fratrem Petrum de Corbara Ordinis Minorum bonum virum, & vocatus eſt Papa Nicolaus V. & hoc ex inſtigatione dicti Hæreſiarchæ generalis; & parvo tempore elapſo prædictus frater Petrus videns tantum diſturbium, & perſequtiones Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & perfecte conſiderans malitiam prædicti magiſtri Michaelis, & cæcitatem temerariam prædicti Ludovici, ac ſuam certiſſimam damnationem, tunc conſcientia ductus ſponte ivit Avenionem ad Joannem XXII. verum Papam, recognoſcens ſuum errorem, & prædictus Papa Joannes XXII. gratulantem eum recepit cum magno honore, & coram D. Papa, & toto conciſtorio, prædictus Petrus Antipapa dixit hæc verba: *Pater peccavi in cælum, & coram te, jam non ſum dignus vocari filius tuus, fac me ſicut unum ex mercenariis tuis*: & cum multa humanitate receptus a Papa ſic in ſua curia in pace quievit, & obiit; & dicit praedictus magiſter Bonaventura, quod ipſe tunc ſtabat in monte Peſulano. Ecce quod iſte Petrus Antipapa erat de veſtra opinione, & viſa veritate recognovit ſuum errorem; & iſtæ non ſunt fabulae, ſed veritas in toto mundo elucida, & vos ſimplices, & ignorantes in tanto errore, & obſtinatione perſiſtitis?

Haer. Nos cogimur praeceptis ſanctae matris Eccleſiae, quae ſanctiſſime mandat omnibus Catholicis ab haereticis, & excommunicatis ſeparari, nam quamquam Concilia Generalia dederunt ſententias contra haereticos ſeparando eos a congregatione Fidelium, ſcilicet Concilium Lateranenſe Innocentii III. extra de Haeret. Cap. *Excommunicamus itaque & anathematizamus omnem haereſim extollentem ſe adverſus hanc orthodoxam, & catholicam fidem, quam ſupra expoſuimus, condemnantes Haereticos univerſos, quibuſcumque nominibus habeantur*; & Cap. II. *Excommunicamus*. Concilium Carthaginenſe 24. quaeſt. 3. Cap. *Clericus*, ubi dicitur cum Haereticis non orandum, nec pſallendum eſt; Concilium Martini Papae primi, quaeſt. p. Cap. *Non liceat clericis, & laicis ab haereticis eulogias accipere, quia maledictiones ſunt magis quam benedictiones*. Non liceat cum Haereticis aut Simoniacis orare Concilium Laodicenſe ibi Cap. *non oportet*. Concilium Africanum extra de Haeret. Cap. *Si quis Epiſcopus* de Haeret. & Pagan. & cap. *ad abolendum*, & 24. quaeſt. *Quaerenda mandatur*, in qua ſi Chriſtus habitator ſit haud dubie ſit legendum; ſi vero perfidus Populus, aut Praeceptor haereticus deformet habitaculum, vitanda eſt haereticorum communio. Et non obſtat, quod non ſit recedendum a ſententiarum &c. 32. diſtin. cap. *Si quis* 16. quaeſt. ult. *Sane*, quia ibi de ſuſpenſis a Canone loquitur, nam illis, & omnibus criminibus ſpeciale eſt, ſcilicet in ſimonia, in haereſi, & in notorio fornicatore; Item 19. diſtin. *Anaſtaſii* habetur quod multi diſceſſerunt a communione Anaſtaſii Papae haeretici; nec Papa habet privilegium vel praerogativam aliquam in foro haereſis quin ſubjectus omnibus poenis, & ſententiis haereticorum, quod probatur 2. quaeſt. 9. cap. *Praeſul* idest Cardinalis, Epiſcopus non damnatur niſi cum ſeptuaginta duobus Teſtibus ſuppl. de haereti ut dicit gloſſ. ſed numquid contra Papam multiplicabuntur teſtes, non, imo duo ſufficiunt, & in hoc deterioris conditionis eſt, quia ipſe ſecundum comparationem aliorum creatus eſt

fine

Digitized by Google

ſine ſpe veniae damnandus eſt ut dicitur de poenit. diſtin. 2. in princip. & ſic nos cogimur, & omnes Catholici Chriſtiani tanta neceſſitate a praedictorum communione, & obedientia ſeparari.

Cath. Et ita credo quod vns in malitia obſtinati ſeducitis cum veſtris fallaciis, & decipitis imperitos & ſimplices perſonas, allegando falſa pro veris, quia quod tu dixiſti de ſeparatione ab haereticis melius te novi; & ego non dico tibi de ſeparatione communionis haereticorum, ſed dico tibi quomodo probabis contra me praedictum Papam Joannem XXII. fuiſſe haereticum?

Haer. Jam dixi tibi quod ipſe impugnavit, & revocavit Catholicas decretales Papae Nicolai IV. aſſerentes Chriſtum, & Apoſtolos nihil habuiſſe in communi, & in ſpeciali contra ſanctum Evangelium.

Cath. Bene tu oſtendis non intelligere quia quantumcumque aliquis pertinaciter contradixerit alicui decretali, quae de ſe non inferat in contradictione hæreſim ex materia & forma, non convincetur hæreticus. Nimis enim grave eſſet, & animarum grande periculum, ſi hæreticus haberetur qui alicui decretali indifferenter contradixerit; quia ſunt aliquæ decretales habentes aliquas poenas determinatas non inferentes hæreſim; aliquae arbitrariae: quamvis ſint anathema quod decretales contemnit Pontificum 29. quaeſt. 2. *Si quis*; & talis anathematizatio non eſt haereſis, ſed maledictio. Hoc enim ſequeretur inconveniens, quod ſi non poſſumus contradicere decretali quin non inferret haereſim, tunc nulla decretalis poſſet caſſari, immutari, & ſuſpendi, quia hoc eſſet haereſim committere ſimpliciter, & tamen ſaepe decretales caſſantur, corriguntur, ſuſpenduntur, & immutantur, ut patet in Clem. de Emur. Eccleſ. quapropter revocavit conſtitutionem Bonifacii Octavi; & D. Bonifacius Octavus lib. 6. in Proœmio in fine praecipit, quod non recipiantur aliquae Conſtitutiones, & decretales ſummorum Pontificum Romanorum praedeceſſorum ſuorum editae, niſi inſertae eſſent in decretalibus. Sicut ergo iſti ſummi Pontifices potuerunt revocare decretalem *Exiit* Papae Nicolai III. loquentem de paupertate Chriſti, & annullare, & caſſare, quia anteceſſor non ligat, & impedit potentiam ſuccedentis, quin poſſet caſſare leges, & immutare niſi includerent haereſim. Sunt quidam * ubi dicitur, quod Papa mutat ſtatuta conciliorum, & ſecundum totum, & ſecundum partem, ut patet in declaratione Fratrum Minorum, quae Gregorius & Innocentius anteceſſores praedicti Nicolai multa revocarunt, & quod illi determinaverunt quod Fratres Minores habebant jus ad uſum rerum eis neceſſariarum, ſcilicet ad victum, & veſtitum, & ad ſapientiale ſtudium; & tamen Nicolaus ſucceſſor eorum declaravit, quod non habebant niſi ſimplicem uſumfructum, ſine omni jure, & revocat omnem decretalem, quae huic ſuae contradiceret. Ergo, & qua ratione ſucceſſor Papae Nicolai IV. puta Papa Ioannes XXII. non potuit præcedentis Papae Nicolai revocare decreta? Poteſt enim Papa novas leges condere, veteres deſtruere, & immutare, dummodo non ſit contra ſacram ſcripturam, & contra ſymbolum Apoſtolorum, & quatuor Concilia approbata Patrum extra. de verb. ſignif. Poſito etiam quod decretales Papae Nicolai, & decretalis Papae Joannis XXII. ſibi invicem contradicerent, ut putatis vos Michaeliſtae, decretales tamen Papae Joannis XXII. ſunt cenſendae authoritate validiores, quia fuerunt cum ſolemni conſilio Cardinalium, Praelatorum, & doctorum utriuſque juris, & magiſtrorum multorum in ſacra pagina confectae. Sed decretales Papæ Nicolai non dicunt, quod fuerint de conſilio. At vero altius, & gravior poena imponitur tranſgreſſori decretalis Papae Joannis XXII. *Quia Haereticus*. Sed decretalis Papae Nicolai excommunicat. Et ſic omnes catholici, & ſucceſſores in Papam praefati Nicolai Papae poſſint ſuam decretalem annullare, caſſare, & corrigere; ſed decretalis Papae Joannis; *Cum inter nonnullos* per nullum ei ſucceſſorem poſſit limitari, poſtquam haereticaverit; contrafacere eſſet contra fidem agere, quia anteceſſor non ligat, & impedit potentiam ſuccedentis, cum poſſit mutare leges, & caſſare, niſi includeret haereſim, ut 19. diſtin. *ſicut*: Intellexiſti hoc Michaeliſta. Et iterum dico tibi quod quamvis aliqui ſummi Pontifices ſint in infidelitate defuncti, tamen ſemper invenies quod Papae in haereſi mortuo aliquis catholicus Papa immediate ſucceſſit. Itaque in tota ſucceſſione catalogi ſummorum Pontificum non invenitur, quod eſſent duo ſummi Pontifices ſucceſſive, & immediate haeretici, ut patet in Chronico, ſed ſemper Papæ haeretico ſucceſſit Papa fidelis, & ſic non dicitur fidem in ordine ſummorum Pontificum defeciſſe ſimpliciter, quia quando Dominus dixit Petro; *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*. Dixit non tantum pro ſe, ſed pro tota Eccleſia. Sed vos imprudentes Michaeliſtae retinetis haereticos omnes ſummos Pontifices ſucceſſores praedicti Joannis faventes, credentes, & haerentes fuiſſe haereticos, & ideo voſmetipſos decipitis, qui effecti eſtis haeretici.

* textus turbatus.

Hæret. Nos dicimus, quod Eccleſia tunc erravit, ut ſupra dictum eſt, & nobis remanſit tamquam Catholicis tota plenitudo authoritatis, quam Chriſtus dimiſit in terra Petro, & ſucceſſoribus, & ab anno ſeptimo Pontificatus Papæ Joannis XXII. cum determinaſſet contra paupertatem Chriſti, & S. Evangelii, & determinationem Papæ Nicolai IV. quæ eſt multipliciter approbata per multos Pontifices, & per Concilium Viennenſe.

Cath. Mendacium ſtatim convincitur, dicitis enim Papam Joannem XXII. non catholice intraſſe in Pontificatum in veſtro libello in Proœm. quod incipit = *Univerſis Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis*; & modo dicitis, quod Catholice intravit, & ſtetit ſeptem annis in vero Papatu, quem libellum venenoſum, multos errores falſos contra prædictum Papam Joannem continentem hinc inde apud ſimplices illiteratos dimittentes, cum multis induciis, & falſis allegationibus Doctorum, & decretorum, & ſic credunt eſſe verum, etiam venenatum.

Tu vero, Lector fidelis, cave legere praedictum libellum venenoſum, dicta enim conſtitutio, in quantum ad hoc quod Fratres Minores in rebus uſu conſumptibilibus habeant uſum facti ſolum, numquam fuit per univerſam Eccleſiam approbata; nec etiam fuit in Viennenſi Concilio confirmata; nec hoc poterit per conſtitutionem aliquam apparere. Imo nec de Fratrum conſilio promulgata, ſicut dicit Papa Joannes XXII. in ſua decretali; *Quia vir reprobus* = & nunc arguo ſic =. Poſt enim declarationem Nicolai Papae magna eſt quæſtio mota fere in tota Chriſtianitate de paupertate Chriſti, & Apoſtolorum, & uſus rerum utrum diſtinguatur a dominio in rebus uſu conſumptibilibus, & hoc in ſolemniſſimis ſtudiis videlicet Toloſae, Pariſiis, Bononiae, Peruſiis, & inquam pluribus ſtudiis, & tamen praefatus Papa Nicolaus nullatenus haereticavit, nec opinioni ſilentium impoſuit, ſed mandavit, quod ſi quid difficultatis circa praedi-

cta

cta oriretur ad Eccleſiam determinandum deferretur; & ſic factum eſt, nam & Papae Joanni adductae ſunt hae difficultates, quia ad ipſum ſpectabant. Determinavit igitur circa dubia, & ſilentium impoſuit diſputationibus, ut patet in ſua Decretali = *Cum inter nonnullos ſcholaſticos viros*; Determinationi igitur ejus eſt ſtandum in dubiis, pluſquam toto alteri mundo in iis, quae ſunt fidei, quia ad Papam ſolum, & non ad alium ſpectat determinatio dubiorum fidei, ut patet, 29. quaeſt. p. *ſunt*, & diſtin. 17. *multis*, diſtin. 40. *ſi Papa*, cap. *ſi quis*, ſicut ſuperius probatum eſt, quod determinatio Papae de fide eſt reputanda, ſicut eſſet determinatio Domini, & B. Petri. Cum ergo Papa Joannes hoc diffinierit, & huic conſenſerunt, & conſentiunt omnes Praelati, & totus Clerus, & omnes peritiſſimi juris Eccleſiaſtici, & ſeculares, & tota Chriſtianitas exceptis vobis miſeris Michaeliſtis indoctiſſimis; plus ergo credendum eſt multitudini, & ſofficientiſſimis, & bonis, quam paucis indoctis, & rudibus, & viliſſimis; & ſic firmiter totus Mundus credit Papam Joannem non erraſſe, ſed Catholicum eſſe cum tota ſua ſequela Pontificatus; & ſic patet contra vos Michaeliſtas. Item adhuc te deſidero in viſceribus Chriſti aggregare: interrogo, utrum in Eccleſia fuit ſervata illa fides, quae fuit in B. Petro uſque ad Papam Joannem XXII.

Her. Dico firmiter ſic.

Cath. Et tunc inferas, illa fides non eſt credenda eſſe vera fides, quae fuit in B. Petro, quae rationabiliter non perſeveret uſque ad finem ſaeculi; ſed hujuſmodi eſt fides, & ſecta Michaeliſtarum; ergo ſine dubio non eſt credenda eſſe vera fides, quae fuit in B. Petro, quia Chriſtus dixit Luc. &c. *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*; ſed fides Michaeliſtarum non eſt credenda durare uſque ad finem ſaeculi: patet, quia ſi fuit in praeſtantiori, & ſufficientiori ſtatu, non potuit proſperari, ſed ſemper defecit; quanto magis putanda eſt deficere in viliori, & debiliori ſtatu. Cum in primis haec ſecta fuit ex praeſtantiſſimis viris mundi in omni facultate, & ſcientia praemunitis, ut Michael de Ceſena haereſiarca, Magiſter frater Robeus de Marchia, qui revocavit, Magiſter Guglielmus Ocham, Magiſter Bonagratia in utroque jure periſſimus, qui tres haeretici excommunicati remanſerunt, & quamplures alii peritiſſimi; & in potentia ſaeculari fuit Dux Bavariae, qui ſibi uſurpavit Imperium, & D. Mediolani & multi Domini in Lombardia, & multi Principes Alemannorum, & multae civitates, & fere tota Italia, quae ſecta maledicta in principio habuit Anti-Papam, Cardinales, Praelatos, famoſos Epiſcopos; & tamen non eſt proſperata, ſed dejecta, & infra decem annos, ut dicit praedictus Magiſter Bonaventura, qui vivebat illo tempore, eſt tota extenuata, quod vix ſex partes notabiles remanſerunt inter eos, ſed ſucceſſerunt a ſecta haeretica, & reverſi ſunt ad verum Paſtorem Joannem XXII. & veram fidem, ſed hodie remanſerunt aliqui Apoſtatae, & viles qui anhelant vivere ſine lege, & ad eorum beneplacitum, per domunculas mulierum committendo facinoroſa, ſicut ego teſtor coram Deo, inveni, & ſic paulatim deficiet uſque ad inferos deorſum, ſicut dicit Chriſtus Matth. 17. quod *omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus eradicabitur*, ſed bene Cyprianus vidit elatam temeritatem, & depreſſionem haereticorum in principio ferventium & paulatim tepeſcentium, habetur VII. quaeſt. p. cap. *Novatianus* contra eundem, quaſi poſſit aut totum orbem, novi conatus extimatione peragrare, aut eccleſiaſtici corporis, & ordinis compaginem diſcordiae ſuae ſeminatione reſcindere, neſciens ſchiſmaticos ſemper inter initia fervere, incrementa vero habere non poſſe, nec augere, quod illicite cepit, ſed ſtatim eum ſua prava aemulatione deficere. Unde Greg. in Moral. ſecundum illud Job. Quod *audientes tres amici*, inquit, *habent hoc proprium haeretici quod in eo gradu quo de Eccleſia exeunt diu ſtare non poſſunt, ſed ad deteriora quotidie ruunt, ſentiendo pejora in multis ſectis ſcinduntur, atque a ſemetipſis plerumque longius confuſionis ſune altercatione dividuntur. Quia ergo hoc ſuae perfidiae adjungunt, adhuc multa diviſione dilaniantur.* Haec ille. Verum deſidero te lucrari, & ſalvum fieri, certiſſime ſcias, quod proprium eſt fidei Catholicae, quae fuit in B. Petro, in perſequutionibus & oppreſſione creſcere, & dignificari. Sed ſecta Michaeliſtarum in oppreſſionibus deficit, & opprobrioſior fit. Omnes enim Catholici Doctores attribuunt verae fidei, quod in tribulatione, & oppreſſione ſemper fides creſcat, ut patet tempore Martyrum plures convertebantur in centuplo, quam occiderentur, & cum plus opprimeretur Eccleſia, plus glorioſior reſurgebat; unde Hilarius Doctor Eccleſiae egregius inquit: *Hoc Eccleſiae proprium eſt, ut vincat cum laeditur; cum arguitur, tunc intelligat; tunc obtineat, cum deſeruit*. Item Caſſiodorus ait: *Hoc habet praecipuum Eccleſia Dei, dum perſequitur floret, dum opprimitur creſcit, dum laeditur vincit, & tunc firmior ſtat, cum ſuperari videtur*. Hoc idem Auguſt. 18 de Civit. Dei cap. 71. ſimiliter etiam Greg. 18. Moral. lib. 13. & plus mirabile eſt ſicut aſſerunt ſupradicti Doctores, quod Eccleſia non reſiſtendo ſibi ſubjicit perſequentes, ac plus praevalet non reſiſtens, quam contra adverſantes reſiliens: ſed ſecta Michaeliſtarum in primis habuit valentiſſimos, & potentiſſimos defenſores; ſed modo habet groſſos capronos; & praecipue poteris videre quod omnes alii ritus, qui fuerunt, & ſunt a B. Petro, & a ſucceſſoribus ejus ortum, & principium habuerunt, ſed divitiis ſuorum dignitate, ſapientia, & virtute, & multitudine in ſucceſſione pluſquam in principio creverunt, & omnes alii ritus vivendi, qui non fuerunt in B. Petro, & ejus ſucceſſoribus Catholicis, ita diminuti ſunt, quod non remanſit in eis qui illum ritum ſciret, & poſſet defenſare; & ſufficeret declarare ſolum in ritu, quia B. Petro ſucceſſive uſque modo pervenit, quo remanſit dignitas, ſcientia, ſapientia, & potentia, & poteſt fidem ſuam defenſare, & approbare, & alios impugnare, & falſos oſtendere, & ſic fides Chriſti, quam promiſit B. Petro fidem non deficere, debet remanere in tali perſona, quae poſſit alios confirmare, & fidem ſuam defenſare, ut dixit Petro: *Et ſic aliquando confirma fratres tuos*. Abſurdum tamen eſſet credere fidem ſanctam remanere apud vetulam, & vilem perſonam, quae neſciret docere, & defenſare. Nulla eſt perſona dignior Papa cum ſacro ſuo Collegio, in quo ſunt boni ſemper, & doctiſſimi viri. Ideo Graecae, & omnes aliae ſectae, quae receſſerunt a fide Petri diminutae ſunt ſapientia, honore, & potentia, & omnes aliae ſectae haereticae, quae fuerunt fere ducentae uſque ad tempus B. Auguſtini, ut ipſe dicit in lib. haereſum, defecerunt, & omnes diffinierunt in luxuria.

Etiam in Decretis ubi Iſidorus 8. lib. Etimol. 24. quaeſt. 3. cap. *Quidam autem haereti-*

Digitized by Google

retici, ubi ponit fere ſeptuaginta haereſes, & omnes defecerunt; quia *omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus eradicabitur*. Et quia ſuperbe, temere Michaeliſtae inconſulte, & ſine maturitate condemnaverunt Catholicum Papam Joannem XXII. haereticum, & per mundum injuſte diffamaverunt, debuiſſent etenim maturius ad convincendum Papam haereticum eſſe conſiderare ſequentia. Primo enim loquitur, quod Papa publice, & pertinaciter teneret haereſim, quia de non haereſi non eſt accipienda accuſatio contra eum, ut pat. diſtin. 40. *Si Papa*. Secundo requiritur, quod Papa in ſenſu haeretico, etiam damnato teneret illam haereſim, & confiteatur ſe tenere illam in tali ſenſu, quia ſi negaret eam in ſenſu haeretico, & occulte eſſet haereticus non judicaretur in foro extrinſeco ipſum eſſe haereticum. Tertio requiritur quod non teneat illam per ignorantiam. Quarto quod non ſit correctus, & ſe corrigere voluit a perſona condecenti, & non a vetula, & a vili perſona, niſi eſſet haereſis manifeſta, puta affirmare Chriſtum non eſſe Dominum, & Matrem ejus virginem, non fuiſſe virginem; ſed debet corrigi a ſuo Concilio Cardinalium, & ab Inquiſitore, ſeu Praelato, qui habent ex officio corrigere haereticos, vel ab aliqua ſolemni perſona condecenti. Quinto oportet, quod Papa dicat ſe nolle corrigere a tali approbata haereſi. Si autem dicat, ſe ipſum velle corrigere, antequam convincatur haereticus, ſibimet eſt relinquenda correctio 9. quaeſt. 3. *Nemo* 27. quaeſt. p. *Sunt* diſtin. 40. *Si Papa* 24. quæſt. 2. quæſt. 3. *Dicit Ap.* & quæſt. 1. ait Cæleſtin. 2. quaeſt. *Mandaſtis*. Sed fumus, & caecitas temeraria Michaeliſtarum non tam mature reſpexerunt; ſed praecipitanter, & inconſulte aſſeruerunt ipſum Papam Joannem XXII. & omnes ejus ſucceſſores, adhaerentes, & credentes ei haereticos fuiſſe, & hoc falſo. Poſito enim quod Papa eſſet haereticus, & non publice condemnatus, ſuum gerens officium, & perſona ſimplex, & non publica, quærat a D. Papa de unitate fidei, & ſic Papa eum informaret de eadem illa haereſi, quam pro veritate tenet, talis ſic informatus, ſi alias non ſit conſcius, non eſt haereticus judicandus, eo quod credit informari catholice. Si ergo fratres ſimplices, & alii clerici, & ſaeculares audientes Papam Joannem dicentem ſuas decretales eſſe catholicas, poſito quod eſſent haereticae, ſi crediderunt, non ſunt haeretici judicandi, maxime quando ab omnibus pro majori parte retinentur; & ideo non tu haereticus Michaeliſta? Quia in tanta re ponderoſa debuerunt Michaeliſtae ſpectare determinationem S. Eccleſiae, & maxime Curiae Romanae, ad quam pertinet ſpecialiter determinare de his, quae concernunt fidei neceſſaria; ſed ipſi tamquam temerarii ſicut ſolent haeretici, recurrunt ad ſe ipſos, & ad ſuam ſcientiam; & ita ſic in haereſim, & apoſtaſiam ſemetipſos demerſerunt.

Haer. Vultis videre errorem veſtrum, ſecundum praedictas decretales Joannis XXII. aſſerentes Chriſtum, & Apoſtolos habere in proprio, & in communi tanquam cupidum, & terrenum; ipſe enim dicit Matt. 19. cuidam juveni diviti: *ſi vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quae habes, & da pauperibus: & veni ſequere me:* & vos vultis Chriſtum amplexari terrena, quando ipſe conſuluit juveni derelinquere; & S. Mater Eccleſia Epiphan. dicit: *Hoſtis Herodes impie Chriſtum venire quid times? non eripit mortalia qui regna dat cœleſtia.*

Cath. Ideo deceptus es, quia non ſane, ſed perverſe intelligis, quia juvenis ille non erat diſcipulus Chriſti, & in periculo erat converſari cum divitiis, quia dicit: *dives erat*, & ideo Chriſtus dedit conſilium relinquere terrena, & dare pauperibus, & a ſe removere omnia pericula contra ſuam ſalutem; tamen Petrus dicit poſt: *Ecce nos reliquimus omnia*; & non dixit vendidimus omnia, & dedimus pauperibus. Poſſumus enim res temporales relinquere, quoad curam & affectionem illarum, ſecundum Domini abdicationem, & poſtea iterum reſumere ſine peccato. Unde Greg. in hom. fer. quart. in hebdomada Paſchae ait: *Cur repetiit quod reliquit? ſed ſi virtus diſcretionis inſpicitur, citius videtur, quia nimirum negotium, quod ante converſionem ſine peccato extitit, hoc etiam poſt converſionem repetere culpa non fuit.* Sed non illa quibus non poteſt haec vita tranſire, ſicut ſunt alimenta, & alia neceſſaria; ideo de Jacobo dictum eſt, quod relicto patre ſuo Zebedeo in navi cum mercenariis, ſecuti ſunt eum. Certe patrem non reliquit, ut ei renunciaverit; imo ejus filii remanſerunt, & ideo non ſequitur, quod per illa verba: *nos reliquimus omnia*, intelligitur a ſe omnia temporalia ſaltem illa de quibus ſacra ſcriptura dicit, contrarium ad proprietatem, & dominium abdicaſſe.

Hær. Quis intelligit melius iſta verba: *nos reliquimus omnia*, tu, vel Auguſtinus?

Cath. Auguſtinus ſane intelligit catholice, ſimiliter & ego.

Hær. Ego oſtendam te intelligere praedicta verba contra ſententiam D. Auguſtini in lib. 17. de civit. 4. cap. ubi dicit, quod Apoſtoli ibi voverunt omnium rerum abdicationem.

Cath. Auguſtinus non dicit voviſſe Apoſtolos omnium rerum abdicationem; ſed cum recitaſſet Apoſtolos dixiſſe. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te:* ſubjunxit: *hoc votum potiſſime voverunt*, certe non poteſt dici, quod votum illud eſſet, & abdicationis dominii, ſeu proprietatis omnium rerum temporalium; ſed illud votum intelligitur, quod voverunt, ſe hominem ſecuturos; & ideo dicit: *ſecuti ſumus te*, & non dixerunt, abdicavimus omnia: & aperi oculos, & corde intellige, quod non eſt credendum, B. Auguſtinum intellexiſſe Apoſtolos voviſſe non habere aliquid in commune cum regulam ſuam fundavit in vita Apoſtolorum, ſicut dicit regula: *ſit anima una, & cor unum in Domino, & non dicatis ad proprium, ſed ſint vobis omnia communia, & diſtribuantur unicuique veſtrum prout opus erit:* & ſequitur: *ſic etiam legiſtis in actibus Apoſtolorum, quod erant eis omnia communia, & diſtribuebantur unicuique prout opus erat.* Cum igitur B. Auguſtinus, & Fratres ejus habuerunt & habeant in communi, ergo non voverunt abdicationem ſecundum te, & habuerunt dominium omnium rerum temporalium in communi. Monachi autem, qui figuram Apoſtolorum tenent, habent mobilia & immobilia quod proprietatem, & dominium in communi ut probatur 12. quaeſt. p. & ſi vos vultis intelligere Nicolaum papam in praedicta Decretali, *Exiit*, definiſſe, quod Fratres in omnibus rebus uſu conſumptibilibus habeant ſimplicem uſum facti, dicimus, quod diffinivit impoſſibile, & non tenetur, cum impoſſibile ſit in rebus conſumptibilibus, uſum juris vel facti habere dominium ſeparatum, cum hoc rationi obviet, & juri repugnet. Quis enim ſanae mentis credere poteſt, quod intentio fuerit tanti Patris ut unius ovi, vel caſei, ſeu unius panis, & hujuſmodi, quae ſaepe Fratribus conferuntur, dominium Romana Eccleſia retineret? cum uſus rei conſumptibilis uſuarii non differat ab uſu plenum dominium obti-

obtinentis; & eum ipſe Ordo habeat ab Eccleſia Romana, poſſe habere procuratores, qui poſſent vendere obvenia ipſi ordini pro neceſſitate Fratrum, etiam ipſi Fratres poſſent de rebus movilibus cauſa pietatis, vel alia honeſta cauſa, intra & extra ordinem diſponere, obtenta prius licentia ſuperioris. Et hoc ſane intellecto, quis poteſt dicere nudum uſuarium, cui rem uſuariam licet vendere, permutare, donare? Proculdubio haec naturam uſus excedunt. Dum aliquis Frater invitaretur ab aliquo Domino ad convivium, quis dubitat quod illud quod comedit & bibit conviva, dominium earum rerum ſit translatum in comedentem? Non eſſet enim intentio invitantis ſibi retinere dominium talium liborum, & convivas retinere bolos & vinum in gutture. Quid vexant debitores ordinis, procuratores ordinis ipſius per curias Saecularium & Eccleſiaſticorum. Item appeto te ad ſalutem ducere; quaero a te ſi Chriſtus fuit verus Dominus?

Hær. Credo quod fuit verus Dominus firmiter; alias eſſet haereticum contrarium ſentire.

Cath. Recte reſpondiſti. Item interrogo te, ſi unquam deſtitit eſſe Dominus, eum dominatio praeſuppouat habere dominium?

Hær. Firmiter confiteor fuiſſe dominum Angelorum, ſed hominum terrenorum minime: cum omnia ipſe abdicaſſet, cum dixit: *Regnum meum non eſt de hoc mundo.*

Cath. Te non intelligere aperte demonſtras; quia quando Pilatus interrogavit Dominum, utrum eſſet *Rex Judæorum:* reſpondit: *Regnum meum non eſt de hoc mundo*: & Pilatus dixit: *Ergo Rex es tu?* Et Chriſtus dixit: *Regnum meum non eſt hinc:* non dixit, non eſt hic, quaſi diceret, Regnum meum a mundo non habeo, ſed a Deo: unde David divinitus loquens ait: *Deus judicium tuum Regi da, & juſtitiam tuam filio Regis.* Et Iſ. *multiplicabitur Imperium ejus, & pacis ejus non erit finis.* Daniel VII. *Aſpiciebam in viſione noctis, & ecce in nubibus quaſi Filius hominis veniebat, & uſque ad antiquum dierum pervenit, & in reſpectu ejus obtulerunt eum, & dedit poteſtatem, & regnum, & omnes linguae ipſi ſervient. Poteſtas ejus poteſtas aeterna, quae non auferetur, & regnum ejus, quod non corrumpetur.* Ecce quod habuit regnum a Deo, & non hinc; & ideo dixit: *Regnum meum non eſt hinc*; quia non habuit juriſdictionem a mundo, ſed a Patre; quia, ut dixit Magiſter ſententiarum in III. diſtin. 18. nec ſolum hic meruit, quod in conceptu divini verbi tanta plenitudo ſpiritualium chariſmatum in eo fuit, quod in eos proficere non potuit: & ſubdit; *non ergo plus meruit ſibi per crucis patibulum, quam a conceptione meruit per gratiam virtutum.*

Hær. Et in hoc vos, Joanniſtæ, eſtis decepti, quia ſicut terreni eſtis, ſic omnia mundaliter & incarnaliter intelligitis; quia ibi loquitur de Regno æterno & non terreno, quia dicit, quod poteſtas ejus æterna, quæ non auferatur. Ergo nunquam deficiet iſte mundus, poſtquam poteſtas ejus eſt aeterna, & regnum ejus non corrumpetur; ergo non erit conſummatio ſæculi, ut dixit Chriſtus &c.

Cath. Vocas me Joanniſtam, cum ſim Chriſtianus, quia Joannes papa XXII. non fecit ſectam, ſed fidem Chriſti defenſavit, & conſervavit. Credis tu quod Angelus dicat verum?

Hær. Credo firmiter.

Cath. Credis tu, Paulum Apoſtolum dixiſſe verum?

Hær. Credo.

Cath. Credis tu, David dixiſſe verum?

Hær. Credo.

Cath. Credis tu, Petrum & alios Prophetas ſanctos dixiſſe verum?

Hær. Credo.

Cath. Credis tu Evangelium & Sacram Scripturam dixiſſe verum?

Hær. Infallanter credo.

Cath. Modo tibi oſtendam, non poſſe fugere veritatem, ſed intelligere & conſentire: Dixit enim Angelus Mariæ Virgini: *Dabit illi Dominus ſedem David patris ejus:* certiſſime David ejus pater fuit terrenus Rex, & habuit regnum terrenum; & Chriſtus fuit ejus filius verus ex carne. Matth. I. *Liber generationis Jeſu Chriſti filii David:* & Paulus Rom. I. *Factus eſt ex ſemine David ſecundum carnem.* Ergo ſi filius debebat ſuccedere jure hæreditario, & regnare in Regno terreno ſui patris David; & ideo Joan. I. dicit, quod *in propria venit & ſui eum non receperunt.* Numquid potes hoc negare? Item Paulus Hæbr. I. inquit. *Noviſſime diebus iſtis loquutus eſt nobis in Filio ſuo, quem conſtituit hæredem univerſorum, per quem fecit & ſæcula:* univerſorum, ideſt omnium Angelorum, & hominum terrenorum, etiam uſque ad parvulam aviculam & parvulum lapillum; & ideo ipſe dixit, Matth. *Data eſt mihi omnis poteſtas in calo & in terra*; quam, ſecundum magiſtrum ſententiarum in III. diſt. 13. cap. *Nec tamen gloriam* prope finem, *non quatenus accepit poſtquam reſurrexit*, ſed quam *ante habebat in conceptu virginis tunc manifeſtata eſt poteſtas; & ideo datum eſt ei nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Jeſu omne genuflectatur.* Ubi magiſter ibidem nomen ſupra omne nomen, ideſt quod ille homo vocatus eſt Deus in tanta hypoſtatica unione, quod poſtquam verbum Patris accepit humanitatem hominis, nunquam dimiſit, quantum ad partes integrales ſecundum corpus & animam; & ideo ſemper vocatus eſt Dominus omnium, quia homo erat Deus, & Deus erat homo inſeparabiliter. Sicut ergo eſſet impoſſibile ipſum, non eſſe dominum, qui eſt articulus fidei, *Credo in Jeſum Chriſtum filium ejus unicum Dominum noſtrum*, ſic eſſet impoſſibile ipſum ſemper non habuiſſe & habere dominium omnium creaturarum. Si iſte benedictus Dominus Chriſtus aliquando abdicaſſet terrena, ut dicitis, & temporalia, pro tunc & pro illis non fuiſſet dominus omnium, & ſic non potuiſſet ſe negare non fuiſſe dominum. Et ita credo, ſalvo meliori conſilio hic & in omnibus quae dixi, & etiam dicturus, quod ipſe dominus non poterat abdicare a ſe proprietatem, & dominium, & praecipue temporalium, niſi civiliter, ut ſupra demonſtratum eſt. Sed rogo te, auſculta me patienter, & clare videbis deceptionem tuam, & ubi in aequivoco ſenſu eſtis decepti. David in Pſ. 3. dixit de regno hominum, & terreno: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu. ego hodie genui te. Poſtula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ:* dixit terminos terrae ſolo ſuo dominio & proprietate. Item David alibi inquit. *Veritas mea cum ipſo, & in nomine meo exaltabitur cornu ejus. Et ponam in mari manum ejus, & in fluminibus dexteram ejus. Ipſe invocabit me, Pater meus es tu ſuſceptor meus. Ego primogenitum ponam illum excelſum præ Regibus terræ.* Et nota quod dicit: *in mari manum ejus & in fluminibus dexteram ejus*; & loquitur hic Propheta materialiter. Matth. II. & Mich. V. *Tu Betlehem domus Ephrata, nequaquam minima es; ex te enim egredietur qui ſit dominator*, ſcilicet egreſſus ejus, *a principio a die,*

& pre-

Digitized by Google

& propter hoc dabit eos uſque ad tempus, in quo parturiens pariet; & ſequitur. *Stabit & videbit & paſcet gregem ſuum in virtute Domini, & in honore Domini ſui erit; quoniam nunc magnificabitur uſque ad terminos terræ, & erit iſte pax*: (dicit hic Propheta materialiter) qui magnificabit uſque ad terminos terrae; & ideo tres Magi obtulerunt ei munera ſicut tributarii, tanquam vero Domino, unde David: *Reges Tharſis & Inſulæ munera offerent*; & Zach. IX. ait: *Exulta ſatis filia Sion, jubila filia Jeruſalem, ecce Rex tuus venit tibi juſtus & Salvator*, & ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinum & ſuper pullum filium aſinae; & ſubdit; *& loquitur pacem gentibus, & poteſtas eius a mari uſque ad mare, & a fluminibus uſque ad fines terræ*. Intelligis hoc, quia dicit *a mari uſque ad mare, & a fluminibus uſque ad terminos terræ*? quia dicitis quod non habuit regnum in hoc mundo; vanum enim eſſet Rex ſi non terrenorum & civitatum dominium haberet, ſed ſolum hominum; & ideo quando ipſe dicit: *Regnum meum non eſt hinc*, ideſt quia non habuit unctionem ab homine ſed a Deo, ſicut & Pater ſuus David non habuit regnum terrenum ab homine ſed a Deo, ſicut habetis lib. Regum, & Iſa. LXI. & Luc. IV. *Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxit me evangelizare pauperibus*; & David: *Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis*. Ecce quod iſta unctio Regni fuit a Deo, & non ab homine, & ideo dixit: *Regnum meum non eſt hinc*. Item Iſa. LII. inquit: *Inglorius erit inter vivos aſpectus ejus, & forma ejus inter filios hominum, iſte aſperget gentes multas, & continebunt Reges*. Petrus autem Actuum II. inquit: *certiſſime ſciat omnis domus Iſrael quia & dominum eum, & Chriſtum fecit Deus hunc Jeſum, quem vos crucifixiſtis*; & Auguſtinus in lib. de concord. Evang. in prooemio ait: *Dominus Jeſus Chriſtus unus verus Rex & unus verus Sacerdos eſt*; & paulo poſt dicit ſic: *Secundum hominem quippe Chriſtus & Rex & Sacerdos effectus eſt, cui dedit Dominus ſedem David patris eius, & regni ejus non erit finis*. Apocal. XIX. *Habebat ſcriptum in veſtimenta ſuo Rex Regum, & Dominus Dominantium*. Nonne ſibi videretur deforme ſi Chriſtus non habuiſſet dominium temporale, quod unus Rex terrenus dixiſſet Chriſto: remaneas tu a Regno meo; & ideo ad oſtendendum quod ipſe erat verus Rex terrenorum, Matth. XVII. in fine ait. *Cum veniſſet Capharnaum, acceſſerunt qui didrachma accipiebant ad Petrum, & dixerunt ei: magiſter veſter ſolvit didrachma*; ait etiam: *Et cum intraſſet in domum prævenit eum Jeſus dicens: quid tibi videtur Simon? Reges terræ, a quibus accipiunt tributum vel cenſum, a filiis ſuis an ab alienis? Et ille dixit: ab alienis. Dixit illi Jeſus: ergo liberi ſunt filii; ut autem non ſcandalizemus eos, vade ad mare & mitte hamum, & eum piſcem qui primus aſcenderit, tolle eum, & aperto ore ejus, invenies ſtaterem, illum ſumens da eis pro me & te*; ut dicit in ſumm. Aſten. lib. I. tit. 3. ſuper VII. praecept. de furto. quod ſi liberi ſunt filii Regis in Regno Patris, multo magis liberi ſunt filii ejus Regis, ſub quo ſunt omnia Regna. Ergo etiam Chriſtus hic qui ipſe erat Rex terrae, & non debebat ſolvere tributum, & ſolvit ad evitandum ſcandalum, & illo modo abdicavit a ſe dominium temporale. Item quod Regnum Chriſti non ſolum intelligitur pro Regno aeterno & caeleſti, ſed etiam pro terreno expreſſe declarat ipſe Dominus. Matth. 13. inquit: *Mittet Filius hominis Angelos ſuos, & colligent de Regno ejus omnia ſcandala*: ubi Gregorius dicit. *Sciendum eſt, quod ſæpe in ſacro eloquio Regnum cælorum præſentis temporis eccleſia dicitur*; & ſubdit: *nec enim in iſto Regno beatitudinis, in quo pax ſumma eſt, inveniri ſcandala poterunt quæ colligantur*. Etiam Gregorius in ſerm. de Epiph. idem dicit; inquit Greg. *omnia elementa auctorem ſuum*, nota tu Michaeliſta verbum, *omnia elementa auctorem ſuum veniſſe teſtata ſunt; ut enim de iis quædam uſu humano loquar, Deum hunc cæli eſſe cognoverunt, quia protinus ſtellam miſerunt; mare cognovit, quia ſub plantis ejus ſe calcabile præbuit; terra cognovit, quia in morte ejus contremuit; ſol cognovit, quia lucis ſuæ radios abſcondit; ſaxa & parietes cognoverunt, quia tempore mortis ſuæ ſciſſæ ſunt; Infernus cognovit, quia hos quos tenebat mortuos reddidit*. Intelligis hoc quod fuit Rex terrenus? & ideo dixit David: *Deus judicium tuum Regi da, & dominabitur a mari uſque ad mare, & a fluminibus uſque ad terminos orbis terrarum*. Et ideo poſt reſurrectionem Matth. ult. dicit: *data eſt ei omnis poteſtas in cælo & in terra*; abſurdum enim fuiſſet, ſi ante abdicaverat a ſe dominium & proprietatem rerum temporalium & poſt ſeſurrectionem reſumpſiſſet; & quia tu allegaſti in hymno: *hoſtis Herodes &c.* quia tu non legiſti, vel non intellexiſti hymnum nativitatis Domini dicens: *Hunc cælum, terra, hunc mare, hunc omne quod in eis eſt authorem adventus tui laudans exultat cantico*. Item hymnum in laudibus ejus Nativitatis Domini: *A ſolis ortus cardine, ad uſque terræ limitem, Chriſtum canamus Principem, natum Maria Virgine*; & ſere omnes Scripturae, omnes Prophetae, omnes Apoſtoli, omnes Sancti & Angeli clamant Chriſtum Dominum caeli & terrae & uniuſcujuſque creaturae uſque ad aviculam & lapillum terrenum, quem vos privatis de tanta magnifica terrena poteſtate.

Hær. Nos honoramus Chriſtum, cum dicimus, nihil habuiſſe & Apoſtolos tanquam caeleſtes homines, caeleſtia quaerentes, & non terrena, ſicut terreni, ſicut dicit Paulus; *Primus homo de cælo cæleſtis, ſecundus homo de terra terrenus*, qualiter caeleſtis tales & caeleſtes, & qualis terrenus, tales terreni; & Joannes: *qui de terra eſt, de terra loquitur*. Apoſtoli enim omnia reliquerant; ſed vos decimatis domos viduarum; vos veſtra relinquitis, ſed aliena rapitis.

Cath. Scio quod ex abundantia cordis os loquitur; ſed quaero a te unum. Credis tu, quod poſſidentes iſta terrena, Papa, Epiſcopi & alii Praelati ſint in damnationem? Quia ſi poſtquam ſecundum vos Chriſtus renunciavit, & Petrus & Apoſtoli, ita debuiſſent ſequi alii ſummi Pontifices, ut poſſint ſedere in ſede Chriſti & Petri ſicut ipſe ſedit, & alii Praelati in ſede Apoſtolorum, ſicut ipſi ſederunt tanquam cæleſtes terrena deſpicientes, & cæleſtia quærentes, quia in loco Chriſti ſucceſſit Petrus, & in loco Apoſtolorum ſucceſſerunt alii Epiſcopi, & in loco ſeptuaginta Diſcipulorum ſucceſſerunt alii Sacerdotes, & probatur in decretis diſt. 27. in novis diſtin. 68. *Chorepiſc*. §. *Quod autem* cap. *Quorum vicef.* ext. de S. Trinit. cap. 1. §. *Frontiſſimus hoſtis* de tempor. ordin. §. *Æqualiter*. Verb. *alii dicunt*, Scotus in IV. diſt. 13. Richard. in IV. diſt. 17. 2. quaeſt. 1. quod in loco Chriſti ſedet Petrus & alii ſucceſſores, & ita de aliis ut ſupra oſtenſum eſt. Si Chriſtus & Apoſtoli omnia terrena abnegave-

ruunt ſe, ſicut patet per Evangelium & per Acta Apoſtolorum ſecundum veſtrum intellectum. Unde ergo ſucceſſores habuerant dominium, & proprietatem rerum temporalium?

Har. Et ideo oſtenſa ſunt, quia infinita ſcandala in mundo guerrarum diſſentionum & hujuſmodi, quia Praelati Eccleſiarum miſcuerunt ſe cum aliis terrenis.

Cath. Quid ergo credis?

Har. Male, male credo, quia non ſequuntur fundatores fidei chriſtianae.

Cath. Interrogo te ſi credis, quod S. Gregorius papa, Damaſus papa, s. Silveſter papa, s. Petrus, s. Leo papa, s. Anicetus papa & martyr, Soter papa & martyr, Marcellinus papa & martyr, Joannes papa & martyr, Urbanus papa & martyr, Eleutherius papa & martyr, Silverius papa & martyr, Pius papa & martyr, Anacletus papa & martyr, Felix papa & martyr, Stephanus papa & martyr, Caliſtus papa & martyr, Evariſtus papa & martyr, Pontianus papa & martyr, Clemens papa & martyr, Alexander papa & martyr, Melchiades papa & martyr. Credis tu, iſtos eſſe ſalvos?

Har. Credo firmiter, quia canonizati ſunt a S. Eccleſia, & de his feſtum facimus.

Cath. Credis, quod qui crederet praedictos Sanctos Pontifices eſſe damnatos, ipſe eſſet damnatus?

Har. Firmiter credo.

Cath. Tales eſtis vos caeci, & omni veritate privati, quia omnes ſupradicti Pontifices habuerunt terrena, & proprietatem eorum, & ſederunt in illa ſede, in qua ſedit Papa Joannes XXII. quem vos damnatis, qui poſſedit, ſicut & alii poſſederunt terrena, & ſalvi facti ſunt; vos vero damnati.

Har. Tacuit.

Cath. Taces, quia veritas evidens te confudit.

Har. Non taceo ſed admiror quomodo tam parva intelligentia eſt in vobis illorum quae dicitis, & non intelligitis.

Cath. Quare?

Har. Quia iſti ſummi Pontifices Sancti praenominati non determinaverunt ita inconſulte de paupertate Chriſti & Apoſtolorum, ſicut Joannes XXII.

Cath. Plus de te vehementer admiror, quia non ſolum praedicti Pontifices hoc crediderunt, ſed ore confeſſi ſunt & opere confirmaverunt, quia temporalia poſſederunt; imo potentia & armis pro conſervatione rerum temporalium & immunitatis Eccleſiaſticae uſi ſunt. Iterum interrogo te, ſi eſt in bono ſtatu qui credit illud, quod credunt S. Dominicus & S. Franciſcus, & caeteri Sancti?

Har. Credo firmiter.

Cath. Corde intellige quod iſti Doctores & Sancti crediderunt Chriſtum habuiſſe proprium in communi & in ſpeciali. Apoſtolus vero in communi, & aliqua in ſpeciali, & Eccleſiam habere propria, & poſſeſſiones & caetara temporalia, & ita crediderunt, & ſalvi facti ſunt; vos vero damnati, tamquam exterminatores & complices diabolorum.

Har. Nos videmus, quod primi fundatores fidei chriſtianae fundaverunt Eccleſiam in omni ſanctitate, docendo caeleſtia, terrena vero deſpicere, & non aggregabant tot praedia, tot poſſeſſiones & divitias, in quibus ſuffocantur homines, & perduntur, ſicut faciunt Praelati Eccleſiarum.

Cath. Et ideo dum homo divertit a veritate de errore in errorem ſe praecipitat, ut lumen veritatis nunquam videat. Ego dilucidabo mentem tuam judiciis temerariis & tenebris agitatam, quia in prima Eccleſia non habebant Apoſtoli praedia, ſed vendebant, & pretium eorum pauperibus communicabant, quia per Spiritum Sanctum videbant qui Eccleſiam Sanctam per totum mundum dilatare, & expandere brachia ſua providebant; & hoc deſcribitur in decretis 12. quaeſt. I. cap. *Futurum*; ubi Melchiades papa inquit: *futuram Eccleſiam in Gentibus apoſtoli praevidebant, idcirco praedia in Judaea minime ſunt adepti, ſed pretia modo ad fovendum egentes. At vero cum inter turbines & adverſa Mundi ſubcreſceret Eccleſia ad hoc uſque pervenit, unde non ſolum Gentes ſed etiam Romani Principes, qui totius orbis monarchiam tenebant ad fidem Chriſti, & baptiſmi ſacramenta concurrerunt.* E quibus Conſtantinus imperator fuit primus dotans Eccleſiam, ad quem miſit Dominus Chriſtus Petrum & Paulum, & S. Silveſter in baptiſmo curavit ipſam, & apparuit ſibi Chriſtus. Numquid Chriſtus tantum feciſſet in converſionem dicti Imperatoris, & ipſe poſtea dotaſſet Eccleſiam, quae dos eſſet damnatio ſuae Eccleſiae, & maxime Praelatorum, certe vero non; ſed pietas ſua videbat Eccleſiam ſuam futuram habentem loculos & praedia. Et hoc Auguſtinus de communi vita cleric. tranſumptive in Decretis cap. *Non dicatis* 12. quaeſt. I. §. finali, ait: Chriſtum Dominum accipere converſantes in terra quare habuerit loculos, cui angeli miniſtrabant, niſi quia Eccleſia ipſius loculos habitura erat, quid tibi videtur ſine oculis?

Har. Mirabile quidem eſt, quod vos omnino vultis cum armis pro defenſione rerum temporalium occidere homines, pro quibus in cruce Chriſtus mortuus eſt.

Cath. Nos ſcimus quod ſemper haeretici de luce faciunt tenebras, & contra de veritate mendacium, ut numquam veritatis lumen videant, non enim Praelati Sanctae Eccleſiae armis intendunt occidere homines (quod abſit) ſed defenſare fidem contra haereticos, & temporalia contra tyrannos, quia ſi Eccleſia Dei non eſſet potens armis, & fortitudine (crede mihi,) quod non ſolum a tyrannis, & magnis Dominis, ſed a viliſſimis perſonis dejecta eſſet, & contempta, & ſic defeciſſet, ſicut plories mihi dicebat Beatus Bernardinus; & ideo Praelati Eccleſiae Dei miſerunt ſua defenſara pro communibus praediis Eccleſiae. Sic enim Thomas de Anglia Archiepiſcopus mortuus eſt pro defenſione immunitatis eccleſiaſticae. Unde in Decretis duodecimo qu. 1. Expedit, quod S. Paulinus vendidit ingentia praedia quorum pretia dedit pauperibus, ſed poſtquam effectus eſt Epiſcopus non contempſit Eccleſiae facultates, ſed fideliſſime defenſavit, & conſervavit; etiam ibidem inquit, quod S. Hilarius reliquit omnia ſua, omnia diſtribuens pauperibus, ſed poſtquam effectus eſt Epiſcopus Arelatenſis non ſolum poſſedit, quae habebat Eccleſia, ſed etiam acceptis fidelium numeroſis haereditatibus amplavit. Qui tanti viri & ſancti Pontifices & Epiſcopi ſi deberent res Eccleſiae contemnere abſque dubio numquam ſuſcepiſſent, & ideo in prima Eccleſia vivebant in communi omnes qu'a pauci erant etiam Apoſtoli &c. Unde dicit Clemens in epiſt. 4. ut habetur 12. quaeſt. 1. cap. *Dilectiſſimis*, *qui fuit*, tunc dixit, *communis vita omnibus eſt neceſſaria, fratres, & maxime iis qui Deo irreprehenſibiliter militare cupiunt, & vitam Apoſtolorum, eorumque diſcipulorum imitari volunt, & ſubdit, Apoſtoli eorumque diſcipuli, ut praedictum eſt, unam nobiſcum & vobiſcum communem vitam duxerunt, & bene etiam noſtis; erat multitudinis eorum cor unum, & anima una,*

non

non quiſquam eorum, aut noſtrum de iis, quae poſſidebant id ſuum eſſe dicebat, ſed omnia nobis & illis erant communia, nec quiſquam egens erat inter eos; ut dicit ibi; Clemens hanc epiſtolam ſcripſit fratribus, & condiſcipulis Jeroſolymitanis habitantibus cum S. Jacobo Coepiſcopo; item Urbanus Papa duodecimo quaeſt. 1. cap. *Videntes*, ait: *Videntes ſummi Pontifices, & reliqui fideles, quod erat plus utilitatis retinere praedia, quam omnia annullare, & ideo per totum orbem inſtituti ſunt Epiſcopatus, Parochiae, & Archiepiſcopatus qui retinuerint locum Apoſtolorum, unde non ſolum deputatis pauperibus uno tempore, ſed etiam ſingulis temporibus aliis pauperibus providerent*. Sed vos haeretici praeſentes & futuri, & baptizati facinus, ſicut Mahometus in ſuo Alcorano, quem legi, qui fuit phylocaptus de pulcherrima uxore cujuſdam, & nolens pro verecundia vi opprimere, ſed quia retinebatur propheta ſanctus miſit pro viro ſuo dicens: haec dicit Dominus: dimitte uxorem tuam; & ille gabionus dimiſit, & ipſe eam aſſumpſit; ſic omnes haeretici conantur inferre ſemper contra Sedem Apoſtolicam haereſim, ut ipſi Praelati deſcendant de Sede, & ipſi aſcendant, & ſe ipſos Eccleſiam conſtituunt; ſed ſapientes Praelati dicunt: Vos erratis, vos ſtatis deorſum tamquam canes ad latrandum; nos vero in ſede tamquam Vicarii Chriſti ad regendum. Intellexiſtis haeretici, qui cum tanto opprobrio, ſine honore, cum tanta infamatione, ſine reverentia, cum tanta crudelitate, & caecitate perſequimini ſacram Sedem, in qua ſedet Chriſtus, & Petrus, & totaliter confunditis neſcientes altitudinem, & ſanctitatem ejuſdem ſacrae Sedis, ſicut fecit ſtultus ille Ludovicus Dux de Bavaria, uſurpans ſibi Imperium Romanum depoſuit Joannem XXII. Papam; ſed infra decem annos ipſe mortuus eſt cum omnibus ſuis, & Papa Joannes in ſeda remanſit. Si Papa Romanus non haberet juriſdictionem temporalem, imo totius mundi, numquam ipſe coronaſſet Imperatorem; nec dediſſet ei juriſdictionem, & poteſtatem ſuper temporalia, quia hoc facere eſſet tyrannicum, quia ſi non haberet poteſtatem ſuper Imperium & terrena, tyrannice, & inaniter daret ei eorum poteſtatem; & ipſe inaniter reciperet ab eodem. Ipſe enim Papa approbat electum in Imperatorem, & confirmat, vel infirmat electionem ipſius ratificando cui vult, cum ſint in diſcordia Electores, conſecrat, inungit & coronat ipſum, extra de electione *Venerabilem*, & coronatum deponit, ut ibidem Papa Innocentius depoſuit Federicum Imperatorem, & recepit electionem, & auctoritatem eligendi Imperatorem a Graecis, & tranſtulit Alemannis Principibus, Extr. de ſent. 2. de re judic. cap. ad Apoſt. lib. 6. Item ipſe Pontifex ſolus ordinat Imperatorem, alias Imperator ordinem habere non poſſet, facit enim ipſum Diaconum Clemen. de Jur. Jur. cap. *Romana* 83. intellige pro ordine caracterem militarem, pr. quaeſt. pr. *quod quidem*. Ipſe ſolus edidit legem generalem Extr. de conſ. cap. 1. & finali diſt. 4. *omnis*. Ipſe ſolus eſt a legibus abſolutus per §. de leg. Princeps 27. quaeſt. 1. §. *Si ergo*, quia nulli ſubeſt, nec ab alio judicatur C. de legibus dicitur Rex 11. quaeſt. 1. *pervenit* 9. quaeſt. 3. *ipſi ſunt* cap. *ſuis* cap. *nemo*. Ipſe eſt ſolus ſedens in Sede Petri, non tamquam purus homo, ſed tamquam Deus, & homo. Et vos haeretici talem ſanctum Patrem in tanta dignitate ordinatum a Deo ſine reverentia, ſine honore, ſine timore, ſtulti, & temerarie confunditis, vituperatis, & damnatis, ut veniat ſuper vos omnis ſanguis juſtus, qui effuſus eſt ab Abel, uſque ad Cain; & ideo ipſe ſolus repraeſentat perſonam Chriſti benedicti, quem ſimul cum illo confunditis, Extr. *qui fil.* init. *legit* cap. *pervenit*. Ipſe ſolus habet plenitudinem poteſtatis datam a Chriſto; alii vero partem. Extr. de uſu Pallii, *ad honorem* 2. quaeſt. 9. decret. & dummodo contra fidem non veniat, in omnibus & per omnia poteſt facere, & dicere quidquid ſibi placet, auferendo etiam jus ſuum, cui vult, quia non eſt qui ei dicat, cur iſta facis? 19. diſt. *in memoriam* de Po. diſt. 3. nam apud eum eſt pro lege voluntas, & quod ei placet legis habet vigorem Extr. de Inſtit. Poteſt etiam omne jus tollere, & de jure ſuper jus diſpenſare Clement. de immunit. Eccl. Item data ſunt ei jura a Deo cum plenitudine juris caeleſtis & terreni imperii 22. diſtin. cap. omnis. Ipſe ſolus renovat leges Imperiales ut in conſtit. Ægid. 4. de poſtul. cap. *praeparandum*; & ideo tamquam Papa Chriſti, & verus Vicarius ab omnibus Chriſticolis venerandus, & cum omni reverentia & devotione colendus; quem vos caeci haeretici cum tanto vituperio confunditis.

Haer. Mirabile quidem eſt quod Apoſtoli dixerunt, *ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te*; & vos cum veſtris regibus pervertitis veritatem, & non dicitis: *ecce nos reliquimus omnia*, ut Apoſtoli; ſed dicitis ecce nos omnia aggregamus.

Cath. Scimus quod poſtquam æmulator tenebrarum comprehendit vos, omnia in malo judicatis, & ideo hoc pro certo eſt quod numquam aliquis haereticus poteſt habere compunctionem ſuorum peccatorum, & lacrymas, & alias devotiones, ſed deſiccati ut dicit Bonaventura in 2. & rabidi ut canes. Et mirabile quidem eſt, quod Chriſtus benedictus, & Apoſtoli, & ſancti prædicatores fidei chriſtianæ convertunt populos cum bono exemplo, & ſanctitate, & miraculis ſuadendo dimittere odia, & invicem amare in ſumma caritate, & ideo fundata eſt fides in dilectione fraterna ſupra firmam petram: ſed vos haeretici pervertitis ſimplices animas odio, & malo exemplo clericorum & religioſorum, ſuggerendo ſimplicibus, quod ſacerdotes ſunt concubinarii, ſimoniaci, & omnes infamationes contra ipſos; & ſic tales imbuti illo mortifero veneno aſpidis, perdunt fidem clericorum, & nolunt confiteri eis, nec recipere communionem, nec alia Sacramenta, nec intereſſe miſſis, nec ſolvere decimas, & efficiuntur haeretici, pagani, & filii diaboli, unde ſe credunt Dei filios; & ideo fides, & ſecta maledicta haereticorum fundata eſt ſuper arenam maris, ſicut in Bohemia perdita fide clericorum effecti ſunt haeretici, & fere per bonam partem Chriſtianitatis effundendo innocentem ſanguinem populi Chriſtiani; & ideo ad propoſitum revertentes, cum dicitur: *Ecce nos reliquimus omnia*, ſi ſane intelligitur, non concluditur reliquiſſe illa quoad dominium & proprietatem; hæc enim verba fuerunt dicta a Jacobo & Joanne Luc. 7. ſic dicitur quod ſubductis ad terram navibus, relictis omnibus, ſecuti ſunt eum; & tamen parabola illa legitur Matt. 4. quod Chriſtus ambulans juxta mare Galileæ vidit Petrum, & Andream mittentes retia in mare quibus ait: *venite poſt me & faciam vos fieri piſcatores hominum, & relictis retibus ſecuti ſunt eum*; & quod Luc. 7. præceſſerit illud quod dictum eſt Matt. 4. dicit Auguſt. in lib. de concor. Evangeliſ. expreſſe poſt Matt. 4. habetur etiam 8. quod venit Chriſtus in domum Petri: ergo adhuc domus remanſerat Petro, & quod poſt paſſionem ali-

qua viſibilia ad proprietatem habebant Apoſtoli, & legitur quod ait Angelus Petro: *praecinge & calliga te caligas tuas*, & *circumda tibi veſtimentum tuum*, & iſtud vocabulum tuum, vel ſuum dicit proprium ſicut exponunt Sancti ut habetur in quaeſt. 1. *ſcimus cap. nobis*, *cap. non dicatis* §. *Si ergo*. Item Matt. 26. & Joannis 18. quod in horto Petrus exemit gladium ſuum, & percuſſit ſervum Pontificis, & amputavit auriculam ejus, cui Chriſtus ait: *converte gladium tuum in locum ſuum*: ergo gladius erat Petri: Item Luc. 22. dictum eſt Apoſtolis, *qui habet ſacculum ſimiliter tollat & peram*, & *qui non habet* ſcilicet gladium, *vendat tunicam ſuam*, & *emat gladium*. Etiam poſt illa verba, *ecce nos reliquimus omnia*, gladium, & veſtes habuerunt Apoſtoli ut ſua, & ſic non poteſt concludi, per illa verba, Apoſtolos a ſe dominium omnium temporalium abdicaſſe; ideo de Matth. leg. quod cum Chriſtus dixiſſet Matthaeo *Sequere me*, quod ipſe ſurgens relictis omnibus ſecutus eſt eum, ſtatim ſequitur quod Matthaeus, qui & Levi dicebatur, fecit ei magnum convivium in domo ſua, & ideo eſt diſtinguendum.

Haer. Quomodo habuerunt proprium in communi, vel in particulari cum iverint per mundum congregantes non terrena, ſed animas Chriſto Jeſu.

Cath. Non divertas a propoſito, dico ſecundum Evangelium ſi habuerint proprium.

Haer. Neque conſentire poſſum Apoſtolos, poſtquam fuerunt aſſumti Apoſtoli, habuiſſe proprium.

Cath. Ego oſtendam per Sanctum Evangelium Apoſtolos habuiſſe ſecundum varia tempora, & ſtatum temporum; & ideo eſt diſtinguendum; primo in tempore in quo fuerunt cum Redemptore noſtro; ſecundo in tempore poſt ejus mortem; ſi ante mortem adhuc eſt, diſtinguendum, primo antequam mitterentur ad praedicandum; ſecundo conſiderandum eſt tempus miſſionis ad praedicandum, & tempus poſt reverſionem a praedicatione. In tempore in quo fuerunt cum Redemptore ante miſſionem praedicationis, non defuit eis habere aliquid ad praeſervationem, & conſervationem vitae, quando fuerunt vocati ad Apoſtolatum Petrus, & Apoſtoli Matt. 4. *venite poſt me*, ſequitur, & *illi relictis retibus continuo ſecuti ſunt eum*; & de Jacobo & Joanne in eodem capitulo, non dicitur aliud, niſi quod vocavit eos; & ſequitur: *illi autem relictis retibus ſtatim*, & *Patre*, *ſecuti ſunt eum*: Mattheo autem dixit: *ſequere me*; ſequitur, quod relictis omnibus ſurgens, ſecutus eſt eum; Philippo vero dixit Joan. 1. *ſequere me*. Ex vi igitur praedictarum vocationum non apparet renunciaſſe omnibus bonis ſuis. De Petro, & Andrea non legitur quod tunc reliquerint niſi retia ſua; & tamen legitur Mar. 1. Matt. 8. quod poſt praedicta ait Chriſtus: egrediens de Synagoga, venit ad domum Simonis, & Andreae, cum Jacobo & Joanne, & ibi curavit ſocrum Petri de febre. De Jacobo & Joanne non legitur quod tunc reliquerint niſi retia, & Patrem, quae quidem retia, videntur fuiſſe Patris, (de quibus vivebat) potius quam ipſorum; poſt quod dicitur de Mattheo: *relictis omnibus ſecutus eſt eum*; ſtatim ſequitur quod Mattheus fecit magnum convivium in domo ſua. Ergo poſt relictionem habebat domum ſuam. Si vero conſideretur quando miſit Apoſtolos ad praedicandum, tunc interdixerat eis reliqua, videlicet ne poſſiderent aurum, nec argentum, nec aes in zonis ſuis, & alia quae ante miſſionem non interdixerat quia aliter fuiſſent fruſtra. patet Matt. 10. Marc. 6. & Luc. 9. Item interdixit ſeptuaginta diſcipulis aliqua, dum miſerat eos ad praedicandum, ut patet Lucae 7. & tamen Diſcipuli habebant multa, & Joſeph ab Arimathia, Joannis 9. qui erat diſcipulus Chriſti Matt. 27. qui erat dives homo, & diſcipulus Chriſti. Item Simon leproſus erat Diſcipulus Chriſti Matt. 26. & Jeſus in Bethania fuit in domo ejus. Item Lazarus, Maria, & Magdalena ejus diſcipuli multa habebant.

Si vero quaeratur quando fuerunt miſſi ad praedicandum, pro illo tempore praedicationis, interdicta ſunt eiſdem aliqua, ut ſupra Marc. 6. legitur: *vocavit duodecim*, & *coepit eos mittere binos*, & *binos*, & *praecepit eis*, *ne quid tollerent in via*, niſi virgam tantum, non peram, non panem, nec in zona aes, ſed calceatos ſandaliis, & ne induerentur duabus tunicis; & Luc. vero 9. legitur: *miſit illos*, ſcilicet duodecim Apoſtolos, *praedicare Regnum Dei*, & *ſanare infirmos*, & *ait ad illos*: *nihil tuleritis in via*, *nec virgam*, *nec peram*, *nec duas tunicas habeatis*; & ſic in tempore illo fuerunt eis aliqua interdicta; & ſecundum Auguſtinum lib. de concor. evangel. quod illud non fuit praeceptum, ſed poteſtas data recipiendi neceſſaria ab iis, quibus Evangelium praedicabant, quam ſervare Apoſtolis licuit, vel etiam non ſervare: alias vero Apoſtolus Paulus tranſgreſſor hujus praecepti extitiſſet, quia plerumque ab illis, quibus praedicabat, non recipiebat neceſſaria, ſed illa vel recipiebat ab illis, vel cum ſuis manibus acquirebat Act. 20. ubi dicitur: *argentum & aurum*, *aut veſtem nullius concupivi*, *ſicut ipſi ſcitis*, *quoniam quae mihi opus erant*, & *iis qui mecum ſunt miniſtraverunt manus iſtae*. Ergo illud praeceptum fuit temporale: Luc. 22. dixit Dominus Apoſtolis: *quando miſi vos ſine pera*, & *ſacculo*, *numquam aliquid defuit vobis?* Propterea diſcipulis ſeptuaginta, quando miſit eos dixit: *nolite portare ſacculum nec peram*, in qua conſueverunt alimenta portare, & tamen de illis certum eſt, quod multi diſcipuli erant, multa habentes ſicut ex praedictis patet.

Si vero quaeratur poſt reverſionem, tunc videtur quod eis licuerit habere praedicta ſaltem in communi, quia Apoſtoli habuerunt panes, & piſces, ut Marc. 6. dicitur Apoſtolis poſt reverſionem a praedicatione, convenientes Apoſtoli ad Jeſum nunciaverunt illi omnia, quae eis evenerant, & docuerant, ſcilicet in praedicatione; & poſt ſequutum miraculum quinque panum, & duorum piſcium, ubi Apoſtoli cum Dominus dixiſſet eis, quid darent turbae manducare dixerunt: *euntes emamus denariis ducentis panes*, & *dabimus illis manducare*. Luc. vero 9. dicitur ſic: & *reverſi Apoſtoli narraverunt illi quaecumque fecerant*; & ſequitur miraculum praedictum, quinque panum, & dixit Apoſtolis: *vos date illis manducare*; *illi dixerunt non ſunt nobis pluſquam quinque panes*, & *duo piſces*, *niſi forte nos eamus* & *emamus* in omnem hanc turbam, & eſcas. Ergo poſt praedicationem Apoſtoli habuerunt panes, piſces, & pecuniam, de qua tantae turbae, quanta erat illa, poterant emere cibos. Item poſt praedicationem legitur Joan. 4. quod ſedente Jeſu ſuper fontem Jacob, *diſcipuli ejus abierunt in civitatem*, *ut cibos emerent*, & emptio mediante pecunia fit, ut patet Deuteron. 2. & tamen tunc temporis de praedicatione Apoſtoli fuerunt reverſi cum in cap. praeallegato Jeſus diſcipulis dixit: *Ego miſi vos metere*, *quod non laboraſtis*; *alii laboraverunt*, & *vos in labores eorum introiſtis*. Ergo poſt reverſionem habebant ſacculos, in quibus portabatur pecunia, & plures tunicas. Dixit Chriſtus Apoſtolis:

qui

Digitized by Google

qui habet ſacculum tollat ſimiliter & peram, & qui non habet gladium vendat tunicam ſuam, & emat gladium; & ſequitur quod Apoſtoli dixerunt ei: *Domine ecce gladii duo hic*; ergo habebant gladios, qui ſignificabant poteſtatem temporalem, & ſpiritualem, quae eſt in manu Papae Vicarii Chriſti Extra. de ſen. excommun. *dilecto* lib. 6. Intelligitis vos Michaeliſtae negantes omnem veritatem? Item Petrus habuit gladium, Joan. 18. quod Simon Petrus habens gladium eduxit eum & percuſſit Pontificis ſervum, cui Dominus dixit, *mitte gladium tuum in vagina*. Si autem quaeratur de tempore poſt mortem Chriſti diſtinguitur inter tempus ante miſſionem Spiritus Sancti, & poſt miſſionem ejus. Si vero quaeratur ante miſſionem Spiritus Sancti, non legitur quod quoad praemiſſa circa eos aliquid fuerit immutatum; ſed ex praecepto dicitur Luc. ult. *Vos autem ſedete in Civitate quouſque induimini virtute ex alto*; & ſic factum eſt.

Si vero quaeratur poſt miſſionem Spiritus Sancti adhuc diſtinguitur inter illos, qui ex Judaeis converſi ſunt in primitiva eccleſia Hieroſolimitana, & inter Gentiles converſos ex Judaeis, antequam Apoſtoli, & diſcipuli Chriſti ex una parte, & illi qui poſt ad praedicationem Petri, & ad miracula ſunt converſi. Apoſtoli omnia, quae habebant ſibi invicem communicaverunt, & nullum proprium, ſed omnia communia habebant, & hoc intelligo, quoad dominium Act. 2. & 4. cap. et ſupra oſtenſum eſt; unde Joannes ait ibi talem fuiſſe credentium Eccleſiam primam in Chriſto, qualem nunc Monachi etiam imitantur, & cupiunt, ut nihil cuiquam ſit proprium, nullus inter eos dives, nullus pauper patrimonium dividatur, communioni vacare, & pſalmis doctrinaeque, & continentiae inſiſtere. Ergo ante illam communionem habere poterant Apoſtoli & diſcipuli eorum aliqua in proprio, & in communi.

Quantum vero ad converſos Gentiles, non videtur quod inter ſe, nec credentibus aliis communicaverunt ſua, ſed ſibimet ſua retinebant I. Corint. ait: *De collectis autem quae fiunt in ſanctos, ſicut ordinavi Eccleſiis Galatiae ita & vos facite per unam ſabbati unuſquiſque veſtrum apud ſe ſeponat, recondens quod ei bene placuerit*; ad Philip. vero 4. dixit eis: *Scitis autem vos, Philippenſes, quod in principio Evangelii, quando profectus ſum a Macedonia, nulla mihi communicavit Eccleſia in ratione dati & accepti, niſi vos ſoli, quia & Theſſalonicam ſemel & bis in uſum miſiſtis mihi*, ſequitur, *repletus ſum acceptis ab Epaphrodito, quae miſiſtis in odorem ſuavitatis &c*; quid tibi videtur Michaeliſta de iſta ſancta lucida veritate de paupertate Chriſti, & Apoſtolorum & de rerum proprietate, & dominio? Numquid negari poteſt?

Hær. Si eſſet Jeſus Chriſtus, & Apoſtoli ad hanc quaeſtionem ipſi reſponderent.

Cath. Ego non dico Chriſtum, & Apoſtolos praeſentes, ſed dico tibi ſi potes negare tantam veritatem Evangelii?

Hær. Mirabile quidem eſt quod Chriſtus dixit, nolite litigare pro terrenis rebus, & vos cum armis non ſolum litigatis, ſed interficitis homines litigantes: Apoſtoli vero dixerunt Matt. 19. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te*, ubi Apoſtoli reliquerunt ibi non eſt jus agendi in judicio, quia litigare non ſtat cum perfectione, quia poteſt implicare ad praeceptum, ut dicit Paulus 1. Corinth. 6. *jam quidem omnino delictum eſt in vobis, quia judicium habetis inter vos*; & Chriſtus dixit Matt. 7. & Luc. 6. quod perfectis injunxit ut non litigarent in judicio; vos vero contrarium facitis.

Cath. Jam ſciebam te quae legis non intelligere, quod non intelligitur de perfectis, quia illos ſolos perfectos aſſeruis, qui omnino abdicaverunt a ſe proprietatem, & dominium civile, ſibi retento ſimplici uſu facti, & quod illa verba qui tecum in judicio contendere & tunicam tuam tollere vult, dimitte ei & pallium Matt. 5. & Luc. 6. intelligitur de eis, qui in proprio temporalia obtinebant; loquitur enim illi Dominus qui tunicam habebat & pallium, & dicit ei, qui vult tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium; ſic patet quod tunicam habebat, & pallium is cui loquebatur. Et ſequitur. Qui petit a te da ei, & volenti mutuare a te ne mutuare; & ſic locutus eſt habentibus temporalia quia dixit da ei quod a te petit, quod non poſſet facere, cum dare ſit accipientis facere, niſi dominium etiam quoad temporalia obtinet, nec etiam mutuare poſſet niſi ei quod mutuaret eſſet Dominus, quia in mutuo transfertur dominium, & quando dixit haec verba in Monte adhuc non erant Apoſtoli, Matt. 7. quia Apoſtoli fuerunt facti poſtea, Matt. 10. & quando dixit Apoſtolus 1. Corinth. 6. *jam quidem delictum eſt in vobis quod judicia habetis inter vos*, dictum eſt non Apoſtolis, ſed Corinthiis converſis ad fidem qui non renonciaverunt dominium rerum.

Hær. Mirabile quidem eſt, quod Chriſtus dixit Matt. 5. *ſi quis te percuſſerit in dextera maxilla tua, praebe illi & alteram, & ei qui vult tecum in judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium, & quicumque te angariaverit mille paſſus, vade cum illo & alia duo*. Vos vero contrarium facitis, & potius repercutitis.

Cath. Quaero a te utrum Auguſtinus iſta verba ſane intellexerit.

Hær. Utique ſane.

Cath. Recte reſpondiſti: lege igitur Auguſtinum in lib. de ſerm. domini in Monte ubi inquit: *non ſunt ſemper ſervanda in executione operis, ſed ſemper in praeparatione, cum ſint habenda, ut ſcilicet ſimus parati hoc facere, & ſubſtinere quando caritas hoc requiret*; ut habetur 23. Quaeſt. 1. *paratus*, & per hoc Apoſtolus non ſimpliciter dixit 1. Corint. 6. quare non injuriam accipitis; ſed dixit; *quare non magis injuriam accipitis*. Et quod eis ſimpliciter non interdixerit patet 1. Corinth. 7. Apoſtolus reprehenderat Corinthios, qui erant negligentes in judicio faciendo, & dixit eis: *nonne de eis, quae intus ſunt judicatis*? Item 1. Corinth. 6. reprehenderat Corinthios, quia coram infidelibus litigabant, & judicium ſubibant dicens: *Audet*, ideſt praeſumit, *aliquis veſtrum, habens negotium adverſus alterum judicari*, ideſt judicium ſubire *apud iniques, & non apud ſanctos*, ideſt fideles. Iterum oſtendebat quod haec ad infideles pertinebant dicens: *etſi in vobis*, ideſt per vos, *judicabitur mundus*, ideſt mundani, *indigni eſtis, quod de minimis*, ſcilicet de temporalibus *judicatis*? quaſi dicat qui majoribus, multo fortius minoribus eſt dignus. Sequitur: *ſaecularia igitur judicia ſi habueritis contemptibiles qui ſunt in eccleſia illos conſtituite ad judicandum*, & hoc dicebat ſibi ironice, unde ſubdit: *ad verecundiam veſtram dico*, ſubaudi quia curritis ad judicium infidelium: *non eſt inter vos ſapiens quiſpiam qui poſſit judicare inter fratrem & fratrem ſuum*; ſi frater cum fratre in judicio contendat, & hoc apud infideles, & ſic praeſupponit licere Corinthiis litigare cum fidelibus, & ideo ſubjungit: *omnia*

mihi

Digitized by Google

mihi licent: Gloſ. omnia mihi licet repetere; & ideo quando ſervus Pontificis dedit alapam Chriſto, ipſe non praebuit illi alteram maxillam, ſed dixit: *ſi male locutus ſum &c.* & ſic ſecundum intellectum hiſtoricum non legitur in Scriptura Sacra Chriſtum & Apoſtolos ſervare praedicta praecepta; unde habetur Act. 22. quod cum Tribunus miſiſſet Paulum flagellis caedi, & torqueri, & adſtrinxiſſent eum loris, dixit adſtanti Centurioni Paulus: *ſi hominem Romanum & indemnatum licet vobis caedere?* quo audito non fuit ſortus. Ita Act. 23. cum Princeps ſacerdotum praecepiſſet percuti Paulum, dixit ei Paulus: *percutiet te Deus, paries dealbate; & tu ſedens judicas me ſecundum legem, & contra legem jubes me percuti.* Item eodem capite: *quod cum audiſſet Paulus a filio ſororis ſuae, quod plures ex Judaeis devoverant ſe non manducaturos, nec bibituros, donec occiderent Paulum*, miſit nepotem ſuum ad annunciandum ei omnia praedicta, & ſic evaſit, ut legitur 23. quaeſt. 3. *Maximianus*. Item Hieroſolymis cum eſſet traditus in manibus Romanorum, & Judaeis contradicentibus ipſum non expedire, ad Caeſarem appellavit. Act. ult. Ergo non fuit intentio Salvatoris noſtri prohibere fideles, ſe defendere in judicio, & res ſuas, quando hoc caritas ſuadebat.

Hær. Ergo omnino vos vultis Chriſtum, & Apoſtolos, & omnem perfectum virum pro rebus temporalibus litigare, cum tamen ſicut dixi ſuperius, qui vult tecum in judicio contendere, & tunicam tuam tollere da ei & pallium. Hoc eſt tam clarum, quod non poteſt aliqua ratione celari.

Cath. Solus enim haereticus fatetur ſicut muſca, quae quanto plus expellitur a vulnere, tanto moleſte & frequentius reperit. Dixi enim ſuperius quod Praelati & ſancti viri cum potentia ad defenſanda jura Eccleſiae, & communitatis inſurrexerunt adverſus tirannos, & ideo ut ſane intelligas dico, quod illis qui propria non habebant pro rebus aliquibus tanquam propriis non licuerit litigare; illis autem, qui habebant communia bona temporalia pro illis, ut pro communibus omnino ipſa bona communia defendendi vel repetendi ſine fraude, & alicujus injuria licuerit litigare, praeſertim illis, qui curam habebant illius communitatis, vel alii per eorum mandata, niſi forte dimitterent propter grave ſcandalum; & ideo omnes Religioſi, qui habent in communi ſecundum regulam eorum poſſe litigare pro rebus terrenis, alias eſſent in via damnationis; unde Auguſtinus ad Bonifacium dixit: *Maximus Epiſcopus Varrenſis petit auxilium ab Imperatore Chriſtiano contra offenſores*, tamen ſuae eccleſiae, ac non ſui ulciſcendi cauſa tuendae ſcilicet eccleſiae ſibi creditae, quod ſi praetermiſiſſet non ejus fuiſſet laudanda patientia, ſed negligentia merito damnanda. Et ideo Praelati, quorum ſtatus reputatur perfectior aliis, & qui locum tenent Apoſtolorum, pro rebus terrenis ſuarum eccleſiarum litigarunt. Nicolaus enim Papa praecepit Trevirenſi Archiepiſcopo, & ejuſdem filiis, ut ſpirituali ſimul & materiali gladio tamdiu occupatores poſſeſſionum & rerum ipſius eccleſiae inſequerentur eorumque fautores, quouſque cum integritate poſſeſſiones, & res aliae eccleſiae occupatae fuerint revocatae 12. quaeſt. 2. *Cum devotiſſimam*, & 16. quaeſt. 1. *Auctoritate*. Certiſſime hoc non praecepiſſet ſummus Pontifex ſi non licuiſſet. Ad quod facit de ſent. excommun. cap. *Dilecto* lib. 6. de Reſtitut. expol. *cum olim*. Item in Concilio Calcedonenſi ſtatutum fuit, quod ſi quis oblata Deo dederit, vel acceperit praeter Epiſcopi conſenſum, vel qui ab eo inſtitutus eſt, & qui dat & accipit anathema ſit. Et ſequitur: *iniquum enim eſſe cenſemus ut potius cuſtodes carcerum, quam defenſores rerum creditarum ut praeceptum eſt, judicemur*. 16. quaeſt. 1. *in canonibus*. Innocentius quidem III. habet, quod renunciantibus propriis, & habentibus in communi, pro communibus licuit litigare, ut expreſſe habetur Extravag. de Judic. *Cum deputati*. Iterum repete de S. Thoma de Anglia; unde habetur 12. quaeſt. 1. cap. *Epiſcopi* in Concilio Agathen. inquit: *Epiſcopi de rebus propriis, vel acquiſitis, vel quidquid de proprio habent haeredibus ſuis ſi voluerint, derelinquant; quidquid vero de proviſione eccleſiae ſuae faciunt, ſive de agris, ſive de frugibus, ſive de oblationibus omnia in jure Eccleſiae reſervare cenſuimus*.

Hær. Multipliciter, & multiplici malitia multoties veritas confunditur, & per conſequens puritas fidei offuſcatur. Videmus enim omnes volentes Deo ſervire renunciant omnibus temporalibus, ut melius Deo deſerviant, & contemplationi vacent; & iſti multipliciter ſe palliant, ut temporalia melius congregare valeant.

Cath. Jamdiu ſcivi conventicula haereticorum, qui velut frenetici hinc inde circumvagare nituntur; non eſt enim zelus & dilectio paupertatis Chriſti & Apoſtolorum, quae trahit vos ad defenſionem veſtrae opinionis, quia jam ſunt viginti quatuor anni, dum praedicaveram in Caſtro Majoretti & Maſarii, & dirupta fuerant aliqua caſtra, inveni quod ad petitionem Fraticellorum haereticorum Guglielmus nobilis de illo caſtro Majoretti, qui ſe gerebat pro Imperatore Chriſtianorum, & Dominus Ranaldus haereticus ſacerdos ſecularis, qui ſe gerebat pro Papa, habebant 32. centenaria ducatorum ad petitionem dictorum Fraticellorum, & cum Brachius de Montone inſultavit contra Rechanatum, & fecit magnam praedam beſtiarum, praedictus Guglielmus emit 500. boves de illa praeda ex illis denariis, & capitaneus recepit ab eo. Ipſe vero Guglielmus dixit; haec ſunt Fratrum pauperum Sancti Franciſci, & rogabat ut propter eorum amorem non acciperet, & capitaneus dixit: bene ergo feci ſpolians Fratres S. Franciſci, qui nihil debent habere. Et multam etiam pecuniam vidi, quam ſaepe Fratres aſportabant de Tuſcia decipientes viduas & mulierculas, & nunquam reperi per viginti quatuor annos, quibus praedicavi, quod aliquis eorum Fraticellorum aliquando feciſſet unum par ſcarparum alicui pauperi pro amore Dei; ergo non pro zelo paupertatis, ſed pro zelo ſedendi in ſede Petri veſtram obſtinationem conſequimini; quia ſi paupertas Chriſti & Apoſtolorum eſſet unum de articulis fidei, qui non negaretur ab omnibus, non tam pertinaciter litigare deberetis.

Hær. Imo nos expreſſe confitemur paupertatem Chriſti, & Apoſtolorum eſſe articulum fidei, cum ſit fundamentum totius vitae eorumdem &c.

Cath. Dicas mihi ubi ſcriptum eſt paupertatem Chriſti eſſe articulum fidei, niſi in mente phantaſtica? propterea dicant aſſentatores hujuſmodi ubi legunt quod ad fidem & mores pertinet Chriſtum, & Apoſtolos non habuiſſe in eis quae habuerunt, niſi ſimplicem uſum facti? Profecto hoc ad fidem directe non pertinet, cum de hoc articulus non ſit aliquis, nec ſub quo valeat comprehendi ut patet in ſymbolis; non enim, ut falſe dicitis, quod fides Chriſti ſit fundata in paupertate, ſed in perfecta charitate; nulla enim creatura rationalis eſt pauperior diabolo, & tamen eſt in inferno, quia non habuit charitatem; ſed fundatus in charitate nullus damnatur.

Hær.

Digitized by Google

Hær. Numquid ergo non magis meretur qui habet charitatem inſuper & paupertatem, quam qui haberet ſolum charitatem ſine paupertate?

Cath. Si eſſent duo aequales in charitate, & unus omnia terrena a ſe abdicaret, non ſolum pro tali abdicatione plus mereretur, ſed etiam ſi diceret unum *Ave Maria* plus quam alter, plus mereretur; ſed non eſt fundamentum Sacri Evangelii paupertas, ſed ſancta charitas.

Hær. Dixiſti paulo ante quod nos haberemus Imperatorem ſaecularem, & Papam univerſalem. Nos ſcimus quod Joanniſtae potentia, crudelitate, & mendacio nos perſequuntur & confundunt; non enim habemus Papam, & nos infamatis.

Cath. Quare negas veritatem, quam negare non poteris? dum enim ſanctiſſimus noſter Papa Nicolaus V. anno 1449. de menſe Novembris miſerat Venerabilem Patrem Fratrem Joannem de Capiſtrano, & me Fratrem Jacobum de Marchia Ordinis Minorum ad reducendum illa caſtra haeretica Majoretti, Maſſatii, Podii, & Meruli, quae reducta ſunt ad gremium fidei & abjurata ſunt in manibus noſtris invenimus literas ſculptas in campana dicti caſtri Majoretti: *Anno Domini* 1429. *tempore Fratris Gabrielis Epiſcopi Philadelphiae Eccleſiae Paſtoris, Fratrumque Minorum miniſtri generalis. Jeſus Maria Franciſcus.* Ecce quod Papa veſter vocat ſe paſtorem non pecudum, ſed Philadelphiae eccleſiae, quae eſt univerſalis & ultra Eccleſiae Chriſtianorum.

Hær. Chriſtus dixit quod Beati qui perſecutionem patiuntur propter Deum &c. Nos igitur ſumus parati hic & ubique perſecutionem pati & mori pro amore Chriſti, & pro defentione veritatis.

Cath. Utinam hoc eſſet; ſancti enim eſſetis, ſed non pro Chriſto, ſed pro amore diaboli contra Chriſtum certatis; cum enim in juventute mea perſecutus fui iſtam ſectam damnatam Fraticellorum, omnes fugiſtis ab illis caſtris; dicebatis enim populis a vobis ſeductis. *Stetis firmiter ad perſecutionem propter iſtam veritatem quia ſalvi eritis*; & vos paſtores caecorum fugiebatis relinquendo eos ſeductos in periculo animarum, & corporum, quia multi combuſti filiorum & filiarum terrenorum & temporalium, & quia caſtra fuerunt combuſta, & tanquam mercenarii dimittentes oviculas caecas in manibus lupi diaboli, & non tanquam paſtores, qui animam ſuam ponunt pro ovibus ſuis; & quia vos dicitis eſſe eccleſiam Dei, & perſecutionem pati propter juſtitiam, dicatis mihi quae erit major perſecutio, quam poterit habere Eccleſia Dei in terris?

Hær. Erit in tempore Antichriſti, ſicut Chriſtus dixit Matth. 24. *erit tunc tribulatio magna, quae non fuit ab initio mundi uſque modo, neque fiet, & niſi breviati fuiſſent dies illi non fieret ſalva omnis caro.*

Cath. Recte reſpondiſti, aperi oculos, & dic mihi; ſi vos eſtis eccleſia Dei, ubi eſt ſcripta iſta perſecutio, quam habebitis: nonne tibi videtur quod iſta veſtra perſecutio eſſet major quam illa in tempore Antichriſti? cum tunc innumerabiles populi & homines firmiter confitebuntur fidem Chriſti: ſed modo nullus, nec veſtrorum ſeductorum, dum ſunt capti, audet confiteri veſtram damnatam ſectam, ſed omnes negant ipſam fidem contaminoſam, & abjurant eamdem, & ad ſacra Dei evangelia promittunt, numquam amplius retinere praedictam ſectam, ſed perſequi & confundere uſque ad exterminationem, & ad ſancta Dei evangelia promittunt retinere, conſervare, & defenſare uſque ad mortem fidem noſtram chriſtianam, cujus caput modo ad praeſens eſt ſanctiſſimus noſter Nicolaus Papa v. & hoc experientia didici, cum facta ſint in manibus meis dum eram contra vos fidelis perſecutor & Domini noſtri inquiſitor.

Hær. Homines eſtis & terreni, & ita ſecundum homines & terrena loquimini, haec enim terrena, quae tam ſtricte amplexati eſtis non de jure Divino, ſed humano data ſunt homini, quia ut dixit Propheta: *caelum caeli Domino, terram autem dedit filiis hominum*: ut expreſſe 8. diſtin. Quo jure ubi dicitur, quod jure humano dicitur: haec villa mea eſt, hic fructus meus eſt, haec domus mea eſt, etiam Clemens Papa expreſſe determinavit hoc, ut habetur 12. quaeſt. 1. *dilectiſſimis*, ubi dixit, communis uſus omnium quae ſunt in hoc mundo omnibus hominibus eſſe debuit, ſed per improprietatem, alius dicit hoc eſſe ſuum, alius illud, & ſic inter mortales facta eſt diviſio.

Cath. Conſuetudo enim haereticorum non ſolum vigilando, ſed phantaſtice dormiendo eſt confundere catholicam veritatem, & hoc faciunt quia nec Deum, nec ſanctos nec ſcripturam ſacram, nec veritatem cognoſcunt. Dicatis mihi quomodo intelligitis illud quod ſcribitur in dicto cap: *Quo jure*, ſicut allegaſti in principio, quod dimiſiſti. Dicit quod jus Divinum eſt quod in ſcripturis Divinis habemus; jus hominum quod in legibus Regum. Videmus enim quod Adam ante formationem uxoris ſuae ſolus dominium habuit rerum temporalium a Deo, & non in communi cum eſſet ſolus. Eccleſiaſt: 17. dicitur: *Deus de terra creavit hominem*, & ſequitur: *poſuit timorem illius ſuper omnem carnem & dominatus eſt beſtiarum & volatilium*; ergo habuit dominium a Deo, & ibidem cap. 12. dicit: *Dominus dominator & dominans*; ex quo ſequitur quod habuit dominium. Sapien: 9. *conſtituiſti hominem ut dominaretur creaturae tuae quae a te facta eſt*; & David: *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus, oves & boves univerſa inſuper & pecora campi, volucres caeli, &c.* Omnia ſubjecit ſub pedibus ejus, hinc expreſſe loquitur Propheta de dominio temporali Chriſti, quod vos haeretici negatis; & ideo ante lapſum primorum parentum, & ante diluvium & antequam eſſent Reges potuit aliquis dicere: hoc eſt meum; & poſt lapſum Geneſis 3. *in ſudore vultus tui veſceris pane tuo*, & non alieno. Item Geneſis: Noe plantavit vineam ſuam, & bibit ex ea vinum ſuum, & non alienum. Item Geneſis 12. *Dicit Dominus ad Abraham in terra Chanaam: ſemini tuo dabo terram hanc*; ergo a Deo, & non a rege habuit. Item Geneſis 26. *Tibi, & ſemini tuo dabo univerſas terras has* Num. 13. dicitur, quod unuſquiſque quae in terra rapuerit ſuum erat; ergo homines proprietatem rerum temporalium a Deo habebant, & non a regibus. De Chriſto dicitur Matth. 17. in Transfiguratione, quod veſtimenta ſua facta ſunt alba ſicut nix; & in coena Joannis 13. *Surgit a coena, & poſuit veſtimenta ſua*; & in paſſione: *Partiti ſunt veſtimenta mea, & in veſtem meam miſerunt ſortem.* Matth. 3. ubi dicit Joannes Baptiſta: *Cujus non ſum dignus calceamenta portare*; & Marci 1. *Non ſum dignus corrigiam calceamentorum ejus ſolvere*; & in multis aliis locis ſacrarum ſcripturarum, ſi bene perſpicitis invenietis veritatem ſacrae fidei Chriſtianae, & obcaecatum errorem veſtrarum tenebrarum. Item vos haeretici ordinatis Epiſcopos; neſcitis enim quod Epiſcopus non poteſt ordinari, vel conſecrari niſi a tribus Epiſcopis catholicis cum licentia Papae, ſicut habetur diſtin. 68. cap. *Chorepiſcopi* §. *Quod autem*; quia inveni in ſcri-

ſcripturis veſtris quod aliquis veſtrum facit, ſicut vocatur, Epiſcopus Florentinus, alter Venetorum, & hujuſmodi; & tamen non eſtis Sacerdotes, quia non ordinati ab Epiſcopis, quia nullus Epiſcopus fuit cum illis Michaeliſtis, & omnes mortui ſunt in tempore in quo vivebat magiſter Bonaventura Ordinis Divi Franciſci, ut ipſe teſtatur, & ſic non remanſit aliquis Frater de Ordine S. Franciſci; niſi poſtea ſupervenerunt aliqui apoſtatae ſe Epiſcopos, & Sacerdotes dicentes ſe fuiſſe, & a diabolo conſecratos eſſe. Item ſemper in Eccleſia Dei ſunt ſancti viri, per quos Deus multa miracula facit, quia ſemper ut modo ad praeſens Deus per Beatum Bernardinum de Obſervantia Ordinis noſtri ſuſcitavit viginti tres mortuos approbatos per commiſſarios deputatos per ſummos Pontifices S. Romanae Eccleſiae; tribus vicibus differenti tempore fuit facta perquiſitio ſuper praedicta miracula per ſanctam Romanam Eccleſiam, & multa alia innumerabilia, quae facit Deus per ſuum ſervum Fratrem Bernardinum, ſicut recepta & approbata ſunt a S. Romana Eccleſia, & ego vidi oculis meis, ſicut etiam apparet per imagines argenteas, & aureas miraculorum in S. Franciſco in civitate Aquilae; & ſic de multis aliis ſanctis, qui fuerunt poſt Joannem XXII. quem vos cum tanta Eccleſia condemnatis. Et mirabile quidem eſt, quod omnes haeretici & ſchiſmatici poſtquam receſſerunt ab Eccleſia, numquam Deus operatus eſt in illis aliqua miracula, quia miracula ut dicit Riccard. & Scotus, Deus operatur ad confirmationem ſuae fidei, ſed de vobis qui facitis voſmetipſos Eccleſiam, numquam reperitur, nec auditur aliquem veſtrum feciſſe aliquod miraculum, niſi dum corrumpuntur foetent, ſicut carnes putridae. Exemplum in Fabriano dum Papa erat ibi Nicolaus V. exiſtens, fuerunt combuſti aliqui de haereticis, per tres dies fuit foetor in tota civitate, & hoc ſcio quia foetorem eorum per tres dies uſque ad conventum praeſenſi, & dum ſuaſeram omnibus redire ad fidem qui omnes reverſi ſunt, confeſſi ſunt, communicati ſunt, & lacrimis compuncti, & ſic juſtificati ſunt qui relapſi fuerant, ſed unus qui vocabatur Chiuſus Fabrianenſis depoſitarius pecuniarum haereticorum numquam voluit reverti, teſtor coram Deo, quod nunquam vocavit Deum, Virginem, nec aliquem Sanctorum, ut ipſum juvarent, nec rogavit quod Deus parceret ſibi peccata ſua, nec numquam dixit ſuam culpam de peccatis ſuis, ſed deſperatus & deſiccatus dicebat: *ignis non poteſt me ardere*; & ego teſtor coram Deo, quod tribus diebus arſit ſaepe, & ſaepe adjunctis lignis. Alia miracula operatur diabolus per vos, ſicut teſtor coram Deo, veritatemque expreſſe reperi, quod viris, & uxoratis exiſtentibus in ultimis, & in agris, Fraticelli cum uxoribus, & filiabus eorum horribilia operabantur.

Har. Vos dicitis Fratrem Bernardinum de Senis ſanctum, & miracula multa feciſſe; nos credimus firmiter quod ſit membrum Antichriſti, ſicut praedixit Dominus noſter Jeſus Chriſtus; *ſurgent pſeudochriſti, & pſeudoprophetae, & dabunt ſigna magna, ut in errorem mittant electos &c.*, cum etiam Magi Pharaonis fecerunt multa miracula, & tamen erant membra Antichriſti; & Simon Magus & Antichriſtus majora horum facient ſecundum operationem ſatanae, ſicut dicit Apoſtolus Paulus ad Theſſalon.

Cath. In tempore Antichriſti Scribae & Phariſaei propter eorum caecitatem & obſtinatam malitiam, totam gloriam miraculorum Chriſti dabant Belzebub, & Diabolo, & quotidie blaſphemabant virtutem Chriſti benedicti; ſic & vos in obſtinata malitia, & caecitate compreſſi gloriam Dei datis diabolo, quia dicitis benedictum Bernardinum membrum Antichriſti; membra enim Antichriſti praedicabunt contra Chriſtum & fidem ſanctam, ſed Beatus Bernardinus praedicavit quadraginta annis Chriſtum benedictum & fidem ſanctam, & non ſectam veſtram damnatam, quam vos dicitis eccleſiam Dei. Ille ſanctus beatus Frater Bernardinus convertit per omnem Italiam tantam gentem, quae ſufficeret in tempore Apoſtolorum, publice & palam coram omni populo praedicans fidem Chriſti, & Summos Pontifices veros Paſtores; & vos caeci ſeductores in centum triginta annis pervertiſtis ruſticos Majoreti, & Meruli, & Podii, & partem Caſtri Maſſatii, & numquam aliquem doctorem, & peritum virum, niſi ut dixi ruſticos paucos, & aliquas mulierculas cum multis mendaciis ſeducentes eoſdem, dicentes quod debet eſſe unus Papa ſanctus de veſtris, & totus mundus convertetur ad ipſum, & ad fidem veſtram, qui canonizabit omnes combuſtos in ipſa ſecta; ſuggerentes eiſdem ſimplicibus, quod ſemper eritis victoriſi contra omnes diſputantes contra fidem veſtram, & ſic palliatis eos, & iſto modo *Ve beccate lo cervello*; & pro ultimo remedio & pietate veſtra ſubito cum pecuniis procuratis interficere Praedicatores contra vos, ſicut miſiſtis quingentos ducatos ad interficiendum Fratrem Joannem de Capiſtrano, & ducentos contra me in Majorato; & ille interfector revelavit Fratri Joanni de Eſculo confeſſori meo. Item dediſtis centum quinquaginta aureos cuidam de ſancta Natalia, ut me interficeret, dum praedicabam Reate; & poenitentia ductus venit Fabrianum, & habuit abſolutionem a D. Firmano Cardinali, & ſummo poenitentiario, etiam a me fratre Jacobo praedicto, & pluribus vicibus Deus piiſſimus evaſit me de manibus ſatellitum veſtrorum. Ecce pietas veſtrae eccleſiae: Chriſtus in cruce pro te, & vos clamatis interficere, ſicut feciſtis de B. Angelo Ordinis Cameldulenſium (ſic) veſtram damnatam ſectam perſequente. Rogo pleno corde Deum Regem piiſſimum ut illuminet vos ad veritatem fidei immaculatae ſponſae Chriſti benedicti in ſempiternum & ultra &c.

His ſupraſcriptis & ſcribendis forte non ſane intellectis, quod abſit, ſint pro non dictis, & me ſuppono correctioni S. Romanae Eccleſiae, cui ſit laus & gloria in virtute Chriſti benedicti, qui eſt omnium creaturarum Dominus & dominator ab inſtanti conceptionis ſuae ſemper fuit, eſt, & erit, qui eſt benedictus in ſaecula. Amen.

FINIS TOMI II.

1035896

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google